



HIERONYMI
CARDANI
MEDIOLANENSIS
OPERA OMNIA

In Decem Tomos Digeſta.



HIERONYMVS CARDANVS MEDIOLANENSIS *Ætatis* LXVIII



HIERONYMI

CARDANI

MEDIOLANENSIS

Philoſophi ac Medici Celeberrimi

OPERA OMNIA:

TAM HACTENVS EXCVSA;

hîc tamen aucta & emendata; quàm nunquam aliàs viſa, ac primùm ex Auctoris ipſius Autographis eruta:

Curâ CAROLI SPONII,
DOCTORIS MEDICI COLLEGIO MEDD. Lugdunæorum Aggregati.

TOMVS PRIMVS:

QVO CONTINENTVR

PHILOLOGICA, LOGICA, MORALIA.

Elenchus vniuerſalis Operum, ad calcem vitæ Autoris habetur.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN, & MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



GVILIELMO
DE LAMOIGNON,
SVPREMI
GALLIARVM SENATVS
PRINCIPI.

VIDE *quid agas, Scipio; acipenser iste paucorum. hominum est:* præmonebat non infacetus conviva. Videmus quid agamus, ILLVSTRISSIME GVILIELME; Autor iste, quantumvis multorum voluminum, paucorum tamen hominum eſt: Sed Tuî ſimilium, ſed illuſtrium convivarum, ſed ingentium librorum heluonum: Idémque ille Te digniſſimus eſt, & Tu illo. HIERONYMVS CARDANVS, vafer ille Italus, verſatili vir ingenio, & centum Doctor artium, atria tua pulſat, quæſiturus patronum proli ſuæ; quam novam atque numeroſam Europæ nunc primùm oſtentare geſtit. Nobis autem, tanquam nutriciis & educatoribus vti voluit; qui hos fœtus, ſi non ab vtero

ã 3 rubentes

rubentes, ſaltem à prælo madentes, limin tuo ſiſteremus. Atque vtinam quantum ille ingenij & eruditionis in ſcribendo adhibuit, tantundem nos induſtriæ ac diligentiæ in publicando impendiſſe, agnoſcat literatorum natio. Quidquid ſit, ſincerè teſtamur, nos nihil curæ omiſiſſe, ad omnia huius Autoris perquirenda, exſcribenda, & emaculanda. Ne quid enim omnino tanti viri diliteſceret; vel in ſordibus, aut privatâ cedro diutiùs jacêret; rimati ſumus plurimarum angulos bibliothecarum, in Gallia, Italia, Germania: vnde manuſcriptos codices, & ipſa Cardani autographa, hamis aureis expiſcati ſumus. In primis autem curavimus, Purpuratæ Themidis Princeps, ne quid niſi legitimum & genuinum hîc immiſceretur: quod facillimè euincet ſtyli germanitas, ſenſuúmque vniformis tenor. Et certè ſi quid adulterinum obtruderemus, ſtatim id ſubolfaceret tua Lutetia, naſuta ciuitas: & tunc, Væ, æternum væ, falſariis!

Felici autem caſu factum eſt, vt quemadmodum Cardani Opera Priora ante plures annos lucem aſpexerunt in illuſtri Baſiléa, Romana Numatij Planci colonia; ita hæc Poſthuma & Nova, ſimul cum

Prioribus

Prioribus; publicet hodie noſtrà Lugdunum, altera Planci colonia. Vtraquè ciuitas ſanè digna, quæ generoſos fœtus Orbi daret; Romanóſque ſpiritus liberis hominis liberrimi inſpiraret; eiúſque Manibus exultabunda acclamaret, Deæ tuæ, Cardane, Deæ tuæ te fortunant, Fama, Libertas; & Eruditio.

Nec minùs eum fortunabis, Princeps Conſultiſſime, ſi poſt benignam in ſinum tuum admiſſionem, illum præterea eruditorum coronæ commendaueris: Alioqui ſpe ſuſpensâ in ambiguo nutat; tot antehac partos honores hodiernâ die aut cumulaturus aut everſurus. Etſi enim magnus eſt famâ, majórque meritis, multos tamen iam-ab-olim nactus eſt aduerſarios: quos vivus adhuc,& iam gloriâ ſuâ fruens, experiebatur acerrimos: ſed poſt eius obitum(qui ipſis quoque antagoniſtis luctuoſus fuit,præſertímque magno Scaligero) animalcula quędam,maligna & venenata,ſcorpios alienæ famæ,terra damnata ſuppuravit: qui cùm virtute & viribus vt priores non poſſent, punctiunculis atque veneno graſſati ſunt: Et vt iniqua ſunt imperitorum iudicia, innocentem hominem, iam cadaver & pulverem, auſi ſunt collocare inter Furvarum Artium Conſecraneos.Nempe,

quia

quia tuum res arcanæ captum ſuperant, crucem & buſtum & infernum crepas, imperite Iudex, & pedanee. Quàm calumniosè, quàm fatuè, pronuntiabit æquitas tua, Præſes ampliſſime; ad cuius tribunal cauſa hæc appellatione devolvitur. In qua dimicatione, ipſo tacente reo, nullóque defendente Patrono, nec enim opus eſt, iſti ipſi Libri cauſam perorabũt.

Quod reliqua ſpectat, ingenuè fatemur, Cardanum, vt Philoſophum decet, liberrimè ſuos ſenſus vbique expromere. Is enim, quamuis inter larvatos non exiguam vitæ partem exegerit, nuſquam tamen larvatus apparet. Et veluti ſummè ſemper vitat, alienæ opinionis mancipium eſſe, ita ſe ſuáque nunquam ſtolidè admiratur, aut callidè occultat; vir minimè omnium diſſimulator ſuî; immo ſeuerior ſuorum errorum, propriæque vitæ cenſor, quàm alienæ. Cæterùm, vaſtitate ingenij vniuerſa in ſcientiis complexus eſt, quæ vix ſingula ſinguli aſſequi potuere. Ac fortaſſis nimiò multa ſciebat., quæ ignorare tutiſſimum eſt: Verùm illa ideo ſciebat, vt refelleret, aut execraretur, aut irrideret. Optandum tamen foret, vt ſuo ille ingenio dare frænos maluiſſet, ſolámque excolere Phyſiologiam, ſororémque

eius

eius Medicinam; quàm volitare & luxuriari per omnia rerum; politica, œconomica, mechanica, aſtrologica, caduca, æterna, ſuperna, inferna. Verùm ita fit, varietas delectat;mentémque humanam ſúſque déque verſat veſana curioſitas.

Quorſum igitur,iſta Tibi, Supremo Magiſtratui, offeruntur?Herclè quia Magiſtratuum eſt,ſicut & Sapientum, omnia noſſe, dijudicare, eligere, expungere. Adde quòd ingenuus quiſque, & verè nobilis animus, qualem Tibi Natura, meliórque Deus implantavit, ſeria ſtudiorum avidè ſectatur, ſi amœnitatis melle condiantur, maximéque allicitur philtro novitatis. Talia apud Cardanum frequentiſſimè occurrunt: quæ ille ſuo ſemper modo perſequitur, nempe ad perpetuum vſum vitæ,morum,valetudinis: Idque ſine fuco & phaleris; imò nimiùm crebrò ſine elegantia; rerum quippe quàm verborum amantior: Quanquam vbi elegans eſſe ſatagit, id ſtrenuè agit: in eóque ſeipſum ſuperat, vt plures alios. Si quid autem in tanta mole ſcriptionis Autori exciderit, quod dictum nolles, illud ſanè mille milléque bene dictis compenſatur:& etiam illud-idem cæteris auget decôrem; non ſecus ac in tabella, nigelli paululum format vmbras, & addit honorem picturæ.

Opera iſta tam varia, tam curioſa, tam expectata, Nomini Tuo nuncupamus, dicamus, conſecramus: Idque meritiſſimò; quandoquidem in illa ſublimitate Dignitatis, in illo fulgore Purpuræ, Libris noſtris ſuus apud Te conſtat honor; Artémque Typographicam & Bibliopolas diligis, & laudare ſoles, vtpote Cuſtodes Immortalitatis. Et quamvis occupatiſſimus mortalium vivas, Muſis omnibus ſua tempora diſpenſas: ad illarúmque ſacrum pulvinar ſacram mentem reficis. Quinimo ſtudere & meditari ludum putas, præ tetricis illis Legum, litiúmque, quæ vel ferreum & χαλκέντερον poſſent frangere, niſi ſubinde aures animúmque Tibi demulcerent Forenſes tuæ Luſciniæ, Apollinis Palatini aves. Sed illæ publicè; privatim verò, in ampla & electiſſima Bibliotheca tua, Tibi canunt ipſemet Apollo, & Muſarum chorus. In quo ſuaviſſimo concentu, partes quoque ſuas non indecorè ſuſtinebit Cardanus noſter.

Sed & alia longè maiora nos ad hanc dedicationem impulêre. Meminerunt omnes boni, neque mali dememinerunt, quantum Tibi Patria debeat; ab eo tempore quo turbulentiſſimis rebus noſtris, ſtationem tuam conſtantiſſimè tueri, cum paucis auſus es: ac inter ſicas, rabiémque centi-

cipitis

cipitis belluæ, Regiam autoritatem asserere minimè dubitasti; tuâ te virtute involvens, pro tam iusta causa mortem alacriter oppetiturus. Enimvero dulce nomen Mors est, viro Nobili, & Senatorio, pro suo Rege occumbenti.

Ob hæc merita, Regum maximus, idémque iustissimus, inter tot electos viros electissimum Te voluit, qui in Sede Regni sui primaria Iustitiæ gubernaculum moderareris. Idque factum est exultante Lutetia, immo toto Regno, cui iam notissimus eras; quandoquidem Sacrum Principis Consistorium, in quo virtutis tyrocinium posueras, in vniversam Galliam Iuris obtinet dictamen. Nec poterat quisquam eligi, magis ex voto publico, qui luctum illum detergeret, lacrymásque siccaret, quas effundebant boni omnes, ob immaturam mortem Illustrissimi Decessoris tui, POMPONII BELLEVRÆI, origine Lugdunensis:

Quem Themis, & Charites, sibi de meliore metallo
Conflarant. Malè sit vobis, fata, invida fata,
Quæ rapuistis eum, properantem ad gloriam Avorum.
Sed Magno bene sit Regi, agricolæ ingenioso,
Qui facit vt vivat, similiq; repullulet auro.

Etenim, Nobilissime Guilielme, Tibi cum Pomponio cognata virtus cognatos etiam honores, cognatáq; efflagitat encomia. Tu, sicut Ille, quantus quantus es, totus es candor & probitas. Tibi, sicut Illi, mens alta, solers ingenium, os affabile, manus purissimæ. Amantur in Te, quæ amabantur in Illo, Dignitas sine fastu, lautitia sine luxu, gravitas non morosa, nobilitas non ventosa, ipsæque literariæ dotes adeo sine ostentatione, vt etiam inter literatos mirè & suaviter Te ornet modesta Scientiæ dissimulatio. Quantus autem sis in Doctrina Iuris, tam Romani quàm Gallici, tam Politici quàm Ecclesiastici, testantur Oracula illa Iuridica, quæ vt alter Pomponius (sive iste nostràs, sive ille Pandectistes) disertè & nervosè, ex ipsis Causarum visceribus deprompta, quotidie fundis: Idque sæpesæpius imparatus & inopinatè. Tua igitur Tibi ornamenta, tuam Tibi dignitatem, sapientiam, constantiã, eruditionem, impensè gratulamur: Olímque tuæ canitiei sublimius quiddam & augustius vota populi augurãtur. Quem candidum diem, ô si Sol iste nobis revehat, nihil vnquam salubrius, nihil plausibilius Gallia viderit!

Sed ista forsan Te gloriæ blandimenta non capiunt, mavísque aures attentas dare misero

miſerorum litigantium gemitibus, quos tabidos & exſuccos Palatij liminibus affigit Iudiciorum hectica febris. Iis velle opitulari, Tibi naturæ generoſitate pronum eſt. Bis dat, qui citò dat: Quòd citò ius reddere amas, bis reddere eſt: pręcipuè nobis è remotioribus provinciis, qui ad tribunalia veſtra trahimur, anhelantes Romana milliaria tercentum & ſexaginta; diætas autem legales octodecim. Hiſce miſeriis finem vel modũ imponere, totámq; litigiorum viperinam ſobolem extinguere, vel eam ad ſuos autores amandare, pium erit & iuſtum. Norunt eruditi, à qua mundi plaga nos invaſerit iſta peſtis; & à quonam tempore Fori peritia olim apud nos facilis & ſimplex, degeneraverit in vulpinã Artem, & lupinam; ipſáq; noſtra Iuriſprudentia, caſta, ſancta, & venerãda, ſæpe tamen impuris manibus contrectata, vix evaſerit, quin ex matrona Gallica fieret Avenionenſis arlotta. Haſce ſordes eluere, Divámq; priſtinæ reſtituere majeſtati, multi ante Te conati ſunt Viri magni: ſed neſcio quo ſemper fato reluctata eſt temporũ iniquitas; quæ ipſis indomabilior fuit, quàm iſta ſit quæ hodie, tranquillo Regno, ſola Tibi reſtat edomanda, hominum malitia. Hanc minutatim conteres, improborum

malleus fortissimus: Quidquid autem venenati pulvisculi residuũ erit, quotidiano Senatuscõsultorum spiritu difflabis. Optabile facinus, & arduum! minimè tamen desperandum, Te promotore magno; majoréque Auspice LVDOVICO, ad hoc nobis A DEO DATO, vt aggrediatur OPVS HEROICVM EMENDATIONIS SVORVM TEMPORVM. Hoc vult, & gaudet velle; igitur patrabit. Quid enim impossibile est Regi magnanimo, & iuveni; qui abundè possidet aurum, & ferrũ, & sapientiam, & suorum *corda*? Verbulum istud, Oratori Romano durum & barbarũ, Regi nostro, suavissimum est, & Gallicissimum. Optimus hic, maximúsque Princeps, qui in ipso victoriarum cursu pacem hostibus concessit, non patietur vt bello plusquã internecino familiæ nostræ pereant, & à famelicis harpyiis vivi devoremur. O DEVS pacis & pacificorum, da nobis pacem, externam, internam, æternam.

Scribebamus Lugduni ad Ararim, Calendis Ianuariis, anno seculi climacterico M. DC. LXIII. qui vtinam hydræ palatinæ, sub Hercule LVDOVICO, sit exitialis. I. H.

Illustrissimæ Dignitati Tuæ

Addictissimi & devotissimi,
IOANNES ANTONIVS HVGVETAN,
& MARCVS ANTONIVS RAVAVD.



BIBLIOPOLARVM
Ad Lectorem Humanissimum
PRÆFATIO.

HVMANISSIME LECTOR, Inter innumeros elapsi proximè sæculi Scriptores, vix vllus occurrit, cuius monumenta maiore omnium eruditorum applausu, admirationis afsectà, fuerint hactenus excepta ac concelebrata, quàm HIERONYMI CARDANI Mediolanensis, Medicinæ Professoris Nobilissimi: idque meritò quidem, nisi vehementer fallimur, siue polydædalam quà abundè pollent eruditionem spectes, siue perspicaciam oppidò raram, humanáque sublimiorem quam præ se ferunt, siue denique παῤῥησίαν Philosophicam, quâ tanquam gratissimo embammate saporata visuntur. Quo factum, vt author ipse, *Maximus literarum Dictator* à quibusdam magni nominis Viris, ab aliis *Vir incomparabilis*, ab aliis *Portentum ingenij*, audire meruerit. Cùm ergo plerosque omneis ipsius *Opera* summopere sitire exploratum haberemus, eáque partim repertu non essent facilia, partim corruptissimè typis extarent publicata, non pauca etiam in lucem nusquam adhuc prolata: in animum induximus, vniuersa ista, quà *edita*, quà *anecdota*, vndecunque corrogare, nostrísque sumptibus in boni publici gratiam, augustiore formâ Bibliothecis acceptissimâ, prælo committere: Quod dum aggrederemur, honestum hunc nostrum impetum penè sufflaminârunt, quæ sese mox oggessêre difficultates quamplurimæ: Studiosorum tamen hominũ consiliis opportunè sublevati, cœptum cursum tenere perreximus, aspirante inprimis CAROLI SPONII, Medici nostratis, amicabili favonio. Hic enim tot Cardani, támque varias lucubrationes certâ donare œconomiâ minimè gravatus est: quo in negotio etiamsi GABRIELIS NAVDÆI τȣ̃ πάνυ vestigia aliquatenùs sectari sibi proposuerit, maiori tamen ex parte proprium Martem adhibere non dubitavit. Quàm id verò feliciter, penes candidos rerum æstimatores situm volumus iudicium. Totius ergò *Bibliotaxiæ* ab ipso institutæ hæc est ratio. Omnium prima *Philologica* in fronte locantur, vnà cum *Logicis Moralibúsque*. Ista mox excipiunt ad *Physiologiam* pertinentia. Subiunguntur *Mathematica* varij generis, putà *Arithmetica, Geometrica, Musica, Astronomica, Astrologica, Onirocritica*. Postmodum *Medicinalia* succedunt. Denique agmen claudunt *Miscellanea*, ex *Fragmentis* & *Paralipomenis* consarcinata. Isthæc autem omnia cùm *decem* in *Tomos* seu *Volumina* eâ proportione digerenda venerint, in singulis vt certa quædam debitæ molis æqualitas servetur, mirum nemini videri debet, si Moralium partem vnam primus tomus sibi vindicet, aliam verò secun-

dus

dus; similitérque si Physicorum partem vnam secundus sortiatur, aliam tertius; denique si Medicinalia quatuor in tomos, sextum scilicet, septimum, octavum ac nonum, ita suadente materiei vbertate, dispescantur. Ex quot porrò, & quibus, seu libris seu tractatibus, & quâ serie positis, singuli Tomi concinnati fuerint, docebit *Elenchus generalis Operum* suo loco expressus. Quia verò inter illa Opera, non pauca nunc primùm prodeunt in lucem, ex authoris autographis eruta, hæc ipsa tali charactere (†) designanda censuimus in Elencho modò laudato, vt ab iam olim editis faciliùs internoscantur. Cęterùm dolendum omnino, vt si quid aliud, quòd nonnullas nobis tanti Viri reliquias inviderit fatorum iniuria: membranæ siquidem bene multæ adeò aut laceræ, aut malè habitæ à blattis, muriúmque incursibus, aut tam exoletis támque ignorabilibus apicibus exaratæ, nostras ad manus pervenére, nihil vt inde, quod frugis alicuius esset, extundere licuerit. Quo in genere fuerunt *nouissimi duo* ex decem *Contradicentium Medicorum* libris, quos proinde omittere necesse fuit: præteréaque varij *libri Elementorum Geometricorum: Tractatus de Febribus putridis: Tractatus de morbo Gallico: Commentarij in Librum III. & VI. Epidem. Hippocratis*, necnon *in libb. Prorrheticon: Commentarij in Artem medicam Galeni: Commentarij in libb. Galeni de Differ. morborum:* & *de Differentiis symptomatum*: necnon *in libb. Galeni de Differ. febrium*. Tandem præter ista non dissimulandum, quædam alia Cardani scripta, apud Gabr. Naudæum memorata, heic desiderari, vtpote quæ nobis, vt vt avidissimè quæritãtibus, obtingere nullo pacto potuerunt: cuiusmodi est, *liber de Prudentia eximia: liber de Origine ventorum: Experimenta ad omneis morbos*. Vt nihil iam dicam de scriptis, quæ planè intercidisse putantur, inter quæ, præter *Metoposcopiæ libros tredecim*, quos periisse affirmat modò laudatus Naudæus, multi sunt alij libri ab ipso authore passim nuncupati, quorum hodie meræ supersunt epigraphæ, contextûs verò nec vola ampliùs apparet nec vestigium. Tot lucubrationum penitus amissarum iacturam quis obsecro, è meliore luto fictus non ægrè ferat? imò & earum, quarum exilia duntaxat fragmenta religiosè sublegere, ac posteritati consecrare nobis licuit: è quibus sanè πολλοσημοειοις summam ipsarum præstantiam ac amplitudinem haud aliter colligi posse censemus, quàm ex solo pedis vestigio Herculani corporis statura Pythagoræ olim deprehensa fertur, vel potiùs quàm ex effosso vno alteróve osse, gygantum proceritatem datur animo metiri. Vtinam exoriantur imposterum qui feliciore quàm nos vtentes Mercurio, quæ nos latuére hypomnemata, in apricum amicè expromant: quo ipso catorthomate luculentam procul dubio tum à nobis, tum à reliquis omnibus literariæ Reipubl. Civibus inituros se gratiam persuasissimum habeant. Bene vale, HVMANISSIME LECTOR, nostrísque conatibus candidè fave.

VITA

VITA CARDANI, AC DE EODEM IVDICIVM.

Per GABRIELEM NAVDÆVM.



ON eo fine Iudicium de Cardano meum literis consignare mihi visum est, cæteris vt norma sit eius æstimationis quam de Cardano facere debent. Neque enim sum nescius, quàm difficile sit, ad alterius Mineruam, aut ingenium aut iudicium suum accommodare. Verùm cùm homines eruditos videam, iis tantùm Cardani libris euoluendis operam nauare, qui suo vitæ, studiorùmque instituto commodi aliquid afferre possunt, cæteros autem quos in omni ferè disciplinarum genere Cardanus elaborauit, vel ignorare penitus quales sint, vel in Bibliothecæ solùm ornamenta penes se reconditos habere, quòd maior pars istorum inuentu difficilis existat; non putaui propterea quemquam illorum satis idoneum fore, vt de Cardano sententiam ferat; quoniam nisi diligenter exploratis singulis quibusque rerum conditionibus, pronuntiare de illis velle, hominis est nimiùm confidentis, & aliorum otio, non secus atque suo, prorsus abutentis. Mihi vero licèt non insit ea animi perspicacia, isque modus eruditionis variæ, & reconditæ, quem habere debet, qui mirificum in omnibus scientiis Cardani ingenium ex angulis, & Musarum adytis, in quibus hactenus velut à seipso diuisum latuit, totum simul, in apertam hominum lucem pertrahere satagit; non mentiar tamen si dixerim, me eò vsque omnibus eius auctoris lucubrationibus, ab ineuntis statim ætatis, & liberioris ingenij culturæ principio delectatum fuisse, vt nullas aliorum ardentiùs vnquam habere concupierim, diligentiùs conquisierim, frequentiùs euoluerim: imo verò cùm illius libros de Sapientia, priusquam denuò Typis committerentur, nec prece, nec pretio nancisci à Bibliopolis possem, testes sunt ex amicis meis quàm plurimi, me non dicam insuauem hunc laborem, sed gratissimum potiùs exantlasse, qui in illis manu propriâ exscribendis ferendus erat: adeoque semper mihi arrisit varia illa, multiplexque Cardani doctrina, vt nihil intentatum reliquerim, quò eam aut in suis, aut in Camutij, Tartaleæ, Duni, Scaligeri, & aliorum libris inuestigarem; & siue Medica, siue Moralis, Philosophica, Mathematica, Historica, Politica, Philologica, alteriùsue generis esset, exploratam haberem. Ex eoque factum est, vt priusquam in Italiam cum felicissimæ recordationis Domino meo, Ioanne Francisco ex Comitibus Guidiis à Balneo S. R. E. Cardinali Eminentissimo proficiscerer, nihil penitus de Cardani vita, moribus, libris, opinionibúsue desiderari à quoquam posset, quod sicut vngues, & digitos non tenerem: ac etiam nunc, videntur hæc omnia, adeò non excidisse mihi ex animo, vt vereri debeam, ne imparatus ad iudicium istud aggrediar; quod non vllâ diligentiæ meæ iactantiâ, non ingenij confidentiâ, nec aliorum sententiis meâ isthac determinatione vt obstruam, legésve sanciam, sed potiùs vt nonnullorum desideriis inseruiam, qui melioribus studiis addicti, parciores in excutiendo Cardano fuerunt, omni odio & affectu procul, sic instituo. Inprimis igitur quod ad hominis vitam, & mores spectat, si quæ de seipso dixit in exemplo natiuitatis suæ, & in libris de Consolatione, de Sapientia, de Vtilitate capienda ex aduersis, de Libris suis, de Vita propria, & alibi passim, attendamus, nemo fuit ortu vilior, naturâ imbecillior, institutione neglectior; vxore, liberis, seruis, infelicior; toto denique vitæ suæ tramite pauperior, miserior, afflictior. Atque hæc corporis, & fortunæ suæ damna fuerunt; ingenium verò si quis inimicus tale illi affinxisset, quale suum esse in themate natalitio testatus est, potuisset in illum agere meritò eâ lege,

Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi.

Nam ex Venere loci Lunæ, ac Mercurij dominâ, & Mercurio multùm, Saturno mediocriter commistâ, animum sibi effictum ait, in *diem viuentem, nugacem, religionis contemptorem, iniuria illata memorem, inuidum, tristem, insidia*

insidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, frequentibus calamitatibus obnoxium, suorum osorem, turpi libidini deditum, solitarium, inamœnum, austerum, sponte etiam diuinantem, zelotypum, obscœnum, lasciuum, maledicum, varium, ancipitem, impurum, calumniatorem, & omnino incognitum propter morum, & naturæ repugnantiam, etiam his cum quibus assiduè versabatur. Neque profectò dubium est apud me, quin ipse talis esset, qualem omnibus aliis se conspiciendum præbuit: nam eiusmodi mores sibi à natura fuisse indisos, non hic modo, sed alibi toties inculcat, nihil vt verius fuisse censeri possit; & qui penitissimè Cardani indolem nouerit, eam non multum ab hac Epithetorum farragine remotam fuisse deprehendat; vt mittam aliorum etiam grauissimorum virorum iudicia, qui Cardanum miras de seipso fabulas concitasse, & insanienti proximum vixisse, non perperam asserunt. Et hercle non video quid aliud existimari possit de homine, qui somniis, ostentis, auguriisque vanissimis, & maximè ridiculis fidem adhiberet; qui totus ex delirantium vetularum obseruationibus penderet; qui quoties vellet, à sensibus per extasim peregrinaretur: qui spectra, & laruas videret: qui Paredrum aliquem, & sibi fauentem Genium adesse, vel stultè crederet, vel malignè mentiretur: qui vxorem duxit sine dote: qui filiorum educationem neglexit: qui iuniorem ex illis auricula aulsa, puerum verò nomine Guilelmum verberibus, licèt immerentem, sæpius multauit: qui se iactatum à Patre pro spurio fuisse, & abortiuo medicamento, priusquàm nasceretur, tentatum refert: qui pannosus aliquando, mox ornatus in publicum prodiret: qui inter amicorum colloquia lubentiùs nihil diceret, quàm quod illis ingratum fore cognouerat; qui Lunam non secus in cœlo de die, quàm noctu videret: qui Romæ diuerso ab aliis cultu spectandus incederet; qui Bononiæ suffultum tribus tantùm rotis currum aliquoties vsurparet: qui iuuenis rixas miscebat, adultus meretrices sectabatur, vir factus à ludis, & aleâ non temperabat, senex quoque carcerem vitare non potuit; qui denique probra vitæ suæ, turpitudinesque vel minimas, è priuatæ domus secreto vbi non secus ac aliorum hominum sordes, & flagitia delitescere rectiùs potuissent, non euulgauit modò, sed nauseanti fermè per tot ineptias, & narrationes inconditas Lectori, obtrusit: Nam si facere isthæc sapientis est, nescio sanè, cur Orestes, Corœbus, Amphistides non ipsi quoque sapientes inter, numerari possint. Enimuerò potuisset tamē Cardanus naturæ suæ, vt ab ipsomet vocatur anomalæ, simúlque nominis, & personæ decori prospicere, si in exemplo thematis sui natalitij (quandoquidem hic locus erat conuenientissimus) affectiones tantùm, & propensiones illas denudasset, quæ ad indicandam artis suæ præstantiam, detegi saluo pudore, & nominis integritate poterant: aliarum verò non magis quàm Erasmus, Longolius, Campanus, meminisset, qui licèt dubiis parentibus orti fuerint, maximásque in vita paupere & desultoria difficultates tulerint, quoniam tamen in illis velandis, obtegendísque, cautiores Cardano fuerunt, nullam hactenus, eo saltem nomine, laudum suarum imminutionem perpessi sunt. Et amabo quotus est hominum, cui vt Satyricus monet, promptum sit

Murmurq; humilesq; susurros,
Tollere de templis, & aperto viuere voto?

Ego sanè non secus hoc tempore, quàm olim Iuuenalis,

Egregium sanctumq; virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, & miranti iam sub aratro,
Piscibus inuentis, & fœtæ comparo mulæ.

Omnes enim homines suapte naturâ mali, stulti, improbi sunt, & si palam offendunt, quantò magis inter priuatæ familiæ septa Cardano similes existunt? Vnde qui eum odit, propter priuatas illas turpitudines, hunc etiam reliquos homines odisse conuenit, si in eorum intima semel descendat. Singuli quippe suo modo peccant, insaniunt, delirant, & in eo tantùm sapiunt, quòd peccatis, & fraudibus suis nubem iniicere ex pulchræ Lauernæ instituto didicerunt: quod idem Cardanus seu naturæ liberioris impulsu, seu virtutum confidentiâ præstantissimarum, quæ tot maculis longè præponderant, aut aliâ tandem de causâ facere non potuit. Quamobrem si quis à me sciscitetur, quid tandem de vita, moribusque Cardani statuendum sit? Ego certè non immunem illum ab inepta præstare vellem, quandoquidem vel ex eo talis fuisse deprehenditur, quòd tot inepta, & absurda de seipso prodiderit, quæ reliquorum hominum, more, æterno potiùs silentio obruere, & damnare debuerat. Cæterùm cùm asserente grauissimo censore Seneca, *nullum vnquam magnum ingenium sine mixtura dementiæ* fuerit; & ab ea non prorsus liberi vixerint Philosophi illi magni nominis, Porphyrius, Iamblichus, Ædesius, Maximus, Chrysantius, & id genus ab Eunapio laudati, qui tantùm abest vt cum Ennio professi sint, se non curare

Marsium Augurem,
Non vicanos Aruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium.

Quòd potius magicæ vanitatis mancipia fuerint, nec somnia, terrores, portenta, Genios, Lemures, stultissimásque eiusmodi obseruationes, quarum plenus est Eunapius, flocci fecerint. Possent ista quidem Cardano patrocinari, quominus ad Anticyras confestim amandaretur, nam certum est, non eandem esse ingeniorum apud omnes homines naturam, & in illorum differentia, quædam per temporum vicissitudines reperiri, quæ propter ignotam nobis causarum syndromen, siue corporis temperies multum adæquata, siue bilis adustæ copia, aut organa magis affabrè composita, radiúsue præstantior ab intellectus agentis splendore delibatus, in illam concurrant, multa sciunt, videntque reliquis omnibus negata: atque velut ebria continuò forent, aut à sensibus seiuncta, mores obtinent inconditos, sermonem turbidum, vitam inæqualem, verùm ex aduerso, difficilia quæque celeriter apprehendunt,

&

Vita Cardani.

& facilè retinent; persentiscunt etiam, vaticinantur, incomperta loquuntur, occulta detegunt, & pro sectis aut religionibus quibus addicta sunt, pro officiis quibus mancipata, sic rebus vanis, aut solidis inhærent: quemadmodum in Platonicis illis Philosophis, & Cardano videre est, qui ex Academiæ placitis, Spectra, Lemures, Portenta, & ex inuariabilis Fati necessitate, auguria, somnia, oracula, & eiusmodi alia, quæ velut extremæ dementiæ signa Peripatetici subsannant, diligenter obseruare consueuerunt. Istis igitur & similibus de causis, videri posset Cardanus, nihil ab eorum consuetudine diuersum egisse, qui talem ingenij differentiam nacti sunt: sed cùm veritatis amore, nihil vnquam antiquius sibi fuisse cõtendat, & ex consequenti, frequenter in illas voces prorumpat, *Nunquam me mentitum esse memini: ergo iam securus de mendacij suspicione, vt qui in veritatis studio consenuerim*, & similes alias quæ in eius libris passim occurrunt: Ego contrà mendacissimum illum fuisse deprehendi, & ab hoc vitio, reliqua demum velut è fonte promanasse, quæ à nonnullis delitamenta vocantur, non leuibus de causis existimo. Hoc autem ne quis à me dictum inconsultò fuisse, quoniam res est magni momenti, sibi persuadeat; en signatis tabulis ipsam confirmo, quarum fidem ne Cardanus ipsemet si nunc viuat, eleuare meritò possit. Quippe cùm capite xii. de propria Vita dixisset, *Grammaticam nunquam didici, vt neque Græcam, aut Gallicam, aut Hispanicam linguam, sed vsum solùm mihi nescio quomodo tributum*: & antea cap. ix. asseruisset, *se miraculo adiutum fuisse, ad intelligendam linguam Latinam*, quale tàdem fuerit miraculum istud capite xli. sic explicat: *Quis fuit ille qui mihi vendidit Apuleium, iam agenti ni fallor annum xx. Latinum, & statim discessit, ego verò qui eò vsque, neque fueram in ludo litterario nisi semel, qui nullam haberem linguæ Latinæ cognitionem, cùm imprudens emissem, quòd esset auratus, postridiè euasi qualis nunc sum in lingua Latina, necnon & Græcam quasi simul, & Hispanicam, & Gallicam accepi, sed duntaxat vt libros intelligam, ignarus sermonis, & narrationum & regularum Grammaticæ prorsus:* Hoc autem quam sit veritati consentaneum, declarant verba illa ex opusculo de Libris propriis, quod sub finem librorum de Sapientia, & de Consolatione reperitur: *Interim verò Grammaticæ & Dialecticæ operam dabam*, circa videlicet annum ætatis suæ xxiii. nam circa xxxv. addiscendæ linguæ Græcæ sedulò operam impendit, vnde *præsenti*, inquit, *anno, nimia intentione studij Græcarum literarum labefactatus, nihil ardui molitus sum*, subiungitque paulo pòst, *Librum Micylli in Epitomen redegi, quem coniunxi libro de Græca literatura institutione.* Sed mendacium istud licèt miraculo coniunctum, leuissimum forsan videri possit, quoniam ex eo nihil sequutum est, quod Cardano vtilitatis quicquam attulerit. At non idem de eo dici potest, cuius nunc opportunum est historiam paucis contexere: Nam cùm libro v. de Sapientia confidenter scripsisset, *Dum in hac vrbe inuidia laboraremus, nec lucrum suppeditaret impensis, multa vt noua inueniremus tentauimus in arte: nam extra artem nihil non cessit: Tandem Phthisis (quam Pthō vocant) multis seculis curam deploratam excogitaui, sanauique multos qui nunc superuiuunt, nec difficilius quàm Gallicum morbum*; & Illustrissimus Ioannes Hamilthoo Archiepiscopus S. Andreæ, S. P. sanctæque sedis Apostolicæ Legatus, & Ecclesiæ Regnique Scotiæ Præses, in eiusmodi pollicitationem de curatione Phthisis quà tunc miserè discruciabatur, nescio quo casu incidisset: putauit salutem suam in hoc Cardani secreto repositam esse. Quamobrem magnis pollicitationibus illum ad se in Scotiam pellexit, eiúsque consilio, per aliquot menses vsus, quamuis non adepta prorsus sanitate, dimisit, iis honoribus cumulatum, quos Cardanus inter vitæ suæ potissimos, meritò postea recensuit. Sed videamus nunc, quomodo totum istud negotium solemni cuidam mendacio, quod nolens scilicet protulerit, acceptum refert idem Cardanus, in editione Rouilliana opusculi de Libris propriis. *Istud*, inquit, *admiratione dignum, cùm nunquam mentitus sim, istam qualemcunque bonam fortunam, tamen ex mendacio ortam fuisse: Nam neque verum erat me Pthoe laborantes sanasse, neque tamen consultò mentitus eram, aut ex toto, tunc enim sanare illos posse sperabam: ita fatum me impulit, quasi Fortuna nunquam vera virtuti faueat, vt egregiè nolens mentirer, hócque solum mendacium, quod me inuito excidit, tantum mihi vtilitatis & voluptatis afferret.* Istis autem duobus mendaciis, tertium adiungo, quod item celeberrimum fuit, quia de Genio illo toties decantato, cui Cardanus tum in natalitio themate, cùm in historia vitæ & librorum, ac in opusculis, & libris omnibus, seipsum curæ fuisse, ad rauim & fastidium inculcat. Vnde res foret omninò longa, difficilis, & tædij plenissima, quæcumque variis in locis de hoc numine dixit, ad pleniorem eius historiam colligere. Verùm quia non obscurè, quale tandem istud fuerit, in Dialogo de humanis consiliis explicat, satis mihi erit colloquentes de eo Thetim & Ram. huc adducere. *RAM. Tot tantáque ei mira in vita acciderunt, vt susp.cari cogar & ipse, qui illi intimus sum, Genium ei esse, & magnum, & potentem, & rarum, vt non sit suarum actionum Dominus, sed quæ cupit non habet, quæ habet non concupierit, nedum vt sperarit: ille tamen hoc abhorret, sed cùm cogitat Deo omnia parere, acquiescit. TET. Sed cuius naturæ? ferunt enim quosdam esse Saturnios, alios Iouios, atque ita de aliis. RAM. Suspicatur esse Venereum, Saturno, Mercurióque mistũ. TET. Tales omnes miserè viuunt, & pereunt, quamuis quorumdã magnum sit nomẽ. RAM. Hoc nescio, cùm neminem nouerim præter hunc, & illius patrem, ac Socratem, qui huiusmodi Geniorum familiaritate vsus fuerit.* At hercle si dæmon ille Socraticus, non multùm diuersus fuerit ab eo quem Cardanus sibi comitem fuisse iactat, vereor ne pro fabula vterque deinceps habeatur. Nam quod ad postremum attinet, mirum est quàm exesis & debilibus fulcris innitatur, imò vero quàm vanis & ridiculis notis se Cardano prodiderit. Primùm enim *per somnia & strepitus monere eum consueuerat*: deinde verò magis adhuc innotuit, cùm Cardanus, quemadmodum subdit Tertim, *sine vllo medicamento liberatus est herniâ intestinorum in latere dextro, liberatúsque*

etiam ab origine vrinæ: demúmque palpitationem cordis, & aurium tinnitum excitauit. Sed frustra, neque enim hæc omnia satis esse Cardano potuerunt, quominus capite xlvii. de vita sua dixerit, *Mihi fuisse bonum & misericordem spiritum diu persuasum est, sed quâ ratione me certiorem redderet de imminentibus, nonnisi exacto anno vitæ lxxiv. deprehendere, dum vitam meam conscribere adortus sum, potui.* Enimuerò ne tunc quidem istud rescire vllo modo potuit, si tota illa narratio de Numinis fauentia, non tantùm vana, & ridicula, sed planè commentitia est, eodemmet Cardano teste, & arbitro etiam in propria causa: nam libro xvi. de Varietate, capite xciii. negat se vllum vnquã Genium habuisse, *Ego certe nullũ Dæmonem aut Geniũ mihi adesse cognosco:* subiungitque postea, *illud bene scio, mihi pro bono Genio datam rationem, patientiámque in laboribus magnam, bonum animum, pecuniæ honorúmque contemptum, quæ omnia maximi facio, & Dæmonio Socratis meliora atque ampliora dona existimo.* Hac igitur liberâ, & ingenuo viro dignâ confessione, ruit aceruus ille ineptiarum, quas Cardanus de spiritu suo familiari, de splendore, de spectris, & Luna visa pleno meridie, similibúsque nugis & mendaciis, cùm non ita sui compos erat, velut in publicum theatrum ridendas inuexit. Enimuerò non semper eum sui compotem fuisse, sed æstu quodam raptum, indicio est omnium certissimo, varietas illa pugnantium inter se sententiarum, quas non est quòd aliquis obliuione eorum quæ iam dixerat, aut astu, vafriciéque prolatas ab eo fuisse, sibi persuadeat, cùm se in rebus aliis memorẽ ad miraculum vsque præstiterit; & artis ac vafriciei suspicionem omnem eleuet, quòd grandia quidem, sed contraria semper, nunquam autem connexa, & sibi mutuò cohærentia loqueretur. Æstum autem, & calorem illum tam varium & inæqualem, quo magnæ mentes interdum agitantur, & quo sensim refrigescente, sua plerumque vel mirantur, vel ad eam rationem quâ tunc dicta sunt, non ampliùs intelligunt, si quis ad alicuius tantùm Genij præsentiam contingere velit, magnum profectò is aditum facit credulis, superstitiosísque hominibus, similes vt Genios concedant Socrati, Plotino, Ciceroni, Bruto, Cassio, Cæsari, Synesio, Porphyrio, Iamblicho, Chicco Asculano, quin etiam Iulio Scaligero, & innumeris aliis, qui vel ambitione ducti, vel in Platonicorum & Cabalistarum scholis innutriti, illud acceptum Geniis suis ferunt, in quo naturæ suæ sublimitatem mirari citiùs, & æstimare deberent. Sed pauci vel quæ recta sunt vident, vel non affectibus suis inseruiunt. Atque vtinam ex eorum numero non essent, qui propter similes nugas, & affanias, de miserorum vita statuunt, benè quidem & auspicatò, si deorum colloquiis, & musicis, cœlestibúsque oblectamentis interfuisse, malè verò & ominosè, si Dæmonum choræis & comessationibus sese immiscuisse, ex læsæ imaginationis vtrobique vitio, asserunt. Et sanè versatus sum eò lubentiùs in hoc Cardani circa Genium suum mendacio, aut, quod ego lubentiùs dicerem, deliramento explicando, quòd futurum spero, magna vt inde bonæ mentis accessio dæmonographis omnibus fiat, ne tam præcipiti ferantur in illos censura, quos rumor incertus, aut vanis, dæmonum addictos consortio vixisse refert: cùm Hieronymus Cardanus, cuius præsertim exemplum aduersus talis flagitij postulatos adducitur, post solemnes illas eiurationes quas attulimus, nihil penitus habeat de Genio suo, quod miseris illis, & plerumque fatuis homuncionibus, præiudicio esse possit. Verùm quia meam nolo facere istorum litem, huc tandem redeo, vt Cardanum ex intemperie quadam animi nusquam æqualis & compositi, absurda multa fecisse, & minimè sibi in omnibus consentanea loquutum fuisse, concludam. Scitum est enim, melancholicos omnes, cuiusmodi eum fuisse in dubio apud me non est, superbos esse, nimiúmque sibi blandientes, & elatos, quia melancholia cùm halituosa sit, flatus illi, ventosa faciunt ingenia, & magnarum rerum vt nominis, honorum, auctoritatis desiderio flagrantia; sunt prætereà suspicaces, morosi, inuidi, maleuoli, simultatum tenaces, immites, ἀστοργοι vt Timon, Cato, Diogenes, & velut in extremo confinio naturæ humanæ positi, vt Cœlestem, vel Belluinam, aut mixtam interdum ex vtraque, leuissimo impulsu suscipiant.

Sequitur nunc, vt quanta, qualisve Cardani doctrina fuerit, dispiciamus; qua in re, non eorum more mihi faciendum esse intelligo, qui Cardanum nunquam integrum aspiciunt, nec illum ex immensis voluminibus, quæ nobis in omni fermè scientiarum genere reliquit, sed ex Medicis tantùm, aut Mathematicis æstimant. Nam cùm summa ingenia, quantum ad præsens institutum spectat, duas in partes dispertire consueuerim: prima & infima meo iudicio eorum est, quæ Facultati cuidam ab aliis separatæ, ac veluti solitariæ mancipata, sic in ea excolenda se exercuerunt, vt idcirco digna habeantur, quæ cæteris omnibus præire suo merito possint: sic Euclides, Pappus, Archimedes, Vieta, Galilæus in Mathematicis: Ptolomæus, Tycho, Copernicus, Gassendus in Astronomicis: Plato, Aristoteles, Albertus, Pomponatius, Cremoninus, Licetus in Philosophicis: Hippocrates, Galenus, Auicenna, Fernelius, Duretus, Riolanus, Moræus in Medicis dissertationibus, primum nullo non consentiente locum obtinent, & nisi meâ me fallit coniectura, eundem per ætatum consequentium decursus sartum tectúmque retinebunt: quia nihil difficilius est in scientiis, quàm summos illos viros, qui laboribus suis viam ad illarum arcem sibi muniuerunt, velut olim effœtos, & victos senes de Ponte deiicere. Secunda verò & suprema ingeniorum differentia homines illos complectitur, qui benignioris naturæ maiori quodam priuilegio, non vni tantùm scientiæ, tanquam Polypus saxo, infixi & addicti sunt, sed per illarum orbem plus minúsve exspatiantur, quemadmodum ex illis,

Quos aliena iuuant, propriis habitare molestum.

alij Germaniam & Italiam lustrare: nonnulli prætereà Hispaniam, & Angliam, ac vniuersam Europam adire, cæteri denique, velut Drackus, orbẽ vniuersum circuire soliti sunt.

Et

Vita Cardani.

Et sanè quemadmodum hic eiusmodi Peregrinatorum triplex ordo statuitur, haud secus, cùm maxima sit supremæ classis illius latitudo, non inconueniens mihi visum est, si eorum hominum quos ambitu suo complectitur, tres veluti gradus, ordinésve constituerem: Ita vt primus illis dicatus sit, qui perlustratis diligenter humanioribus literis, excurrere quoque in viciniores illis disciplinas voluerunt, Agellio scilicet, Macrobio, Petrarchæ, Politiano, Vallæ, Calcagnino, Giraldo, Campano, Foxio, Rhodio, Tomasino, Gaudentio, & similibus aliis: secundus autem eos complectatur, qui longiùs adhuc per scientiarum varietatem prouecti sunt, Ciceronem nempe, Plutarchum, Plinium, Viuem, Gesnerum, Bodinum, Patricium, Mazzonium, Allatium, Mersennium, Donium, & id genus alios: Tertius denique eorum sit, qui nihil in disciplinis non peruium ingenio suo, nihil intentatum esse voluerunt, cum ad omnia erecti & parati, non minùs etiam ad singula sufficerent, quæ laus propria fuit olim Democriti, Theophrasti, Varronis, & hoc nostro tempore Erasmi, Budæi, Pici, Fracastorij, Scaligerorum, Casauboni, Grotij, Salmasij, Petauij, Patini, & præ cæteris omnibus Hieronymi Cardani: quem cùm singuli suâ quiq; in arte propriâ præstantissimum fuisse non dubitent, ego certè primum eum, & vnicum fuisse existimo, qui simul in omnibus iam egregiè versatus sit, vt videatur natura exemplum in eo ostendere voluisse, maioris amplitudinis, & immensitatis doctrinæ, quam homini huc vsque concedere potuerit. Nam si in reliquorum omnium dotes inquiramus, videbimus multos humanioribus studiis Theologica tantùm superinduxisse, nonnullos Mathematica etiam: quosdam Medicinæ, & Philosophiæ cognitionem: alios linguarum Orientalium, vel Iuris vtriusque notitiam: & rursum aliquos paucis paginis, vt Picum, & Fracastorium: mirabilem ingenij sui præstantiam explicasse: sed qui plures scientias in numerato habuerit, qui altiùs in illas descenderit, qui commentariis amplioribus illustrarit, alium profectò ab Hieron. Cardano inueniemus neminem. Vt miraculo proximum sit, hominem hunc, plus fermè in omnibus scientiis vidisse, quàm singuli in propriâ suâ requirerent, aut inueniri posse sperarent. Certè in humanioribus literis, in Philosophia, Medicina, Astronomicis, Mathematicis, Historia, Metaphysicis, Politica Morali, necnon remotioribus aliis disciplinis, nihil eum latuit, quod operæpretiũ fuerit, ad cumulatam earum cognitionem intellexisse. Et amabo, quis negabit librum de Proportionibus dignum esse, qui cum pulcherrimis antiquorum inuentis conferatur? Quis in Arithmetica non stupet, eum tot difficultates superasse quibus explicandis Villafrancus, Lucas de Burgo, Stifelius, Tartalea, vix ac ne vix quidem pares esse potuissent? Quis in libris de Subtilitate & Varietate, non expressam videt cum suis omnibus ornamentis, & oblectamentis naturam? Quis commentarios in Ptolomæum, & Aphorismos Astronomicos, non Gauricis, Iunctinis, Stoffleris, & similibus aliis præferat? Quis in exiguo Neronis encomio, non cognitam illi fuisse omnium temporum, & locorum historiam, perspiciat? Quis ex libris de Sapientia, ex Proxeneta, eum aliquid fugisse censeat, quod Machiauellus, Paruta, Bodinus, Septalius, quod ipsemet Aristoteles, Plato, Xenophon scire aut excogitare potuerint? Iam verò si morales libros attingam, si Medicos, si reliquos omnes quos certum in ordinem cogere non possis, quot opes, Deus bone? depromi, quot arcana erui, & haberi ex ipsis in communem vtilitatem possunt? Hoc autem meliùs adhuc intelligere poterit, qui Cardanum, cum Iulio Cæsare Scaligero, diuini propemodum ingenij æmulo suo, componere aggredietur: nam licèt hic, maiori cum ornatu & splendore in scenam prodierit, mentémque heroicis planè cogitationibus fœtam, & rerum altissimarum capacem habuerit, attamen intra literarum humaniorum, & philosophiæ medicinæque cancellos se continuit, libertatémque Cardano reliquit, quem in omnibus aliis disciplinis locum magis ambiret, occupandi. Nec propterea si nobiles illæ exercitationes, manibus quotidiè teruntur, quicquam tamen dedecoris Cardano ab illis inuritur, quod ab æquis iudicibus abstergi, vel minimo negotio non possit. Nam primùm quis ferat Scaligerum, Exercitationes suas, triennio post secundam librorum de subtilitate editionem, inuulgasse, nec tamen illam videre voluisse, nec mendis illis pepercisse, quæ postremâ hac diligentiâ sublatæ à Cardano fuerant: ne videlicet laboris sui quantumuis frustra impensi, fructum amitteret? Præterea quis nescit Cardanum, actione primâ in Calumniatorem librorum de subtilitate, sic omnes illius aculeos retudisse, obiectiones diluisse, accusationes infregisse, vt earum ratio haberi non debeat, quæ superesse forsan ex tanto numero possent? nam homo fuit Cardanus, & humani à se nihil alienum putauit: nec adeò mirum est illum errasse, quin multò magis admiratione dignum sit, tam rarò, & in tam paucis, ac minimis cespitasse. Imò verò ausim ego pignore deposito contendere, multò plures næuos esse, quos Scaliger exercitationibus suis immistos reliquit, quàm eos, quibus aduersus Cardanum tam procaciter exagitandis, totos nouem annos insudauit; idque non tam eruendæ veritatis studio, quàm vt effræni desiderio suo satisfaceret, cum illis omnibus congrediendi, quos suo tempore, litterarum eruditionúmque Principes haberi cognouerat. Sic enim in commentariis ad Aristotelem de animalibus, Theodorum Gazam hominem innocentissimum, & multis vocibus sagaciter effictis vt Græcas Latinis redderet, de literatis omnibus bene meritum, quo iure, quáve potest iniuria sugillat: sic Erasmum cùm alio titulo lacessere non posset, fingit se à pueris Academiæ Parisiensis, eorúmque moderatoribus exoratum, vt istud in se certaminis reciperet, qui pueri, tantùm abest, vt auctores illi eius rei fuerint, quòd primam orationem quam habuit in Erasmũ, luto, & quod peius adhuc olet fœdatã, pedib⁹ conculcarint: sic denique Fernelium, non aperto Marte, sed occultis quibusdã dicteriis, & dissimulato ei⁹ nomine, prouocauit, ne ex Quadrũ illis, quos

obstruere suis luminibus censebat quemquam intactum relinqueret; vir alioqui dignus, quem ætas nostra, licèt nullos alios quàm septem Poëtices libros edidisset, maximis, & tantùm non diuinis honoribus cumulatū posteritati transmittat. Porrò quoniam maior erat Cardani fama, quàm vt soli Iulio Scaligero molestiā facesseret, non erit forsan alienū ab instituto sermone eum pariter ab aliis defendere, quos multò leuioribus de causis molestos expertus est: Neque enim defuerūt quidam nasutuli, quibus putidum videretur eum vitæ, & actionum suarum historiam conscripsisse, tótque libros de propriis libris confecisse, vt quinque ad minimum, variis temporibus & locis editi reperiantur. Meminique non ita pridem, vitio datum fuisse clarissimo nostræ tempestatis Philosopho Fortunio Liceto, quòd de suis quoque historiam contexuisset, quasi tam infamis & propudiosa foret eiusmodi Philautia, vt his duobus scriptoribus exceptis, reliqui omnes eam deuitare, cane peius & angue studuerint. Verùm enimuerò nihil aliud faciunt, quàm supinam, & incredibilem suam ignorantiam prodere, qui fictis eiusmodi criminibus Cardanum onerant: Neque enim quod de vita primùm dicebatur, culpari potiùs in eo debet, quàm in Cornelio Sylla, Iulio Cæsare, Octauio, Quinto Catulo, Adriano, Marco Antonino, Flauio Iosepho, D. Augustino, Monlucio, Thuano, Scaligero, Puteano, & non paucis aliis, quorum exemplo tantùm abest vt peccare quis possit, quod illud modestè imitari, cùm præsertim res est insignis, & factis vel euentis memorabilibus referta, laudem in se non minimam obtineat. Idémque dicendum est etiam de libris propriis, quorum seriem texere, cùm plures sunt, aut de rebus variis, non potest nisi honestum, & vtile censeri. Etenim præterquàm faciūt indices eiusmodi, ne quid alicui auctori tribuatur, quòd suum non sit: ostendunt præterea qui libri semel aut pluries editi fuerint, & quo loco, quâ formâ, quo tempore, qui separatim, vel cum aliis cōiuncti, qui auctiores, illustrati, correcti, & num extrema manus illis addita fuerit, aut alia deinceps expectanda sit ab editionibus postremis; quæ cuncta, certum est plurimum commodi, & delectationis afferre, iis omnibus, qui librorum honestissima voluptate capiuntur. Hincque cùm istud Galeno perspectum foret, duos qui nunc etiam supersunt, ad Bassum, & Eugenium de propriis libris commentarios edidit; absque quibus esset, vix haberemus nomina ducentorum & ampliùs librorum suorum, qui Romæ simul cum Pacis templo conflagrarunt: eiúsque posteà exemplum sequuti sunt D. Augustinus, Dionysius Carthusianus, Erasmus, Gesnerus, Federicus Nausea, Ioannes Cochlæus, Michaël Neander, Nicolaus Nancelius, Ioannes Caius, Philippus Bosquierus, Henricus Stephanus, Iacobus Auzolius, Franciscus Maurolycus, Laurembergius, Genebrardus, Campanella, Schioppius, Federicus Cardinalis Borromæus, Annæus Rulmanus, Erycius Puteanus, & paucis abhinc annis Fortunius Licetus, omnes enim isti, libris separatis, & ad id modò destinatis, propriarum lucubrationum historiam complexi sunt; vt alios mittam, qui suorum quoque librorum rationem habuerunt, quanquam minori apparatu, & nudo sæpius indice, aut epistolâ de hac re ad amicum scriptâ, quemadmodum fecere Porta, Taurellus, Bellaius, Tomasinus, Champerius, Seuertius, Nouatinus, Caneuarius, Durastantes, Franciscus Mirandulanus, tótque alij, vt Cardano, plus testium, & exemplorum suppetat, quàm inuidorum telis, ab hac sua lucubratione de propriorum operum historia propulsandis, opus esse possit. Quin potiùs suffundi illi pudore deberent, quòd hominem accusent tot præclaris auctoribus innixum, quasi nullum sibi fauentem ostendere posset, & quam ipsi ratione, tam hic testibus & auctoritate careret. Illud præterea magnam ansam præbuit æmulis Cardani, & Astrologiæ præsertim iuratis hostibus, vt ei liberiùs insultent, quòd, nec in suo themate natalitio, nec in Ioannis Baptistæ filij, aut Aimari Ranconeti, vel Edoardi VI. Regis Angliæ, aliisque schematibus propositis, quicquam fermè horum euentuum, qui posteà consecuti sunt, obseruarit: Neque enim sibi carcerem, laqueum filio, mortem violentam Ranconeto, breuē ætatem Edoardo, prædixit, sed successus è directo potiùs contrarios; Qua de re cùm ludibrium iam debuerit Iosepho Scaligero, & postea etiam Alexandro de Angelis, qui hac potissimùm ratione, diuinationes Astrologicas, funditus conuellere nititur, non est hic quòd in eodem saxo rursum voluendo, diutius immorer. Istud potiùs excutiendum est, qui fieri possit, vt Astrologi Principes tot instructi regulis, tot obseruationibus edocti, nihil vt in arte sit tam obscurum, difficile, abditum, quod sibi peruium non fecerint, vix vnquam in prædictionibus suis eâ felicitate vtantur, quâ plerumque deliras anus, senes vietos, homines ineptos, & fatuos longè certiùs in res futuras, & abditas, penetrasse videmus. Nam quòd Alexander de Angelis Cardano potissimum imputat, tanquam Astrologicæ vanitatis instauratori maximo, illud tantò magis de Medioxumis, & Patellariis Astrologis, dicendum est: & memini me in Italia quasdam Ephemerides annuas Lucæ Gaurici vidisse, in quibus cùm pro libertate scribendi quæ tunc vigebat, singulis Principibus Europæis maximas felicitates, aut grauissima damna minaretur, nihil posteà perinde cecidit, ac ipse futurum prædixerat: Atque vtinam Henricus secundus, quem ille extremâ tantùm senectute, & morbo placidissimo fatis concessurum dixerat, non ætate potiùs florenti, & tam acerbo, præcipitíque fato nobis ereptus fuisset. At ex aduerso Plebeii vates, Gallorum quidem Michaël Nostradamus, Italorum Sauonarola, Anglorum Merlinus Caledonius, Germanorum Lolhardus, & Ioachimus, Lusitanorum denique Bandarra Calceolarius, imò verò multæ vbique gentium vetulæ, & homines, quod anteà dicebam, non Astrologiæ modò, sed literarum penitus ignari tam certas de rebus futuris prænotiones habuerint, vt

Pythia quæ tripode ex Phœbi lauróque profatur,

pronuntiare de illis feliciùs, confidentiúsque

vix potuisset. Hoc vero cùm multis de causis contingere non dubium sit, potiores tantùm hic attingere mihi consilium est; & illam inprimis, quòd artis falsæ nulla potest esse prædictio vera, nisi casu aliquo, aut industriâ, vel peculiari quadam ingenij temperaturâ, quæ tria, præter artem sunt, talis efficiatur: Astrologiam verò è falsis & futilibus scientiis, quæ sæpius hominum animos infatuant, non postremam esse, tot iam argumentis virorum omni laude doctrinæ, ingeniique cumulatissimorum demonstratum est, vt qui contrarium sentit, non magnos hic in sapientiæ, & bonæ mentis adeptione, progressus fecisse videatur. Hæc verò cùm ita sint, non est accusandus Cardanus, quòd illuc prædicendo non attigerit, vbi artis suæ præsidio pertingere non poterat: maximè cùm eâ sagacitate sit vsus, quæ casu, propriáque animi temperie suffulta, ipsum in plerisque genituris, non vanum, futilemque fecit. Verùm quoniam vis illa mentis anomala, excedens, rara, quæ factis in homine se prodit magnis & admirandis, eò tantùm impulit Cardanum, vt scientiarum omnium secreta penetraret, eáque maiori facilitate, acriori iudicio, præstantiori modo, quàm quiuis alius vnquam fecit, explicaret, eam ob rem non potuit ille, iuxtà cum aliis, qui solas tantùm ab illo mentis impetu, rerum futurarum præsentiones recipiunt, de morte filij sui, aut Aimari Rancoueti, aliorúmve, quemadmodum forsan Nostradamus fecisset, pronuntiare. Nostradamum autem dico, quia nobis exemplo est, Astrologos, cùm aliquid certi proferunt, id non artis suæ beneficio consecutos fuisse. Sed illius humoris orgasmo, quem ipsemet Nostradamus diuinum appellat, & sibi potissimùm fauentem fuisse, hoc in centuriis tetrasticho, testatur.

Horrida vaticinor diuino numine plenus:
Bella, famem, turbas, fluida contagia pestis,
Diluuia, atque æstus, terras, mare sanguine tincta,
Paces, ac vitas, magnorum & fata virorum.

Sic enim illud è Gallico sermone reddidit Ioan. Amatus Chauigneus, quamquam expressius adhuc eâ de re tetrastichum aliud habetur, quod Latinè reddi quoniam commodè non potest, satius erit illud, iisdem verbis quibus ab auctore sub initium primæ Centuriæ prolatum fuit, consulere. Secus enim, si Chiromantiæ tribuatur, quòd Bartholomæus Cocles tabellam, vt inquit Cardanus, xlv. virorum moriens reliquerit, qui violentâ morte, vt euentu posteà contigit, perire debebant: si Nomantiæ, quòd Hannibal Raimundus, ex duobus ægris, aut singulari prælio decernentibus, primum qui moriturus esset, indicabat: si Geomantiæ, quòd Catanus, quo fine negotium aliquod terminari deberet, statuebat: si Scripturæ, quòd Prosper Aldorisius, ex eius diuersitate, illius cuius erat, varios animi motus, naturæque propensiones eliciebat: si denique reliquis diuinationibus, quòd Anus deliræ & metobibæ, res furto subreptas inueniunt, futuros coniuges designant, morbos denunciant; & non potiùs ad communem illarum diuinationum omnium causam recurramus, sequetur ab euentu minimè fallaci, regulas eiusmodi nugacium disciplinarum, non minus quàm Astrologiæ veras esse, quo sanè effato, nescio quid magis fatuum, & absurdum dici possit. Vltimum denique quod Cardano summam inuidiam conflauit, & à bonis omnibus, quò quisque religioni magis addictus erat, eò flagrantiori studio exagitatum fuit; est Domini nostri Iesu Christi genesis, ab eo non aliter quàm si hominis cuiusdam fuisset, ex artis suæ regulis explicata. Hoc enim Thuanus *extremæ amentiæ, imò impiæ audaciæ*; Scaliger verò *vanitatis cum impietate coniunctæ*, testimonium esse dicit: sed posterioris istius verba ex præfatione in Manilium, tam expressa sunt, vt risu temperare non possim, quoties oraculum istud nostri temporis, tam pueriliter loquutum fuisse, animaduerto, vt isthæc dixerit, *Audi subtilitatem nostri sæculi, extitit ante xlv. annos cymbalum genethliacorum, qui Domini nostri Iesu Christi thema edidit, & omnia quæ illi acciderunt, ex positu stellarum, necessariò illi contigisse ratiocinatur: impiam dicam magis, an ridiculam audaciam, qua & dominum stellarum stellis subiecerit, & natum eo tempore putarit, quod adhuc in lite positum est, vt vanitas cum impietate certaret.* At siccine Scaliger subtilitatem nostri sæculi vocas, quæ trecentis & ampliùs ante sæculum nostrum annis, inter Astronomos obtinebat? videris profectò tam sedulam operam bonis libris euoluendis impedisse, vt multorum notitia te fugerit, qui licèt tanquam siderati, & omnis bonæ frugis vacui, à tui similibus non attingantur, potuissent tamen si tibi vel de titulo noti fuissent, insignem à te incogitantiç, & supinitatis maculam auertere. Nam quis ferat Cardanũ, eius impiæ vanitatis accusari, ob excogitatum à se thema natalitium Domini nostri Iesu Christi, quod tamen Tyberius Russilianus Sextus Calaber, sæculo præcedente, tribus variis schematibus proposuerat, in *Apologetico*, vt illum vocauit, *aduersus Cucullatos*, qui ex quadringentis propositionibus, quas Bononiæ, Florentiæ, Patauij publicè tuendas susceperat, duodecim velut Hæreticorum placitis affines, damnauerant, & hanc imprimis quâ dicebat, quòd *Christum quoad Corporis compaginem elementariam astris suppositum, eiusque genituram, & Prophetam magnum, & ea quæ circa corpus euenerunt, præsertim violentum eius mortis genus nuntiasse, non inconuenit.* Hanc enim conclusionem simul cum aliis vt Tyberius defenderet, librum edidit sedente Leone X. eo titulo quem suprà retulimus, & *tria Christi geneseos themata, secundum tres rationabiles differentium Doctorum opiniones*, in eo tam luculenter enarrauit, vt mirum potiùs sit Cardanum habuisse, vnde post ipsum racemationes & spicilegia colligeret. Verùm nec ipse Tyberius Russilianus, nullo alio auctore tam grande nefas molitus est, nam Petrus de Alliaco Cardinalis Archiepiscopus Camaracẽsis, qui sub Martino V. in viuis esse desiit, præterquam contendit Christi natiuitatem prænosci potuisse ex genethliacis obseruationibus, eiusdem insuper natiuitatis schema cœleste proposuit, in Elucidario Astronomicæ concordiæ cum Theologica & historica veritate; & ipso Petro

vetustior

vetustior Albertus Magnus Ratisbonensis Episcopus, in Speculo suo astronomico, loquutus de ea hunc in modum fuerat. *Iam scimus quòd sub ascendente eiusdem parte Cœli* (scilicet Virginis) *natus fuit Dominus noster Iesus Christus, non quia subiaceat motui, aut eius iudicio naturam desideratissimus, qui creauerat ipsas stellas, sed quia cùm extenderet Cœlum sicut pellem, formans librum vniuersitatis, voluit literis eiusdem deesse, ex eis qua secundum prouidentiam suam in libro æternitatis sunt scripta: non quòd Cœli figura causa esset quare nasceretur, sed significatio; imò & vere vtriùs ipse erat causa, quare modus admiranda sua natiuitatis significaretur per Cœlum.* Quid plura? superior adhuc Alberto Albumasar, aut si mauis Alboasar, quantumuis foret Mahumedanus, multa tamen de Christo dicit non protrita apud alios Arabes; & inter alia, natum eum fuisse sub prima facie Virginis contendit. Quanquam Rogerius Bacchonus dubium relliquerit, post allata verba Albumasaris, ex interpretatione Latina Hermanni Dalmatæ, num Christi Domini, aut beatæ Virginis eius matris natalitium thema, literis ab hoc Arabe proditum fuerit: nam verba Bacchoni sunt ex opere tertio quod ad Clementem V. dedit, *Intentio est quòd Beata Virgo habet figuram & imaginem infra decem primos gradus Virginis, & quod nata fuit quando sol est in Virgine, & ita habetur signatum in Calendario, & quod nutriat filium suum Christum Iesum in terra Hebræorum.* Cuius etiam opinionis videtur fuisse Christianus auctor libri de Vetula, quem Ouidio nonnulli perperam adscribunt; ille siquidem numero quadragesimo sexto, & postremo, sic Virginem compellat,

O Virgo felix, ô Virgo significata
Per stellas vbi spica nitet, quis det mihi tantum
Viuere, quòd possim laudum fore præco tuarum.

Verùm quicquid tandem de hac difficultate statuendum sit, certum est Saluatoris nostri genesim, à quatuor aliis auctoribus grauissimis exaratam fuisse, priusquàm Cardano de ea pariter exaranda in mentem venisset. Vnde mirari satis non possum, illos non visos, nec auditos vnquam fuisse duobus illis eruditorum Coryphæis, Thuano, & Scaligero, qui saltem ex Bacchono, Pico Mirandulano, aut commentariis Roberti Holkot in Sapientiam Salomonis, discere potuissent, erratum à nonnullis ante Cardanum hunc errorem fuisse, vt Christum falsis, & commentitiis astrorum imaginibus submitterent: nec propterea æquum esse, vt Cardanus, quasi sceleris istius primus opifex fuerit, tam acerbè ab illis vapulet: cùm alioqui, vel eo tantùm nomine culpandus sit, quòd istud, licèt magnorum virorum, & omni fermè exceptione maiorum exemplo fecerit. Cæterùm patet inde, quàm vafer Cardanus fuerit, nam cùm certo certiùs exploratum haberet, themata Christi natalitia ab Alliacensi, & Tyberio Russiliano exarata fuisse, nec illum latere possent quæ Picus, Albumasar, & Bacchonus de illis dixerant, noluit tamen eorum vnquam meminisse, vt vulgo literatorum, inuentum istud suum fuisse, persuaderet: quod ei postquam ex voto cessit, non secus ac in igne contigerat, quem nullum esse sub concauo Lunæ, post Laurentium Vallam, sed illius tamen suppresso nomine, primus asseruit, noluit deinceps, quantumuis ab æmulis vrgeretur, & in discrimen capitis veniret, vel minimam de illis auctoribus mentionem iniicere; maluitque de sua impietate tot rumores disseminari, quàm ex opinione tam audacis facti, partam gloriam amittere. Atque hæc sunt, quibus tela calumniarum, quæ aduersus Cardani libros, effrænémque eius audaciam, cùm ab æmulo Scaligero, tùm ab aliis disseminata fuerant, retundi posse mihi persuasi.

Superest nunc, vt qualis Cardanus in libris suis fuerit, & quo stilo, quâ methodo, quantâ cum facilitate, & doctrinæ varietate illos scripserit, ex attenta singulorum inspectione, disquiram. Stilum igitur vsurpauit liberum, æqualem, apertum, non comptum nec elaboratum, qualis in Fernelio, & Scaligero cernitur: sed minimè etiam neglectum, aut inquinatum, vt illum habuere Foroliuiensis, Conciliator, Niphus, Pomponatius, & id genus Philosophi & Medici, qui ab impuro sermone, Barbari vulgò nominantur: quin etiam cùm libet, assurgit, ludit, excurrit, delitiásque sectatur, & veneres amœnissimas, in quarum specimen illud tantùm proferam, quod in libro 2. de Venenis, capite vii. de ea re dixit, quam hîc nominari non flagitio ducet, qui flagitiosè nunquam exercuit, *magna res est concubitus, quòd ad conseruationem generis sit: ideòque multis modis à natura illius appetitus ornatus: & vbi finis nullus ad metam, ibi nec est inuenire terminum voluptatis. Est in concubitu ipso voluptas, est in illecebris dum exercetur, est dum absoluitur, est in meditatione, est in memoria: & dolor, & voluptas in patiente delectant: seu pudeat, seu vltrò se offerat, paria fermè sunt: ipsa forma, quæstus, modus, tentigo, seminis effusio, omnia ex æquo iucunda, iuuat occurrentem vltrò videre, iuuat occursum declinantem, iuuat è rimula aspicere, vbique est quod præferas, nudam, ornatam, semicomptam, omnia libidinis stimulos accendunt: si in domo sit, gaudes commodo, gaudes ludis; si extra, gaudes furto: si humilis sit conditionis, quòd omnia tibi liceant; si nobilis, quod diligaris ab illa: si publica sit res, quod cuncti tua felicitatis participes sint; si occulta, quod plus habeas, quàm existiment. Nil mirum est igitur, si ob hoc ipsum, maria terraque perturbentur: & in ipso tot fascina, philtra, veneficia, tot affectus, & corporis atque animæ passiones sint constitutæ.* Cedò nunc in Exercitationibus Scaligeri, in oratoribus & elegantiarum magistris, venustiorem sermonis flosculum, & hunc proferenti, vicissim herbam porrigam, concedámque Cardanum non quoties, & vbicunque voluit, fuisse disertissimum. Tantum igitur ab eloquentia non aberat Cardanus, quin omnibus in præfationibus suis, in encomiis rerum diuersarum, & similibus libellis, qui sermonis ornatum desiderabant, eum cumulatissimè præstiterit, & in aliis operibus, cùm vti cogeretur vocibus barbaris & impuris, istud præfatâ semper veniâ fecerit. Hinc in Arithmetica, *Ne mireris*, inquit, *candide Lector, quòd opus hoc minimè*

Latinum

Latinum, nedum elegans effecerim, cùm & mihi facilius fuisset meo more scribere, quàm aliorum voluntati satisfacere, sed ne sermonis difficultas quæ puram excolentes Romanam linguam, in tam arduis commentis consequi solet, artis peritos à lectione deterreres. Sic in commentariis ad Ptolemæum, *Reuerendissimi*, & aliarum vocum vsum respuit, quia non sunt probæ germanæque latinitatis notâ signatæ: Scaligero quoque, *penitiores intimæ barbariei* notas quasdam inurit, in Actione contra calumniatorem, & capite xxxix. de Vita sua, non omnem se elocutionis curam deposuisse significat: maiorem tamen attulisse, in tanta multitudine scriptorum non potuit nec forsan debuit, vitandæ, vt suprà dixit, confusionis, & obscuritatis gratiâ, quæ plus iusto eloquentiæ studiis addictos, fermè semper consequitur. Et hæc ipsa causa fuit, cur Mercurialis in Arte Gymnastica, & libris Variorum quos prouectioribus ingeniis scribebat, eas castigati sermonis delitias sectatus est, quas posteà certo consilio neglexit, cùm in scholis doceret, & eos libros scriberet, quos politioribus ingeniis minimè futuros vsui cognouerat. Quod inconueniens vt Cardanus vitaret, stilo inter sublimem & infimum medio est vsus, cúmque adeò sibi domesticum fecit, nihil vt docere vellet, quod non maximâ cum facilitate, & amœnitate diceret, siue liberâ oratione, siue metris adstrictâ, quemadmodum in nænia de morte filij, & quibusdam tetrastichis, vteretur. Ab hoc igitur stilo minimè ingrato, vasto, confrago, sicco, ampullato, interciso, sed æquali potiùs & perspicuo, doctrina etiam maximâ parte clara, facilis, & iucunda defluxit: nec ab elocutione venit, quòd Cardanus quibusdam in libris obscurus, impeditus, & nonnunquam etiam tædij plenus fuisse censeatur, sed tribus aut quatuor aliis de causis, quas sigillatim excutere, non erit forsan ab instituto nostro alienum: quoniam omnes ab immensa illa doctrina pendent, quam Cardano peculiarem fuisse, & anteà quidem, & nunc etiam maximè contendo. Neque enim poterat sibi temperare, cùm artium secreta, scientiarum principia, & rerum omnium naturam teneret, quin ad alicuius difficultatis explicationem, præsidiis multùm ab illa sæpe diuersis, & externis veluti militibus vteretur: sicque Geometrica Physicis, Astronomica Medicis, Ethicis Metaphysica, Politica historicis, humanis diuina, supremisq; infima, quoties vel impetus vrgebat, vel eruendæ per tot ambages veritatis ratio postulabat, nullo discrimine permisceret. Istudque cùm duplici modo facere posset, non eo tantùm vsus fuit, qui Platoni, Galeno, Aristoteli familiaris est, scilicet dum numeris, aut Geometricis quibusdam exemplis, Physicas, vel Medicas conclusiones stabiliunt; sed *ἐμφατικῶς* multa dicit, & longas affert dissertationes, non protsus quidem ab illa re, de qua tunc agitur diuersas, sed quas, ne cogitatione tamen, quisquam expectaret. Nam quis amabo in Arithmetica, præclaros illos discursus requirat de proprietatibus numerorum mirificis, de motu Planetarum, de creatione rerum, de turri Babylonica, de duratione mundi Platonica, eiúsque vicissitudinibus, de gradibus, vt vocant, medicinarum, & eiusmodi rebus aliis? Quis in Dialectica iudicium de historicis, & epistolarum scriptoribus? Quis in commentariis de Alimento, explicationem trium rerum quæ sunt difficillimæ cognitu? Quis alibi passim tot excursus grauissimos de rebus variis? quos omnes si velim indicare, dies me potiùs quàm oratio deficeret: nam quales illi, & quàm frequentes sunt in libris de Vtilitate ex aduersis capienda? quot in libris Medicis? quot in historicis? quot vel in epistola sola quam scripsit ad Thaddæum Donum? vt missos faciam quos de rebus suis frequentissimos habet: eo tantùm fine, quemadmodum alicubi fatetur, vt plura folia Typographis mitteret, quibuscum anteà de illorum pretio pepigerat; atque hoc modo fami, non secus ac famæ scriberet: & sanè cùm culpari ea de re non possit, quando modum honestiorem non habuit, quo paupertati suæ subueniret; eò adhuc Galeno commendatior est, quòd is non pretio illectus, aut inopiâ compulsus, sed innato sibi & genti suæ vitio, lectoribus, Asiaticâ suâ facundiâ, tædij non parum, sæpius attulerit. Præterea illud Cardano familiare fuit, vt nonnunquam breuitatis studio, multa sibi cognita, & vsu ipso trita supponeret: diuisionúmque membra singula non explicaret, aut longiùs petita, absque intermediis, tanquam maximè necessaria, & tractationi opportuna iungeret: meos enim illius acris, & ad disserendum intenta, vbique permeabat, & inquirebat argumenta, transiliendo per varia media, quæ non vt tunc decurit explicata, orationem postmodùm lõgè difficillimam reddebant, vt præsertim in libris Contradicentium medicorum videre est, & in commentariis etiam de Alimento, qui hac de causa tyrones procul à lectione sua summouent. Denique ipsa quoque rerum tractandarum difficultas, plerumque causa fuit eius obscuritatis, quam in Cardano multi reprehendunt: sed iniuriâ tamen, cùm philosophorum nullus, qui conatus fuerit multa simul complecti, variáque scribere, non Aristoteles, Theophrastus, Alexander, Themistius, Auerroës, Plotinus, vitium istud, si modò vitium dici debet, effugere potuerint, & qui facillimus existimatur Plato, is Cardani iudicio, cæteris omnibus obscurior est. Verùm minimè tamen obstant hæc omnia, quominùs qui totum simul Cardanum aspicit, qui libros eius singulos explorat, qui mentem excutit tot fœtam rerum pulcherrimarũ notionibus, vt velut Emporiũ sit sciẽtiarum omniũ nobilissimũ, à quo res Mathematicas Germani; prædictiones astronomicas Angli: medicas commentationes Itali: morales Galli: naturales denique totius orbis populi reportare secũ consueuerant, is non poterit in eo, tantam scriptorũ copiã; tam variã multiplicémque lectionem: tam diligentem rerũ indagationem, tantum sermonis & sententiarum ornatum, non magni facere, & ex illis pariter non tenacissimã eius memoriam, felicissimam sagacitatẽ, iudicij in tanta rerũ diuersitate sẽper rectum, æquale, firmissimum deprehendere & mirari. Nam licèt *in quibusdam*, vt rectè doctissim⁹ Thuanus animaduertit, *interdum plus homine sapere, in pluribus minùs pueris*

intelligere videatur : eiuſmodi tamen inæqualitas, velot fæx eſt & amurca, ſine quibus liquores præſtantiſſimi conſeruari non poſſent, tantùm abeſt vt proptes illas, viliori pretio diſtrahantur. Et reuerà non illa quicquam obfuit Cardano, cuius libros velut luxuriantis ingenij partus feliciſſimos, Typographi certatim Typis ſuis committunt: cùm interim ipſe, totius Europæ calculis, ſcriptorum omnium decus mirâ quadam ingenij volubilitate, & ad res diſſitas, obſcuras, penitúſque inter ſe diſſidentes percipiendas, promptitudine, ſuperaſſe videatur.

Porrò ne quis amplius dubitare poſſit, quot & quibuſdam libris Cardanus, tantùm ſibi nominis, & famæ conciliarit: ſimulque vt illorum accuratâ recenſione, iudicio iſti de Cardano coronidem imponam. Primi ordinis & indicis eos faciam, qui typis expreſſi reperiuntur, ſimúlque modum editionis indicabo, quæ in inſtructiſſima, & ornatiſſima Bibliotheca cæteris omnibus præferenda ſit. Deinde verò eoſdem omnes in certas claſſes referam, vt Typographi quoties illorum editionem integram moliri voluerint, facere iſtud commodiùs, & maiori cum elegantia poſſint. Ac tandem M. S. operum Cardani, quorum ad me ooritia peruenit, Catalogum ſubiiciam, vt quemadmodum ego, meâ bonâ fortunâ, quoſdam ex illis nactus ſum, eóſque publici iuris feci, & faciam ſi me Deus adiuuet, in poſterum, ſic omnibus aliis liberum ſit, ſuam in ſimilibus theſauris eruendis diligentiam, bonis omnibus teſtatam facere.

Primus igitur Catalogus qui operum editorum eſt, pro varia Chartæ complicatione, non vnius etiam formæ libros continet; ita vt alij ſint in Charta expanſa, alij in complicata bis, aut pluries, & ab illa diuerſitate maiores aut minores, quos deinceps cum Bibliopolis breuitatis, & facilitatis de cauſa, in folio, in quarto, in octauo, & duodecimo, vel decimoſexto vocabimus, & quidem.

Libri Cardani qui in maiori forma haberi debent ſunt ſequentes.

O*Pus de proportionibus numerorum, motuum, ponderum, ſonorum, &c. cum duobus libris adiunctis, vno de arte magna ſeu regulis algebraicis*, qui priùs ſeparatim editus fuerat io folio Norimbergæ, ſcilicet anno 1545. *altero de Alizaregula, Baſilea ex officina Henric. Petrina anno* 1570. *menſe Martio.*

In Claudij Ptolemei de Aſtrorum iudiciis, aut vt vulgò appellant, quadripartita conſtructionis libros IV. *commentaria, cum libellis de ſeptem Erraticarum ſtellarum qualitatibus; de* XII. *genituris, de interrogationibus, & Cunradi Daſypodij tabulis in libros* IV. *apoteleſmaticos Ptolemei, ac deſcriptione Horologij Argentoratenſis. Baſilea apud eundem* 1578. *menſe Septembri.* Verum cùm in editiooe Lugdunenſi in octauo, & in alia quæ priùs Baſileæ facta maiori in charta fuerat, Seruatoris oostri geneſis, non ſine multorum indignatione legeretur; ex poſteriori iſta, neſcio cuius conſilio, ſed optimo tamen, ſublata fuit. Neque enim pias mentes minùs offendebat, quàm caſtas, locus ex 8. capite libri 2. Politicorum Ariſtotelis, quem idcirco Leonardus Aretinus Latinum reddere noluit; quamuis Perionius, Sepulueda, Giſanius, aliíque interpretes, cum poſteà retinere non veriti ſint: & ſimilis alius ex poſteriori libro Hippocratis de morbis popularibus, qui cùm Valeſio non probaretur, nec dignus etiam habitus eſt eâ interpretatione, iiſque notis, quibus libros omnes Epidemiôn illuſtrauit.

De ſubtilitate libri XXI. *Cum Apologia aduerſus horum librorum calumniatorem, Baſilea apud eundem Henric. Petrum* 1582. editi primùm fuerant in octauo variis in locis, & poſteà etiam Baſileæ anno 1611. cum eadem Apologia in Scaligerum.

De rerum varietate libri XVII. *Baſilea apud eundem* 1581. iique non ſecus ac alij de Subtilitate, ſæpiſſime editi fuerunt in octauo.

In ſeptem aphoriſmorum Hippocratis particulas commentaria, item de venenorum, ac peſtis praſertim differentiis, praſeruatione, & cura libri 3. *& de prouidentia temporum liber, Baſilea apud eundem* 1564.

In eiuſdem Hippocratis prognoſtica, & libros de ſeptimeſtri, & octimeſtri partu, commentarij abſolutiſſimi: cum ſeptem conſiliis pro grauiſſimè diuerſis morbis laborantibus. Baſilea apud eundem anno 1568.

In eiuſdem libros de aëre, locis, & aquis commentarij, cum oratione de Medicorum inſcitia, & tribus conſiliis, necnon exiguo libello Ioan. Bapriſta Cardani de fulmine, Baſilea apud eundem anno 1570.

Opuſcula quedam artem medicam exercentibus vtiliſſima, ſcilicet de aqua, & athere, de Cyna radice: Medicina encomium, & conſilia tria: itémque actio prima in calumniatorem librorum de ſubtilitate, Baſilea apud eundem. 1569. Verùm quoniam hæc omnia, præter actionem in Scaligerum, quæ cum libris de ſubtilitate roties excuſa fuit, tranſlata poſtmodum à Cardano fuerunt, in opuſculorum Medicorum volumina duo, de quibus poſteà nobis dicendum eſt, ſi quis hoc volumine in folio carere velit, iſtud, me iudice, nullo ſuo damno facere poterit.

De ſanitate tuenda, ac vita producenda libri IV. *editi à Rodulpho Sylueſtrio, Baſilea apud eundem* 1582.

Reperiuntur autem in Quarto.

L*Ibelli* V. *aſtronomici.* 1. *de ſupplemento Almanach.* 2. *de reſtitutione temporum.* 3. *de iudiciis geniturarum.* 4. *de reuolutionibus.* 5. *de exemplis centum geniturarum cum Aphoriſmorum aſtronomicorum ſegmentis* VII. *Norimberga apud Ioan. Petreium* 1547. duo priores cum quinto non integro, editi antea fuerant ab eodem Petreio 1543. & priùs adhuc Mediolani, auctore ipſo ſumptum Typographo ſubminiſtrante, quoniam exiguæ tunc molis erant, & opus erat illos quàm emendatiſſimos in lucem prodire.

Contradicentium Medicorum libri duo, quorũ vterque centum, & octo contradictiones continet, in ſecundo vero habentur etiã libelli de Sarzaparilla, de Cyna radice, & conſiliũ pro dolore vago,

Lugduni

Lugduni apud Sebastianum Gryphium anno 1548. Prodierunt etiam Parisus in octauo apud Iacobum Macæum 1546. & Marpurgi cum adiuncto vtrobique libello contradictionum, quas Peletarius ex Lacuna collegit: certum est etiam Venetiis editos fuisse, sed mihi illos hactenus vidisse non fuit concessum.

Theonoston seu de vita producenda, atque incolumitate conseruanda Dialogus, studio & operâ Fabricij Coccanarij Tyburtis editus Romæ, apud Ioannem Baptistam Roblettum, 1617.

Somniorum Synesiorum, omnis generis insomnia explicantes libri IV. *quibus accedunt opuscula de libris propriis: de curationibus & prædictionibus admirandis: Neronis encomium: Geometriæ encomium: de vno: actio in Thessalicum Medicum: de secretis: de gemmis & coloribus: Dialogi duo Guglielmus siue de morte: Tetim seu de humanis consiliis: de minimis & propinquis: de summo bono, Basileæ per Henricum Petri, anno* 1562. Ex istis encomia Neronis & Geometriæ, edita posteà fuerunt in secunda parte Amphitheatri sapientiæ Socraticæ Ioco-Seriæ Caspatis Dornauij; primùm verò in notis etiam Lorichij ad Petroosium tomo secundo; & separatim Lugduni Batauorum in exiguo, & elegantissimo volumine.

De sapientia libri V. *quibus omnis humanæ vitæ cursus viuendique ratio explicatur: item de consolatione libri tres, & Ephemerus siue libellus de libellis propriis. Norimbergæ, apud Ioannem Petreium* 1544. & posteà Geneuæ in octauo, apud Petrum & Iacobum Chouet 1624. cum Petri Alcyonij viri doctissimi, & eloquentissimi duobus libris de Exilio: separatim verò Hieronymus Scotus libros de consolatione Venetiis ediderat in octauo, sub annum 1542.

Sequentes haberi tantùm possunt in octauo.

P*Ractica Arithmetica, & mensurandi singularis. Medioluni, operâ Ioan. Ant. Castellionei, pro Bernardino Calusco* 1539.

De immortalitate animorum liber, Lugduni apud Sebast. Gryphium 1545.

Commentaria in librum Hyppocratis de Alimento, prælecta dum profiteretur Bononiæ suprà ordinariam medicinam, Romæ apud Heredes Antonij Bladij 1574. & Basileæ apud Sebastian. Henric. Petri, anno 1582. mense Martio.

Libellus cui titulus est Examen XXII. *ægrorum Hippocratis, quem edidit Cardanus annum agens* LXXIV. *Romæ, apud eosdem Heredes impressores Camerales, anno* 1575.

De malo recentiorum medicorum medendi vsu, libellus centum errores illorum continens: Item alius de simplicium medicinarum noxa. Venetiis apud Hieronymum Scotum, 1545. Priorem editionem iam anteà molitus fuerat idem Scotus, sed complectebatur tunc LXVI. tantùm errores, adeóque mendis erat deformata, vt Cardanus in præfatione secundæ istius editionis dicere non veritus fuerit, *Erubesco, cùm vltra etiam trecentos errores meos in hoc libro, præter etiam admissos à Librariis recognosco*, & nihilominùs à tam debili principio, Cardanus, adeò celebris, & peruagatæ famæ initium auspicatus est: primus enim iste fuit librorum ab ipso editorum, sed tertiò demum recusus iterùm fuit Parisiis, in ædibus Rouillij in octauo 1565. vt posteà commodiùs dicetur.

De Causis signis, ac locis morborum liber. Basileæ per Sebastianum Henric. Petri, anno 1583.

Opuscula Medica & Philosophica in duos tomos diuisa, quorum primo continentur: Ars medendi parua. Consilia pro difficultate spirandi, ventriculi dolore, surditate, sanguinis fluxu, lepra, Medicinæ & Podagræ encomia, & Apologia in Andream Camutium: secundo verò Dialectica, Hyperchen, de Socratis studio, Antigorgias, de aqua, æthere, & Cyna radice. Basileæ tomis duobus ex officina Henric. Petrina, anno 1566. Ex istis Consilia, Medicinæ encomium, & libri de Aqua & Æthere, quemadmodum suprà diximus, edita priùs fuerant in folio Basileæ anno 1569. libellus quoque de Cyna radice habetur in eodem volumine; nec non sub finem libri secundi contradicentium, & in collectione auctorum de Lue Venerea. Denique encomium podagræ, vnà cum Loselio de Podagra editum fuit, Lugduni Batauorum anno 1639.

Opuscula Medica Senilia in IV. *libros tributa, quorum primus est de dentibus, 2. de rationali curandi ratione, 3. de facultatibus medicamentorum præcipuè purgantium, 4. de morbo regio, Lugduni sumptibus Laurentij Durand* 1638. qui M.S. copiam habuit à Leone Allutio viro doctissimo, & mihi amicissimo.

Methodi medendi sectiones IV. *in quarum prima recentium medicorum errores refelluntur. in 2. de simplicium medicamentorum nocumentis agitur. 3. admirandas curationes, & prædictiones continet. 4. consilia in diuersis morborum generibus complectitur. Parisiis in ædibus Rouillij, via Iacobæa, sub signo Concordiæ*, 1565. Fatetur ipsemet Rouillius, nihil in his sectionibus contineri, quod non item in aliis operibus Cardani iam editis haberetur: nam 1. & 2. libellum de malo medendi vsu constituunt, 3. extat integra post librum de Insomniis; quartam verò secundus opusculorum Tomus subministrat, vnde qui ab ipso libro sibi comparando temperauerit, non propterea censebitur aliquo carere ex Cardani libris, si reliquos omnes habuerit.

De vtilitate capienda ex aduersis libri IV. Defensiones pro filio coram Præside Prouinciæ habitæ: & Ioan. Bapt. Cardani libellus de abstinentia ab esu ciborum fœtidorum, *Basileæ per Henric. Petri, anno* 1561. *mense Augusto.*

De præceptis ad filios libellus, ex Bibliotheca Gabr. Naudæi, Parisiis apud Thomam Blasium 1635.

Lettera di Messer Girolamo Cardano, nella quale, tutti i Giouani alla virtu, & allo studio delle piu lodeuoli discipline, mirabilmente esorta, in Bologna per Alessandro Bonaccio.

Liber de libris propriis, Lugduni apud Gulielmum Rouillium sub Scuto Veneto. 1557. videri posset hic non ab alio diuersus, qui in secunda parte libri de Insomniis editus posteà fuit, sed cùm non ita penitus sese res habeat, & liber sit exiguus, atque inuentu facilis, rectiùs ille faciet, qui in reliquorum censu, eo ipso carere noluerit.

De propria vita liber, ex Bibliotheca Gabrielis Naudæi, Parisiis, apud Iacobum Villery in Palatio 1643.

Denique in duodecimo habetur tantùm.

P*Rexeneta, seu de humana sapientia liber, recèns in lucem protractus, Lugduni Batanorum ex officina Elzeuiriana anno* 1627. prodiit etiam Geneuæ eadem forma 1630. apud Paulum Marceau; & rursum ex officina Elzeuiriana anno 1633. sed minori adhuc voluminis formâ.

Tot igitur libris, aut potiùs voluminibus diuersis, opera omnia Cardani constant, saltem qoantum ego, post adhibitam hic, & in Italia, maximam semper io illis perquirendis diligentiam, hactenus obseruare potui: nisi forsan aliquis, amplioris ostentatione studij, istos etiam penes se habere velit, scilicet.

Thaddei Duni Locarnensis epistolas medicinales, editas Tiguri in octauo, anno 1592. propter vnam bene longam Cardani, quæ cum responsione Thaddæi in eodem habetur volumine.

Andreæ Camutij disputationes, quibus Hieronymi Cardani magni nominis viri xxx. Conclusiones infirmantur, &c. Papiæ in octauo 1563. nempe vt simul habeat ipsas conclusiones, quas Cardanus Papiæ anno 1561. aduersus errores Galeni, in expositione Aphorismorum Hippocratis, proposuit.

Quæsita, discursus in Archimedem, & opera quædam alia Nicolai Tartagliæ, sed vulgari Italorum sermone conscripta, edita Venetiis in quarto 1605. *& aliis temporibus*, quoniam habentur in illis multæ literæ Cardani, de rebus Geometricis, & Algebraicis, quas, non secus ac conclusiones illas in Galeoum, frustra sit qui alibi quàm in Camutij, & Tartagliæ libris requirat.

Quoniam verò non minimum refert *Iulij Cæsaris Scaligeri exercitationes*, vnà cum Cardani libris qui de Subtilitate suot, euoluere, coosulo, vt cæteris præferatur ipsarum editio facta *in quarto Lutetiæ, à Michaele Vascosano* 1557. quoniam omnium est emendatissima, & elegantissima.

Possem quoque inter libros Cardani referre *interpretationem operis de subtilitate, factam propriâ Gallorum linguâ, à Richardo le Blanc, & editam Parisiis in quarto apud Carolum Langelier* 1556. ac posteà etiam in octauo. Verùm quoniam plures aliæ, & horum librorum de subtilitate, & aliorum etiam interpretationes fieri potuetuot, quas omnes ob linguarum Europæ varietatem, & Prouinciarum quibus illæ familiares sunt, distantiam, videre non potui, & si vidissem magnum tamen operæ pretium fore non existimaui, vt isthuc afferrentur, propterea satius habui, ab illis omnibus inuestigandis aut recensendis, temperare.

Hactenus GABRIEL NAVDÆVS.



TESTIMO



TESTIMONIA
PRÆCIPVA
DE CARDANO,
A GABRIELE NAVDÆO COLLECTA.



ON potuit Cardanus diem sibi extremum in commentarios illos referre, quos de vita sua, ad IV. vsque Kalend. Maias, anni M.D.LXXVI. satis accuratè perduxerat: Quamobrem exhibemus illum ex illustris viri Iacob. Aug. Thuani nunquam satis laudata historia: simúlque eius & summatum aliquot aliorum de tanto viro iudicia, atque testimonia magis exquisita. Nam capite censos qui Cardani laudibus quotidiè in Cælum efferunt, ad hæc comitia vocare, non modo putidum & inane foret, sed immensi quoque laboris negotium, adeò nullus est scriptorum, qui Cardanum non miretur & suspiciat; nec ars vlla, quam ipse diuini propemodum ingenij sui præstantia, non auctiorem & ornatiorem reddiderit.

THVANVS
AD ANNVM
M. D. LXXVI.
pag.136.lib.62.to.4.

ROMÆ magni nominis siue Mathematicus, siue Medicus Hieronymus Cardanus Mediol. natus hoc anno iisdem obiit. Varia eius vita, vt mores; pluráque ipse de se inaudita in viro litteras professo simplicitate seu libertate scripsit, quàm curiosus quisquam à me exigat. Romæ eum diuerso ab aliis cultu incedentem paucis ante obitum annis conspicati & allocuti, ac sæpius admirati sumus; cùm celeberrimi tot scriptis hominis recordatio subiret, neque tamen quidquam in eo, quod tantæ famæ responderet, animaduerteremus: eoque magis Iulij Cæsaris Scaligeri acerrimum iudicium suspeximus, qui diuinum ingenium suum in opere de subtilitate exagitando præcipuè exercuit, inæqualitate illius vbique diligenter notata, qui in quibusdam interdum plus homine sapere, in pluribus minùs pueris intelligere videatur. In Arithmeticis multa conatus est, & inuenit: Iudiciariæ, quam vocant, fidem apud multos adstruxit dum certiora per eam, quam ex arte possint, plerumque promeret. Verùm extremæ amentiæ fuit, imò impiæ audaciæ astrorum commentitiis legibus verum astrorum dominum velle subiicere. Quod ille tamen exaratâ seruatoris nostri genitura fecit: Tandem cùm tribus diebus minus septuagesimum quintum annum impleuisset, eodem, quo prædixerat, anno & die, videlicet xi. Kalend. viii. ob id, ne falleret, mortem suam inediâ accelerasse creditus. Corpus ad D. Andreæ depositum, deinde Mediolanum translatum, & ad D. Marci in maiorum monumento conditum.

IN PRIMO TOMO
QVÆSTIONVM
MARTINI HENRICI
Artium & Medicinæ Doct. edito Papiæ in quarto 1567. liber 3. præfationem habet sequentem.

Ad Hieronymum Cardanum Theor. Ord. in in Gymnasio Bononiensi primo loco pub. profitentem.

CVm æstimarem permagni mea interesse, *Cardane literarum decus*, si de omni mea studiorum ratione, te vnum præ cæteris maximè certiorem facerem; virum tam multarum, & optimarum artium scientiâ, quàm eloquentiâ insignem. Operæ pretium esse duxi, quæ successiuis horis cùm est otium à medendi occupationibus, passim inter legendum colligo, tibi in omnibus disciplinis præstantissimo, visenda tradere. Quod nunquam tibi, aut lucubrationes vllas miserim, aut Epistolam saltem scripserim, quò tibi, si non ingenium quodcunque, doctrinaque mea, certè animus tamen ac voluntas innotesceret: veritus sum hactenus, ne mea eruditio,

aut vlla omnino virtus eiuſmodi eſſet, vt licitum mihi putarem, ſcribere ad te virum mea ſententia, noſtro æuo, omnium literatiſſimum: cuius fama diffuſa vbique, tranauit maria, & montes altiſſimos traſcendit. Tanta enim tua iam pridem eſt claritudo, & æſtimatio, vt poſſis, vel obſoletis nitorem dare, faſtidiitis gratiam, ponis authoritatem, & vt ſemel finiam, hæc apud eruditos tuorum ſtudiorum reuerentia eſt, hunc tibi honorem deferunt docti omnes, quem Diuus Auguſtinus ſcriptoribus Canonicis autumat ſeſe retuliſſe, vt te nuſpiam in ſcribendo, errori confinem credant. Teſtes ſunt Scholaſtici ſexcenti, vbique locorum tuæ ſingularis virtutis, & eruditionis clariſſimâ voce præcones, & buccinatores. Quid multa, publicè, priuatim, in Gymnaſio Ticinenſi, Bononienſi, aliiſque omnibus vbique gentium, Cardanus ab eruditiſſimis viris extollitur, celebraturque meritiſſimo præconio. Eſt enim tuæ virtutis ſplendor, in tanta celebritate famæ, inque tam fuſo per vniuerſum orbem eruditorum hominum ſermone, vt ad ſummam laudem, & honorem, nihil poſſit accedere. Gratulor tibi, qui tam præclarum ingenium, tamque eminentiſſimum nactus es, vt inter laudata ingenia, primum locum tibi meritò vindicaueris; cui præter cætera tam exprompta, fideliſque memoria eſt, vt quæ ex tempore fluunt, quaſi viuo, (vt ita dixerim) gurgite, ea vndare videantur; in quo cæleſtis planè, immortaliſque naturæ lumen, ita effulget, vt non modò cum noſtri temporis ſcriptoribus, ſed etiam cum veteribus, vel meritò quidem eruditorum penè omnium teſtimonio, conferendus venias. Quantum enim doctrinâ, & eloquentiâ, inter huius ſæculi ſcriptores valeas, facilè indicant ij, qui tua ſcripta diligenter, & accuratè legunt; vno ore planè omnes fatentur, virtutum omnium exempla omnium ſemina diſciplinarum, omnium rerum ſimulachra, & effigies, in tuis libris intueri, tantamque in tuis voluminibus vtilitatem exiſtere, quanta vix fortaſſe in omni Græcorum, Latinorumque copia inueniatur. Itaque vel granditate heroica, vel argumentorum varietate, ac multiplicitate, vel dicendi vano artificio, vel doctrinâ adeò quadam remotâ, ſententiis abſtruſioribus pollent, vt quicquid laudis, & dignitatis antiquis ſcriptoribus hactenus tributum ſit, id totum tibi (abſit verbi inuidia) iure tribui poſſit, viro meâ quidem ſententiâ, cum ingenij natura præſtanti, tum verò tot pulcherrimas artes penitus mente complexo. Nam ſi medicè ſcribis, admirandum Hippocratem, diuinâ quadam ſapientiâ, & probitate mirabilem, Galenum grauiſſimum Medicinæ Autorem, & mirum apprimè medendi artificem, probatiſſimum Auicennam, experientiſſimum Auentoarem, ornatiſſimum Celſum, vtiliſſimum Meſuem, ſubtiliſſimum Auerroem, & alios penè infinitos, citra tædium nominandos, effingis: ſi Philoſophicè diuinum Platonem dono quodam prouidentiæ genitum; Ariſtotelem ſummo ingenio, doctrinâ, eloquentiâ, rerum peritiâ, prudentiâque inſignem Philoſophum, & quem iure omnis miratur poſteritas: lucidiſſimum Temiſtium, accerrimum, atque acutiſſimum Auerroem, refers, atque alios quotquot in Philoſophia præclariſſimi atque eminentiſſimi fuere. In hiſtoriæ cognitione præcellis: calles Theologiam, Mathematices peritiſſimus, & ita meâ ſententiâ, vt nullum alium vſquam habeat hæc ætas, qui tecum conferri poſſit. Quod ſi meum iudicium in hac re, non ſatis habebit apud te ponderis, idem teſtantur vno ore omnes, quotquot apud Italos cognoui huius artis peritos. Neque ſolùm ad plenum calles has omnes artes, verùm etiam in ipſis authorum adytis, es diligentiſſimè verſatus, ac libros omnes habes in promptu, ad digitos vngueſque tuos. Habemus enim, obſeruandiſſime præceptor, huius rei veraciſſimos teſtes, quos quidem in præſentia recenſere ſuperuacaneum eſt. Equidem vt demùm finiam, vbi vbi dego; quoquò proficiſcor, clariſſimâ vnâ omnium voce, Cardanum celebrari audio, virtutis excellentiam circumferri, venerandam, & omni ætate admirabilem doctrinam extolli, & pro numine adorari, & ad cælum vſque laudibus euehi. Itaque ætatem quam ago, vitam, quam ſpiro, lucri feciſſe mihi videor, qui hoc hoc numen vidi, hunc hunc Cardanum Præceptorem habui, quo poſt Hippocratem, Galenum, Platonem, Ariſtotelem, Cicerones, & Fabios, doctiorem nulla ætas habuit: qui diuinis, humaniſque doctrinis, & admirabili eloquentia eum præiter. Quo circa cum vbique gentium notiſſimus ſis, & dignus qui vniuerſo innoteſcas orbi, poſteritati quoque celebris, plauſibiliſque futurus; harum noſtrarum lucubrationum partem tibi dicatam, manu mea inconſideratè ſatis effuſam, rudem & impolitam adhuc, mandamus, vt pro tuò arbitratu, eas vel emittas, vel ſupprimas: quod ſi benè ceſſerit, nec laudem putabo meam, nec dedecus, ſin ſecus, tuum in vtranque partem æſtimabitur conſilium. Nam te critico, facilè ſcio, blateratorum aculeos optimè deuitabunt, & ſub tuo præconio, quaſi clypeo Palladis, iam ſe oſtentabunt æmulis inuulnerabiles. Adeoque, tuo iudicio, mihi confido, vt modo pleuâ, quod aiunt, cetâ ſubſcribas, igniculos bonæ immittens ſpei, me ad ſcribendum, quàm fuerim antea, longè facias alacriorem. Vale ornamentum orbis, huius ſæculi decus, & diſcipulum tuum ex animo dilige. Corti ſolonæ Idibus Ianuarij.

PRÆFATIO IVL. CÆSARIS Scaligeri in libros xvi. exotericarum exercitationum, quos non ſemel innuit ſcriptos à ſe fuiſſe aduerſus Hier. Cardani præclarum opus de varietate. Edita verò fuit ſimul cum aliis eiuſdem Scaligeri literis & orationibus Toloſæ 1621. ex M.S. clariſſimi Mauſſaci.

POſteaquam mei fati ſæuitia, tam miſerè mihi fauit, vt cum mea vnius gloria, publici luctus coniunxerit acerbitatem, atque tam egregios meos, & officioſos conatus, tam dira calamitas ſit conſecuta: Non putaui committen

committendum mihi, quin quanta est ob leuissimas castigationes meas affectus molestia Hieronymus Cardanus, tantum me ex eius interitu cœpisse mœroris, restatum relinquerem posteritati. Non tametsi eius vita mihi terrori esse posse videbatur: tanta tamen in omni genere literarum exstabant eius merita, vt ego quoque, qui me vnum ex hisce ciuibus profiteor, communem omnium vtilitatem, meis commodis debuerim anteferre. Orbata est enim Resp. literaria viro maximo atque incomparabili: eamque iacturam fecit, quam fortasse nullis posthac sæculis reparare possit. Ego etsi priuatus sum & teste, & iudice, atque etiam (pro Dij immortales) laudatore lucubrationum mearum: eas enim ita approbauit, vt spem omnem defensionis suæ, in declinatione sola potuerit, in desperatione potentiæ suæ, in suarum virium ignoratione: quibus ille tam pollebat, vt eum nullus modus, nulla ratio latere potuerit, qua meas quoque castigationes posset ad celebritatem nominis sui comparare. Atque ille quidem talis tantusque fuit, vt ostendere potuerit studiosis se eadem sensisse, quæ ego tanquam contraria scripserim, si bona iudicaret: sin aliter sentiret, eadem animi præsentia corroborare aliquando, quæ semel statuisset, qua statuerat ea, quæ corroborari posse iudicasset. Ego vero, qui eo animo, ac spe ad eum virum scripsissem, quem equidem omnium mortalium ingenuosissimum atque eruditissimom vulgò prædicarem, vt me inuictum illi fore considerem: ex eius vita operosam laudem propter assensiones, non ex interitu, ignauam quietem, ex hac quasi causæ desertioue mihi expectasse, quis non videt? Profectò viri illustrissimi, & quem ego acerrimum, atque suæ fidentem magnitudini cognouissem, benignitate, atque beneficio frui licuisset. Facilè enim, vt erat omnium humanissimus, ad amicitiæ iura communia, vel simplicissimis literulis euocabatur. Me qui in præliis diu exercitatus ad pericula omnia audaciam meam abiecissem: qui in assiduis disputationibus penè attritus, in diuturnis scribendi ærumnis penè consumptus essem, disputare tam supinè de tanto heroë, in tanto conflictu, tanto puluere, somnolentum, victoriam concupisse haud sanè verisimile est. Neque solùm abest à ratione rerum, & ab opinione hominum iudiciosorum abesse debet, verùm etiam abest ab omni vtilitate nominis mei. In eo enim semper adhærescere voluit animus meus, vt putaret omnem hominem (vt sanè omnes nihil aliud, quàm penè nihil sumus) adeò errare posse, vt sibi etiam [illegible]te posse contendat. Quod si consummatissimo viro contigit aliquando: quod si sæpe mihi, & nonnunquam aliis vsu venit, prolapsiones illas non esse errorum centibus adscribendas; nisi quis posteà porrò eas tueri velit. Pro constantia enim pertinaciam, pro humanitate feritatem profiteri necesse est. Neque enim errat is, cui aliquid excidit paulo importunius, sed si quando suam culpam propriam facit ex infami defensione. Igitur illo viuente, si ex conscientia rerum, meos conatus silentium esset consecutum, quid mihi potuit honorificentius euenire? Nempe tanquam præceptorem, aut patrem modestissimis assensionibus excepisset. Quod si ad pertinaciorem disputationem rem reuocasset quotus quisque nunc iam non intelligit, ex priore mentis agitatione futurum, vt ad insaniam propiùs accederet? Id quod diuinus ille vir cùm acutissimè perpendisset, quod non potuit ferre, tulit. Id enim animi constantiam ad viuendum afferre non potuit, ad moriendum potuit: quod potuit ferre, non tulit, hoc est communionem animorum nostrorum, atque iudiciorum ad publicam studiosorum vtilitatem. Quamobrem doleo vicem meam, qui ad prælium hoc luculentissimas susceperim rationes, ad conflictum habuerim explicatissimas, ad victoriam quam sperâram, eas, quas neque sperare licuit constanti viro, (quis enim talem euentum rei expectasset?) neque concupiscere viro forti. Huius laus in hostium laude penitus posita est. Doleo verò vicem totius reipublicæ, cuius doloris causas vulgus quidem literatorum pro suo captu capere potest, pro meritis illius diuinitatis nullo modo potest. Cum enim in homine docto tres partes omnino excellere debeant, morum integritas, atque ciuilitas, eruditio varia & multa; ingenium summum cum acerrimo iudicio coniunctum, tria hæc ille puncta adeo plenè tulerat, vt ad vnum modò totus pro se, solus pro omnibus factus à natura esse videretur. Nemo enim humanior cum minimo quoque, nemo apparatior ad omnia cum maximis quibusque viris inuentus est. Lenitas regia, celsitudo animi popularis, non solùm omnium horarum, sed etiam omnium locorum, omnium hominum, omnium fortunarum homo. Quod verò attinet ad eruditionem, circumspiciamus quæso totum hunc huiusce seculi felicissimi consummatissimum orbem literatorum: multosque magnosque viros efferent merita cuiusque sua, ceterùm hos vna tantùm, aut altera in parte Philosophiæ occupatos. Ille verò cum profundissimis naturæ, Deique arcanis humaniores literas ita coniunxerat, easque tam eloquenter explicârat, vt nihil aliud toto ætatis tractu professus fuisse videretur. Magnus vir sanè, magnus etiamsi hoc solum præstiterit. Cæterùm si ingenij expromptam celeritatem, igneam ad omnia vim, æqualem ad minima, & maxima quæque, vel laboriosam diligentiam, vel inuictam constantiam consideremus, proprior impudenti fuerit is qui se illi comparare ausus fuerit. Non igitur vel infensus animus, cuius ego vestigia ne noui quidem, neque liuor, cuius ne vmbra quidem attigit vnquam vmbram meam, sed tot tantæque illius monumentorum illustres rationes ad hoc me impulerunt, vt de illis aliquid sentirem, & absolutis de subtilitate Commentariis, exisset, priorum appendia quasi quædam, eruditissimus liber de Varietate rerum. Atque ego illicò antequam de eius morte quidquam allatum esset, exemplo sane meo me ipsum imitatus, triduo ea cursum in breuissima capita congessissem. Postquam de eius interitu resciui, in vnum congessi libellum, vt eius sanè adiuuarem labores: sed ita,

quemadmo

quemadmodum ſe ille voluiſſet, ſi quando mecum, aut aliquo doctore viro, de rebus ſuis conferre debuiſſet.

EIVSDEM SCALIGERI in librum de Subtilitate, ad Hieronymum Cardanum.

PRÆFATIO.

NOminis tui ſplendor, atque magnitudo, Hieronyme Cardane, vel ignauiſſimum quemque poterat accendere ad obtrectationem: niſi nobis omnibus compertum eſſet: te tuam gloriam non cum publica vtilitate ſolùm, ſed cum ſingulorum quoque laude coniunctam eſſe voluiſſe. Quocirca licuit nobis procul ab omni ſtudio contentionis otio frui, atque tranquillitate literaria: noſtroſque animos tanquam in arce quadam veritatis collocatos continere, quam tu poſteritati magnis operibus exædificaſſes. Neque enim lectiſſimæ deerant obſeruationes infinitæ penè lectionis: & aderat ingenij vigor inſignis ad omnium ſcientiarum minutiſſima quæque momenta conſequenda. Acerrimum verò iudicium, quod ego animam ſapientiæ vocare conſueui, etiam ſupererat. Diligenter ego legenti mihi diſceptationes tuas, in quibus de medicorum controuerſiis cognoſcebas, veniebat in mentem, non ſolùm debere nos hæc tibi, quæ apud veteres Autores deſiderarentur: verùm etiam exoptandum porrò nobis eſſe, tum vt multò plura ſcriberes, tum vt quæ ſcripſiſſes, in manus noſtras peruenirent. Qua in re, quanta animi noſtri cupiditate fuerant inflãmati, tanta nos benignitate proſequuta fortuna fuit. Ea nãque de ſubtilitate ſubtiliſſimis vel inuẽtis vel iudiciis diſputaſti: vt nihil in vniuerſa natura prætereà requiri poſſe videatur. Nam qui liber de Mundo Philonis circumfertur, patriis hæret narrationibus, parum admodum verſatur in noſtrati Philoſophia. M. T. Commentarius de vniuerſitate mutilius eſt iniuria temporum. Apuleij ſimilis conatus Autoris inſcitia, aut incuria deprauatus fuit. Solus ille labor, qui Ariſt. nomini attribuitur eiuſmodi compendij inſcriptione, ſuſtinebat vniuerſæ naturæ dignitatem quæ humana poterat intellectione capi. Atenim vero cum Philoſophus ille ſumma faſtigia delibaſſet: Eius exemplo tu non tam imitationem inſtituiſſe, quam perinde atque propoſitis gloriæ præmiis, cum ipſius diligentia ac magnitudine certare viſus es. Hos equidem libros ingentis laboris, variæ doctrinæ, ſummi ingenij pleniſſimos cùm animaduertiſſem, in eam adductus ſum opinionem: vt mihi iam pauciſſimarum rerum cognitionem ſupereſſe ſperarem. Tandem verò cum nactus locum, vbi dicis: aliquem aliquando exoriturum, qui materiam ipſam hanc fuſius tractet, tibique fore gratiſſimum, id ſi vllo vnquam tempore contigiſſet: ſanè verò qui antea tot ſcientiarum cumulum, quo cæteros mortales anteis, in te admirarer: hanc tuam æquanimitatem, qua teipſum ſuperabas, ad affectum quempiam diuinum referebam. Feliciſſimi fuerat hominis, attigiſſe metam vltimam iudiciorum noſtrorum: at tibi ipſi tanto Philoſopho, vel ſolos anteponere conatus aliorum, nonniſi certæ fuit diuinitatis. Hunc ego arbitror eſſe habitum illum, quem ſapientiæ noſtræ Dux Ariſtoteles extra, ſupraque omnium habitum virtutum in heroicis animi ſtatuebat. Quare dum hæc ſtupidus, atque alia tua circumſpicio: dulcedine quadam, neſcio an deceptus, certè captus ſum imitandi tui: quem ad eiuſcemodi faſtigium, nonniſi multarum artium, ac maximarum virtutum antegreſſione euectum eſſe iudicabam. Igitur auidiùs horum librorum lectione repetita, nihil in rebus mancum, nihil in oratione ſuperfluum occurrebat: arbitrabar tamen breuitatem illam, qua in vtroque Ariſtotelem repræſentat, non tam egere præſidio propter ſe, quam parere cupiditatem aliis auxilij petendi ad intellectionem. Mihi verò præter cæteros, qui antehac meliorem ætatem inter arma & temerè, & fruſtrà, & miſerè prodegiſſem: nunc ſeræ eruditionis rudimentum nouitatem meam trepidatione quadam minus liberali, ſed non impudenti, & ſui conſcia profiterer, ita diligentiſſima agere diſquiſitione viſa ſunt. Paulatim ergo cùm me ipſum multis locorum difficultatibus obtuliſſem: (arridebat enim aditus rerum varietate, qui ſe facilem dare nobis per initia videbatur) ea me in loca indui, vnde pedem referre non liceret. Creuit ibi tamen ſimul animus cum periculis: ſubiitque indefeſſum opera multa, atque laborioſa. In quam minus tempeſtiua imprudentia impulſum ſæpe ſui conſcia imbecillitas reuocauit: ſapientiæ ſtudium perpulit, vt ad calcem vſque deducerem obſtinatè. Quod ſtudium in partes quidem varias ſæpenumerò ſcindebatur adeò, vt iam & puderet audaciæ, & tæderet laborum, & pæniteret progreſſionis. Quoad me confirmauit humanitatis tuæ recordatio: vnde meipſum adigerem ad hoc genus exercitationum, in quo circa res alias & plurimas, & maximas, diu multumque verſatus eram. Vt quæ ad acuendos animos noſtros vel vltro omiſeras, vel conſultò innotueras, viciſſim tibi proponeremus, vel tanquam ſupplementa recenſenda, vel quaſi publico in certamine perpendenda. Non enim contradicendi, aut contendendi ambitione motus, ſed communi omnibus ſtudiuſis iure excitatus, ea protuli coram te maximo omnium conſenſu literarum dictatore iudicanda: quæ non niſi tua opera nobis eſſe plana poſſent. Quamobrem qui videas hæc, quaſi ſeſe dedere in clientelam tuam: ſpero haud commitres, vt vel animi noſtri candorem negligas, vel contemnas nouitatem: ſed iam nos exercere incipiamus.

EX IOAN. BAPT. SILVATICI libro de Collegij Mediolanenſium Medicorum origine, antiquitate, neceſſitate, dignitate, &c. Mediolani 1607.

Hieronymus Cardanus cap. xx.

SEd nemo profitentium Medicorum Hieronymo Cardano, omnium ferè ſcientiarum

rum

rum dogmata, pleniùs, puriùs, atque nitidiùs in Scholis publicis explicauit: tanquam ad omne scientiarum genus esset natus, inter omnes sui, & antiqui temporis profitentes Medicos eminentissimus, verum Medicinæ lumen: In omnibus propemodum Italiæ Gymnasiis publicè docuit, & in celebrioribus vrbibus summa cum sui nominis gloria, & authoritate, artem medicam exercuit, ex purissimis Græcorum fontibus, haustis præceptis. Erat non insignis modò Medicus, sed & summus Philosophus, & in omni Philosophiæ parte maximè excellens: Astrologus maximus: item & veteris Magiæ peritissimus: ita vt de euētu rerum, mira quadā prædictione vteretur. Patre natus est iure consulto collegiato, & Mathematico optimo. Scripsit libros quatuor de Fato: nouæ Geometriæ vnom, de Arithmetica alterum, & de Astrorum iudiciis vnum: de rerum subtilitate, earumdemque varietate duos: contradictionum medicarum volumen magnum: de malo medendi vsu: de venenis: de causis, & signis morborum: de sanitate tuenda: de arcanis æternitatis: de animi immortalitate, & de secretis. Commentaria item in lib. de Aëre, locis, & aquis Hippocratis: in eiusdem Prognostica: in librum de Alimento: in libros Epidemiarum: in Aphorismos, & librum de Prouidentia ex anni constitutione: libros ad hæc de somniis quatuor, & opuscula, quibus continentur liber de libris propriis, de curationibus admirandis, de Prædictionibus, Neronis encomium, & Geometriæ encomium, de vno, Actio in Thessalicum Medicum, de Secretis, de Gemmis, de Coloribus, Dialogus de Morte, Dialogus Tetim, siue de humanis consiliis, de minimis & propinquis, de summo bono. Quis quæso Medicus Hippocrate, & Galeno exceptis, plura, & tam varia scripsit? Eius sunt conditionis hi libri gratique, adeò accepti, ut adeo vtiles omnibus gentibus fuere, vt vbique locorum, & in omni Europæ regione, summa diligentia fuerint illi sæpe etiam excusi, de certantibus inter se Typographis, de eorum politiore, & emendatiore editione, nunquam propterea perituri. Verè itaque aliquando de se ipso dicere ille potuit, plura scripsi quàm legi, plura docui quam didici: Princeps nullus Italicus, dum is viueret, eius in medicina opem, vel consilium prætermisit. Fama verò eius, etiam apud maximè longinquos diuagata insigni, tum Iohannes Amulthon è regia Icotorum stirpe, atque apud illos Pontifex primarius, ad se vocauit, multis maximisque, ob restitutam ei salutem, illum donauit præmiis. Quòd si omnia quæ de maximo hoc viro dici possunt admiranda, persequi voluerimus singula, & in dicendo deerit proculdubio oratio, & in scribendo manus deflectetur. Vnum hoc loco illi à Poëta illustri decantatum elogium, commemorare sufficiat.

Æmulos Epidamnij inter omnes,
Sat Cardane caput, &c.

Mortuus est Romæ, anno salutis humanæ 1576. vixit annos sex & septuaginta, sibi diu, aliis nunquam satis.

EX CELEBERRIMI DOCTISsimique viri Iacobi Philippi Thomasini Nobil. Patauini, & Ciuitatis nouæ Antistitis meritissimi Elogiorum parte prima edita Patauij 1630.

Hieronymus Cardanus.

PAtritius Mediolanensis, qui in Academia Patauina prima virtutis suæ tudimenta hausit, mathematum insignis cultor, & explicator, suprà cæteros, propter edita ingenij monumenta innumera, toti terrarum orbi probata, præconiis efferendus. Natus est anno CIƆ. IƆ. IX. Kal. Septembris, hora sexta, m. 40. à Meridie, ex Matre Clara Micheria, & Patre sene Facio Cardano illustri Iurisconsulto; per vim ex vtero extractus (vt ipsemet testatum reliquit) reuixit lauacro vini, capillatus antequam natus, ater enim capillus, prælongus, & crassior ei nascenti fuit. Infans frigidis humoribus obnoxius, procedēte ætate, totoque reliquæ vitæ cursu, tum aduersa, tū secunda, insperato, supra mortaliū omniū cogitationes euentu, passus, vtramque fortunæ aleam lusit: Modo enim calamitatibus vexato, bonorum Ilias occurrebat: modò bonis ingentib. affluente, calamitatum Miriades adoriebantur. Principibus cognitus, & Regibus, Ecclesiasticis quoque præcerib. gratissimus extitit. Sæpè per somnium admonitus, non leuia pericula euasit, & quod adiutus à Numine non obscurè, multa conscripserit, persuadere posteris conatus est. Vir ætatis mediæ, vxorem duxit perspicacem, quæ tres masculos abortiuit, duos edidit, & puellam vnam; obiitque postquam secum vixisset annis xv. agente tum Cardano annum xlvi. Filiorum educationi comprimis studuit: deinde scriptioni deditus, multa publicis tabulis consignanda mandauit. Nouarum rerum inuentione felicissimus; plura scripsit, quàm legerit; plura docuit, quàm didicerit, laudis enim, ac gloriæ maximè appetens, immodicà sciendi cupiditate flagrabat, & vt ad immortalitatis apicem perueniret, studiorum labores omnes, & molestias alacer exantlabat. Quisquis es, qui nosse id exactiùs cupis, librum de libris propriis, vel librum xii. Geniturarum adi, quarum octaua est Hieronymi Cordani, moresque eius, ingenium, fortunas, opes, & euentus omnes, mirā eloquentia sperandos exhiber, ferè verax. Senea naturæ legibus satisfecit, eo fermè anno, quo se prædixerat moriturum. Sepultus est Mediolani in ecclesia Diui Marci, eo in tumulo, quem Facio Cardano Patri, ipse posuerat hisce verbis.

FACIO CARDANO

I C.

Mors fuit id, quod vixi vitam mors dedit ipsa,
Mens æterna manet, gloria tuta quies.

Obiit anno M. D. XXIV. iv. Kalend. Sept. anno Ætatis lxxx.

Hieronymus Cardanus Medicus Parenti poſteriſque V. P.

Cæterum tanti viri effigiem, & numiſma, debemus excellentiſſimo, & omnibus virtutibus ornatiſſimo Felici Oſio, Sexennio iam in Patauini Gymnaſij luce, primariam eloquentiæ Græcæ & Latinæ cathedram, ſummâ cum laude obtinenti. Ab eo ſcilicet nobis vtrumque curatum eſt, operâ humaniſſimi, & eruditiſſimi viri Io. Antonij Caſtellionæi, iuris vtriuſque, & ſacræ Theologiæ Doctoris, Vicariique perpetui Abbatiæ S. Vincentij in Prato apud Mediolanenſes. Numiſmatis meminit etiam Cardanus ipſe in libro de libris, propriis hiſce verbis, *Somnium hoc veluti initium gloriæ noſtræ, ſi qua omnino eſt, eritiè in ectypu ex aduerſo imaginis meæ depinxi.* Adeat librum ipſum, qui ſomnium, & interpretationem eius noſſe penitiùs cupit.

IVL. CAPACIVS IN Elogiis virorum literis Illuſtrium.

Hieronymus Cardanus.

EX ſordido ſtatu priuſquam naſceretur, exilium expertus (abortiuum enim medicamentum alieno mandato mater bibit, vt de ſe ipſo in Opuſculo de paopertate teſtatur) omnium Doctrinarum apicem conſcendiſſe Hieronymum Cardanum dixerim; quibus non tantùm Mediolano in qua vrbe ortus eſt, & Bononiæ, cuius Academiam illuſtrauit, ſed omni fere Italiæ, in qua prouincia claruit, attulit honores. Doctiorem fortaſſe eius non nouit ætas, ſed varium, ſed curioſum, ſed Naturæ arcanis perditè delectatum, vt ſuperſtitionibus ſe emanciparit. An dices in ſcribendo non fuiſſe cultum, cùm quicquid in buccam venerat, ſcripſiſſe viſus fuerit? In re medicâ multus fuit, ſed quem perſæpè aliorum opinionibus aduerſari huiuſmodi animaduertes, vt illud ſibi ambitioſius popoſciſſe credas, vt appeteret laudem.

Eques ipſe melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque ſegni pede victus.

Nec tæduit in ſubtili rerum varietate ea narraſſe (num puerilia?) quibus ingenij acumen exerceret Scaliger. Accuſas in eodem, genituras? merito. Matheſim ad naturæ auctorem transferre, quam vanum? Hem, tam inani labore de Chriſto naſcente loqui? Quàm latè hominum prorupit audacia. Hoc verò illepidum condire eum iudicaui, cùm in Raimundum Lullium animaduertit. Quid facere potuiſſet præclarius, qoàm nebulonem illum, literarumque paraſitum ex Doctorum cœtu explodere? Quid eo ſtolidius, aut ſpurcius? Quid Lullianorum aſſeclarum amentius? An & amentem Cardanum appellaueris *in arte magna*, quas *alegebraicas regulas* dixit, & amentiorem in *iudiciis geniturarum*? Sanioris hoc ingenij iudicium eſto, ſcripſit præterea *de immortalitate animæ, Contradictiones Medicorum, de ſanitate tenuda, de ſimplicium medicamentorum noxa, Commentaria in Ptolomaum, Arithmeticam, Arithmetica practicam, de vtilitate capienda ex aduerſis* libros quatuor, quibus vt in omnibus excelleret, in Ethica praxi ſe verſatum præbet, vt Mathematicus, Medicus, Orator eximius, Philoſophiam quoque ex omni parte calluiſſe patefaceret.

EX PROMPTVARIO Iconum Gulielmi Roully pag. 268.

HIeronymus Cardanus, Medicus Mediolanenſis ſubtiliſſimus, multa ſcripſit tam acute & diligenter, vt meritò ab omnibus literatis, ob eius ſummum ingenium, exactamque plurimarum rerum cognitionem, paſſim exiſtimetur. Scripſit Arithmeticam abſolutiſſimam, practicam Arithmeticæ & menſurandi ſingularem, Artis magnæ, ſiue de regulis algebraicis librum vnum, qui & totius operis de Arithmetica (quod opus perfectum inſcripſit) eſt in ordine decimus, de ſapientia libros quinque, de conſolatione libros tres ab auctore recognitos, de immortalitate animæ librum excuſum à Gryphio Lugduni anno Domini 1585. contradicentium medicorum librum, continentem contradictiooes 1081. de malo recentium Medicorum medendi vſu libellum, centum errores illorum continentem, & infinitos alios quos hæc pagina non poteſt capere. Floruit anno ſalutis 1544.

HENRICVS MONANTHOLIVS in Ludo Iatromathematico pag. 9.

AT his veteribus contenti, quia recentiorum etiam exempla plurimorum monent, recentiores etiam aliquot ſelectos viros proferamus, quibus eandem ſententiam mirum in modum placuiſſe nouimus; inter quos primum pono Hieronymum Cardanum cui hoc elogium meritò à Rodulpho Syluestrio Bononienſi Medico tributum eſſe arbitror, quum de eo dixit, illum vnum in omnibus humanis ſcientiis tantùm præſtitiſſe, quantùm io eorum ſingulis, qui præſtantes viri excelluerunt. Hic ſcripſit Arithmeticam, decem libros Geometriæ, commentarios doctiſſimos in IV. Libros Claudij Ptolomæi de iudiciis, & alios quamplurimos; quorum qui videre volet titulos, legat in libro quem ipſemet edidit de libris propriis. Idem ille paſſim multis in locis, quam Mathematicæ ſint Medico neceſſariæ oobis expreſſit, vnum duntaxat locum attingam, &c.

PETRVS RAMVS IN Proœmio Mathematico pag. 470.

SCripſit Hieronymus Cardanus doctiſſimè Mathematica plurima, Medicinam tamen profitetur.

Ibidem

Idem ibidem pag. 480.

HInc præsentia ornamenta Bononiensis Academiæ, Sigonius Orator, Cardanus Medicus, Papius Iureconsultorum Crassus Scæuolaque.

F. THOM. CAMPANELLA IN Syntagmata de libris propriis, pag. 37.

CArdanus denique Physiologica, & curiosa plura confirmat ex moralibus, medicina, & omnibus ferè scientiis: addirque superstitiosa multa, vt Apuleius; & hoc præsertim nomine bonus est, quia nihil negligit, nihil intacti relinquit, vnde homo considerationes augear, & scientias locupleter.

Paolo Morigia nell'historia dell' Antichita di Milano lib. 1. cap. 59.

MA venendo à tempi più vicini, dico che di gran lume sono stati alla nostra Citta, li famosi, & immortali Andrea Alciati, & Girolamo Cardano, il primo dottore Leggista, & laltro dottore fisico, & l'vno & l'altro nominatissimi non solo nella nostra Italia, ma anco per tutta l'Europa; & ambi sono stati famosi lettori de primi studij non solo d'Italia, ma anco di Francia, con tanta concorrenza di studenti da tutte le parti d'Europa, che pareua, che corressero all'oraculo d'Apolline. In questi v'era la nobilta della lingua, & l'eccellenza delle altre scienze, come si puo vedere dalli gran volumi de componimenti Lasciati al mondo, à perpetua loro immortalità, & gloria della patria.

Hippocrates Lectori commentariorum Hieron. Cardani in Aphorismos.

GRaiorum culpa euersus cum sim ante meorum.
Insuber ex obitu me mihi restituit:
Quem pro tot meritis, Dy faxint, vt vice versa,
Alterius gentis restituat pietas.

Cardanus de seipso sub initium libri 1. contradicentium M.

CVm Medici, patria, affines, fortuna, parentes,
Me inuisum odissent, non potuere tamen
Extremos iussu Fati superare labores.
Sic viuam semper, maior & inuidia.

Idem sub Effigie sua in libris de Subtilitate & alibi.

NOn me terra teget, cælo sed raptus in alto
Illustris viuam docta per ora virum:
Quidquid venturis spectabit Phœbus ab annis
Cardanos noscet, nomen & vsque meum.

Sub eiusdem effigie in Iconibus Io. Sambuci, qui versus referuntur etiam, à Ioan. Crœselio in Elogiis lib. 2.

SPiritus hunc proprius versat, præcordia raris
Dotibus extollit, sidera clara mouet:
Nescio quid dicam, mirabor, nil latet istum
Quàm legisse putet scribere plura solet.

Marc. Antonius Maioragius sub Cardani Persona.

Extat sub finem lib. 2. contradicentium.

EXacta immensi iam sunt monumenta laboris,
Quæ numquam fulmen, non sæua incendia, durum
Non poterit ferrum, non longum absumere tempus.
Iam tenebris adoperta caput, quæ corpus in ipsum
Tantum bella gerit, veniat mors improba nobis:
Mens tamen illa mei melior pars astra subibit.
Clarius, & nostrum viuet per sæcula nomen
Omnia; quaque patet Latiæ præstantia linguæ,
Me leget assidue doctorum Turba virorum.

Marci Ant. Maioragij Rhetoris Hendecasyllabum, ad Hieron. Cardanum Med. Mediolanensem.

Extat sub initium lib. 1. contradicentium M.

CArdane omnibus è meis amicis
Doctrina, ingenio, sagacitate
Princeps; quem Medicæ repertor artis
Humano generi fauens Apollo,
Impellit per iter nec vsitatum,
Iam trita à reliquis via relicta,
Ægrosque edoces, atque destitutos
Conseruare homines leui labore.
Cur illa aurea tam diu premuntur,
Quæ scripsisti opera in tuis tabellis?
Cur non efficis imperitiores,
Vt tandem ingenio tuo fruantur?
Cur non cœlitus attributa dona
Vulgas? vt quibus haud data est facultas,
Ægris confugere ad tuos Penates,
E scriptis habeant tuis salutem?
Nam fama ante fores stat, vsque clamans,
Testaturq; Deos sibi annuentes
Immortale decus tibi futurum,
Ægrorum si hominum misertus, edas
Quam primum monumenta iam peracta.

Incerti ad Hieron. Cardanum, refertur ab eodem Cardano in opere de libris propriis, edito Baſileæ 1562. & à Io. Bapt. Siluatico in Elogio Cardani.

ÆMulos Epidaurij inter omnes,
Sat Cardane caput, ſat extuliſti:
Europa Populi ſatis fatentur,
Cunctos faſtigio tuo relictos:
Artis diuitias thoris ab altis
Pandentem obſtupuit corona quondam,
Magnos ingenij ſtudiique fructus
Pagina varia ferunt per orbem:
Quas docti manibus fouent vbique
Delectant, ſapiunt, tenent, aluntque,
Doctrina procul abdita legentes.
Te reges Aquilonij vocarunt,
Vt mortem fugerent ſibi propinquam:
Qui per te reduces, Charonta fallunt,
Expectat ſtygius dum eos Auernis.
Quot ciues patria tuis medelis,
Quos flebat mulier, tamen reducti?
Hæc Cardane ſatis ſuperque monſtrant,
Aſtra te digito ferire ſolum,
Deſpectantem alios humi relictos.
Nunc tantis preme copiis habenas,
Ora contrahe fontium tuorum,
Quo riui tenues fluant in orbem,
Fundis dum proprias opes abundè:
Palam apparuit eſſe ter puſillas
Doctrinas hominum, medendi in arte,
Complexu & vario ſcientiarum,
Qui palmas hodie putant mereri:
Illi non ſine ſentiunt dolore
Grauis, non niſi parua ſe tenere,
Toto nec ſecus orbe iudicari.

N. 24. Sept. A. 1501. O. 21. Sept. A. 1576. Æt. 75.

Io. Matthæus Toſcanus, in Peplo Italiæ lib. 4.

CArdanine manus plures curauerit ægros.
Eſt dubium, an plures ſcripſerit vna libros.
Quiſquis enim voluit tot ſcripta volumina, dextra.
Hunc calamum numquam depoſuiſſe putat.
Hunc qui pallenti reduces tot nouit ab orco
Incubuiſſe agris, nocte, dieque putat.
Felix qui ſemper venturo profuit æuo,
Ætati at nunquam defuit ipſe ſuæ.

Hieronymus Cardanus Mediolanenſis Medicus, Philoſophus & Mathematicus æquè illuſtris, publicè medicinam Papiæ, ac Bononiæ ſumma cum dignitate profeſſus eſt. Ad quem ex longinquis regionibus delatos deſperatæ valetudinis, non paucos vtriúſque ſexus breui conualeſcentes in patriam rediiſſe ipſi vidimus. Libros tot edidit vt ipſemet eorum indicem in lucem emittere ſit coactus.

Gaſpar Cunradus in Proſographiæ melicæ millenario primo.

ME varij rerum doctore leguntur agones:
Naturæ hinc dici Dædalus an mereor?

Carmen Thomæ Venatorij in laudem Cardani. Extat in libris de Subtilitate, editis Lugduni 1550. apud Rouillium 8.

EBibit hic ſophiæ fontes, & flumina Muſis,
Et Phœbo, & doctis non inamœna viris.
Hinc Medicos miſcet ſuccos, & corpora Regum
Illi creduntur ſummaque cura, fides.
Deinde Syracuſij ſunt nota Mathemata ciuis,
Cætera ſunt terris cognita, & aucta polis.

Carmen Laur. Durnhoferi in laudem eiuſdem. *Ibidem.*

NOn Cardane tuam poterunt extinguere laudem
Ignes flammiferi, fluctiſona nec aqua,
Ingens atque potens in toto perſonat orbe,
Imo quæ celſum venit ad vſque Polum.
Dum res occultas, quadam caligine tectas,
Et varias, aperis, difficileſque doces.
Dumque tua humanos ſanat Medicina dolores,
Tuque Dei curas vulnera cordis ope.
Dum ſtellas monſtras, & picti ſidera Cæli,
Atque artes, Orbis quas ſpecioſus habet.
Dumque omnes diſciplinas producis in vſum,
Qui facis egregios artificeſque bonos.

Annibalis Crucæi ad lectorem Arithmeticæ Cardani:

MVltiplices numerorum vſus, diſcrimina parteis,
Quæque voluminibus mille legenda tenes.
Exiguo, facili, docto, digeſta libello,
Hic tibi Cardani ſedula cura dabit.
Perlege mox, iſti tantum debere libello,
Te dices, quantum mille voluminibus.

In Aſtronomicum opus Hieron. Cardani de ſupplemento Almanach, carmen Ioachimi Hetteri Leuco-Petræi.

Extat in vltima editione anni 1547.

DIcitur in tenui finxiſſe volantia vitro
Aſtra Syracoſij machina docta ſenis.
Fertur & errantis radiantia cornua Lunæ,
Deduxiſſe ſuis ſedibus Endymion.
Ingenio ſic magnus Atlas, & fortis Orion
Nomina iam Famæ non morientis habent.
Te quoque ſera manet venturi gloria ſecli.
Cardane, ingenio nobilis; arte potens.
Qui tanquam Aſtrifero ſuperum ſis lapſus Olympo,
Tempora, ſigna, orbes, ſydera, fata doces.
Et rerum varias oſtendis in Æthere cauſas,
Multaque præterea, quæ latuere prius.
Hæc vere eſt animis moderatis digna voluptas,
Inclyta cognatis quærere iura polis.

ELEN

ELENCHVS GENERALIS,

Siue Oeconomia omnium Operum Hieronymi Cardani, in decem Tomos diuisorum.

Signum † præfixum, ea denotat, quæ modò in lucem prodeunt.

TOMVS PRIMVS.

Quo continentur

Philologica, Logica, Moralia.

I. DE Vita propria, Liber.
II. Ephemerus, de Libris propriis.
III. De Libris propriis, eorúmque vsu, ex edit. Rouillij.
IV. De Libris propriis & eorum vsu, ex edit. Henricpetr.
V De Socratis studio.
VI. Oratio ad Cardinalem Alciatum, siue Tricipitis Geryonis, aut Canis Cerberi.
VII. In Thessalum Medicum, Actio secunda.
VIII. Encomium Neronis.
IX. Encomium Podagræ.
X. † Mnemosynon. M.S.
XI. † De Orthographia, liber. M.S.
XII. † De Ludo aleæ. M.S.
XV. Dialectica.
XVI. † Contradictiones logicæ. M.S.
XIII. De Vno.
XIV. Hyperchen.
XVII. † Norma vitæ consarcinata, sacra vocata. M.S.
XVIII. Proxeneta, seu de Prudentia ciuili.
XIX. De Præceptis ad filios.
XX. † De Optimo vitæ genere, M.S.
XXI. De Sapientia.
XXII. De Summo bono.
XXIII. De Consolatione.
XXIV. † Dialogus Hieron. Cardani, & Facij Cardani patris. M.S.
XXV. Dialogus Antigorgias, seu De recta viuendi ratione.
XXVI. Dialogus Tetim, seu De humanis consiliis.
XXVII. Dialogus De morte, seu Guglielmus.
XXVIII. De Minimis & propinquis.
XXIX. † Hymnus, seu Canticum ad Deum, M.S.

TOMVS SECVNDVS.

Quo continentur

Moralia quædam, & Physica.

I. DE Vtilitate ex aduersis capienda.
II. † De Natura, Liber. M.S.

III. † Theonoston Liber primus, siue de Tranquillitate. M.S.
IV. Dialogus de Vita producenda, seu Theonoston Liber secundus.
V. † Theonoston Liber tertius, seu de Animi immortalitate. M.S.
VI. † Theonoston Liber quartus, seu de Contemplatione. M S.
VII. † Theonoston Liber quintus, seu Hyperboreorum. M.S.
VIII. De Immortalitate animorum.
IX. De Secretis, Liber vnicus.
X. De Gemmis, & coloribus.
XI. De Aqua.
XII. De Vitali aqua, seu æthere.
XIII. † De Aceti natura. M.S.
XIV. † Problematum sectiones septem. M.S.
XVI. † Discorso del Vacua. M.S.
XV. † Se la qualità può trapassare di subbietto in subbietto. M.S.
XVII. De fulgure.

TOMVS TERTIVS.

Quo continentur

Physica.

II. DE Subtilitate.
III. Actio prima in Calumniatorem librorum de Subtilitate.
I. De Rerum varietate.

TOMVS QVARTVS.

Quo continentur

Arithmetica, Geometrica, Musica.

I. † DE Numerorum proprietatibus, Liber vnicus. M.S.
II. Practica Arithmeticæ.
III. Computus minor.
IV. Artis magnæ, siue de Regulis Algebraicis.
V. † Liber Artis magnæ, siue quadraginta capitulorum, & quadraginta quæstionum. M.S.
VI. De Aliza regula.
VII. † Sermo de plus & minus. M.S.
IX. † Exæreton mathematicorum. M.S.
VIII. Encomium Geometriæ.
XI. † Operatione della linea M.S.
X. De Proportionibus numerorum, motuum, ponderum, sonorum.
XII. † Della natura de' principij, è regolo Musicali. M.S.

TOMVS QVINTVS.

Quo continentur

Astronomica, Astrologica, Onirocritica.

I. DE Restitutione temporum & motuum cœlestium.
II. De Prouidentia ex anni constitutione.
III. Aphorismorum Astronomicorum segmenta septem.
IV. Commentarij in Ptolemæum, de Astrorum iudiciis.

V.

TOMVS SEXTVS.

Medicinalium primus.

TOMVS SEPTIMVS.

Medicinalium fecundus.

TOMVS OCTAVVS.

Medicinalium tertius.

TOMVS NONVS.

Medicinalium quartus & poftremus.

IV. Opuſcula Medica ſenilia, ſeu de dentibus libri quatuor.
V. † De Dentibus, liber quintus, ſeu de morbis articularibus. M.S.
VI. † Floridorum libri, ſive Comment. in Principem Hazen. M.S.
VII. † Vita Ludovici Ferratij, & Alciati. M.S.

TOMVS DECIMVS.

Quo continentur

Miſcellanea, ex Fragmentis, & Paralipomenis.

I.

FRAGMENTA.

I. † DE Arcanis æternitatis, tractatus. M.S.
II. † Politicæ, ſeu Moralium, Liber vnus. M.S.
III. † Elementa linguæ Græcæ. M.S.
IV. † De Inventione, tractatus. M.S.
V. † De Naturalibus viribus, tractatus. M.S.
VI. † De Muſica, Liber. M.S.
VII. † De Integris, tractatus Arithmeticus. M.S.
VIII. † Expoſitio Anatomiæ Mundini. M.S.
IX. † Commentarij in libros Hippocr. de Victu in acutis. M.S.
X. † Commentarij in duos libros priores Epidem. Hippocr. M.S.
XI. † De Epilepſia, tractatus. M.S.
XII. † De Apoplexia. M.S.

II.

†PARALIPOMENON *libri octodecim. M.S.*

I. † DE humanis ciuilibus ſucceſſionibus. M.S.
II. † De humana perfectione. M.S.
III. † Περὶ θαυμασῶν, ſeu de Admirandis. M.S.
IV. † De dubiis naturalibus. M.S.
V. † De rebus factis raris, & artificiis. M.S.
VI. † De humana compoſitione naturalium. M.S.
VII. † De mirabilibus morbis & ſymptomatibus. M.S.
VIII. † De aſtrorum & temporum ratione & diuiſionibus. M.S.
IX. † De mathematicis quæſitis. M.S.
X. † Hiſtoriæ lapidum, metallicorum, & metallorum. M.S.
XI. † Hiſtoriæ animalium. M.S.
XII. † Hiſtoriæ plantarum. M.S.
XIII. † De anima. M.S.
XIV. † De dubiis ex hiſtoris. M.S.
XV. † De clarorum virorum vita & libris. M.S.
XVI. † De hominum antiquorum illuſtrium judicio. M.S.
XVII. † De vſu hominum, & dignotione eorum, tum cura & errore. M.S.
XVIII. † De ſapiente. M.S.

INDEX



INDEX
Librorum, Tractatuum, & Capitum Tomi Primi.

I.

De propria vita.

II.

III.

IV.

Index Capitum.

16. De

Index Capitum.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

Contradictiones Logicæ.

Index Capitum.

103. Demon

Index Capitum.

XVII.

XVIII.

PROXENETA

seu

De Prudentia Ciuili.

ãã 3

Index Capitum.

102. De

XIX.

Præceptorum ad Filios Libellus.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

PRIVI

PRIVILEGE DV ROY.



LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Senechaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nos chers & bien amez IEAN ANTOINE HVGVETAN & MARC-ANTOINE RAVAVD Marchands Libraires de nostre Ville de Lyon, nous ont tres humblement fait remonstrer, que par les soins de plusieurs personnes de consideration, ausquels ils ont contribué les leurs, auec des notables sommes de deniers, ils auroient recouuert toutes les Oeuures de HIEROSME CARDAN, notamment les manuscripts de cét Autheur, pour l'acquisition desquels, & d'en faire transcrire vne partie, ils auroient fait tres grande despense, comme il faut qu'ils en fassent encore pour la grauure d'vn grand nombre de figures, & recompense des habiles hommes qu'ils employent pour mettre le tout dans l'ordre & auec les ornemens necessaires. Lesquelles Oeuures comme tres vtiles au public, & fort desirées par les gens doctes & curieux, les Exposans desireroient faire imprimer s'il nous plaisoit leur accorder nos lettres sur ce necessaires. A ces causes desirans fauorablement traitter les Exposans, leur donner moyen de se recompenser des fraix qu'ils ont fait, & de ceux qu'ils ont à faire, & que le public ne soit priué de l'vtilité qu'il peut receuoir desdites Oeuures; Nous leur auons permis & permettons par ces presentes d'imprimer & faire imprimer toutes les susdites Oeuures en tels characteres, marges & autant de fois que bon leur semblera, durant le temps & espace de vingt années à commencer du iour qu'elles seront acheuées d'imprimer, faisant pendant ledit temps tres expresses inhibitions & deffenses à toutes personnes de quelle qualité & condition qu'elles soient, d'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter lesdites Oeuures, ou partie d'icelles, sans le gré & consentement desdits Exposans sous quelque pretexte que ce soit, à peine de dix mille liures d'amende applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel Dieu de nostre Ville de Paris, & l'autre tiers ausdits Exposans, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages & interests. A condition que lesdits Exposans mettront en nostre Bibliotheque publique deux exemplaires desdites Oeuures, vn en celle seruant nostre personne estant en nostre Chasteau du Louure, dans le lieu vulgairement appellé le Cabinet des Liures, & vn en celle de nostre tres cher & feal Cheualier Chancelier de France le sieur Seguier auant que de les exposer en vente à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles voulons & vous mandons que vous fassiez iouir & vser lesdits HVGVETAN & RAVAVD, ou ceux qui auront droict d'eux, sans souffrir qu'il leur soit donné aucuns empeschement; Voulons aussi qu'en mettans au commencement ou à la fin desdites Oeuures l'Extraict des presentes, elles soient tenües pour deuëment signifiées, & que foy y soit adjoutée, & aux copies collationnées par vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'original: Mandons au premier Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des presentes tous Exploits & Actes necessaires sans demander autre permission, nonobstant oppositions, ou appellations quelconques, Clameur de Haro, Chartre Normande prise à partie & autres lettres à ce contraire: Car tel est nostre plaisir. DONNE' à Paris le xxix. iour de Septembre, l'an de grace mil six cents cinquante-huict, & de nostre regne le seiziéme.

Par le Roy en son Conseil.

MASCLARY.

Acheué d'imprimer le 17. *Auril* 1663.

HIERONY



HIERONYMI CARDANI DE PROPRIA VITA, LIBER.



VM omnium rerum, quas indipisci humano generi licet, nihil iucundius, nihil præstantius, veritatis cognitione videatur: nec vlla mortalium structura perfecta possit, quanto minus à calumnia tuta: Exemplo sapientissimi & optimi, vt creditum est, viri Antonini Philosophi, librum de Vita nostra scribere aggredimur. Testati nihil adiectum iactantiæ, aut ornandæ rei causa. Sed quantum licuit collectis euentibus, quibus interfuerunt discipuli; præcipuè Hercules Vicecomes, Paulus Eufomia, & Rodulphus Syluester, tum à nobis conscriptis historiæ partibus, librum conflasse. Tentauerat id iam paucis ante annis, ex agnatis & discipulis meis Gaspar Cardanus professione Medicus: sed morte præuentus absoluere non potuit. Licuit & priuato homini, & Iudæo hoc ipsum absque repræhensione agere, vt si mihi non res adeo magnæ obtigerint: admiratione dignæ certè plures. Nec nos Galenum idem tentasse latet: honestius vt sibi visum est, quasi aliud agens sparsim, ignauia tamen factum est studiosorum, vt nullus classicus illam ordinare tentauerit. Nostra autem sine fuco, & non doctura quemquam, sed pura historia contenta, vitam non tumultus habet. Quales L. Syllæ, & C. Cæsaris, nec non Augusti, quos haud dubium est vitam suam scripsisse, ac gesta, vt fuerit hæc res exemplo veterum non noua aut à nobis excogitata.

CAPVT PRIMVM.

Patria & Maiores.



ATRIA mihi Mediolanum: oppidum, ex quo familia profluxit Cardanorum, xxiv. M. P. ab Vrbe distans: à Gallareato M. P. tantum septem. Pater Facius Iurisconsultus: Auus Antonius: Proauus alter Facius: Abauus Aldus. Facio primo fuere filij Ioannes, Aldus secundus, & Antonius auus. Antonio Gotardus, Paulus Iurisconsultus & Antistes, & Facius pater, ac Nothus, & ipse Pauli prænomine. Nunc extant ex eadem stirpe agnati mei xxx. prope. Seu ergo Cardanorum familia ipsa per se sit, seu, vt quidam putant, ramus Castillioneorum, certum est nobilem & antiquam fuisse. Ab anno enim MCLXXXIX. præfuit Vrbi nostræ Milo Cardanus, tam sacris quam profanis mensibus xcii. Et non solum ciuilibus causis, sed vt cæteri Principes capitalibus iudiciis: Et tum etiam aliis vrbibus quæ sub ea ditione erant, & regioni illi toti. Inter illas, autem fuit Comum. Sed hanc potestatem consecutus est Milo ab Archiepiscopo Cribello dum euasisset in Pontificem Vrbanum Tertium. Sunt etiam qui velint Franciscum Cardanum militiæ Mathæi Vicecomitis Ducem, ad nos pertinere. Sed Castillioneorum ex familia, sumus adhuc nobiliores Cælestino quarto Pontifice Maximo, ex eadem familia oriundo. Longæui autem fuere maiores nostri: Facij primi filij vixere xciv. lxxxviii. lxxxvi. Ioanni duo fuere filij Antonius qui vixit lxxxviii. annis, Angelus xcvi. hunc nos decrepitum pueri agnouimus. Aldo pnicus Iacobus, qui excessit lxxii. Gotardus patruus meus vixit lxxxiv. hunc nos vidimus, pater meus lxxx. annis. Cæterum An-

gelus ille fuit, qui filios prope lxxx. annum procreauit decrepitis similes (quorum vnus tamen adhuc viuit lxx. maior) & visum post lxxx. recuperauit; audio, & quosdam vidi ex illis, procerioris fuisse staturæ. Cæterum materno ex genere fuere Micherij, Clara mater, auus Iacobus, qui vixit lxxv. annis, frater eius Angelus cum essem puerulus, vt ex ipso audiui lxxxv. agebat. Communia patri, & paterno patruo, & auo materno, eruditio & singularis integritas. Sed patri & materno auo senectus magna, & Mathematicarum peritia. Idem maternus auus in carcere fuit parum diferenti ætate, qua ego, cum vterque lxx. anno. Fuerunt & quinque aliæ Cardanorum stirpes ab Aldina nostra, Antonioli an. M. ccc.lxxxviii. Gaspatini an. M.cccclx. Raynerij M.cccxci. Henrici antiquissima M. ccc. cuius descendentes Bertus & Ioannes Facioli quasi ætate pares: Et Guliermus qui quando floruerit incertum est, eius tamen filij Zolus, Martinus, & Ioannes qui Gallareate habitauit.

CAPVT II.

Natiuitas nostra.

Tentatis, vt audiui, abortiuis medicamentis frustra, ortus sum an. M.D.VIII. Calend. Octobris, hora noctis prima non exacta, sed paulo magis dimidia, & tamen besse minore. Erant autem figuræ loca principalia eiusmodi, vt in genitura viii. post finem Quadripartiti Ptolomæi diximus. Consideraui ergo quod luminaria ambo cadebant sub angulis, & etiam nullum eorum aspiciebat ascendens, quia erant in vi. & xii. poterant etiam esse in viii. cum hac conditione. Illa enim quia descendit, & non est angelus, dici potest cadens ab angulo, & licet maleficæ non essent in annulis, Mars tamen vtrunque luminare damnabat ob locorum odium, & cum Luna quadratum: ideò poteram esse monstrosus: sed quia locus coniunctionis præcedentis fuit virgin. xxix. cui præest Mercurius: Et neque hic, neque locus Lunæ, nec ascedentis est idem, nec aspicit virgin. penultimam partem, debui esse monstrosus: imò facile erat vt discerptus ex ventre matris prodirē, à quo parum abfui. Natus ergo, imò à matre extractus, tanquam mortuus, cum capillis nigris & crispis, recreatus balneo vini calidi, quod alteri potuit esse perniciosum, mater conflictata tribus perpetuis diebus in partu, superstes euasi tandem.

Cæterum vt ad rem tedeam, cùm Sol & maleficæ ambæ, & Venus & Mercurius essent in signis humanis, ideò non declinaui à forma humana: Sed cum Iupiter esset in ascendente, & Venus totius figuræ domina, non fui oblæsus, nisi in genitalibus: vt à xxi. anno ad xxxi. non potuerim concumbere cum mulieribus, & sæpius deflerem sortem meam; cuique alteri propriam inuidens. Et cùm Venus dominaretur, vt dixi, toti figuræ, & Iupiter esset in ascendente, factus sum abiectæ sortis: lingua parum blæsus, & addita est propensio (vt Ptolemæus ait) media inter frigidam & Harpocratiam, id est rapacem & inconsultam diuinationem: in quo genere (præsensionem honestiore vocabulo dicunt) non obscurè aliquando valui: similiter ac in aliis diuinandi generibus. Et quooiam Venus & Mercurius erant sub radiis Solis, illi vim vniuersam tribuentes, poteram & hoc modo aliquis euadere, quamuis cum Genesi adeò (vt Ptolomæus appellat) misera & infortunata, nisi Sol ipse prorsus fuisset abiectus, cadens loco sexto, & à sua altitudine. Remansit ergo sola quædam vafricies, & animus minimè liber: verùm omnia abrupta & interdicta consilia: vt vno verbo dicam destitutus corporeis viribus, cum paucis amicis, paruo patrimonio, pluribus inimicis, quorum maximam partem neque nomine, neque vultu agnosco, absque humana sapientia, nec memoria validus, sed prouidentia aliquanto melior: vt nesciam cur conditio quæ ad familiam & maiores contemptibilis censetur, gloriosa, imò inuidiosa apud eosdem sit. Hac die ortus est olim Augustus. Toto Romano Imperio noua Indictio incipit. Fettandus Hispaniarum Rex generosissimus, vxorque eius Elizabetha classem primum emiserunt, qua totum Occidentem adepti sunt.

CAPVT III.

Communia quædam quæ parentibus meis contigere.

Pater purpura vestiebatur, insolito ciuitatis more, quamquam capitium nigrum retinuerit, eratque blæsus in loquendo: variorum studiorum amator: ruber, oculis albis & quibus noctu videret; vsque ad extremum vitæ, vsu perspiciliorum non opus habuit. In ore illud semper ei erat, *Omnis spiritus laudet Dominum, quia ipse est fons omnium virtutum.* Iuueni ex vulnere capitis detracta fuerunt ossa, vt absque capitio diu manere non posset. Caruit dentibus omnibus à lv. anno supra. Erat Euclidis operum studiosus, & humeris incuruis: & filius meus natu maior ote, oculis, incessu, humeris, illi simillimus: sed lingua forsan ob ætatem, expeditior. Vtebatur amico vnico & familiari, sed satis dispari bus studiis Galeazio Rubro (familiæ hoc nomen erat) qui illi præmortuus est: Et Io. Angelo Saluatico Senatore, aliàs discipulo & contubernali. Similitudo morum & studiorum fabrum illi amicum effecerat: is enim est qui Archimedis cochleam inuenit nondum vulgatis Archimedis libris: Gladios qui plūbi instar flecterentur, & ferrum penè vt lignum scinderent: & quod maius fuit, thoraces ferreos (me spectante sæpius experimentum, eram autem adolescentulus) qui ictibus igneorum tormentorum militum legionariorum resisterent; adeò vt quintuplici ictui, vnus idem sufficerit: vixque rimulam, contraxit. Mater fuit iracunda, memoria & ingenio pollens, paruæ staturæ, pinguis, pia. Ambobus parentibus commune fuit iracundos esse, parum constantes etiam in amore filij: indulgentes tamen, adeò vt pater iuberet, imò iuberet, ne à lecto ante secundam diei horam absolutam surgerem: quod mihi ad vitam & incolumitatem magno adiumento

to fuit. Melior etiam (si dicere licet) visus est fuisse & amantior pater, matre.

CAPVT IV.

Vita ab initio vsque ad præsentem diem (finem scilicet Octobris, an. 1575.) enarratio breuis.

FOrsan hoc si Suetonius animaduertisset, addere ob commodum legentium poterat, neque enim, vt Philosophi dicunt, quicquam est, quod vnum non sit. Ergo natus Papiæ, primo mense, nutritium ipsa die qua ægrotauit (vt audiui) ex peste amisi: rediit mater; mihi carbunculi quinque in facie crucis in effigiem, superuenerunt, vt vnus, foret in nasi apice: Quibus locis post triennium, totidem tubercula (variolas vocant) renouata sunt. Mense secundo nondum expleto, Isidorus Resta Ticinensis patritius, me nudum balneo aceti calidi exceptum, tradidit nutrici: per illam delatus sum Moiragum (villa est vii. M. passuum distans à Mediolano, in via recta ex Vrbe nostra Papiam per Binasci oppidum:) ibi cùm venter obduruisset & intumesceret, corpus contabesceret, intellecta causa, quòd nutrix vtero gereret, meliori nutrici traditus sum, sub qua tertio anno ablactatus sũ. Quarto delatus Mediolanum, mitius tractatus sum à matre, & amita Margarita illius sorore (mulier cui fel defuisse existimo) nisi quòd & à patre & à matre sine causa verberatus, toties ægrotaui ad mortis periculum. Tandem septennis cum factus essem, (neque enim pater cum matre habitabat) tum primum cum meritò possem verberibus dignus haberi, à verberibus abstinendum decreuerunt. Sed mala sors minimè me deseruit, infortunium commutauit non sustulit; conducta enim domo, pater me, & matrem, & materteram secum traxit in domum: atque ibi iussus sequi patrem, tam molli corpore, ea ætate, à summa quiete, ad summam & assiduam exercitationem retractus, meritò in capite octaui anni, laboraui dysenteria cum febre: & erat morbus tum Epidimius, si non pestilens vrbi nostræ, & ego clam multam vuam acerbam deuoraueram. Itaque aduocatis Bernabone Cruceio, & Angelo Gyra, non prius in spem salutis redij, quàm cùm prorsus vt mortuum defleuissent vtrique parentes simul cum matertera. Ibi pater qui pio vir corde erat, diuinam B. Hieronymi vim experiri potius voluit (salutem meam illi voto commendans) quàm à Dæmone, quem palam familiarem habere se profitebatur, cuius causam nunquam exquirere recordatus sum: conualui dum Galli, deuictis in Abduæ confiniis Venetis, celebrabant triumphum, quem à fenestra spectare licuit. Tum remissa est cura comitandi patrem, & assiduus labor. Sed nondum ex satiata ira Iunonis, non planè restitutus ex morbo, cecidi è scala (habitabam autem in via quæ Maynorum appellatur) cum malleo, à quo pertusa frontis pars summa sinistri lateris, vulnusque acceptum non sine offensa ossis, vt cicatrix perpetua maneat, in hanc vsque diem. Vix conualueram ex hoc, sedebamque in limine domus: cùm lapis à vertice viciniæ altissimæ descendens, latus longusque vt nux, sed tenuis vt quasi corticalis dici posset, verticem sinistræ partis, vbi capilli frequentes aderant, vulnerauit. Sub initio decimi anni domum quasi infaustam pater commutauit, è regione in eadem via: vbi triennio toto mansi: Sed non mutata sors mea, nam rursus pater me vt seruum ducebat secum mira pertinacia, ne dicam sæuitia, vt diuino potius consilio, factum, ex his quæ post sequuta sunt credas quàm patris culpa: tum maximè quòd mater, & matertera simul consenserint. Longè tamen mitius mecum egit, nam nepotes duos interim, vnum post alium habuit, quorum seruitute leuior tanto mea facta est, si non irem secum, & minus molesta si simul comitarer. Pòst mutatis domibus, illi semper comes, tandem xvi. perfecto anno, iuxta pistrinum Bossiorum, in domo Alexandri Cardani, habitare cœpimus. Erant autem patri meo duo ex sorore filij, Euangelista ex ordine D. Francisci ætatis prope lxx. annorum: & Otto Cantonus Publicanus, ac diues: qui prius moriens, voluerat me hæredem ex asse relinquere, sed pater vetuit, dicens malè parta esse: Itaque arbitrio fratris sui qui adhuc supererat, bona distributa sunt. Anno exacto xix. contuli me in Ticinensem Academiam, cum Ioanne Ambrosio Targio, vbi sequenti etiam anno mansi, sed sine socio. xxi. peracto cum eodem rursum Papiam me contuli. Quo anno publicè disputaui, & professus sum Euclidem in Gymnasio: Dialecticam paucis diebus; tum & primam Philosophiam, primùm pro fratre Romulo Seruita, post pluribus pro quodã medico Pandulfo. Exacto xxii. anno mansi in patria, ob bella quibus regio nostra grauiter tenebatur. Post initium anni M. D. xxiv. contuli me Paduam, vnde forte fortuna sub finem anni, id est mense Augusti, cum Io. Angelo Corio Mediolanum me contuli, vbi patrem extremo morbo laborantem inueni, qui de mea potius quam propria salute solicitus, iussit redire Patauium: hoc ipso etiam lætior, quòd me lauream Venetiis adeptum in Artibus, vt dicunt, intelligeret. Vbi rediissem accepi literas illum obiisse, nona die à qua à cibo prorsus abstinuisset: mortuus est xxviii. Augusti, cœpit abstinere xx. quæ fuit sabbati. Sub anni xxiv. finem, factus sum Rector eius Academiæ: in fine sequentis Medicinæ Doctor, in priore vno suffragio bis repetita suffragatione, victor in secundo cum iam bis excidissem, xlvii. suffragiis contra me latis, nec esset vltra tertium experimentum locus superior euasi ix. contra me latis, cùm totidem solum pro me fuissent antea xlvii. ante approbantibus. Hæc tam & si parua esse non ignorem, eo ordine quo euenerunt retuli: vt mihi legenti (neq; enim aliis hæc scribo) voluptati essent, & simul hi (si qui etiã legere dignentur) sciant magnorum casuum obscura fore initia, & successus, seu quod aliis talia, sed non animaduertentibus accidere soleant.

Ergo mortuo patre, & peracto magistratu, sub initio xxvi. anni, contuli me in Saccense oppidum (abest id à Patauio M.P. x. à Venetiis xxv.) hortatu auxilioque Francisci Bonæfidei Medici Patauini: qui (cum nec illi beneficium contulissem, nec eius fuissem

auditor, quamquam publicè profiteretur,) summæ integritatis studio tantum, mihi addictus fuit. Mansi ibi dum Patria omni malorum genere vastaretur. Peste nempe atroci M.D.xxiv. & bis murato Domino: Anno M.D. xxvi. & M.D. xxvij, annonæ penuria exitiali, vix pecunia atramentum signatum, pro Cerere, redimi poterat: tributis intolerabilibus: Anno M.D.xxviii. morbis ac peste: quæ solum aliquanto mitius ferri poterant, quòd vniuersum depopulabantur: Anno M. D. xxix. redij in patriam bellicis infortuniis paululum remittentibus: tunc reiectus à Collegio, nil boni à Barbianis impetrare potens, matre etiam morosa, redij in meum oppidulum: sed non adeò integer vt abieram, molestia enim, laboribus, curis postmodum accedentibus tussi atque tabefactione, empyemate ex crudo humore fœtido, eo perductus sum, vnde nemo ad salutem redire soleat. Tum eo morbo solutus, voto B. Virginis: sub finem anni xxxi. duxi vxorem. Luciam Bandarinam ex oppido Saccensi. Quatuor autem ad hanc diem obseruaui actiones meas ante Plenilunium, non cogitando semper perfectas fuisse. Et tum in spem ingressum, vnde alij excedere soleant: Et vt dixi extremo in limite constitisse fortunam. Et irineta fere omnia ad lx. vsque annum mense Februario initium habuisse. Ea ergo post secundum abortum peperit mihi duos masculos & vnam medio tempore fœminam. Sequenti anno contuli me circa Aprilis finem Gallaratum, vbi mansi xix. mensibus, quibus sanitati restitutus sum. Et desij pauper esse, nam nil mihi relictum est. Mediolani ex humanitate Præfectorum Xenodochij magni, tum Philippi Archinti auxilio viri Illustris, & tum Oratoris insignis, profiteri cœpi publicè Mathematicas, xxxiii. annis iam perfectis, oblata est post biennium conditio Medicinam publicè profitendi Papiæ, non accepi, nam spes non erat vnde sumerem stipendiũ. Eo anno scilicet M.D.xxxvi. Placentiam me contuli, aduocatus litteris Antistitis Archinti (sed nondum factus erat Sacerdos) ad Pontificem nil peractum, solicitabat & Prorex Gallorum instante, vt audiui post, Illustri viro Ludouico Birago Duce peditatus Regis Gallorum in Italia: multã & magna offerebat (erat enim Brisaccus Prorex singularis in studiosos amoris & humanitatis) sed nihil actum est. Sequenti anno M.D.xxxvij, pactus sum cum Collegio, & exclusus planè: anno autem M.D. xxxix. tot non obstantibus receptus, præter omnium spem, Sfondrati auxilio & Francisci Crucci viri optimi. Post anno M. D. xliii. Medicinam Mediolani professus sum: sequenti autem cùm domus mea ruisset Papiæ Medicinam professus sum, (nullo licet concursore) sed pecuniæ non numerabantur; cessaui ergo anno xliv. peracto, mansique Mediolani cum filio natu maiore, qui tum agebat annum xi. filia ix. explebat: Aldus bimus erat; cùm Moronus Cardinalis (quem honoris causa nomino) æstate anni M.D.xlvi. conditiones non aspernandas obtulit; at ego qui, vt dixi, Harpocraticus sum, dicebam summus Pont. decrepitus est: mutus ruinosus, certa pro incertis derelinquam? neque ego tum Moroni probitatem, nec Pharnesiorum splendorem intelligebam, eram etiam insinuatus ab anno M. D. xlij, in amicitiam Principis Istonij, qui aliquid dedit, plura dabat quæ nolui accipere. Sed post æstatem redij ad profitendi munus; & sequenti anno instante Andrea Vesælio viro clarissimo, & amico nostro, oblata est conditio D. ccc. Coronatorum in singulos annos à Rege Daniæ, quam recipere nolui cùm etiam victus impensam suppeditaret, non solum ob regionis intemperiem, sed quod alio sacrorum modo consueuissent: vt vel ibi malè acceptus futurus essem, vel patriam legem meam maiorúmque relinquere coactus. Peracto L. anno quòd stipendium non numeraretur, mansi Mediolani: sequenti mense Februarij M. D. lii. oblata est occasio eundi in Scotiam, accepique antequam discederem aureos coronatos Gallicos Sco, & M. cc. in reditu, absui cccxi. diebus, poteram si manere voluissem multo maiorem summam recipere: ab anno M. D. liii. in Calendis Ianuariis vsque ad annum M. D. lix., ad Calendas Octobris Mediolani moram traxi. Sed oblatas maiores conditiones tenui, vnam Regis Gallorum, metui Cæsarianos offendere cum inter eos Principes desæuirent bella: aliã paulo post cùm rediissem à Mantuæ Principe, patruo illius, intercedente D. Ferrando: aliam ante hanc locupleriorem, sed nimis dissitam, cum Scotorum Regina, cuius leuirum curaueram; & tamen spe sanitatis adipiscendæ. Post cum sanassem experimento, & gratia inductum. Anno igitur M.D lix. cùm Papiam accessissem, ibi paulo post occasio nata est mortis filij: Duraui tamen vsque ad annum M. D. lxii. Et tunc Bononiam vocatus adij, & munere continuato vsque ad annum M. D.lxx. Pridie Nonas Octobris detentus sum in carcere: vbi præter libertatem amissam, omnia fuere ciuiliter administrata. xi. Calendas Ianuarij M.D. lxxi. hora & die simili qua detentus fueram, scilicet Veneris, & sub crepusculo nocturno, redij domum, sed ita vt domus mihi carcer esset. Itaque vt prima mora fuit lxxvii. dierum ita in domo lxxxvi. vniuersa clxii. mansi eodem anno, vsque ad exitum lxx. anni mensis Septembris in fine: inde veni Romam die pugnæ contra Turcas celebratæ, Nonis Octobris. Nunc vero exactus est, ab ea die ingressus in Vrbem annus quartus, à carcere quintus, ex quo vt priuatus dego, nisi quod Collegium Romanum Idibus Septembris me recepit, & Summus Pontifex pensionem exhibet.

CAPVT V.

Statura & forma corporis.

STatura mediocris: pedibus breuibus, latis prope digitos, dorso eorum altiore, adeo vt vix calceos congruentes inueniam, cogererque antea illos instituere: pectore angusto aliqualiter: brachiis admodum tenuibus, dextra manu crassiore, digitisque incompactis, vt chiromãrici rudem esse pronunciarint ac stupidum: inde vbi norunt puduerit. In

ea linea vitæ breuis,& Saturnina vocata longa & profunda: sinistra autem pulchra, oblongis digitis, & teretibus ac compactis: vnguibus splendidis: collo aliquantulum longiore, & tenuiore: mento diuiso, labro inferiore crasso & pendulo: oculis valde paruis, ac quasi conniuentibus, ni quid intentius aspicio: super palpebram sinistri oculi macula lenti paruæ similis, vt nec facile deprehendi queat: fronte latiore, & in lateribus vbi temporibus iungitur capillis nuda, quorum colot & barbæ flauus erat, detunsos soleo crines ferre, & barbam breuem quæ vt mentum bifida erat: pars tota sub mento pilis abundabat longis, vt ibi magis barbatus viderer. Senectus barbam mutauit, capillos parum: Sermo altior adeò vt reprehenderer ab his qui se amicos mihi simulabant: vox aspera, magna, & quæ tamen profiteodo non procul audiretur: sermo non admodum suauis & nimius: intuitus fixus quasi cogitantis, dentes superiores anteriores magni: color ex albo tubet: facies oblonga, non multum tamen: caput retro in angustum desinit, tanquam in sphærulam exiguam. Adeò verò nil rarum est in nobis vt pictores plures qui ex longinquis regionibus venerant, me delineandi causa, nihil inuenire potuerint, quo exprimere ita possint vt ex pictura dignoscerer. In gutturis parte inferiore tumor velut sphætula dura, non admodum conspicua, à matre hereditaria, & deriuata.

CAPVT VI.

De Valetudine.

INfirmo statu corporis plurifariam fui, natura, casu, symptomatibus. Natura enim caput laborauit defluxionibus, modo ad ventriculum, modo ad pectus, adeò vt tum maximè sanum me existimem, cùm tussi raucedinéque laboro: nam cùm ad ventriculum defluit, fluxum ventris, abominationem cibi efficit: nec semel credidi veneno me tentatum, sed post modum ex insperato salus redibat. Alia destillatio fuit ad dentes, per quam ab anno M. D. laiii. cœpi amittere illos confertim, antea non nisi vnum aut duos. Nunc adsunt xiv. & vnus infirmus: sed qui diu durabit, vt reor, multum enim profuit auxilium. Cruditas præterea & ventriculi imbecillitas. At ab anno lxxii. supra, cœpi cum aliquid plus comederim, aut biberim, vel importunè assumpserim, aut quod parum vtile ventriculo, lædi: Auxilium ex secundo de Tuenda sanitate docui. Adfuit & palpitatio cordis in iuuenta, hæreditaria à qua prorsus liberatus fui arte medica. Hæmorrhoïdes etiã & podagra à qua firmiter adeò liberatus sum, vt sæpius quæsierim, non venientem reuocare, quàm cum aduenerit depellere. Enterocele item, hanc primùm contempsimus: postmodum à lxii. anno supra pœnituit satis non obuiam iuisse, tum maximè cum animaduerti illam fore hæreditatiem à patre: In qua illud contigit admiratione dignum, quod cùm ab vtroque latere cœperit, neglecta in sinistro, sponte, ac plenè sanata est: in dextro, diligentius per vincula & alia curata, inualuit.

Vexatus quoque perpetuò morbis cutaneis ac pruritu: modo his, modo illis. Inde anno M.D.xxxvi. (quis credidisset?) correptus fluxu vrinæ, & magno etiam, cum annis penè xl. laborem eodem, à lx. vnciis ad centum in singulos dies, viuo, nec contabesco (inditio annuli iidem) nec sitio: & multi eodem anno hoc malo correpti adiutore nullo, longè plus perdurarunt, quàm qui Medicorum opem quæsiere. Decimum vigilia anniuersaria penè octo dierum; vere, æstate, autumno atque hyeme: vt penè totus mensis si quando minus, absumatur in anno, & duo quandoque. Hanc cibi abstinentia in qualitate & duritie, non in quantitate curare soleo, nec vllo anno intermisit.

Morbi autem qui casu superuenerunt, Pestis secundo mense à quo natus sum, inde xviii. anno seu peracto seu currente, non satis memini: nisi quod Augusto mense accidit, & quod tribus diebus fere sine cibo permansi, suburbia & hortos circundans, vesperi redibam domum, apud amicum paternum Augustinum Lanizarium, edisse, mentiens: quantum verò toto eo triduo aquatum hauserim non dico: vltima cùm non possem dormire, cor maximè palpitabat, febris magna, videbar in lecto esse Asclepiadis, in quo perpetuò ascenderem impulsus, atque descenderem: tum existimaui me ea nocte interiturum: interim somno deprehensus, antraeéque abrupto, qui superiori dextri lateris spuriæ costæ incumbebat: materiáque ab initio pauca & nigra eiecta, forte ob impositum medicamentum patrium, quod etiam singulis diebus quater deuorabam, sudor fluxit tantus, vt lecto superato, per tabulas in terram defluxerit. Vigesimoseptimo anno correptus sum tertiana simplici: in quarta & septima deliquio animi, eaque die liberatus sum. Anno xliv. Papiæ primum podagra lv. febre amphimerina, quæ durauit xl. diebus, crisi per vrinam cxx. vnciarum liberatus sum, xiii. die Octobris anni M.D.lv. Anno M.D.lix. quo Papiam reuersus sum coli dolore per biduum.

At symptomata fuere varia, primùm à septimo anno ad xii. penè vsque surgebam noctu, clamabam, sed nil explicitè: & nisi mater & matertera inter quas dormiebam me apprehendissent, sæpius præcipitatus essem: tamen cor saliebat, ex compressa manu breui subsidebat, id enim flatus proprium est. Eodem tempore, sed durauit ad annos xviii. si obuiam iuissem vento præsertim frigido, inspirare non poteram; verùm retento spiritu vbi animaduertissem cessabat. Eodem tempore, ab hora qua me contuleram in lectum, vsque ad sextam exactam, à genibus infra nunquam incalescebam: Vnde mater præcipuè inter alias, negabat me superfuturum diu. Præterea singulis noctibus, vbi incalueram, sudabam totus sudore copioso & calidissimo, vt qui audiebant non crederent. xxvii. anno in duplicem tertianam incidi, quæ soluta est septima die. Post in amphimerinam annu liv. quæ durauit xl. diebus. Anno lvi. mense Nouembri, ex modici aceti scillitici potu, correptus sum dysuria, valde acri, ieiunaui primùm xxxiv. horis, post aliis xx. & sumpsi abietis lacbrymam, & euasi:

Fuit mihi mos (de quo plures admirabantur) vt causas doloris si non haberem, quærerẽ, vt dixi de podagra: Vnde plerumque causis morbificis obuiam ibam (vt solum deuitarem quantum possem Vigilias) quòd arbitrarer voluptatem consistere in dolore præcedenti sedato: Si ergo voluntarius sit dolor, facile sedari poterit: Et quoniam experior me nunquam posse prorsus carere dolore, & si modo contingat, subit in animum impetus quidam adeò molestus, vt nihil possit esse grauius, vt multo minus malus sit dolor, aut doloris causa, in qua nulla prorsus inest turpitudo, periculumve. Itaque ob hoc morsum labij, & digitorum distorsionem, & compressionem cutis, ac tenuis musculi brachij sinistri vsque ad lachrymas excogitaui; quo præsidio sine calumnia adhuc viuo. Natura, alta loca timeo quamquam latissima: & ea vbi suspicionem rabiei canis habuerim. Laboraui interdum etiam amore Heroico, vt me ipsum trucidare cogitarem; verùm talia etiam aliis accidere suspicor: licet hi in libros non referant. Demum in adolescentia, tentatus sum circiter ad biennium vsque, carcinomatis suspicione: & forsan initium in mammilla sinistra, erat tumor ruber, fuscus, durities, morsus; hanc sustulere prope iuuentam varices, quas in iuuenta subsecuta est, vt dixi palpitatio cordis; à qua hæmorrhoïdes multo cum sanguine, & pruritus ille ac sordities cutis, ac planè ita præter spem aut curam vllam leuatus sum; quamuis quædam ex his auxilio sustulerim: natura commotante massam morbi.

CAPVT VII.

De Exercitatione.

AB initio, omni genere meditationis gladiatoriæ operam dedi, adeò vt apud istos præferoces, in aliquo numero essem, ludebam gladio, & solo, & cum scuto oblongo, & rotundo magno, & paruo: & cum pugione ac gladio, sarissa, hastis, tum vero gladio, & pallio satis commodè insiliebam equum ligneum: Noram inermis eripere habenti pugionem euaginatum: cursu saltu me exercebam, satis validus in hoc, nam brachiis minus ob exilitatem. Equitandi, natandi, exonerandi machinas igneas parum confidens: ad eo vt fulmina quasi Deorum iram perhorrescerem. Eram enim natura timidus, artis peritia fortis: vnde & in numerum militum tumultuariorum adscriptus sum. Noctu etiam aduersus decreta Principum, armatus inambulabam vrbes, in quibus degebam. Die armatus incedebam soleis plumbeis ponderis octo librarum, noctu velo laneo nigro facie tectus, calceis ex Endromide. Exercebar multis diebus à summo mane ad vesperam vsque armatus, sudoréque madidus operam dabam musicis instrumentis, nocte tota sæpe ad diem vsque vagabar. Vbi Medicinæ operam dedi, equis & mulis vectus sum: sed pedibus magis, ab anno M. D. lxii. carpento vehi cœpi Bononiæ, Romæque, atque in hoc persto: mane exeo carpento, pedibus redeo: leuioribus vestibus à prandio, grauioribus perpetuo dum vehor.

CAPVT VIII.

Victus ratio.

DEcumbere horis decem, dormire si bene valeo & rectè, octo, si malè quatuor aut quinque, surgere hora diei secunda: si vigilia torqueret, surgebam, & deambulabam circa lectum, cogitabam de Orochilia, abstinebam à cibo, vel plusquam dimidio: medicamentis parum, præterquam populeonis vnguento vsus sum, vel vrsi adipe, aut oleo nymphearum quibus inungebantur loca xvii. femora, pedum plantæ, ceruix, cubiti, carpi, tempora, iugulares, cor, iecur, superius labium. Matutina vigilia distorquebar nimis, & prandium semper cœna minus fuit: cùm post L. annum, mane contentus fuerim pane ex iure, & ab initio etiam ex aqua, & vuis Creticis magnis Zibibis appellatis. Post variè egi: nil minus tamen quàm vt vitello oui cum panis vnciis 2 aut parum plus, modicoque vini meri, aut sine, prandium exigerem. Vel si dies sit Veneris aut Sabbati pane ex iure chamarum, vel astacorum tentaui carnis modicum, nihil melius vitulina solida, in olla cocta absque liquore vllo, verum dorso gladiorum diu verberata, inueni: huic acquieui, destillare solet per se iotinctum, quo nullus melior, est enim multo humidior; pinguiorque ipsa carne assata in veru. In Cœna ferculo vtor maximè ex beta, aliquando oriza, acetario ex cichorea, sed magis placet sonchus spinosus latiore folio, ex cichorea candida radix. Piscibus vescor libentius quam carne, modo boni atque recentes. Carnes solidas amo (& sumen vitulinum & apri) assatas, & subtiliter detritas tenuissimis gladiis, placet ignis. In Cœna dulci vino, & nouo delector ad quantitatem semi libræ, aquæ duplum, & plus etiam: delector maxime alis Gallinaceorum iuuenum, iecoribus Gallinarum, & Columborum turritorum, totáque parte sanguinea. Astacorum etiam fluuialium vsu oblector, quòd mater dum essem in aluo tam auidè comederit: item Chamis atque Ostreis. Præterea libentius & maiore cum vtilitate piscibus, quàm carnibus vescor: soleis, passeribus, rhombis, gobiis, testudinibus terrestribus, laschis, tum trigliis seu mullis: caponibus seu cuculis, coruis, merluciis, id est, asellis: spigola, id est, lupo, laterinis, atherinis: vmbrina, vmbra. Ex dulcibus autem aquis, Luciis, Cyprinis, Persicis, vtrisque laschis, id est, sargonibus: Cauedenis, squalis: Tarantela, Thymnis, Halecibus salsis, mollibus, ac duris magis. Mirum quod Thelinas, id est, chamas vt suaues edamus, & sanas Gongolas seu Conchas vt venenosas fugiamus. Item limaces nisi purgatos: placent astaci dulcium aquarum, & cætera crustata: salsarum nimis dura sunt, Anguillæ, Ranæ, fungi etiam maligna. Gaudeo dulcibus melle, saccharo, vuis pensilibus, maturis, peponibus postquam illorum intellexi Theriacam, Ficubus, Cerasis, Persicis, Sappa. nec ab vllo horum læsus vsque in præsentem diem. Oleo supra modum delector, & sale misto, ac mollibus Oliuis: ab allio etiam iuuor, sed

ruta

ruta alexipharmacum non solum ad custodiam, sed ad omnia veneficia, proprium mihi semper fuit iuueni atque seni, vtile etiam expertus sum absynthium Romanum. Veneri neque immoderatè incubui, nec ex superfluo vsu multum læsus sum: nunc tamen manifestè ventriculum labefactat; piscibus in craticula viliorihus; modo recentibus, mollibus, carne alba delectatus, non sine commodo sum. Ouillum caseum valde pinguem non aspernor. Cyprinum à iii. libris ad vii. sed selectis pastibus, omnibus præfero eduliis. Ex piscibus magnis summo caput & ventrem, ex paruis dorsum & caudam. Caput semper elixum, & in magnis partes reliquas, aut in craticula: molles frixos aut non multum elixatos. In quadrupedibus alba meliora, sanguinea duriora cor, iecur, renes: pulmo mollior: extrema parum nutriunt. In quibus rubra præter cor mollia: alba mediocria, præter testes, qui sunt molles: liuentia duriora. Summa rei genera septem, aër, somnus, exercitatio, cibus, potus, medicamenta, medium: Species quindecim, ex aëre, somno, exercitio, pane, carnibus, lacte, ouis, piscibus, oleo, sale, aqua, ficubus, ruta, vuis aut acri cœpa. Præparatoria quindecim, Ignis, Cinis, Balneum, Aqua, Patina, Sartago, Veru, Crates, Pistillus, Gladij acies, Dorsum: Tyroceneftis, Petroselinum, Rosmarinus, & Laurus. Exercitationes Rota Molettina, Deambulatio, Equitatio, Pila parua, carpentum, spataria nota armorum fabris, Equitatio, sella, Nauigatio, Politura Chartarum, Frictio seu lorio, Quindecim. Verum vt in sacris, rem ad pauca, profunda cogitatione, & splendida ratione redegi: nam sine splendore quædam tibi minus aperta videbuntur, quæ sunt clarissima. Quinque sunt quæ modice non nisi seni sumenda sunt: Panis, pisces, caseus, vinum & aqua: duo vt medicamenta mastix, & coriandrum, sed ex multo saccharo: condimenta duo crocus & sal, hoc & clementum; quatuor medioctiter: sunt enim alimenta caro, vitelli ouorum, zibibum, & oleum: quod & clementum abscondirum, & proportione respondens stellarum elemento ignitum.

CAPVT IX.

Cogitatio de nomine perpetuando.

Perpetuandi nominis rationem, & votum, tam cito inij quàm serò spectare potui: namque haud dubiè duplicem esse intelligebam vitam, solidam, & communem animalibus ac stirpibus: Et propriam homini gloriæ atque actorum studioso. Verùm in prima naturam defuisse, votum reliquisse; in altera nihil fore quo sperare deberem, non opes, potentiam, firmam valetudinem, robur, familiam, industriam aliquam propriam: non saltem vel linguæ Latinæ peritiam, non amicos, non quicquam in parentibus nisi miserum & abiectum. Post aliquot annos, somnio in spem huius secundæ iniectus sum: modum tamen non videbam, nisi quantum miraculo ad intelligendum Latinam linguam adiutus fui. Verùm reuocatus ratione ab huiusmodi desiderio, vt nihil inanius ea spe, nedum voto solo animaduerterem. Scribes, inquam, quomodo legenda: Et de qua re præclara, & adeò tibi nota vt desiderare legentes possint? quo stylo, qua sermonis elegantia, vt legere sustineant? sit vt legant? nonne æuo præterlabente, in singulos dies fiet auctio, vt prius scripta contemnantur, nedum negligantur? At durabunt aliquot annis? quot? centum? mille? decies mille? ostendo exemplum, vel vnum inter tot millia? Atque omnino cum desitura sint etiam, si per reditus Mundus renouaretur, vt Academici volunt non minus quam, si vt initium habuit, & finem accepturus est, nil interest, an post decimam diem, an decem millia myriadum annorum? Nihil vtrunque, & ex æquo ad æternitatis spatium. Interim tu discruciaberis spe, metu torquebéris, laboribus eneruaberis? quicquid vitæ est reliquum suauis amittes. O egregium inuentum? Sed tamen Cæsar, Alexander, Annibal, Scipio, Curtius, Herostratus etiam cum vitæ dispendio, cum summa infamia, cum cruciatu maximo, hanc spem cunctis prætulerunt? sit ita: cùm nihil sit: tamen ad metam iam prope accesserant: rationem illam Philosophorum non viderant: multo minus inierant; iam multa ad hoc parata habuerant: Et tamen quis negat stultos prorsus fuisse? vt etiam ex illa Ode 29. lib. 3. *Tyrrhena regum progenies*, ipsius Horatij iudicio dignoscitur. Placet illud

Ille potens sui
Lætusque deget: cui licet in diem
Dixisse, vixi, cras vel atra
Nube polum, pater occupato,
Vel sole puro; non tamen irritum
Quodcunque retro est efficiet, neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

Concluserat autem rem prius paucis, dicens: Quod adest memento componere æquus. Id est præsentibus rectius quam potes dispositis vti. At Cæsari, atque Annibali, & Alexandro hoc fuit consilium, proprium nomen pro vita producere: simulque familiæ, & suorum tum etiam Vrbis, aut Prouinciæ, atque interim gaudere partis: Fac vt inde potiri sint. At qualis finis? Sylla veterum omnium labores, & quæcumque ante se, ac miracula perdidit: vnusquisque sequentium familias ac suos: namque Iuliorum familia, prorsus à Commodo Imperatore sublata est, dum adulterinus tot modis Princeps, suspectum habet quodcunque legitimum germen. Similiter & patriam perdidit. Vbi nunc enim Romanorum Imperium? ridicula res & inaudita, in Germania. Quanto igitur melius fuisset superesse Iulios adeò claros, Æneæ stirpem? Romanos orbis Dominos esse, quàm vanis istis nominibus, laruas stuppeosque homines decorari? Itaque si perpetua est anima, quid opus est vanis nominibus? si interit: quid prosunt? si Generatio finem habitura est, finientur hæc omnia, supererunt que eo modo quo lepores & cuniculi? Ergo nil mirum est, me illo amore coactum flagrare; at nunc mirum est, his intellectis posse, & tamen manfir hæc stolida cupiditas. Nam Cæsaris & illorum stultum

fuit consilium : at cupiditas mea gloriæ, inter tot & aduersa, & impedimenta, stolida non tantum stulta. Non tamen vnquam concupiui gloriam aut honores : imò spreui, cupetem notum esse quod sim, non opto vt sciatur, qualis sim. De stirpe scio quàm inuoluta sit res, & quam parum prospicere illi possimus. Itaque quàm licuit vixi mihi : & in aliquam spem futurorum, præsentia spreui. Ergo si aliqua est excusatio propositi nostri, ea esset, vt intermedio tempore, qualicunque modo possem, superessem. Hæc enim videtur honesta, quæ & si nos fallat spes, votum tamen naturale cum sit, laude dignum est.

CAPVT X.

De Vita instituto.

IVxta hoc igitur, vitæ genus mihi institui, non quale volui, sed quale licuit: neque quod debui elegi, sed qoale opinabar fore melius : nec vnum & constans cum omnia sint periculosa, dura, & imperfecta : sed quale opportunum vnoquoque tempore visum est: vnde factum est vt aliena metientibus, varius habitus sim, imò vt dixi inconstans; vbi enim nulla est certa vitæ ratio, necesse est illos, multas tentare, & per varios anfractus procedere. Finis fuit perpetuitas qualiscunque, vt dixi, haberi posset : non opes, non desidia, honores, magistratus, potentia, verùm hoc votum, & successus, & casus, & æmuli, & temporum conditio, & ignorantia mea interpellant, & mihi sanè nullus apparatus ad has res: Et Astrologiæ cognitio quam tum habebam, & vt mihi videbatur, & omnes aiebant, me non excessurum xl. vitæ annum, certè non ad xlv. peruenturum, multum obfuit. Ego interim partim necessitate, partim offerentibus se voluptatibus quotidie, cùm rectè viuere deliberarem, delinquebam. Negligens ob malam spem res ipsas: in deliberando aberrabam, & frequentius in opere peccabam. Donec eo deuentum est, vt qui finis vitæ futurus credebatur, viuendi initium fecerit xliij. scilicet annus.

Itaque à voluptate initium sumpsi ætate, natura, curis præteritis, & occasione suadentibus. Manè si profitendum esset, vt Mediolani primùm, post Papiæ longè sæpiùs profitebar : Inde deambulabam in vmbra extra vrbis mænia : prandebam, Musicæ post operam dabam : inde piscatum ibam iuxta lucos, & syluas paulum ab Vrbe distantes: studebam, scribebam, vesperi domum me recipiebam : perdurauit hoc tempus annis sex, sed hei: *Fulsere quondam candidi tibi soles.* Dixit ille : Ingressus post longum illud iter atque honorificum : sed valeant lucra, honores, ambitus illi, intempestiuæ voluptates : perdidi me, perij, creuerunt difficultates atque molestiæ : velut vmbra taxi, vt ferunt : nullum iam restabat solatium, nisi exitiale : sed in hoc genere beatitudo esse non potest, nam secus tyranni qui à beatitudine plurimom absunt, forent beatissimi. Itaque vt taurus iunctis oculis furens, dum maiore impetu fertur, necesse est vt impingat, & ruat. Impegi igitur ac rui: Interim & ante hæc, calamitas illa de filio natu maiore accidit. Confessi sunt quidam è Senatu (sed puto non de scipsis intelligi voluisse) ea spe damnasse illum, vt dolore interirem, aot insanirem, ab vnoque quam parum abfuerim, Snperi norunt (& ego suo loco enarrabo) sed non successit. Volo vt intelligas (nam Parerga adiuoctum est) quæ tempora, qui mores! nam certus sum me neminem ex illis offendisse, ne vmbra quidem. Meditatus ergo sum defensionem qualemcumque pro filio illo : sed qui valere poterat, tam exulceratis quorumdam animis ? Ego memoria doloris filij perculsus, immioentium attonitus, præteritorum eneruatus, futurorum anxius; sic tamen exorsus, vt commemora rem Seoatus humanitatem, æquitatem, misericordiæ exempla; laudabatur eius benignitas ac simul factum Io. Petri Solarij tabellionis, qui cum filium spurium conuictum haberet de veneficio, in duas sorores legitimas, solum hæreditatis consequendæ causa, satis habuit damnasse illum ad triremes. Laudatur Augustus in interrogatione, Non tu patrem occidisti? Deinde quæ sæuitia occidere patrem innoxium, & decrepitum in filio ? si dignus habitus est pater beneficio damnati ad bestias, quanto magis in alterius facto? Quid possunt merita humani generis, si singularis virtus innocentia, tam crudeliter plectatur? An non maius est plectere patrem supplicio filij, quàm proprio ? si occidar vnus perit : paulò pòst sine alio fructu moriturus: si filium occiditis, spem soccessionis amputatis : Fingite totum humanum genus vobis supplicare pro filio eius, cui omnes debent : adolescente irato, tot incommodis laboraote, dedecore summo affecto, decepto, propter vxorem sine dote : mulierem corruptam sine pudore, patre inuito & inscio conductam, quid facturi estis? At oon supplicant, non norunt? nemo est tam acerbus meus aut illius hostis, qui noo vltro sit condonaturus vitam illi, cuius mors, etiam inferos ad commiserationem sit prouocatura. Hæc & alia huiusmodi cùm protulissem, non valere tamen, nisi eousque, vt decretum sit, si impetrare pacem potuissem, vitæ parceretur. Sed non potuit filij stultitia, qui dum iactat opes quæ non sunt, illi quod non erat exigunt. Sed mittamus hæc: in eo instituto à prima ætate mansi, vt vitæ consulerem : studia autem Medicinæ, magis huic proposito conducebant, quàm legum : & vt propiora fini, & vt orbi communia toti : Et omoibus sæculis : tamen vt candidiora, ac quæ rationi (æternæ naturæ legi) non hominum opinionibus inniterentur: ideò hæc ipsa amplexatus som, non Iurisprudentiam. Tum præcipuè, quòd, vt dixi, amicorum huiusmodi amplexus, opes, item potentiam, atque honores, non solum aspernater, sed refugerem. Verùm pater cùm deseri studia à me Iurisprudentiæ, vt Philosophiam sequerer animaduertit : fleuit me præsente, indoluit quod non eisdem studiis incumberem : nam nobiliorem disciplinam (& id sæpe ex Aristotele iactabat) arbitrabatur, quæ esset ad opes & potentiam aptior : tum etiam ad totam familiam euehendam : Quod munus profitendi institutiones in vrbe ipsa cum hono-

rario

ratio centum coronatorum, quo iam tot annis gaudebat, non in me (vt sperauerat) transiturum intelligebat: sed alium hac in causa successurum videret. Nec eius commentaria peruentura essent, nec à me illustranda forent, Illuxerat enim paulò ante spes quædam gloriæ, quòd cum emendasset commentaria Ioannis Cantuatiensis Episcopi in Opticam seu Perspectiuam, carmen typis euulgatum sit huiusmodi.

Hoc Cardana viro gaudet domus: omnia nouit
Vnus: Habent nullum sæcula nostra parem.

Quòd potiùs augurio quodam fuit illis, qui laboribus suis profecturi essent, quàm ipsi, qui vltra Iurisprudentiam, quàm satis vt audiui insigniter excoluit, in Mathematicis solùm rudimenta tenuit, nihil noui excogitauit, nil ex Græca lingua transtulit: Quòd ei potiùs ex varietate studiorum, & inconstantia propositi accidit, quàm quòd naturæ muneribus destitueretur: aut ignauiæ, vel iudicij defectu, quorum vitiorum nullo laborauit. Ego autem tum voto firmo proposito, tum rationibus adductis, tum quòd parum illum etiam absque impedimento profecisse viderem, & alias etiam ob causas, immotus ad illius adhortationes mansi.

CAPVT XI.

Prudentia.

Melius est nonnunquam, etsi non tam bene eligas, in proposito persistere, quàm optimè eligendo postmodùm variare: Et si aliud non esset quàm alacritas studiorum & humanarum rerum inconstantia, fluxus atque inanitas: Itaque constituta mihi difficillimæ rei ratione, vt simul de meipso, & de prudentia agerem, intellexi non solùm alia, sed & hoc ipsum facillimum esse. Primùm quòd cum sint varij rerum fines, variique eligant quæ magis placent, tot sint modi, casus, sobiecta, occasiones, vt ne quis meritò me reprehendere audeat, nisi qui se meliùs nostra tenere quàm ego, atque propositum (quod omninò esse non potest) profiteatur. Eo adhuc supposito, quis modus melior adipiscendi, & si liceat. Et hoc maius est cogitatione nostra: inde quis commodior? Post quis retinendi adeptum? Demum quomodo adepto vti liceat? Iam ab initio testatus sum, quàm parum valuerim in ἀβουλίᾳ seu φρονήσει, nam & si hæc prudentiam solum significent, idem tamen est ac si dicamus (humana prudentia) quòd nulla res sit quam sciamus, prudentiam quæ habeat, præter homines solos. Diui enim aliquod melius habent scilicet intuitum, animalium cæterorum nullum: De Harpocratica cum aliud genus sit, sermo non est: igitur res prudentiæ ita se habuit. Specie autem aliis aliud visum est, omnia ab ingenio suo metientibus: verè humanæ illius mansuetudinis atque sagacitatis parum habere, habuissèque me intelligo: quod parum etiam, proposita à nobis supra, vitiarunt,

CAPVT XII.

Disceptandi & profitendi studium.

Tanto ardentior & efficacior in hoc fui: Bononiæ fermè semper extemporaneè professus. Inde quibus cum disputaturus essem, non audebant, & triduana illa disceptatio Papiæ cum Camutio instituta, publicata apud Senatum: ipse primo argumento primæ diei siluit: vel iudicio etiam omnium æmulorum qui intererant: Habentur eiusdem imagines quædam typis excusæ in Camutij monumentis: Adeò verò hoc notum fuit omnibus, vt non iam de argumenti subiecto, sed de vi quæ inexpugnabilis videbatur disputarent: & adhuc credo viuat ea disceptatio: Branda vt dixi præceptor meus arti & ingenio tribuebat: æmuli Dæmoni: alij magis verisimili coniectura, meliori cuidam causæ ac perfectiori. Neque enim Mediolani, aut Papiæ, vel Bononiæ, neque in Gallia, nec Germania ab annis xxiij. citra, aut contradictorem, aut disputatorem inueni: nec ego glorior de hoc; nam puto si lapis essem, idem facturi essent. Non hoc enim est naturæ meæ vel excellentiæ priuilegium, sed illorum qui congredi debent, tenebrarum, nec si delphinem sæpia inuoluat, & fugere cogat, gloriosum sæpiæ esse debet: sed conditio natalium. Angelus Candianus coram multis eruditis, cùm argumentatus esset, & ego respondissem: inde vellem vicem ei reddere, non erubuit dicere. *Ego me velle argumentari testatus sum, non tibi respondere.* Et erat Medicus eruditissimus, qui ptimas apud Principem nostrum in patria, & apud Pannoniæ Reginam in Belgio obtinuerat partes: vir maximæ authoritatis, & si quid ad rem facit, opulentus. Vnde cùm profiterer simplicitatem, & imperitiam, multi dicebant de vno scimus te mentiri, & esse peritissimum, de altero dubitamus, cùm non videamus, quorsum tendat verbum illud de imperitia? & maximè ab homine qui professus sit toties, nunquam mentiri. De profitendi exemplo inimitabili, iam desiit esse mirum, quod in positiuo est (vt Grammatici dicunt) cum in superlatino factum sit familiare. Nec experimentum videre velle tentarunt, nec desiit esse Sol cum obducta est nubes profunda. Nec discruciari debes, cùm tibi tot egregia lumina sint in cubiculo, si qui foris sunt nolint videri: neque enim timendum vt res diuina intereat; nam flores exorientem Solem adorant, Garamantes execrantur: vbique enim non solùm diuina prouidentia est, sed vis æterna lucet. Porrò de profitendi munere extemporaneo non solùm semper præstiti, sed alios etiam docui; Et cùm tantus in his videri potuerim; neque in sermone gratia, nec in perorando facultas, vt quicquid additum ex vna parte putes, tantumdem ex altera ademptum videas. Namque in disputando adeò acris fui, vt omnes mirarentur exemplum, deuitarent experimentum: itaque vacuus ab hoc onere diu vixi, sed non magis, quàm cum duos vidissent præter spem casus: vnum Papiæ, inseruerat se Branda Porrus præceptor olim meus in Philoso

losophia, disputationi ordinariæ, quàm cum Camutio habebam in Philosophia: namque vt dixi sæpius ad eam me trahebant, existimantes in Medicina nullam superesse gloriæ spem, adducebatque Aristotelis autboritatem: tum ego, cùm referret verba, dixi, *caue, quia deest (non) post album, & est contra te,* exclamauit Branda, non profectò, ego meo more pituitam qua abundo exercens, lentè contra dicebam, donec ipse iratus mittit pro Codice, postulo ipsum, dari iubet: lego vt iacet, ille suspicatus me sublinire os, arripit librum è manibus, exclamans velle fallere auditores, incipitque legere, vt aduenit ad verbum illud, legit, siluit, obstupuerunt omnes: qui aderant coniectis in me oculis, mirabantur: Accidit autem per eos dies vt Branda Mediolanum iret, res scripta erat Senatui: interrogant an verum esset; vir sincerus & probus, certè respondit nimis verum est, credo quod ea die essem ebrius, Senatus conticuit labris distētis. Alterum Bononiæ cum Fracantiano primo professore in praxi Medicæ artis: cum venisset in contentionem de meatu fellis ad ventriculum, & recitasset Græcè coram tota Academia (dissectio enim Anatomica exercebatur) dixi *deficit i*: tum ille non profectò, cum ego quietius affirmarem, exclamant discipuli, mittatur pro Codice: mittit ille lætus, statim affertur, legit, inuenit vt dixeram ad vnguem, siluit, obstupuit, admirabatur, sed magis etiam discipuli, qui eo me per vim traxerant, ex illa die, adeò congressum meum fugiebat, vt monuerit famulos, vt me venientem ostenderent, atque ita deuitabat ne in via occurreret. Cumque semel per dolum assidenti Anatomiæ superinduxissent, aufugit, & togæ implicitus pronus cecidit, ex quo omnes qui aderant obstupebant, & ipse paulo post discessit, cum esset conductus ad plures annos.

CAPVT XIII.

Mores, & animi vitia, & errores.

Difficillimum cùm per se sit omnium hoc argumenti genus, tum multo magis cogitantibus nobis, illos qui legere sunt assueti propriam vitam scribentium Libros, non sinceram narrationem ab illis traditam videre, vt nos hic narramus, sed alios qualis esse debuerat literis mandasse, vt Antoninus: alios vera tradidisse quidem, sed erroribus suis suppressis, vt Iosephus; at nos maluimus veritati in hoc inseruire, haud ignari, non habere excusationem vllam, qui peccat in moribus, quēadmodum in cæteris: Quis cogere potuit? an ergo vnus ero ille leprosus, qui ex decem sanatis solus ad Dominum rediit, ea ratione Medici, & Astrologi morum naturalium causas in primas qualitates, voluntariorum in educationem, studia, conuersationem, referūt. Hæc omnia omnibus insunt, sed propriè congruentibus ætatibus, perturbationes quoque ex iisdem tamen casibus: itaque delectum in his habere oportet: præcipue ergo de his dicendum est, mihi, & eatenus quatenus conuenit illud γνῶθι σεαυτόν. Me ergo natura mea non latuit, iracundus, simplex, veneri deditus: ex quibus tanquam principiis etiam profluxere sæuitia, pertinacia contentiosa, asperitas, imprudentia, iracundia, vltionis desiderium etiam vltra vires, nedum prona voluntas: vt illud placeat quod multi damnant, verbo saltem. *At vindicta bona vita iucundius ipsa.* In vniuersum nolui aberrare in me, quod dici solet, *Natura nostra prona est ad malum.* Etsi verax, memor beneficiorum, amans Iustitiæ, & meorum, contemptor pecuniæ: Gloriæ post obitum cultor, mediocria etiam nedum parua omnia spernere solitus: cùm tamen sciam quantum minima afferrent momenti ab initio, occasiones nullas contemnere soleo. Natura ad omne vitium, & malum pronus, præter ambitionem agnosco imperitiā meam si quis alius. Cæterum Dei ob venerationem, & quod omnia hæc vana quantum sint dignosco, occasiones oblatas vltionum etiam consulto negligo. Frigidi sum cordis timidus, & cerebri calidi, addictus cogitationi perpetuo: multa ac maxima, & etiam quæ esse non possunt reuoluens: duobus etiam simul negotiis mentem adhibere possum: qui garruli atem & immoderantiam in laudes meas obiiciunt, non de meis vitiis, sed alienis me accusant; repugno, non oppugno quemquam. Quid enim est vt laborem propter hoc, cùm inanitatem huius vitæ toties testatus sim? quæ est excusatio, laus ab eis dicitur, tam magnum putant non esse scelestum. Assueui vultum in contrarium semper efformare; ideo simulare possum, dissimulare nescio: sed hoc facile, si ad habitum nihil sperandi conferatur, cui adipiscendo xv. perpetuis annis, maximo labore incubui, & obtinui. Itaque propter hæc pannosus quandoque incedo, alias ornatus, tacitus, verbosus, lætus, tristis: omnia enim reduplicant his ex causis. In iuuenta parum, & raro caput curabam, ob auiditatem incumbendi potioribus: in eundo inæqualis, celeriter tarde: Domi cruribus ad talos vsque nudus: Parum pius, & lingua incontinens: maximè iratus, vt pudeat & tædeat mei. Et licet pœnitentia ducerer, lui tamen graues, vt dixi, omnium pœnas: vt vitæ Sardanapaleæ, quam anno quo præfui gymnasio Patauino egi, flagitia purgauerim: vt laus sit in probro, & virtus in crimine sapienter, & patienter tulisse atque emendasse. Excuset dicentem me necessitas, nam si dona Dei præterire voluero, ingratus ero si iacturam quam acceperim enarrare absque vitæ genere, & tū magis: Tum verò maximè, quòd, vt dixi, nostra hæc non tanti sunt æstimāda, quanti vulgus facit, inania, vacua, & statim velut vmbræ illæ in occasu solis adeò grādes, sed nulli vsui, breui desituræ. Hæc si quis non inuidiosè æstimare voluerit, & meditari quod modum non licet opponere; Quo animo, necessitate, occasione, quantum doloris ex his contraxerim. Quod alij nullo impedimento affecti, admittunt deteriora etiam multo his; non confitentes vel priuatim, nedum publicè, non beneficia accepta commemorantes; imò nec eorum vix memores: forsan æquiores mihi in iudicio erunt. Sed pergamus: illud inter vitia mea singulare & magnum agnosco, & sequor, vt libentius nil dicam, quàm quod audientibus displiceat: atque in hoc sciens, ac volens perseuero: neque ignoro

quantum

quantum mihi inimicorum, vel hoc solùm conciliet: tantum potest natura longæ consuetudini coniuncta! Hoc autem in meis benefactoribus deuito, atque potentibus: sufficeret non adulari, saltem non blandiri. Sed & non minùs incontinens in vita cùm noscerem optimè quæ sequi expediret, & oporteret: vixque alius in huiusmodi errore, adeò pertinax facilè inuentus esset. Sum etiam solitarius quantum possum, quamuis hoc genus vitæ ab Aristotele damnatum intelligam: inquit enim *homo solitarius, aut bestia, aut Deus*; at huius causam reddidi. Simili vecordia, nec leuiore damno, eos retineo domesticos, quos mihi non solùm inutiles, sed etiam opprobrio esse intelligo: adeò vt etiam animalia dono accepta hædos, agnos, lepores, cuniculos, ciconias, vt totam defædarent domum. Amicorum etiam penuria, & maximè fidorum laboraui: Et multa, imò plurima admisi errata, quòd quæcunque sciebam, seu parua, seu magna, seu opportunè, seu importunè, vbicunque intermiscere volui; tum etiam adeò, vt quos laudare proposueram læserim, inter quos Præses Lutetianus vir eruditissimus Æmarus Ranconetus natione Gallus: atque in hoc, præcipiti non solum consilio, & rerum atque occasionum alienarum ignorantia (quas certè difficilè vitare fuisset) actus sum: sed quod certis illis rationibus quas postmodùm adinueni, & ciuiles homines magna ex parte norunt, non innixus sim. In deliberando celer nimis, & penè præcipitis ob hoc consilij, & in quouis negotio impatiens moræ: Id verò obseruantes æmuli vt difficilem captu, si tempus habeam, non aliud magis agunt, quàm quod vrgent, & ego illos manifestè deprehendo, ac vt æmulos caueo, & vt hostes mihi habendos (qui sint) censeo. Quòd si non consueuissem, non pœnitere, vllius rei quàm voluntariè effecerim, etiam quæ malè cessisset, prorsus vixissem infœlix: verumtamen causa plerunque malorum fuit filiorum stultitia summa, non sine flagitio, & agnatorum socordia, atque inuidia in suos, peculiare vitium familiæ: licèt municipalibus plerunque commune. Deditus fui etiam immodicè ab ipsa adolescentia ludo latrunculorum: quo etiam Francisco Sfortiæ Mediolani Principi innotui, & nobilium amicitiam multorum mihi comparaui. Sed cùm multis annis, ac penè xl. assiduè illi incubuerim, quantum, familiaris rei iacturam passus sim, compendio nullo, non est facilè dictu. Sed alea etiam longè deterius cessit, filiis ad aleam instructis, & domo aleatoribus sæpè patefacta: Nec vlla mihi nisi leuis huius facti excusatio relinquitur, natalium paupertas, cùm ego ad huiusmodi solertiam, non prorsus ineptus essem. Hic mos mortalium, sed alij nolunt dici: alij etiam non patiuntur, vtrum ne meliores aut sapientiores? Quid si quis alloquatur Reges, & dicat, nemo est vestrum qui non pediculos, muscas, cimices, vermiculos, pulices ederit, & fædiora etiã stercora ministrorum? quo animo accepturi sunt, quanquam verissima? Quid est hoc, nisi ignorantia conditionis, nolle scire quæ scimus, & rem vi velle comprimere? ita de peccatis, & reliquis omnia fœda, vana, confusa, inconstantia: & vt in arbore mala putrida, caduca: non ergo quidquam noui attuli, sed nudaui veritatem.

CAPVT XIV.

Virtutes & Constantia.

CVm multa sint in quibus homines aberrant, nulla tamen in re magis, quàm in constantiæ nomine hallucinantur. Primùm quidem, quòd quæ vera est diuini muneris sit, altera potius stupidorum aut amentium: Quã quis vt inanem, & prorsus stultam irriserit in Diogene, cum æstate in Sole, arenæ feruenti se inuolueret: hyeme gelidas columnas nudus amplecteretur. Virtus contra fuit egregia Bragadini patritij Veneti, pati ea, quorum nec insolentium victorum quisquam minister esse voluit: Ea immortali gloria digna viuum decoriari, & si diuinum munus fuit potuisse ferre, humanum certè voluisse. Et quamuis circa aduersa clarior emineat, non rarius tamen in secundis occasionem sortitur, vt digna sit admiratione. Et rursus si etiam quibusdam occasio desit, non tamen ob hoc illi minùs constantes haberi debent. Tot modis igitur, cùm in hac virtute errare contingat, nec gloriæ quòd pertulerimus, nec vituperationi quod occasio defuerit tribui debet, nec nostrum censere quod natura negatum est. Neque id nos defendimus, quòd occasiones aliqua in parte defuerint, cùm nemo tam nobis infensus, tam iudex iniquus fuerit, qui non magis patientiam in aduersis, continentiam in prosperis admiratus sit, quàm crimini dederit, seu iucunda aspernando, seu difficilia tolerando: Dico voluptates, spectacula, morbos, imbecillitatem virium, æmulorum obtrectationes, successus parum felices, lites, oppugnationes, minas potentium, suspicionem quorundam, confusionem familiæ, defectum multarum rerum, denique dissuasiones quorundam, seu amicorum verè, seu sub specie illorum, tum pericula ob tot hæreses quæ ingruebant: inde verò quauis bona fortuna, aut tot felicibus successibus, nunquam mutaui mores, nec asperior factus, nec ambitiosior, nec magis impatiens, nec contemptor pauperum, nec oblitus veterum amicorum, nec durior in conuersatione, nec elatior in verbis: nec vestibus vsus preciosioribus, nisi quantum ex persona quàm gerebam coactus fui, vel quia vt dixi ab initio nimis obsoletis ob paupertatem vsus essem. In aduersis tamen non adeò natura constans, quippe quædam imparia viribus ferre coactus sum, ad quæ arte naturam vici: nam in maximis animi doloribus crura verberabam virga, sinistrum brachium mordebam acriter, ieiunabam, leuabar fletu multùm, vbi contigisset flere, sed persæpè non poteram; ratione autem pugnabam, dicens, nihil nouum aduenit, sed solùm tempus mutatum est, & anticipauit: numquid poteram non carere illius aspectu, & consuetudine perpetuò tempore? at subtracti sunt aliquot anni? quota pars hæc temporis si ad æternitatem conferatur? Denique si paucis annis superuixero, parum amisi: si pluribus longior vita videbitur mihi, & plura forsan euenient

euenient per quæ leuabo dolorem, & illius æternam gloriam reddam: Quid tandem si is natus non fuisset. Verùm impar dolori, vt infra dicemus, diuina benignitate, & manifesto miraculo leuatus sum. In actionibus etiam constantior, & maximè in scribendis libris, adeò vt oblatis occasionibus optimis ab instituto non recesserim, sed in priori negotio perseuerabam, quod mutationem propositi in patre plurimum ei obfuisse animaduerterem. Non puto quemquam improbaturum, quòd cùm essem receptus in Academia Ticinensi Affidatorum, in qua erant non pauci Principes & Cardinales primarij, quam etiam ob timorem receperam, nec absens tamen reieci, nec ab ea me exemi: Verum Regi cum insignibus dum exhiberentur, me subtraxi: dicens huiusmodi pompam mihi haud conuenire. De virtute autem non est, vt aliud dicam quàm quod Horatius:

Virtus est vitium fugere.

Amicitiam numquam abrupi: neque si contigerit abrumpi, eorum quæ in amicitia contigerunt, vel arcanum parefeci, aut illis obieci; quin etiam nihil alienum mihi adscripsi: in quo genere Aristoteles aliquantulum, Galenus ad turpem vsque contentionem peccauerunt: adeò vt Platoni soli hac in parte cedam; testimonium ex Vesalio modesto viro, qui paruis contentionibus à Curtio exagitatus, nullibi eius mentionem facere voluit: cùm nos bonarum literarum tantum amore (quamuis ab eodem Curtio de furto accusati, quòd pignus retinerem pro sponsione pecuniarum quam sine teste fecerat) non eruditioni eius inuidi; quo factum est, vt eo Pisas se conferente, Senatus cum interrogaret, an ego illius loco substitui possem, respondit nullus melior: cumque illi scirent nos haud reconciliatos esse, profitendi munus mihi tribuerunt. Illud ad virtutem pertinere haud dubiè existimo, nunquam à iuuenta mendacium dixisse; paupertatem, calumnias, tot aduersa patienter tulisse, numquam potuisse meritò ingratitudinis vel insimulari: sed hæc nimis.

CAPVT XV.

De Amicis, atque Patronis.

AMicorum ex adolescentia primus Ambrosius Varadeus Latrunculorum ludi, & Musicæ & similitudinis morum: post Prosper Marinonus Papiensis; Octauianus Scottus Mediolanensis, à quo sæpe pecunia mutuò accepta adiutus sum, inde Gaspar Gallaratus. In Saccensi autem oppido, arcta amicitia cum Ioanne Maria Mauroceno patritio Veneto, & Paulo Illyrico Pharmacopola: Post reditum, cum Philippo Archinto Mediolanensi Archiepiscopo, per quem Ludouico Madio cuius ope & indigui, & adiutus sum. Præter cæteros Hieronymi Guerrini Gemmarij Mediolanensis, à quo multa didici arcana, quæ in libros, non vt qui à libris subripiunt contuli: & per eum Francisco Belloto Florentino insinuatus sum: post Francisci Crucei Iurisconsulti egregij viri probi, & Mathematicarum periti, à quo multum adiutus sum in causa Collegij: per Donatum etiam Lanzam Pharmacopolam, amicitiæ Francisci Sfondrati Senatoris Cremonensis, qui postmodum Cardinalis euasit: per hunc autem Præfecto criminum, & ipsi Cremonensi Io. Baptistæ Speciario, viro erudito, & virtutis singularis: per quem innotui etiam Alfonso Daualo Prouinciæ Proconsuli, & militiæ Cæsareæ Duci. Per Sfondratum quoque munus profitendi Papiæ Medicinam adeptus sum. Inde in amicitiam receptus Andreæ Alciati, illius admirabilis Iurisconsulti & Rhetoris: tum in eius agnati Francisci, qui nunc Cardinalis est: post duorum Cardinalium Io. Moroni viri magnæ sapientiæ, ac Petri Donati Cæsij, quorum trium Mæcenatum patrocinio res mea stat. Et cum his quartus est Christophorus Madrutius Cardinalis Tridentinus, è Principum Illustrissimo genere, beneficiis erga nos, & liberalitate in cunctos nemini secundus. Post quos vt ad pares etiam amicos redeam, Panætij Beneuenti Aretini viri optimi familiaritas, mihi omni auro dignior visa affulsit, ipsa per se propria virtute constans. Tum Thadæi Massæ venerabilis Antistitis Romæ, ac singularis prudentiæ & integritatis: Antea verò Io. Meonæ à secretis Gubernatoris Prouinciæ Dom Ferrandi Gonzaghæ, similiter militiæ Cæsaris Ducis. Sed & cum Carolo Borromeo, & Marco Antonio Amulio Veneto Cardinalibus singularis virtutis, totque aliis vt referre longum esset: quippe vbi opera, & authoritate Borromei, & Alciati Bononiam veni Medicinam professurus, cum Senatu illo toto Illustrissimo amicitiam contraxi: Sunt enim nobiles illi mirum in modum officiosi, humani, atque prudentes splendidique. Ex Medicis duos inculpatæ vitæ, eruditionis haud mediocris, & ambos Mutinenses Camillum Montagnanam, & Aurelium Stagnum: Melchiorem præterea de Valle Mediolanensem, & Thomam Iseum Brixiensem, singulari beneuolentia prosequutus sum, grauibus etiam ex hoc susceptis inimicitiis. Ex Anglis purpuratis Ioannem Checum institutorem tenerioris ætatis Regis Odoardi sexti, & Claudium Laualum Gallum Legatum Regis sui apud Anglos, Principemque Badolfiæ. E nostris etiam ciuibus, non parum debeo singulari virtuti Ludouici Tabernæ Præfecti Vrbis sapientissimi. Ex Professoribus Franciscum Vicomercatum Mediolanensem Philosophum, & suspexi Andream Vesalium in Anatomica arte primarium: duos quoque amicos paternos in pueritia colui, Augustinum Lauizarium à libellis Senatus Comensem, & Galeazium de Rubeis fabrum, cuius mentionem sæpius fecimus: sed & Franciscum Bonafidem medicum Patauinum de quo etiã alias: multorum quoque eruditorum virorum, & amicorum mentionem prætereo, quod sine hac noti sint Orbi, eruditione sua: vt quod testatus sum de gratia experimento videatis, non oblitum eorum, quibus quantum in me est vitam nomini suo, præsenti testimonio daturus sum. Subiiciam ergo, & Guilielmum Choul, Præfectum Montium Prouinciæ Narbonensis seu Alobrogũ: virum doctum, & Bonifacium Rhodiginum Iurisconsultum Astrologumque egregium: velut & Georgium

Porrum

Porrum Rheticum, & Lucam Iuſtinianum Genuenſem: Gabrielem Aratorem Carauagienſem Arithmeticum inſignem. Verùm ſingularem cum Ioanne Petro Albutio Medico & Profeſſore Mediolanenſi, ac M. Antonio Maiotagio, item Matio Geſſio Bononienſi amicitiam contraxi: Laureotium quoque Zehener Carinthiæ medicum, ſed & Adriani Belgæ ſingularis fuit fides erga me, & multiplex officium, ac beneficium. Patrocinium autem Principis Matellicæ diuinius fuit, eſtque maius, quam vt humano argumento partum videri poſſit: Omitto nunc animi illius ſingulares virtutes Rege dignas: peritiam omnium rerum, ac diſciplinarum, amœnitatem ingenij, benignitatem, quid incrementa fortunæ, ſplendorem patris, ac ſapientiam humano faſtigio maiorem, memorem in vtroque animũ & beneficiorum, & coniunctionis priſtinæ: quid in me erat, quod allicere potuerit ad eiuſmodi manſuetudinem? non beneficia collata, non ſpes ex me concepta, ſenex, fortuna deſpectus, iacens, non ego vir gratioſus: ſi quid eſſe potuit, ſola opinio probitatis. Hos quales exiſtimetis viros an Deos potius? qui tantum amori ſtudiorum, ſimplicitati motum, grato animo atque fideli: æternis laboribus, laude dignis conatibus ac cœptis tribuerunt, quantum quiſque alius potentiæ, ſpei, beneficiis, conſuetudini diuturnæ, atque blanditiis impertiri ſolet.

CAPVT XVI.

De inimicis & æmulis.

NOn eandem inibo rationem, in enarrandis nominibus inimicorum aut æmulorum, tam ſtudioſè vt amicorum: quippe Galenum non parum erraſſe puto, qui Theſſalum dum nomen eius proterit, aliquem eſſe docuerit: & cuius rationem haberet. Et ſi non ignauus ſit, melius eſt reconciliari ſi iniuriam accepiſti: aut non vlciſci: aut potius factis quàm verbis: ergo æmulos non ſolum ſpernere didici, ſed eorum vanitatis miſereri. Eos qui clam egerunt ſuo facto ſe miſeriores teſtantur, qui apertè ſi ius æquum eſt, accuſandi.

CAPVT XVII.

Calumnia, diffamatio, inſidiæ ab accuſatoribus.

INſidiarum duo genera ſunt, vnum quod ad famam pertinet, & honores de quibus nunc agere inſtitui, aliud de quo infra: nunc cum de inſidiis, & maximè occultis agere decreuerim, ſi nudo paterent non adeò occultæ fuiſſent, ſi magnæ, difficilè fuiſſet occultare eas; paruarum ſtulta eſt curioſa obſeruatio: quapropter quatuor tantum narratione contentus ero. Primæ quæ accidit dum Bononiæ accerſendus eſſem, miſerunt hoſtes nominis mei quendam à libellis, Papiam, qui neque auditorium vidit, nec diſcipulos conſuluit, ſed neſcio vnde, in hæc verba reſcripſit, ſeu potius ſententiam, cum quædam de allo mirifica enarraſſet, puto, quòd non ſperaret illum venturum: *De Hieronymo Cardano intellexi illum ſine ſcholaribus profiteri, ſed ſedilibus: hominem malorum morum, & ingratum omnibus, qui à ſtultitia non abſit: moribus ſanè deformem; quin etiam artis medicæ parum peritum, & opiniones quaſdam in ea ſectantem: vt in vrbe ſua nemini acceptus ſit, nec artem exerceat.* Legebantur hæc à Nuncio Bononienſium, coram Illuſtriſſimo Bonromeo vrbis eius Legato Pôtificio, iámque deliberauerat negocio finem imponere, ſed cum inter legendum, verbum illud audiſſent, quod artem non exercerem, vnus ex his qui aderant, Hui inquit, ego noui hæc non eſſe vera, namque ſummos viros vidi opera ſua vti, & ego quamquam non ſummus vir, vſus ſum; arripuit verbum Legatus, & ego ſanè teſtari poſſum, matrem meam iudició omnium aliorum deploratam ſanaſſe: Tum alter ſubdidit, profectò, & reliqua tam vera eſſe debent, quàm hoc ipſum, aſſenſus eſt Legatus, nuncius ille obmutuit, & erubuit. Concluſum igitur eſt in hanc ſententiam, vt vno tantum anno, poſtquam de hoc actum eſt, iam munus profitendi ſubirem, ſi eiuſmodi erit qualem ſcripſit is, aut aliter parum vtilis Academiæ & Vrbi, ſinamus eum ſibi conditionem quærere, ſin ſecus poterit in poſterum firmari pactũ, & ſtatui de ſtipendio, de quo eſt contentio, aſſenſus eſt Legatus, atque ita concluſum eſt. Non eo cõtenti delegatum à Senatu impulerunt, vt conditionibus in quibus conueneramus, alias adderet quas cum obtuliſſet nolui recipere: ſumma ſtipendij minor, non locus promiſſus in profitendo, nullæ pecuniæ pro viatico, quibus cum non aſſentiret, coactus eſt redire, atque reuerti cum omnibus cõditionibus propoſitis. Et quamquam talia impedimenta videantur, plurimum obeſſe, hoc opinione falſa hominũ accidit: Cum enim fines mortalium actionum breuem ad interitum ſpectent, nedum vt perpetui ſint: ſatis ſapienti ſi ad ea ſpectet, nedum vt curet: media verò prorſus nihil: ne ſomnij quidem vmbra, vt cuiuis in ſuis actionibus ſpectare, ac clare videre licet: & ideo penitus contemnenda, cum ad fines comparantur, ad vnguem ſimilia ludis puerilibus cum nucibus vnicuique, vt ſi eorum exitum, ad lauream, vel magiſtratũ, aut etiam regnum quod ei obuenerit homine iam facto, pertinere putet connexu aliquo, vt cauſa, aut ſimilitudine, nonne ſtultus planè erit. Poſt hæc dum profiteret, hac arte auditorium ſubtraxerunt, horam conſtituere penè prandij, ſcholam ea hora vel paulo ante alteri dederunt, & de tribus quas ego offerebam conditionibus, vt vel celerius vellet incipere, atque ante abſoluere: aut mutaret ſcholã, vt in aſſignata ego liberè poſſem profiteri: aut viciſſim ipſe profiteretur in illa, ego aliam deligerem; cùm vidiſſem in omnibus reluctantem, iam impetrauetam in noua electione, vt ipſe alicubi profiteretur: hinc dolor, hinc lachrymæ, interrupit caſus accuſationis ſuccedens, vt neque ego tot conſpirationibus ſuccubuerim, neque illi profitentem quem oderant videre cogerentur. Demum ſub conductionis fine, voces ſparſerunt, & maximè apud Moronum Cardinalẽ, me exiguo cum auditorio profiteri, quod quãquam non omnino

vetum esset, quinimò ab initio Academiæ multos, & vsque ad dies ieiunij haberem auditores, tot tamen oppugnatus æmulis, tot insidiis, demum vi vt dictum est cedebat fortunæ virtus: ergo cum Cardinales specie honoris mei persuasissent, vt sponte cederem muneri: effecerunt vt ille hoc ageret, itaque peracta res est, illorum qui tantum concupierant obsequio maiore, quàm felici euentu.

Porrò de calumniis, de falsa infamia, non est quod dicam: tanta, tam assidua, tam stulta & absurda, vt non nisi quæsitos rumores, non intentatas accusationes constet: palamque sit, deterius illos propria conscientia, excruciatos esse, quàm mihi obfuisse: quin imò & maius tempus condendis libris reliquerunt, & nomen ampliarunt, & vitam produxerunt, dum nimios illos labores subtraxere, & voluptatem, & scientiam multorum arcanorum peperere: Idque soleo dicere, & semper in ore habere, non odisse illos, neque etiã dignos aliqua pœna quòd obfuerint, sed obesse voluerint. Quæ autem acerbiora, antequam Bononiæ conducerer aggressi sunt, inferius etiam exponam cap. 33.

CAPVT XVIII.

Delectatio.

DElectant me gladij parui, seu styli scriptorij, in quo plus viginti coronatis aureis impendi: multas etiam pecunias in varia pennarum genera: audeo dicere apparatum ad scribendum, ducentis coronatis non potuisse emi. Præterea gemmis, vasculis, canistris æreis, & argenteis, vitreis quoque sphærulis depictis, libris raris, natatione parum, piscatione plurimum, cui quandiu Papiæ mãsi opus dedi, atque vtinam non mutato proposito. Historiarum præterea lectione præcipuè, & in Philosophia, Aristotele & Plotino, Mysticisque illis inuentionibus, necnon Medicina: Poëtis quoque Italicis, Petrarcha & Aloysio Pulcio; solitudine potius quàm sociis, quoniam paucissimi non improbi, nulli verè docti: non hæc dico quod doctrinam requiram, (admodum enim parua est tota) sed quis cogit vt iacturam temporis faciamus? Hoc est quod abominor.

CAPVT XIX.

Ludus & Alea.

IN nulla forsan re dignus laude haberi possum: an non tam certè, quàm quod latrunculis, & alea tam immodicè operam dedi, vt me dignum repræhensione fore intelligam. Lusi per plures annos vtroque modo, sed latrunculis supra quadraginta: Alea circa viginti quinque, nec solum tot annis, sed totis diebus, turpe dictu. Itaque iacturam simul existimationis feci, & rei & temporis: nec angulus defensioni relictus est, præterquam si quis velit me defendere, vt dicat non amasse ludum, sed odisse ea, propter quæ ludere cogebar: calumnias, iniurias, paupertatem, quorundam insolentiam, confusionem ordinum, contemptum, & morbosam naturam, atque ex his indignum otium: cuius indicio fuit, cùm primum licuit me exercere digna persona, illa reliquisse: ergo non amor ludi, non luxuria hæc fuit, sed odium atque fuga. Multa & præclara quamquam inuenerim in libro de latrunculis, quædam tamen ob occupationes exciderunt: octo aut decem quæ nunquam licuit recuperare, ea omninò humanam solertiam excedere, & impossibilia inuentu esse videbantur. Ob id hæc adieci, vt monerem (quod spero venturum) si quando occurrant curiosis, vt coronidem, seu apicem adiiciant.

CAPVT XX.

Vestitus.

NOn aliter de me ego sentio quàm Horatius de suo Tigellio: Quinimò Horatium dixerim, tum de me sub illius persona locutum.

Nil aquale homini fuit illi: sæpe velut qui
Currebat, fugiens hostem: persæpe velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem seruos: modo Reges atque Tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri, & toga, defendere frigus,
Quamuis crassa queat.

Quæras causam, imò causas, in promptu sunt, varietas primò cogitationum & morum: deinde vt saluti prorsus consulerem corporis: & quòd cùm mutauerim sæpius patriam seu habitationis locum, coactus sum etiam mutare vestes, quas neque ob iacturam vendere, nec frustra seruare conueniebat, ob id necessitas intulit legem. Alia est causa non minor hac, aut quæ minùs vrgeat, è studiis neglectus familiæ, ex neglectu domesticorum, negligitur cura vestium, idcò ex multis numero in paucas vsu rediguntur. Quamobrem minimè aspernor Galeni sententiam, qui quatuor vestibus, aut binis tantum, si subuculam connumerare nolis, contentum hominem esse debere docet. Quare cùm talia pro præsenti occasione seruato fine, & congruo proposito, variari possint, imò debeant: satis esse puto quaternis vestibus, vt binas feramus grauiore, grauissima, leui, leuissimáque, fient enim quatuordecim coniugationes, pereunte solum illa quæ omnes complectitur.

CAPVT XXI.

Incessus & cogitatio.

INcessus inæqualis causa fuit cogitatio, nisi quis enim adhibeat mentem, pedes mouentur, imò & pluribus manus ad exemplum soliciti animi; tum verò negotiorum varietas, & occasiones: quin etiam & corporis dispositio: cùm valemus, cùm leues sumus, cum non delassati, cùm vacui properamus & læti: cætera retardant gressum. Itaque abire in prouerbium posset incessus meus, nam est incõsideratus,

deratus, dum aliena ab his quæ præ oculis sunt meditor: in vniuersum omnia inæqualia, quæ necessitas dura agit, cuique imperus animi dominatur, qui hæc contiouare bona potest, oec sustinere velit mala: sola cogitatio perpetua, vt dixi, sed non perpetuò in eisdem: nihilomioùs tam intentè adest, vt neque comedere, neque voluptatibus operam dare, imò nec dolorem sentire, aut dormire sine illis cōcessum sit. Hoc igitur voum bonum, quod malum arcessat, & requiem præbeat, vt nesciam an commodo, an incommodo maiore iuncta sit aut desioeret. Cæterum ambulatio modo celer, modo tarda, modo capite & humeris erectis, modo ioclinatis, parum distans, ab ea quæ in iuuenta specie, te magis.

CAPVT XXII.

Religio & Pietas.

TEmporibus adeò turbulentis natus, tot occasionibus obiectus, atque pauperie grauis, tot itineribus obuiam factus viris non solùm à religiooe alienis, sed etiam hostibus, nec fuisse commotum, potius miraculo quàm sapientiæ, &, diuino auxilio, quàm virtuti tribuendum est: quippe ab ipsa statim infaotia, mihi hanc supplicationem institui. *Domine Deus infinita tua bonitate dona mihi vitam longam, & sapientiam sanitatémque mentis & corporis:* Vnde nil mirum, si religionis, & Dei cultus fuerim obseruantissimus. Alia etiam munera videor accepisse, sed ita vt constet alterius fuisse, nō propria: sanus perpetuo, æger, & doctus, vt ita dicam plus in his quibus oon studui, & quæ ab alio nullo didici, quàm in quibus ad magistros me contuli. Circa pietatē etiam diligentior, contra filij mortem ac dolorē pugnaui: moriturus erat, & eodem anno, ni fallor, parum abfuit quin interiret sine sobole: nunc superest ex illo nepos, sed quid plura cur conferas mortales miserias, & dolores, immortalium voluptati? sanè dicam ingenuè si nil superesset, & si oon tum mortuus esset, semper superuicturus erat? quid ergo mihi si aliquid quid amisi? ô stultam cogitationem hominum! ô deliria nefanda! nec solùm diuinæ Maiestatis memor sum, sed & B. Virgiois Marię, Beatique Martini, sōnio monitus futurum, vt sub eius patrocinio aliquando quietiorem vitam, & pereonem ducerem. Longa olim dissertatio à me conscripta est, quam hic contraxi, non posse esse pares vllo modo molestias huius vitæ, ei felicitati, quam de sequenti speramus, neque obstat qood eiusmodi supra naturam cum adsunt, ita mouent, vt nihil maius esse posse putes, nec queas ambigere, sed vbi recesserint quasi somnium res ipsa videatur. Vtinam si Deo placuisset hæc Charybdis tanto muneri sublata fuisset, nam & intentius monita cœlestia obseruarent, & obseruatorum meminissent, & eorum quæ meminisseot voluptate largius fruerentur, & eo magis piè viuerent, ac exemplo aliis forent: sed iam graui infamia laborare me iotelligo, qui legem sapientiæ instituere mortalibus volui: rapuit me eo pietas: & dolor miserorū, quia etiā de immortalitate animi naturaliter, Platoni & Aristoteli, atque Plotino consentanea, & rationi, & institotioni me dixisse reor, inter eos qui simpliciter locuti sunt: In Platone enim grauitas, io Aristotele diuisio, in Plotino finis, & præmia desiderantur, quāquam hoc inuentum non meum sit, sed Auicennæ euius opinioni, vt verisimiliori inter Philosophos, libentius subscribo.

CAPVT XXIII.

Obseruationes nostræ præcipuæ.

NVlla in patte melior mihi visus sum quā in obseruationibus, propter lōgitudinem vitæ, & aduersorum multitudinem. Ergo primum præter preces illas pueriles, vbi proficere mente cœpi; gratias reddere solitus sum Deo, de his quæ mihi contigerunt, propitia quidem, de quibus turpe etiam homini iogratum fuisse, vel etiam belluæ existimarem: in aduersis autem quæ leuia erant, pro admonitiooe vt cauerem accepi; & ô quoties eiusmodi mooitis, maximas vitaui calamitates! quæ verò mediocria etiam de his debere me sentiebam, tum quòd nil ex his quæ tempus obliterare solēt, magnum esse crederem; tum quia omnium aduersorum Deum dispensatorem esse intelligebam: & licet mihi infensa videri possent, ad ordinem tamen vniuersi optima fuisse non dubito, quid quod mors omninò ineuitabilis est, quam leuiotem reddunt multitudo aduersorum, & vt Ægineta dicebat: qui lapidem magnum è vesica eximunt, minus patiuntur ob labores præcedentes, quàm qui exiguum, & ob id etiam rarius moriuntur. In extremis verò malis, Deum, vt ita dicam, mei meminisse persuasus sum: quo consilio (mira res dictu!) mortem morte depuli. Secunda obseruatio specialis fuit vt Dei numen implorarem: ex scriptis etiam inuocarem Dei summi vitam, & vt doceret me facere voluntatem suam, quia Deus meus est; ecce quàm bonum, & quàm iucundum, ita triplici leuatus sum infortunio: dedit antequā auferret: tutatus est aduersus currentes maris vndas: vitam quietam permisit. Tertia, vt in iacturis non suffecerit redemisse damna, sed aliquid plus semper occupaui: adeò, vt solus fermè mortalium ea, non solum consilio, sed experientia non oderim. Quarta, vt temporis summam haberem rationem: nam equitando, edendo, in lecto, vigilando, colloquendo, semper aliquid meditabar, aliquid reposui, memineram illius vulgaris adagij, *multa modica faciunt vnum satis.* Id est efficiunt cumulum: dicam breui fabellam, imò historiam, dum habitarem in domibus Ranotij Bononiæ, duo erant loca, vnus obscurus, sed tutus: alter splendidus, sed cui imminerer tectorium ad momenta ruinosum, & cuius partes dom inhabitarem, deciderant certo vitæ discrimine, modo subessem, vix ex multis semel ad tutum me contuli. Quinta, vt senes colerem, ac cum illis essem. Sexta vt omnia obseruarem, nec existimarem fortuitò quicquam à natura fieri, qoa ratione arcanis magis ditatus sum, quàm pecuoiis: Septima vt certa fermè semper incertis anteponerem,

in qua causa adeò fortunatus fui, vt pleraque ex his quæ mihi feliciter contigerunt, huic mentis proposito me debere persuadeam. Octaua vt in nulla re quæ mihi malè cederet, persuasus ratione, voluerim persistere, imò plus tribui experimento, quàm sapientiæ meæ, aut confidentiæ de arte, idque præsertim in ægrorum curatione in cæteris volui sorte me committere, nec de præteritis cogitaui vt plerique: Quid si sic fecissem? cui enim bonó hæc? lucrum quo maius aufertur, non est lucrum, maximè ob temporis dispendium. Actum nunquam postposueris potentiæ in curandis ægris, vt ænemata inani fistulæ: lactis aquam in hydrope. Vbi cum potentiori, aut cum vno ex ordinibus, & maximè bene merito iniquè tractaris, tu tanto mitius age: æqua enim dixi oportere esse omnia. Nisi vacuus, recipio negocium, non contentiosum solum quia melius, sed vt temporis compendium faciam. Amicitiam etiam subdolam non lacerabo, sed diffuam. Paulò pòst lxxv. annum nolui interesse lucri causa congregationi, nisi scirem quot & qui socij? fuge vbi familiaritas contemptum parit. Quantum potui minùs memoriæ reliqui? sed scriptis.

CAPVT XXIV.

Domus.

INfans Mediolani in porta Ticinensi loco qui dicitur via arenæ, post in via Mayni è regione arcis, & in propinquo in domo Lazari Soncini Medici, dum essem puer paruulus: adolescentulus in via Rouellorum in domo Hieronymi Hermenulfi, post in domo Cusanorum, adolescens & vsque ad xix. annum in domo Alexandri Cardani; Papiæ ad sanctum Ioannem in Burgo, ad sanctam Mariam, ad Venerem in domo Cataneorum, & ad sanctũ Gregorium in Monsalcono in Burgoliate, inde propè scholas, propè Ceranouam procuratorem, & exinde in domo mea, quam emi iuxta templum B. Mariæ in Pertica. Bononiæ autem in via Gombru, inde in Galera in domo Ranutij, post in domo mea quam emi propè sanctum Ioannem in Monte; Romæ ad Populum, in area B. Hieronymi, propè Curiam Sabellam: inde in via Iulia propè B. Mariam Montis Serrati: antea verò Mediolani in domo quam emerat mater, iuxta templum B. Michaëlis ad Clusiam: inde in P. Orientali; post ad Quinque vias: inde exædificata domo quæ corruerat, redij ad B. Michaëlem.

CAPVT XXV.

Paupertas & detrimenta in patrimonio.

PAuper neque lucri cupidus, neque diligens dignitate ornatus vana & ambitiosa casus domus, bello in patria & tributis intollerandis, quasi perpetuò, familia multa, ab æmulis laceratus, à Collegio diu reiectus, ego quandoque prodigus, & inconsideratus: corpore infirmus, furtis dilapidatus, profusus in emendis libris, mutata toties nescio an dicam sæpius Vrbe, an in Vrbe habitatione: mora Gallareate infructuosa, vt in xix. mensibus ne xxv. coronatos precium conductæ domus lucratus sim: alea aduersa oppigneratis ornamentis vxoris, & supellectile, vt mirum sit potuisse omnibus carere præsidiis: magis, non mendicare carentem: magis adhuc nil admisisse ne cogitasse quidem indignum, aut maioribus meis, aut virtute, aut honoribus, quibus antea decoratus eram, & in posterum florui, sed æquo animo tulisse omnia: hæc quindecim annis perpetuis, nec interim munere assidentis Medici perfrui voluisse. Verùm dices, qua ratione? an docuisti priuatim? non, an mutuò accepisti sine pignore? non: An rogasti quenquam vt dono daret? neque inuenissem puto, & puduisset me, an forsan victum attenuasti? neque illud. Quid ergo? ephemerides scribebam in scholis à Platinis publicè docebam: medendo aliquid colligebam, domestici fermè singuli, muneri quæstuoso addicti erant. Archinti domus munusculis aliquot adiuuabat, consulta vendebam: fortuita obseruabam, & spicilegium imitabar, à sumptu vestiario prorsus abstinebam, ita pertuli aduersam fortunam, vt etiam in secunda melius partis frueter.

CAPVT XXVI.

Matrimonium & filij.

ANtea verò habitabam in Saccensi oppido lætus & hilaris, quasi expers omnium malorum, (refero autem importunè, sed nimis proposito huic conueniens somnium) ac quasi mortalis in immortali sede collocatus, aut vt melius dicam, iucunditate: cùm ecce nocte quadam, video me in horto quodam amœno, nimisque pulchro, floribus ornato, fructibus diuersi generis referto, spirabat aura suauis, vt nihil iucundius non pictor, non Pulcius Poëta, non cogitatio simile quicquam cõfingere posset; etiã in vestibulo horti, ostium apertum patebat, & aliud inde ex aduerso: cùm ecce video puellam candida veste indutam, eam adeò amplector, exosculor, statim à primo osculo hortulanus clausit ostiũ, enixè cœpi rogare vt apertum dimitteret, nunquam potui obtinere: mœstus itaque, & puellæ hætens, exclusus manere visus sũ: paucis post diebus arsit domus: nocte suscitati fumus ad incendium, intellexi cuius domus esset quæ ardebat, scilicet Altobelli Bandareni, qui Tribunus erat collectitiæ militiæ Venetæ in agro Patauino: nihil egi, vix enim facie mihi cognitus erat, sed fortè fortuna conducit domum quæ meæ contigua erat, ægrè tuli: non enim tales vicinos habere desiderabã, sed quid facere poteram: interim post pauculos dies, è via, conspicor puellam facie ad vnguem, & vestibus similem ei, quam nocte illa videram: verùm dicebam, quid mihi cum hac puella? si vxorem ducere voluero pauper, nihil habentem, & fratrum ac sororum multitudine oppressam, perij, cùm vix, vel sic sumprom sustinere queam; si tentem abducere, aut occultè eam comprimere, cum ipse sit Oppidanus, non deerunt exploratores, tribunus militum

litum non iniutiam patietur, & in vtroque casu quid mihi agendum erit? O miser, si optimè cedat, fuga opus est: hæc & talia volutanti subiit in mentem, meliùs esse mori quàm sic vitam agere: ab ea die cœpi non amare, sed ardere; intellexi quantum coniectura escipere poteram, me solutum eo vinculo, duco volentem volens, parentibus etiam rogantibus, & offerentibus auxilium si quo opus esset: neque enim parum poterat. Verùm somnij interpretatio non in puella desiit, sed in filiis vim suam ostendit. Vixit mecum annis xv. sed tamen hoc incommodum, omnium malorum, quæ mihi in tota vita acciderunt, causa fuit. Vtrum hæc diuino consilio, aut mibi, mei maiorúmve pro erratis debebantur. Ipse enim secus ferreus natura, ac omnibus futurus eram aduersis superior.

CAPVT XXVII.

Filiorum aduersa fortuna.

AT in filiis non dubiè vis somnij explicata est; primum duplici abortu duorum masculorum quadrimestrium, adeò vt desperarem de sobole, aliquando suspicarer de maleficio: tandem protulit primogenitum prorsus patri meo similem facie, vt in iuuenta patuit, bonum, benignum, simplicem, dextra tamen aure surdum, oculis paruis, albis, & qui nunquam quiescebant: duobus etiam digitis in sinistro pede, ni fallor, scilicet tertio & quarto à pollice numerando simul iunctis: dorso prominentiore, sed non ad deformitatem: hic vsque ad xxiii. annum fermè quietus vixit, post amore captus, vbi lauteam consecutus est, Brandoniam de Serono, absque dote vxorem accepit: mater eius vt dixi iam diu obierat, & multo ante matris pater, quippe qui à nuptiis paucis mensibus superfuerit, viuebat tantum matris mater Thadea: tum verò cœpere dolores, & lachrymæ: nam antea multa perpessus viuente matre sua, finem tandem habuerunt, tempus enim id fuit in quo oppugnabar. Interim accusatus filius, quòd vxorem veneno tentasset, & in puerperio, decima septima die Februarij captus, post quinquagesimum tertium diem Idibus Aprilis, securi percussus est in carcere. Atque hoc primum & maximum infortunium, per quod, neque retineri honestè poteram, neque fine causa dimitti, nec tutò habitare in patria, nec eam securè relinquere poteram; despectus obambulabam Vrbem, contemptus conuersabar, ingratus deuitabam amicos, quid agerem non occurrebat, quo me conferrem non habebam, nescio an infœlicior, an odiosior. Subiere post filij minoris stultitia, flagitia, vexationes vt nihil addi possit: coactúsque sim eum in carcerem non semel trudere, & exilio condemnare, & hæreditate paterna priuare, cùm maternæ nihil esset. A sola filia, præter dotis sumptum, nihil molesti perpessus sum, sed hoc illi vt gratè debui ita persolui. Ex filio igitur natu maiore, duos suscepi nepotes, atque vna domus, paucis in diebus, tria funera vidit, filij, nurus, & neptis Diareginæ: parum abfuit, quin & nepos interierit. In vniuersum tota res filiorum pessimè se habuit, nam filia ex qua duntaxat spes aliqua boni supererat, nupta diuiti, & egregio adolescenti Bartolomeo Saccho patritio Mediolanensi, sterilis euasit, vt vnica spes in nepote superfit. Haud me latet hæc inania videri posse temporibus futuris, & præcipuè alienis: sed nihil, vt dixi, in hac mortalitate, nisi inane, vacuum, & somnij vmbra: præcipuè quòd solum est, quo omnia mortalium facta, res, vita, casusque constant? sed vt apud Crantorem pater ipsius eloquentiæ Cicero didicit, quo consolatur in morte filiæ, ita eiusmodi in maximis aduersitatibus, modo hic, modo illic reuiuiscunt, & non contemnendo vsui atque vtilitati sunt. Cæterùm haud me latet, solum ea digna videri, quæ in libris teferantur, velut magnatum rerum series ex minimis ortæ initiis, atque in his vel properandum, vel maximè ordinatim vnumquodque explicandum, vt fiat historiæ pictura persimilis: vel ingentium operum exempla, virtute, vel flagitio nata, aut casu, quàm breuissimè, nisi ad artem pertineant aut sapientiam. At nunc ô tempora! & ô mores! non scribimus nisi turpes adulationes, liceat laudibus efferre virtute, & innocentia dignos, Plinius Traianum, Horatius Mecænatem. At facimus docentes quid facere debeant, stultè: sed si modo fac vt sperare possis, ergo vt hæc non laudabilis ita fœdissima in qua muli mutuo scabunt, verum si merita? vno verbo per transennam, & vt de re notissima, velut Plinij secundi cum Martiale. An in sapientia, & arte perfectus fit oportet liber, quem emere præstat: Ille perfectus est qui vno filo ab initio rei ad finem peruenit, nil relinquit, nil extra finem adiicit, diuisionis normam seruat, abstrusa docet, fundamenta demonstrat, vel si artis Principem exactè delineauerit, velut Vitruuium Philander.

CAPVT XXVIII.

Lites inges.

AB obitu patris ad annum vsque xlvi. scilicet xxiii. annis perpetuò fermè litigaui; & primum cum Alexandro Castillioneo Gatico vocato, pro quibusdam nemoribus: post cum agnatis: deinde cum Barbianis Comitibus: post cum Collegio: inde cum hæredibus Dominici de Torris, qui me facto fonte leuauerat: cum omnibus superior euasi. Illud mirum, quod Alexandrum Castillioneum iudicio, & patruo suo Iudice, euertetim, quamuis sententiam obtinuisset aduersus me, quæ in iudicatum (vt Iurisconsulti dicunt) transierat: coëgique illū pecunias omnes persoluere. Simili bona fortuna iudicatus à Rectoribus Collegij, atque exclusus pluribus sententiis, inde etiam pactione confirmata vltima sententia, vt socius essem, & Collegio subiectus, non tamen ex his vnus, tot aduersantibus planè receptus sum. Cum Barbianis etiam, post longas lites, minas, aliáque impedimenta conueni, & accepta pecunia pacta, planè liberatus sum à lite.

CAPVT XXIX.

Peregrinationes.

INoiſi Italiam pluribus itineribus penè totam, præterquam Neapolim, & Apuliam, regionéſque illis conterminas; item Germaniam maximè inferiorem Heluetios, Rhetos: præterea Galliam, Angliam, vt dicunt, & Scotos, ſed libet enarrare, quid acciderit. Erat Amulthon Archiepiſcopus beati Andreæ in Scotia ciuitatis principalis, frater Proregis nothus, idemque Pontificius legatus, & primas: is laborabat difficultate ſpirandi per circuitus, primum longiores, demū cùm annum xl. ſuperaſſet, ſingulis octo diebus, adeò vt planè moriturus videretur: Verum intra xxiv. horas, nullo vel planè leui auxilio liberabatur. Fatigauerat fruſtra Caroli V. tum Cæſaris, & Henrici Gallorum Regis medicos: itaque audito nomine noſtro, miſit per medicum ſuum, primum ducentos coronatos Mediolanum, vt Lugdunum me conferrem, aut ad ſummum Lutetiam, quaſi ibi venturus: ego qui tum vacuus eram à profitendi munere, vt ſuperius enarraui, libenter conditionem amplexatus ſum. Itaque anno M. D. lii. octauo Calendas Martij, me itineri accinxi, tranſiens Dondoſola, Sione, Geneua, per Montem Sempronium, lacu Lemano relicto, tertio Idus Martias, Lugdunum me contuli: Erat dies Bacchanalium Mediolanenſium, qui ſextus numeratur à communi: ibi moram traxi xlvi. diebus, nullum videns Archiepiſcopum, neque ipſum Medicum quem expectabam: ſumptum tamen lucro vici, aderat Ludouicus Biragus Illuſtris vir Mediolanenſis, peditum regiorum Dux, cum quo amicitiam ego arctam contraxi, adeò vt ſi vellem Proregi Briſacco inſeruire, ſtipendium offerebat mille coronatorum in ſingulos annos. Aduenit interim Gulielmus Caſanatus Medicus Archiepiſcopi, attulitque trecentos alios coronatos, quos mihi dedit, vt in Scotiam me conferrem: impenſas pro viatico eò vſque offerens, tum alia multa dona pollicitus: ergo per Ligerim fluuium, Lotetiam traductus ſum, vbi Orontium videre contigit, ſed ille ad nos venire recuſauit: vidi Duce Magnieno Theſaurum Regis Gallorum in templo B. Dionyſij, rem fama minorem, exiſtimatione mea maiorem, tum maximè ob integrum Monocerotis cornu; ea hoc congreſſus cum Regiis medicis, vbi pranſi ſumus, ſed non obtinuerunt, vt me audirent à prandio, quoniam ante prandium volebant me priorem dicere. Profectus igitur iter, amicè ſatis cum Pharnelio, & Syluio, alióque Regis medico quos ibi reliqueram, Bononiam Galliæ me contuli, vbi, quatuordecim equitibus armatis, & viginti peditibus comitatus, ita volente Sareponti Principe, perueni Caletem, vidique Cæſaris torrim adhuc ſtantem: inde ſuperato maris ſinu, Londinum ingreſſus, tandem tertio Calendas Iulij, ad Archiepiſcopum Edimburgum veni: manſique ibi vſque ad Idus Septembris, acceptiſque quadringentis aliis aureis coronatis, torque vno centum vigintiquinque coronatorum, aſturcone præſtantiſſimo, multiſque aliis donis, vt ne vnus quidem vacuus redierit: veni in Brabantiam, atque in Tangarorum regione vidi Grauelingam, Antuerpiam, Brugiam Gandauum, Bruxellam, Louaniom, Maſlinem, Liram, Aquiſgranum, Coloniam, Confluentiam, Cleuem, Andernacum, Maguntiam, Vormatiam, Spiram, Argentinam, Baſileam, Neuſtat, Bernam, Biſanzonum, Rheros interiores, Corium, Clauenam vrbes illorum: demum per lacum Lariū tranſiens, Mediolanum redij tertio Calendas Ianoarij M.D.liii. Ea his omnibus locis, Antuerpiæ, Baſileæ, & Vexunrij ſolum moram traxi, cupiebant enim Antuerpiani omni ſtudio me retinere: Londini Regem allocutus ſum, accepique dono centum coronatos, renui quingentos, certè aliqui dicunt mille (veritatem ſcire non potui) quod titulo ipſius Regis, in Pontificis præiudicium ſubſcribere noluerim: in Scotia familiaris factus ſum Proregi Gallorum Vſellæ Principi: Baſileæ parum abfuit, niſi admonitus à Gulielmo Grataroló, ne in peſtifero hoſpitio reciperer: Vexuntij ab Antiſtite Lexouienſi bene acceptus, vt alias commemoraui, & donatus, tum aliis in locis. Itaque Romæ quatuor annis, Bononiæ nouem, Patauij iii. Papiæ xii. Moiraghi iv. primis, Gallarateæ vno: In oppido Saccenſi vi. propè annis: Mediolani axxii. penè in tribus vicibus, tribus annis, vt ita dicam, vagatus ſum. Præter hoc iter, vidi Venetias, Genuam, & Romam, & Vrbes quæ ſunt in itineribus his, velut Bergamum, Cremam, Brixiam, & reliquas: item Ferrariam, atque Florentiam: vltrique Vogheram atque Derthonam: Et vt breuiter dicam, penè totam Italiam, excepto Regno Neapolitano, & coniunctis regionibus, vt Apulia, Latio, Piceno, Vmbria, Brutiis, magna Græcia, atque Lucania, & Abbruzo. Sed quæres cui bono tot vrbium commemoratio? magno, modo vna die ſpectaueris iuxta doctrinam Hippocratis, nam natura loci intelliges qualis ſit, & mores habitantium, & quam partem præſtet eligere, qui morbi regnent: Et ex his quæ commodior, nam tota illa pars olim & ob frigus, & nunc magis ob diſſidia, parum eſt vtilis: tum verò ad hiſtoriarum intellectū, & præcipuè auxilio Mathematicorum talia deſcribentium: naturam quoque & prouentum plantarum, atque animaliom, & iter peregrinantibus, vnde libri etiam in hoc genere impreſſi habentur lingua Italica, hoc docentes etiam addita diſtantia.

CAPVT XXX.

Pericula & caſus, & de inſidiis multiplicibus, variis, & aſſiduis.

CAſus autem quos referam incurri, habitabam in domo Cataneorum, mane ibam ad ſcholas, erat nia in terra, ego propè murum ruinoſum à deatra ſcholaris minxi, inde per callem inferiorem incedenti, later è muro è regione ruit, hoc ergo periculum deuitaui ſolùm ob niuem, quod ſuperiore tramite,

tramite : maximè impellente comite, ire nequiui. Sequenri, ni fallor, anno M. D. xl. cum essem in via orieutali, venit in mentem, & si nulla ratione, vt à sinistro latere transgrederer ad dextrum, cumque ibi essem, magna pars cæmenti ex altissima subgrunda aduerso latere cecidit, tanto spacio ante me, vt certè nisi mutassem illud iter, totum me contriuisset, & sie euasi Deo voleote. Paulò post propè eundem locum, in mula sedens ibam iunctus currui, & tum à dextra volebam præcedere, negotio inuirante, & mora torqueute : dixi mecum, quid si ruat currus, & paulo post dum substitissem, cecidit, nec dubium est qnin oppressurus me fuisset, manifesto detrimento, & periculoetiam non leui: Non de hoc miror quòd ira contigerit, sed quòd cum toties viam mutauerim, nunquam sponte, nisi in huiusmodi periculis, forsan alias non animaduerti: Attamen res magna, non admiranda, si exemplum frequens non adesset. Cùm puer, ni fallor, annorum xi. essem, ingressus cortem Donati Carchani viri Illustris, à cane non magno, mollis pili, demorsus sum in ventre, & in qoinque locis illius vulnetatus sum, licet non grauiter, nigricantibus tamen plagis, in hoc nihil dicam nisi profuisse nescire periculum rabiei, si maiori natu contigisset, quod morbus non fecisset, timor forsan perperisset. Anno M.D. xxv. qno Rector euasi, in Benaco penè submersus sum, cùm inuitus ingressus essem habens equos conductitios, fracta malus, Temo, & è duobus remis vnus rupta vela, etiam minoris arboris, nox superuenerat : Sirmij seruatus sum, cùm nulla aliis spès superesset, mihi exigua : quod si dilatus fuisset ingressus vel xl. parte horæ perieramus, nam tanta tempestas ingruit, vt vectes fenestrarum ferrei in hospitio flecterentnr : Ego vero qui ab initio timere visus sum, inducto Lucio pisce magno in mensam, lætus cœnaui : cæteri non ita, præter consultorem erroris, & in periculo acrem defensorem. Com Venetiis essem Natali Virginis, pecuniam alea amisi, sequenti die reliquum, eram aotem in domo collusoris : cũque animaduertissem chartas esse adulterinas, pugione ipsnm vulneraui in facie, tenuiter tamen : Aderant præsentes duo eius familiares adolescentes, & duæ hastæ laquearibus affixæ, & ianua domus claue conclusa: sed ego vbi pecuniam omnem tam suam, quàm propriam arripuissem, ac vestes meas, tum annulos quos pridie perdideram, sequenti ab initio victor recuperassem, domumque per puerum meum iam amandassem, partem pecuniæ sponte abieci, quòd illum vulneratum viderem, ac statim aggressus famulos, cum educere arma nequirent, supplicantibus vitam condonaui, ea condirione, vt ianuam domus reserarent : Dominus tantam rerum perturbationem atque confusionem videns, moramque omnem suspectam babens, quod indomo (vt reor) eharris adulterinis me circumuenisset, postquã coniectura animaduertit parum differentiæ esse inter lucrum, & iacturam, ianuam aperiri iussit, itaque ego abij. Eadem die dum periculum à prætorio, ob iniuriam Senatori illatam, euitare conor, armatus sub vestibus, hora secunda noctis, lapsus pedibos, cecidi in mare : Ego cadens mei non oblitus, iactaui dextram, & apprebenso transtro, à sociis seruatus sum, cumque nauim ingredior, inuenio (dictu mirum) eum quo luseram, faciem vitta ligatam ex vulnere habentem, qui sponte obtulit vestes oauticas, quibus indutus cum illo Patauium vectus sum. Antuerpiæ eùm vellem emere gemmam (nescio qua ratione quo fineve foret in officina) in foueam cecidi, læsus & attritus in aure sinistra, excusabam satis leuiter factum, qui non nisi in cute offeusus sim. Aono M.D.lxvi. dum essem Bononiæ, me proiecei è carpento currente, quod retineri non poterat : vnde confractus annularis digitus dextræ manus, brachium quoque læsum, adeo, vt reflectere non possem ; mansit per aliquot dies, inde transmutata est affectio ad sinistrum, dextrum mansit illæsum, miro euentu, sed magis mirum quod post annos ix. rediit nulla ex causa, quasi omine, in dextrum rursus, & nune me fatigat : at digitus nullo præsidio adhibito, eo peruenit, vt nee noxam sentiam, & ab obliquitate pene liberatus sim. Quid dicam de periculo pestis quod accidit anno M. D. xli. inuiseram famulum Colonelli ex Insula Gennensis Illustris viri, is detinebatur peste, venerat enim ex Heluetiis, & inter duos ægros qui obietant dormierat. Ego inscius rei, vmbellam Cæsaris Mediolanum ingredientis detuli, quòd Rector essem Collegij Medicorum, eognita re, volebat Colonellus, vt absconderemus in villa mortuum, pro mortuo enim habebatur, noloi assentiri vt absconderetur, nibil magis timens quàm dolum, & à dolo, sed Deus iuuit, conualuit enim æger quamuis præter spem non parum adiutus præsidio nostro paterno. Quid quod in anno M.D.xlvi. hoc autem penè prodigiosum est, veniebam cura quasi solutus, ex domo io qua canis pridie me parum attigerat, non tamen vulnerauit morsu, sed quòd elam, & tacitus intentasset, metuebam ne rabidus foret, itaque oblata aqua licet noluerit bibere, non tamen aufugit, & Capi crus me iubente oblatum eomederat : cum interim video canem magnum valde, ad me venientem procul satis, & erat dies sanctæ Crucis mensis Aprilis læta admodum, via autem sepibus vtrinque virentibus munita, atqoe arboribus: dicebam etgo mecum, quid mibi hoc cum eanibus heri & hodie : vitaui metum vanum, qui scit qood bic verè non sit rabidus, & dum hæe cogito, canis iam appropinquabat, & ad vnguem è regione capitis mulæ, adeò vt consilium capere nescirem, statimque vbi appropinquanit, exiliit me inuasurus, ego autem sedebam in mula parua, quod vnicum fuit salutare auxilium iam tamen meditatum inij, inflexo enim capite super collum mulæ, canis transiit collidens dentes, neque me læsit, neque prorsus tetigit, quod sanè potest inter miracula adnumerari, adeò vt nisi hoc sæpius, & multis in locis scriptis mandassem, existimarem me somniasse, & tum cogitatione hallucinatum, oisi retrò respiciens forte rediret & inuaderet puerum, qui sequebatur retrò, & à sinistra propè sepem interrogassem, die quæso (nam eanis iam abierat impetu cursusactus) num tu vidisti quid ege-

rit canis ille, & an tibi molestus fuit? dixit minimè molestus fuit, sed apprimè vidi quid tecum egerit; dic sodes rursus interrogaui, quid egit? tum ille insiliit recta super caput tuum, te vero inflexo transiit, nec læsit, tum ego dixi mecum, certe non hallucinatus sum, sed res tamen hæc supra fidem omnibus videri poterit. In vniuersum quatuor fuere extrema pericula, id est in quibus nisi occurrissem, de vita actum esset, submersionis primum, canis tabidi secundum, casus cæmenti tertium minus, quia non inchoatum: rixa denique in domo nobilis Veneti. Totidem maxima detrimenta & impedimenta, primum concubitus, secundum mortis sæuæ filij, tertium carceris, quartum improbitatis filij natu minoris: sic examinari ordine vita debet. Omitto modo sterilitatem filiæ, Collegij litem longam; tot iniquas nedum iniustas insectationes, malam corporis intemperiem, & imbecillitatem perpetuam; nullum coniunctum qui saperet, & frugi esset: nam si non defuisset, magna ex parte me alleuasset, & à plerisque incommodis minoribus immunem reddidisset.

Quod vero ad insidias lethales attinet, narrabo mira dictu, attentus esto, nam rara historia est. Profitebar Papiæ, legebamque in domo mea, erat mihi ancilla fortuita, & adolescens Hercules Vicecomes, duoque pueri, & famulus ni fallor: horum puerorum vnus erat Amanuensis, & Musicus, alter à pedibus; agebatur annus M. D. lxii. in quo ego decreueram abire Papia, & munus profitendi derelinquere, sed Senatus hoc ægrè ferebat, tanquam in homine irato, itaque cùm essent duo Doctores, quorum vnus vir callidus, & qui discipulus meus olim fuerat, alter profitebatur Medicinam extraordinariam, simplex, neque vt puto malus: verum quid non agit cupiditas honorum atque opum, tum maxime cùm simul, & honestis studiis coniungitur? Erat autem morbus hic: Æmuli autem maximo studio quærebant, vt vrbem relinquerem, omnia facturi, vt videbatur, huius voti explendi causa. Itaque cùm depellere propter Senatum non sperarent, quamuis me discessum quærente, inierunt consilium trucidandi, non ferro propter infamiam, & metum Senatus, sed dolo, namque concursor videbat se non posse esse primum, nisi ego discederem, ergo rem procul exordiuntur. Primum Epistolam exarant nomine Generi mei, adeò turpem, & adeò fœdam, imo etiam nomine filiæ, pudere affinitatis mecum, pudere nomine Senatus, & nomine Collegij, rem eò spectare vt me munere profitendi indignum putent, & ab eo remoueant; perculsus tam impudenti, & audaci reprehensione meorum, nesciebam quid agerem, quid dicerem quidve responderem: neque interpretari poteram quorsum hæc? tam impudens & importunum factum, & si nunc liqueat profectum eo consilio, quo & alia excogitata sunt, namque intra paucos dies, alia Epistola affertur nomine Florauanti: quæ in hunc sensum scripta erat, *Pudere ipsum nomine patriæ, Collegij, Congregationis professorum, vt passim sparsum esset me abuti pueris, nec sufficere vnum, nisi etiam alterum adiunxissem: rem prorsus inauditam: rogare nomine tot amicorum, vt publicæ infamiæ consulerem, non aliud Papiæ quam hæc consilia referri: domusque ciuium designari vbi hæc agitarentur.* Ego cum hæc legissem obstupui: nec credere poteram illius fore Epistolam, amici & modesti viri: attamen adhuc in memoria hærebat prior Generi vt rebar Epistola: nam nunc, nunquam illam eius fuisse puto, sed nec quicquam tale vnquam excogitasse, cum ab eo tempore vsque ad hanc diem, & amicus & iratus, semper me coluerit, neque vllius de me malæ opinionis, nedum tam absurdæ vestigium ostenderit: Omitto reliqua si etiam hæc credidisset vir alioquin prudens, quorsum Epistolæ mandare, quæ in manibus multorum esse posset, & socerum reprehendere criminis, quod vt incertum saltem erat: ita fœdum, turpe, & ei graue futurum. Statim ergo vestem postulo, adeò Florauentum, interrogo de Epistola, fatetur esse suam: tunc magis etiam obstupui: neque enim prorsus de dolo suspicabar, nedum vt cogitarem. Cœpi rationibus agere, & interrogare vbinam hæc tam celebria Concilia agitarentur? in hoc cœpit nutare, nec habebat quod diceret: solum iactabat famam publicam, & gymnasij Rectorem, erat enim totus ille addictus Delphino: nihilominus vbi vidit rem eò spectare, vt potius ipse in periculum non leue, quam ego in suspicionem criminis traheretur, consilium mutauit, & cessit, videbat enim quamuis vt dixi simplex, quantam rem ageret. Itaque ex illa die cessarunt omnia hæc, & machinæ excogitatæ ruerunt: dicam autem, vt post intellexi, quonam pacto res agitata sit: persuaserant lupus, & vulpes pecudi illi, si ego non essem, omnino decreuisse Senatum, vt munus profitendi Papiæ illi secundo loco daretur; nam primum concursor ipse, ibi arrogabat successionis antiquo quodam, & vsitato more, locum suum vulpecule retineret, sed non sic erat, vt postmodum euentus docuit. Ergo absoluto primo actu tragœdiæ, inchoatur secundus, qui lucem attulit primo: ante omnia ergo curarunt, vt hic (qui rubori esse debuerat patriæ, familiæ, Senatui, Collegio Mediolanensi ac Ticinensi, Concilio professorum, discipulis denique) Academiam Affidatorum Papiæ ingrederetur, in qua erãt plures Theologi egregij, duo Principes Mantuæ Dux, & Marchio Piscariæ; & quoniam me ægrè eò deduci videbant, vt consentirem, minas addiderant; quid facerem, perculsus tanto filij casu? omnia aduersa expertus, tandem acquieui, tum maximè, quòd me è profitendi munere in Academia, certis quibusdam diebus liberarent: neque tum ego animaduertebam technam, vt vellent recipere eum, quem omnes Ordines iam nondum xv. exactis diebus, vellent proscribere, tanquam omnium puerorum coniugem, ô fidem Deûm! ô immanitatem mortalium! ô sceleratorum amicorum, & proditorum acerbitatem! ô impudentiam, & sæuitiam serpentibus maiorem! Quid plura? in primo ingressu, animaduerto sic collocatam trabem; vt facile esset, quemcunque ingredientem lapsu inconsiderato posse occidere: nescio modo an fortuitò, an consultò id egerint. Verum quanto ratius

poteram,

pottraĩn, fingendo causas & cum irem importunè & inexpectatus, aderam: obseruans diligenter muscipulam, sed nihil hac actum, seu quòd non tam publice facinus perpetrandum existimauerint, seu quòd omnino de eo non cogitarent; aut quod alia in consiliis agitauerint. Vnum est, quòd intra paucos dies vocatus ad filium Petri Marci Throni Chirurgi ægrotantem, extulerant plumbum in ostio, quo iuncea si paria retioeti fingebantur, quicquid sit, quomodo, & qua arte id factum, non assequor, vt decideret: decidit ergo, si attigisset actum erat de me, quàm parum absuerim, Deus nouit: Ex hoc tunc cœpi nescio quid suspicari, inscius tamen quid suspicarer, tantus erat mentis meæ stupor. Sed audi tertium actum qui omnia detexit, venit paulo post Pecus illa rogatum, quòd vellent Missam celebrate nouã, vt duos quos habebam pueros Musicos, mutuo concedere vellem ad celebritatem: norant autem prægustatores esse mihi, & cum ancilla conuenerant de veneno dando: antea verò rogarant Herculem, vt huic negotio interesse vellet; ille nihil mali cogitans, pollicitus fuerat, sed vt vidit etiam bos requiri, malum suspieatus est; itaque respondit, solum vnus est Musicus, non duo; tum Florauantus vir rudis, adeo ardebat cupiditate abducendi, vt dixerit, det ambos, nouimus enim quod, & ipse Musicus est, & licet non adeò expertus, cum aliis tamen chorum puerorum implebit, respondit Hercules, finite parum (erant enim duo) vt colloquat herum, venit itaque instructus omnibus modis, vt si non prorsus fuissem amens & excors, possem facile interpretari, quid agitarent, cum tamen neque tunc animaduerterem: satis ergo habui pueros (hortante me Vicecomite) non dare: itaque discesserunt illi, respondit enim Hercules, puerum alterum prorsus ne notam quidem Musicæ cognoscere. Non exactis quindecim diebus, vel paulo pluribus, reuertuntur iidem, rogant vt mutuò dem pueros illos, velle recitare Comœdiam; tum verò Hercules ad me rediit, dicens, nunc iam aperta est fabula, volunt detrahere domesticos omnes tuæ mensæ, vt veneno te enecent: neque solum diligenter huiusmodi technis prospiciendum est, sed cuicunque occasioni, haud dubium enim est, quæritare illos in exitium tuum, dixi ego puto, sed tamen non poteram tantæ rei acquiescere. Quid dicam respondi Herculi, ille, tibi opus esse tuis domesticis, & ita illi abierunt. Tandem vt reor multis cõsultationibus actum est, vt omnino me perderent: Erat dies sabbati vi. ni fallor, Iunij, iuxta mediam noctem expergiscor, inuenio me carere annulo, cui inclusus erat hyacinthus: iubeo puerum surgere & quærere, sed frustra quæsiuit, surgo, impero vt lumẽ accendat, vadit, & redit: negat adesse ignem, comminatus ego grauiter: iterum iubeo quærere, venit lætus cum forcipe ferens ignem, carbonem scilicet ignitum quantitate ipsi, dico non satisfacturum, negat esse alium, iubeo vt insufflet, cum ter insufflasset, amissa spe flammæ, dum remouet candelam ab igne, flamma emicuit magna, & candelam accendit: Ego dixi animaduertistine Iacobe Antoni (hoc enim erat prænomen) equidem ille respondit, quid? dixi, quoniam candela, inquit, nulla à carbone flamma edita, tamen accensa est, dixi ergo caue ne iterum extinguatur, quærimus annulum, inuentus est in pauimento è regione media lecti, vt eò peruenire non potuerit, nisi magna vi excussus à muro, & resiliens: Voui ergo me non exiturum die sequenti domo, fauebat occasio voto, festus enim dies fuit, & mihi nullus æger: Ergo mane adueniunt quatuor, aut quinque ex discipulis meis, cum zapphira, rogantque, vt velim interesse cœnæ in qua omnes professores Gymnasij, & Academiæ nobiliores adfuturi erant, nego me posse, ipsi quod scirent me non prandere, & ob id interesse nolle existimabãt, inquiunt, tua causa distulimus in cœnam; rursus respondi non possum omnino, rogant causam, dixi de prodigio, & voto, omnes admirabantur, sed duo ex his se intentè respiciebant, rogarunt sæpe, ne vellem tam celebre conuiuium mea absentia conturbare, respondi vt prius: circiter post horam iterum redeunt enixius aliquanto rogarunt, respondi nolle votum frangere: omnino decreuisse non exire domo? quamuis vesperi obnubilato aëre, exierim ad inuisendum macellarium haud diuitem ægrum, nam voto non vetabar. Itaque confusus semper mansi, donec ex patria discessi, nam statim deprehensum est vulpeculam successisse in munus profitendi à Senatu, & saltantem, & gaudentem quod hoc ei obuenisset: sed ô mortalium spes! non ter aut quater professus est, inuasit eum morbus, vt audiui, qui perdurauit circiter tres menses, & obiit: solo crimine perfusus, intellexi enim post quendam è suis, à poculis in conuiuio destinatum rei conscium: Mortuus eodem anno Delphinus, paulo post Florauantus. Quin etiã in insidiis Bononiæ erga me fabrefactis, idem in totidem Medicis licet aliquanto serius accidit, mortui enim sunt qui quærebant animam meam: si tamen Deus annuisset tot calamitatibus afflictum me pro beneficiorum mercede, quæ in humanum genus adeo assiduè contulit, ita remunerassent. Didiceram autem abstinere ab huiusmodi casibus, patrui Pauli qui veneno obierat, & patris qui bis venenum sumpsit, licet euaserit dentibus amissis, exemplo.

Quid postmodum, eodem fermè tempore malorum non accidit? mense Iulio coactus iter agere, ob grauẽ morbum quo nepos infans Papiæ premebatur, cùm essem Mediolani. Ex illo correptus Erysipelate in facie, tum etiam ob dentis dolorẽ, parum abfuit quin sectione venæ occurrerem, ni succedens nouilunium continuisset: à nouilunio melius me habui, & ita euasi vtrumque morbi periculum, & auxilij. Inde necem intentatam à domestico ob pecunias, quam solum paucis horis præueni. His successit podagra grauis & longa: subij & anno lxxii. vitæ pericula non leuia ex insidiis, cùm parum mihi notæ essent viæ Romæ, mores adeò inconditi, vt multi Medici me ipso cautiores, & peritiores consuetudinis, causam mortis inde contraxerint. Ergo cum viderem me potius prouidentia diuina seruatum, quàm propria solertia, desij, in posterum solicitus adeo esse de periculis: verùm quis

non

non videt hæc omnia, quaſi fuiſſe gloriæ conſecuturæ præiudicia, aut vigiliam quandam, velut anni M. D. lxii. quam conſecutum eſt munus profitendi Bononiæ octo annis, honeſtum & vtile, cum quadam intermiſſione tot moleſtiarum, atque laborum, & iucundiore vita.

CAPVT XXXI.

Felicitas.

QVanquam felicitatis nomen à noſtra natura longè abſit, cùm tamen quod propius vero eſt, id ex parte aſſequi contingit, ideò & eius particeps fui, primùm euidenti ſigno quòd ad amuſſim cuncta euenerunt, ſi cui mortalium, vt plerique fines atque principia, ſi paulo ſerius, aut citius incœpiſſent, vel finem diſtuliſſent, omnia fuiſſent euerſa. Secundum eſt in portione temporis comparata ad totum: velut cum in Saccenſi oppido habitarem: cum inter Gigantes vnus ſit neceſſario minimus, & inter Pygmeos maximus: neque tamen paruus Gigas, neque magnus Pygmæus eſt: ita etſi dum in oppido Saccenſi fui, felix eram, non tamen ſequitur, vt aliquando felix fuerim. Itaque ludcbamus, Muſicæ operam dabamus, ſpaciabamur, epulabamur, licet rarò ſtudiis operam nauabamus, nullæ moleſtiæ, non timores, ſuſpiciebamur, venerabamur, congrediebamur nobilibus Venetis, ætas mea floridiſſima: nihil fuit ea vita iucundius, quæ durauit quinque annis cum dimidio, à Septembri menſe M. D. xxvi. ad menſem Februarij M.D.xxxii. conuerſabamur cum Prætore, publica domus erat regnum & noſtra: Indicio quod tempus illud non ſolum euanuit, ſed memoria eius adeò contracta eſt in anguſtum, ob voluptatis ſenſum, vt læta ſomnia eo me deducant. Tertium eſt maius omnibus, quòd ſicut ad felicitatem pertinet, vbi non poſſis eſſe quod velis, eſſe quod poſſis: ita ad vberiorem felicitatem, vt eius quod optimum eſt, ex his quæ deſideramus: Oportet igitur, vt dignoſcamus quorum ſimus poſſeſſores, & eorum vnumquodque quàm bonum, vt optimum eligamus: ſeu duo vel tria ex his, & tale aut talia ardenter amare ac concupiſcere, & vt minore incommodo, non ſolum ob ipſa quæ eliguntur, ſed etiam ob alia poſſideantur: Demum vt optimè poſſideamus, aliud enim eſt poſſidere, aliud optimum eſſe quod poſſidetur, aliud optime, id eſt, perfectè poſſidere. De futuros non ignoro, qui hæc vt paradoxa contempturi ſint, ſed vanitatem rerum mortalium intuenti, præterita memoranti, facile erit intelligere, hæc pluſquam vellemus, eſſe veriſſima: Quòd ſi nondum illis aſſentiris, tempus omnia deteget, & talia oſtendet ſic ſe habere. Capiamus gratiâ exempli Auguſtum, M. Scaurum, Senecā, Acilium. Certè Auguſtus ampliſſimæ fortunæ vir fuit; & iudicio hominum felix, quid nunc illius ſupereſt? non ſtirps, non monumenta, omnia extincta ſunt, ſi oſſium aliquid maneat? Quis ſecum habere velit, nedum cupiat? Quis illius nomini vim facienti iraſcatur: Et ſi etiam ſecus ſit? quid ad illum? Dum viueret felix erat? Quid plus illi quàm aliis ſuis beatis præter meditationes, iras, furores, timores, cædes? domus plena tumultus, aula perturbationum: intimi inſidiarum, ſi non dormiebat infœlix fuit: ſi dormiebat ſomnus potior vigilia erat, vigilia ergo mala quando ſomnus eſt melior: qui tamen eſt indifferens. M. Scaurus quid cū tantis Theſauris, ſpectaculis, profuſionibus, quorum omnium ne vmbra quidem ſupereſt: ætate ſua tumultus, anxietates, vigiliæ, labores authorum? ſpectacula, pompa, voluptas aliorum? Quid felicitatis poterat eſſe in Acilio cùm opes euanuiſſent, dolores pro voluptatibus, & egeſtas loco diuitiarum ſubingreſſa foret? non laborabo vt oſtendam Acilium fuiſſe infelicem, cùm nil maius ſit infeliciſſimæ vitæ argumentum quàm olim iucundè, & proſperè vitam duxiſſe, nunc autem miſerè. At Senecæ quid nunc reliquum præter malam famam: anima beata eſſe non poteſt, cum viueret cum gregibus exoletorum, cum menſis cedrinis eburneiſque, fœnore Italiam obruente, tot hortis vt etiam in adagium tranſierint? poſtquam coactus eſt metu veneoorum Neronis, viuere pane & pomis ſolis ac aqua è ſontibus hauſta; idem docuit nemini deeſſe, modo velit, victum ad felicitatem, poſtquam ſufficiunt tam pauca etiam luxurioſiſſimo nepoti: nam cætera erant ad voluptatem, non ad victum. Sed quid magis noſtra decreta confirmat ſtulta iactantia L. Syllæ? qui ſe, occiſo Mario iuniore, felicem iuſſit appellari, cùm tam maximè eſſet miſer, ſenex, cædibus, & proſcriptionibus fœdus, cum tot inimicis, depoſito magiſtratu: Quòd ſi ſic licet eſſe felicem, & nos multo magis eo nomine digni erimus. Viuamus ergo cùm nulla felicitas ſit in his mortalibus, quorum ſubſtantia eſt marcida, inanis, & vacua. Quòd ſi quicquam boni eſt, quo adornes hanc ſcenam, neque huiuſmodi fraudati ſumus. Cuiuſmodi quies, tranquillitas, modeſtia, temperantia, ordo, viciſſitudo, hilaritas, ſpectacula, ſocietas, temperantia, ſomnus, cibus, potus, equitatio, nauigatio, deambulatio, notitia rerum nouarum, meditatio, contemplatio, educatio, pietas, coniugium, conuiuia, memoria præteritorum bene diſpoſita, munditics, aqua, ignis, Muſicæ auditus, oculorum luſtratio, ſermones, fabulæ, hiſtoriæ, libertas, continentia, auiculæ, catuli, feles, conſolatio mortis, communis temporis tranſitus miſeris æqualis ac beatis, caſuum & fortunæ. Spes etiam inſperatorum, exercitatio in aliqua arte quam noris, tranſmutatio quæ multiplex eſt, Orbis amplitudo. Quid eſt ergo malum, in tot benefactorum, & ſapientum multitudine, vt omnia fimi plena ſpeiṁon ergo viuimus infelices, & niſi communis conditio hominum repugnaret, auderem prædicare amplam felicitatem: ſed turpe ac futile conſilium, vt alios decipias mentiri. Ergo ſi mihi optio loci detur Aquilam, vel Portum Veneris amœna ad habitandum loca me transferam: aut ſi extra Italiam Erycim Siciliæ, Diepam iuxta Drudim fluuium, Tempeve Theſſaliæ: neque enim ætas fert Cyrenaicam regionem, aut montem Syon Iudææ, vel vt quæramus Zeilam inſulam Indiæ: felices enim ferunt homines, regiones, non faciunt.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Honores delati.

HOnorum neque auidus, nec cupidus, nec amator fui: vt qui intelligerem quantum mali in vita humana afferrent. Ita magnum malum est, sed temporale, honoris incommoda sunt perpetua. Primùm honoris studium exhaurit opes, dum labores vitamus: & reliquas lucri ansas, dum ambitiosè vestimur, conuiuamur, & plures domesticos alimus: idē cogit nos ad mortem, tot modis vt non succurrat numerus, Monomachia, bello, rixa, litibus improbis, assidendo apud Principes, conuiuiis importunis, concubitu cum vxore, vel meretrice: experimur maria, profitemur honorificū pro patria pugnare: familiare erat Brutis se deuouere in prælio, Scæuola exurit dextram, Fabritius aurum reiicit, hoc forsan prudentis, cætera stultorum, imò amentium exempla. Non est vt iactes patriam: Quid est patria, nisi consensus (maximè loquor de Romanis, Carthaginensibus, Lacedæmoniis, Atheniensibus, qui hoc prætextu mali bonis volebant dominari, luxuriosi miseris) tyrannorum minutorum ad opprimendos imbelles, timidos, & qui plerumque sunt innoxij. O improbos mortales! An putas illos adeò vitæ prodigos, vt mortem pro patria honoris gratia subire vellent! sed rustici, pauperes secum versabant illud, quid me miserius! sed si vixero, ego numerabor inter Principes ciuitatis, & aliena vt hic & ille bona possidebo, vt nunc alij mea: si moriar, descendentes ab aratro ad currus, & pompas vocabuntur; hic erat amor patriæ, stimulus honoris. Nolim subiici his accusationibus, neque vrbes illas, quæ pugnant pro libertate: neque eos Principes, quorum fructus Principatus solum est iustitiam tueri, bonos fouere, miseros eleuare, virtutes alere, proprios & eos qui plurimum iam potentiæ sunt consecuti meliores efficere, vt præmium talis honoris solum sit labor: neque hoc est vitium vrbium, velle dominari, aut ciuium præeminere aliis, sed necessitas ordinis efficit dominationem, improbitas tyrannidem. Sed redeamus ad trita, nam hæc pauci norunt: honos subripit tempus, dum tot hominibus, tot salutationibus cogimur aures præbere: eripit studia sapientiæ, quibus nihil in homine diuinius potest inueniri. O quot mortales iacent, nec digni auditores, qui si duas illas horas quas diebus singulis comando se, & exornando consumunt studiis impendissent, biennio toto, aut triennio, iam possent profiteri? hoc honoris præmium ac decus. Idem impedit curam familiarem etiam filiorum, quid amentius? Subiicit nos inuidiæ, ex inuidia odium & æmulatio, ex his infamia popularis, insectationes, accusationes, mortes, amissio bonorum, supplicia; eo amittimus magnam partem libertatis si non totam: Quin etiam si cum populo sentire velis, quicquid boni nobis in hac vita relictum est, ipsam voluptatem. Hac ipsa via ad perniciosissimum malorum (quasi protectore illo) honestè progredimur, scilicet ignauiam, hanc ingrediuntur improbi adolescentes, hoc ipso domus periclitantur funditus, & euertuntur. Omnia quæ appellantur bona, aliquid huiusmodi boni retinent, præter honorem: Filij, perpetuitatis initium: Amicitia, partem felicitatis non leuem: opes, commoda omnia: virtus, in infelicitate solatiū, in felicitate ornamentum, societates & collegia, securitatem magnam, & nunc & alias semper. Nunquid ergo perpetuos honores deuitare debemus, ac fugere? Non sanè, primùm cùm honos, opes, potentiam, & lucra adauget vt in magistratibus, & Medicis, atque pictoribus, & generaliter in artibus, vnde dici solet honos alit artes: secundo cùm honos leuat hominem à periculo, vt Collegia & Congregationes, in his qui inuidia graui laborant, & in falsa calumnia & damnatione præpostera. Tertiò cùm honos addit potentiam, hoc maximè in militari arte, & quibusdam magistratibus, quorum est vicissitudo per optionem, vt vocant, & successiuos ex ordine gradus. Generaliter vel ad sarciendum ignominiam & dedecus, quæ sunt deteriora honore, vel oh vtilitatem quæ ex coniuncta illi re sequitur, vel cùm versaris vbi incognitus sis. Quartus est cùm potes illum exercere gratia virtutis, nec labor multum impedit. Ergo in huiusmodi munere, neque sors auara fuit: puerum Cardani, multi comitabantur cum eo me contulissem, in augurium quoddam fortunæ meæ: vbi adeptus literas Latinas, statim etiam in vrbe nostra cognitus fui: Post vbi Papiam me contuli multi me sponte comitabantur, & oblata fuit conditio, quam si amplexatus fuissem, ad magnos honores aliquando cum Pontifice Pio quarto via patuisset: disputaui satis feliciter, & mecum Matthæus Curtius honoris causa congressus est; professus sum Mathematicas anno vnico, nam Academia dissoluta est anno M. D. xxxvi. vocatus ad Pontificem Maximum Paulum tertium: Tum iam duobus ante annis Mathematicas profitebar, Geometriam, Arithmeticam, Astrologiam, Architecturam. Anno M. D. xlvi. oblata est conditio ab Illustrissimo Morono profitendi Romæ, cum honorariis etiam Pontificis. Sequenti per Andream Vesalium, & Legatum Daniæ, In singulos annos aurei coronati Pannouici ccc. & vi. super vectigalibus pellium nobilium: hi à regia pecunia differunt octaua parte, & quidem tardius numerantur, & non adeò integra fide, sortique in parte subiacent. Et victum pro me & quinque familiaribus, & tribus equis. Tertia fuit in Scotia, verecundor summam explicare, vt in paucis annis fuissem ditissimus: Priorem non accepi, quòd regio esset admodum frigida, & humida, homines planè barbari, ritus sacrorum & præcepta multum à Romana Ecclesia alieni: Hanc quòd non liceret pecunias per trapezitas ac cursores in Angliam, quantò minus Galliam, aut Italiam traducere. Hæc fuit anno M. D. lii. mense Augusti; mense Octobris studiosissimus Princeps Badolfiæ, & à Secretis Gallorum Regis Vilander conditionem aliam obtulerunt, D.ccc. coronatorum in singulos annos: Et si vellem solum Regiam manum deosculari (vt dicunt) ac statim discedere, torquem aureorum D. Alij solicitabant pro Cæsare qui obsidebat Mediomaticum, seu Diuodurum

Ego

Ego nulli volui assentiri: huic quòd viderem in summis difficultatibus (vnde maximam partem exercitus frigoribus, & fame amisit) versari; illi quod non par esset relinquere dominum, vt hosti illius adhærerem. Ergo dum Antuerpia Basilæam me conferrem, Illustris vir Carolus Affaitatus me in villa sua excepit, & vel inuitum omnibus artibus conatus est Mula generosa donare, quæ ad pretium propè C. aureorum accedebat: Erat enim vir singularis humanitatis, ac libertatis, & amator hominum virtute præstantium. In eodem itinere nobilis Gennensis Axalinus, Asturconem obtulit (Angli eum appellant patria lingua *Obinum*) pudor me continuit, secus accepturus, cum nihil posset formosius iudicio meo, aut præstantius desiderari, candidus totus, teres, erant autem duo prorsus similes equi, optionémque offerebat: Anno sequenti oblata est conditio à Principe Dom Ferrando (vt moris erat eum appellare) xxx. M. Coronatorum, vt fratri Mantuæ Domino, (& vt vocant Duci) perpetuo inseruirem: numerabant die prima inter reliqua M. coronatos, non placuit recipere: admirabatur Dom Ferrandus, ægre tulit. Ad id propensior, quòd tentasset me pro negotio illi honesto, mihi non ita, & hortationes non valuissent, & ad minas conuersus esset: intellexit denique cur mallem (more Hermelinorum) mori quam fœdari, plurimumque ab ea die in posterum me amauit, vt mos est eorum qui animo sunt generosissimo. Fuit & vt dixi an. M.D.lii. sexta Proregis Brisaci, qui omnia offerebat, præcipuè suasu Ludouici Biragi Illustris Ciuisque nostri: cæteri vt Medicum accersebant, Brisacus vt Machinatorem, sed multum aberat à votis. Interim antequam diuertam à proposito, verbo vel vno docere volo, cur tam locuples conditio à Rege pauperrimo, qualis est Scotiæ, cui non amplius vt referunt xl. M. aureorum redditnum est in anno, offerretur? Subsunt proceres, vt dicunt xiv. M. (quamquam non tot esse putem) hac lege deuincti, vt pro Regno armati in Castris sint per menses tres, precario alij dicunt: Et dum moritur aliquis, Rex est tutor (& ex consuetudine, cui Rex hoc munus delegauerit) filiorum, donec maximus natu xxi. annum attigerit, seu expleuerit. Interim victu & vestitu dempto, redditus omnes sunt tutoris, absque ratione reddenda, nam in locum Regis venit: Et quod maius est, seu masculus, seu fœmina, tutor connubio cui vult iungere potest, modo is, vel ea quæ iungitur, & ipsa nobilis sit, eamque dotem, non pro conditione pupilli, sed dantis accipere cogitur. Redeo ad nostra: ter Papiæ conductus sum, seu quater à Mediolanensi Senatu: ter à Bononiensi, quamuis irrita fuerit vltima. Reditum meum è Scotia Lutetiæ præstolabantur xl. viri nobiles: vt meam experirentur in arte Medica operam, & vnus M. coronatos sui duntaxat causa, offerebat, sed ego vix transire poteram, certè ausus non sum: Extat Epistola Præsidis Lutetiani, Emari Ranconeti, viri, vt dixi alias, Latinè Græceque eruditissimi de hoc. Dum per Galliam, ac Germaniam transirem, non aliter accidit mihi, quàm olim Platoni in Olympicis. Testimonium quoque, de quo diximus, Collegij Patauini, recitauimus ad vrbis Præfectum; cui non absimile fuerit, quod Veneriis, cum nisi nemine reluctante res confici posset, erant autem supra lx. suffragia, omnia obtinui: simili felicitate cùm essent xxix. suffragia in Bononiensi Senatu, xxvii. electus sum, cùm minori numero xxv. non potuissem. Et illud, omnibus gentibus non solum notum fuisse, sed etiam totius orbis Principibus, ac Regibus, & Imperatoribus nomen meum: quod & si absurdum possit dici, & inane, illud negari non potest, vt si singula spernas, aceruus contemptu indignus esse nequeat. Scientia multarum rerum, itinera, pericula, munera quæ exercui, conditiones oblatæ, Principum amicitia, fama, libri, miracula circa sanationes, & in aliis quæ contigerunt, & res raræ penè supra naturam, Spiritus insuper, & cognitio splendoris: E tribus esse Collegiis Mediolanensi, Papiensi, atque Romano. Omnium autem honorum, nihil à me vel verbo quæsitum, præterqoam Collegium Mediolanense in quo cooptatus sum mense Augusti M. D. xxxix. in fine; & profitendi Bononiæ, ambo necessitate coactus, non ambitione stimulatus. Decoratus præterea sum ciuitatis beneficio à Bononiensi Senatu: In vniuersum. vt dixi, honor res misera mortalibus, sed si ad rem hic, non solum plus aliquid consequutus, sed multo quàm sperabam, velut & illud cognominis, sed de dedecore sermoné faciamus.

CAPVT XXXIII.

Dedecora, quis locus somniis? De Hirundine in insignibus.

DEdecoris igitur ratio longè aliter quam honoris est interpretanda: vt fugere honores plerisque præstat: dedecora vero pati, nemini vtile aut honestum iuxta popularem opinionem credunt, dici enim consueuit:

Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.

Vbi enim feras, vt neglectum agredientur & profligabunt, neque de pueritiæ ætate agendum est, quia non est capax dedecoris, sed si modo, conueniet illud Horatianum de patris educatione:

Ipse mibi custos incorruptissimus, omnes
Circum doctores aderat.

Verum vt dixi dedecora & turpitudinem ferre, primum omnia parit incommoda quæ honor, sed maiora: Maximè autem sunt talia quæ circa fœminas versantur: cùm verò duplicia sint dedecora atque honores, pestifera illa est hominis sors, quæ in cute habet honores; intus autem dedecore marcida est, honorantur à stultis, & à plebe, odio habentur à præstantibus, ab insolentibus irridentur: Contra qui intus honorantur, extra contemnuntur: horum vita tuta est, & quieta si per eosdem liceat, vt sint contenti sorte sua. Qui vtrinque spreti, & inanes dedecoréque premuntur, hi sunt vt geruli, & agricolæ apud nos, qui si sub iustis Principibus vitam agant, satis bene valent, maximè si in vnum per societatem coierint. Qui verò intus & extra honorantur

norantur calumniis, insidiis priuatis, accusationibus sunt valde obnoxij: à publicis iodiciis tuti sunt: quod homines tam iustos offendendo, populi inuidiam, vel etiam vitæ periculum vereantur. Dum essem Bononiæ, & ageretur de conditione paciscenda, bis aut ter nomine Senatorum & Iudicum venerunt noctu, qui petebant, vti subscriberem, mulierem iam damnatam, de impietate, & veneficio seu maleficio, prætorio & Pontificio nomine esse absoluendum: maxime hoc argumento, quòd iuxta Philosophos nulli essent dæmones: aliam mulierem (sed hæc nondum erat à judicibus damnata) vt iuberem à carcere liberari cum periisset æger in manibus aliorum Medicorum: afferebant quoque, natiuitatum fasciculos, vt de his pronunciarem, tanquam ariolus & vates, non vt Medicinæ professor, omnes tamen hi nil tulerunt, præter irritum laborem, & malum nomen. Principio tamen cùm essem xii. annorum, & exonerassem sagittam pyrio puluere plenam, & chartaceo operculo vulnerata foret vxor honesta Musici: in mala colapho cæsus sum adeò acriter, vt ceciderim. Disputatio habita Mediolani fuit cœpta supra vires, & parum feliciter cessit. Violentia quorundam, Medicorum addactus sum anno M. D. xxxvi. seo xxxvii. turpi conditione pacisci cum Collegio, sed vt dixi, postmodum dissoluta est, anno M.D. xxxix. & restitutus sum integrè. Anno M.D. xxxvi. cùm curarem in domo Bonromeorum, vidi diluculo per somnium serpentem magnitudinis eximiæ, à quo interfici timebam: paulo post aduenit nuncius vt inuisam filium Camilli Bonromei Comitis (vt vocant) & viri illustris atque primarij, eo ad illum: videtur puer (erat enim septenis) exiguo laborare morbo, sed obseruanti pulsum, quarto ictu perpetuo intermittebat: rogat mater Comitissa Corona, quomodo se habeat? respondi non videri magnam febrem, nihilominus quòd ad quartum ictum perpetuò cessaret vereri aliquid, quod nesciebam (nondum enim libros Galeni de Præsagiis ex pulsibus, habebam) itaque cum per eadem omnia vsque ad tertiam diem permansissent, medicamentum quod vocatur Diarob, cum Turbit, propinare in morsulis decreueram: & iam conscripseram, nuncius ad Pharmacopolam ire cœperat, recordor somnij, *Qui scio*, mecum dixi, *ne hic puer moriturus ex signo præscripto?* (Et postquam libri apparuere ita inuêtum est) *causamque Medici isti adeo mihi infensi, in medicamentum referant*; reuoco nuncium, qui nondum quatuor passibus ab ostio aberat, dico deesse quippiam qood addere vellem, lacero prius factum, clam, & aliud scribo è margaritis, osse monocerotis, gemmis. Datur puluis, euomit: intelligunt astantes malè se habere puerum: adoocantur tres Medici principales: sed ex his vnus mitior, qui in caso filij Sfondrati interfuerat, vident medicamenti descriptionem: Quid facias, quamuis duo me admodum odissent, Deo non permittente vlterius grassari, non solum collaudant medicamentum, verùm denuo exhiberi iobent, quod factum me seruauit; cum vesperi venissem intelligo omnia: mane sequenti in aurora aduocor, video laborare in extremis puerum, patrem plorantem, proiectumque: *Ecce*, inquit, *quem dicebas non ægrotare:* (quasi hoc ego dixissem) *saltem ne deseras illum donec viuit:* pollicitus sum, animaduerto detineri à duobus nobilibus paulo post; insurgere tentabat exclamans, non permiserunt, causam in me reiiciebat: Quid plura, si locus fuisset medicamento Diarob cum Turbit (quod sanè non tutum erat) de me actum fuisset, cum vel sic tam grauiter donec vixit de me quereretur, vt omnes fugerent: Velut me canidia afflasset peior serpentibus Afris; sic euasi mortem, & commutaui iacturam ex infamia in studia, vt postmodom non pœnituerit. Non credam somniom illud, vt neque alia narrata superius, fuisse fortuita, sed vt facile est videre monita, vt quæ ab animo pio à multis oppresso miseriis, quem Deus noluit derelinquere: sed eo stimulo excitatus, cùm visio congrueret negotio, erat enim domus in campo B. Mariæ Pauonis, tota depicta serpentibus, vt qui viperam habeant iunctam veteribus insignibus Bonromeorum: vt nos Cardani antea pro insigni arcem rubram cum suis turribus, sed turricula insuper in medio nigra, & spatium circa arcem album, vt turricula distingueretur à Castellioneis, quorum nomen insigne declarat oppidum leone: Cæsar ergo Cardanis Aquilam nigram (præter rostrum) totam expansis alis (aliqui ore integro, alij diuiso depingunt) spacio croceo superaddidit: Vnde quidam spacia vtraque crocea seu aurata depingunt, alij antiquo more Aquilæ croceum, arcis album. Quin & ego ea die qua detentus sum, hirundinis imaginem sub tegete seu nubilario canentis, sigillo adieci, quod difficillimom esset insignia ob colorum varietatem referre. Accepi hirundinem multis modis conuenientem moribus nostris, innoxia mortalibus: paoperum societatem non abhorret, cum mortalibus versatur perpetuò, nunquam tamen familiaris, mutat regionem, idque reditque sæpius, connubialis non solitaria, neque gregalis, cantu oblectat hospitem, carceris impatiens. Redeunt (soli) oculi obcæcati, & cum tantula sit, lapides perpulchros in ventre gerit, gaudet mirum in modum aëtis clementia, & calore. Artificiosa, in condendo nidum, vt soli Alcyoni hac in parte inter aues cedat: alba sub ventre intus deforis nigra, remeat ad hospirium quasi grata & memor, nulla auis etiam carniuora eam persequitur, nulla illam volatu vincit, aut æquat: sed redeo ad historiam, bis in Saccensi oppido cura cum ignominia mihi cessit, matrona ciue nostra Rigona cui in sexta sanguinem missi ex pede, in septima obiit: Alteri qoi pauper erat, & patronalis Ecclesiæ (vt vocant) nolam, seu Campanam dictam pulsabat, cum medicamentum dedissem, nocte illa ni fallor obiit. Causa in vtroque eadem, quod huiusmodi morbum quo ambo laborabant, nunquam videram; verùm parum abfuit infamia, quæ si increbuisset malè actum foret mecum, adeò profligatis rebus meis, tam priuatis quam publicis, sed Vignani factum malè quoque cessit citra mortem tamen, vnde & nos dereliquit, cùm nouem ex illa domo sanitati per me restituti fuissent; ter ergo

in li. annis, quibus sum à Medicina errani, cùm Galenus non se accusauit, quia toties errauerat, vt accusatio non habeat locum excusationis. Itaque dedecori nulli publico obnoxius fui, sparsis verò vocibus nullo authore, nemo magis, maximè Mediolani, Bononiæque: credo vt redderent gratias locupletes ciui suo; Papiæ nihil tale, quamuis verè ciuis eius vrbis, vt qui in eanatus & nactus domicilium. Verùm vt febris quosdam morbos finit, & ægros à morte liberat, qui nusquam aliter sanari possent, vt Hippocrates author est in Aphorismis; ita carcer ille superueniens clamoribus tot scelerum, omnia illa extinxit, vt nec suspicionis vestigium emicuerit, argumentum sanè quantum possit inuidia. Et vos Medici: Quid vobis feci? Ergo dedecora, & vituperationes finem quasi inuenerunt, vnde initium sumpsisse sperabant. Sed relinquamus sermones hos de infamia & dedecore, quæ nostra ætate ad fœminarum opprobria magis quàm virorum pertinent: nonne insigne illud commentum fuit Bononiæ Dialogi qui circunferebatur sub Melanphronis, id est obscuræ & nigræ sapientiæ nomine? sed adeò incomptè fabricatus, & infeliciter editus erat, vt experientia ipsa docuerit, authorem facti, nec albam, nec nigram sapientiam habuisse, vnde coacti sunt suum laborem ipsimet disperdere: sed redeamus ad patriam, vbi reiectus sum à cura hospitalis B. Ambrosij, quæ in annum præstabat vii. aureos viii. non attingebat: & eram ni fallor annorum xxxvii. iam antea excideram anno xxix. ex conductione villæ seu oppidi Carauagij, stipendium non attingebat lxxx. aureos: labor clitellarum, at Mazentæ iam pactum contraxerant; erat circiter lv. ego iam transacta hora me subduxeram, tam parum abfuit ne ibi contabescerem, si non potuissem consenescere. Bassani circa annum xxix. quamuis intercedentibus amicis non accepi munus medendi, cuius munerarium erat centum aureorum: Est autem oppidum in agro Patauino. Sed præclara fuit oblatio Cæsaris Rincij Medici è primariis nostræ ciuitatis, vt si vellem suscipere curam villæ cuiusdam in agro Nouariensi, & distabat ab vrbe nostra L. M. passuum, daturos illos xii. ni fallor coronatos pro annuo stipendio. Non mireris ergo si in Saccensi oppido nihil habebam stipendij, & perseueraui quinque annis: Et Io. Petrus Pocobellus Modœtiæ, & Io. Petrus Albutius Gallareate patrimonium aquisiuerunt aureorum prope xx. Hoc contigit ductis vxoribus in spem hæreditatis; quamuis vterque eorum non aliud matrimonium inierit prima superstite.

CAPVT XXXIV.

Magistri mei.

PAter meus in prima pueritia Arithmeticæ rudimenta, & quasi tum arcana (nescio vnde sumpserit) familiariter me docuit, anno circiter nono. Paulo post etiam Arabiæ Astrologiæ, dum & conaretur memoriam in me artificialem instillare, sed ego ad memoriam illam minimè aptus eram. Post xii. annum docuit me primos sex Euclidis libros, sed ita vt quæ per me ipsum intelligere possem, nullam impenderet operam. Hæc sunt quæ sine ludo literario adeptus sum ac didici, sine lingua Latina: anno xx. fermè exacto ad Academiam Papiensem me contuli, xxi. in fine disputaui sub Curtio Medicinæ primario, qui me dignatus est honore argumentandi, cum nil tale ab eo sperare ausus essem. Audiui & Brandam Porrium in Philosophia, & quandoque Franciscum Taegium Nouariensem, anno M. D. xxiv. Patauij audiui Curtium, & Memoriam in Medicina. Tum vidi Hieronymum Accorumbonum Medicinam practicam (vt vocant) profitentem, & Tosetum Momum inter professores, & Hispanum Philosophum magni nominis.

CAPVT XXXV.

Alumni, atque discipuli.

PRimus eorum fuit Ambrosius Bizozorus qui euasit in nauis Epidauricæ gubernatorem, vir ingeniosus & audax. Secundus Ludouicus Ferrarius Bononiensis, qui Mathematicas, & Mediolani, & in patria sua professus est, & singularis in illis eruditionis. Tertius Io. Baptista Boscanus, qui à libellis fuit Senatus Cæsaris Caroli V. Quartus Gaspar Cardanus nepos alterius Gasparis patruelis mei, hic Medicus euasit, & Medicinam publicè Romæ professus est. Quintus Fabritius Bozius, qui militiam exercuit Taurinæ regionis, licet pro Mediolanensi habitus. Sextus Iosephus Amatus à Secretis Proconsulis Prouinciæ nostræ. Septimus Christophorus Saccus, qui tabellio publicus factus est. Octauus Hercules Vicecomes Musicus, iuuenis, lepidus, & gratiosus. Nonus Benedictus Cataneus Papiensis, qui operam dedit Iurisprudentiæ. Decimus Io. Paulus Euphomia Musicus, & satis eruditus. Vndecimus Rodulphus Syluester Bononiensis qui euasit Medicus, & Romæ dum hæc scribimus Medicinam exercet. Duodecimus Iulius Pozus Bononiensis: hic solus deseruit vadimonium. Tertius decimus Camillus Zanolinus, & ipse Bononiensis Musicus, & tabellio publicus elegantis consuetudinis. Quartus decimus Octauius Pitius Calabrensis, qui nunc mecum est, ex his præstantissimi secundus, quartus & vndecimus: sed duo ptiores in iuuenta obiere, secundus annorum xliii. quartus nondum xl. ingressus:

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus
Quicquid amas cupias, non placuisse nimis.

CAPVT XXXVI.

De Testamentis.

TEstamenta plura condidi ad banc vsque diem, quæ est Calendarum mensis Octobris anni M. D. lxxvi. vltima per Iacobum Macchellum, & Thomam Barberium Bononienses; alia Mediolani per Bartholomæum Sormanum, Hieronymum Amatum, & Io. Iacobum

Iacobum Cribellum. Et nunc decreui aliud, & vltimum condere: sed & codicillos confeci. Omnium summa est, vt velim mea bona in filios transire si fieri posset, sed minor natu adeò malè se gessit, vt malim transire in nepotem ex primo filio. Secundum est, vt descendentes mei, sint sub cura, quamdiu fieri potest, ob certas causas mihi notas. Tertium vt sint subiecta bona fideicommisso; & vbi deficeret progenies mea, tunc ad agnatos patrimonium meum quantum fieri potest, inconcussum transeat in perpetuum. Quartum vt libri mei corrigantur, & edantur typis, vt ea mente qua conditi sunt, talem vsum præstent humano generi. Quintum est, vt Domus Bononiæ vbi stirps deficeret in Collegium Cardanorum familiæ addictum transeat, & hæredes si non sint ex familia tamen nomen subeant. Sextum pro opportunitate variationem suscipit.

CAPVT XXXVII.

Proprietates quædam naturales, mirificæ inter quas somnia.

PRimum inditum naturæ vt ita dicam anomalæ, fuit ipsa natiuitas cum capillis longis, nigris, crispis, non sanè miraculosum, tamen planè portentosum: sed maximè cum exanimatus in hunc mūdum venerim. Secundum apparuit anno quarto, & durauit circiter tribus annis: Ex mandato patris quiescebam in lecto ad horam vsque diei tertiam, & cum ante illam euigilabar, quicquid supererat ad horam vsque diei consuetam in spectaculo iucundo consumebam, nec vnquam vana expectatione de illo frustratus sum. Videbam ergo imagines diuersas quasi corporum æreorum. (Constare enim videbantur ex annulis minimis, quales sunt loricarum, cùm tamen loricas nunquam eousque vidissem) ab imo lecti angulo dextro ascendentes per semicirculum, lentè & in sinistrum occidentes, vt prorsus non apparerent: Arcium, domorum, animalium, equorum cum equitibus, herbarum, arborum, instrumentorum Musicorum, Theatrorum, hominum diuersorum habituum, vestiumque variarum, tubicines præcipue cum tubis quasi sonantibus, nulla tamen vox aut sonus exaudiebatur: præterea milites, populos, arua, formasque corporum, vsque ad hanc diem mihi inuisas: lucos, & syluas, aliaque quorum non memini, quandoque multarum rerum congeriem simul irruentium, non tamen vt se confunderent, sed vt properarent. Erant autem perspicua illa, sed non ita vt proinde esset, ac si non adessent, nec densa vt oculo peruia non essent. Sed ipsi circuli opaci erant spatia prorsus perspicua. Delectabar autem non parum, & spectabam intentus hæc miracula, vnde matertera mea semel me interrogauit an aliquid viderem? Ego quamuis adeò puer, mecum cogitabam, si fatebor indignabitur quicquid causam præbet huius pompæ, subtrahetque hoc festum: aderant enim etiam flores varij, & quadrupedia, & volucres cuiuscunque generis, sed omnibus tam bellè fabricatis deerat color, nam erant aërea: itaque ego qui nec iuuenis, nec senex mentiri solitus sum, diu steti antequam dicerem: Tum illa, quid ergo fili tam intentè respicis? Nō memini qoid responderim ipsi, existimo autem nihil respondisse. Tertium fuit post hoc vt dixi, quòd vix vnquam nisi prope diem incalescerem, à genubus infra. Quartum quòd postmodum totus à somno perfunderet sudore calido, & valde. Quintum quod viderem quam sæpissime per somnum gallum, quem timebam ne loqueretur humana voce, inde paulo post ita contingebat: Erant autem verba plerumque comminatoria, nec tamen memini quid vnquam in tot vicibus audierim: Erat autam gallus pennis rubris, & crista atque submentis similiter, credo autem supra centum vices hoc vidisse. Post huiusmodi tempora, iam ineunte pubertate, cùm hæc visa cessassent, alia duo apparuerunt, quæ perpetuò ferme manserunt, & nunc etiam manent: licet postquam problemata scripsi, & euulgaui amicis, vnum ex his interciderit aliquando; idque est, quod quoties ad Cœlum oculos attollo, video Lunam, & verè video à fronte ex aduerso sitam: cuius causam ibi enarraui: alterum, quòd cùm fortuito animaduertissem casu ac fortuna, interueniente me rixis, nullum fieri sanguinem, nec quemquam vulnerari, consulto me immisceni certaminibus, atque seditionibus, sed neque tum cuiquam vulnus inflictum est: Post etiam cum veneratoribus iunctus nulla fera vulnerata, vel iaculo, vel à canibus esset, & id obseruaui comitatus aliquoties licet raro admodum, tamen nunquam frustratus sum hoc priuilegio: Adeo vt cum semel (dum comitarer Istonij Principem Vigleuanum) captus esset lepus, & à canum morsibus subtractus inuentus sit illæsus, illis non parum mirantibus. Solum in voluntariis sanguinis detractionibus, & his qui publicè plectuntur, hoc vt ita dicam priuilegio, non sum potitus. Et semel in area templi magni Mediolani, dum quendam inimici eius in terram proiecissent, & aliquot vulneribus confecissent, ipso interuentu meo vnus eum clamantem percussit, statimque alios discedentes secutus est nec scio an illo vltimo ictu vulnerauerit. Octauum est, quòd omnibus in occasionibus rum emersi, cùm iam nullus auxiliator esse videretur: Et licet hoc sit naturale, modus tamen vt adeò frequenter, & semper, efficit vt nec naturale dici, nec existimari possit: licet illud de gallo visum fuisse in somniis, naturale sit, toties & semper eodem modo certè prodigiosum dici merito potest: sicut iacere alea legitima tria tantum pūcta, agendo de re aliqua magna ac negotio naturale est, ac existimari meretur, & vsque ad secundum ictum si repetatur: Ter autem & quater sanè suspectum etiam à cordato viro haberi potest. Et similiter de successu, quod non nisi deplorata iam omni spe illuxerit occasio, vt omnino Dei voluntate factum videri debeat. Narrabo autem circa hoc duo exempla satis euidentia. Eratque annus M. D. xlii. salutis, æstiuumque tempus, in quo solitus eram adire singulis diebus domum Antonij Vicomercati pratritij nostræ vrbis, atque ibi totam diem

absumere certamine latrunculorum; certabamus autem realibus vno, & vsque ad tria, vel quatuor in singulos ludos, adeò vt cum ego vincere essem assuetus, auferrem aureum propemodum vnum die singulo, aliquanto plus, modo aliquanto minus: ita illi volupe erat sumptus eo modo, mihi vtrumque sumptus & certamen; ex quo tamen adeo cuilueram, vt iam toto biennio aliquotque insuper mensibus, neque artis exercendæ, neque lucri quod deperiebat totum, præter id quod nuper dixi, nec existimationis, neque studiorum rationem baberem: Die quodam prope Augusti finem, cœpit ipse consulto, seu quod iacturæ iam adeò assiduæ pigeret, seu quod existimaret ius mihi æquum esse, quod nulla ratione, nullo iuramento, vel execratione à proposito dimoueretur, adeò vt coëgerit me iurare, nunquam in posterum rediturum ludendi causa: Deierauique Diuos per omnes, atque ita dies illa fuit extrema, statimque me totum tradidi studiis: Et ecce mensis Octobris initio, Senatus, cùm cessasset ob bella Academia Ticinensis, omnésque professores Pisas se contulissent, profitendi in vrbe mea munus obtulit, idque insperato obtigit, quod & amplexatus sum, quia ex vrbe non recedebam, alias nullo modo recepturus, vbi vel recedendum è patria fuisset, vel concursorem habiturus: cum nunquam præter Mathematicas, easque diebus tantum festis professus essem: amissurus lucrum ex vrbe quotidianum, & subiturus incommodum transferendi meos ac suppellectilem, & de existimatione periculum facturus. His de causis, cum sequenti anno, nollem à patria discedere, nocte præcedente diem qua Senatus misit, qui à me sciscitaretur, quid deliberassem (quis credat) tota domus funditus ruit, duntaxat seruato cubiculo in quo ego vxor, & filij dormiebamus: Itaque quòd nunquam sponte facturus eram, nec sine nota facere potuissem, coactus sum recipere: Omnibus stupentibus qui rem norunt. Aliud autem dicam (cum horum exéplorum tota mea vita referta fuerit) sed in alio genere: laborabam & iamdiu ad desperationem vitæ vsque laboraueram, vt alias dixi empyemate illo notho. Legeram in collectis à patre meo, si quis hora matutina viii. Calendas Aprilis, exoraret virginem sanctã, vt filium rogaret pro re licita, genibus flexis, adiecta oratione Dominica, nec non salutatione Virginis Angelica, obtenturum quod petierit: Obseruaui diem horamque, peregi supplicationem, & tunc statim, sed die Corporis Christi, eodem anno, liberatus prorsus sum, sed & alias multo post, memor facti pro podagra supplicaui (nam propriè de hoc, duo exempla pater adducebat eorum qui liberati erant) & multum profuit, inde etiam sanatus sum. Sed in hoc, auxiliis etiam artis vsus sum. Quatuor vero adducam exempla, atque proprietatum experimenta mirabilia de filio natu maiore: vnum à die sacri fontis; secundum ab anno illius supremo; tertium in hora ipsa qua confessus est causam, propter quam obiit; quartum quod à die qua captus fuit cœpit, & vsque in diem mortis perdurauit. Natus enim est anno M.D.xxxiv. pridie Idus Maias, & cum vitæ illius timerem xvii. Calendas Iunij, quæ fuit Domini dies, leuatus est à Sacro fonte, illucescebat Sol clarissimus in cubiculo, hora diei inter quintam & sextam: Omnes ibi iuxta puerperam de more, præter puerum famulumve: à fenestra abductum erat velamen lineum, & muro adhærebat: Crabro magnus ingreditur, circumuolat infantem, omnes qui aderamus timebamus illi, non nocuit, paulo post in velum impegit, tanto strepitu, vt diceres tympanum verberatum: accurrimus nil inuentum est, neque foras exire potuit, nobis id attentè obseruantibus: tunc omnes quod post euenit suspicati sumus, sed non tam acerbum exitum. Anno quo interiit donaueram illi vestem sericeam nouam de more Medicorum, erat dies rursus Domini, iuit ad Portam Tonsam, ibi erat lanius, & de more ante ostium Porci, surrexit vnus è luto, & ita interturbauit, fœdauit, ac impulit filium, cum non solum famulus eius, sed lanij & vicini, cum hastis porcum depellerent, vt appareret rem esse prodigiosam, vixque demum lassus, & filio fugiente, ipsum reliquit: Ex hoc ad me tristis præter morem venit, & narrauit omnia, interrogans quid hoc sibi portenderet? Respondi caueret ne vitam ducendo suillam, etiam finem similem subiret, quanquam præter aleã & delitias gulæ, optimus esset iuuenis, & inculpatæ vitæ. Erat mensis Februarij, atque initium eius sequentis anni, cùm ego degerem ac profiterer Papiæ, inspiciens forte fortuna manus, video in annulari dextræ in radice, ensis effigiem sanguinei, subito expaui: quid plura? vesperi nuncius adest à pedibus, cum litteris generi, monet captum filium, vt veniam Mediolanum: eo die sequenti, signum illud liii. diebus intenditur, ascendit, cùm ecce extrema die iam ad summum digiti pertingeret, & tuberet velut flammeus sanguis: ego qui nil tale suspicabar, territus ac mei impos, nesciebam quid agerem, quid dicerem, quid meditarer: noctis medio securi percussus est, mane signum penè euanuerat, sequenti & altera die abolitum est. Ante iam per dies ferme xx. dum detineretur in carcere plus minusve, studebam in bibliotheca, sentio vocem penè confitentis misereorium, & quam breui desinentium; tum cor aperiri, dilacerari, auelli, coactus furore, exilio è loco in cortem, vbi alij erant è Palauicinis quibus domum locaueram: exclamo (non nescius quantum officerem causæ filij, si ille etimen non fuisset confessus, imò vel si innocens ab eo fuisset, *Hei quia conscius est mortis vxoris, & nunc confessus est, & damnabitur capite, & securi percutietur.* Et subito accepta veste ad forum pergo, in medio fermè viæ, inuenio Generum mœstum, qui dixit, Quo is? Respondi dubito ne filius conscius facti omnia confessus sit; tum ille ita est, nuper hoc accidit: accurrit explorator quem ego supposueram, totamque facti seriem renunciauit.

Inter propria mihi secundum naturam fuit illud, carnem meam quippiam olere sulphur, thus, & alia quoque, præcipue contigit hoc circa xxx. annum, quo morbo illo tam graui laboraui: inde sanitati restitutus, nam tum sulphur mihi grauiter olere brachia videbantur,

bantur, & tunc etiam pruritu laboraui, nunc autem cessauit hoc symptoma ab ingressu senij.

Aliud quòd cùm studerem, vacuus curis auxilio Magistrorum, neque Archimedem, neque Ptolomæum intelligerem: in profunda senecta, cùm forsan xxx. annis intermisissem, plenus negotiis, impeditus curis, nullo auxilio, clarè vtrumque assequor.

Somnia.

Nonne, & illud de somniis quòd tam vera fuerint, admiratione dignum videri potest? nec minimam partem attingere velim: Quorsum enim? sed tantum lucidissima, & maxima decernentia negotia: velut cum circa annum M. D.xxxiv. in diluculo, cùm nondum quicquam constitutum haberem, & omnia pessum in dies irent, vidi in somno me currentem ad radicem montis qui mihi à dextra erat, cum immensa hominum multitudine cuiuscunque status, sexus, ætatis, mulierum scilicet, virorum, senum, puerorum, infantium, pauperum, diuitum variis modis vestitorum: interrogaui ergo quo curreremus omnes? Respondit vnus ex his, ad mortem: exterritus ego, cùm mons à læua mihi esset, conuersusque vt à dextra ipsum haberem, vites (quæ medium illud montis, eousque vbi ego eram frondibusque intectæ erant aridis, & sine vua prorsus, quales Autumno videri solent) apprehendere, atque in montem ascendere cœpi; idque primùm ægre ob montem, seu potius collem, qui arduus in radice multum erat: postmodum ea superata, per ipsas facile ascendebam: & cùm iam in montis essem vertice, ac tanquam vltra impetu voluntaris transiturus, nudi lapides, & abrupti apparuere: parumque abfuit quin in tetram profundam, ac tenebrosam voraginem me præcipitarem, adeo vt memoria huius somnij cum sint xl. anni me contristet, ac simul terreat: itaque ad dextram conuersus vbi ericis contectus solùm campus apparebat, eo processi propter metum, qua iter agerem immemor, in vestibulo villici tugurij palea, & iuncis atque arundinibus tecti, me esse animaduerti, puerum tenens dextra manu, veste coloris cinerei, ætatis xii. circiter annorum: tuncque somno atque insomnio simul solutus sum. Quo manifestè ad nominis immortalitatem, ad labores perpetuos & immensos, ad carcerem, & metum maximum ac tristitiam, duram sedem ob silices, infructuosam ob defectum arborum, & herbarum vtilium, lætam tamen, æqualem, ac mollem. Perennem ergo in futurum gloriam docuit: nam singulis annis vinea vindemiam reddit. Puer ille si spiritus bonus, faustum, strictè enim tenebam: si nepos minus. Casa illa in solitudine spem quietis. Sed horror tantus cum præcipitio etiam casum filij declarare potuit, qui nupsit, & periit indignum est credere fuisse præteritum, id verò Mediolani accidit.

Secundum, ibidem non multo post moranti: videbatur mihi quod anima mea esset in Cœlo Lunæ, nuda à corpore, & solitaria, & ob id quærebar, audiui vocem patris mei dicentis, *Datus sum tibi custos à Deo, omnia hic sunt plena animabus, sed eas non vides, vt neque me, sed illas neque alloqui licet: manebis autem in hoc cœlo vij. millibus annis, totidemque in singulis orbibus, vsque ad octauum, post peruenies ad Dei Regnum.* Id ego sic interpretatus sum, Patris anima tutelaris spiritus, quid amicius aut iucundius: Luna Grammaticam: Mercurius Geometriam, & Arithmeticam: Venus Musicam, diuinandi disciplinam, & poësim: Sol Moralem: Iupiter Naturalem: Mars Medicinam: Saturnus Agriculturam, herbarum scientiam, artes reliquas humiliores: Octauus orbis spicilegium, sapientiam naturalem, & varia studia, post hæc aliquando cum Principe requiescam. Id quasi expressum, etiam me non aduertente, in septem particulis problematum, quibus absolutis vel editis immineat tempus.

Visus sum etiam aliquando iuuenem mihi blandientem agnoscere, cuius tamen experrectus minime memini, quem cum interrogassem quis esset, & cuias, grauatè respondit, *Stephanus Dames*: Non fert lingua Latina aliter explicari quam aliena sonet. Ego sæpius cogitaui de hoc, *στέφανος coronam* significat *μέσος media, medietasve.*

Aliud quod significauit Romæ quam ducturus essem vitam: vidi enim me anno M.D. lviii. vii. Idus Ianuarias cùm Mediolani absque munere publico degerem: esse in Vrbe quadam multis Palatiis referta, atque ornata: Et inter cætera domo aurea, cui postmodum, vbi Romam veni, similem conspicatus sum, videbatur autem dies festus, & ego solus cum famulo, & mula, & ambo latebant post domum, audiebam tamen vocem famuli: Ibi cum pauci occurrerēt in via, & ab omnibus curiose sciscitarer vrbis nomen, nemine docente, anus quædam dixit vocari *Bachettam*, Latine virgam qua solent pueri vapulare, antiquo tempore ferulam, Iuuenalis:

Et nos erge manum ferulæ subduximus,

Solicitus ergo ibam quærens, qui me doceret nomen verum: nam mecum dicebam, non est nomen hoc barbarum, nec in Italia vnquam intellexi esse talem vrbem, hæcque iam obiecerā anui, addidit, *In ea sunt Palatia quinque, vt ego vidi* (inquio) *plusquam viginti*, tum illa repetiit, *at non sunt nisi quinque.* Itaque nondum inuento famulo, nec mula, experrectus sum. Quod afferam certi, non habeo quicquam, solum, illud apertum est Romam, & quid nnmen illud Bachetta referret. Quidam dixit de Neapoli verbum. Hoc accidit in perturbatis causis, atque materia, aut diuino consilio.

Admonitus etiam M. D. xlvii. in æstate, dum Papiæ filius natu minor ægrotaret, tanquam moriturus esset, vt linqueter animo: expergiscor, & statim ancilla accurrit dicens, *Surge, existima enim Aldum periturum*: Quid habet? *Oculus ei disfortus esi iacet*, surgo, propino puluerem è margaritis, & gemmis in quo spem habebam, euomuit: iterum exhibeo; detinuit, dormiuit, sudauit: intra tres dies conualuit. Talia decent viros opere pios, fide in Deum firmos, consilio prudentes, sine salutari vt prouidi patres familias, vtiles captantes occasiones, seruandi corpora ac animam, quæ illi coniuncta est, & maximè congruenti

Medicinæ modo, quem volentes imitari alij, ridiculi habentur, velut vates inanes: neque enim in artem redigi possunt. Hic autem miser ille est, qui tantum mihi attulit negotij. Multa quoque somnia mirabilia vidi, & supra fidem, quæ volens præmo.

Hæc igitur mira, & diuersorum generum cogitationes, somnia, & momentanea quatuor, quorum tria superius recitaui, conductio Mazente, casus in mare, domus ruina, quartum liguræ historia admirabilis, de qua supra egi. Itaque munera Dei à me sunt recognoscenda: nec quisquam, quod mihi accidit huiusmodi, vel casibus, vel occasioni momentaneæ, vel somniis pro regula communi statuere velit: Abunde enim, & forsan etiam grauiter decipietur; nec multo minus, qui volet in merita mea referre: sunt enim largientis Dei munera, non quicquam cuique debentis, & multo minus mihi. Multo etiam falluntur, qui ad industriam, ad labores, ac studia mea, quæ vix millesimam partem implere potuissent: pessime vero qui conficta à me inanis gloriæ studio, imaginati fuerunt, à qua plurimum absum: deinde cur velim virtutem non solum mihi (si ita vultis) insitam, sed quam à Deo partam scio, friuolis his næniis, ac falsis fabulis fœdare.

CAPVT XXXVIII.

Proprietates quinque, quibus adiutus sum.

HVcusque tanquam de homine locutus sum, atque etiam aliquanto hominibus cæteris, natura inferiore ac disciplina: nunc de mei ipsius natura quadam admirabili, & eo mirabiliore, quod in me sentio esse quippiam, quod quid sit nescio: Et id me esse, cum non à me proficisci talia percipiam, adesse cum expedit, non cum volo. Quod oritur inde maius est viribus meis, quod detectum fuit anno M.D. xxvi. in fine, seu initio sequentis, vt sint peracti ex eo anni fere xlxiv. sentio ingredi foris in aurem, rem cum strepitu ex ea parte directè, vnde fit sermo de me: & si ad bonum decumbit in latere dextro, aut si à sinistro venit penetrat in dextrum, & fit strepitus ordinatus: Et si contentiosus contentio mira exauditur: si ad malum decumbit in sinistro latere, venit ex parte ad vnguem, vnde voces illæ tumultuantur. Et ideò à quacunque parte capitis ingreditur. Et persæpe cum res malè cedit, vox ex sinistra parte dum finiri deberet intenditur, & multiplicantur voces. Et persæpe si res fit ex vrbe eadem, accidit vt voce vix finita, ingrediatur nuncius, qui me vocet illorum nomine: Et si ex alia ciuitate, & veniat nuncius, computa tempus interpositum à deliberatione, & initio itineris, & incidunt in idem, & vides sententiam peractam sub forma, qua conclusa est. Et durauit ad annum vsque M. D. lxviii. sub tempore cui conspiratio succedebat, & ego mirabar quod cessaret.

Post paucos annos scilicet viii. vel circa id est M. D. xxxiv. cœpi videre per somnia quæ futura essent breui, & si eadem die, videbam vt erant clara, & post ortum Solis, & explicata, adeò vt aliquando causam Collegij prorsus iudicatam, pactam, & condemnatam viderim, & quod obtenturus essem, profitendi munus Bononiæ, cessauit anno priore quam illud aliud, scilicet anno M. D. lxvii. dum Paulus vnus è contubernalibus abiret, & ita durauit annis circiter xxxiii.

Tertium fuit splendor, hunc sensim auxi, originem sumpsit circa annum M. D. xxix. auctus fuit, sed nunquam perfici potuit, nisi circa finem lxiii. inter finem Augusti, & initium Septembris anni M. D. lxxiv. sed propriè hoc anno M. D. lxxv. nunc vt mihi videtur, habeo perfectum. Est autem res quæ non me deserit, sed loco duorum præcedentium quæ defierunt, munit aduersus æmulos, & pro incumbente necessitate. Et est composita ex exercitatione artificiosa, & lumine circunforaneo: Iucunda nimis, & per se præstat longè plus ad authoritatem, exercitationem, lucra & soliditatem studiorum, quam illa duo simul iuncta, & hominem non abstraxit à communibus studiis, & conuersatione humana, & reddit promptum ad omnia, & ad compositionem librorum est præstantissima, & videtur quasi vltimum nostræ naturæ, repræsentat enim omnia simul quæ ad rem illam faciunt: & si non est res diuina, certe est perfectissimum opus mortalium.

Interim est quartum, quod incepit ab anno M. D.xxii. & perdurauit vsque ad annum M. D. lxx. vel lxxiii. scilicet hoc mihi datum est, vt reor ad consolationem: postquam seruatus sum in vita præter spem, & vt confirmarer in fide, ac intelligerem quòd à Deo sum, & ille mihi omnia, ne aliquid indignum tot meritis admitterem. Et si quis dicat cur non omnes homines, aut saltem pauci hæc vident, & similia? Quid si sentiunt plures, aut per se clara non nobis? sed quod amoris indicium, mors sæua filij? si secus aliquis immortalis esse potest, expostulo: si non, quid mihi plus? Mors enim omnis acerba, & penè eadem præter similem, quam æquat diuturna eius, & certa expectatio.

Quintum peculiare fuit, quod & ipsum perpetuò durauit, vt non nisi desperatis rebus emerserim, non nisi florentibus mersus sim, quales triremes in tempestate esse solent, modo ex imo ad suprema, modo ex supremis in vortices, idque tota vita. O quoties conditionem meam adeò miserabilem mecum defleui: non solum quod omnia pessum issent, & omnis spes salutis sublata foret, sed quòd neque res meas cogitatione disponenti vt vellem, inuenirem modum euadendi: cùm nullo meo studio aut labore, intra duos aut tres menses, vidi omnia commutata: vt maiores effectus quam voluntatem, & actum potestate fore crediderim, idque toties vt numerum referre pudeat. Et hac vicissitudine accidit sæpe vt omnia simul ruerent.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Eruditio, vel repræsentatio.

SEu veré aliquid sciam, seu videar: Grammaticam nunquam didici, vt neque Græcam, aut Gallicam, aut Hispanicam linguam, sed vsum solum mihi nescio quomodo tributum: non magis quicquam de Rhetorica noui, non etiam Opticam, vt nec disciplinam de ponderibus, quòd his studium non impenderim: neque verò Astronomiam, visa enim est mihi nimis difficilis, vt contra in Musica ineptus vsui fui, contemplationi non impar: Geographiæ, Philosophiæ illi altercatiuæ, disciplinæ morali, Iurisprudentiæ, Theologiæ, operam non nauaui, nimis enim prolixæ, & alienæ à meo proposito, & totum hominem exposcebant. Sed neque vlli disciplinæ malæ, aut perniciosæ, aut vanæ: Vnde neque Chiromantiæ, nec scientiæ componendorum venenorum, aut Chymicæ: Physiognomiæ etiam non me dedi, nam longa res est, difficillima, & quæ multa memoria indiget, & sensibus acutis, quæ mihi adesse haud credo: non arti Magicæ, quæ per præcantationes agit, aut euocandis Dæmonibus, aut animabus mortuorum. Ex laudabilibus etiam, minimè, cognoscendis plantis ob memoriæ defectum: neque agriculturæ, quòd exercere oporteat magis quam scire: ab Anatomia autē multa me deterruere. Nec etiam pangendis carminibus, nisi necessariis & valde parum. Quid ergo est, quod tot mihi, vel ne cogitanti tribuerunt, nisi vt opinionem in arte medica minuerent?

Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Quod ad Astrologiam quæ prædicere docet, operam dedi, & nimis quam debui, fidi quoque in perniciem meam: ea quæ naturalis magis est, nulla vsui fuit: namque à tribus annis, id est, lxxi. ætatis citra, primùm illam edoctus sum. Callui ergo Geometriam, Arithmeticam, Medicinam: contemplatiuam & praxim: Dialecticam magis; Magiam naturalem, id est proprietates rerum, & quæ sunt illis similia, vt quod ambra, calorem consitmet innatum, & cur, & (si adnumerandus) latrunculorum ludum: Præterea vsum linguæ Latinæ, & aliarum etiam quarundam: tum Musicam contemplatiuam: Nauticam autem non attigi: de Militari, non est vt inter disciplinas hanc adnumerem, ob multa difficilia in, ea tamen carui, vt etiam Architectura. Sunt etiam quædam semidisciplinæ, velut symbolicarum literarum vsus, compositio, interpretatio. In proprio agro destituor Chirurgiæ vsu: Si igitur disciplinarum celebriorum numerum statuas, xxxvi. à xxvi. studiis ac cognitione prorsus abstinui: Decem me dedidi. Existimarunt autem aliqui maiorem cognitionem, atque peritiam, ob repræsentationem: repræsentatio adiuuatur contemplatione profunda, & stabili, connexu multarum rerum bene intellectarum, Principiis melioribus non contradicendi studio vt in Galeno; non nimis laxis, & partim falsis (liceat mihi ob veritatis studium in aliquibus paululum, non multum vt quidam credunt discedere à communi opinione) ac imaginariis vt in Plotino: sed iudicio exacto, & firmo, senio, Harpocratia, & exercitatione illorum quinque modorum iam sæpius commemoratorum auxilio vti. Verùm addamus illis decem quæ nouimus, vnum: cognitionem historiarum multarum, quæ licet nulli disciplinæ peculiariter propria sit, tamen multum facit ad decorem, & ornatum eorum qua narrantur in illis. Hæc subiunxisse volui, quasi hortando vnumquemque, vt potius (quandoquidem vita nostra breuis est, & plena variis impedimentis, tum etiam incommodis) paucis quam pluribus operam dare, velit atque illis diligenter, & assidue: eligere autem præter omnia, vtilia humano vsui, & nobis ipsis primum: ac connexa & vera assumere principia, nec quasi ita aut ambitione vetera relinquere, sed vt meliora hæc vel illa experiri. Et si nominis cura te trahit, aut vtilitatem ex eo sperare audes, melius est vnum inuentum perfectè expolire, quàm mille persequi, & nihil absoluere.

Sæpius in libro memoratur Persius vno:

Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.

Quod videmus præcipuè Horatio, ob vnum opus, nec magnum satis, sed excultum & aureum contigisse. Et nunc vt vates gloriari possit: *Dum Capitolium scandet tacita cum virgine Pontifex: victurum se in chartis, nec Stygia cohibendum vnda.* Satis enim constat, cessasse iam Pontifices ab ascensu illo, & Horatij famam adhuc florescere. Sic ergo nos Arithmeticam ad decuplum; Medicinam, non parum auximus. Proprium autem grauis viri est, statim ad rem properare: Et ad hoc, opus est multa lectione, toto triduo ingens volumen deuorantes; indicio opus est, pertrita vel parum vtilia prætereundo, obscurorum expectare occasionem, obelisco signando. Est in nostra structura familiare, vt principium sequentis, idem sit fini orationis. Orationis huiusmodi diuinos habeo authores: Sitque ea nitida, pura, connexa, ordinata, Latina, sermonis seruata proprietate; compositionia & sensus ab vno deducta principio textura. Quæ vero infinitæ sunt artes, non patiuntur se exornari, vt Geometria, & Arithmetica: aliæ contra non augentur, verum diuiduntur & exornantur, vt Astronomia, & Iurisprudentia.

CAPVT XL.

Felicitas in curando.

1. ACcidit vt anno M. D. xxxvii. seu M. D. xxxiii. in æstate, cùm esset mihi arcta consuetudo cum Donato Lanza, cui ex hæmoptoi laboranti iam pluribus annis multum, contuleram, vt esset Sfondrato Senatori, & à secretis Cæsaris intimus, cui persuaserat sæpe vt opera mea vteretur in cura filij maioris, puerili conuulsione laborantis, qui potius inter mortuos quam inter viuos numerandus videbatur: imbecilis, tum distortus, parum mente valens, & si tandem conualuerit: Filius alter natu minor nonum, aut decimum agens mensem, febre corriperetur,

& Lucas Cruccius eum curaret, spem bonam afferens vt mos est: (Erat enim amicus valdè Sfondraro, quod Cruccius esset Collegij procurator, Sfondratus patronus, & longa consuetudine, & mutuis officiis ac beneficiis vincti) & repente conuulsio acerrima, non desinente febre acuta, infantem inuaderet: vnde cum periculum mortis non obscurè immineret Cruceius vocandum suadet Ambrosium Cauenagum, Sfondratus Lanzæ memor me: Adsumus hora diei secunda, & pater infantis: Ibi cum pauca Cruceius de morbo dixisset, quòd sciret Sfondratum hominem esse prudentem, ipse verò syncerus & eruditus: Cauenagus nil afferebat in medium, quòd locus ei vltimus deberetur: tùm ego dixi, videtis quoniam infans hic opistotono laborat, ad quam vocem Prothophysicus, quasi vellem obscuritate verborum illum circumuenire, obstupuit: sed hanc dubitationem statim sustulit Cruceius, dicens, intelligit contractionem neruorum retro: Respondi ego equidem, & subiunxi, & id nunc ostendam, & sublato capite pueri quod pendulum erat in posteriora, idque Medici, & alij arbitrabantur ex imbecillitate, & pondere proprio capitis accidere, iussi, vt in antiquam partem erigerent: sensim tamen, quod cum nulla arte fieri potuerit, omnes mirabantur, & præcipuè pater. Tum Cruceius in hæc verba prorupit. *Hurbon*. 1. Ecce (vox est excitantis, & sermonem inchoantis) *In dignoscendis morbis non est D. H. par.* 1. æqualis, Modo, Sfondratus hæc verba excipit, conuersus ad me, inquitque, postquam morbum agnouistis, est ne remedio locus, aliis silentibus ne gloriam partam vana promissione sauciarem, cõuersus ad socios, vos scitis quod dicat Hippocrates in hoc, *Febrem conuulsioni*: Et recitaui Aphorismum, tum Cruceius qui modestia amicitiam retinere cupiebat si posset, vt si puer sanaretur locus esset beneuolentiæ pristinæ, si interiret, ne videretur gloriæ æmuli inuidisse, curationem mihi addixit, consentiente Prothophysico Cauenago, intelligebant enim plus ex modestia laudis, quàm ex contentione sperandum. Ego perfusionem, & lintea madefacta ex oleis lini, atque liliorum adhiberi iussi, molliter infantem tractari, donec collum erigeretur, nutricem à carnibus, infantem ab omnibus aliis cibis ac potibus abstinere, præterquam à lacte: eoque etiam parcè iubeo: In cunis, loco calido habendum: agitandum perpetuo, & leuiter, donec somnus obrepat. Dum reliqui Medici abscessissent, memini dixisse mihi patrem infantis. *Ego tibi hunc pro filio do*: & me respondisse, *Malè consulis illi, qui velis patrem pauperem pro diuite subiicere*: tum ille, *at ego intelligo vt cures eum tanquam tuum, nil metuens quod hac causa eos* (scilicet Medicos) *sis offensurus*, dixi, *imò placet, vt socij sint in omnibus, & vt me adiuuent.* Hæc igitur ita miscui vt neque me prorsus desperare de cura, nec confidere intelligeret, esseque magis modestum, quàm eruditum, aut peritia exercitationis vtilem: bene cessit. Nam factum est, cùm essemus prope xiv. diem, & tempus calidum, vt infans intra quatriduum prorsus conualesceret. Quo viso non tam quòd cognouerim (vt reor) morbum, nam id exercitationi peculiari nec quod sanatus sit, nam casui tribui hæc poterant, sed quòd in quatuor diebus sanassem, cùm fratrem eius plusquam sex mensibus frustra vexassent, demumque semimortuum reliquerint; hoc ipsum de quo admirabatur, & cur omnibus aliis præponeret in posterum, causam fuisse existimo. Namque considerasse eum probabile est, quod Cruceius æmulus & inimicus, dum procuratoris officio fungi cogeretur; Cauenago, & ipso patre præsente hoc dixerit, quod laudare nisi coactus Collegij hostem honestè non posset; inuidiæ & æmulationis, non natalium conditionem mihi obstare conspicuum esse: itaque perculsum filij casu, narrasse cuncta in Senatu, & apud Proconsulem Prouinciæ, & cæteros ministros, ac purpuratos effecisse, vt simul ad Collegium à quo tot sententiis, & demum conuentionibus, ac pactis reiectus fueram, pateret ingressus, & muneri profitendi publice in Academia adiicerer, ac etiam dono remunerarer, & vt omnibus acceptus forem.

2. Proxima cura fuit Archiepiscopi Amulthonis Scoti, qui annos natus xlii. iam decennio laborabat difficultate spirandi: Medicos Regis Galliarum primum, post Cæsaris Caroli V. frustra expertus, misit cc. coronatos primùm Mediolanum, vt Lugdunum irem: inde adiecit ccc. vt Lutetiam me conferrem, & si per bella impediretur, vt irem in Scotiam; ibi, curam agebat Medicus ex constituto Medicorum Lutetianorum: crimini dabatur quod non proficeret, coactus sum causam explicare: ille Medico suo indignabatur, is mihi, quòd aperuissem causam, ita ab vno metuebam, ab altero accusabar dilationis, & maximè quòd vbi curare cœpissem, melius se haberet: inter tantas turbas veniam discedendi perij, ægrè sed tamen concessit, consilio relicto, quo post biennium conualuit: lxxv. diebus apud illum mansi, extat fides recuperatæ valetudinis, missusque primus è cubiculariis Michael, qui magnis præmiis reduceret pro Medico, sed non acquieui: numerauit pro hoc accessu Archiepiscopus aureos coronatos M. Dccc. è quibus Mcccc. ad me peruenerunt.

3. In patria curaui Franciscum Gadium phratrium primarium Canonicorum B. Augustini, ex lepra biennali, in sex mensibus, sed hic & præcedens (ô sors hominum miserabilis) liberati, vt propter factiones, decennio post violenta morte perirent.

4. Martham Mottam in duobus annis, quæ per annos xiii. in cathedra sedebat, nec vnquam ambulauerat, cum duo priores violenta morte obierint decem circiter à curatione annis, hæc cum discederem à patria iam xxiii. annis superstes erat, verum per totam vitam inclinata, obambulauit.

5. Iulium Catium à phthisi, hic paulo post institutor teneræ ætatis Reguli Mantuæ euasit.

6. Ex Hectica Io. Mariæ Astolfi filium.

7. Ex Empyemate Adrianum Belgam, qui postmodum, mirum in modum mihi gratus, & vtilis fuit, atque amicus, adeo vt in Italo tale experimentum desiderarem.

8. Inde Io. Paulum Negrolum mercatorem toti vrbi notissimum, & duobus annis expertum

tum

tum omnium principalium Medicorum curationem, demum pro phthisico derelictum, & hic valde mihi amicus factus est.

9. Gasparem autem Roullam Cauponem iam per annum in lapidem penè moralem mutatum, sanè per se prorsus ac perpetuo immobilem, sanauimus, remansit obliquo, & obstipo collo.

10. Quid quod ex febribus nullus, ex aliis morbis vix è trecentis vnus perire solitus fuit: Indicio sunt testimonia eorum qui obeunt, in sanitatis libris seruata, nam mos hic Magistratus, notissimus est cuique ciui: Quapropter cum non promptum sit id ostendere, de aliis locis, testimonia adducere, aut gloriari, nec decens, nec commodum puto præsertim quod Medici parum hæc curant.

11. Vocatus sum etiam ad Ducem Suessanum ex Ticinensi Academia, accepique C. aureos coronatus, & dona ex serico.

12. Similiter ad Cardinalem Moronum ex Bononia Mutinam: à quo inuitus munus recepi, plus enim illi me debere sentiebam: Verum in his duobus socios babui, & auxiliatores claros viros, & ego propriis contentus sum operibus: cùm in vniuersum plus centum viris deploratis, Mediolani, Bononiæ, Romæque sanitatem restituerim: nec mirum videri debet me optimè ac feliciter exercuisse Therapeuticam, qui etiam tenerem optimè Diagnosticam Medicinæ partem. Indicio duo sunt quæ publicè Bononiæ pollicebar: omnem ægrum qui tempestiue in manus meas venisset, non natu maiorem lxx. annis, nec vii. minorem (vnde in Prognosticis vbi huius sæpe feci mentiunem pro v. septem legi debet) nec à causa procatartica morbus pendeat vulnere, ictu, casu, terrore ingenti, aut veneno; (maxime repetito) quique sit mentis compos, nec valetudinarius vtpote Phthisicus, aut cum scirrho in iecore, profundove vlcere in locu malo: seu lapide magno in vesica, aut comitiali, me curaturum. Aliud (vt tamen liberum esset conditiunem mihi recipere vel non) vt si moriturus esset æger, locum morbi ostenderem, & si mortuo illu aberrassem, teneri pœna centupli acceptarum pecuniarũ: Itaque cum plurimi apertè primùm sperantes me arguere posse, quod aberrassem, corpora dissecuissent, vt Senatoris Vrsi, Doctoris Peregrini, Georgij Ghisileri: In quo illud visum est admirabile prædixisse me morbum fore in iecore, cùm vrinæ essent optimæ? incolumem vero ventriculum qui perpetuò doleret: post clam multos alios, nunquam errare me inuenerunt, nec conditionem recipere ausi, nec vt reciperetur consuluerunt.

13. Redeo ad curationes, Bononiæ, Vincentium Torronem ex coxendicis dolore laborantem iam anuo transacto, cùm perpetuo in lecto maneret, & nil leuaret morbum, nedum vt minueret, restitui sanitati.

14. Et ex simili affectu vxorem Claudij mercatoris hyeme profunda.

15. 16. Verum Romæ nobilem matronam Clementiam Massam atque Io. Cæsarem Bontempum Iurisconsultum ambos propè bienniu laborantes, & ad summum calamitatis redactos, Medicosque vrbis celebriores expertos ita curaui, vt iam diu viuant. Curabam autem Mediolani Hispanorum gentem, in qua mira experimenta dedi: Primum quod nemo gloriari possit, aliquem sanasse, quem ego vt insanabilem reliquerim, cùm tantam multitudinem derelictorum ego restituerim? & alias dixi in arte non valere fortunam: Qua enim fortuna indiget tonsor vt tondeat, & Musicus vt canat aut pulset? Ergo neque in Medicina, sed habet Medicina tria præter artem, quibus casui subiecta videtur: primum quod sensibus non adeò pateat vt cerdonica, & tõsoris, si quis ergo in profundiorem partem inciderit, aut morbum valdè multiplicem, & compositum non artis, sed artificis imperitia, parum prodesse poterit: Est autem multarum partium hæc ars, adeò vt & nunc, & olim in multos diuisa esset vulnerarios, ocularios, Physicos, lapidarios, berbarios, ossarius: sed & vnaquæque pars paruas multas sortitur particulas, si quis ergu incidat in morbum, in quo diu & feliciter versatus fuerit, fortunatus dici poterit, secus contra; præterea opus habet Medicus medicamentis, ministris, astantibus, Pharmacopolis, Chirurgis, coquis, & vt externa etiam sine errore procedant. Ignis, aqua, cubiculum, mundicies, silentium, amici: timor cõtra, tristitia, ira efficient, vt morbus sit sanabilis, æger tamen pereat. Id verò vt breuiter dicam, cum ars sit, non subiicitur fortunæ; quatenus autem est plurium generum vt Medicina, aut plurium agentium, vt militaris licet vnius generis, ant plurium etiam eiusdem generis, & ab eodem agente, velut fabrilis clauorum, & magis æreorum, & arandi & serendi, ita variis subiicitur. Et si quid facit ad rem, quod tamen plurimum facere testatur Hippocrates in pluribus locis exercuisse artem: Primum Venetiis, post in Patauino agro Plebe Saccensi, vt Italico vtar verbo, Mediolani, Gallareatæ: Papiæ sed hic parum, Bononiæ, Romæ: In Gallia, Lugduni scilicet in Anglia, & Scotia. Contulit etiam ad hoc ætas, iam ingressu lxxv. cùm Galenus lxvii. non excesserit, Auicenna, id est Hasen lvii. vterque tota vita in itineribus cõsumpta. Galenus xx. perpetuis annis, Hasen semper, Ætius in suo Episcopatu, Oribatius in Ponto proscriptus, Paulus vagabundus.

17. Sed mittamus hæc, & casum Iulij Ringlerij adolescentis Patritij enarremus, hic habitabat apud s. Iacobi templum, in via sancti Donati Bononiæ xii. Calendas Iulij M. D. lxvii. quem iam xl. plus diebus decumbentem, cum acutissima febre, grauique Phlegmone, amissis omnibus sensibus, cum de more consignatus esset, liberauimus.

18. Quid de Annibale Ariostu iuuene nobili, & diuite, quem laborantem ex abscessu in pectore in fistulam conuerso, & cum rabuisset, alia hecticæ febre adiuncta, & ad duas libras saniei in singulos dies expueret, nec dormiret, Medici tanquam Phthisicum, & toto pulmone puttido, vt prorsus insanabilem reliquerunt: septumque erexere ne quatuor puerili Michaelis Angeli iudicis Torroni inficerentur: hunc ego in xxx. diebus plenè curaui intus & extra, & ita pinguem reddidi, & bene coloratum, vt tota ciuitas miraretur. Nil forsan his duobus miraculis, Bononiæ quingentis iam annis simile visum est.

19. au. Quin

19. 20. Quin etiam duos adolescentes ad portam quæ Mutinam tendit, diarrhæa laborantes, Zeonarthum, & Io. Baptistam contiguis domibus, eum febre relictos vt mortuos, & nec tussi nec spirandi difficultate tenerentur, iamque xi. exegissent, intellexi laborare suppuratione in pulmone, & prædixi solo sputo saniei posse sanari, & ita ambo, admirantibus aliis Medicis; tum etiam coniunctis, intra xxv. diem ab initio, dum expuissent saniei putæ circiter libram vnam, in quatuor aut quinque diebus plenè curati conualuerunt.

21. E regione horum habitabat adolescens Marcus Antonius Felicinus, qui ex longo morbo cum loqui non posset (erat autem Senatoris nobilis, vt audio ob familiam antiquissimam ex fratre nepos) & febre perpetuò laboraret, nihil intelligens, mutus euasisset, & debilitatus ad mortem, derelictusque ab aliis Medicis, cùm confiterentur, neque morbum intelligere, nec similem vidisse, & erant qui potione meretritia eo deductum dicerent, susceptum in manibus, quatriduo reddidi sui compotem, & loquentem, intra decem autem alios aut duodecim dies perfectè sanaui, & puto ipsum viuere: ægrè ferebant ob id Medici in his exemplis, quod non redderem vllam rationem, neque docerem.

22. Quid de Agnete vxore Claudij Galli mercatoris in vrbe nostra, pro mortua derelicta à primariis Medicis? & iure, quandoquidem nullum ægrum alium, tametsi viderim morti multos proximiores, maiore labore curauerim.

23. Memini quæ alias commemorauerim in generali de insanientibus, comitialibus, cæcisque quibusdam seruatis: hydropicis, gibbis, inhibitis, claudisque in melius traductis.
24. Filiis fabrilignarij ad portam Tonsam.
25. Itemque Laurentij Gadij miraculo propè, 26. ac Legati Mantuæ reguli, 27. & præclara insignis Hispani Iuaræ, eorumque omnium curatione. 28. Quid de Simone Lanza: 29. De Mareschalco: 30. de filia Io. Angeli Linati: 31. Antonio Scazoso: 32. Admirabili denique illo casu filij Martini Mercatoris: 33. Vxoris pharmacopolæ trium regum: 34. à doloribus inueteratis: 35. alios à sanguinis mictu: 36. à quartana duplici nemo à me non curatus est: 37. à veneno in Syrtiris filios omnes fetuani tarde vocatus, tam etsi ambo parentes obiissent. 38. Augustini Fornarij casum in hydrope. 29. De certamine cum Cauenago, & Caudiano in cura Octauiani Marini: sed non minoris bonæ fortunæ meæ argumentum, omissa incredibili exemplorum multitudine, 40. casus Antonij Marotagij infaustus, & ex aduerso cura febris, pestilentiæ, podagræ, minime fallax: ob id Mediolanenses Medici dicebant, hoc mihi non excellentia artis, sed bona fortuna euenire, quoniam qui morituri essent in illorum, qui seruandi in manus meas deuenirent.

Ne mireris, ô Lector, nec mentiri suspiceris, hæc omnia ita se habent, & huiusmodi contigerunt, & maiora, & longè plura: numerum non teneo, sed existimo ad clxxx. accedere, & plus vltra: nec tamen inaniter gloriari suspiceris, aut cupere, vel sperare me præferri Hippocrati. Primum de mendacio, cur tam impudenter? indagare licet, vno deprehenso mendacio omnia corruunt. Deinde cur ob gloriam & lucrum? at si graues morbi mihi plures occurrant, nil existimem infelicius: neque enim confido vsurum me felicitate præterita. Refert Plinius & Plutarchus Cæsarem eùm in acie aperta quinquagies collatis signis victor dimicasset, factum segniorem ad prælia, ne gloriam partam vitiaret atque pollueret. Quanto facilius id mihi accidere posset? Deinde quomodo sperare quicquam magnum ex quotidiana opera possim? à Principe solum id liceat, si modo supersit aliquid spei. Verum quod ad gloriam attinet, non solùm multo minus, imo prorsus nihil: nam non gloriosus est Hippocrates quod multos sanauerit, suo enim testimonio xxv. ex xlii. obierunt, xvii. sanati solum, sed quod rationem seruauerit. At ego bifariam in hoc inferior sum: Primùm quod felicitas illa operum à diuino auxilio videbatur proficisci, non ab eruditione; & tot mihi in hoc genere fausta successerunt, vt spem operi æquari posse non confidam: raroque vere gloriari licuerit, quicquam ex consilio & cogitatione, (quanquam in hoc præstiterim quantum potuerim) accidisse. Morbi etiam Hippocratis fuere violentissimi, regio saxosa in Thessalia & prope, venti asperi, vina cruda, legumina, aquæ prauæ, modus vitæ inconditus, non medicamenta, non electio, exercitationes mortiferæ; si ego tunc ibi fuissem, non potuissem certe talia miracula edere, aut si ille composito seculo, molli regione, commodis omnibus abundante, medicinam exercuisset, nullum tale naufragium passus esset. Quæ ergo iactantia mihi in hoc, sed fuerit modo (postquam Dominus vt nunc sentio, mihi vera ob id vt puto narranti fauet) quid inquit ille, an non abunde, ne dicam solum satisfecit huic inani voluptati, quandoquidem florem fructu priuauit, in magna paupertate viuentem, cum tot æmulis, tot expositum iniuriis, tot afflictum calamitatibus: ergo iam scio obtinuisse hanc quamcunque gloriam, non solum absque mendacij suspicione, sed etiam sine inuidia.

CAPVT XLI.

Ostenta naturalia visa, rara tamen de Vita propria, & filij vltione.

INter naturalia ostenta, primum illud quod & rarissimum est, natum me esse hoc seculo, in quo totus orbis innotuit, cum antiquis paulo plus Triente cognitum fuisset: Hinc lustramus Americam (nunc partem propriam appello) Brasiliam, maximam incognitæ antea portionem, terram ignitam, Patagones, Peru, Chareas, Parana, Acutia, Caribanam, Pieoram, Hispaniam nouam, Quitum, Quiniram partem Occidentaliorem, Galliam nouam, & ea magis meridiem versus Floridam, Cortercalem, Estotitilant, Matata: Præter has ad Orientem sub Antarctico Antiscio squasi Scythas, & alios nundum notos Boreales, Laponiam, Biarchiam, Amazones, & quæ est è regione insulæ Dæmoniorum (si hæ fabulosæ non sint) hinc certe vt æqua fiat distributio,

magnas

magnas sequuturas calamitates verisimile est: ereuit opinio, minuentur & contemnentur bonæ artes, & certa pro incertis commutabuntur. Sed hæc alibi, interim nos florente prato gaudebimus. Nam quid mirabilius Pyrotechnia, & fulgure mortalium, quod perniciosius multo est quam Cælestium. Nec te silebo magne Magnes, qui nos ducis per vastissima maria, & noctes tenebrosas, & tempestates horribiles in peregrinas, & incognitas regiones. Addatur quartū Typographica inuentio: manibus hominum facta, ingenio illorum inuenta, æmula diuinis miraculis, iam quid deest amplius ni Cœlum occupemus. O insaniam hominum si vanitatem, si principia non animaduertimus: ambitiosum supercilium si non admiramur, sed ad ordinem redeo.

Erat dies xx. Decembris anni M.D.LVII. cùm mihi prosperè cuncta succedere videbantur: non dormio ad mediam noctem vsque, cùm vellem visus est mihi lectus tremere, & cum eo cubiculum, terræmotum existimabam: post tandem somnus obrepit: vbi mane dies illuxisset rogo Simonem Sosiam, qui nunc hic Romæ est, in curruli lectulo iacentem, an aliquid senserit? respondet tremorem cubiculi & lecti: Qua hora? inquit sexta aut septima. Tunc ego in forum me confero, quæro à pluribus an terræmotum ea nocte senserint, nemo affirmat; venio domum, accurrit famulus admodum tristis, nunciat Ioannem Baptistam duxisse in vxorem Brandoniam Seronam puellam amatam ab ipso, sed omnium bonorum expertem: atque hinc dolor, hinc lachrymæ; accedo prope locum, video rem transactam. Hoc sanè fuit omnium malorum initium, cogitaui diuinum nuncium, quòd cognouisset conclusum vesperi, nocte voluisse significare, nam vbi illuxisset, antequam domo prodiret, aggressus eram filium: dixi (non eo tantum monitus ostento, sed quòd videretur à seipso alienus) fili caue tibi hodie, magni mali quippiam ne efficias, locum memoria teneo, in ostio enim eram: sed non, an subiecerim de ostento. Non multis post diebus, sentio rursus tremere cubiculum, experior manu, cor sentio palpitare, in latus sinistrum enim decumbebam; eleuo me, cessat tumultus ille & palpitatio: iterum decumbo, itaque cum vtrumque rediisset, cognoui vnum ex alio pendere. Memineram etiam quòd, cum visum esset antea tremere, tum ego mihi palpitabat, vt esset res naturalis: verùm quomodo prior ille esset affectus non intelligebam, animaduerti solum quòd duplex hic erat tremor: naturalis qui ex palpitatione cordis prouenit, & à spiritu, qui eo medio prouenit: quod ex similitudine deprehendi non paucis ante annis, nam cum antea essem solitus, si antelucanis horis expergiscerer, duris & grauibus curis angi, à paucis annis nunc citra, & si contingat vigilia, non tamen cura: quòd ea vigilia à morboso habitu potius fiat quam ab afflatu.

Simile contigit cum anno M.D.XXXI. canis modesta vlularet præter consuetudinem assiduè: corni insiderent domus vertici crocitantes præter solitum, puer cum fasciculos lignorum frangeret, erumpebant ignis scintillæ, duxi vxorem inexpectato, à quo tempore multa aduersa concomitata sunt: non tamen prorsus omnia hæc diuina fuerunt, nam cum essem annorum prope xiii. eotuus arripuit in campo B. Ambrosij laciniam vestis, nec dimittere magna vi me eum trabente, ac repellente voluit, nec quicquam tamen vel ad multos annos luctuosum accidit, aut mihi, aut meorum vlli.

Magna etiam, sed prorsus naturalia obseruaui: quæ superius à Cælo, hora penè xxii. stellam Veneri similem (dum essem puer) quæ illuxit tā clara, vt à tota vrbe nostra conspiceretur. Vidi tres inde Soles anno M.D.XXXI. & omnes in Oriente, & cum radiis, Aprili mense, Venetiis: vbi tum casu eram, durauitque spectaculum totis penè tribus horis. Antea vero circa annum M.D.XII. in agro Bergomensi propè Abduam fluuium, ceciderunt nocte vna supra M. vt referunt lapides, cùm præcessisset vesperi ingens flamma, quæ in aëre ferebatur trabis ingentis similitudine: vidi ego ex his vnum dum puer essem, ponderis librarum supra ex. (non recordor an communium, an maiorum: nam libræ exi. maiores Mediolanenses sunt cclix.) in domo M. Antonij Dugnani, iuxta ædem sacram D. Francisco dicatam, forma inæquali, & vndique abrupta, vt de casu coniectari possemus: color cineris, & saturior, si affricaretur sulphuris odorem reddebat, cotibus vulgaribus simillimus erat: Potuit & esse terhna, nam ibidem tales lapides effodiuntur, & per orbem passim, cotium nomine deferuntur. Volui hoc subiecisse, quod neque apud Gasparem Burgatum, neque Franciscum Sansouinum diligentes horum temporum Italos Scriptores, vllam mentionem huius rei inuenio. Sed quorsum tamen patritij illi hoc confinxissent? & passim alij licet minores ostendebantur: nec spectaculum gratum futurum Principibus qui tum regnabant. Constat enim seditiosis, huiusmodi ad res nouas moliendas animos addere, & forsan aliquid etiam in hoc euidenti causa possunt. Sed sit modo vtrumque, circa id tempus, constat Venetiis tam grauem fuisse terræmotum, vt nolæ templorum sponte pulsarent, accidit enim hoc prodigium anno M.D.XI. vt anno M.D. XIII. cùm Maximilianus Sfortia Mediolani Princeps, amisso toto Principatu, Nouariæ obsideretur à Gallis, canes Gallorum in vrbem agminatim venerunt, canes Eluetiorum lingentes, atque illis blandientes, quo viso accurrit Iacobus Motinus Torsaninus Tribunus militum Eluetiorum, qui pluribus prœliis interfuerat, Sfortiæ certam ex obseruatione victoriam spondens: quam sequenti die adeptus est. Hic ordinem & propositum videor transgressus, sed ad præsentia pertinet ostendere, me eo tempore natum quo multa mirabilia viderim. Iuueni (& nunc nuper à somno experrecto) videbantur quæ in cubiculo erant, ac si cum lumine fuissem, sed paulò pòst euanescebat vis illa, referunt Tiberio hoc accidisse.

Cum nocte præcedente x. Calendas Februarij M.D.LXV. qua die recessit Cæsius, ingressus Crassus, bis arsisset lectus, prædixi me non permansurum Bononiæ, & prima vice restiti, secunda non potui. Anno M.D.LII. catula domesti

domestica, & placida domi relicta ascendit super abacum, & lectiones meas publicas lacerauit, librum de Fato, qui videbatur magis expositus non attigit: A fine anni præter omnem spem, profiteri publicè desij per octo annos perpetuos. Nonnunquam ex minimis cum immodice perseuerant, coniecturam facere licet: cùm ex minimis, vt alias declaraui, ac vniusmodi, velut retium maculis omnia apud homines constent, repetitis, & in diuersas figuras vt nebulæ formatis: nec solum per minima augeantor, sed & illa minima sensim in infinitas partes, vt ita dicam, diuidere oportet; isque solus in artibus, in consiliis, in negociis ciuilibus præstantissimus erit, & ad summum culmen perueniet, qui hæc intelliget, & in opere ipso obseruare nouerit: quamobrem in quibuslibet euentibus talia minima erunt obseruanda. Die qua venit è Bononia Ludouicus Ferrarius cum suo patrueli Luca: Pica in corte tandiu deblaterauit, præter solitum omnino, vt nos aliquem expectaremus, erar autem pridie Calendas Decembris M.D.XXXVI. nunquid hoc in causa? minimè, quoties in irritum cesserunt? Ergo his prodesunt incerta ratione obseruata, vt Augusto: aliis contempta vt Iulio Cæsari & Syllæ: atque eadem ratio in alea, vt nulla sit aut obscura. Quæ verò supra naturam sunt, rationi naturali non sobiacent; quæ subiacent, iam nil mirum continent, nisi eius imperitis. Aliud fuit cum penè mersus sum in Benaco lacu, timebam ingredi, causam ignorans, & erat aëris magna tranquillitas. Eodem anno plura apparuerunt quæ liberationem, alia calamitatem portenderunt, velut solutio vinculi quo smaragdus collo appensus erar. At antea tres annuli quos in digitis gestabam (mirum sanè dictu) in vnum confluxerant, vt tam exitus quàm coitus non parum esset admiratione dignus, tum magis quod liberatio, & damnatio post subsecutæ fuerint: sed dona hæc sunt Dei, nam quod ad prodigia attinet, nihil minus. Damnatus à prima pueritia ad mortem spirandi illa difficultate, frigore maximo pedum ad mediam noctem vsque, palpitatione cordis ea in ætate, sudore copioso; quem postmodum excepit vrinæ profluuium perpetuū; dentes rari ac debiles admodum, manus dextra incompacta, linea vitæ valde breuis, inæqualis, intercisa, ramosa, & reliquæ principales penè capillares aut valde obliquæ: Astra quæ minitabantur omnino obitum, vt omnes dicebant ante annum xlv. omnia vana inuenta sunt; viuo, & annum ago lxxv. non artium fallacia, sed artificum inscitia: quin quod, si quid tale esset, non magis elucescere poterit, qoàm in Aristotele, de quo nihil tale legitur. Sed ad filij historiam accedamus, quæ verè quippiam habuit dignius consideratione.

Cecidit filius meus, intra cxxi. diem, ipse mortuus est exclamans se perire ignorantia eius, qui mortem filij mei suaserat, & deprecatus fuerat Falcutius Senator: vir alioquin primarum partium, quem secutus est Hala, qui à damnatione filij sic statim ægrotauit, vt Phthisi correptus reiecto pulmone expirauerit. Præses ipse Rigonus qui iudicium vrgebat, vxorem propriam extulit sine cereis, mirum dictu! verumtamen vt à pluribus audiui: referunt ipsum quamuis nominis integri, sola morte iudiciom cuius insimulabatur effugisse; tum etiam filium eius vnicum adolescentem morte ereptum, vt diceres domom illius diris excantatam. At paucos intra dies socer filij mei qui eius mortem procurauerat, in vincula coniectus, tandem amisso exactionis munere mendicauit: filius eius quem maximè amabat suspendio vitam finiuit, damnatus vt audio in Sicilia. Eorum qui ipsum accusarunt nemo non nisi magna calamitate euasit, aut perculsus, aut enectus: quin etiam dominus ac Princeps alioquin generosus & humanus, cum ipsum ob inuidiam meam, & accusatorum multitudinem deseruisset, & ipse multis modis conflictatus est grauibus morbis, cæde propriæ neptis à coniuge suo, litibus grauibus: tum etiam subsecuta calamitas publica, Zotophagite insula amissa, classe Regia dissipata, non quod tam impudens vel insanus, vt quicquam horum pertinere ad nos putem: sed homines bonæ mentis, vt in tempestatibus segetes euertuntur, & magnarum calamitatum tempore cadunt, præsidio optimorum Principum, tum occupatorum publicis aut propriis infortuniis destituti, quæ tempora obseruant improbi calumniatores ad amussim, non alia spe magis conspicua.

CAPVT XLII.

Pracognoscendi vis in arte, & aliis.

POrrò qualiscumque causa fuerit quæ plus mihi nominis hac in parte attulerit quam cuperem, seu diuinus afflatus, seu Harpocratica constitutio, seu quædam iudicij & mentis perfectio, non satis dicere possim. In Medica primum arte emicuerunt Ceciliæ Madiæ, de filio Io. Iacobi Reste, totque aliorum, vt in tanto tempore nemo gloriari possit vidisse hallucinatum: quin imò etiam qui alias partes artis à me detrahere conabantur, in hac primas perpetuo reliquerunt, nihil mihi tale optanti. Sed omittam reliqua, Bononiæ nonne offerebam, si quis vallet pro ægris decem numerare coronatos, vt bis, vel ter, aut semel tantum ægrum inuisere studiosè possem, me persoluturum quod accepissem centies, si aberrassem in partem quam mortis causam futuram prædicerem. Dissecuerunt plures nobiles & primùm quidem me præsente, deinde cum viderent non falli vnquam, illis ne toties contingeret erubescere, clam dissecabant: sed nunquam in octo annorum spatio in quo ibi Medicinam publicè professus sum, contigit, vt vel de hoc non solum contradicere, sed neque hiscere ausi sint, tam fœlix hac in parte. At extra artem quæ in consilio Regis Edoardi VI. Anglorum dixerim, & quomodo calamitates eius Regni impendere, & quales, certè quis admiretur, taceo quæ in carminibus Næniæ mortis filij subticere volo, quod ipsi prohibuerint, & tamen puto extare miraculo propiora quam oraculis, de eo quod futurum esset vsque ad octauum annum, ab illius morte. Sed vt dixi, ea mihi non tribuo, quæ etiam malim perire, quàm vt gloriam hoc modo

quæram;

quæram; oam & de Cypri amissione ab initio pronunciaui, & causas reddidi; tum etiam de Africæ Arce nil hæsitans; nec velim quemquam opinari, quod hæc loogius petita fiot, aut ex Dæmone, aut ea Astris, sed ex Aristotelis oraculo: solum enim, inquit ille prudentum, ac sapientum, esse veram diuinationem: Exquirebam quæ in te essent, primum didiceram locorum naturam, mores hominom, Principum præstantiam, Historiarum & nobiliorum, & secretariorum magnum nomerum euolueram, inde adiutus meis artificiis quæ nunc exponam, pronunciabam.

Audi ergo quæ & qualia, doctrina crassa, dilemma, τέχνη, amplificatio, splendor singularis, Dialecticæ, & in ea longa, diligens, assidua exercitatio, & exercitatione maior cogitatio. Quædam tamen sic mihi contigerunt, vt causas vix reddere possim, nemini me dum essem adolescens, persuasum fuisse cuidam Ioanni Stephano Biffo, quod essem Chiromanticus, & tamen nil minus: rogat ille, vt prædicam ei aliquid de vita; dixi delusum esse à sociis, vrget veniam, peto si quicquam gratius prædixero: dixi periculum imminere breui de suspendio, intra hebdomadam capitur, admouetur tormentis: pertinaciter delictum negat, nihilominus tandem post sex menses laqueo vitam finiuit, illi prius amputata manu. Non ita fortuitum dici potest, quod nunc accidit in Io. Paulo Eufomia iuuene alias alumoo meo, intra mensem, & extat chirographum: sanus erat, quodam vesperi iubeo mihi chartam exporrigi, scribo in illa ni caueat, breui moriturum: non hic sydera, non doli mihi explorati; reddo causas, transmitto, intra sex vel octo dies ægrotat, non multo post perit: prope miraculum talia imperitis videntur, si prudens illud scriptum legat, & consideret, dicet vidisse factum, non futurum præuidisse. Quid Romæ? tot sunt testes quot aderant conuinæ; dixi, nisi non æquo animo vos non accepturos existimarem, dicerem aliquid: vnus ex his inquit forsan dicere vis vnum è nobis moriturum, respondi inquam ita videtur hoc anno, & die prima Decembris, qui vocabatur Virgilius obiit. Adde quod minimis constant res nostræ, & ab ipsis magnas mutationes accipiunt: atque ab eiusmodi, ac minoribus si dicere licet, indicantur. Non dicam quod ignoro, venit Gallus dum habitarem in domo Ranutij Bononiæ, volens alloqui me seorsum, dixi sufficere debere ne alij audirent: cùm perstatem discessit, suspicatus misi qui quærerent, non est inuentus qoi viderit: quid putas? scelus cogitabat ille.

Quid dicam de Cypro, non semel vt audiui quinam essent apparatus Turcarum & Christianorum, dixi metuendum esse ne vinceremur: testis est Cardinalis Sfortia. Causas adducebam, tandem exitus ostendit, & vi & errore insulam amissam. Hæc & talia studiosis diligentibus, & peritis accidunt, oon tamen neque necessitatio, neque in omnibus, certissima enim sunt, quæ in artibus, vt fabrilis.

CAPVT XLIII.

Res prorsus supra naturam.

Quod mihi accidit dum studerem Papiæ, vt mane quodam, antequam expergiscerer ictum in muro senserim, vacuum erat habitaculum, quod loco illi erat contiguum: & dum expergiscerer, & postea alium, quasi mallei, & quòd eadem hora vesperi intellexerim obiisse Galeazium de Rubeis amicum singularem, & de quo iam multa, non id referam in miraculum: primum potuit totum ad somninm continuitate referri: Secundo, vt dixi, potest à causa quadam naturali processisse vt de vapore illo: Tertio vt cùm me viderent perculsum prodigio, & metu me intra domum tota die retentum, confinxisse mortem hanc, atque traduxisse ad illam auroram, cùm antea multo obiisset, paucos enim videas, qui ea hora ex morbo pereant. Quamobrem hoc prodigium non inter miracula tot modis labefactatum reponam: sed cuique vt de eo statuat, vt melius videbitur, similia.

Ergo anno M.D.XXXVI. cùm habitarem in P. Tonsa, erat mēsis ni fallor Iulij, prodiens è cœnaculo in Cortem, sensi maximum odorem cereorum quasi nuper extinctorum; tertius voco puerum interrogans an quicquam sentiret, ille cùm de strepitu intelligeret; negabat, monui non de sono intelligere, sed an odorem perciperet, dixit, O quam magnum sentio ceræ odorem, dixi, sile, & ancillam rogans, & vxorem, omnes mirabantur præter meam matrem, quæ nil sentiebat, credo grauedine præpedita: Itaque mortem imminere hoc ostento autumans, cum ad lectum contulissem me, non poteram obdormiscere: & ecce aliud prodigium priore maius, in via publica grunnientes sues, cum nulli ibi essent, inde anates similiter obstrepentes: Quid hoc mihi, & vnde tot monstra? Et anates cur ad sues veniunt? qui tota nocte grunnieotes perseuerarunt. Mane tot visis perculsus, nesciebam quid agerem: vagabar extra vrbem à prandio: & rediens domum, video matrem quæ me hortabatur vt properarem; ictum fulmine vicinom Io. præfectum alias pestilentiæ: Hunc ferebant, cùm xii. ante annis ei muneri vacaret, quòd pestilentia sæuiret, multa rapuisse: concubinam habebat, nec exomologesim subibat: forsan & alia peiora admiserat: erat autem vicinus, vt non intercederet nisi domuncula, vidi & cognoui esse mortuum prorsus, tunc liberatus sum à cura, illius obitu. Dices vnde tibi hoc visum? an vt seruarer? Nam aliquando, licet raro, sub portico suæ sedere confabulandi gratia contigerat. Erat enim locus frigidiusculos.

Secundum cùm mater esset in extremis, expectectus & illucescente altius Sole, videos & nihil videns, xv. ictus (illos enim numeraui) audiui, quasi aquæ guttatim in pauimento cadentis, nocte autem præcedente, circiter xxx. prope numeraui, sed dubitabam quod hos à dextra sentirem, ne quis domesticorum mihi anxio illuderet, vt hi ictus

non viderentur in die contigisse, nisi vt nocturnis fidem facerent: Paulò pòst ictum quasi currus tabulis onusti simul se exonerantis, supra laquearia sensi, tremente cubiculo, mortua est vt dixi mater, ictuum significatum ignoro. Omittam illud quod circa medium Iunij M. D. LXX. sentire visus sim ambulantem noctu, occlusis ostiis atque fenestra clatrata, inde assidere mihi, strepitum edente capsa; forsan ad nimiam cogitationem referri potest, nam alium de hoc interrogare non potui. Quis fuit ille qui mihi vendidit Apuleium iam agenti annum ni fallor xx. Latinum, & statim discessit, ego verò qui eousque neque fueram in ludo literario nisi semel, qui nullam haberem Latinæ linguæ cognitionem, cùm imprudens emissem quod esset auratus, postridie euasi qualis nunc sum in lingua Latina, nec non & Græcam quasi simul, & Hispanicam, & Gallicam accepi, sed dumtaxat vt libros intelligam: ignarus sermonis, & narrationum, & regularum Grammaticæ prorsus? Anno M. D. LX. mense Maij, cùm ob dolorem mortis filij paulatim somnum amisissem, nec inædia, nec verbera qu bus crura obequitando per segetes discruciabam, non ludus latrunculorum, quo tempus transigebam cum Hercule Vicecomite adolescente gratioso: nam & ille iam vigiliis consumebatur, rogaui Dominum vt mei misereceret: nam ex perpetuis vigiliis necesse erat, aut me mori, aut insanire, aut saltem munus profitendi deserere. Itaque si desererem, non erat quo vitam honestè protraherem: si insanirem ludibrio futurus essem omnibus, disperderem quod esset reliquum patrimonij, spem nullam affulgere commutandæ ob senectutem conditionis: rogare itaque vt mortem immitteret: namque hanc esse commuonem, & statim concessi in lectum. Erat enim hora tarda, & decima surgere cogebar: vix duobus horis licebat conquiescere in lecto: statim abripuit me somnus, & subitò appropinquantem visus sum vocem ex tenebris audire, quam neque cuius esset, nec quis esset dignoscere potui ob tenebras: Dicebat enim illa, *Quid quereris*, seu *quid doles*? nec expectato responso subiecit, *De filij nece?* cui ego, *an dubitas?* Tum is respondit, *Lapidem quem collo suspensum habes in os impone, & quandiu habebis, filij non recordaberis*; & somno illico solutus, cogitabam quid smaragdo cum obliuione? sed postquam nulla erat alia euadendi spes, recordatus verbi illius *credidit in spem, præter spem & reputatum est ei ad iustitiam* (de Abraham loquentis) imposui lapidem, & ecce quod supra fidem omnem est, statim ita omnium, quæ ad filij memoriam pertinebant obliuiscebar; tum tunc, cum iterum in somnum delatus sum, tum in posterum ad annum fermè vnum cum dimidio: donec conscripsi librum Theognoston, seu secundum Hyperboreorum. Interim dum comederem, & dum profiterer, cum non liceret smaragdi beneficio vti, torquebar ad mortis sudorem vsque; sic somnum, & habitum prorsus vt mihi videtur recuperaui. Quod verò est prorsus admirabile, neque in vna, neque in altera mutatione quicquam moræ vnquam interponi visum est.

Nocte quæ præcessit Idus Augusti M. D. LXXII. lumen aderat, & ego eram vigilans, paululum enim differebar à secunda bora noctis: & ecce sensi strepitum ingentem à dextra, quasi exonerantis currum tabulis onustum; respicio, erat hoc in ingressu cubiculi mei, ex cubiculo vbi puer dormiebat (erat autem ostium apertum) video villicum ingredientem, respiciebam ad illum intentè ob multa, protulit ergo in ipso penè limine ostij, *Te sin casa*, quo dicto euanuit: Ego neque vocem agnoui, neque vultum, neque vlla in lingua potui quid significaret assequi, respondi alias cur talia? sed si quis obiiciat cur adeò paucis eiusmodi miracula? Et quare si sic est, homines regna adeo appetunt, magistratus, & spes, per tot etiam nefanda? Dico hunc non esse locum ad hæc determinanda, neque humeros tanto ponderi idoneos, sed ad Theologum relegare: mihi sufficiat historiæ veritatem enarrasse. Omittam referre de Tonitru Bononiæ, quod superstitit cubiculo sine fulgure, sed & absque tremore quod, minus malum: vt strepitus tabularum semper malus, quamuis in nullo horum mors subsecuta sit, nisi de matre, sed illa iam peribat morbo, & senio confecta: item de contumaria horologij, quæ in causas facilè naturales referri potest: vt etiam de terra illa quæ anno M.D.LIX. mense Octobris, ac Nouembris, effossa singulis diebus sub foco, & prope cernebatur. Quæ oculis meis non dormitans, sed in clara luce vidi. Circiter viii. Calendas Aprilis M. D. LXX. consilium pro patrono meo Cardinali Morono conscripserã, cuius vnum folium cum decidisset in terram, mœrebam: Itaque exurgo, & vna mecum folium se erigit, & transgreditur vsque ad abacum, ibique erectum, transtris eius adhæsit: Ego admiratione ductus voco Rodulfum, & ostendo rem miram, ille tamen non vidit motum: neque ego potui (vt qui nec tot mala expectarem) intelligere quid portenderet: erat autem vt euersis rebus meis, lenior aliquando aura afflaret.

Post mense, ni fallor, Iunij, cùm scripsissem ad eundem, ecce quæro puluerarium, cum diu vbique quæsissem, eleuato folio, vt ex terra colligerem, quem imponerem puluerem, video latuisse puluerariam pyxidem altam vncia cum quadrante, rotundam, vt dimetiens esset longum vncia, qui sit vt in plano scribenti latere potuisset? & hoc ad illud pertinebat: confirmabatque spem, quam de illius humanitate & sapientia conceperam, vtque ille cum optimo Pontifice ita ageret, ne pro tot laboribus tam aduersa perferrem.

Sed hæc omnia æquauit, plana reddidit, & certa quod secutum est vii. Idus Octobris anni eiusdem, detentus eram pridie Nonas, fideiussionem pro M.D.CCC. coronatis aureis dederam, die illa hora nona diei illucescente in carcerem Sole, vbi illi abierant, dixi Rodolfo Syluestri, vt clauderet ostium cubiculi: hoc ille facere grauabatur, & consilij mei præposteri, satis mirabatur; ego seu Deo ita volente, seu ratione inductus, vt quod perferre coactus essem, inuitus permiscerem cum voluntario: ergo paruit, ecce subito clauso cubiculi ostio, ostium ipsum maximo ictu percussum est, vt procul exaudiri posset, statim

ſtatim reſiliit nobis ſpectantibus ictus in feneſtræ operculum, quod irradiabat Sol, ſimili fragore, atque illico in feneſtram, atque clatratam impingens, tanquam annexa ſtridebat, atque ſic euanuit: cùm hæc animaduerterem, ſtatim miſeriam meam lamentari cœpi, ſed apparuit quod pro ſigno certo mortis moleſtæ interpretabar, ad vitam ſpectaſſe: Paulò pòſt enim ſic mecum ratiocinari cœpi, ſi tot Principes tam etſi iuuenes, validi, feliceſque, pro regibus ſuis, vt grati illis videantur, ſe certæ morti exponunt, cum ab obitu nil ſperare poſſint prorſus: qui tu ſenex marcidus, ac penè infamis, pati potes, vel ſcelere, ſi reum te exiſtimabunt, vel iniuria ſi hoc malo indignus eoram Deo ſis, qui benignitate ſua oſtendit res tuas io illius conſpectu poſitas eſſe? Itaque iam tutus mihi à morte quam pertimeſcebam eſſe videbar, & vitam lætam ducebam, quantum humana noſtra natura fert: Eoque modo vitam produxi, de qua actũ erat, recordanti quod antea non poſſem, vel momento in carcere morari, quin ſuffocari viderer. Huic oſtento adeò admirabili interfuit, vt dixi Rodulfus, qui ſequenti anno laurea decoratus eſt. Sed habent hæc mira in hominibus, vt cum adſunt, vel pauloante acciderint, totum hominem ad ſe trahant: cum refrixerint adeò attenuantur, vt niſi aliquo tanquam clauo firmiter inſtauraueris, quaſi dubites an videris, vel audieris: quod reor maximè tum ob alias cauſas multo profundiores accidere, quam naturæ noſtræ diſtantia à cauſis, quæ illud efficiunt. Scio quales quidam de talibus (vt naſuti videantur) iocos & riſus excitabunt. Quorum princeps Polybius Philoſophus ſine Philoſophia, qui nec quod ſit munus hiſtorici intellexit ſed nimium extendendo ridiculus euadit, interdum admirabilis, vt dum de Achæis loquitur lib. 2. hiſtor. Quid plura? rectè dicebat Tartalea, neminem ſcire omnia: imò, nihil eos omnes qui ſe multa ignorare non ſciunt, vides Plinium cum adeò luculentam tradiderit hiſtoriam, Bouem ſe præſtare, dum de Sole & Aſtris agit. Quid igitur mirum de Polybio (dum altioribus atque diuinioribus ſe infert) adeo clare prodidiſſe ruditatem ſuam? vnum ſatis eſt harum rerum conſcientiam & ſenſum, vniuerſi orbis (ſanctè iuro) regno etiam diuturno, cariorem mihi eſſe. Quid ſi adiungere voluiſſem, quæ maiores mei mihi narrabant fabulis ſimilia, & tum riſu digna viſa: poſtquam tamen ego tam certè deprehendi, nonne hæc ipſa parua videri poterant? ſed neque illorum prudentiæ, aut diligentiæ tantum tribuere auſus ſum, vt confirmari poſſe ſperarem: Verùm illud admonere ſatis habui, circa morituros & ex inſperato maximè, frequenter talia videri, præcipuè inſigniter bonos aut malos. Vnde ſi ita eſt, non tam poteſt hoc eſſe fortuitum, quam naturale diuinumve. Neque enim ſuſpenſis animis terrore, aut commotis, fluctuantibus, immodici enim affectus, cum alterius generis miraculis obruunt opiniones falſas, non augent. Quid enim puellæ ſupplicanti Deo cum patris iuſſione, quem illa liberandum exiſtimaret? ſed hæc ſatis, nam ſolum cum accidiſſent & qualiter, & à quibus prorſus omnis ſuſpicio, aut erroris, aut technæ aberat, quam breuiſſimè hic adſcripſi: aliorum etiam quæ euidẽtia fuerunt, quòd non tam inſignis exempli eſſent, aut certiora mihi fuiſſent præſenti, ſed non locupleti adeò teſtimonio, immenſam multitudinem prætermiſi: vt etiam ex noſtris commentariis deprehendere cuique licebit. Solum hoc rogo te ô Lector: vt cum talia leges, non faſtum humanum tibi pro ſcopo proponas, ſed magnitudinem atque amplitudinem Orbis, ac Cæli, & has exiguas tenebras, in quibus miſerè & anxiè volutamur compares, facile intelliges nil incredibile me enarraſſe.

CAPVT XLIV.

Quæ in diuerſis Diſciplinis digna adinueni.

NVllam quaſi eſſe ſcias quam præferàs inuentionem: in Dialectica cum vna fuiſſet nota, (Ariſtotelica) rem & vſum diuiſimus, vt ſinguli diſcipuli Euclidiſticæ, Ptolemaicæ, Archimedicæ, Hippocraticæ, Galenicæ, & Scoticæ præcepta perciperent. Præterea Dilemmatis vſum extendi, velut & Doctrinæ craſſæ, τρόπ amplificationis, ſplendoris, per quas ſpectra videre plurimi contenderunt, & animam quaſi à corpore abſtrahere: tum ſapientiæ experimenta ea præferre, quæ mirabilia videntur, vt ex tam breui ſpatio liceat tot depromere; quaſi in mortalibus per circulum, velut in immortalibus initia finibus coëant: nec liceat etiam lectione (modo non exſcribantur) ſimulachra, aut exempla, excerpere, vt labor plurium menſium, vnius horæ ſpacium imitari, ſupplere, aut æquare poſſit: adeò vero res ſuper aucta eſt, vt extemporaneum profitendi munus, quod alias tanti faciebant, deſinant iure admirari. Dignique etiam venia ſint, qui ad malum dæmonem talia referunt, quando neque bonum, neque Dei benignitatem agnoſcunt.

In Arithmetica totam penè, & capitula Algebræ appellata, & numerorum tot proprietates, maximè rationem inter ſe ſimilem habentium; & illorum, ac iam inuentorum tractationem, aut facilem, aut admirabilem, aut vtramque. In Geometria confuſam, & reflexam proportionem; infiniti cum finitis, & per finita tractationem, quamquam ab Archimede prius inuentam. In Muſica nouas voces, nouoſque ordines inueni, aut potius inuentos in vſum reuocaui, ex Ptolemæo & Ariſtoxeno.

In naturali Philoſophia, ſuſtuli ignem ab elementorum numero: omnia docui eſſe frigida: non commutari elementa inuicem: palingeneſim: Qualitates veras eſſe tantum duas, calorem & humidum: vim ſalis & olei: non eſſe in miſtis, principium ad generationem animalium perfectorum, niſi calorem cœleſtem: Deum debere dici immenſum: omnia quæ partes habent diuerſas ordinatas animam habere, & vitam, animæ noſtræ immortalitatem, iuxta Philoſophos veram, non vmbratilem: Numero omnia conſtare, vt in plantis foliorum & ſeminũ certo: Principiũ ſimilitudinis, eſſe modum agendi ab vno agente,

& vna materia, ab hoc ſequi tot varietates & pulchritudinem: terram eſſe per ſe, & non vt miſtum cum aqua: inde prominere in partibus oppoſitis ſæpe: Cur Oriens ſit melior Occidente? cur recedente Sole poſt ſolſtitia, tam calor quam frigus multis diebus augeatur: Quid Fatum & quomodo: de cauſis rerum mirabilium, velut cur mille aleæ in mille iactibus, ſi ſint legitimæ, neceſſario iaciunt monadem: Ab omnibus foliis plantarum putridis, diuerſum iuxta foliorum naturam animal generari: Naturam nullam eſſe, ſed rem fictam, & vanam, principium multorum errorum ab Ariſtotele introductam, ſolum vt Platonis opinionem nomine euerteret: Tum alia innumerabilia, ſed illud præcipuè, quòd docui deducere contemplationem rerum naturalium ad artem, & opus, cum nulli ante me, ne id tentare quidem aggreſſi ſint.

In Morali Philoſophia, æqualitatem conditionis omnium, non ſolum hominum, ſed etiam viuentium: vnde naturaliter coniectari licet compenſationem à morte actionum: in hominibus vtilitatem capere ex aduerſis: Quænam optima vita, & quomodo cum æqualitate ſtare poſſit? Tria eſſe regna: Quòd in regno humano, meliùs perſæpe eſſet, neſcire quid bonum vel malum, ſi neſcias quantitatem, in aliis autem ſecus, ſicut etiam de felicitate in vnoquoque: cognitio morum hominum primo in genere, poſt iuxta gentes, & reliqua vt conſuetudines, demum huius propriè vel alterius.

In Medica arte, rationem veram criticorum dierum: curam podagræ, & febris peſtilentis generalem: tranſmutationes multiplices in olea: ex medicamentis non purgantibus purgantia conficere: de aquis ſingularibus: Artem coquendi cibos multiplicem & vtilem: prauorum medicamentorum in vtilia, & facilia tranſmutationem, item horribilium in facilia: præſidia quæ liberant aſciticum & roborant, vt poſſit ipſa die per vrbem ire: item quomodo ex vnius membri cura, poſſimus in alterius morborum ac cauſarum, tum cognitionem atque curationem deuenire, & quomodo vnius libri repetita ter quaterve lectione, diuerſorum morborum cognitio, & curatio haberi poſſit. Vera ſecandi hernioſos ratio, à me reuocata in vſum eſt, & breuior: & hiſtoria locuples vrinarum, cùm vix habeamus illarum quædam veſtigia, & vmbras. Interpretatio etiam à me librorum difficiliorum ſcripta eſt Hippocratis, præcipuè legitimorum, ſed nondum perfecta eſt qua die hæc ſcribimus, ſcilicet xvi. Calendas Decembris M.D.LXXV. Præterea materiam de morbo Gallico ampliter, & experimenta ad morbos difficillimos comitialem, inſaniam, cæcitatem, in paucis, vt de ſeta equina ad hydropem; alias ad ſcirrhos, vrigines meiendi, morbos articulares plurima, & ad lapidem renum, colicam, hæmorrhoidas, & alia ad v. millia. Abſolutorum autem problematum ſeu quæſitorum ad xl. millia, minutiorum cc. millia relinquam, vnde lumen illud patriæ noſtræ, appellabat *virum inuentionum*.

CAPVT XLV.

Libri à me conſcripti. Quo tempore cur, quid acciderit.

Impreſſi Mathematici.

Ars magna. 1
De proportionibus. 1
Regula Aliza. 1

Aſtronomici.

Commentariorum in Ptolemæum. 4
De Genituris exemplaribus. 1
De Interrogationibus & Electionibus. 1
De ſeptem erraticis. 1
De vſu Ephemeridum. 1
De emendatione motuum & cognitione ſtellarum. 1
Aſtrologiæ Encomium. 1

Phyſici.

De ſubtilitate cum Apologia. 22
De Rerum varietate. 17
De animi immortalitate. 1

Morales.

De vtilitate capienda ex aduerſis. 4
De conſolatione. 3
Exhortatio ad bonas artes. 1

Variorum opuſculum primum.

De libris propriis. 1
De curis admirandis. 1
Neronis Encomium. 1
Geometriæ Encomium. 1
De Secretis primus. 1
De vno. 1
De gemmis & coloribus. 1
De Morte.
Tetim ſeu de humana conditione. 1
De minimis & propinquis. 1
De ſummo bono. 1

Variorum opuſculum ſecundum.

Dialectica. 1
Hyperchen. 1
De Socratis ſtudio. 1
De Aqua. 1
De Æthere. 1
De Decoctis. 1

Medicinæ opuſculorum tertium.

De cauſis, ſignis & locis morborum. 1
Ars curandi parua. 1
Conſiliorum liber primus. 1
De Medicorum abuſibus. 1
Quod nullum ſimplex Medicamentum noxa careat. 1
Triceps. 1
Apologia in Theſſalicum Medicum. 1
Apologia in Camutium. 1

Commentarij Medicinæ.

Aphoriſmorum lib. 7. De venenis. 3
De aëris conſtitutione 1. omnes. 11
Prognoſticorum lib. 4. de ſeptimeſtri partu 1. omnes. 5

De aëre, aquis & locis lib. 8. Consil. secundus lib. 1. omnes. 9
De alimento lib. 22. | Examen.
ægtorum. 2 |

In diuinandi genere.

De Somniis. 4

Extant impressi quos non connumero.

De sapientia lib. 5.
Antigorgias lib. 5.
Medecinæ Encomium lib. 1.
Ephemeridum supplementum lib. 10.

Scripti Mathematiti.

Geometriæ nouæ. 2
De numeris integris. 1
De numeris fractis. 1
De numerorum proprietatibus. 1
De Alogis. 1
De Commentitiis seu fictis. 1
Musicæ. 1

Physici.

Ne Natura. 1
De Secretis Quartus. 1
Hyperboreorum. 2

Morales.

De Moribus. 3
De optimo vitæ genere. 1
Memorialis. 1
De Vita nostra. 1

In Medica arte.

De vrinis. 4
De habitatione Romæ. 1
De dentibus. 5
De tuenda sanitate. 4
De lue Indica. 1
Consiliorum tertius. 1
Actus. 1
Contradicentium Medicorum. 12
Manuarius. 4
In librum de victu in Acutis. 6
In Galeni artem Medicam 1
Floridorum seu in primam primi. 2
In Hippocratis Epidemia. 5

In Theologia.

Hymnus, vita B. Virginis.
Vita B. Martini. cum dispunctionibus.

Diuersorum Argumentorum.

Paralipomena. 6
De clarorum Virorum libris. 1
De inuentione. 1
Problematum. 1
De conscribendis libris. 1
Proxeneta. 1
De ludis. 1
De carcere Dialogus. 1
Flosculus Dialogus. 1
De Nodis. 1
Antigorgias. 1
Medicinæ Encomium. 1
Metoposcopiæ. 7
Technarum calidarum. 1
De vsu Ephemeridum seu inuentionis nouæ. 1
Sacra. 1

Qua causa permotus sim ad scribendum, superius intellexisse te existimo, quippe somnio monitus, inde bis, terque, ac quater, ac pluries, vt alias testatus sum: sed & desiderio perpetuandi nominis. Bis autem magnam copiam, ac numerum eorum perdidi: primum circa xxxvii. annum, cùm circiter ix. libros exussi, quòd vanos, ac nullius vtilitatis futuros esse intelligerem. Aderat interim multa farrago, & præcipuè in medicina: nec ex his libris quicquam decerpsi, aut integrum seruaui, præter librum de malo medendi vsu, à quo primam editionem inchoaui, & Arithmeticæ rudimenta: ex quibus construxi Arithmeticam paruam. Paulò pòst, circa annum Domini M. D. XLI. opusculum de supplemento Ephemeridum, quod semel iam editum, inde auctum denuo superauxi & edidi. Anno autem M. D. LXXIII. alios cxx. libros, cùm iam calamitas illa cessasset cremaui, sed non vt in prima: verum decerpsi quicquid vtile mihi esse visum est: Et præterea aliquos etiam integros seruaui, velut librum technarum calidarum ex opere fabularum, librum de libris clarorum Virorum, alia commutaui, vt Diomedes qui recepit.

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Feci quia placebant: corrupi, quoniam displicuerunt, & euentus fauit vtrique consilio. Post ex geminatis somniis, scripsi libros de Subtilitate, quos impressos auxi, & denuo superauctos tertio excudi curaui. Ex hoc ad artem magnam, quam collegi, dum Io. Collà certaret nobiscum, & Tartalea, à quo primum acceperam capitulum, qui maluit æmulum habere, & superiorem, quam amicum, & beneficio deuinctum, cum alterius fuisset viuentum. Interim dum iter agerem in Ligeri flumine, nec haberem quod facerem, commentaria in Ptolemæum anno M. D. LII. conscripsi. De proportionibus, & Aliza regula addidi anno M. D. LXVIII. ad librum Artis magnæ, & edidi; tum etiam libro Arithmeticæ, & duos nouæ Geometriæ, & Musicam, sed hanc anno post vi. scilicet M. D. LXXIV. correxi & transcribi curaui. Libros de Rerum varietate anno M. D. LVIII. edidi: erant enim reliquiæ librorum de subtilitate, quas non potui ordinare, nec castigare ob multitudinem negociorum, filij enim parum morigeri, aut apti, nulli penè reditus, legendi munus non intermittens, domestica distributio, artis in vrbe exercitatio, Consilia, Epistolæ, totque alia, vt nec respirandi, nedum corrigendi locus daretur. Edidi libros de consolatione primum inter tot ærumnas: post addidi de sapientia, vt denuo recuderetur, anno M. D. XLIII. Interim scripsi illa multa opuscula quæ partim edita sunt, partim nondum, sed & vniuersos medicinæ libros, è quorum numero quatuor vides editos, Aphorismorum, de Alimento, de Aëre, Aquis & locis, ac Prognosticorum. Adhuc iacent Floridi duo commentaria in Artem medendi Galeni, in Epidemia Hippocratis primum & secundum: Cum veni Bononiam de somniis editus est, vtilis sanè multis futurus sapientibus, forsan rudi plebi incommodus, sed quid est, quo si quis malè vtatur, aut etiam inconsulto, non noceat? Equi,

enses, arma, munitiones, improborum in manibus atrocia tela, bonis non tam commoda quam necessaria. Difficultatem affert diuisio, vt inter vtiles, & inutiles, tertius ordo statuatur solis Doctoribus legendus. Dialecticam conscripsi vt specta illa naturalia, vix verisimilia, fabricare docerem: delectatus inde opere proprio, præ lætitia euulgaui, nec tamen habetur integra, nec emendata. Artem medendi paruam commodo publico, cum cætera tardius emitti in lucem animaduerterem. Librum de animi immortalitate conscripsi potius studio rei, quàm iudicio, cùm tantæ moli non satisfaciat Hyperboreorum secundus eius loco succedat: Dialogos, vnum ad leniendam calamitatem, qua pressus eram, alterum ad coarguendam hominum insaniam, vt quatuor contrariis satisfacerem dolori, & insanæ voluptati, stultæ cupiditati, atque timori. Proxeneta fuit ex impetu, quòd volui. Memoriale in quo præstiti. Promptuarij libri quatuor, flores & fructus totius Artis medicæ, breuiter comprehendunt, vt postea nullo indigeas, si priora non hos consecutus fueris nil actum putato. Commentaria in libros de victu in acutis, vt per doctrinam solidam ratio habeatur eorũ, qui ex morbis acutis seruari possunt. In quo genere, vt dixi, morborum curando, admodum felix fui. Libri de vrinis nondum absoluti sunt: Hi testantur naturæ miracula, cum in tam paruis, tot contineantur, vt enim ad totum ita pars; simplex tamen est, & horum ratio, & in imitatione ob id summa difficultas; elaborata autem hæc compositio, multisque, vt par erat, comprobata experimentis. Porrò cum libri contradicentium Medicorum, omnia dubia artis attingant, & vt mihi licuit dissoluere aggrediantur, si placuit sententia, cur damnare debeo? si diffido, cur apposui? decreui? determinaui? Problemata vt solet dici,

Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ.

Libros de ludis, lusor, aleator, scriptor cur non de ludis scribat? Et forsan vt dici solet *ex vngue leonem.*

Metoposcopiæ libros è xiii. in septem contraxi, pars est Physiognomiæ. Accepi ex Hieronymo Vicecomite, Suetonius extulit artem laudibus mirum in modum, vmbras quasdam veritatis animaduerti, seu vera seu falsa, difficillimum est quidquam determinare, nam ex falsis decipieris ob hominum & signorum multitudinem, & inconstantiam mutationis eorum.

Paralipomena & ipsa seruata sunt, ex veteri ruina; quis putet alia ratione deleta quæ deleui, nisi quòd neque probabam confusè, & sine ordine scripta: non delectus obseruatus, infima supremis, fœda nitidis, vtilia damnosis, artificiosa fortuitis, curiosa absurdis, permista: neque sperabam, etiamsi multa sustulissem, reliquum posse emendari, & in vnum corpus rotundum redigi. Quamobrem melius esse putaui, si dum omnes vident, viuuntque, si donec res est nota omnibus, bene consulerem amicis atque patronis, & quod maius est, compendio maximo facto temporis, longè plura, & clarius & certius posse posteris relinquere, quàm quæ aboleuimus ostenderem. Hoc dico pulcherrimum esse ita viuere, vt nemo desiderare possit, quòd à bono viro, officij loco sit præstandum. Quamobrem de Inuentione, & conscribendis libris, & de libris clarorum Virorum scripsi, vt hæc eadem ipso facto quod verbis laudaueram confirmarem. Hymnum, & vitas illas, vt etiam illis à quibus multa acceperam, animo saltem me declararem non ingratum. Expunctionem quod in summa vtilitate, exactam diligentiam interponi debere non solum, sed etiam exigi arbitrarer. Vt enim summa quæque dominantur; & exornant, ita errata neglecta, parum accuratè scripta, animos legentium labefactant, ipsis libris detrahunt authoritatem, communique bono detrimentum afferant. Non me latuit exemplo Aristotelis, & Galeni, hoc ipsum facere potuisse: sed illis hoc necessarium fuerat qui generaliter res tractarunt, mihi tutum & decorum, qui per particulas huiusmodi diligentiam, in libro de optimo vitæ genere pro viribus adhibuimus, cum non aliam viam aduersus præteritorum memoriam, & præsentium incommoda, ac futurorum ingruentia pericula inuenirem, nisi si quis immortalitate se immortalem fingere potest? sine senij incommodis mori, & tamen superare inuentam; in perpetuo rerum tumultu, quietum; in continua reuolutione, constantem? hæc quatuor sufficere velim omissis tot casibus, aliisque molestiis, quæ sunt longè plures his necessariis cuique mortali. Eorum igitur summa est, quæ acciderunt omnino futura erant, vtpote mors meorum. At non eo modo? Quid refert? Aliis omnibus idem reditus? At non nunc. Quantum interest, si paulò pòst euenient: Numquam fuit, eritve requies vlla mortalibus; compara quæ nunc tibi acciderunt, his quæ erant & status in tempore Polybij: hæc rosarum calamistra, illa poterant dici calamitates. Nihil tutum illis, cædes sine causa seruitus, spoliari fortunis omnibus, iocus erat. Aliud contemplatio æternæ & beatæ nobis cognitæ vitæ, quæ alienigenis non erat. Ergo quid calamitosum hæc cogitanti accidere potest, ortus idem, finis idem communis, sors eadem, præterquam, quòd nobis à morte gaudium relinquitur, verum fallimur, quatuor modis, vt supra exposui: quòd credimus aliquid esse in hac vita solidum magis, etiamsi in mediis actionibus; & quod non animaduertimus nil esse diuturnum, nedum sempiternum; tertio quod arbitramur senescere mentem, etiam si anima superuiueret, quoniam opus quod corpori commune est senescit. At prorsus dico nil senescere nostrum; non animam, quia si instrumentum maneat, & operatio, vt mihi visus nunc; non corpus, quia iuxta Philosophos maximè Platonicos, vt in Phœdone, non est nostri pars prima: non operatio quæ prima est, & perfectissima, cum impediri possit, non quòd indigeat, sunt enim diuersa, Sol indiget aëre vt illuminet, aër est causa illuminationis Solis, aëris vitium impedit Solis illuminationem. Hæc igitur fuit ratio consilij mei, hic scopus. Secundus liber vocatur Memorialis, in quo tota illa doctrina quæ in priore collecta est, vt dixi, in hoc est diuisa, & in partes suas distributa, vt non solum consolati,

ſolari poſſis, ſed etiam iuuari in quamcunque conditionem incideris. Tertius eſt Promptuarij non ſolum ad lucrum, & ad honorem ſpectans, ſed quod pulcherrimum ſit fungi officio pietatis, & præſtare quæ debeas, ſed vt cognoſcas quanto plus etiam debeas in eo, in quo alij nec debere ſe cogitant: Et ſi iucundum eſt adeò Architecto, ædificaſſe domum, non caſu, ſed ratione: quanto magis homini hominem iure ſeruare potuiſſe, cognoſceréque quantum poſſis? Quartus eſt hic ipſe vmbilicus ſcriptorum, & ad voluptatem, & ad pietatem: quem ſi ſciens aliquo defedaſſem mendacio, quo animo erga Deum me eſſe velles? aut quam voluptatem capere liceret? Et niſi foret quòd homines ſunt veluti animalia bruta, quæ non bonis, ſed his delectantur tantum, quæ conficere poſſunt, adeò vt muſcis araneæ, & ferro ſtruthiocameli. (Nam de his qui ſuſpiciūtur, ac arte vafra voluerunt videri ſcire, quæ alij nulli ſciunt: cùm experimento compertum poſtea ſit, multa quæ alij norunt, ipſos ignoraſſe, non curo:) eſt quinto loco opus de tuenda ſanitate: vltimo Hyperboreorum ſecundus, in quinto, tertius, in ſexto primus perficitur: Optarem præter hoc decemnouem, ex meis ſcriptis, librum nullum alium ſupereſſe. Miratur forſan aliquis, nonne Virgilius, perditam Æneidem optauit, (imo voluit, & imperauit) ſuperſtitibus Bucolicis Georgiciſque. Et nos nonniſi poſtquam omnia noſtra recognouimus, in hanc ſententiam dedocti ſumus. Libros ergo de Natura confecimus, quarum cauſa ſatis dictum eſt. Hyperboreorum loco Theonoſeon, de moribus, imitatione Ariſtotelis, quod in ſua Republica cenſuerit tyrannidem longiſſimam, vix vſque ad centum annorum ſpatium extendit, cùm id falſum ſit. De vita noſtra quòd videar ad hoc commodo, neceſſitate, & tot occaſionibus incitatus: nec iniucundum ſit mihi tam perluſtrare, ſi Epicurus non omnino fallitur de Dentibus, quòd longorum morborum curam certa methodo, tradiderim, non ſectis quam in Commentariis acutorum. De Indica lue, quòd tam multi de hoc ad me ſcripſerint, & ego farraginem grandem in hoc argumentum congregaſſem: Portò de tuenda ſanitate multæ fuere cauſæ, Galenum primum nimis exactum, dum ſequitur ordinem, multa obſcura, pleraque incerta, omnia imperfecta reliquit, pudet dicere, quandoquidem adeo circa illas ſuas frictiones, & exercitationes aberrat, vagatur, immoratur, vt neque quale vinum ſanis, & iuuenibus dari conueniat, in tot locis opportunis, tantiſque voluminibus, quaſi ex profeſſo vitaſſe videatur, docere meminerit. Omitto quòd neque mos antiquorum, nec Græcorum ſanè conueniat Italis, & præſenti tempore: nec eædem penè res ſint: refert enim in ſecundo de alimentis, Arum in Cyrenaica regione mandi vt rapum: nec vllo modo eſſe moleſtum. Ignorauit etiam diſtilationis artificium, ea ætate nondum inuentum. Non parum etiam debuit apud me valere imperium eius, cuius & ſumma poteſtas, & bonitas conſpicua ſunt. Libellum actus, vt actuarium, & in Machinis igneis igniculum addidi. Cæterum ſi quis volet ad priorum decemocto normam, reliquos omnes meos redigere libros, reſectis his quæ minus congruunt, aut neceſſaria ſunt, prout & nos quibuſdam in locis aliorum egimus, vt de varietate rerum, operæ pretium fecerit, & ei gratias habebimus. Memineris autem quòd, cum libri omnes ſaltem boni, diuino lumine conſcripti ſint, trifariam tamen hoc contigerit, vel vt ab eo illuſtrati, quod eſt commune omnibus; omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt, & vt Platonici putant, noſter intellectus à Bono cui iungitur, fit intelligens, & animam ſupra conuerſam illuminat: alter modus eſt magis euidens, cum particulatim etiam ſe infundit, de quo falſo Platonici aliqui dubitauerunt, lex noſtra non ambigit; tribuiturque probis hominibus: Tertius eſt, cùm quibuſdam occaſionibus oblatis apprehenditur, velut mihi contigit anno præſenti M. D. lxxvi. pridie Idus Martias, dum ſcriberem ferulæ hiſtoriam in libro de tuēda ſanitate, laudabam enim quod placuiſſent ferulacea, occurrit mihi ſenex non togatus imò pannoſus, in foro olitorio Romæ, quod piſcario proximum eſt, qui me diſſuaſit ab vſu eius, dicens, *Poſſe iuxta Galeni ſententiam ſtatim perimere, velut & cicutam*, cui cum reſpondiſſem, me dignoſcere probe cicutam à ferula: dixit *caue ſcio quid dico*, & de Galeno quædam obmurmurauit: reuerſus domum inueni locum quem alias non animaduerteram: propterea etſi non prorſus magna ex parte, tamen mutata ſententia priori, multas exceptiones addidi. Quod in Italia collecta eſſent: de eorum cauſe eſſe intelligendum, ſi modo tutus eſſet vſus: ſi non obeſſet frigiditate: poſſe tamen, vt medicamentum naturæ non adeo familiare, vtendum eſſe eo, non abutendum: colligendum vere nouo non æſtate ineunte, ortu vbi trifolium abundaret: ſi timeret aliquis ab eo prægustare, Zedoariam, aut malum Medicum, panem cum allio incoctum, cani aut gallinæ offerendum. Itaque ſi quis hæc animaduertat, fructum non leuem ex lectione colliget, & promerenti, vt ab initio præfati ſumus, gratias aget, ſic hortor vt corrigant lege Auguſtana. At noſtra quidem vt præfatus ſum, noua eadem arte conſcripta ſunt, diligentia non eadem.

CAPVT XLVI.

De Me ipſo.

HÆc & talia meditanti, ſuccurrit ea interrogatio quam ſentio mihi obiici poſſe, ſcilicet an cum his omnibus malis, boniſque, ac mediis caſibus, pigeat me viuere, vel vixiſſe? ſtultum eſſet non præcogitare quid dicas, & dictis, cur dixeris non addere rationem. Infelicitates ſunt mors filiorum maximè ſæua, aut ſtultitia, vel ſterilitas: impotentia ad congreſſum mulierum: paupertas perpetua, pugna, accuſationes: incommoda, morbi, pericula, carcer, iniuria in præferendo immeritos, tot, & toties. Sed omittamus communia; ſi non eſt infelix, cui neque filij, non honores, non opes, quomodo ſenex, cui de omnibus his aliquid eſt? compara te ottoi & miſerioribus, non ſolis poten-

rioribus:non possum iure pœnitere conditionis meæ, immo felicior etiam sum (cognitione multarum, magnarúmque rerum, certa ac rara) si Aristoteli credimus. At dico magis, hoc ipso, quòd potui contemnere mortalia, velut Stoici: cuius rei fructum nunc percipio satis vberem, vt qui nec mihi ipsi in iouenta inuideam, nunc decrepitus: neque sorte corporeorum sensuum, aut fortunæ beneficiorum, neque cogitatione, miser. At maius nũc dicam, esse me felicissimum, qui sciam, diuinitatis nostram naturam esse participem. Quid si quis morte periclitanti nunciet, superuicturum xv. annos velut Ezechiæ regi, nonne lætior euadet? si xxx. aut centum in mille transeat, quo gaudio immẽsò afficietur? nonne etiam harum omnium mortalium delitiarum obliuiscetur? si x. aut centies mille, non poterit sui iam esse compos? Sed fac ergo perpetuum sit: Quid iam erit quod amplius quærat, aut speret? At qui extra spem hanc viuit, duplici veroque bono priuatur, & spe scilicet, ac fructu. Si ergo eiusmodi placuit Deo nos in mortalitate immortalitatis fieri participes, non decet negligere gratuita dona, nec aliam de conditione nostra habere existimationem.

CAPVT XLVII.

Spiritus.

SPiritus assidentes, aut præsidentes (Græci Angelos appellare soliti erant, quidem minus Latine Spiritus) fuisse quibusdam viris pro constanti, vt dixi receptum est: Socrati, Plotino, Synesio, Dioni, Fl. Iosepho, sed & mihi. Omnes quidem felices vixere præter Socratem, & me, qui vt dixi optima tamen conditione fruor. At C. Cæsari Dictat. Ciceroni, Antonio, Bruto, Cassioque mali licet illustres adfuerunt: Antonio, & Ciceroni gloriosi, sed perniciosus vterque: Iosephi præclarus & raræ nobilitatis fuit, belliea virtute, gratia apud Vespasianum: & filios, ac opibus, monumentis historiarum, triplici sobole, & pugna cum calamitate suæ gentis: tum prouidentia futurorum, qua illustratus est in captiuitate, liberatus ab insania propriorum, & seruatus à maris fluctibus. Verùm Dæmones manifestè fuerunt; at nobis vt credo bonus & misericors spiritus.

Mihi fuisse, diu persuasum est: sed qua ratione me certiorem redderet de imminentibus, non nisi exacto anno vitæ lxxiv. deprehendere, dum vitam meam conscribere adortus sum, potui. Tot enim imminentia, & ipso statim limine (vt dici solet) & ad vnguem & tamdiu cognita, & verè præuisa, maius penè miraculum est sine auxilio diuino, quam cum spiritu. Rem ipsam expiscari licet ex dictis: cum enim præuideat spiritus quod mihi imminet, vtpote filium (quem verisimile erat eo vesperi pollicitum se ducturum Brandoniam Soronam) sequenti die perfectarum matrimonium, mouit illam palpitationem cordis, modo sibi peculiariter noto, vt repræsentaret tremorem cubiculi: Et illud idem in puero tum, & sic ego, & puer sensimus terræmotum, quem nullus ciuium, quòd terra non tremuerit, sensit. Et si non duxisset illam, quod absque magna contentione accidere non poterat, non propter hoc delusus videri poteram: sed maiorem gratiam meritò habiturus, tanquam vitare docuerit. Ita & in carcere, mouit speciem mihi, & socio adolescenti, repræsentantem strepitus illos vt (credo mandato Dei) confirmaret in diuina spe, & à morte euaderem, & omnia illa mihi quæ paterer mitiora viderentur.

Ex hoc intelligimus spiritum illum esse potentem, vt in his quæ simul aliis visa sunt: aut in quibus hallucinati sunt duo sensus simul, vt in illo *Te sin casa* Item ostenta anni M.D.xxxi. corui, canis, scintillæ ignis, acciderunt quia potest spiritus mouere animalium ratione carentium animas, velut etiam homines capiuntur timore ab vmbris, & spe delusi à re lucida, tanquam gemma aut metallo.

In vniuersum Dæmonum apud antiquos multiplices fuere differentiæ: Prohibentes vt Socratis; admonentes vt Ciceronis in obitu: docentes quid futurum sit, per somnum, per belluas, per casus, hortando nos vt ad locum eamus, & fallendo per sensum vnum, aut plures simul, & eo nobilior: Item per res naturales, & demum per non naturales, & hunc censemus nobilissimum. Item bonus, & malus.

Remanent dubitationes cur hæc sollicitudo pro me non aliis? Neque enim eruditione, vt aliqui putant præsto, sed forsan vice versa: An amor veritatis immensus & sapientiæ, & cum contemptu opum, etiam in hoc statu paupertatis; vel ob iustitiæ desiderium; aut quòd omnia Deo tribuam, nihil propemodum mihi; aut forsan ad aliquem finem ipsi soli notum?

Aliud cur quæ admonet non apertè admonet? adeo vt vellem; sed vnam rem pro alia docet, velut strepitibus illis inconditis, vt considerem, Deum cuncta spectare, licet illum oculis non videam? Poterat enim per somnium admonere apertè, vel per aliud ostentum clarius, sed hoc forsan indicauit magis curam diuinam, maioraque quæ acciderunt timores, impedimenta, anxietates, & stridor timoris loco; obscuritate etiam opus est, vt intelligamus esse opera Dei, non vt vetare doceamur. Stultum ergo est præpropere in huiusmodi cognoscendis sollicitari: stultius proferre velle quæ tot modis impedita sunt consiliis hominum, consuetudine longa, iudiciis peruersis, & si vera futura sint parum prodesse potes? si falsa quid iuuant? Ergo vt à liberalibus viris, quibus licet multa donare, quæ nobis non licet recipere.

Rursus cur quædam quæ non potuerunt intelligi velut illud: *Te sin casa*, & *Lamant*, & id de vita quatuor annorum ex responsione Simij? Et de vermiculis quæ in scutellis apparuerunt? Nec est verisimile talia accidere ex errore, cum vis diuina non habeat quidquam contumax, & ei nota sit occasio, præcipua? Et ideò quamois non habeam quid certi, verisimile tamen est, quod causa illa, scilicet spiritus, vt etiam natura, moueatur certo ordine, & sicut generantur monstra in natura nunquam aberrente, vitio materiæ, ita, & hic:

hic: neque enim verum esse puto vt spiritus sit nobilior naturæ intellectu, is tamen aberrar propter medium: Et ideò credendum illud etiam esse instrumentum. Er sicut in quibusdam annis multa nascuntur monstra impedita vi Solis: ita impedita vi corporea quadam cælesti, aut anima, velut instrumento, accidunt imperfectiones, & errores in cognitione futurorum per illa signa. Et si dicas quòd illi errores sunt in actione per materiam, & hic in actione per voluntatem: dico quod spiritus cum sit immaterialis, & res bona à Deo pendens, & est quod vocant Theologi (Angelum bonum) ex Dei voluntate ostendit quod futurum est rectè, & nunquam aberrat. Natura est etiam edocta significare animæ semper rectè quod à spiritu percepit: sed instrumentum quodocere vult, non semper est bene paratum ad recipiendum. Er hoc siue sit vapor, siue alind, & tunc fit forma imperfecta, nihil ostendens aliud quàm spiritus velit, aut natura, & ita aberrat, aut non cognoscit: & sola differentia est, quod apud Philosophos ex materia non apta recipiendæ formæ: apud Theologos ex voluntate Dei ob peccata plerunque.

Cæterum nolim plerosque decipi, circa cognitionis nostræ modum, de quo toties dixi; quasi intelligamus, omnia me accepisse à spiritu quæcunque noui; quorsum enim sensui? aut me omnia scire? essem enim Deus; quinimo scientia mea comparata ad immortalium cognitionem, est velut vmbræ hominis, ad infinitum Palatium. Est ergo cognitio triplex, à sensibus per obseruationes multarum rerum, quam plebs & imperiti in me magnifaciunt; at cum duplex sit, vel tantum quod sit, vel cur sit, in plerisque, sufficit scire quod sit, quia indignum studio esse iudicaui, horum minimorum causam quærere. Secunda est cognitio altiorum per causam, & iuxta disciplinas, quæ cognitio solet appellari demonstratio, quia ab effectu supra causam: & ea vtor, vt pergam ad amplificationem, ad splendorem, ad cognitionem generalem ex propria, licet in hac, tam raro ex arte assequutus sum, quam frequentius adiutus à spiritu. Hæc cognitio placuit eruditis, existimant enim procedere ex eruditione, & vsu, ideo etiam putarunt plerique studiosum me esse, & memorem, cum nil minus. Tertia est cognitio incorporeorum, & immortalium, hæc mihi tota fuit à spiritu, per demonstrationem simpliciter, id est, dantem causam, & esse per demonstrationem certissimam, non tamen idem sunt hic quæ rursus erant, tum quia sæpe deducunt ad absurdum: tum quia quod angulus extrinsecus sit æqualis duobus intrinsecis sibi appositis, non est causa vt sit, sed vt sciatur. Igitur hæc demonstratio simpliciter, est solum in substantiis corporeis, aut incorporeis, ideo in Philosophia naturali & diuina: Mathematica autem est quasi propter quid. Quod quamuis durum videatur, verum tamen est, cognitio enim quod ita sit, est causa quod construimus demonstrationem: Problemata quoque, & linguas, tametsi loqui nesciam, vt etiam nec cogitanti occurrant. Amplificationem vero, & splendorem, partim ab exercitatione, partim ab eo accepi, nam splendori inhæsi plusquam xl. annis, antequam adeptus sim: ita conscribendi omnem artem, profitendique extemporaneè à spiritu, & splendore habeo, hoc tamen scientiæ genus apud homines, plus inuidiæ, quàm nominis, gloriæ quam vtilitatis hucusque attulit; sed ad voluptatem potius non leuem, neque vulgarem, & vitam producendam contulit, solatio in tot calamitatibus, auxilio in aduersis, commodo in difficultatibus atque laboribus, vt opimam partem totam complexus sit aliarum maiorem, omnibus perfectioni, atque decori necessarius. In vniuersum, factum, sic constat, in causis aberrare possum, remitto me ad sapientiores, id est Theologos.

CAPVT XLVIII.

Testimonia clarorum Virorum de me.

TEstimonia de me quàm nobilia fuerunt à quatuor inimicis. Primum à Matthæo Curtio viro clarissimo, dum à Senatu interrogatus de successore, respondit me optimum, & nulli negotio, aut expectationi imparem. Aliud fuit à Delfino qui mihi concursor secundo loco erat, coram discipulis, & in foro coram me, dicenti cuidam, si ego discederem, Montanum venturum primo loco: & cum ego adiecissem, durius tibi negotium esset cum illo ambitus discipulorum perito, respondit. *Quod ad primum, ego nemini vnquam cedam loco, etiamsi Galenus profiteretur: mihi autem honestius esse duco, si secundo loco tecum sim, quam cum alio, si priorem possideam: neque durius negotium cum aliquo futurum posse esse reor, quam tecum: cum quo fauoribus principalioribus, & tota vrbe hac, & tot aliis illustribus viris, non potui impetrare, etiam liberatis mea gratia exulibus, vt trientem tua schola æquare potuerim.* Camutius alter concursor, librum typis excussit, in quo grauiter queritur, Papiæ, & aliis in Academiis, nomen meum citari aduersus Galenum: qui si non aliud esset, tot annis præmortuus, iure vel prorsus extincta inuidia, & tot authoribus illi subscribentibus, præferri non cunctanter deberet: Prostat liber suus apud omnes. Sebastianus, Iustinianus, Venetus Prætor Patauij æstate anni M.D.xxiv. vir sapientissimus, & literarum humaniorum, ac Philosophiæ, Theologiæque studiosus: & qui multis legationibus pro sua Republica functus fuerat, cum interesset publicæ disputationi, in qua inter cæteros argumentatus erat Vincentius Madius Brixianus (qui paulo post professus est Philosophiam publicè Ferrariæ) vbi audiuit me disputantem post multos alios, rogauit quinam essem, cui quidam dixit, Mediolanensis, vocatur Hieronymus Cardanus; vbi absoluta fuit disputatio, iussit me vocari, & tota Academia præsente, inquit: *Stude ô iuuenis, quoniam Curtium superabis*: cumque ego attonitus rei nouitate tacerem, subiecit, *intellexisti ô iuuenis: dico tibi, stude quoniam Curtium superabis*: obstupuere omnes qui audierunt, & maxime quod non solum ex subditis illorum regni non eram, sed etiam ex vrbe non prorsus amica, ob bella quæ inter illos, & principes

cipes nostros diu continuata intercesserunt. At in scriptis,cùm multos alios testes,me huius relinquere non ignorem,hos ipsos quorum operibus honesta cum memoria insertus sum, subiicere operæ precium duxi,cùm vbique typis impressa prostent.

Testimonia de nobis in Libris.

1. ADolfus Crangius in Trithemium.
2. Adrianus Alemanus in Hippocratem de aëre, aquis & locis.
3. Andreas Vesalius in Apologia contra Puteũ:sed sub titulo Gabrielis filij Zachariæ.
4. Andreas Tiraquellus Iurisconsultus, de nobilitate, & in libro de Legibus connubialibus.
5. Augerius Ferrerius in libro de Morbo Gallico.
6. Annotationum author in Hermerem de natiuitatibus.
7. Antonius Mizaldus io libro de Sympathia & Antipathia.
8. Amatus Lusitanus io Commentariis supra Dioscoridem.
9. Andreas Baccius de aquis Thermarum, seu de Balneis: sed inuidiosè, vt ostendi illi ipsi.
10. Andreas Camutius vt supra dixi in Disputatione.
11. Antonius Maria,seu Marcus Antonius Maioragius vt ipse mutato nomine se inscripsit, in aAntiparadoxis.
12. Adrianus Turnebus in Epistola quam præfecit interpretationi libri Plutarchi de oraculorum defectu: sed suppresso nomine meo, stultus accusat seipsum.
13. Brodæus in Miscellaneis.
14. Buteolapis molaris,qui nec scit nec doceri potest.
15. Car.Clusius de Aromatibus Indiæ.
16. Christoforus Hispanus in itinerario Principis Hispaniæ.
17. Chronica Gasparis Bugati inter Medicos recensens & Professores.
18. Chronicæ supplemeotum per Sansouinum inter Medicos & Professores.
19. Conradus Gesnerus vbique.
20. Conradus Lycosthenes io libro de prodigiis.
21. Constantinus in Amatum, maximè vbi agit de lapidibus.
22. Christophorus Claoius Bambergeosis in tertium elementorum.
23. Daniel Barbarus Aquilegiensis Patriarcha, in Decimo Commentariorum super Vitruuim,cap.octauo.
24. Daniel Santberchius in septimo Problematum.
25. Donatus de Motis Aphorismos quosdam exponendo.
26. Epitome Bibliothecæ.
27. Franciscus Alexandrinus io suo antidotario.
28. Franciscus Fluxatus Candala, cuius vituperatio laudis loco haberi potest, io sua Geometria.
29. Franciscus Vicomercatus in suis Meteoris.
30 Fuchsius in compendio suo Medicinali.
31. Gaspar Peucerus de diuinationibus.
32. Gaudentius Merula de bello Erasmicano,hic fuit primus qui nomen nostrum Typis publicauit. Patria Nouariensis.
33. Georgius Pictorius,Medicus,in suis libris qui plures sunt.
34. Gulielmus Gratarolus Bergomensis Medicus.
35. Gabriel Falopius de Fossilibus, licet contradicat.
36. Gulielmus Rondeletius in historia Aquatilium. Inuidiosè.
37. Gemma Phrisius in sua Arithmetica.
38. Hieronymus Castillioneus in oratione de laude patriæ.
39. Hieronymus Tragus de Plantis.
40. Hieronymus Montuus Medicus Regis Gallorum.
41. Iacobus Peletarius in Mathematicis.
42. Io.Choul de Quercus Historia.
43. Io.de Coliado de ossibus.
44. Io.Baptista Plotius Iurisconsultus, de in litem iurando.
45. Io.Schonerus,de Natiuitatibus.
46 Io.Coelhæus in initio suæ historiæ.
47. Ioachimus Scelerus in Ioannis Hispalensis Isagoge.
48. Ioan. Ceredus de aquarum eleuatione.
49. Ioan. Stadius in tabulis & Ephemeridibus.
50. Io,Barros Lusitanus in quarto Decadis primæ suæ historiæ de India Orientali.
51. Iulius Cæsar Scaliger in libros de Subtilitate.
52. Iacobus Carpentarius in Alcinoi Commento.
53. Ingressus in libro de tumoribus.
54. Liber aggregatus de aquis.
55. Liber aggregatus primus, de Gallica seu Indica lue.
56. Leuinus Lemnius de Naturæ secretis.
57. Laurentius Damiata in sua Geographia nondum excussus.
58. Leo Suauius de Arsenico & Auripygmento.
59. Lucas Gauricus in suis natiuitatibus, licet inuidiosè.
60. Matthæus Abel in diuisione de situ orbis.
61. Martinus Henricus in quæstionibus Medicis diffuse.
62. Melancthon in initiis doctrinæ.
63. Melchior Guilandinus Borussius.
64. Michaël Seifelius in sua Arithmetica.
65. Michaël Bombellus Bononiensis in sua Algebra.
66. Nicolaus Tartalea qui cum male dixisset, Palinodiam Mediolani recinere coactus est.
67. Philander in Vitruuium.
68. Petrus Pelna, & Mathias de Lobel in libro stirpium aduersaria, capite de hora & Antithora.
69. Reignerius Solenander de Aquis calidis.
70. Seuerinus Bebelius libro secundo de Succino.
71. Thaddæus Dunus in opere peculiari.
72. Valentinus Nabod Coloniensis in Commen

Commento super Alchabitium.

73. Vareus in sua materna Poësi.

Plures alios, quorum nominum nunc non recordor, scio nomen meum literis publicè mandasse. Ex his qui malè dixerunt neminem agnoui qui Grammaticam excesserit: nescio qua audacia eruditorum ordini se intulerint, sunt enim hi.

Brodæus	Rondelletius
Fuchsius	Buteo
Carpentarius	Fluxada &
Turnebus	Tartalea.

Nam Scaliger, & Dunus, & Ingrassias, & Gauricus, & Solnandet sibi nominis comparandi gratia contradixerunt.

Modo accipe alia testimonia hominum, nam de scriptis, quis dubitat Galeo, nec forsan Aristoteli (si non Typicæ artis beneficio accidit mihi) totidem vix, illis viuentibus contigisse, Andreas primum Alciatus vt aliàs retuli, quem honoris causa nomino, præter id quod soleret appellare *virum inuentionum*, quotidie libros nostros reuoluebat, maxime illos qui inscripti sunt de Consolatione. Ambrosius Cauenagus Cæsaris Protophysicus *virum laberum*. Iulius Cæsar Scaliger plures mihi titulos adscribit, quos ego mihi concedi postulassem, appellans *ingenium profundissimum, felicissimum & incomparabile*: Neque cum tanta inuidia effici potui, vt publicè profitendo nomen meum præteteatur Bononiæ, Papiæque tum alibi. Angelus Candianus, & Bartholomæus Vrbinas, ambo inclyti viri, ac Medici famosi, ô quoties inuenti sunt (nec abscondebant) cum libris nostris in manibus quamuis non admodum forent amici: sed finem iam imponamus, ne videamur sectari somnij vmbram, mortalia enim vana, & laus eorum omnino inanis.

CAPVT XLIX.

Sententia de Mundi rebus.

DVæ sunt causæ maximæ infelicitatis mortalium, vt cùm omnia sint vana & inania, homo quærit aliquid, quod sit plenum & solidum. Et quilibet putat se carere eo solido, æger sanitate, pauper opibus, orbus filiis, infelix amicis: dumque quærit & non inuenit, cruciatur: sed multo magis inuento, cognoscit enim se deceptum, & aliud quærit, semper enim aliquid deest, ideo Augustus se amicis carere, & pudicitia descendentium queritabatur: Hi semetipsos decipiunt. Alia est eorum, qui putant se scire quod nesciunt: hi etiam dicipuntur, & alios etiam decipiunt, alij fingunt, atque hi alios decipiuot. His incommodis accedunt duo alia fortuita, si locis & temporibus viuas quibus Respublica peruersis legibus patitur naufragium: Nam resistere velle difficillimum est, & anxietate plenum, aut stultum prorsus: vitare non minus, aut periculosum: Prædia enim & pecuniæ publicis subiacent calamitatibus: Aliud fortuitum fluctuatio, sub qua breuitas vitæ continetur, ideo plerique in labore suo, & lucro alieno commoriuntur. Difficilia ergo hæc omnibus, difficillima senibus, & parum cautis: impossibilia inexpertis vel non aduertentibus, fiuntque deteriora aliena stultitia, quæ cum fuerit cum ignorantia finis, efficit improbos sibi, & aliis etiam deteriores. Propterea aliqui societatibus se adiungunt: aliis id primùm proponendum Deus, & mors: ille vt qui non fallat, illa vt quæ suprema sit malorum, cogatque nos alia contemnere, certa, & malis finem impositura. Secundum, vt pluribus innitaris, ne si vnum pereat, aut eadas, aut seruus tuorum efficiaris. Tertium vt non res à quantitate, sed qualitate iudices, parua enim magnorum initia magnis, natura minoribus sunt anteferenda: Cumque pluribus indigeas, nec omnia ad calcem homini deducere liceat, nulli debemus immoderate incumbere: sed ad metam necessitatis, & securitatis: Ergo nec æqualiter, sed iuxta proportionem: velut virtuti, vt quæ nullo indigeat, & opibus quæ omnibus ausilientor. Sextum educatio plurimum potest in pueris, sed si nil horum profuerir, vt sint natura mali, & stulti, ac ob libertatem contumaces, quin etiam adulti iam, & ignaui, & vnus tantum, & tu etiam senex, hoc est summum malorum, si addas paupertatem, aut lites, aut dispersum patrimonium, aut mala tempora, quæ omnia mibi nunc adsunt, præter hoc vltimum: tunc dico, præter reliqua dicta, adsunt auxilia, vnú vt consideres si non haberes, magis careresi alterum vt approperes Scipionem inuenire ex tuis, vt nitum, aut agnatum: in hoc non oportet demum errare, inde totus negotio, tanquam renatus, post tot stultitias, incumbas.

Ergo vt breuiter concludam, cùm nunc omnia sint exigua, & inania, quicquid etiam in actionibus quæ relinquuntur, versatur, postmodum adeò ex momentaneis pendet: tum præcipue in nobis, cum aliis multis exemplis, hoc vno declarato. Anno M. D. xii. xvi. Calendas ni fallor Nouembris, dum Mediolani essem, iturusque Bononiam, antea circiter dies sex, ex ligula, qua caligas thoraci alligabam, aurichalcea cuspis exciderat: Id eo magis neglectum, quo magis premebar negotiis: Et tamen erant ligularum fasciculi sex, quos deferre destinaueram Bononiam, empti pridie quàm cuspis excidisset. Die & hora qua discedere (imo ipso momento quo carpentum ascendo,) meiere, & ex more quasi velle cœpi, peracto negotio, dum volo nectere ligulam, impedior, quapropter pertæsus incommodi, vado ad tabernas quæ circa domum meam erant, emptum (tres enim propè, ni fallor, fuere) nullibi inuenio: hæsitans igitur quid agerem, recordor fasciculorum, peto clauem à genero: reddit, aperio arcam, quæ artificio Germanico difficile aperiebatur, video fasciculos, & ecce statim animaduerto librorum omnium, à me conscriptorum aceruos ibi reconditos, vt postmodum discedens, mecum omnes simul asportarem.

Obstupui, steteruntque coma, & vox faucibus hæsit.

Assumpsi illos, detuli mecum, profiteri cœpi, initio Decembris, literæ aduenere, noctu fractam capsam, quidquid erat intus asportarum. Si ligula non fuisset, profiteri non poteram, excideram munere, mendicassem, tot monumen

monumenta perierant, ex tristitia breui obiissem: atque id ex momento pependit, ô humanam conditionem, aut miseriam!

Vt vero hominum mores dignoscas, disciplinarum cultum, & perfectionem, ex natura, lege, & consuetudine percipies. Rudes igitur simplices sunt, & pertinaces, vnde circa extrema versantur, & vbi boni optimi, non enim peruertuntur, vbi mali pessimi, non enim ratione vincuntur, nec persuasione mouentur: circa Venerem ergo nefandi, & ingluuiem turpes: in ita sæui, præcipue pauperes ob auaritiam, diuites ob ambitionem: Inertes autem, & rudes, & inuidi sunt, & tales maligni, auari etiam: Qui sub tyrannis degunt, potentes in rapiendo aliena, pauperes in retinendo propria: vbi auatitia, neque amor, nec fides, nec misericordia: Audacia ab ira facit crudeles: inertia facit sordidos, præcipue gulæ ac libidini iuncta: laboriosi necessitate aut consuetudine fiunt, & à siccitate ingeniosi: si legibus à disciplinis intetdicantur, & honos sit operibus, ambitioque locum habeat, vt si ab Optimatibus regantur, industria artium, & artificiosorum operum imminent, & maxime si regio varietate floreat. In Republica, vel vbi opes quæruntur, honori neutro modo consulitur.

Adduxi terum exemplum, nunc subiiciam quale millies accidit: ridebis, & tamen tanti solum, aduenit mors & vita. Accidit autem hodie, id est iv. Calendas Maias anni M. D. lxxvi. vadu ad forum: dem volo gemmarium conuenire per angustam viam, dico aurigæ torpido viro, vt eat ad Altouitarum campum; ille dicit iturum, & aliud intelligit, eoque se confert; regredior, non inuenio: suspicor isse ad campum custodis areis: eò me confero, onustus pannis, quia carpento antea vectus eram, inter eundum occurro Vincentio Bononiensi Musico, & amico meo, animaduertit me non habere carpentum: accedo, sed aurigam non inuenio: Ibi statim me solicitudo maxima iouadit, nam per pontem rursus regrediendum erat, cum lassitudine, ieiunio, sudore confectus essem: poteram impetrare carpentum à Domino, sed & huic multa obstabant pericula, Deo me commendo, cogito prudentia, & patientia opus esse: regredior, sed hac mente, vt omnino nec delassaret nec conquiescerem: sed in fine pontis ad Altou'tum me confero, sub specie quærendi de permutatione Neapolitana pecuniarum, quam scite cupiebam, & ira sedeo: ille me sponte docet, aduenit Dominus, ego ob id statim abeo, video in campo aurigam, monitus enim fuerat ab amico cui occurretam, ascendo carpentum, dubius an irem propter ieiunium, in crumena inuenio tria grana Zibibi, itaque omnia tuto perfeci, & etiam cũ voluptate. Hic vides quot occurrerunt momentanea, Vincentius, inde illius, & aurigæ consilium de adeũdo Trapezitam: ille vacuus tum curis: transitus Domini, ex quo exitus meus è domo, quo occurri aurigæ, & grana illa vuæ creticæ; vt fuetint septem, quorum singulum si vel anticipasset, vel distulisset, quantum proferre vix duo verba liceret, aut perdidisset me, aut incommoda, & molestiam maximam attulisset: non nego, & aliis talia quandoque accidere consueuisse, sed nec adeo momentanea, nec periculis magnis plena, aut maximis inuoluta difficultatibus, quæ illi non animaduertunt.

CAPVT L.

Dicta familiaria, quæ sunt imposterum obseruationes: excludit opinionem falsam Nææ.

Agenda sunt illa quorum commemoratione, nulla in ætate reminisci pigeat, & facultas prius destituat hominem quam voluntas, in horum memoria tranquillitas sita est, melius etiam est, si nullam desideret curam.

Optimum io contrariis haberi debet, quod in longo vsu minus affert detrimenti.

Vt Soranus dicebat, honestum est accipere ab offerentibus, à non dantibus non exigere.

In ancipitibus, partem elige natura commodiorem, vt boli exhibitionem, nam si potionem, non licet redire, & in ancipiti confunderis, nec adeo grauitatem retines.

Qui non vult ratione agere, bestia est: aut ergo verberibus dignus, aut ab illo te separa, solus enim homo sermone res agit, ac tuetur.

Morosi intractabiles, duri, inertes non adeo inutiles sunt in principali causa, vt in multis aliis sæpe, ideo fugiendi præter cæteros.

Cum potentibus præcipue, hoc sufficit (quod modestiam retinet) aut me iniuria afficitis, aut ego iniuria querot: Cum coniunctis vt hæredibus, ab obitu meo vultis ne bona mea sic custodire? implicabis enim illos.

Obiicienti paucitatem discipulorum, respondi, plures vendi Donatos, quàm Virgilios; & quod essem in opinionibus singularis, dixi: & ob id Monoceros in pretio, habet.

Iurisconsulto obiicienti paucitatem scholarium, respondi, aliqui plus decoris afferunt sua præsentia, alij plus dedecoris suo recessu.

Glorianti se plures habere ægros, respondi, non de hoc, sed quod plures sanentur ex illis: aliis actius, turpissimum est tot in manibus perire.

Dehortaturus adolescentem à societate improborum, dixi, pomum me ostensurum quod aceruum corruperit, ipsum non ostensurum aceruum, qui corruptum pomum restituerit.

Obiicientibus quod pueros multos alerem? respondi, bifariam mereor: quod bene ago, & quod male audio.

Sapientia vt alia pretiosa, eruenda est è terræ visceribus.

Comparanti me aliis doctis, Virgilianum illud obieci.

Quid si idem certet Phœbum superare canendo?

Iussi sæpe vt meditarentur hoc solum & maxime: quid maius, & quid minus?

Magnum sapientiæ indicium est, habere præstantem amicum.

Obiicienti

Obiicienti senium, senex est quem Deus destituit.

Amici in aduersis auxilium, adulatores consilium fuerunt.

Malum bono, non malo medicandum.

Animos scio esse immortales, modum nescio.

Plus debeo malis Medicis quòd hostes meos perdant, quàm bonis quamuis amicis.

Cum obiicerent me errasse in prædicendo, cùm essem cum aliis malis, & imperitis; dixi mirum fuisset, si cum essem inter illos, rectè prædixissem, aut aliud quippiam bene fecissem.

Cum facturus es aliquid, cogita quo in statu eris cum egeris, seu eueniat, seu non.

Homini præclaro, viuendum vbi princeps degit.

Amicos læto vultu excipite, promerentur enim, inimicos vt sitis superiores.

Qui scribunt incondita, similes sunt cruda deuorantibus, ob leuem voluptatem, graues molestias subeuntes.

Fidem hominum à commodo illorum metiare, si non sint omnino animo maiores ipsa re.

Maximum in humanis est, terminum actionum inuenire.

Homines nostra tempestate humanissimi, quòd præsentibus, & sensilibus solum inhæreant, impietatis, & ingratitudinis, atque imperitiæ vno verbo damnati.

Similiter famulum amandaturus, tu mihi satisfacis, ego non tibi, propterea cogeris me relinquere.

Dicenti cur cùm tu adeo sis sapiens, filij tui tam stulti sunt? Quia non ego adeò sapiens vt illi stulti.

Bene fortunati similes sunt pueris exilientibus è scalæ gradibus: qui quanto à numerosioribus, eo lætiores, sed maiore periculo & iactura certant.

Melius est centum dicenda prætermittere, quàm vnum tacendum proferre.

Pueri sunt eatenus cogendi ad promptè respondendum, quatenus de aliis obliuiscantur, non de interrogatis obiter respondeant.

Roganti quid agatur Romæ? Quod in Regia vrbium, & humanarum rerum.

An fuisti in carcere? vni, an vis & tu ibi esse: alteri socordiori, quid egisti quo timeas?

Non sunt inserenda libris, quæ finem non sunt consecuta, aut digna lectu.

Cum callidè aliquid dicis, corticem profundiorem habere debes: cum ergo audis, & illum habere existima.

In negotiis non vt in artibus generis cognitio quidquam iuuat, sed quantitatem scire oportet: Possumus enim prodesse Rhabarbarum exhibendo tertiana laboranti, etiamsi nesciamus quantitatem; at melius est tacere, aut non inuisere clientem, si modum in actione adhibere nesciueris.

Lachrymæ sunt Medicina doloris, & ira misericordiæ, & necessitas maximè historia confirmata vtriusque. In vniuersum in cunctis bonum est posse impetrare tempus.

In tuis rebus oppone vitium vitio, velut socordiæ litium curam, & exactionis, pertinaciæ iracundiam, superbiæ iniuriam, famem, & qui pugnis loco verborum agant, impatientem fac nuncium ad potentes.

Cum lauare vis, prius para linteum ad detergendum.

Anum pro ancilla sumpturus, interroga an sciant suere, lauare, panem facere, & iube ambulare, ac ignem accendere. Quereris etiam vinum tibi deesse, & si habet coniunctos, quasi opus habeas illis, aut amicos, & quomodo Dominum priorem reliquerit? quot coniuges, & filios habuerit: deinde abstine, aut saltem oppone opportuna præsidia.

Celeritas in effutiendo pessima, in agendo quandoque necessaria, in deliberando mediocris esse debet.

Quæ sunt alieni iuris ne exige, maximè à Dominis: quæ sunt tui, ne postula in conditionibus, sed vtere arbitrio tuo, modestè tamen.

Cum hominibus quæ sentis non dicas, sed multo magis quam mutuum cui des, videto.

Quod in æternis est Deus, fingit ipsius vmbram tempus: sed cum hoc etiam est impurum ob vicissitudinem.

In rebus periculosis, aut calumniæ obnoxiis propter rem seu propter te, si non certus sis, vt possis absoluere sermonem, melius est prætetire, in quo genere multi peccant, dum nimis ambitiosi sunt huius nominis quod multa sciant, vel quòd omnia attigerint.

Caue ne deponas rem tuam in manibus gratiosi, vtetur enim, si relinquas? si redimas? periculum affert ne cum illo in inuidiam te trahat, certè suspensum tenebit.

Fac vt liber expleat vsus, & vsus reddat illum rotundum, hic & non alius perfectus est.

Dicenti misereor tui, respondi non iure.

Malum est boni defectus, bonum est per se virtus, quæ est in potestate nostra, aut quod est necessarium.

Opes filios amicos si non habuisti, & alia habes, felix es: si desunt & alia breui durabis.

Cum autem plures artes sint, vna est ars artium, per generalia dicere, quo plura paucis, obscura clarè, certum per incerto dicere liceat: sed tribus indiges, vt ea generalia omnia conueniant illi vni, vt complicent aptè; includant atque excludant, & vt propria sint tractationi, quod solum prætermisit Aristoteles, propter penuriam scientiæ temporibus illis. Meminetis etiam licere aliquid dare lepori vt in historiis.

Iniustè queruntur plurimi de virtute, dicentes illam famulari fortunæ, alij existimant eam felicitatis esse dominam; verba vero digna superbo.

Victrix fortuna sapientia, dicimus autem:
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vita,
Nec iactare iugum didicere, &c.

Bifariam enim peccat: primum docendo, quòd sapientia (intelligendo hanc nostram) sit potentior fortuna: cum quotidie experiamur contrarium: & ratio est, quia fortuna totam se exhibet, & vires omnes in quauis re explicat; at nos solum surculum, & exiguum,

ac exilem sapientiæ habemus: non ergo fortuna est potentior sapientia, sed multo minus nostra sapientia victrix fortunæ: Imo fortuna cædit vltro diuinæ sapientiæ, nec audet ponere pedem, vbi illius vel prætereuntis odorem senserit. Haud etiam placet sententia Bruti moribundi.

Infelix virtus, & solis prouida verbis:
Fortunam in rebus cur sequeris dominam.

Quamuis enim Plutarchus Antonij testimonium adducat de Bruto, quod occiderit solus Cæsarem facti splendore, cæteri ob inuidiam: id tamen forsan contigit ob alias caussas, quàm quod ita sentiret: apparet enim ex testimonio Ciceronis, in Epistolis ad Atticum: Brutum multa quæ contigerant ægrè tulisse, & molestia affectum de his quæ successerant quòd non contigisset si finis fuisset gloria. Iniustè autem queritur quod Antonius, qui vitam totam in armis consumpserat, sibi qui in vmbra & eloquentiæ operam nauans à fortuna prælatus sit. Fortia enim virorum verba incondita, & incompta sunt, sensus autem vegetes: vt illud ad Neronem de quo Tacitus. Ergo quàm stulte locum virtuti Brutus in seditione quærebat, cum in vrbe ab hostibus circundata felix homo inueniri non possit, quanto minus in seditiosa? Et licet felicitas non sit in fortuna, sed virtute: fortuna tamen plus potest impedire quàm virtus illa aduersante præstare. Tria maximè mutant mores, ætas, fortuna, & coniugium; ideo caue: hominum quoque conuersatio vt candens ferrum manibus tractatum nil peius: malleis tusum luctum fabro, aliis commodum affert.

NÆNIA IN MORTE FILII.

Quis te subripuit nobis dulcissime fili?
Quis potuit luctus tot nostra afferre senecta?
Cui tam dira fuit mens? ô crudelia fata!
Nascentem voluere meum qae exscidere florem?
Non te Calliope, non te seruauit Apollo.
Iam Cithara & cantus sileant: rhytmique sonori:
Qua mihi pro charo renouant suspiria nato;
Dum memini dulci modulantem carmina voce.
Laurea quid te iuuit Medica artis? tantaque rerum
Cognitio, & lingua facundia rara Latina,
Tam subito longi si nunc periere labores?
Quid seruasse Duces Hispanos profuit? aut quid
Praclaros ciues, saua, si Praside ciue,
Atque Duce Hispano, cecidisti falce cruentus.
Heu quid agam? moritur mi animus, suauissime fili
Dum tacitus mecum crudelia fata reuoluo:
Nec licuit lacrimas nostras mandare libello,
Proh, scelus! eripitur gnatus: nec flere licebit?
Quasque dabam cineri aeternas pro munere laudes
Immerita causas mortis reticescere coger.
Nate haud immitti qui Principe, iussa Senatus,
Exemple infando veterum tam dira tulisti:
Crimina fallacis properas dum tollere mœcha.
Coniugibus nostris iam tute insultet adulter,
Plectitur egregij iuuenis si dextera vindex.
Heu fili virtutis imago certa paterna:
Viuere perpetuum dulcissime dignus in auum.
Sed non iam licuit rapiunt ad sidera Parca
Omne bonum: terrisque adimunt illustria terris:
Macte puer virtute animi: tum sanguine clarus,
Et patrij simul, & sectator honoris auiti.
Dum prius ipse procul Rex est, spes certa salutis:
Et Phœbus terris negat, & sua lumina Phœbe,
Sidera nec Cœlo fulserunt vlla sereno:
Ne terra aspicerent polluta Palatia cade.
Quo sequar? aut qua nunc artus auulsaque membra
Et funus laceram tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? Qui sum terraque marique sequutus.
Figite me si qua est pietas in me omnia tela,
Coniicite ô saui: me primum absumite ferro:
Aut tu magne pater diuûm miserere tuique
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo,
Quando aliter nequee crudelem abrumpere vitam:
Sed non hac fili dederas promissa parenti
Cautius vt sano velles te credere amori:
Perdidit ille meum natum. O sanctissima coniunx:
Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem,
Ipse ego nate tuum macalaui crimine nomen
Pulsus ob inuidam patria, laribusque paternis,
Debueram patria pœnas, odijsque meorum.
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem.
Contra ego viuendo vici mea fata superstes:
Sed tamen aeternum viuet per sacula nomen,
Nate tuum: notusque Bactris, iam notus & Indis.
Mortuus es nobis, toto vt sis viuus in orbe.

Morimur æque omnes, vt Horatius ait, solum superest gloria, quæ constat dignitate virtutis præcone, & eo vate atque sacro, id est, famoso: ob id adeo optabat Alexander Homerum: nam historia decidit factis illustribus succedentium: Poëtæ fabulantur, & ideo per se contemnuntur: magnum miraculum in Horatio

ratio, qui absque historia ausus est sustinere perpetuitatem nominis, quia absque historia delectare non possunt: ideo ipsemet id testatur.

Lectorem delectando, pariterque monendo.

Sed quod alij obsuisset, celer scilicet casus puritatis linguæ Latinæ, illum reddidit ob raritatem singularem, desiderabilem. Oportet igitur vt subsistat factum rei egregiæ, & celebris: historia collecta, & Poeticis figuris amplificata à Vate, quia in prolatione oon sustineret rotunditatem: vnde illud,

Grattis dedit ore rotundo,
Musa loqui.

Sitque facer ad ornandum fabulas illas; vt tot præcepta seruentur, quæ vix Aristoteles luculento libro complecti potuit: eum ergo hæc quatuor simul affuerint erit nomen æternum illius, aliter non.

At quorsum hæc? H. vt sciamus quæ ad vitam felicem sunt necessaria; & quod felicitas nulla est in hac vita, ne eam frustra quærendo impingamus: & fiamus grauiter infelices. S. verum hæc non sufficiunt: necessarium est enim, vt velut artifices alij omnes, sciamus etiam finem rerum qoas quærimus: velut faber scit, & docet facere clauos, & feras, incudes, & malleos, clauos ad iungendas tabulas: seras ad claudendum ostia: incudem ad sustinendum ictus. At tu, inquiunt, nihil horum edoces: & neque constat quid felicitas sit, neque tu eam esse affirmas: nec quis vsus, plane illud est difficillimum, quod oon scimus, cum hac tua inanitate, & vacuitate, an per hanc doctrinam, aliquid plus tu inueneris, & an vere in hoc inani aliquid sit. Propterea audite vellent vtilitatem, si aliqua est, tu finem, si enim nulla est vtilitas, quorsum scribere docere, & discere? H. Est, & non est. Primum est illud, quod, vt dixi, scimus esse infelicitatem maiorem felicitate: hanc antem pene nullam. Et in hoc inani esse quandoque aliquid exiguum, & etiam breue: omnia tamen in nihilum redigi, vt nouimus illud exiguum colligere ad tempus & vitare infelicitatem: Et quod est infelicitatis (modo non sit extrema hominis compatatione, nam potest talis esse: sed per se, neque magna, neque mediocris, nedum extrema aut maxima) depellere, & in nihilum redigere, vbi hæc ignorando fieres infelix. S. ergo vt video vtilitas est quintuplex. Prima, vt alleues infelicitatem, si non sit extrema. Secunda, vt augeas illud parum felicitatis quod est humanæ naturæ. Tertia, vt aliquid perexigui colligas, & ad breue tempus pleni, in vacuo illo. Quarta, vt sciamus esse aliquam felicitatem perexiguam & breuem, & quòd consistit solum in virtute, non impedita à magnis incommodis. Quinta, quod talis felicitas potest produci aliquanto plus, quia subiecta eius, & vsus eorum, potest in quibusdam produci sensibiliter, comparatione vitæ humanæ, ob illius breuitatem. Sed si vita humana esset quingentorum aut sexcentorum annorum, omnes desperatione vitam finirent. Et similiter de felicitate recenti. H. optime & tibi gratias reddo, qui longe melius rem declarasti, quam ego sciuerim proponere. Verum illud plane addo, quod felicitas ista, quantumuis, vt dixi tota minima & exilis, imo quasi (vt clare loquar) nulla, habet quatuor etiam gradus. Primus dum est in actu, sed ille est momentaneus, videtur aliquid esse, cum non sit. Indicio est qood consensu Philosophorum, nihil aliud est quam indolentia. Secuodus cum noper transiit, & manent subiecta & effectus illius, vt quasi præsens videatur. Tertius cum tempus transiit, memoria tamen adhuc manet: & hæc est vmbratilis prorsus, nihil habens substantiæ. Quartus, vt rerum quarum vestigium nullum manet: & sunt velut casus quotidiani, quorum memoria etiam exoleuit: etsi adhuc recordaremur, memoria illa esset sine affectu vllo. Ex quo patet quod sufficit in hac vita traduxisse eam sine calamitate magna valde.

CAPVT LI.

In quibus deficere me sentiam.

SErò sapiunt Phryges, impossibile non errare: sed multum errare necesse est eos, qui voluptatibus inseruire volunt. Maximus ergo error fuit in filiorum educatione, nam plurimum potest educatio; sed earui mediis, filiis prudentibus, fratribus, sororibus, coniunctis, amicis, opibus, potentia, fidis ministris: at poteram eligere, si voluissem parcere tot scriptis, vim inferre naturæ, & à voluptatibus temperare, in amicitia excolenda diligentior esse, expectare Senatus Bononiensis decreta, & vt profuit non rogasse, quanto plus non vrgere? plus potest occasio in huiusmodi, cùm æmuli aduersantur, & tibi amicorum non par est potentia. Nec ludum latrunculorum adeo damno, sed sententiæ Horatij magis adhæreo.

Vixi; cras vel atra
Nube polum, Pater occupato.

Adde, *modo futuris commodis non obsit:* At ego præter id, vt essem in cibo continens, & in conuersatione decorem seruarem, minus mentem ac studium adhibui. Itaque patum erat, si septem elementa in cunctis actionibus obseruassem, cui bono? Et quamquam studiis literarum immodice addictus, profuisset eadem constantia, etiam in cæteris negotiis, vt prior non esset adeo admirationi. Nimis satis fuit defuisse tot, memoriam, linguam Latinam pet adolescentiam, valetudinem integram, amicos, & familiam vtilem, in venereis robur per longum tempus, gratiam quandam ac venustatem, filios vel saltem communis prudentiæ participes: contra affluisse cor timidum, lites etiam longas, parentes morosos, tempora bellis atque hæresibus turbulenta; sed inuentis tot poteras teipsum iuuare? Veritas nulli obesse debet, quæ ab aliis inuenta sunt, pleraque falsa inueni, aut ego non intellexi, vnde etiam reliquorum vsus inutilis fuit: inuenta à me vtiliora, sed sera, vt si licuisset quæ habui post, tempestiuè inuenire: aut quæ ab aliis quæsita sunt, tempestiuè mihi cogni-

ta esse, forsan non adeo laborarem. Nihilominus adhuc tanta supersunt, vt si alius haberet, felicem se existimaret: scientia tot rerum, stirps intacta licet oblæsa, libri editi, tot edendi, nomen, ordines, opes honestæ, amici potentes, arcana, & quod optimum est Dei veneratio: sed vt dixi, neque vni, cuncta adesse possunt: nec in omni genere exuperare, nec si valde exuperet, in vno etiam tantum, vel in illo perfectus esse. Quid ergo est, quod requiras in me, omni hominum generi denegatum? vel quod admireris errores admissos à me cum omnes etiam alij aberrent?

CAPVT LII.

Ætatum Commutatio.

Ætates commutant mores, formam corporis, & temperamentum, atque habitum; in infantia vt audiui, eram pinguis ac ruber: in pueritia macilentus, facie longa, albus, & subruber, magni incrementi, adeò vt incrementum penè anno xvi. perfecerim, & tantus viderer, quantus nunc sum, temperatura melancholica. In iuuenta, rufus, mediocris habitus, mediocriter iracundus, lætus, voluptatibus deditus, Musicæ præcipuè. Consistenti ætate à xxx. ad xl. annum, constiti in eisdem: habebam quæ me perturbarent paupertatem, cum filiis & vxore: infirmum corporis statum, æmulos adeo acerbos, vt cùm sanassem Bartholomæam Cribellam matronam nobilem, & post eius fratrem, ipse conualescens irrideret me, cui ego, quid faceretis (alij enim secum ridebant) si non conualuisset? Ergo quid non sperandum, postquam non ante xxxix. annum incœpi respirare? neque tamẽ toto quadriennio sequenti, id est, à Calendis Septembris, vsque ad Calendas Nouembris M.D.xliii. quid quàm actum est, nec priuatim, nec publicè, nisi vt essem liberatus ab ea cura, & honore decoratus. Primus igitur annus mutationis fortunæ, fuit xliii. ab eo ad lxx. intercessere fermè anni xxvii. tempus belli Peloponesiaci, in quo omnia illa scripta condidi: nam à lxxi. ad lxxv. quatuor anni fluxere, in quibus conscripsi xii. opera, sed libri ipsi funt xviii. at maior pars imprimendorum erit, partim constans ex antiqua doctrina, partim noua. In hoc ergo tempore me dedidi vii. annis voluptati, Musicæ, atque aliis, aleæ, & piscationi maximè: Tunc ad disputationes me exercui, deteriusque corpore me habui; doluere dentes, & cecidere pauci ex eis: Podagra me inuasit, non tamen excruciauit, accessio erat xxiv. horarum, reliquum ad declinationem pertinebat, vsque ad lx. an. vires non declinauerunt, vt appareat potius dolore animi, quam ætate fore imminutas. Ab eo anno citra, curaui, vt consulerem rei domesticæ; sed tot impedimenta affulsere, vt mirum sit me vsque nunc viuere potuisse: si quis enumeret labores, curas, tristitiam, dolorem, errores meos in victu, rei familiaris occupationes, timorem egestatis, vigilias, molestiam ventriculi, flatus graues, pruritus & etiam Phthiriasim, leuitatem nepotis, filij malè facta, quis non miretur adhuc me superuiuere? plurimi tamen mihi cecidere dentes, vt residui sint xv. nec prorsus integri, vel firmi: Tot insidiæ, tot laquei, anus furaces, aurigæ ebrij, omnes mendaces, ignaui, infidi, & superbi: neminem habui adiutorem, vnum semiauxiliarem: sexies vel circiter, ob tot incommoda, & errorem in victu, dormitum iens, credidi me non amplius surrecturum: ex his, bis eadem nocte periturum. Nondum testamentum quod vltimum esse volo confeci. Dices quomodo euadere licuit? Dolor fuit Medicina doloris, opposui primum iram indignationi, & amori insano erga meos, studia seria: mediocribus mœroribus, ludum lacrunculorum; falsas autem spes, & excogitationes, magnis: non prandebam, sed res eo redacta est, vt mane sim contentus pomo vno cocto, vel xv. vuæ creticæ granis, absque vino, plerumque sine aqua, si alterutrum, valde modicè: nouissimè induxi mihi vsum qui placet, spero salutarem, ius album Galeni, atque in eo panem madefactum probè, & nil aliud: Cœna tamen vberior. In omnibus, occurrit memoria libri de optimo vitæ genere: Recordabar quid acciderit filio
a Syllæ, quem Cæsar cum vxore, quòd esset Pompeij filia, iussit interfici: Quid Q. Ciceroni? Quid Marco fratri? filia sine hærede mortua est, patre viuente, vnde insaniuit; filio quamuis superstiti, nullus aut filius, aut filia: ita infœlix Terentia omnibus suis superstes, cum suis centenis annis, cum coniugio olim tam florenti: O res humanas! Quid operibus Theophrasti tam pulchris atque vtilibus? Cœna post longa experimenta pisces magni, leues, bene cocti: vt bene nutriant, facilè concoquantur & solidum præbeant alimentum. Cyprinos eligo, sed Romæ desiderantur: horum loco Passeres, & Rhombos, ac Lucios à dodrante ad sesquilibram: ac pisces leues, latos, aut etiam Triglas: Cyprinos non fontium, sed paludum (Scardeas vocant) ob causas alias enarratas deuito: ius verò betarum cum allio, aut Chamarum, vel Astacorum, vel Limaciarum cum lauri foliis viridibus, & loco betarum, sonchi, aut radicis cichoreæ, boraginis folia sana, & radices pro acetario ferculo: vel loco vnius horum, vitellos ouorum, & recentes vt persæpe vno sim contentus. Carnes etiam albas, sed seorsum edo, bene coctas & pedes vitulorum, & iecur pullorum, & colomborum, tum cerebrum, & quidquid sanguinei inest: Carnes in veru assatas, inde minutim incisas, aut tenues, & gladiorum dorso verberatas, diu denuò inuolutas in omento hædi: & in patina cum iure coctas, aliis omnibus præfero. Pedes vbi frigent lauo, non enim post, adeò frigent: nec nisi calefactis, & siccatis partibus humidis, sumo cibum. A prandio non ambulo, multo minus à cœna: Factus sum animo quietior, & fortior ob cognitionem, non ob regimen: & quoniam mihi iure mors timenda videtur, eam odi: cæteros qui illius aduentum non reformidant, Taureæ Campani exemplo, sinamus occurrere si expectare non satis est. Sed redeo ad propositum, ætatum mutatione, sæpe iuueni in rebus meis

meis etiam reconditis tantam variationem, vt diceres ad esse Larem, qui omnia confunderet: ablatas pecunias, auctas, translatas aliò: ne credas sublitum mihi os, aut memoria lapsum, vide quid mihi acciderit heri, & nunc perseuerat (neque enim ignoro quanta possunt obiici illi mutationi) cœnaui satis lætus: à cœna tantum odium inuasit omnium librorum aliorum, meorumque, sed editorum, vt non sustineam cogitare de illis, nedum inspicere: ratio manet, agnosco esse causam in me similem melancholiæ, maximè cum optimi superfint: At de pecuniis alia ratio est, non dolus, non insania, nemo subtraxit, non error, quid ergo an violentia?

CAPVT LIII.

Conuersationis qualitas

AD conuersationem, ob multas causas, & eo magis hac ætate, parum idoneum me esse intelligo. Primùm quia diligo solitudinem, numquam enim magis sum cum his quos vehementer diligo quam cum solus sum: diligo autem Deum, & spiritum bonum: hos dum solus sum contemplor immensum bonum, sapientiam æternam, lucis puræ principium & authorem, gaudium verum in nobis, vbi periculum non est ne nos deserat, veritatis fundamentum, amorem voluntarium, authorem omnium, qui beatus est in seipso, & beatorum omnium tutela & desiderium: Iustitia profundissima seu altissima, mortuos curans, & viuentium non oblitus. Spiritus autem mandato illius me defendens, misericors, consultor bonus, & in aduersis auxiliator, & consolator. Quem ergo mihi propones hominum cuiuscunque conditionis, qui secum perpetuo non deferat manticam stercoris, & matulam vrinæ, etiam in venis? & plerique cum sint gratiosiores, ventrem habent vermibus refertum: multi ex his, multæque quæ placere solent, vt omnia æqua lance distribuerentur, etiam pediculis scatent: aliis alæ, aliis pedes, pluribus os fœtet. Cùm hæc considero, quemnam mortalem (ad corpus respiciens) amare potero? quinimo Catulus, aut Capreolus multo purior, & nitidior erit. Sed animam amplector quod animal insidiosius, improbius, fallacius est homine? Mitto partes animæ perturbationibus subiectas, & intellectum amare volo: At quis intellectus syncerior diuino, altior, securior, & qui vera docere possit? replentur Bibliothecæ libris, animæ eruditione spoliantur. Transcribunt non scribunt, non desunt ingenia, sed alia. Quid ergo est, quòd ex hominum consortio spectare possim? garruli, auari, mendaces, ambitiosi: Ostendite in seculo tam florenti, in occasione tam vtili Typographiæ, qui vel centesimam partem inuenerit, eorum quæ Theophrastus, & domanum. Quinimo suis nugis, & i: ac is, perturbant bene illa inuenta, pulchra. Sed neque hoc expedit rebus ipsis: inuentiones enim debentur tranquillitati, & quieti, ac stabili cogitationi, necnon experientiæ, quæ omnia sunt solitudinis, non societatis hominum, vt de Archimede legitur. Ego quod ad me attinet, lx. inuentorum forsan, ne xx. quidem aliis, aut societati debeo: nolim teneri de mendacio, si aliquanto pauciora sint: fateor in Mathematicis aliqua, sed paucula à fratre Nicolao accepisse: sed quot exciderunt? tanta multitudo aliis debetur causis, sed adhuc etiam latenti vi illi splendoris, aut meliori. Quid ergo mihi cum hominibus? Alia ratio, beati non dignantur mea societate, ego miserorum non opus habeo, si blandiri velim, non sanabo: si exasperare, in malam trahent partem: Sunt præterea senes morosi, tristes, queruli, inuidi, dictis illorum quæ accessio fiet? Est etiam temporis angustia, *Dies nostri lxx. anni & in potentatibus lxxx.* vt parum supersit ad nugas, quam enim partem dedero illis? contemplationis, iniustus & impius: scribendi stultus, vt redeam ad labores quos subterfugere poteram, ocij paricida mei: vt etsi exercitationis, somni, domesticorum negociorum? Deinde cum quibus, amicis? frustra, operam enim meam desiderabunt, non colloquia: aliis quorsum? petitis illi plus multo forsan existimabunt se scire quam ego? Et si sciant, contentio erit de genere, velim discere quorsum? si docere, erit impudentia & prodigalitas, sua effundere, vt nil nisi odium quæras? An etiam vni soli, an multis simul? si mulris, quando finis? si vni, an tibi is Deus erit? Mouebis etiam aliis inuidiam, vt tursus in pelagus cogaris descendere turbulentum: loquuntur etiam plures simul, & clam te irridebunt: multis occasionibus te expones nullo lucro. Quod propterea summum est, in confabulatione lepor, in conuersatione iuconditas, ab his vtrisque plurimum abest natura senis, ac mores: in omnibus testem alium non aduoco quam Aristotelem. Ob hæc igitur semper difficilis fui conuersationis: quæ etiã vna fuit ex causis, ne itarem ad conuiuia: non tamen reiicio, aut excludo bonos, ac iustos, præsertim miseros, nec bene meritos de me, neque sapientes. Sed dices, homo animal est sociale, & quid ages, cùm renunties hoc facto Mundi regnu, amicis: quid poteris? gloriaris te habere amicos potentes, aut ergo frustra hæc est iactantia, aut cui lucro? cum enim sint qui eisdem placeant conuiuando, iocis, ludis, quid est vt illos deserant, te amplectantur? quid studia proderunt si non credant?

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Deinde si deerunt necessaria naturæ, multa patieris incommoda: hæc scio mihi obiici posse: at non me latet multa dura videri & absurda, quæ tractata secus apparent: vt etiam contra, alia mollia & vtilia, quæ secus absurda sunt & dura. Et mihi cum hoc plerumque seruatur quantum satis est, ob illos quos dixi me admittere, sufficiunt enim illi, & plus turba vtiles sunt, ac magis securi.

CAPVT LIV.

Et est Epilogus.

ERgo iam securus de mendacij suspicione, vt qui in veritatis studio consenuerim, cum quo & Dei amor, & immortalium spes, & tantæ amplitudinis possessio, & sapientiæ lucrum coniuncta sunt: nolo iactura vno cuncta confundere; sinamus hæc his, qui ob imperitiam falluntur, aut qui mentiri gaudent, vel audita, lecta, vel etiam visa adaugent, dum sperant imponere posse. An rogabunt qua spe freti de iis, quorum ne vnum quidem viri vnius, mille referentis testimonio subscribent? Ergo nil aliud nisi veritatis amor: at dissentiunt plane homines, vt cæteræ volucres, aliæ sordidæ, corui, cornices, qui in libidinibus, rapinis, dolis, furtisque versantur; alij nobiliores vt aquilæ, & accipitres: hi fastu nimio & iracundia flagrant. Quid mirum si hæc non animaduertunt, quamuis talibus tamen exemplis omnium historicorum, tam sacrorum, quam profanorum libri pleni sint, & nobis eorum vitæ qui aduersantur. Deus, ac plena machina bestiis, & his qui sapiunt consentit: infimi pro exiguo numero, veraces pro mendacibus, sapientes pro stultis. Hoc vnum deberent curare Principes, vt eos qui in probos, & eruditos inuehuntur, iustis pœnis, veterum exemplo punirent: Quod si neglexerint, vnus de omnibus & pro omnibus (præter quod potentia euertetur?) exiget. Ea ergo ratione non laudis meæ exempla, superius in arte adduxi (an putant me esse adeò ineptum, vt hoc medio velim redire ad Sarcinam?) sed vt intelligant homines, me talem esse, scilicet veracem, & probum, ac potentem diuino spiritu, dum possunt exquirere veritatem. Porrò cum humana fiant peritia, ratione, consilio, afflatu, occasione, impetu, & casu: Peritia certa est vt fabri: Consilium hominum subiicitur arbitrio, qui si amici non sint, nec beneficiis vllis, nec repentinis crudelitatis experimentis, vt euentus docent, mutari possunt: Afflatus rarus est, nec vlli in omnibus vnquam satisfecit; occasio maximè præuisa, bona: sed & ipsa non semper affulget, ratio vt tutissima est in expertis, & elaborata, ita casus malus, impetus pessimus propter quam aliquando in pugna, quia stulta: pro ratione, liber Actus pro numinibus, splendor, qui potest innui non scribi: pro supra mortalibus, spiritus, qui nec scribi potest, nec innui, nec est in potestate nostra.



LIBELLVS



LIBELLVS
DE LIBRIS PROPRIIS,
CVI TITVLVS EST,
EPHEMERVS.
Ad HIERONYMVM CARDANVM Medicum, affinem suum.

GALENVS ex antiquis, Erasmúsque nostræ ætatis vir, libros ediderunt, nomina tantum priorum librorum continentes, ea vt puto ratione, quod multi quæ sua essent, negarent: alienáque, sed illorum nomine indigna cohibuerunt: tum verò, quòd studiosi illorum, vniuersos apud se habere cuperent. Eam ego rationem secutus; quamuis cum illis nunc, de gloria non contendam, eisdem tamen vt puto, quibus illi causis, prouocatus, tot laboribus, tanquam vmbilicum quendam vnius diei, etiam adiecto studio imponere decreui. Neque enim nunc desunt, qui ea quæ edita non sunt, sibi impudenter vendicent; aliquótque studiosi, cum nobis etiam viuentibus, nostra singulis diebus requirant, à morte si superesse sciant, quæ forsan edita non sint, publicari nostro nomine curabunt. Impium enim esset, cum tot vigiliis ad hanc vsque diem, tam multa inuenerimus: vt sine labore ea quisquam sibi adscribere possit. Quamobrem opus non tam multis vtile, quàm mihi necessarium aggredior; & quamuis nostra extollere oobis minimè liceat, non tamen negligere decet. Tum præsertim, cum viuentibus illud etiam accidisse videam, quòd aliquando magnis viris contigisse vidimus: vt scilicet nomina librorum nostrorum, à multis quærerentur, & indies non deessent, qui apud Bibliopolas sciscitarentur, quinam essent libri iam editi è nostris, & qui non tam tabellas aliquando apud illos legi, frustra quærentium libros nostros nondum in lucem editos. Non enim ignoro, & si nullus nunc sim, & alios multos egregios viros suo tempore penè incognitos fuisse. Nam cum mortuis liuor non obsit: viuentes ideò minore in precio habemus; quod & Octauianus Horatianus optimè docuit dicens,

Rara coronato plausere theatra Menandro,
Riserúntque suum sæcula Mæoniden.

Non igitur vlli desperandum est, si bene studia sua collocauerit; sed elaborandum totis viribus ad virtutem & gloriam. Itaque multarum rerum causa hæc à nobis scribenda sunt. Primóque vt sciant homines, quos habere possint, quósve debeant expectare ex libris nostris: tum verò vt si aliqua maneant, post obitum nondum in publicum ædita, vt nostra esse sciant, præsertim ea quæ non nisi à nobis possent inueniri. Noscant etiam quæ à nobis tractata sunt, quæ inuenta quóve loco doceantur. Simul etiam respondebimus his, qui nos de varietate criminantur: alios ab admiratione multitudinis ac magnitudinis librorum causa edocta liberabimus, accedit his singularis quædam vtilitas intelligendi, quonam pacto facile, quis multa, & discere & inuenire ac scribere queat. Ergo ne tot vtilitatis partibus, vnam dieculam impendere poterimus? tum præsertim, quòd & mihi præ oculis quasi incitamentum erit, ad perficienda quæ imperfecta sunt, tum dux viæ quidam, vt oportuniora ad corrigendum in manibus accipiam. Neque verò quisquam sanæ mentis librorum varietatem culpet: nisi mecum Platonem, Aristotelem, Theophrastũ, tum Galenum, Plutarchúmq; ac Ciceronem Varronémque, ac Celsum, aliósque innumeros in ius vocet. De paucis scribunt, qui pauca nouerunt; at qui multa sciunt, longè commodius per tempora modo in his, modo in illis versantur, eâque varietas scribendi, velut, & vitæ fastidium tollit, minuitque laborem: quo fit, vt qui nondum vno perfecto opere aliud inchoauerit, non propter hoc inconstantiæ crimen subeat, modo tamen multa ad finem breui perducat, quod & Aristotelem ac cæteros fecisse video: nam non solum alia aliis temporibus scripserunt, quod necessarium vt est, sic ex styli varietate dignoscitur: sed multa eodem tempore; quo fit, vt aliquando tamquam de præcedentibus, aliquando de sequentibus, de eisdem tamen libris loquantur, & si dum Physica aut supernaturalia scribebat, nihil aliud interim scripsisset, malè prorsus, cum tanta librorum multitudine actum esset. Desinant verò nostrorum, aut magnitudinem, aut multitudinem admirari, qui ea viderint, quæ Augustinus, Varro, Galenus, Theophrastúsque scripserunt. Sed tamen illi iam ad senectutem peruenerant: fateor inquam; sed & sua etiam

emendata sunt, nostrorum minor pars. Ve-
rum ego, postquam admirari non desinunt,
noua ratione admirationem admiratione ma-
iore tolam: nanque plures alios primo igne
cremaui: horum verò qui supersunt, nullum
non bis iam scripsi, editos omnes ter, deni-
que si tempus, quod medendi exercitationi
tribui consideres, nil reliquum, vel ad studia
ipsa, vel ad voluptates, vel ad scribendum
superesse videbitur. At contra, dum studij
tempora metieris, nihil ad reliqua supererit.
Sed tamen tempora voluptatum, etiam lon-
ge maiora fuere, vt qui perplures annos, to-
tos dies ludendo consumpserim: & tamen tu
qui me non mentiri scis desines admirari,
quonam pacto sola adiutus sedulitate, tantam
librorum congeriem scribere potuerim; si in-
telligas, nihil magis studiis aduersari, quàm
otium, plúsque vnum otium obesse rei litera-
riæ, omnibus aliis vitiis pariter iunctis. Cum
igitur nec agris excolendis, nec rationibus in-
eundis, nec otio, nec maledicentiæ, nec nugis
aut spectaculis tempus tererem: quamuis etiã
sero initium bis dederim, vt qui ad annum vs-
que vigesimum in patris seruitute perpetuo
essem, hæc tamen etiam quæ nunc subiungam
ad finem perducere potui: adiuuit tamen assi-
duitatem persæpe natura, & consuetudo quæ-
dam, qua duabus rebus, sine vllo impedimen-
to eodem tempore, incumbo & satisfacio. Ita-
que cum adhuc ephebus essem, morte Nico-
lai Cardani iuuenis territus, cœpi de vitæ bre-
uitate cogitare, ac quærere, quonam pacto
aliquid memoria dignum posteris relinquere
possem. Sed cum in patris seruitute, & absque
1 lingua Latina, forem Mathematicarum tan-
tum peritus, libellum composui, in quo do-
cebam, quonam pacto cognita longitudine
ac latitudine duarum ciuitatum, aut duarum
stellarum, veram illarum distantiam habere
possemus. Erat liber exiguus, ac per capita
diuisus, rem tamen probe absoluebat: nam
tunc forte in manus meas inciderat, Gebri
Hispani liber, cuius auxilio non parum adiu-
tus sum. Hunc igitur cum Augustino Laui-
xario Comensi commodassem, illo ex peste
præter opinionem mortuo amisi, nec vlla di-
2 ligentia recuperare potui. Per idem tempus
librum de latrunculorum ludo scripsi, quem
anno ætatis xxiii. absolui: magnitudo Iustini
historici liber, materna scriptus lingua, quòd
existimarem eos, qui ludis delectantur, mi-
nime maiore ex parte esse eruditos: diuisi au-
tem illum in quatuor libros. In primo de lu-
do latrunculorum, in secundo de ludis fritilli,
in tertio de ludis, vt dicunt chartarum, in
quarto de aleæ ludis: ostendi ludos quadragin-
ta, dolósque qui in eis fieri solent, rationes
vincendi Arithmeticas, adeo admirabiles, vt
multi qui librum legerint, nobis ex hoc in se-
riis rebus fidem haberent, industriam & mi-
ram artem admirantes. Interim verò Gram-
3 maticæ & Dialecticæ operam dabam. Anno
igitur eodem cum sequente, duos libros scri-
psi, Commentaria super Posteriorum primum
Aristotelis, magnitudine Salustij, attamen
non absolui: ea cum Octauiano Scoto com-
modassem, tum aliis, nescio quomodo exci-
derint, puto tamen absque dubio superesse.
4 Scripsi & contrarias Aristotelis & Auerroïs
in dialecticis sententias, qui liber Terentij
magnitudinem æquat, Contradictiones cir-
citer ni fallor centum, vel plures etiam; est
nunc apud me & exemplar. Medicus quidam
è nostris exscribi curauit, quod apud illum
est, ita xxiii. & xxiv. annus peractus. Inter
ludos & voluptates est xxv. In Saccense oppi-
dum me contuli, quo anno ad mei institutio-
nem, librum primum incboaui vagantium 5
morborum, cum duobus sequentibus annis re-
liquos penè perfecerim: nam liber tertius ab-
solui non potuit. Magnitudo vt epidemiorum
Hippocratis, materia de morbis est, tum mi-
raculis, quæ circa illos acciderunt. Constitu-
tiones temporum enarrantur, quæve illis suc-
cesserint, atque vtinam melius librum tertium
absoluissem, adiunxissémque alios. Sed per 6
idem tempus, rogante amico, librum de re ve- 7
nerea condidi: tum librum alium sponte Chi-
romantiæ, quos ambos vrina felis corrupit.
Inde succedente tempore ambos instauraui:
sed librum de re venerea perficere non potui.
Porrò Chiromantiæ, Coclitis libro fermè
æqualis est: Adiutus autem sum, lecto libro
Frãcisci Syrigati non parum, quòd ille multa
collegerit experimenta, quæ nondum in lu-
cem prodiere. Sed illo tamen mihi magis pro-
fuit methodus ipsa diuidendi, quam ex Gale-
no didiceram: vt libri ordinem, & facilita-
tem ac perfectionem assequerentur. Liber ta-
men de re venerea, Paradoxa Ciceronis non
superat. Moris autem fuit nobis, vt quoscun-
que qui in arte aliqua scripsissent, prius lege-
rem, quàm in eadem quicquam componerem.
Per idem fermè tempus & ad annum vsque 8
xxxi. duos libros magnos composui: alterum
Aetij magnitudine, de Medicinæ regulis, in
quatuor distributum. In quorum primo diffi-
nitiones morborum omnium, & signa dispo-
sui, in secundo prædictiones & causas eorun-
dem, in tertio curam simplicium morborum,
in quarto compositorum: quòd plerunque
compositi morbi, contrarias habeant causas,
Medicúmque distorqueant, eóque magis di-
ligentiam illi præter reliquos præstiti, quòd
nemo ad hanc vsque diem de his scripserit,
nisi consulendi causa. Reliquum in quo Medi- 9
cinæ sententias contrarias, quotquot inueni-
re potui, vnà collegi Græcorum, Arabum,
Latinorum; hæ autem fermè quadringentæ,
magnitudo libri vt Conciliatoris. Inde disce- 10
dens anno xxxii. in oppidum Gallareate me
contuli ob Medicorum Mediolanensium resi-
stentiam, ibi tres libros construxi. Primum
de fato, quod bis iam scriptum, nec tamen di-
gnum editione, Terentij magnitudine; pri-
mum exemplar, apud Archintum Episcopum
est, quod etiam longe minus eo, quod apud
me est: ostendi autem ibi contra Alexandrum,
quod solet dici, Ducunt volentem fata, no-
lentem trahunt.

Alterum de Astronomicis iudiciis, in decem 11
libros diuisum, magnitudine Firmici, imita-
tus Ptolemæum in decimo: exempla ducenta-
rum geniturarum adiunxi: nam plures prius
erant, verum vt post dicam earum numerum
minui. Tertium librum ad libri de occulta 12
Philosophia Agrippæ confeci imitationem.
Videns enim illum tam pulchrum inuentum,
vana, & mendaci historia fœdasse, visum est,

vt

vt eiusdem argumenti, sed veris collectis ex-
perimentis fabricarem, quem quoniam ma-
ior esset Strabonis libro, post in tres diuisi:
docui autem, vires, naturam & miracula ibi
elementorum, stirpium, metallorum, lapidum,
herbarum, animalium, volucrum, artium, di-
sciplinarum, curam animalium, veneficia, Al-
chimiam, decorationem; nec vlla in parte mi-
hi magis placui. Porrò cum initium illi dedis-
sem anno XXXII. vix finitus est anno
XXXXII. totiens mihi occurrit, quod adde-
rem: quater autem scriptus est ad hanc vsque
diem. Inde post menses XIX. quibus ibi
mansi, annum agens XXXIV. in patriam re-
uersus sum, Arcbinti Episcopi persuasione,
in cuius gratiam libros iudiciorum Astrono-
micorum fabricaueram, cœpique simul profi-
13 teri Arithmeticam, Geometriam, Astrologiã.
Conscripsi igitur in nouem mensibus, quibus
legebam libros decem de circulis Sphæricis,
octo autem erant absoluti, & totam circulo-
rum rationem continentes: nonus continebat
tabulas, quas nuper inchoaueram. Feceram &
dimidium decimi, de ponderibus & vmbris
tractantem, cum ecce amicus ostendit tabulas
eiusdem vsus, Ioannis de Regio monte: tum
Gabriel Atator quinque libros eiusdem auto-
ris de circulis; tantundem igitur contristatus
de his, quantum lætatus de tabulis, quòd non
leuem à me laborem sustulissent: seruare ta-
men librum meum decreui, quòd plures longè
propositiones contineret, quàm Mooteregij
liber, quódque propositionum ex Euclide nun-
cupatarum numerum contineant, qui in Mõ-
teregij, quòd morte præuentus perficere non
potuit: deest tum verò tabularum modus, vt
ad compositionem longe difficilior: sic ad ope-
rationem longe aptior est. Euclidem igitur,
hic liber magnitudine æquat; si tempus non
deerit, addam quæ in Monteregij libro desunt,
& ex duobus vnum perficiam, titulum illius
relinquens nomini: etsi vtriusque argumenti
14 initium dedit Geber nobis. Eodem tempore
libellum de circulis scripsi, ad imitationem
Campani, magnitudo vt Paradoxarum Ci-
ceronis: materia est de motu in circuli peri-
feria illorum mobilium, quæ temporibus sta-
15 tis mouentur, seu commensurabilibus actu, seu
potentia prima, vel superficiali, secunda vel
solida. Scripseram & antea: sed annum non
teneo, libros duos: alterum de pituita, quòd
eo morbo diu laborauerim, magnitudine
16 Actuarij, alterum de peste quæ anno à salute
vigesimo septimo supra millesimum & quin-
gentesimum villas vicinas inuaserat, magni-
tudine Academicarum quæstionum Tullij.
Sed ad ordinem iam reuertor, cum hi libri
nunc apud me absoluti sint. In fine XXXIV.
anni, dum cessationis tempus esset, libros tres
composui. Primum super primum ac septimũ
17 Geographiæ Ptolemæi librum, magnitudine
18 Tusculanarum quæstionum Ciceronis, alte-
rum super Sacrobusti de sphæra librum, ma-
gnitudine libri de Bonorum finibus. In quo
multas à præcedentibus expositoribus præter-
missas difficultates, aut male terminatas ab
solui: hi duo apud amicos sunt, quod mutuo
19 iam sæpe illos commodauerim aliis. Sed ter-
tius fuit elementorum super Euclidem, hic
primo exiguus, ac quasi contemptus, sub ad-
uentu Ioannis Collæ Mathematici superau-
ctus à me, ac inde in tres libros diuisus: inde
in septem, post in nouem, perpetuis tandem
augmentis in quindecim euasit, & nunc est
apud me absolutus: magnitudo illius vt ele-
mentorum Euclidis, propositiones nouiter in-
uentæ, plusquam quadringentæ. Docuit Eu-
clides quadratum circulo inscribere: nos pen-
tagono; ille circulum inscribit trigono; nos
duos circulos coæquales inscribimus; ille fi-
guras omnes similes proportionem seruare do-
cet, nos in omnibus figuris æquilateris, &
æquiangulis proportionem inter lineas sub-
tensas inueniri ostendimus; ille corpora inter
se contulit, nos corporum partes; ille lineas
potentia commensurabiles inuenit superficia-
li, nos solida; ille docuit metiri rectilinea, nos
quæ obliquis lineis continentur; ille ad men-
suram agrorum aptior, nos diuidere docuimus;
ille in Geometricis magis perstat, nos Arith-
meticæ principia per illum ostendimus. Eucli-
des omnia collegit, quæ in Geometria ab an-
tiquis scripta essent, nos quæ inuenimus, suis
autoribus adscriptis, nostris inuentis adiunxi-
mus, vno Archimede relicto, quem cum Ar- 20
chinto illi adiungere decreuimus. Sequenti
anno interpretabar Vitruuium, & ne totiens
ad eosdem labores redire cogerer, paraphra-
sim numero librorum, & magnitudine Vi-
truuij exaraui: in qua historias illius abditas
& breues recito, obscura verba interpretor,
mensuras declaro, machinarum structuram
doceo adeo diligenter, vt ne verbum reliquē-
rim intactum. Eodem anno Ciceronis omnia
volumina, vt dici solet, ad verbum legi. Tri-
bus autem cessationis mensibus, cum multi
inuidi dicerent, me literas Medicinæ nescire,
quòd totus Mathematicis viderer intentus,
dierum XV. spacio, duos libellos qui nunc 21
extant, edidi: alterum de malo medendi vsu, 22
reliquum cui titulus est, quod nullum simplex
medicamentum, noxa carer, hos quia excusi
sunt, quales aut quanti sint, exponere superua-
cuum est: parui sanè sunt, & primi qui in pu-
blicum prodierint. Reliquo tempore vacatio-
nis, cum Arcbintus discessurus videretur, cœ-
pi de rationibus meis cogitare diffidens mihi.
Sed intelligens Pontificem Astronomia dele-
ctari, duos libros exaraui: alterum cui titulus
Ephemeridum supplementum: alterum qui
est de emendatione motuum cœlestium; hos
deouo XV. dierum spacio ambos absolui: ve- 23
rum anno præsenti, additis LVIII. genituris 24
ad nouem, quæ tunc aderant, libellum de ge- 25
nituris confecere, hósque tres simul denuo
Germani impresserunt; quos quia notissimi
sint, non est cur doceam, aut dicam, quid in
eis contineatur. Absumpsi autem in secunda
editione, quinque dies laboris: vt tres illi li-
belli, viginti dierum curam ad se traxerint.
Tunc verò voto frustratus, nec cum Pontifice
quicquam proficiens, per reliquos duos men-
ses, tum etiam in posterum librum de Arith- 26
metica magnis laboribus, plusquam fœliciter
composui, quem post biennium ab initio edi-
di, omnes autem, cum publicatus sit, qualis
sit nouerunt quem tandem denuo mutaui, au-
xi, emendaui sic, vt XIV. libros contineat: ab-
solutus quidem est, sed non emendatus, titulus
eius, Opus perfectum, nec ab re nam in primo
libro

libro de integris agitur, ritúſque Græcornm,
Latinorum, Indorum, Hebræorum, ac Barbarorum explicantur, numetandi, multiplicandi,
diuidendi, addendi, detrahendi, latera ſuperficialia, vel ſolida quærendi, progrediendi. In
ſecundo, omnia hæc in numerorum partibus
oſtenduntur, in tertio in irrationalibus. In
quarto, in denominationibus, ac mixtis. In
quinto, in proportionibus. In ſexto quingentæ vires numerorũ explicantur, cum vix quadraginta præcedens æuum potuerit inuenire:
ſeptimus, octauus, ac nonus mercaturæ dedicantur: decimus inſcribitur Ars magna, continet ſexaginta ſeptem capitula: ex his quorum antiquitas vniuerſa, vix ſeptem potuit
inuenire: vndecimus metiri ac diuidere ſuperficies docet: duodecimus eadem in corpotibus
oſtendit facere: tertius decimus ac quartus
decimus, quæſtionibus Arithmeticis & Geometricis deſtinantur. In his vltra omnem artem, tum diligentiam, caſus etiam, & neſcio
quis auxilio fuit, vt etiam multa per ſomnium
inuenerim: tum ad quærendum confirmatus,
nunquã fallente euentu ob quem ſucceſſim,
ſub eodem biennio, decem libros de ſomniis
27 fabricaui: in quorum primo generalem rationem illorum edocui. In deeimo autem quotquot experimenta Græconim, ſeu Latinorum
hiſtoriis mandata ſunt, vel mihi euenerunt,
ad mille puto in vnum congeſſi: intermedij
octo libri, à rerum natura diſtincti ſunt, cœleſtium, elementorũ, herbarum & arborũ, animalium, volucrũm, piſcium ornatus, & humanarum operationum. Per idem fermè tempus, cum nondum quicquid edidiſſem, hæremque in compoſitione librorum, paupertatis metu, per ſomnium ad ſcribendum adeò
ſum confirmatus, vt illius imago etiam nunc
me torqueat. Magnitudo igitur libri de ſomniis, Artemidori operi, quod in eadem facultate eſt fermè tripla, libri Arithmeticæ dimi-
28 dio maior, quàm impreſſi. Sub eodem tempore, ſcripſi librum floridorum, ſeu Medicarum
quæſtionum, magnitudine Terentij: ſed im-
29 perfectum. Tum verò librum de ſimplicibus,
30 æqualem opuſculis in medicina à nobis editis.
31 Scripſi etiam tres libros, in fine anni XXXVI.
32 ſcilicet ceſſationis tempore, de vrinis, de purgationibus, de morbo Gallico: de vrinis, quòd
Galenum vidiſſem hanc ſolam partem reliquiſſe intactam, eius autem artem, in diſſectionibus & pulſuum rationibus, quantum licuit ſum æmulatus: liber eſt Tibulli magnitudine, ab experimento rationem aſſumens.
Inde miro artificio cauſas ex differentiis venatus, libellum de purgationibus, eo conſilio,
quòd Medici nulla re magis indigent, nec vlla
in re frequentius aberrant; nacta occaſione,
ex variis, ac quaſi contrariis antiquorum ſententiis: cum tamen ſi rectè aduertamus, omiſſa aſtantium cura, eadem omnibus fermè de
purgatione ſententia fuerit, nec vlla in re diſcrepent: ſed multitudo, ac diuerſitas caſuum
contradictionis ſpeciem refert, liber Actuario
æqualis. Librum de Gallico morbo, eo conſilio ſcripſi: quòd morbus ille, tam auxilia adeò
amplam conſiderationem requirant, pateátque illorum vis longe latéque ad alios etiam
morbos; vt merito librum artis curatiuæ Ga-
33 leni magnitudine ſuperet. Interim quartum
librum collectaneorum, ſeptem libris ſum interpretatus, quos ad vmbilicum producere
non potui: hoc autem vt magnos viros imitarer: quicunque etiam multa ſcripſerunt,
aliorum etiam ſcripta ſunt interpretati, eſt autem liber totus, magnitudine libri Collectaneorum, & Auenzoar ſimul iunctorum. Sub
illius anni fine, dum ceſſatio eſt, amicitiam
Principis Alphonſi Auali illuſtriſſimi conſecutus, oportunè ſanè: tunc vt illi gratificarer, librum de arcanis æternitatis inchoaui, 34
ſubiectum eſt primi libri: nam in tres illum
diuiſi ob magnitudinem, vt oſtendam mundum aduerſus Peripateticos, ſuffragante hiſtoria, ratione, exemplo, initium aliquod habuiſſe, non tamen conſtare, quomodo habuerit, vt etiam certum eſt moueri ſic ſtellas, cum
tamen nondum modus aut ratio eius motus
potuerit explorari. In ſecundo oſtendi, regna
omnia certos temporum limites habere, tum
leges ac familias, qualéſque hi ſint fines, &
vnde exoriantur: oſtendi etiam ſucceſſiones,
non vltra quartam decimam prolem extendi
poſſe, hiſtoriis innumeris, rationibus naturalibus, firmiſſis authoribus, ſacræ paginæ & ſapientum. Verum in tertio de ratione extendendi imperia, tuendique, ac inſtauratione
militaris artis, de animi etiam immortalitate
multa dixi, de prodigiis omnibus copioſè, tum
de legis etiam naturæ argumentis. Redundauit multitudo ſententiarum ac authoritatum
ita, vt liber alius, non paruus conſurgeret.
Scripſi igitur accuſatoris librum, ac de ſapien- 35
tia alium: Primum vero in tres diuiſi, ac ſub 36
nomine libri de Conſolatione edidi in lucem;
librum autem de ſapientia, in quinque diuiſi.
In primo de diuina ſapientia, in ſecundo de
naturali, in tertio de humana, in quarto de
dæmonica, in quinto de his qui lapſi ſunt,
quonam pacto commode ſe redimere queant:
hic quia annectetur huic, non erit vlterius
explicandus, deductus eſt autem ad vmbilicum
præſenti anno, ſcilicet ætatis meæ XLII. in
anni ipſius fine; verum libri de arcanis æternitatis, magnitudo dupla eſt libro de ſapientia.
Sequenti anno qui fuit XXXVIII. compoſui 37
librum de ſupernis, eius tractatio, eſt de cœli
ſubſtantia, motu, luce, magnitudine cuiuſque
eorum quæ apparent, de iride, grandine, cometis, areis, terræmotu, ventis, æſtu maris,
nimbis, pruina, niue, fulgure, magnitudo
quanta libri Meteororum Ariſtotelis, cum
Auerroïs commento. Hoc etiam anno com- 38
poſui librum de facile parabilibus, ex tertio
& quarto Canonum meorum libro extrahens, non ignorans Galeno tres tales libros
tribui ſolere, qui & ſi omnes ſui eſſent, non
tamen hic noſter ſuperflueret, mutata tempora, alia eſt regio. Denique vnicuique temporum morbo non indiſcrete omnia conueniunt, quæ morbum illum iuuare poſſint, quod
Galenus in eo qui ſuus eſt, tamen neglexit:
magnitudo vt omnium trium illorum qui Galeno tribuuntur: hunc librum cum diu quæſierim, inuenire non poſſum. Eodem anno
cum inſtrumentum nobile motus omnium
Aſtrorum effingens, illuſtriſſimus Princeps
emiſiſſet, quod aliàs viginti talentis aureis
venditum fuerat ab authore, & nunc diſſolutum, nullam ſpem reſtitutioni daret, Ianelli
Cremo

Cremonensis industria instauratum, in desi-
derium me compulit, vt tam admirabiles ma-
chinæ symetrias, ac magnitudines, tum mo-
tus, ac formam describerem, tum maxime,
quòd iam de alio minore instrumento scripse-
ram, annis ante duobus, tentaui igitur opus,
39 aliquáque scripsi, sed non perfeci: nam otio-
sum hæc requirebant animum, & præsentiam
machinæ, quæ tum non aderat, cum domi meæ
eam esse nollem. At minus instrumentum ty-
pis excussum est, authoris primi Gulielmi Ze-
landini nomine suppresso; decet enim etiam,
si tu per teipsum aliquid inueneris, quod ab
alio prius sit inuentum; quamquam nullo ab
illo habito auxilio, eius tamen nomen non
prætetire: nam & Aristoteles adeò famæ
cupidus, vel saltem maledicendo nomina an-
tiquorum Philosophorũ posteritati commen-
dauit; perexigua res libelli eius peracta est.
40 Succedente anno, tres libros de Christi vita
superauxi, qui iam antea per triennium erant
inchoati. In primo de his quæ circa eius nati-
uitatem acciderunt, in secundo de vita, in ter-
tio de legis promulgatione tractaui: libri etiam
de morte, qui in tres diuidebatur capita, di-
stinxeram. Inueneram autem mira eius libri
argumenta: sed somnio iam quo ad scriben-
dum impellebar: vt sciam me librum illum
non posse perficere, territus sum, vt ab eius
41 compositione abstinuerim. Scripsi eodem an-
no librum secundum ac tertium epistolarum,
etenim iam primum collegeram: transmutaui
etiam ordinem; nam in primo XLIV. cœlestes
epistolas posui, in secundo eas quæ libelli for-
mam habent, in tertio familiares, quæ mihi
dignæ memoria visæ sunt, clarorum Virorum
ad nos, meíque ad illos, liber minor epistolis
Plinij, dimidio fermè, qua etiam magnitudine
est liber de vita Christi. Sequentem totum
annum, in emendatione librorum iã editorum
consumpsi. Sub initio anni XLI. admonitus
sum, vt Græcis literis operam darem, somnio
adeò claro: vt protinus rei desperatæ incubue-
rim dies noctésque magna vi, cum Græcis li-
bris solum versatus: studens autem, edidi Græ-
42 cam introductionem, Sipontini regulis coæ-
qualem, arte, ac breuitate mira quantum in
me fuit, non enim veteranus, sed typo milita- [i. sine præceptore doctus.]
bat, tum maxime αὐτοδίδακτος existens, expressi
ibi vim, non eruditionem. Habueram sanè
anno XXXV. initia Græcæ literaturæ: sed in
quatuor mensibus adeò illa auxi, vt multa per
horas legerem vix vel vnum inueniens impe-
dimentum, facilem tamen, nec elaboratam re-
43 quirebam compositionem. Interim animad-
uerti, lectis libris de consolatione, me nihil de
amantium cruciatu dixisse. Protinus igitur,
libellum de amantium consolatione, secundo
libro de consolatione iam edito, æqualem edi-
di: quem aliquot ostendi amicis: inde denuo
44 immutaui. Edidi eisdem diebus, librum de ani-
mi immortalitate, sub exercitatione Græcæ
lectionis, Terentij magnitudine. In quo osten-
di, Philosophorum omnium, ac legum, de im-
mortalitate animi: vno Alexandro excepto, ab
ipso Pherecide inchoans, eandem fuisse sen-
tentiam; docui & ibi causas dæmoniacorum
miraculorum, & vatum, vt ad naturam referri
debeant. Præsenti anno, nimia intentione stu-
dij Græcarum literarum, labefactatus, nihil 45
arduum molitus sum: sed librum experimento- 46
rum, mei causa collegi, non nisi in eo certa & 47
admiranda reponens, augetur in dies, sed nunc 48
admodum paruus est, minor Quinti Sereni 49
libro. Cœpi & Galeni vitam texere, opus Cel- 50
so non minus, si ex vngue leonem, adsunt cō-
parationes, opera, vita, sententiæ: collegi &
fragmenta quædam, condidíque librum artis
Metoscopiæ DCCC. cum figuris humanæ fa-
ciei, magnitudo vt Tricassi chiromantia. Inde
totus ad iocos conuersus, collegi librum epi-
grammatum, Catulli operibus æqualem ma-
gnitudine. Librum etiam Micylli in epitomē
redegi, quem coniunxi libro de Græcæ litera-
turæ institutione. Scripsi & conuiuium, seu de
amore exemplum, vt puto prodigiosæ stulti-
tiæ. Existimo enim, vt in rebus naturalibus,
sic & in librorum compositione, quædam ne-
cessario simul cooriri, cum argumentis opti-
marum rerum, quæ fecem quandam redo-
leant, & si non aliis necessarium videatur, mi-
hi sanè hoc contigit, vt etiam aliquando ab-
solutos libros igni tradiderim, nec mediocris
studij, vel contemptæ magnitudinis. Inter
quos Arithmantiam, de peregrinatione trium
sociorum, de hominis immortalitate, multa
quoque alia deleui, quæ nunc enumerare inu-
tile est. Quæcunque enim ad humani generis
salutem, non profutura existimaui, si nocere
cum hoc etiam possent, nullo modo superesse
volui: & quamuis non scripsisse videatur vti-
lius, non tamen sic est, neque enim animalia
sine vrina, & excrementis viuere queunt:
mundiora tamen essent si sine illis viuere pos-
sent ac elegantiora. Scripsi & hoc anno, de 51
quatuor linguarum generibus, trito Italorum
sermone, eius libri argumentum est, quænam
linguarum harum, Græcæ, Latinæ, Italicæ, ac
Hispanæ copiosior, ac aptior sit, ad exprimen-
dam exacte animi nostri sententiam. Dialogus
est, & vnusquisque partem suam tuetur: vt in
quatuor libris, quatuor etiam linguis, viri to-
tidem patrocinentur. Collegi & carmina, ma- 52
terna lingua, in librúmque non paruum rede-
gi, non tamen sunt absoluti, si finiantur, hi duo
magnitudinem libri, de Florentinorum gestis
Machiaueli coæqoare poterunt. Facile est ex
parte totum, ex argumento, rem ipsam colli-
gere. Cum tot tantáque scripserim, haud du-
bie decreui, ab omni noua compositione libro-
rum abstinere. Verum procedente tempore,
imperfecta perficere destinaui, perfecta emen-
dare, incomposita in ordinem redigere: nam
cum præsenti libello, quem tanquam cristam
confeci, hodie libri numerantur quinquaginta
tres superstites, ac diuersi argumenti. Porrò
particulares autem centũ quinquaginta octo;
nam libri contradicentium Medicorum, quod
prætermiseram duodecim sunt, tractatus au-
tem duo ac septuaginta, Vitruuius autē libros
decem continet. Hac igitur ratione, si omnes
libros simul collegeris, totidem inuenies; tot
igitur, ac tales libri nostri sũt. Data Mediola-
ni. XIII. Kal. Octob. anni à salute M.D.XLIII.



LIBER
DE LIBRIS PROPRIIS, EORVMQVE ORDINE, ET VSV, AC DE MIRABILIBVS Operibus in Arte Medica factis.

AD NICOLAVM SICCVM Mediolani Iustitiæ Præfectum.



V M multi, N. Sicce, hoc nostrum scribendi assiduum studium non solum ciues, sed etiam exteri, qui in Vrbe nostra morantur, non probent: alij verò, quibus diuinius est ingenium, quærant diligentius quæ à nobis scripta, & quæ ex scriptis edita, quæ non: quidam etiam tantos labores tantámque sedulitatem admirentur, quomodóque fieri potuerit vt tot tantáque conscripserim, támque varij argumenti, præsertim impeditus artis continua exercitatione: nonnulli etiam dubitent de his, quæ planè miraculis similia facta de me prædicantur, an vera sint, an, vt Medicorum vulgus calumniatur, partim non vera, partim temerario quodam ausu tentata periculosè, licet fœlici successu, rogant, an aliam viam, quàm quæ aliis sit in vsu, instituere coner, ac sequi consueuerim, omnibus his hoc vno opere simul respondendum duxi. Cúmque iampridem libellum de libris propriis conscripsissem, hunc ipsum illo sublato, ne bis de eadem re verba facerem, titulo eodem inscripsi. Verùm cùm longè maior hic esset, pluráque contineret quàm prior ille, placuit vt & titulus libri augeretur. Difficilem sanè prouinciam me suscepisse intelligebam, vt qui de me ipso scribens vix calumniam subterfugere possem, tum ob multiplicem historiam, rerúmque varietatem, tum etiam vt fidem facerem his quæ à me scripta essent. Verum postquam toties à me scriptus, ac iam quindecies, non iam difficilem prouinciam, sed difficillimam aggressum planè me intellexi. Cum enim mihi ipsi non satisfacerem, vix fieri posse existimaui, vt cuiquam alij satisfacere possem. Etenim inter tot difficultates versabar, seu omnia narrarem, seu aliqua supprimerem, vt laudando conquerendóque par periculum subirem. Parúmque abfuit, ne, vt in fabula, asinum in fossam abiicerem. Verùm animo confirmatus pertæsúsque iam absumpti frustrà temporis, conatus sum iacturam iactura, si possem, leuare. Atque id primum certis mihi rationibus propositis, sine quibus, vt reor, penitus impossibile esse duco opus hoc fœliciter absoluere. Earum prima erat, vt omnem animi perturbationem scribendo à me semouerem: ne, si voluntati meæ & præsenti etiam commodo forsan satisfacerem, succedentibus temporibus liber his vitiis maculatus perueniret ad posteros, hominis irati speciem referens. Altera ratio fuit, vt vera constanter adiicerem, nihil metuens, qui tot iam maiora pericula euaserim. Simul vt quæ omnino tuta non essent ita inuoluerem, vt ne quis dicta, quæ dicta non essent, contendere posset. Præscinderem verò solum minima, & quæ probari non possent. Ratus immeritò inter tot æmulos dubia pro falsis habenda esse. Quæ verò minima sunt, cum ad posteros peruenerim, curiositatem nimiam, & inopiam maiorum, & quam hi vocant pusillanimitatem, Græci fœlicius μικροψυχίαν, testantur. Itaque claris solum ac splendidis exemplis contentus ero, reliqua prætermittens, quæ, & si nobiliora sint, quia tamen teste carent, ficta videri possent. Hoc tamen solum me malè habet, quod cùm iam hoc primum anno hanc obseruationem inierim, maxima pars exemplorum perierit inter tot negotia atque curas, tum scribendi assiduum studium obliuioni tradita. Verùm & hanc quantulamcunque partem seruari omnino præstitit, quàm totam periisse. At cum mecum ipse reuoluerem, cui potissimum hoc opus dicaretur, neminem inueni ex amicis, quem tibi præferrem. Nam Reges, aut alios incognitos quærere, quibus libri dedicentur, hominis est aut plura de se pollicentis, aut plus iusto sperantis. Tu verò cùm nobilitati generis animi quoque splendorem adiunxeris, tum studium singulare, peritiámque maximam liberalium, vt vocant, artium, meritò de his iudicium facere potes. Ego verò nomen tuum ac gloriam, quantum mihi fas est, ad posteros traducam, vt quemadmodum fortitudine & prudentia præsenti sæculo notus es vsque ad Indos, ita humanitate & erga studiosos amore futuris sæculis per me quoque innotescas. Simul hoc commodum nactos, vt quoniam peracta sunt hæc omnia in hac ciuitate, in qua non solum magistratu, sed propria potentia amicorúmque

multi

multitudine nihil te latere potest, fidem historiæ nostræ adiicias, ac veluti testis omni fide dignus assistas. Obtestor autem non solum te, sed alios quoscumque, qui nunc hac in vrbe authoritate pollent, vt videant si quid à me hic falsò ascriptum sit, aut auctum vel immutatum: quod si deprehenderint, omnem fidem libello abrogent, nihilque verum esse existiment. Neque sese à me deceptos homines postea querantur, sed à te potius, hisque qui plurimum possunt in hac ciuitate, quos, vt exactores veritatis, in iudicium postulo. Quòd si omnia hæc, vt se habent, referuntur, admonitos lectores, imo rogatos velim, ne mihi vitio vertant, quòd plura de me loquar, quòd meipsum laudare videar, quòd vitam morésque meos, tum libros tanquam aliquid egregij, scriptis mandem, aut quod in multiplici scientiarum genere scripserim, quódve numinis fauorem testatus sim. Nam quorundam importunitate atque maledictis coactus sum fieri præco laudum mearum, narraréque publicè, quæ supra fidem in arte gesserim. Nõ equidem gloriæ studio, sed vt illorum maledicta refellerem: Nec turpior mihi esse debet vera defensio, tametsi cum laudatione mei ipsius necessariò coniuncta sit, quàm calumniatoribus falsa accusatio. Verùm quibus graue videtur, quòd cum librorum meorum Elẽcho aliqua de me gloriosius scripserim, hi nihil agunt aliud quàm, quæ fatentur se Hieronymũ, Augustinum, Ciceronem, Galenum, Erasmum nũquam legisse, aut si legerint, omnino contẽpsisse. Namq; hi omnes hæc omnia scriptis suis mandarũt, quãquam quidã obscuriùs, quidã diffusius. Nos tamẽ Galenum in primis sequuti, qui, vt ingenuum decet virum, apertè & sine dissimulatione aliqua hæc omnia complexus est, non solum à iusta accusatione, sed etiã à calumnia tutos fore nos existimamus. Quamobrem historiam ipsam iam aggrediamur. Annum agebam, ni fallor, decimumoctauum, Geometriam solum sub patre edoctus, cùm aliquando eum comitatus, ipsoque domũ quandam ingresso, & me foris expectante (hærebam autẽ planè trabi, ita diem illum memoria teneo) funus efferretur. Itaq; subiit mortis vehemẽs cogitatio & solicitudo quædam, cum adolescentulus mihi mortẽ ipsam tanquã præsentem, aut saltem omnibus necessariam, proponerẽ. Id quoque mihi durum videbatur sic vixisse, tanquam nunquã vixissem. Seu verò id numine quodã impellente acciderit, seu iuuenili impetu, non facilè dixerim. Hoc vnum sat scio, ab ineunte ætate me inextinguibili nominis immortalis cupiditate flagrasse. Quamobrem eo ardore stimulatus, quod solum reliquum erat cœpi libellum velle conscribere de locorum distantia per longitudinem latitudinémque inuenienda. Erat enim mihi liber quidam antiquus de triangulis, Hebri Hispani, cuius auxilio, vt dixi, libellum de dignoscenda locorum distantia conscribere adortus sum: quem tamen perficere non potui, quædam enim deerant, quæ postea Monteregium
1 docuisse animaduerti. Hunc autem, qualiscunque fuit, lingua Beneuensium potius quàm Latina conscriptum, tradidi Augustino Lauisano Comensi à senatus libellis amico paterno. Paulò pòst decreui liberius in gymnasio literis

operam dare. Atque ita precibus matris & amici prædicti, minisque meis, vt qui omnino abire quoquo destinaueram, discessum in Academiam sequenti anno impetraui. Succedenti autem professus sum elementa Geometrica publicè Papiæ, tertio anno Mediolani mansi bello impeditus, quo, ne Academia frequentaretur, prohibitum est.

Interim mortuus est Nicolaus Cardanus iuuenis, annum, forte agens trigesimum, quem cum vidissem animam efflantem, adeò exterritus sum, vt toto triduo vix mente constarem. Atque ea cogitatione meditatus sum:
exemplo illius Philosophi Galeniei, librum 2
De immortalitate paranda: conscripsi igitur, dedique amico eidem. Cùm verò succedenti anno Patauiam me contulissem ob bellum, vt dixi, pestis maxima Mediolani sæuiit, ex qua mortuus est amicus ille noster: & cum eo, vt fieri solet in his casibus, libelli mei bona quadam fortuna periere.

Interim verò librum quendam, quem Pa- 3
piæ iam incboaueram, eodem anno sub Francisco Memoria Bergomensi, auxi. Is est quem postea, suo loco vt dicemus, Contradicentia Medicorum est appellatus.

Anno quoque eodem scripsi folia quinquaginta commentariorum in quinque primas sectiones primi Posteriorum, quæ mutuò cum dedissem Octauiano Scoto, nescio quo casu, amissa sunt. Et tamen antea decerpseram Contradictiones, quas in libellum foliorum decem contuli, cuius initium est Prima contradictio textu commenti xxix. Pri-
mi priorum. Necesse est aliquam præmissa- 4
rum esse similem conclusioni, non solum in affirmatione & negatione sed in modo. Extat aliud exemplum huius libri apud Medicum quendam, cum tamen inter meos, quos superesse vellem, non annumero.

Sequenti anno Rector Academiæ dictus sum, genio indulsi assiduè, meumque morem sequutus aliquam mihi methodum, & de hoc constitui. Conscripsi itaque farraginem quan-
dam De ludis, quam successu tẽporis in qua- 5
tuor libros digessi: quorum primus perfectus est De ludo latrunculorum atque aliis, qui sola industria egent; est foliorum centum: folia intelligo similia his, quæ sunt librorum de Subtilitate, impessione Basiliensi. Initium operis, *Non per vitio alcuno*. Est enim materna lingua scriptus. Secundus est De ludis, qui à sola fortuna pendent, cuiusmodi Alea, Primeráque, de qua folia xx. estque pars ea perfecta. Tertius est De ludis, qui ex fortuna & occulta industria pendent, vt Trapola, Triumphique. Quartus est De ludis pendentibus ex fortuna, apertáque industria, velut fritilli ludi plerique. Ad voluptatem hæc scripta sunt. Dicebat ille,

Arcus & arma tua tibi sint imitanda Diana.
Si nunquàm cesses tendere, mollis erit.

Accessit commodum, quo multa & varia scripsi, neq; enim mens tandiu intenta vni negocio esse potest. Quod & Galenum, & Aristotelem, ac Theophrastum fecisse video. Dum eodem tempore modo in seriis, modo in iocis versantur: persæpe mẽtem ad cælestia & superos erigunt: quandoq; quæ ad mores attinent,

tractant. Vt enim materia prima in formas diuersas pro tempore mutatur, ita intellectus in exempla rerum.

Anno sequenti, qui fuit salutis M.D.aavj. contuli me in oppidum Saccense prope Patauium X. millibus passuum: atque ibi artem exercens ad annum vsque M.D.xxxiij. mansi, quòd patria nostra bello, & seditionibus, latrociniisque vastata ac quassata esset: ibi primom farraginem immensam, & supra ccc. folia scripsi Methodi medendi, quam digerere in quatuor libros proposueram: nunc verò despero, quod verè male me habet, est, quòd in quarto eius operis collegeram auxilia ad morbos compositos, rem prorsus Medico vtilissimam: & forsao aliquando, saltem eum librum, absoluam. Vt sit operis titulus De morbis compositis, quandoquidem reliqua tractatio à multis peracta sit. Eius vtilitas est sic morbos curare, vt si aliis sint coniuncti, eis non noceas, aut etiam prosis. Vix attinget hic liber folia centum.

Scripsi & Epidemia, orsus ab anno M. D. xxvj. vsque ad annum M. D. axxiij. quorum initium est, Anno M.D.xavj. die aaiv. Septembris, quæ mihi naralis fuit, contuli me in Saccense oppidum, magnitudo libri foliotum axxvj. opus satis inconditum.

Ibidem conscripsi libellum De peste, qui interiit cum esset absolotus.

Alium de pituita inchoaui, cui coniunctum fuit opus De Re venerea: sed ambo hi libri corrupti sunt vrina felis.

Conscripsi etiam libellum Chiromantiæ, quem postmodum in libros De Rerum varietate transtuli.

Post modum, vaore ducta, redij in patriam mense Februario, anno M.D.xaaiij. valetudinarius, paupérque. Et vt Medicorum oppugnationem deuitarem, Gallaratum me contuli. Conscripsi ibi spatio xia. mensium librum de Fato, foliorum nunc est cax. nam ter auctus est. Initium verò illius est: Omnes qui scribendo gloriam consequi se posse sperant. Diuisi eum postmodum in quatuor libros. Sed libet tabulam oon solum librorum, sed etiam capitum ipsorum subiicere, quod etiam facturus sum in qoibuscunque clarioribus voluminibus. Ea aotem est:

TABVLA LIBRORVM de Fatò.

Liber primus de Fati cognitione & Demonstratione.

1 De modo procedendi in hoc libro.
2 Quid sit fatum.
3 Ea quæ fiunt, quatuor modis fieri.
4 Demonstratio firmissima ostendens omnia Fato fieri.
5 Quæ sunt, quando sunt, necessariò sunt.
6 Differentiæ rerum, & necessitatis.
7 Quæ fiunt, à causis numero finitis necessariò fieri.
8 Omnia agentia naturalia vltimo conatu effectus suos producere.
9 Quæ ab appetitu & ratione reguntur, eadem Fati lege teneri.
10 Quascunque causas propositas effectum sibi proprium producere.
11 Ratio prima Fatum esse suadens, sumpta à Dei scientia.
12 Ordinem tribus modis diei.
13 Ratio secunda suadens Fatum esse, à futuris sumpta.
14 Ratio tertia suadens Fatum esse, à Fati substantia sumpta.
15 De quinque significatis huius nominis Fatum non propriis.
16 Autoritates Fatum confirmantes, & communis consensus de illo, & de tribus Parcis.
17 Eaperimentis probatur Fatum esse.
18 Fati quatuor species iuxta modorum numerum quibus fit.
19 Fatum duplex ratione originis.
20 Si Fato aliqua non fiant, nihil prorsus Fato fieri.
21 Fatum esse non solum necessarium, sed totum immobile & indiuiduum, & an substantia vel accidens.
22 Exempla & mixtiones causarum quibus Fatum consistit. Liber secundus continet rationes quæ aduersus Fatum adducuntur, soluitque eas.
1 Ratio prima aduersus Fatum à casu & fortuna sumpta.
2 Ratio secunda aduersus Fatum à consilio sumpta.
3 Idẽ Fato consilióq; ac casu vel fortuna fieri.
4 Ratio tertia aduersus Fatum ab his quæ contingunt, sompta.
5 Ratio quarta aduersus Fatũ à pœnis sũpta.
6 Quantum intersit interponere Fatum & negare liberum arbitrium.
7 Fatum esse confirmatur autoritatibus sacræ Scripturæ.
8 Ratio quinta aduersus Fatum sumpta à fluctibus maris.
9 Vtrum quælibet varietas in causis præcedentibus sufficiat mutare effectum.
10 Quæ agunt certis temporibus atque proportionibus, & quibus agant.
11 Eaempla temporum & proportionum in motibus naturalibus.
12 Ratio seata, quòd posito fato Deus videtur esse iniustus & ingratus.
13 Ratio septima, quòd si fatum ponatur, erit aliquid Deo potentius.
14 Ratio octaua, quòd posito fato aufertur cultus diuinus.
15 De necessitate religionis.
16 De vtilitate religionis.
17 De damnis & incommodis religionis.
18 Ratio noua, quòd si fatum ponatur, potentiæ non erunt, nec omnis homo aptus erit risui.
19 Ratio decima, quòd si fatum ponatur, futura proximiora non erunt certiora contra sensum:
20 Ratio vndecima, quæ docet non posse demonstrari fatum esse, quia voluntas corrupta potest odisse bonum, & eligere deterius.
21 Ratio duodecima aduersus fatum ab autoritatibus philosophorum sumpta.
22 Ratio decimatertia aduersus fatum sumpta à communi cõsensu, & maximè prudẽtium virorum, & eorum qui existimationẽ apud homines magnam habent.

23 Ratio decimaquarta, quòd credulitas fati inutilis sit actionibus.
24 Ratio decimaquinta, quòd fatum diuinationi, propter quam inuentum est, sit inutile.
25 Quòd Astrologi, seu fatum sit, seu non, non possunt certè prædicere futura.
26 Quomodo diuinatio stante fato vtilis esse possit.

Liber tertius de generalibus consecutionibus ad Fatum.

1 Diuinationem omnem à fato pendere, & quòd triplex eius genus sit.
2 Prodigia quomodo futura doceant.
3 Prodigia debere his, de quibus sunt, proportione respondere.
4 Prodigia quæ significât, & quæ sunt inania.
5 Prodigia cur à lege nostra reiiciantur.
6 Cur quædam, quamuis maxima, absque prodigiis fiant.
7 Modi meliores futura præuidendi.
8 Præsagia ex Astrologia.
9 Aliqua singularia comparata ad aliquas causas quoad quasdam conditiones possunt esse necessaria.
10 Præsagia ex physionomia.
11 Præsagia ex lineis corporis & næuis.
12 Fati vtilitas triplex: alia ad fortitudinem, ad incommoda ferenda, ad scientiam ordinis vniuersi.
13 Ea in quibus fatum est manifestius.
14 Mundi septem vincula demonstrantur.
15 Vinculum primum cum Deo, & quid ex hoc sequatur.
16 Vinculum secundum mortalium cum cælo, & quæ sequuntur ex hoc.
17 Vinculum tertium cum causis naturalibus ordinatis, & quæ sequuntur.
18 Vinculum quartum vnitatis, & quæ ex hoc pendent.
19 Vinculum quintum interitus & successionis in mortalibus.
20 Vinculum sextum Fati.
21 Vinculum septimum mundi cum homine.
22 Præsagia ex oraculis & Sybillis.
23 Præsagia ex somno.
24 Præsagia ex sortibus. De supplicationibus sacrificiis, & expiationibus.
25 Fatum in singularibus esse, sed tamen ad generalia per ea pertingere.

Liber quartus de propriis considerationibus, quæ ex fato pendent.

1 Cognitio Fati in vnoquoque.
2 Naturalia maximè obnoxia seruituti, arbitrium minimè, sensus mediocriter.
3 Fata legum.
4 De causis mutationis earum, & illarum autoribus.
5 De Prophetis, & causis eorum.
6 De causis cessationis miraculorum.
7 De dubiis & disputationibus inter leges & philosophos.
8 Fata Imperiorum.
9 Fata Prouinciarum.
10 De quinque calamitatibus vniuersi. Et quòd plures esse non possint.
11 De fine sæculi & fato in hominibus.
12 Signa senij Mundi.
13 De Mundi successione secundum Principes intelligentias.
14 De Mundi successione secundum ætates.
15 De his quæ in successione principatus intelligentiarum in Mundo fiunt.
16 De his quæ in successione ætatum Mundi adueniunt.
17 De eisdem secundum Apocalypsim. Et de terrestri Paradiso.
18 Simile dupliciter dici, quoad totum, & partem.
19 Similia quædam frequenter, pauciora rarò, eadem nunquam.
20 Mentis & morum imago quomodo remaneant in scriptis.
21 De Animæ substantia.
22 Vtilitas liberi arbitrij.
23 Liberæ voluntati discrimen in comparatione ad præterita & futura.
24 Eos, qui fato credunt, plerunque esse sapientissimos.
25 De causis errorum nostrorum.
26 De causis nostrorum calamitatum.
27 Esse ordinem quendam generalem ex quo tota fati lex pendet, & in quo comprehendatur: & operis totius conclusio.

Docent autem hi libri specialiter futura in singulis regionibus, hominúmque sortem. Atque inter reliqua illud præcipuum est, non posse Italiam vnquam decem annis continuis sine bello magno esse. Et quamuis de Fato multi scripserint, velut Cicero, Alexander, & Pomponatius: Cicero tamen, vt cuius non esset professio, ornatius quàm verius scripsit: nec ea tractatio completa ad nos peruenit, sed ex duobus libris primus tantum: Alexander malè: Pomponatius tenuiter: nemo sufficienter. Verùm tractatio illa adeò vtilis erat, vt prætermitti non posset. Nam fortes nos facit ad calamitates perferendas, prudentésque reddit eos qui felices sunt, dum norunt omne bonum & omne lumen datum esse desuper.

Libros quoque de Astrorum iudiciis, quos nouem pòst annis edidi ter auctos, nunc verò redegi in decem. Primus est de principiis artis Astronomicæ pertinentibus ad motus & naturam syderum. Secundus de principiis artis prædicendi. Tertius de tabulis necessariis, earúmque vsu. Quartus generales regulas iudicandi continet. Quintus de aëris mutationibus. Sextus de fame, bello, peste, ac similibus. Septimus de genituris. Octauus de directionibus. Nonus de reditibus. Decimus de exemplis ducentarum geniturarum. Initium operis est, Hoc totum quod nos ambit. Folia continet circiter ducenta. Hic liber se habet ad Ptolemæi commentaria; velut Epidemiorum libri ad libros Aphorismorum in medicina. Est autem dilucidior commentariis. Tunc etiam librorum de Rerum varietate farraginem inchoaui, sed adhuc quorsum non intelligebam. Cum verò parum esset mihi eò eunti, totum tamen illud parum consumptum erat. Sed valitudo restituta, viréque confirmatæ, & filio auctus eram. Itaque quasi è scopulo inaccesso me præcipitaturus in mare, decreui in patriam redire anno M. D.

M.D.XXXIV. menſe Octobris. Tum exigua ſpes affulſit. Munus enim mihi delegatum eſt profitendi feſtis diebus Geometriam, Arithmeticam, & Aſtrologiam, minimo tamen honorario Et illud etiam minimum ſuaſu cuiuſdam amici egregij præfecti Xenodochij imminuerunt: ita cum huius recordor, in mentem venit fabellæ illius Apuleij de annonæ præfecto. Sed tranſeat hoc cum aliis. Fatale enim mihi eſt à nullis deterius habere, quàm à ciuibus meis & amicis. Erat hoc legendi inſtitutum ex teſtamento patricij cuiuſdam noſtri Thomæ Plati. Vt verò magis audientes allicerem, pro Geometria Geographiam, pro Arithmetica Architecturam docebam. Hinc occaſio nata conſcribendi quinque volumina. Sed non tam occaſio fuit quàm ſomniorum monita. Quid autem acciderit, dicere non grauabor. Vix tres aut quatuor menſes lapſi erant à tempore reditus in patriam, cum ſub aurora nocte quadam videbar iuxta montis radicem cum toto humano genere, pueris, mulieribus, viris, pauperibus, diuitibus currere. Erat mons mihi à dextra anteriore parte vitibus areſcentibus ſine fructu, quales ſub Autumno eſſe ſolent, conſitus, reliqua medietas, quæ mihi à tergo relinquebatur virens tota, ſed ſola erica ſquallida etiam velut per hyemem eſſe conſueuit. Itaque tam concitati curſus & tantæ multitudinis mecum currentis cauſam requirens, ſimul & quò curreremus, interrogans, reſpondit è ſociis vnus, Ad mortem: hæc vox adeò me exterruit, vt protinus montem, ſtipitibus vitium innixus, aſcenderim: nam altera parte lubricus admodum & arduus nimis erat: cum verò pergerem vltrà quaſi euaſurus, tam ingens periculum ſtatim poſt verticem, ad quem iam conſcenderam, voraginem obſcuram & tetram, adeóque profundam conſpexi, vt vel ſola illius memoria me perterreat: nec vnquam eius abſque horrore, quamuis per ſomnium res viſa mihi ſit, recordari poſſim. Itaque conuerſo itinere per montis verticem, qui planus erat, retrocedens, herbida ac ſqualllida illa parte paululum iam proceſſeram, cum offertur mihi caſa ruſtica vnico tugurio, atque eo ex palea ſordida confecto, quales apud nos ſolent eſſe agricolarum pauperum: ſimúlque puer pallidulus annum agens circiter xiv. cinerei coloris, ſago indutus, quem ego manu apprehendens ſimul & ingreſſus, tugurioli & ſomnij finem feci. Intellexi ex hoc ſomnio me ad immortalitatis curam erigi. Iam verò animus adeò euiluerat, ſpéſque ipſa defecerat, vt diu, quid ſomnium ſignificaret, interpretari neglexerim. Credidi tamen in ſpem præter ſpem, vt ſacra Scriptura dicit, & qualicunque modo conſcribere aggreſſus ſum libros ſpe quadam quaſi edendi, cum nulla affulgeret. Hoc tamen ſomnium, velut initium noſtræ gloriæ, ſi qua omnino eſt, erítve, in ectypis ex aduerſo imaginis meæ depinxi. Interpretor autem ipſum ſic: nam à numine eo, à quo ſeruatum me ſæpius manifeſtè vidi, immiſſum exiſtimo: omnes mortales naturæ impulſu ad mortem properant, interitúmque non ſolum præſentis vitæ, ſed & famæ: conſuluit genius vt ad virtutis montem aſcenderem: is erat vitibus, id eſt, vita plenus, abſque fructu tamen, & abſque voluptate: quoniam frondes aridæ erant. Aſcendi laborioſè, idque ob paupertatem reliquáque impedimenta, futurum demonſtrauit. Vitis tamen denuò frondeſcit, & fructum parit, ſubſequentium ſæculorum gloriam, alternámque viciſſitudinem oſtendens. Vorago illa, impedimentum, ne vltra humanas metas tranſirem, cùm tanto impetu ad inaceeſſa deferrer: reditus per ericas, vitam in fine ſuauem, ſed tamen abſque fructu, abſque gloria, ſignificat. Caſa illa & puer quid oſtendat, nondum intelligo. Atque hæc ita ſe habuerunt.

Verùm vt ad ordinem redeam, eodem fermè tempore quindecim libros nouæ Geometriæ condidi hoc ordine: conſequentia enim ſingulis propoſitionibus ſuo loco adieci, demonſtrauíque. Ita factum eſt vt quinque primis libris ſinguli reſpondeant, ſexto autem duo, decimo vnus. Nam tres intermedij ad Arithmeticam ſpectant, vndecimo tres reliquis ſinguli, vt omnes numero & magnitudine elementis Euclidis æquentur. Initium operis, Cùm duarum quantitatum. Docent hi libri figurarum diuiſionem, tum inſcriptiones, quas omiſit Euclides. Principia quoque affectuum in quantitatibus proportionem eandem habentibus demonſtrant. Vtque ex vnaquaque propoſitione aliam elicere liceat, tranſirúmque à ſuperficiebus ad corpora: velut cùm cubi latus diuidendo cuborum conſtituimus proportionem. Multa enim Euclides non tanquam inutilia aut ignota de figuris planis ac corporibus proportionibúſque ſed quoniam ad finem, quem propoſuerat neceſſaria non erant, prætermiſit.

Inde Arithmeticam artem conſcripſi lxviij. 15
capitibus contentam, in cuius titulo variatum
eſt, ſed cauſam alibi declarauimus, eam tamen
cum in opus perfectum tranſtulerim, præſentibus non annumero, tametſi edita ſit.

Sphæræ etiam commentarium edidi: ita vo- 16
cari ſolet opus quod à Sacrobuſto conſcri-
ptum eſt. Extant hæc, velut & duo alia in pri-
mos Vitruuij de Architectura, quæ ſunt apud 17
Ferrarium. Deſtinaueram opus perficere: ſed
commodius viſum eſt vt res potius ſectarer, &
quæ tractaſſem, in libros de Varietate Rerum
atque de Subtilitate traducerem.

Simili modo etiam interpretatus ſum pri-
mum ac ſeptimum Geographiæ Ptolemæi li-
brum, quæ commentaria & latinè extant, & 18
materna lingua à principe Iſtonij eleganter
conuerſa.

Tunc etiam libros de circulis Sphæricis, 19
vmbris, atque ponderibus: ſed rem à Monte-
regio peractam inueniens, deſtiti, ſolúmque
quædam fragmenta ſuperſunt de ponderibus,
& vmbris.

Hucuſque multa paraui, ſed nihil editione dignum. Vidi autem per ſomnium librum tribus coloribus depictum, qui mihi à patre oſtēdebatur, delectabátque me non ſolum colorum varietas, quippe rubro, viridi, aureóque diſtinctus erat, ſed etiam multò magis res tractata: iámque cœperam libros hoc argumento de Varietate Rerum inſcribere, ordinare, atque perficere: cum interim Ludouicus Ferrarius in domum venit, is adhuc puer conſcripſit hos libros. Quo tempore, vt etiam in medicina

aliquid

20 aliquid scire viderer, librum De malo meden-
21 di vsu confeci, & alium adiunxi, cuius titulus erat, Quod nullum simplex medicamentum noxa caret. Initium prioris est, Medicam artem antiquis temporibus: posterioris, Multos ego vidi Medicos, amborum magnitudo foliorum xvj. Porrò in his duobus libris propositum erat damnare quæ perperam aguntur vitiaqoe indicare, sed deerat occasio edendi. Itaque forte fortuna aliàs com in Academia essem cum nemine contraxeram amicitiam, nisi cum adolescentulo quodam pallido, qui vltro ad me accessit, cum & ego, fatis ita volentibus, cuperem illios amicitiam, aliorum autem ditiorum ac potentiorum aspernarer, ita is mibi adhæsit, vt cum alio prorsus nescirer omnino viuere. Mortuo patre factus est dominus tabernæ Typographycæ, multorúmque prælorum, vt certè videantur omnia nostra à quodam numine directa. Huic igitur apetio consilium meum, libenter suscipit onus, inquiens: hoc paruum est quod proponitur, etiam si tuta impensa peritura sit, tui gratia imprimam. Existimo tamen non magnam iacturam me facturum: hæc ille. Atque meritò suspicabatur cum ab omnibus contemnerer & oppugnarer, in artis autem operibus negligerer, cur erat vt alios docere vellem? Sed altius latebat fati mei consilium. Imprimitur liber, atque hic primus est editorum lxvj. continebat abusus: secundo cum ab iisdem imprimeretur, centum complexus est. Præcipua in eo sunt lasseris vires: præceptum quod non agendo semper minus peccatur quã quippiam perperam agendo: Quanta occurrant consideranda rectè agere volenti. Exceptus quoque est a multis alacri animo, cessítque res aliter quam spetabatur. Sed & longè aliter commodum, quod expectabamus ex illis libellis. Nam non paruam etardationem attulit ad gloriam in arte consequendam. Nacti namque æmuli ex argumento libri occasionem, dicebant, Nunquid modo dubitatis hunc insanire? aliúmque medendi modum aliámque, quàm nos, medicinam profiteri, cum in tot rebus ritum nostrum accuset? Itaque meritò, vt dicebat Galenus, qui tot insanientibus contradicere niteter, insanire visus sum: cum enim necessarium esset me vel illos aberrare, quis mibi crederet contra tot probatos vsu viros, diuites, senes magna ex parte, nec mediocriter eruditos, cultos vestibus, ornatos moribus, facundia vulgari præditos, amicis atque affinitatibus potentes, auráque populari in sublime elatos, inde, quod maximum erat, tot artibus ad cauendum ad fallendúmque instructos. Ego verò pannosus, ita vt mibi non conuenitet illud, vestibus inquam homini surgit bona fama decúsque. Itaque egregio hoc meo inuento penè fame perij. Sed audi aliud. Contigit autem hoc anno M.D.xxxvj. medebar Comitem (ita vocant dignitatem quandã) Camillum Boromeum sanauetámque à morbo satis graui, & cui alij opem afferre non potuerant: ille non admodum tunc liberalis in me fuerat, quòd pernoctate alio in morbo apud illum, vt reor, noluissem. Itaque deserui hominem. Forte fortuna transibam iuxta domum eius, aduocant ad ancillam ægrã, vado, curo, sanatur intra biduum, paulò pòst puellus annorum septem, qui illi vnicus remanserat, ægrotat, conuolant statim ad me, sed ea die monitus per somnium fueram, vt ingens periculum, quod imminebat, cauerem: diligentius solito rem tracto: video pulsum integra vna pulsatione quarto ictu & certo ordine deficere: admoneo matrem de hoc: abstineo à medicamentis validioribus. Quid plura? quarto die, cum morbus leuis esse videretur, extinctus est. Medici qui conuenerant, cum me odissent, clàm accusabant, dicentes me morbum non intellexisse: sed cum non haberent quod damnarent, siquidem, vt dixi, somnio præmonitus ab omnibus potentioribus auxiliis abstinueram, euasi periculum, ne pater me occideret. Adeò enim horum sicariorum maledicta famam meam læserant, vt multis piaculum occidendo me facturos, si per leges licuisset, persuasum esset: seruaoitque me Deus ab imminenti periculo, cum non multo pòst hi, qui mihi insidiabantur perierint. Sed licet ab iniuria omni liberatus sim, ille tamen, vt par est patrem vnicum lugentem filium persuasúmque quòd ex ignorantia mea periisset, omnibus in locis pessimè de me loquebatur. Successit & malo malum per idem tempus fermè: nam librum de Iudiciis Astrorum primùm edideram: quod mihi famam Astrologi iniunxit. Ita tot modis & insanus paupertate, & Astrologus profitendo edendóque libros, & imperitus casu illustris pueri, & modum alium medendi obseruans ex titulo libri nuper edito, iam propè ab omnibus habebar. Atque hæc omnia in Vrbe omnium nugacissima, & quæ calumniis maximè patet.

Sed hæc mittamus. Olim me solabatur necessitas fati in his, nunc video hæc omnia, & Collegij oppugnationem felicissimè cessisse. Nam cum tot aduersis tam multa mibi negotia incubuerint, vt vix explicare me potuerim: & quæ confeci opera conficere, quid futurum arbitraris si quid horum defuisset? Nam præter immensam successuum felicitatem, quæ semper me comitata est, ad hoc exercitium totus oatus videbar. Nulla enim in re mihi defui: neque natura neque fortuna conatus nostros deseruit, adeò vt nisi illa obfuissent, quæ dixi, incomparabilem mihi gloriam in hac vita comparassem. Sed Deus ad meliorem me vocauerat. Conscripsi igitur reuocatus ab eo exercitationis impetu,
duos libros Floridorum, id est Medicarum 22
disputationum. Vnum cuius initium est, Sanitas est dispositio, qua vnumquodque membrum perficere potest operationes suàs: continet capita xxiiij. folia centum. Eius titulos vt principalioris libri adscribere libuit: sunt autem hi,

1 De sanitate & reliquis dispositionibus.
2 De spiritu.
3 De viribus.
4 De febre diaria.
5 De humoribus.
6 De febre putrida.
7 De membris.
8 De Hectica.
9 De febre pestifera.
10 De ventriculi morbis.
11 De Intestinorum morbis

12 De iecoris mobis.
13 De renum morbis.
14 De capitis morbis.
15 De Symptomatibus capitis.
18 De Symptomatibus Pectoris.
17 De Symptomatibus membrorum naturalium.
18 De Symptomatibus extremorum membrorum.
19 De Symptomatibus abscessuum & vulnerum.
20 De Symptomatibus variis & raris.
21 De Signis.
22 De Intertogationibus & agendis.
23 De auxiliis raris.

Proprius vsus libri maximáque vtilitas est difficillimas medicinæ quæstiones simplici oratione edocere. Ordinem quoque & facilitatem secuti sumus, vt si ad subiectam materiam respicias, adeò necessaria sit, vt sine horum cognitione Medicus esse non possit: sin ad facilitatem, quemlibet possit inuitare ad legeudum: si ad ordinem, & facile inuenire possis, & inuenta memoriæ commendare. Summum enim studium nobis fuit, vt lectores & studiosos iuuaremus, postquàm tot sunt quæ homines ab optimo opere auertunt. Pleraque autem ex his, quæ ibi traduntur, apud Galenum vix possunt inueniri, imò apud illum dubia atque obscura sunt, si modo sint. Seu quod prætermiserit, seu quòd libri, in quibus hæc traduntur, interciderint.

23 Alter liber de medicamentis simplicibus, cuius initium est, Faba inuersa herba est.

24 Sub iisdem quoque temporibus libros octo conscripsi de Indico seu Gallico morbo.

Primus liber continet causas & originem huius morbi: Secundus, signa: Tertius generalem methodum curandi, vtpote medicamentis, victus ratione, sanguinis missione: Quartus, curam per argentum viuum: Quintus, per lignum Indicum, corticémque eius, aquam, vinum simplex, compositum: Sextus, de cyna radice: Septimus, de Sarza Pazilia. Octauus de exquisitissimo modo curandi hunc morbum. Initium operis est. Hunc morbum initium habuisse. Magnitudo foliorũ ccxxiv. Hi libri vnguenta & medicamenta mirabilia continent ac rationem curandi sublimem & singularem. Nonus morbus, noua curandi ratio, magnifica experimenta, methodúsque medendi singularis. Habet enim hic morbus multa præcipua, magnitudinem cum lentitudine, varietatem magnam, species multas.

25 Per eadem tempora, quòd somniis sæpius admonitus essem de impendentibus casibus, scripsi decem libros somniorum. Primus generalem illorum rationem continet. Secundus agit de generalibus simulachris. Tertius de hominis partibus, naturalibúsque actionibus. Quartus de actionibus aliis. Quintus de homini adhærentibus. Sextus de quadrupedibus. Septimus de auibus & piscibus. Octauus de Plantis, & metallicis. Nonus de rebus artificiosis. Decimus de exemplis, éstque hic liber aliis iucundior lectu. Initium operis, à multis quidem neglecta est somniorum interpretatio: magnitudo foliorum cccl x. Excoluimus hanc artem tametsi de ea Artemidorus, aliique ornatè scripserint.

Tunc verò contigit vt quidam Brixiensis nomine Ioannes Colla, vir proceræ staturæ, macilentus, pallidus, subniger, cauis oculis, mansuetis moribus, tardus in ambulando, rarus verbis, ingeniosus, ac in mathematicis exercitatus, Mediolanum veniret: retulitque inuentas esse duas regulas Algebræ, vt vocant, cubi & numeri inuicem comparatorum, sciscitatus sum à quo, à Scipione Ferreo Bononiensi, inquit: Quis habet? dixit, Nicolaus Tartalea & Antonius Maria Floridus, sed Tartalea cum Mediolanum venisset, illas me docuit, quamuis satis inuitus. Has cum diligenter perscrutatus essem cum Ludouico Ferrario inuenta demonstratione alias innumeras etiam adinuenimus, vt ex his librum artis magnæ conficerem. Conscripsi igitur operis 26
perfecti primum librum, cuius initium est, Si ab antiquitate aut necessitate. Et est foliorum xl. Tertium foliorum lxij. cuius est initium, Cum in radicibus quantitatum, & quartum foliorum xxx. initium, Denominatio est numerus. Sextum quoque foliorũ xcvj. initium cuius est, Numerorum alij dicuntur primi: Decimum, cuius initium est, Hæc ars olim à Mahomete, foliorum lxxxiij. Primus enim est de integris. Secundus de partibus. Tertius de lateribus quadratis cubísve. Quartus de incognitis. Quintus de proportionibus. Sextus de numerorum proprietatibus. Septimus de mercatura. Octauus de redditibus. Nonus de his quæ sunt extra ordinem. Decimus de regulis magnis, atque ideo ars magna vocatur: atque hic solus ex omnibus editus est. Vndecimus docet planorum mensuras. Duodecimus solidorum. Tertius decimus quæstiones Arithmeticas, vt Quartusdecimus Geometricas. Hi libri complura continent singularia: primum quidem proprietates numerorum admirabiles, & maximè vsque ad septem continua proportione connexos. Laterum & solidorum ac superficialium vires, operationes, regulas generales inueniendi numeros occultos ex notis, quas Algebræ vocant, breues ac incognitos hucusque supputandi modos, multáque alia mira dictu. Si nos gloriaremur artem hanc à nobis inuentam, tametsi de ea Nicomachus, Ptolemæus, Pacciolus, Boëtius, multa scripserint, fortasse non mentiremur. Nam neque centesimam partem eorum, quæ à nobis inuenta sunt, tanti viri attigere. Sed de hoc vt de aliis iudicium successoribus nostris relinquimus. Nos tamen ob id, perfectum id opus appellauimus, quòd humanum sensum fermè excedit.

Tum verò Arithmantiam exaraui perfeci- 27
que propemodum, & cum perfecissem, deleui licet enim ingeniosa esset, ac admodum delectabilis, quia tamen veritatis in se nihil continebat, & multorum malorum causa esse poterat, ideo protinus vt perfeci, laceraui discerpsíque.

Postmodum cum artes & libros nihil proficere aduersus temporum & mortalium malignitatem viderem, sed potius intentum his abducere hominem à lucro famáque quasi dolorem leniturus, quòd cogeret propositum relinquere, libros tres de Consolatione conscripsi:

conſcripſi : quorum initiom eſt , Vtinam ex tot tantiſque veterum monumentis, quæ barbarorum bellis interierunt. Magnitudo foliorum xxxvj. Primus generalem rationem conſolationis continet. Secundus de mortis ac luctus conſolatione. Tertius de conſolatione infortuniorum quæ contingunt circa externa. Hos libros ſcio multos ſpernere. Nam felices his ſe non indigere putant : infælices, ad ſolatium miſeriæ non ſufficere. Et tamen fælicibus moderationem , dum inconſtantiam humanæ conditionis docent, præſtant : infelices, ſi omnia rectè æſtimare velimus , fortes reddere poſſunt. Nam noſtra omnia momentanea ſunt , & nihil aliud quam flatus & ventoſus tumor eſt ipſa fælicitas humana. Nullum medicamentum omnes ſanare poteſt : ſunt affectus animi qui prorſus ſint inſanabiles. Non tamen artis opus ſperni debet aut Medicinæ, aut Philoſophiæ. Arrianus & Plotinus adeo inſtant, vt parum talia referre putent, nos aliquid , ſed multa falsò æſtimari docemus. Impreſſus eſt hic liber ab Octauiano Scoto primùm : deinde cum libris de Sapientia à Ioanne Petreio Nurimbergæ. Id qua ratione contigerit , nunc explicabo. Neque enim , vt dixi, Octauianus ſponte libros meos, neque libenter imprimebat iacturam veritus impenſæ: Nam tametſi lucrum feciſſet in librorum. De malo medendi vſu, impreſſione, id tamen in libris de conſolatione poſteà compenſauit: non ſolum quòd titulus & forſan etiam ſtylus non arrideret, ſed quòd Typographus ipſe innumeros atque turpiſſimos errores imprimendo commiſiſſet. Quam ob cauſam Librum de Aſtrorum iudiciis primum ego mea impenſa Mediolani imprimi curaui, quòd eſſet exiguus valde, folia continens decem tantum. Verùm eo quoquo modo diſtracto , & etiam cum iactura, vbi libros de Conſolatione tam fœdè à Typographo Scoto conſpurcatos vidiſſem, decreui Practicam Arithmeticæ Mediolani excudere : ſatis enim conſtabat implexum opus, quódque notis variis atque figuris indigeret, ſi alibi quàm Mediolani excuderetur , tum ob cauſas dictas, tum materiæ, quæ tunc noua videbatur, difficultatem, tum etiam exemplaris obſcuritatem infinitos errores habiturum. Quod ſi Venetiis apud eoſdem Scotos excuderetur , ne vmbram quidem ſuperfuturam : vt mihi omnino labor & gloria , Typographo impenſa peritura eſſet. Statui igitur Mediolani librum imprimere, oblata eſt occaſio : nam Bernardus Caluſcbus Bibliopola ſuis impenſis id egit , ſuóque periculo, decémque coronatos mibi pro exemplari dedit. Tanti fuit noſtra fortuna, nam mea impenſa excudi non poterat : neque , vt dixi alibi, præterquam in vrbe noſtra : nec , ſi non impreſſus fuiſſet, noſtra monumenta inueniſſent Typographum, continuo enim eo opere impreſſo cœperunt omnia commutari. Nam adieceram catalogum qualemcunque librorum noſtrorum , quos vel ſcripſeram vel cœperam ſcribere : & liber is diſtrahi cœpit in Galliis atque Germaniis. Ita cum tunc eſſet Andreas Oſſiander Nurimbergæ vir eruditiſſimus Latinæ, Græcæ, Hebraïcæque linguæ peritus, tum Typographus Ioannes Petreius bonis literis ſi quis alius fauens , inito conſilio totis viribus mecum agere cœperunt , vt aliquod opus excudendum illis traderem. Atque ita initium gloriæ noſtræ , ſi qua deinceps fuit , hinc ortum habuit. Ergo primum librum de Aſtrorum iudiciis auctum edidi.

Deinde per eadem tempora cum conſcri- 29
pſiſſem tres libros. De Æternitatis arcanis , mox in ſeptem diuiſi, magnitudine operis & varietate argumenti motus. Itaque non ſolum librorum, ſed etiam capitum, ob ſubiecti elegantiam , ſeriem ſubieci.

TABVLA LIBRORVM de arcanis Æternitatis.

Libri primi de Deo, Mundi ortu, numero, magnitudine.

PROOEMIVM.

1 Quædam ſupponere oporteat.
2 Quænam ſint , & quot genera eorum quæ ſciuntur , & cognoſcuntur.
3 De modis quibus homines cognoſcunt abdita , & de afflatus generibus.
4 Deum eſſe vnum , & æternum.
5 Ariſtotelis ſuppoſita.
6 Ariſtotelis ſententia & rationes pro mundi vnitate.
7 Arriſtotelis ſententia & rationes pro mundi termino.
8 Ariſtotelis ſententia & rationes pro mundi æternitate.
9 Peripateticorum ratio circa Dei ſcientiam.
10 Suppoſita ex hiſtoria aduerſus Ariſtotelem , & eius reſponſiones.
11 Oppugnatio reſponſionum illius.
12 Diſputationis initium aduerſus Philoſophos.
13 Deum eſſe infinitum.
14 Deum cuncta ſcire.
15 Deum omnia poſſe.
16 Quòd non omnis potentia iuxta hominum opinionem , perfici poteſt.
17 Infinitum eſſe in mutatione.
18 Infinitum etiam in corporeis acto inueniri, & quid ad hoc Philoſophi reſpondeant.
19 Species rerum non eſſe æternas.
20 Mundum initium habuiſſe.
21 Mundum generari & corrumpi rationibus à ſenſibilibus ſumptis.
22 De interitu & generatione mundi.
23 Nihil eſſe æternum præter Deum.
24 Solutio rationis cuiuſdam de ſtirpibus contra æternitatem.
25 Solutio rationum Ariſtotelis pro mundi vnitate.
26 Solutio rationum Ariſtotelis pro mundi termino.
27 Solutio rationum pro mundi æternitate.
27 Solutio rationum Peripateticorum de Dei ſcientia.

Libri ſecundi qui eſt De Mundi diuini, quem intelligibilem vocant, conſtitutione.

1 Quæſita deſiderata & de decem generibus hominum.
2 De tribus ſubſtantiis.
3 De generibus Entis.

4 De Dei prouidentia.
5 Abyssus diuinæ sapientiæ & de causis malorum.
6 Quomodo idem sit vnum, & producat.
7 Quomodo idem sit simplex,& felix.
8 Quomodo idem sit necessarium & liberū.
9 Quomodo quod non intelligit,quæ intelligant, producat.
10 Vtrum vnum idémque simul sit,ac totum.
11 De incorporeis.
12 De anima.
13 Animam humanam esse immortalem.
14 De eo quod est supra animam.
15 De dæmonibus & cultoribus aërearum regionum.
16 De mundi anima.
17 De Idæis, & quid sint.
18 De Pulchritudine.

Libri tertij, qui est de Mundi sensibilis constitutione, & ordine.

1 De sex mundi, seu vitæ generibus.
2 De consensu & dissensione partium mundi.
3 De cæli varia substantia.
4 De aëris regionibus.
5 De materia omnium.
6 Quæ in vniuerso maiore ex parte aliquam insignem vim habuere.
7 Cæli motum fieri per partes non commensurabiles.
8 Dialectica ostensio, quòd idem bis fieri non potest.
9 Anima in animalibus ex putredine genitis an causa præparationis, an præparatio causa animæ.
10 Mathematica cur aliter esse non possint.
11 Partium Orbis constitutio,& mores.
12 Species quæ, & quot, & de mundi ordine.
13 De imaginibus seu speciebus sensibilium.
14 De specie, & qualitate.
15 Cur hoc totum, & partes.
16 De Natura.
17 De mixtione generali.
18 De æternitate & tempore.
19 De eo quod potentia, & actu est.

Libri quarti, qui est de ordine rerum humanarum.

1 De mundi & hominis similitudine, & æqua partium distributione.
2 De sensu & memoria.
3 De contemplatione.
4 De numeris.
5 De virtute & peccato.
6 De fælicitate.
7 Congregationes an digniores singularibus.
8 De legum necessitate, vsu, & damnis.
9 De legum comparatione.
10 In omni falso, veri, in omni vero, falsi aliquid contineri.
11 Mosem fuisse verum Prophetam.
12 Quibus argumentis Christi diuinitas ostendatur.
13 Miracula fuisse vera.
14 Christi conceptionem,& illius atque Augusti natiuitatem fuisse mysticam.
15 De Rerum humanarū æqua distributione.
16 Quòd huius mūdi voluptates sint inanes.
17 De quintuplici genere humanæ vitæ, ac fine hominis.
18 De arte militari.
19 Imperia & regna esse animæ sensibilis.
20 Imperia & regna esse mundo necessaria.

Libri quinti, qui est de successionibus rerum naturalium.

1 Quàm difficilis sit hæc tractatio de successibus.
2 Quot & quanta accipere oporteat ad rectè prædicendum de futuris.
3 De triplici successionis genere,cælesti,naturali & humano,& eorum differētiis.
4 De xxj. generibus terminorum vitæ.
5 Quòd mundus diu superfuturus est.
6 Expositio verbi Christi, ego sum veritas, quantum mundus durabit.
7 Quomodo in infantia mundi sapientes,& Prophetæ seu vates.
8 Quomodo intelligenda sint ea verba, & prædicabitur hoc Euangelium.
9 Qui dicantur magni nodi, & de cognitione temporum eorum.
10 Quæ in successiuis temporibus fiant.
11 Qua ratione Mundus fluat per tempora.
12 De septem calamitatibus generalibus.
13 De causis earum.
14 De signis præcedentibus eas.
15 De prodigiorum interpretatione.

Libri sexti,qui est de successione rerum humanarum

1 Quanta sit humanæ conditionis miseria.
2 De duplici modo quo cunctæ res finiuntur.
3 Nullam legem posse esse perpetuam.
4 De legum interitu, & causis eius.
5 Signa mutationum legum.
6 De legum promulgationibus, & initiis, & Philosophorum opinionibus, de fine bonorum.
7 Leges & regna,ciuitates & familia,certos habere fines demonstratur historia,ratione naturali & Mathematica.
8 Libros & scripta sapientum necessario interire.
9 Linguas & artes etiam suum habere interitum.
10 Quantam vim habeant mores & instituta.
11 De exitio imminente.
12 Quòd in omni exitio imminente præuenit vnus,qui prædicit.
13 Nullum imperium vel regnum posse esse perpetuum.
14 De causis destruentibus regna & imperia.
15 Quod mutatio sedis imperij destruit imperium.
16 Quod nulla ciuitas potest esse perpetua.
17 De ciuitatum vario interitu & calamitatibus.
18 Quod quæ ad vnum,& in vno,& quæ decedunt omnia calamitosa.
19 Religio an vtilis ad artem militarem, & quæ & quomodo.
20 Quæ sint necessaria ad obtinendum imperium vniuersi.

21 Addita

21 Addita ad legem Christi impedire impetium vniuersi.
22 Gallos, Italos, Hispanos, Germanos, non posse adipisci imperium vniuersi.
23 Indiam Otientalem à Lusitanis, Occidentalem ab Hispanis, Hochelagam à Gallis defectutam.
24 Omnes qui sanguine proprio libertatem quæsiuere, obtinuerunt.
25 De causa excidij Iudæorum.
26 De petturbationibus Mahumetanorum.
27 Circuitus esse in rebus humanis vt etiam in naturalibus.
28 De Christi Imperio, quando, & vbi erit.
29 De Causis repugnantiæ in constitutione status cuiusque Reipublicæ.
30 Leges ciuiles breuiter explicatæ.
31 Exemplum genetale de ciuitate Mediolanensi.

Libri septimi, qui est de fine mundi.

1 De fine mundi.
2 De prodigiis præcedentibus finem mundi.
3 De mundi reditu post intetitum.
4 Breuis Epilogus historiæ mundi.

Facile igitut est ex his quæ capitibus ipsis pto titulis præscribuntur, materiam librorum coniectari. Difficillimus tamen liber est primus propter mundi nnmerorum magnitudinem, & vitam. Animi quoque & mentis vnitas, immortalitas, consensus, & varietas, atque diuisio non leuis.

30 Superfuit ex fattagine illa folium vnum de sapientia, quod auxi primùm, deinde in quinque libtos diuisi, edidíque: ius operis initium est, Quanquam omnium bonorum sapientiam diuinissimam esse constet. Agit autem in ptimo, de diuina sapientia: in secundo, de natutali: in tertio, de humana: in quarto, de diabolica: in quinto, de errorum emendatione, magnitudo foliorum lxx. Explicant hi omnem humanæ vitæ cursum, viuendíque rationem. Explodunt vanam superstitionem, mortaliúmque cupidam futura ex illicitis artibus præsciendi mentem coarguunt. Fælicitati parandæ hi vtiles sunt. Sed mortales non adeò sapientiæ præceptis velut attibus atque scientiis indigere se existimant. Hi, si emendatiores in publicum prodiissent, non erant paruæ vtilitatis: quandoquidem humanam vitam excolere non parum sit, cuius exemplo nos sumus, qui cum fato fortunáque quadam vndique aduersa nacti sumus, nec ex parentibus, aut affinibos, vel filiis, vel amicis, auxiliū habuerimus: ita tamen nos gessimus, vt plurimis vix persuaderi possit, non hæc omniá mihi auxilio fuisse, quandoquidem alij vix cum his omnibus & statum & dignitatem tueri, & opes parare possint. Neque hæc prodenda erant si vel metuerem: vel publicam vtilitatem priuatæ ac propriæ non præferrem, haud ignarus hæc omnia contra sapientiæ præcepta prodi. Neque tamen hoc mihi difficillimum, sed id longè magis in vrbe nostra sapientiæ operam dare, & gloriam in arte quærere. Sed de his hactenus, nam inferius multò dilucidius explicabuntur.

31 Ex eadem farragine sumpta est materia libri, De animi immottalitate: cuius est initium, Sæpe ac diu dubitatum est an animus hic noster, folia continet lx. hunc ergo Gryphius anno M.D.xlv. vt alium Ioannes Petreius præcedenti anno, excussit. Docet hic liber animum nostrum esse immortalem: communíque omnium sapientū consensu ex homine in hominē à supremo die transmigrare, multorum quoque mirabiliū quæ circa mortuorum imagines cōtingunt, tum aliorum causas reddit. Hic certè liber medius est inter obscurissimos & clarissimos: humiles & altissimos. Velut qui de anima simpliciter tractat humilium est nobilissimus, & qui de dæmonibus nobilissimorum humillimus. De animi quoq; immortalitate, Plato scripsit, sed ita vt per ironiam scripsisse videatur, dum seriis fabulas miscet. Illud quoque addimus quod præter Arist orelem est non contra.

32 Simili ratione ex librorum De consolatione farragine librum, qui dicitur Consolatorius amantium, perficere destinaueram, sed maioribus intentus destiti. Perfeci autem primum contradicentium, quem impressit Octauianus Scotus, inde denuo cum secundo Gryphius, additi sunt tres sequentes, vt omnes sint foliorum circiter quadringentorum: superest & farrago pro sequentibus aliis libris, sed hîc perfectos tantum connumeramus. Initium operis est, Vita hominis breuis est. Quilibet liber centum octo contradictiones continet. Fuerunt hi libri necessarij, nedum vtiles, ne multorum librorum iactura fieret, quasi vel supposititij haberentur, aut à viro, cui non plena fides adhiberi deberet, scripti: & vt sciremus quibus in casibus hæc, aut illa conuenirent.

33 Conscripsi & eodem tempore librum de libris proptiis, imo non librum, sed potius tabulam deinde auxi, iterúmque mutaui, donec ad hanc magnitudinem, húncque ordinem redigeretur. Non tam necessitate eorum quæ adiiciebantur in dies, quàm etiam certo iudicio liber hic tam sæpe mutatus est. Iconem ergo quandam mihi in eo proposui omnium eorum quæ à me conscripta sunt, non solum ad memoriam confirmandam, eligendósque mihi libros quos prius absoluerem, & castigarem: sed vt doceam quibus causis, temporibus, quóque ordine talia conscripserim, & vt vim numinis suo loco testarer. Imitatus sum in hoc scribendi genere Galenum, & Erasmum, qui ambo catalogum librorum suorum scripserunt. Quod si Erasmus maiore fuit authoritate, licuit imitari, si minore, cum rectè fecerit, mihi licuisse constat. Plura de hoc non adiiciam, cum semetipsum prodat.

34 Anno M.D.xliij. Florentiam inuisi. Deinde Senas profectus Franciscum Sfondratum præfectum vrbis, virum omni laude dignum, ac de me bene meritum salutaui. Is cum reuersus esset Mediolanum sequente æstate ob ingentia bella Academia in vrbem nostram translata est: abeuntibus etiam professoribus ob inopiam rei pecuniariæ, locum eius accepi, qui Papiæ iam anno M.D. xxxvj. pro me fuerat subrogatus, Medicinámque professus Mediolani, inde Papiæ vsque ad M.D.lj. nisi quod M.D. xlvj. intermisi: scripsi igitur bis annis commentaria in duas primas sectiones Aphorismorum, foliis cclxxv. quorum ini-

tiu m

tium eſt, Intermiſſum diu ac penè interruptum legendi munus. Hæc autem cum Epidemiorum interpretatione in quatuordecim libros digeram, nec ſolum hos, ſed omnes Germanos Hippocratis libros hæc expoſitio complectitur, non tamen omnia verba, ſed ſolum ſententias Aphoriſticas. Apollo Aphoriſticas ſententias, quæ grauitate ſenſuum, & pondere verborum perbreuiter etiam ſcriptæ ſunt. Itaque quod aliàs propoſueram, ſcilicet vt totum Hippocratem commentarer, præſtiti, nec tamen infinitum illud opus peregi. Reconditos ſenſus in omnibus commentariis eruere tum experimento, tum ratione, tum etiam ex eiuſdem auctoris propriis verbis docui: quæ imperfecta erant, perfeci, dubia declaraui, & exponendo viam quaſi mediam, ne in contradictionem trahi auctor poſſet, proſequutus ſum. Generaliter autem hæc in omnibus: in his verò etiam totam Hippocratis, & Galeni doctrinam adieci. Nouis, ſed tamen veriſſimis interpretationibus additis, quo illuſtrior ſenis ſententia euaderet. Itaque iure meritò hæc commentaria omnibus noſtris operibus præſtant. Siquidem maturo iam annis conſilio conſcripti ſunt: ac magis per otiū: deinde quoniam vniuerſam artem, licet generaliter tantum, amplectuntur: & diuini, vt ita dicam, Hippocratis ſententiæ inhærent, & finem habent nobiliſſimum, quippe artem parandæ aut ſeruandæ ſanitatis. Quatuor enim artes totas quatuor voluminibus complexus ſum Arithmeticam in opere perfecto: ſed & eam, vt dixi, penè etiam totam inueni: verum cùm non adeò nobiles hæc ars profeſſores habeat, non in tot manibus erit, tum verò etiam ob difficultatem. Aſtrologiam in commentariis iam ſupra Ptolemæum editis, ſed & hæc ob difficultatem licet nobiles, paucos tamen habent lectores, tum magis quòd plures inuidos hæc ars ſortita ſit. Muſicam in quinque libris reſtitui ab extrema iniuria vetuſtatis ac deſuetudinis, amiſſis etiam libris qui de ea tractabant ob temporum longitudinem: ſed tamen his libris pauci operam dabunt, quòd qui exercitatione illius non delectantur nec intelligent, nec curabunt artis principia & rationes: qui verò ipſam exercent artem, ab eruditione ac Mathematicarum ſcientia plurimum abſunt. At commentaria hæc in Aphoriſmos & in vniuerſam Hippocratis doctrinam, præter id quod totam artem amplectuntur, hiſtoria delectant, & vtilitatem ſecum coniunctam habent, ſcribuntúrque eruditis, nobilibus diuitibus: ipſa ars in veneratione: ipſa auctoris ſama inclyta, cuius nomen colitur apud omnes, ad quos memoria eius peruenit. Ipſa tamen opera, quæ dixi, quatuor præſtantiſſima ſunt meo iudicio omnium, quæ à me conſcripta ſunt, tametſi non ignorem multos alios libros è noſtris maiori in pretio apud multitudinem habendos: velut libri de Subtilitate, de Varietate rerum, de Arcanis æternitatis, & de Fato. Sed, ni me fallit opinio, quatuor illa perpetua erunt cum humani generis ætate, hi autem à pluribus legentur: quo fit vt hæc commentaria, cum in vtroque genere præſtent, omnibus, quæ ſcripſimus, ſint præferenda. Poterat & quatuor primis opus Metopoſcopiæ adnumerari, quòd & in eo totam artem à me inuentam tradiderim: verùm humilioris cuiuſdam argumenti, & in genere coniecturali verſari videtur. Sed ad ordinem redeo.

35 Succedenti anno ſcripſi in artem medicam foliis clxiij. quorum initium eſt, Iam diu.

36 Rurſus in ſectionem primam Auicennæ foliis cl. initium, Hucvſque diuerſis cum ambagibus.

37 Interim verò conſcripſi per otium duos libros de Circulis, quorum initium eſt, Cum duo circuli ſe inuicem ſecant: folia xxiv. continent. Propoſitum fuit in eis vt obliqua multa rectilineis æqualia, imo potius non æqualia eſſe demonſtrarem. Nam hoc quaſi exemplum eſt diuinarum contemplationum. Id verò in ſuperficiebus, & aliquantò mirabilius in angulis. Neque enim Euclides, aut Archimedes, aut Apollonius, aut Heber, aut alius quiſpiam, quod ſciam, de talibus ſcripſerunt.

38 Anno verò intermiſſionis libros de Iudiciis Aſtrorum auxi, ſcripſique alios xiij. libros Metopoſcopiæ, cuius operis initium eſt, Corporis totius ſignificationes ex totius etiam habitu dignoſcuntur: magnitudo foliorum clxxx. In primo igitur libro agitur de Phyſiognomia: in ſecundo, de ſignificatis generaliter omnium linearum: in ſequentibus ſeptem libris, De ſignificatione linearum iuxta Planetarum loca, à Saturno incipiendo, & ad Lunam deſcendendo per ordinem: in decimo, de lineis plura loca poſſidentibus: in vndecimo, de linearum mixtione, tum de lineis genuum, brachij, vmbilici, pedum: in duodecimo, de lineis in fronte mulierum: in tertiodecimo de næuis & ſignis aliis. Fuit hoc opus totū noſtræ inuentionis, præter primum librum, obſeruationes tamen ab aliis ſumptæ, & congruentes. Docent autem ſolo aſpectu hominum vitam, naturam, mores, ſortunámque agnoſcere libri hi. Nec quiſquam alius quòd id faciat, animaduertere poteſt. Nam lineæ ac ſigna illa non in manibus, ſed fronte, quæ omnibus patet, obſeruantur. Non paruum eſt omnino opus, cum vniuerſam artem amplectatur, atque eò maius, quòd ferme octingentis figuris illuſtretur.

39 Eodem tempore cœpi librum experimentorum, colligens quæ aliàs ſcripſeram, quem perpetuò auxi, continet nunc folia ccx. initium cuius eſt, Omnis qui gloriam ex Medica arte conſequi deſiderat. Doceo quibus modis ſanauerim ſyderatos, arthriticos, vrinæ profluuio tabeſcentes, ægrè ſpirantes, hæmoproicos, vlcera praua, peſtem, quartanas, melancholicos, comitiales. Peculiaria & propria medicamenta, & quæ regioni, & ætati noſtræ congruerent, deſcripſi.

40 Eodem quoque anno condidi libros quinque Muſicæ, quorum initium eſt, Muſicam neque ab antiquitate: magnitudo foliorum clxx. In primo libro agitur de generalibus artis regulis atque principiis: in ſecundo, de antiqua Muſica, vbi de rythmis, carminibus, choris, ſaltationibus: in tertio, de Muſica noſtra: in quarto, de modo componendi cantilenas, & dicitur Contrapunctus: in quinto de ſtructura & vſu inſtrumentorum. Satis eſt in his libris nouarum conſonantiarum ſcientiam me tradidiſſe. Hiſtoriam quoque rituum, &

rythmorum,

rythmorum, antiquarúmque modulationum, tum instrumentorum Musicorum compositionem omnem: vocúmque in eis quarundam nondum cognitarum inuentionem.

41 Contigit autem per eadem tempora res mira admodum, & singularis exempli, cuius in Libris de Subtilitate memini, atque eo somnio xxj. libros eius argumenti scripsi, qui sæpius editi sunt. Est autem foliorum cclxxx. Initium operis est, Propositum nostri negotij est de subtilitate tractare. Librorum series hæc est.

Tabula librorum de Subtilitate.

Primus, de principiis naturalibus, materia, forma, vacuo, loco, corporum repugnantia, motu.
Secundus, de elementis.
Tertius, de cælo.
Quartus, de luce & lumine.
Quintus, de metallicis.
Sextus, de metallis.
Septimus, de lapidibus.
Octauus, de plantis.
Nonus, de animalibus quæ putredine generantur.
Decimus, de animalibus quæ ex semine proueniunt.
Vndecimus, de forma, & necessitate hominis.
Duodecimus, de illius temperamento.
Tertiusdecimus, de sensibilibus, & voluptate.
Quartusdecimus, de anima, & mente.
Quintusdecimus, de inutilibus subtilitatibus.
Decimussextus, de scientiis.
Decimusseptimus, de artibus.
Decimusoctauus, de mirabilibus, & spectris
Decimusnonus, de dæmonibus.
Vigesimus, de intelligentiis.
Vigesimusprimus de Deo, & vniuerso, atque ibi etiam de tonitru grandine, pluuia, & similibus.

Conscripsi primò vnico folio, inde quatuor, pòst septem, inde auxi ad quinquaginta, & octuaginta demum cum editus est, nunc verò ad clx. integra folia peruenit. Vbi primùm excussus est Nurimbergæ (nam & Lutetiæ, & Lugduni, & Basileæ) cessauit somnium illud, nisi quòd dum in Scotia essem ea nocte, quæ præcessit cognitionem libri Micropresbyticom, cuius lectione maximè delector, tale quippiam, quod me iucunditate perfunderet, visus sum præ manibus habere. Itaque libri bi de omnibus generaliter tractant seu naturalibus, seu etiam artificiosis rebus, aut his quæ supra fidem esse videntur. Exempla quoque & rationes, non omnium quidem, sed duntaxat rariorum rerum, atque effectuum, adieci. Docui autem præcipuè causas eorum, quæ in superiore parte orbis fiunt, elementa tantum tria, qualitates verò tantum duas esse, humidorum species, ac naturam tam aptè distinxi, vt nunc primum intellecta ea ratio dici possit. Ventorum causas etiam aperui, rerúmque maximarum tum artificia mirabilia ac spectra in abditis semper non tritis rebus versatus. Quod si quid vulgatum sit, ideò admirabilius, cum in rebus adeò manifestis quantum lateat occulti, & ad altiores res exempli, intelligis: nota tamen hi libri amplectuntur, vt dubia libri de Fato, & abdita omnino libri de Arcanis æternitatis. Tametsi enim libri de Subtilitate de abditis sint, ad illorum tameo causam experimento ac sensibili ratione ac quasi, vt ita dicam, per manus peruenire licet. Non ita io aliis quæ in libris de Fato, & de Arcanis æternitatis tractantur. Præterea hi successiones rerum humanarum continent, à quibus libri de Subtilitate, vt de naturalibus tantùm tractantes, abstinent. Qua de causa & de legibus, & de moribus quodammodo tractant, quodammodo non. Adieci autem demonstrationes: nec ad singularia, nisi exempli loco declaranda, perueni, quòd hoc in libris de Rerum varietate perficere destinassem, sed sine demonstratione. Itaque hi libri & quid tractent, licet pauca tantum de multis loco exempli adduxerim, & io quibus à cæteris Philosophiæ nostris libris differant, edocuimus, ne quis titulis tantùm librorum ex hoc opere inspectis, quædam repetita existimet, quòd similes tractationes contineri videatur.

Cæterum, vt ad ordinem redeam, sequenti anno Genuam inuisi, & ne nihil in via conscriberem, cœpi quatuor libros, De tuenda sanitate. In quorum primo agitur de his quæ ad sanos pertinent vsque ad iuuentutem: In secundo, de senibus: In tertio, de morbosis corporibus: In quarto de his qui alicui muneri addicti sunt, magnitudo operis folior. ccxxiv. initium, Asclepiadem si quem alium mortalé. Plura sunt in his libris quæ Galenus aut non attigit, aut saltem ab eo edita non extant, velut ratio coctionis in ventriculo, quies senibus vtilissima, aquæ cælestes quas vocant Elyxir, & aurum potabile. Regimen iter agentium, & eorum qui magnis incommodis subiacent, humidorum discrimina ex libris de Subtilitate sumpta, præparationes, quoque ciborum, quas & si Galenus tradiderit, liber tamen eius non extat. Omisit etiam Galenus dicere quid tempus in alimentis faciat. Nec si quis libros de Tuenda Sanitate, de cibis boni & mali succi, & de attenuante victu in vnum iungat, opus simile nostro (absit iactantia dicto) facilè efficiat: non solum quòd plura nos attigerimus, sed quòd quibusdam in partibus aliis principiis innitar. 42

Reuersus ex Genua scripsi folia quatuordecim operis de præceptis ad filios: cuius est initium, Cum multi, ô filij, existimauerint. Hæc omnem sapientiæ rationem continent breuiter traditam, atque explicatam; neque enim exemplis, aut ratione, sed simplici admonitione indigent pueri. Docent autem & quibus modis patresfamiliâs domesticos continere atque instruere debeant. 43

Anno xlix. ætatis meæ conscripsi libros decem problematum, quorum initium est, Cur Luna magis de nocte lucet quàm de die. Foliorum est hoc opus lxx. In primo libro de inanimatis agitur: In secundo, de animatis: In tertio, de moribus. In quarto, de legibus generaliter: In quinto, de lege Christi: In sexto, de lege Iudæorum: In septimo de legibus Mahumeti, & Idolorum: In octauo, de Repub. In nono, de successibus: In decimo de flagitiis. Soluuntur autem problemata omnia quadrifariam, Theologicè, Astronomicè, Naturaliter & iuxta Philosophorum Peripateticorum, Epicureorúmque sententiam, qui calidè 44

lidè omnia tractant. Propterea hi libri res variį argumenti continent.

45 Alium quoque librum materna lingua scripsi foliorum clx. cuius titulus est, Technarum calidarum seu De le Burle calde: Initium, Fu nela inclita città di Pauia. Harum & fabularum vnum & idem videtur esse propositum, scilicet delectare docendo, vt illud Horatianum communiter eis conuenire videatur:

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Veruntamen magnum discrimen est inter fabulas ac technas. Nam technæ historia constant, & amicè instruunt, & prudentibus conueniunt, & virum quantumcunque grauem delectare possunt: at fabulæ simpliciter docent, & pueris aut calumniantibus scriptæ videntur, his quidem, vt respondeamus moderatius: illis, vt aptius moneantur.

Sequenti anno contigit res rara, laborabat iam decennio illustrissimus vir Ioānes Amulthon, patria Scotus, Archiepiscopus Ecclesiæ B. Andreæ, grauissima spirandi difficultate, quæ illum fermè singulis decem diebus inuadebat: cúmque omnia tentassent frustra Medici, sui & affinis cuiusdam, vt audiui, consilio scripsit ad me, rogans vt ad illum curandum Lutetiam, aut saltem Lugdunum me conferrem, acciperem quantum vellem pecuniarum. Non leuem mihi futuram gloriam, ipsum venturum Lutetiam aut, si oporteret etiam Lugdunum. Ego, qui altàs Gallias insistere vel nullo compendio destinaueram, occasionem arripui, confisúsque fœlicitati meæ in arte, confero me Lugdunum, neminem inuenio: tandem post xlvj. dies, ni fallor, aduenit medicus suus Gulielmus Casanatus vir egregius, non iam Lutetiam, sed in Scotiam vsque deducturus: teluctor, tandem precibus victus, deducit in Scotiam. Sed dum itineri accingimur, atque in ipsa reluctatione plurimi petiete dies. Vltima, qua discessum parabamus, venit Ludimagister quidam ad me, consilium petit pro morbo grauido, offert pecunias: renuo: dicit se posse puerum ostendere qui dæmonas in vrceo videat, accedo: inuenio nugas, esse inter hæc loquimur de Orontij speculo ignem accedente, quod Archimedis inuentum esse sciebam: ostendit librum Archimedis impressum, quem Antonius Gogaua verterat in latinum. Tum ego librum inspiciens video alium sibi iunctum, scilicet Ptolemæi libros de Iudiciis, peto an venales sint, ille cogit vt accipiam, accepi tandem, dies enim festus erat vt emere non liceret, quo pacto igitur commentaria illa à me conscripta sint, in ipsismet retulisse me me-
46 mini. Scripsi igitur foliis ccc. atque amplius nec minus fœlix in edendo quam scribendo. Et quamquam semel tantum editum, nullum tamen perfectius ex nostris operibus hoc in lucem prodiit. Initium cuius est, Libros hos antiquorum more de iudiciis. Additæ sunt præterea xij. genituræ exemplares. Et inter reliqua singularia præstat Christi genesis admirabilis. Quatuor libros hoc opus continet: in quo obscurissimum auctorem interpretatus sum, & totam artem complexus generaliter, nam singularia & propria ad libros de Iudiciis, de quibus supra dictū est, transtulimus.

Paulò post perfeci libros xvij. de Rerum varietate, quos iampridem inchoaueram. Sed 47
tres tantùm erant. Visum autem est commodius vt in xvij. illud opus diuiderem. Hoc fuit quod Regi Angliæ Edoardo sexto admodum adolescenti, dum redirem è Scotia, ostendi. Folia ccl x. continet. porrò de vsu eius satis dictum est superius. Præcipua est tractatio de ventis, de piscibus, de dæmonibus, ac prodigiis. Sed libet tabulam subiicere, quoniam hic liber etiam diuisus est in multa capita, & quasi totus continuus miro quodam ordine esse videtur.

TABVLA LIBRORVM de varietate Rerum.

32 Quadrupedum

32 Quadrupedum cura.
33 Quadrupedum proprietates.
34 Aues.
35 Auium cura.
36 Auium proprietates.
37 Pisces varij generis.
38 Piscium cura & proprietates.
39 Producta ab animalibus.

Liber octauus, de Homine.

40 Humana natura.
41 Sensus.
42 Mens.
43 Homines proprietates.
44 Morbi mirabiles, curæque superstitiosæ.
45 Communes calamitates.
46 Humanarum rerum finis.

Liber nonus, de Motibus.

47 Motuum generalis ratio.
48 Perenoia.

Liber decimus, de Ignis artificiis.

49 Ignis vires, & alimenta.
50 Destillationes.
51 Chymica.
52 Vitri artificia.

Liber vndecimus, de Artificiis cõmunibus.

53 Artes variæ
54 Naoigandi ars.
55 Architectura.
56 Instrumenta, & vasa.
57 Compositiones pulchræ.

Liber duodecimus, de Artificiis subtilioribus.

58 Artificia mirabilia.
59 Ephemeridum compositio.
60 Chorographicæ descriptiones.
61 Occultatio.
62 Actiones mirabiles.

Liber decimustertius, de Artificiis humilioribus.

63 Experimenta minima.
64 Scribendi instrumenta.
65 Inci seu decoratio.
66 Deliciæ.
67 Colorum, odorum, saporúmque materia.

Liber decimusquartus, de Diuinatione occultiore

68 Diuinatio an sit, & an in omnibus.
69 Ignea ostenta.
70 Aëris ostenta.
71 Aquæ ostenta.
72 Terræ ostenta.
73 Plantarum ostenta.
74 Animalium agrestiom ostenta.
75 Animalium domesticorum ostenta.
76 Hominum ostenta.
77 Partuum ostenta.

Liber decimusquintus, de Diuinatione artificiosa.

78 Præsagia per singula genera rerum.
79 Chiromanticæ obseruationes.

Tom. I.

80 Striges, seu lamiæ, & fascinationes.
81 Miracula.
82 Auspicia.
83 Aruspicia.
84 Soni ac voces præter naturam.
85 Vocum varia ratio.
86 Visus falsa causa, & spectra.
87 Mentis præsagia, & oracula.
88 Præsagia tempestatum.

Liber decimussextus, De rebus præter naturam admirandis.

89 Sigilla.
90 Magia naturalis.
91 Magia Artesij.
92 Præcantationes.
93 Dæmones, & mortui.

Liber decimusseptimus, de rebus dignis.

94 Gentium ritus.
95 Linguarum varietas.
96 Vrbes resque aliæ insignes.
97 Thesauri.
98 Bibliothecæ, & libri, ac vana vetustæ magnificentiæ exempla.
99 Resolutio à fine vnde vsus inuentorum.
100 Causa scribendi hos libros.

Cum verò rediissem in patriam, libros de Subtilitate & de Rerum Varietate, Commentariáque emendaui. 48

Sequenti anno Fabularum duos libros succissimis horis conscripsi. Fabulæ penè trecentæ: magnitudo operis folia lx. initium eius, Fabularum quidem originem. Puerulis hæ scriptæ sunt, & etiam viris, vt tamen opportunè eis vti discant.

Sub initio præsentis anni M.D.lv. conscripsi librum de aquæ vtilitatibus, quem iam scribere destinaueram, cuius initium est, Aquarum oaturam ac genera: magnitudo foliorum xij. in quo doceo omnes morbos sola aqua, velut efficacissimo auxilio, sanare. 49

Cum verò nuper ægrotarem, Dialogum scripsi, cuius titulus est, ἀλήθεια, seu De dedicatione, foliorum xl. initium eius est, Cum te, ô veritas. In quo doceo quàm ingrati sint potentes nunc erga eruditos: quódque idem sit esse fœlicem, probum, & eruditum. Quænam etiam sit ab obitu fœlicitas nostra, quæ vita, ac conuersatio, multáque alia præclara. Hoc verò anno M. D. lvii. duo admirabilia opera conscripsi, vnum quod Ars curãdi parua inscribitur, quatuordecim foliis artem totam Medicam ita apte complectentem vt neque ea pars desit quæ ad manuum operationem pertinet: Chirurgiam nomine Græco appellamus, & diffusè satis, cuius initium est: Corpus nostrum Hippocrate teste. Id eo consilio effecimus vt & ad exercitationem promptissimè haberem signa & causas paratáque auxilia præcipua quæque. Et ad disputandum rationes, inuentionum modos & auctoritates. Res sanè dictu incredibilis, nisi modum quo id fieri in vnaquaque arte posset, in libris de Subtilitate nuper adiecissemus. Alterũ de vrinis, quod in quatuor libros diuiditur: magnitudo fol. cxx. Initium: Cũ præcipuarum trium: docemus id primo genera & causas vrinarum, in secũdo verò significata ex causis per se deprompta. In tertio significata ex morborũ qualitate. In quarto compsitarum 50

 specierum

ſpecierum indicia, tum ea quæ non adeò ad artem ipſam pertinent, necnon quæ ſupra fidem ex hac cognitione habentur. Tota tractatio demonſtratiua eſt, noua nec à quoquam medico alio ſcripta, cum alia principia habuerimus. Eouſque autem proceſſimus, vt ex hac ſola cognitione doceamus morbos, tempora, exitus, ad miraculum vſque præcognoſcere, vt vel hoc ſolo acerbiſſimum genus hominum deuinctum ſaltem in poſterum habeam: nam artem paruam edere minimè propoſui.

Hæc itaque ſunt opera à me ad hanc vſque diem conſcripta perfectáque, licet, vt dixi, plurima exciderint. Præter hæc autem innumera alia adortus ſum, quæ tamen non perfeci: velut librum de facile parabilibus, vitam Galeni, librum de ſupernis, de quatuor linguis, de inſtrumentis Zelandinis, de purgatione, de vita Chriſti, de morte, Epiſtolæ cæleſtes, Grammatica Græca, Commentaria in ſeptimum Collectaneorum. Multa præterea quæ nunc adhuc extant, è quorum numero ſunt duo conſilia de ſpirandi difficultate ſupra c. folia continentia. Multa etiam alia conſilia ſcripta in Italia, Gallia, aliiſq; regionibus, Encomia Podagræ, Neronis, Medicinæ ac Geometriæ, Orationes plus minus xx. in laudem eorum qui lauream ſuſceperunt. Epiſtolæ familiares, atque inter has, conſolatoria ad Franciſcum Gadium, qui ex maximo ſtatu inter ſacerdotes, quos Canonicos vocant, B. Auguſtini, in carcerem coniectus miſerè vitam ibi finiuit. Epiſtolæ etiam nuncupatoriæ de præſtantia ſcientiarum, vita ſtudioſorum, laude librorum, atque dignitate diſciplinarum. Actio in Theſſalonicum Medicum prima; cuius initium eſt: Laudo prudens conſilium tuum. Oratio in laudem Collegij Mediolanenſis: cuius initium eſt: Cùm in omni. Hæ ambæ foliorum ſunt xxx. Tituli librorum claſſicorum auctorum pars libri ſecretorum. Ars magna alia in Arithmetica. Farrago ſeptem librorum aliorum contradicentium Medicorum. Farrago alia magna omnis generis. Declaratio magnitudinis Arcæ Noæ. Conſilium an nocte homo hominem viſu dignoſcere poſſit, quod etiam impreſſum eſt. Quod verò omnibus maius eſt nullus liber minus quàm ter ſcriptus eſt, cum aliqui etiam decies, plerique quinquies, vt Ars magna, libri de Subtilitate, ſed nullus maior labor quàm libri de Rerum Varietate, quem cum ſæpius mutaſſem, demum traductis quibuſcunque inſignioribus rebus in libros de Subtilitate, ita illum exhauſi, vt totus denuo conſcribendus fuerit, atque ex integro reſtituendus. Videtur autem mihi hæc multitudo varietáſque librorum ſomnio quodam vſque ab initio, ſcilicet dum librum de Aſtrorum iudiciis inchoaſſem, paulóque poſtquam aliud ſomnium videram quod me ad ſcribendum audendúmque impulerat, demonſtrata. Quadam enim nocte corpore exutus in cælo Lunæ cum patris anima eſſe videbar, ſed cum illam non viderem, dixit, ecce ego tibi ſocius datus ſum. Dum ego multa percũctari ab illo cœpi, ad quæ reſpondens inter reliqua me monuit vbinam eſſem, & quòd poſt vij. annorum millia in Mercurij cælum eſſem aſcenſurus. Inde poſt totidem annos in Veneris, ac deinde Solis, donec ad Paradiſum, qui in mundi ſummo eſt, accederem. Hæc ego cum voluptate audiebam. Vanum ſomnium exiſtimare poteram, ni tot poſtmodum ſcripſiſſem quæ Planetarum ſignificatis congruere videntur, vt omnia quæ ad ſomnij interpretationem pertinent, complexus videar. Nam Paradiſus libros de Arcanis æternitatis ſignificare poteſt. Multitudo ſtellarum quæ in octauo orbe eſt, Libros de Rerum Varietate, & Subtilitate: Solis orbis, Medicæ artis libros: ab Apolline enim ars ea originem ſumpſit. Arithmetica Mercurio Geometriæque, iocoſàque Veneri, Moralia Ioui: Somniorum interpretatio Saturno & Lunæ, velut & reliqua quæ ad diuinationem pertinent. De ludis libri ad Martem. Sed iam tabulam librorum generalem ſubiiciamus.

TABVLA GENERALIS omnium librorum.

1 De locorum diſtantia. lib. j.
2 De immortalite hominis. lib. j.
3 Commentaria poſteriorum. lib. j. fo. 50.
4 Contradictiones Logicæ. lib. j. fo. 10.
5 De Ludis. lib. iv.
6 De morbis compoſitis. lib. j.
7 Epidemia. lib. j. fo. 36.
8 De peſte. lib. j.
9 De pituita. lib. j.
10 De Venenis. lib. j.
11 De Chiromantia. lib. j.
12 De Fato. lib. iv.
13 De Iudiciis Aſtrorum. lib. x.
14 Elementorum Geometricorum. lib. xv.
15 Arithmeticæ praxis. lib. j.
16 Commentariorum in librum de Sphæra. lib. j. fo. 40.
17 Commentariorum in Vitruuium. libr. ij. fol. 30.
18 Commentariorum in Geographiam. lib. j. fol. 20.
19 De Circulis Sphæricis & vmbris. liber. j. fol. 8.
20 De malo medendi vſu. lib. j.
21 De vſu ſimplicium Medicamentorũ. lib. j.
22 Floridorum. lib. j.
23 De Medicamentis ſimplicibus. lib. j.
24 De Indico morbo. lib. viij.
25 De Somniis. lib. x.
26 Arithmetica magna. lib. xiv.
27 Arithmantia. lib. j.
28 De Conſolatione. lib iij.
29 De Æternitatis arcanis. lib. vij.
30 De ſapientia. lib. v.
31 De Animi immortalitate. lib. j.
32 Contradicentium Medicorum. lib. v.
33 De libris propriis. lib. j.
34 Commentariorũ in Aphoriſmos. lib. xiv.
35 Commentariorum in artem Medicam. lib. j.
36 Commentariorum in primam Auicen. liber. j.
37 De circulis. lib. ij.
38 De Metopoſcopia. lib. xiij.
39 Experimentorum. lib. j.
40 Muſicæ. lib. v.
41 De Subtilitate. lib. xxj.
42 De tuenda ſanitate. lib. iv.

43 De

43 De præceptis ad filios. lib.j.
44 Problematum. lib.x.
45 Technarum calidarum. lib.j.
46 Commentariorum in Ptolemæum. lib.iv.
47 De Varietate Rerum. lib.xvij.
48 Fabularum. lib.ij.
49 De aquæ vsu. lib.j.
50 Ἀλήθεια, seu de dedicatione dialogus. lib. j.
51 Ars medendi parua. lib.j.
52 De Vrinis. lib.iv.

Horum qui supersunt digestio à me in classes facta est: nam plures exciderunt, nec tam exciderunt quàm in alios libros traducti sunt. Librum enim de locorum distantia, licet perierit, ante restitutum tamen in duodecimum librum de Rerum Varietate transtulimus. Dialecticæ commentaria, in contradictiones non maiore, sed meliore parte. Canonum Medicinæ in librum de morbis compositis. De peste, & pituita, & re venerea, in libros de tuenda sanitate primum, secundum, & quartum. Chiromantiam in decimumquintum librum de Varietate. Commentaria in Auerroem, in libros contradicentium Medicorum. Arithmeticæ Praxim, in opus perfectum. Commentaria in Vitruuium, in Ptolemæi Geographiam, in Spæræ librum, librum de supernis, vsum libri de circulis meliore, non maiore parte in libros de Rerum Varietate. Epidemia, orationes, encomia, consilia de Medicamentis simplicibus, Tituli librorum classicorum virorum, Epistolæ familiares, & nuncupatoriæ, consilium de nocturna luce, expositio arcæ Noæ adhuc extant. Absumpsi tanquam inutilia Arithmantiam, librum de paranda immortalitate, & Epistolas cælestes, Quæstiones in Biblia. Vt nostrorum laborum minima pars certè perierit. Nam libri de quatuor linguis, & consolatorius amantium, de vita Christi, de vita Galeni, de morte, Grammatica Græca, potius inchoati & farrago præparata quàm conscripti. Sicut & liber de facilè parabilibus, & quædam alia. Sed iam tempus est, vt quod propositum est absoluamus.

TABVLA LIBRORVM, qui editione digni à me iudicati sunt.

In quinque classes digestorum.

PRIMA CLASSIS. MATHEMATICORVM.

1 Elementorum Geometricorum. libr. x. fol. 150.
2 De circulis. lib.ij.fol.24.
3 Operis perfecti. lib.xiv.fol.320.
4 Musicæ. lib.v.fo.170.
5 De iudiciis Astrorum. lib.x.fo.200.
6 Commentaria in Ptolemæum. libr. iv. fol.250.

Secunda classis naturalium.

7 De Arcanis æternitatis. lib.vij.fo.160.
8 De Fato. lib.iv.fo.120.
9 De animi immortalitate. lib.j.fo.60.
10 De Subtilitate. lib.xxj.fo.280.
11 De Varietate Rerum. lib.xvij.fol.260.

Tertia classis moralium.

12 De Sapientia. lib.v.fo.70.
13 Præcepta ad filios. lib.j.fo.14.
14 De Consolatione. lib.iv.fo.26.
15 Ἀλήθεια. lib.j.fo.40.
16 Tabularum. lib.ij.fo.60.
17 Technarum calidarum lib.j.fo.140.

Quarta classis Medicinæ.

18 Commentariorum in primam Auicen. lib.j. fo.150.
19 Commentariorum in artem Medicam. lib.j. fo.163.
20 Commentariorum in Aphor. libri xiv. fol.400.
21 Floridorum. lib.j.fo.100.
22 De Sanitate tuenda. lib. iv.fo.224.
23 De aquæ vsu. lib.j.fo.12.
24 De experimentis. lib.j.fo.210.
25 De morbis compositis. lib.j.fo.100.
26 De morbo Iodico. lib.viij.fo.220.
27 De malo medendi vsu. lib.j.fo.16.
28 Quòd nullum simplex Medicam. libr. j. fol.16.
29 Contradicentium Medicorum. libr. v. fol.400.
30 Ars Medica parua. lib.i.fo.14.
31 De Vrinis. lib.iv.fo.120.

Quinta classis extra ordinem.

32 Metoposcopiæ. lib.xiij.fo.180.
33 Somniorum. lib.x.fo.360.
34 Problematum. lib.x.fo.70.
35 De ludis. lib.iv.fo.200.
36 De libris propriis. lib.j.fo.30.

Ex his autem atque etiam aliis in lucem prodiere ad hanc vsque diem hi solum.

1 De Sapientia. Nur.lib.v.fo.70.
2 De consolatione. Nur.lib.iij.fo.36.
3 De Subtilitate. Bas.lib.xxj.fo.280.
4 De Varietate Rerum. Bas.lib.xvij.fo.260.
5 De animi Immortalitate. Lug. libr. j. fol. 60.
6 Contradicentium Medicorum. Lug.lib.ij. fol.150.
7 De libris propriis. Lug.lib.1.fo.30.
8 De Iudiciis Astrorum. Nur.lib.x.fo.140.
9 Commentariorum in Ptolemæum Lug.lib. iv. fo.250.
10 Arithmeticæ Praxis. Mediol. libr. j. fol. 120.
11 Ars magna. Nur.lib.j.fo.83.
12 De Malo medendi vsu. Ven.lib.j. fo.16.
13 Quod nullum simplex Med. Ven. libr. j. fol. 16.

Collectus igitur numerus librorum, qui editi sunt aut editioni parati, cxc. foliorum autem V.M. Hucusque igitur nomina, magnitudines, tractationem, vsum, præcipuáque librorum conscripsimus, ordinem quoque. Nam eo ordine legendi sunt quo etiam in classes fuere dispositi. Obiicient quidam arguéntque me, quòd cum minimam partem librorũ propositorum ediderim hunc librum tot pollicentem iam edam: quem post omnes editos aut saltem maiorem partem præstabat publicare: nam facile cuique est scribere se multos libros

composuisse, titulósque eorum, ac etiam capitum publicasse. Vt vanitatis cuiusdam hoc exemplum potius quam emeritæ laudis dici possit. Atque ita esset si non plus laboris ac temporis in libris de Sobtilitate & de Rerum varietate quàm in omnibus aliis simul insumptum esset. Itaque non nisi editis libris de Rerum Varietate hunc in publicum emisi. Sciens ad reliquorum absolutionem vix tres menses requiri, ita vt castigati omnes intra quadriennium ad summũ in publicum prodire possint. Itaque hactenus de his satis. Nunc verò cur scribendi munus hoc aggressus sim, nec temerè, exponam. Primum quidem numinis impulsu, deinde etiam ipsa rei præstantia, quæ me ad hoc inuitabat, demum quod nihilo ditior aliud faciens euadere potuissem nec fœlicius viuere. Præsentiam quidem numinis mihi affuisse non dicam, sed tamen haud absurdè forsan id mihi persuasi: quandoquidem primum monitus toties per somnium multa peregi multáque declinaui, quæ si euenissent, non hucusque peruenire potuissem. Quin etiam quasi coactus & ab aliis negotiis reuocatus sum ad studia. Neque ioter tot oppugnationes aut victum, aut oppressum, vel impeditum, in tantáque paupertate nihil omnino defuisse maius mihi videtor, quàm vt sapientiæ meæ tribuam. Sed hæc minora sunt quàm vt forsan numinis vim attestentur: at toties seruatum diuina ope à peste, ab inimicis, à desperata intercute in infantia, nunquam cædi interfuisse, aut vbi quis vulneraretur, quamuis etiam accurrerem, imo nec in venatione, res mihi magna videtur. Denique natum hac ætate florida, tot mira occurrisse, non sine numine credam. Quod si quis adiiciat admonitionem patris per somnum, qua ad studia literarum excitabatur, profectò res mira videri possit hunc casum, si modo casus est, tot attulisse, támque constanter præter opinionem. Sed iam ad alia transeamus, quilibet de hoc sibi, quod velit, statuat, ego, quid credam, habeo; tum præsertim cum oon monitus sim tantum, sed multa etiam edoctus fuerim per somnum, de quibus necdum cogitaueram.

Sed & si numen omne abesset, quod tamen noo tam absque ingratitudinis vitio admittere possum, quàm absque iactantiæ suspicione negare, cum quilibet nouerit, qui ea quæ de Arcanis æternitatis legerit atque in eis fuerit exercitatus, esse verissima, nibilominus vel sponte hoc vitæ genus eligendo præstantissimum elegisse videor. Vt enim de Anaxagora ad Eudemum scripsit Aristoteles, interrogatus ille quinam fœlix esset? Respondit nullum eorũm quos existimas, sed qui à fœlicitate alienissimus tibi videatur, animaduerterat enim neminem nisi magnum, aut pulchrum, aut diuitem, fœlicis appellatione dignum illi censeri, cum contrà sibi fœlices beatíque haberentur, qui iustis honestisque actionibus tranquillè incumberent, diuináque aliqua cootẽplatione participarent. Neque id congruere mibi quod ex Aristotele vulgatum est, existimauerim: scilicet quòd pauperes diuitias, diuites sapientiam quærant. Etenim quamuis de numine, somniis, atque impulsu excusari possem, ostensurum tamen spero, etiam si proponatur bonorum finis ipsa voluptas iuxta Epicurum, optimum vitæ genus me mihi elegisse. Atque id tam apertè facere posse confido, vt nemo adeò sit huic causæ infensus, quem non in meam sententiam traham. Id verò commodius facturus sum si vtilitates scribentium aliquod dignom nonnunquam iouentum mortalibus edocoero. Itaque primom ab exemplis clarissimorum virorum iudicium sumendum reor, qui cùm tot laboribus ac difficultatibus huic muneri addicti sunt. Quis enim Platone sapientior? Aristotele prudentior? Theophrasto doctior? Hippocrate graoior? Galeno acutior? Cicerone facundior? Cæsare Dictatore potentior? Hieronymo sanctior? Antisthene pauperior? Zenone melior? Cleanthe ærumnosior? Plinio impeditior? Sylla deterior aut imperitior? & tamen omnes conati sunt imaginem suæ mentis posteris scribendo relinquere. Quinimo alij sumptibus suis & industria aliena nomen apud postetos quæsiuerunt: Velut Iustinianus Imperator, Alphonsus Castellæ, vt vocant, Rex, & Constantinus Cæsar, ille leges, hic agriculturæ præcepta, horum medius tabulas Astronomicas reliquit. Ingenui magis hominis fuerat rem vt gesta est, fateri. Memorabile qnoque factum Sostrati Gnidi fuit, qui cum turrim in Pharo Regis oomine exædificasset, exterius quidem obducta calce nomen Regis ioscripsit: marmori autem, Sostratus Dexiphanes Gnidius diis naoigantibus salutiferis. Quod etiam Mausoli Architecti fecisse ferunt. An ergo omnes hi desipuere, qui non solom sapientissimi, sed etiam fœlicissimi fuerunt? at dices, diuites hi erant & potentes, nequaquam. Nam Zeno pauper, Antistheni nihil fuit, Cleaothes verò noctu aquæ hauriẽdæ operam dabat pro hortis irrigsndis, assiduè verò studiis incumbebat, scribebátque de die adeò, vt lx. libros reliquisse feratur. Zenonis verò libri sunt innumerabiles. Sed iam ad rationem accedamus, primum quidem nibil esse delectabilius ipsa sapieutia haud dubium esse debet. Vt tamen euidentius hoc sit, scire oportet omnem iucunditatem esse in voluptate, omnem tristitiam in dolore. Animalia igitur, quòd senso prædita sint, delectationem habent: plantæ autem non habent: aut si habent, exiguam ac quasi insensibilem. Sed cum animalia rationis expertia non cognoscant se affici voluptate, licet afficiantur, eorum longè minor est delectatio: hominibus autem maior, quooiam magis cognoscunt. Quia verò se cognoscere percipiunt, maxima, adeò vt harum fœlicitatum interuallũm pluries belluinam fœlicitatem cootineat. Maximum igitur delectationis fundamentum est cognoscere propriam fœlicitatem. Qui ergo adeò amenres sont, vt non cognoscant infœlicitatem, nec valdè fœlices, aut infœlices esse possunt. Non est tamen fœlicitas humana absoluta quòd sit cum metu doloris, quòd non sit diuturna, qoòd eodem momento non intelligamus & cognoscamus nos intelligere, sed paulo antè vel pòst, quòd discrimen temporis, quamquam exiguum sit admodum, vetat tamen nos omnino esse fœlices, adeò vt conueniant hæc duo tempora in vnum. Ob id igitur homines perfecta fœlicitate non fruuntur, nec cognitio etiam humana est de omnibus, neque omni modo, nec perfecta. Vltimò

non

non efficit ipſas res; intelligentiæ antem abſque metu malorum, & ſemper, cognoſcunt, & dum cognoſcunt ſe cognoſcere, ſimul atque eodem actu intelligunt: hiſque tribus modis ab omnibus differunt, inter ſe autem quoniam plura aut pauciora perfectius aut minus abſolutè cognoſcunt, non tamen faciendo cognoſcunt. Hoc enim Dei proprium eſt, ſunt & alia forſan diſcrimina quæ intellectus meus non aſſequitur. Eſt & aliud maximum indicium quòd humana fœlicitas in operatione conſiſtat, quæ fit ſecundum cognitionem, nam veſperi diem ſequentem auidè expectamus, & ſi ſenes vna die fiamus ſeniores. Annos etiam perſepe cupimus exactos, vt quòd cum ipſorum curſu perfici debere ſperamus, habeamus abſolutum. At mane diei finem non deſideramus, quoniam exacta die nihil ſupereſt quod agamus, conſtat igitur animæ cognoſcentis opus ſummum bonum in ſe continere, & vt Claudianus inquit, Ipſa ſibi virtus pretium eſt. Cum igitur perfectio hominis ſumma ſit, cognoſcere ſe intelligere, qui ſcribunt legenda: hac voluptate fruuntur: eſtque hæc vera mentis æternitas, cùm eadem ſententia perpetuo tempore maneat, & noſtri pars melior. Ob id igitur ſapientes conati ſunt hanc meliorem ſui partem ſcriptis ad nos traducere: atque id eſt commodum primum ſcribentium. Secundum eſt memoriæ ipſius confirmatio. Tertium eſt exercitatio honeſta per quam etiam multa ſcitu digna nobis occurrunt, quæ alioquin incautos præterirent. Galenus verò cum principalem cauſam conſcribendorum operum prætermiſiſſet, honeſtiorem quidem, ſed longè minus efficacem ſubiunxit: ſcilicet preces amicorum quæ tamen nec nobis defuit, nam prædictiones ab Anglis, Mathematica à Germanis, Medica ab Italis poſtulabantur: naturalia verò ab omnibus. Gallis moralia placuere, quæ forſan vſui multis fuerunt. Si Epiſtolas omnes clarorum Virorum, qui vt ederem noſtros labores, ſuadebant, in vnum congeſſiſſem, integra arca contineri non poſſent. Sed pertæſus multitudinis maximam partem earum ignibus tradidi. Verùm ad inſtitutum redeo. maxima voluptas eſt hominibus, cum ſeipſos velut in ſpeculo contemplantur. Nam ſpeculum cum corporis tantùm effigiem referat, magna tamen voluptate nos afficit, tametſi corpus pars nulla ſit noſtri, ſed tanquam vehiculum ſolum. Etenim homo totus verè anima eſt ſcripta, igitur noſtra cum legimus nos ipſos intuemur velut in ſpeculo ipſo. Adde quod effigies corporis ipſo abſente decedit, imago autem animæ manet in libris, etiam ſi homo ipſe non adſit, quare forſan melius libros picturis & ſtatuis compatauetis: quæ tamen præter id quòd, vt dixi, non nos ſed noſtrum operculum repræſentant, nullus etiam Zeuſis, aut Apelles, vel Polycletus tam ad viuum refert imaginem noſtri corporis, vt ſcripta animæ. Diſtant præterea ſcripta à picturis & ſtatuis, quòd in omnium conſpectu ſint: & vt immortale à mortali, nam ſcripta renouantur augéntque auctoritatem, tranſlata imagines amittunt. Atque id etiam ſcitu dignum, ſpeculum hoc mentis cum contenplamur, tam nos, quàm ſpeculum, meliores reddit: corporeum autem ſpeculum & imago non ita. Quãobrem Ouidium non aliud occultaſſe ſub tam pulchra fabella Narciſi ſe ipſum in fonte intuentis reor, quàm vt depingeret ſapientem ſcripta ſua perlegentem; hic enim verè ille puer formoſiſſimus eſt animus noſter ſui imagine captus, ſic enim inquit,

Cunctáque miratur quibus eſt mirabilis ipſe,
Se cupit imprudens: & qui probat ipſe probatur,
Dùmque petit, petitur: paritérque accendit, & ardet.

Quam putas eſſe voluptatem eruditi, cuius ſcripta iam leguntur, & placent: cum cogitat quod in Regum ac Principum cubicula penetrat, in manibus ſapientum ac potentiorum verſatur, diligitur à formoſis; nam & mulieres legunt: alij auro veſtiunt, commendatúrque perennibus Bibliothecis, laudatur in publicis locis, ſuſpicitúrque à tot ſui ſæculi viris? Quod ſi contingat genium adeſſe bona eſſe quæ ſcribuntur, & rectè elaborata, ſubit ſpes tot futurorum ſæculorum quibus perpetuò reuiteſcet: familiámque cum poſteris ac patriam illuſtrabit. Quas opes cum hac vita conferes? cum tot Reges, ne dicam Principes & opulẽtos, temporis diuturnitas obruerit, vt ex decem millibus vix vnus ſuperſit, Cleanthes autem qui dum viueret terram fodiebat, adhuc fama viuat innumeriſque in libris refloreat? Quid dicam de his quorum libri ad nos peruenerut, qualis Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, & abſque numero alij? Sed age ſi quid melius habes his, opes erunt, verum non tam facilè eſt parare opes, quàm nomen, ſi quis à natura ad hoc ſit inſtitutus, ſubiacent hæ fortunæ, & labores inexhauſtos, aut dolos, ſceleratáq; facinora requirunt: maximè his temporibus. Itaque etſi meliores forent, non tamen tam tuta earum acquiſitio eſſet. Prætereà & ſi bene ſuccedat alea, grauis tamen & abſque voluptate eſt acquiſitio: nec licet ſimul acquirere & vti. Verum voluptas hæc ad poſteros transfertur: ſed forſan filiis etiam parum proderunt, cùm tot inſidiæ ob eas illis immineant, hinc affines ex hæreditate aucupium faciunt: diſpenſatores ac domeſtici ſubfurantur, tot lenones, ſycophantæ, inde magiſtratus, & cauſidici, atque aulici, & quãdoque Principes. Ipſi filij opibus inertes facti, nec ſe tueri, quin ſpolientur, poſſunt: nec ſpoliati, quid agãt, habent ocio aſſueti. Deinde, vt de me loquar, ſi opes parandæ, erant, Medica arte nõ aliter parare potuiſſem, at ea, ſi qua alia (gloria, quæ illam comitatur, excepta) tota ſeruilis eſt, plenáque laboribus, incommodis, ſolicitudinibúſque immenſis, ac anxietatibus, &, vt verè fatear, ingenuo viro indigna vt nõ mirer olim ſeruorum fuiſſe hoc exercitium, illud potius malè habet quòd nimis etiam me illi dederim, nanque ad hanc vſque diem ſupra decem millia ægrorum curaui. Neque enim hæc vitæ meæ ratio lucro obfuit; quippe quod ſolicitudini detraxi, auctoritati adieci. Atque vtinam opibus comparandis nõ plus obfuiſſet prodigalitas ipſa, atq; incuria iã partorum, quàm ſtudia literarum & conſcribendorum librorum voluntas. Si enim quantũ auri ex arte accepi, referre vellem, vereor ne maior laude ſit turpitudo, quòd tantũ profuderim. Neq; tamen adeo me piget huius profuſionis & incuriæ contemptúſque pecuniarum,

niarum, cum recordor Bionem Boristhenitem adolescentem hæredem factum ab hero opulentiæ hæreditatis tabulas testamenti lacerasse. Cratem verò Thebanum supra cc. talenta patrimonij diuisisse ciuibus, quod exemplum secutus est, vt ferunt, Apollonius Thyaneus & Peregrinus Philosophus. Sed dices, hi, Philosophi fuerunt, nos de ciuili homine sermonem habemus, constat enim Socratem, & plerosque alios, maximè qui ex eius schola fuerunt, contempsisse diuitias. Sed quid dices de Aristotele, qui ob veritatis studium in Euboeam concessit exul, & magna bonorum parte mulctatus? Quid de Philoxeno Poëta, qui cum nec Philosophus esset, nec satis bonis moribus institutus, vt qui gruis collum optaret, quique obscœne nimis vixit. Cum tamē sortitus in Sicilia domum esset & agros feraces, reliquit ea, dicens, Μὰ τοὺς θεοὺς ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα. Sed adhuc pugnant aliqui, Opes meliores sunt, eruditio & scripta vna hora parari nequeunt, neque vnius anni spacio: opes, Principis gratia, hæreditas, thesaurus detectus, inuentio quæpiam noua, vna hora parari possunt. Opes possum sperare semper & si non habeam, delectet autem me illarum possessio, spes vsque ad extremum lactare potest: At si opes habeam, quomodo sperabo iam senex euadere doctior & conscripturum opera, ni prorsus insaniam? Quamobrem meo iudicio & si numina non suasissent, optimum tamen vitæ genus delegisse, & summum humanæ fælicitatis apicem appetisse mihi viderer, vt in iudicio saltem non aberrauerim: postquam maior fælicitas mortalibus contingere nequit, quam vt scriptis illustribus celeriter atque in omnium ore sint, vt contrà nihil odiosius memoria scelerum & dedecorum. Quod verò ad Aristotelis sententiam attinet, satisfecimus, cum ille tum dandam Philosophiæ operam suadet, cum se ipsum & ancillā alere possit: at ego & filios & equos & anagnostas plures semper alui. At dices, artis auxilio nihil refert, quandoquidem hæc studia ad auctoritatem, reliquáque commoda, quæ ex arte parantur, contulerunt. Denique illud considerandum, quod si vir fortis mortem sponte subire debeat ob voluptatem solum momento temporis ante mortem spe gloriæ consequendam, cur ego hos labores iucundos, háncque peculiolæ iacturam, si qua sit, subire dubito propter voluptatem multò ampliorem, qua iam multis annis fruor, & in posterum fruiturus sum, non iactura vitæ, sed potius augmento, imo ne rei quidem familiaris iam in futurum, & forsan incremento? Constat etenim hac opinione studiorum maximas & raras occasiones splendidáque lucra oblata, quorum quædam recepi, quædam contempsi.

Quin etiam aliàs Regum & Principum locupletissimas conditiones renui: non, vt plerique solent, iam quæsitas, sed sponte oblatas. Existimans longè melius esse liberum viuere atque in patria mediocribus opibus, quā extra patriam & in seruitute opulentum & diuitem. Stultum enim est in tam breui vitæ curriculo mori vt viuas, aliquando infælicem esse, vt sis demum fælix. Multi dum seruierunt mortui sunt: plures eum habitum corporis sibi comparauere, vt in posterum miserrimè semper conflictati sint. Plus etiam est non recipere, cum possis, quam voluisse, & accepisse, in hoc enim omnis ratio dignitatis manet illæsa, atque ideò honestius & honorabilius illud, forsan vtilius. Quærere etiam Principum gratiam his turbulentis temporibus adeò inutile & importunum existimaui, vt oblatam, quod multi sciunt, etiam hodie renuam. Quid enim inter tot bella peccatum, inter tot vectigalia & tributa tantámq; rei pecuniariæ necessitatem sperari facile, aut etiam si offeratur, honestè recipi potest? aut inter tot adulatores qualis virtuti locus, aut qualis gratia studiosis inter imperitos? Mihi sanè satis fælix esse videor, quòd metiar vires meas. Neque Alexandri gloriam, aut Augusti, optem. Nā prudentia est recognoscere vires proprias, suámque conditionem, quamquam multò illi minus fuerint fælices, quam existimentur. Nihil fælicius, nihil beatius studiis sapientiæ, cùm illa nec violenti domini (hi sunt æstuantes cupiditates, & animi perturbationes) nec necessariorum defectus impedierint. Hæc cum mihi studia pepererint longè plus acquisiuisse videor, quam si Lucullianas opes mihi parassem. Quàm dulce est atque iucundum scire quæ ante nos, & quæ supra nos sunt, quæque futura sint cum animus hinc discesserit, neque molesta vita, nec quæ post mortem formidolosa, ipse solus transitus naturæ lege grauis est. Cætera omnia, si sobolem excipias, tam parum mouere debent hominem diuina amplectentem atque in supremo illo mundo tam pulchro omnes curas, omnes mentis actus collocantem, vt facile in Pyrrhonis sententiam deueniam, qui omnia hæc indifferentia appellabat: adeò parum refert quomodo alea mortalium, horum bonorum, gloriæ, diuitiarum, amicorum, voluptatúmque omnium cadat. Gratias tamen Deo ago, qui me penè quadraginta sex perpetuis annis sospitem seruauit, vt commodius sapientiæ studiis indulgere possem: quam occasionem iuui vt nulla fermè hora perierit à reditu in patriam, qui iam annis viginti duobus fuit, Horatianum illud aptè imitatus,

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum totus in illis.

Vt multiplici commodo sic frui contigerit, nam & meditata conscribere potui, & delectatione contemplationis firmam sanitatem in inualido corpore sum consecutus, & duplicem vitam egi: alteram qua anima cum corpore viuit & sensibus: reliquam, qua mens supercœlestia contemplatur. Itaque mihi sanè satis fœlix esse visus sum, tametsi paupertate tanta premerer quandoque, vt emptis libris ne obolus superesset: multique malè dicerent, plures etiam contemnerent, quominus miror Galenum dixisse se fuisse gloriæ contemptorem. Vtque crederem persuaderi possem, si præsentis tantummodo meminisset. Verùm postquàm adiecit, & eius quæ ex conscriptis libris paratur, nescio quorsum retenderint tam immensi conatus atque labores, si gloriæ non cupidus erat. Illud certè contenderim eos qui opum & honorum præsentium adeò sunt studiosi, non solum insanos & malos, sed etiam infœlices esse. Nam & Deum,

fidem,

fidem, pietatem, & honestatem, vitæque quietem, imo vitam ipsam & omnem voluptatis sensum negligere coguntur. Et cum cætera vitia morbique animi finem omnia habeant, sola ambitio & auaritia infinita sunt atque perpetua. Auarus, semper malus, improbi alij quandoque etiam boni sunt. Multū ergo his studiis debere me sentio, quæ à tantis calamitatibus liberarunt. Ergo detractis à luxo & pompa pecuniis, commodis ac necessitati vitæ inseruiui, anagnostasque tres fermè semper alui. Sic io hac tam splendida paupertate quietus viuo.

Quamobrem malè agunt qui me tam imprudenter interpellant absque vtilitate: vt Germani plerique, ac Itali. Nam de Hispanis, ac Gallis, Anglis, Scotis, ac ciuibus meis hac in re conqueri non possum: nec quisquam horum à negotiis absque munere me auertit. At illi, dij boni, ab incognito tanquam familiarissimo gratuitam operam tanquam debitam sine vlla verecundia exigunt. Quasi ego vnus illorum cupiditatibus explendis natus sim: cum tempus ipsum ager meus sit, & totum præmiis, & gloriæ, tum animi relaxationi mancipatum. Itaque desinant in posterum, rogo, mihi negotium facessere. Omnis enim horula prædestinata est. Malignius quidam ciues mei faciunt, qui omnia velut & ius ciuitatis confundentes, conantur infima supremis comparare ac promiscere. Et homines sola garrulitate, dolis, ac patrocinio suo elatos persuasi à quibusdam grammaticulis in mei inuidiam extollere conantur, atque hi meritò illorum imperitia castigati perpetuóque excarnificati iustas malignitatis & stultitiæ pœnas dant. Odi & tertium hominum genus quasi mixtum, quòd verbis quidem me extollunt ac laudant (qui mos nunc vt reliqua flagitia, impudentissimus inualuit) factis autem, re, atque iudicio damnant, quos pestiferos angues esse dixerim. Sed vt ad rem redeam, conatus sum non solum tranquillitate vitæ meæ, sed etiam aliorum, quantum licuit in hac ingenij mei mediocritate, consulere. Ob idque cùm vita nostra beata bonis animi, corporis, ac fortunæ, tum voluptate constet, bonáque animi duplicia, alia quidem virtute & peritia rerum naturalium supernaturaliúmque, alia humanarum meditationum scientia, in omni genere scripsimus, diuisimúsque in classes. Præcipua tamen omnium sunt quæ ad sapientiam pertinent. Nam sicut canis mediocris conditionis elegantissima planta beatior est, & homo mediocris fortunæ cane nobilissimo, & dæmon mediocris status homine beatissimo, ita sapiens mediocri fortuna fœlicior est fortunatissimo cum mediocri mente. Si quis enim beatus est, rex est: at non velles potius esse ceruum aut canem, quàm regem apum? Ita longe præstantior est dæmon vulgaris conditionis opulentissimo quocunque rege. Dæmon est autem quicunque sapiens est cum corpore. Et vt breuiter dicam, ac clarè eloquar non solum quod ego sentio, sed quod verissimum est, & mihi planè perspectum, hæc humana fœlicitas etiam cum sapientia iuncta somnium est: sine autem ea, fabula mera. Sed decipiuntur homines, cum non attingant limites sapientiæ.

Donec enim hærent sensibus, sunt auari, ambitiosique, inde ob id rapaces, perfidique, atque beatos se existimant, non secus ac qui scabie graui tenetur, cum se assatim scalpserit. Ob id ergo non bene iudicant homines de his quæ nesciunt. Optima igitur conditio humana animam habere præstantem, fœcundam, ornatam disciplinis, rebus reconditis instructam. Credendum est autem in hoc his qui vtramque conditionem experti sunt. Nos enim per Deum fortunam nostram exiguam atque in ætate senili cum ditissimo iuuene, sed imperito, non commutaremus. Multò minus Aristotelem, aut Ciceronem, qui hoc apertè negauit se facturum, existimandum est. Minime autem omnium Platonem, aut Socratem, imo nec Epicurum ipsum voluptatis laudatorem. Vt ergo neque equo, neque puero credendum esset præferentibus conditionem suam tanquam fœlicissimam, quòd aliam meliorem non norint: ita neque diuiti, qui sapientiam non norit, sapientibus fœlicitate se præferenti, quòd talem se existimet ab alisque imperitis existimetur. Nam & pueri à pueris, & equi ab equis ea ratione beatiores iudicantur, & si aliter esset, quid prohibet ne nos diis beatiores arbitremur, cùm quanta sit & qualis beatitas illa experimento non assequamur? Voco autem sapientiam eam quæ in libris de Arcanis æternitatis, de Fato, de Anima, de Subtilitate, déque Rerum varietate tradita est. Sed de his in libro de Dedicatione vberios atque plenius dictum est, quamobrem ad alia transeamus.

Interim ergo visum est mihi vt ante iudicium quod de me expectabam, aliqua in publicum darem, non solum ob causas quas superius retuli, & quòd difficile sit admodum mortali non sibi placere, sed vt tempestiuè experirer, quàm grato animo eruditi nostra excepturi essent. Neque hac in parte fortunam meam adeò acerbam expertus sum velut in aliis causis: nam cum primum in publicum prodiere, statim in omnium manibus esse cœperunt: & tot eruditorum testimonio comprobari: vt nesciam an in propriis an in alienis libris nostra magis legantur: & an Galeno, aut Aristoteli, aut Archimedi id sua ætate contigerit, vt viuorum sententiæ in tot aliorum libris insertæ forent. Et quod vix post fata paucis conceditur, mihi vni multò ante à tot illustribus viris datum sit. Vt Laberij sententia illa bellè nobis conueniat, fortuna immoderata in bono atque in malo. Nam neque ego sperare potui, imo ne optare quidem ausus, vt me viuo viri plusquam quinquaginta, quorum maior pars inter classicos numerati potest, in suis libris nostris sententiis nominatim tanquam firmis testimoniis vterentur. Atque eo præsertim hæc maiora videri debent, quòd Galenus, qui nunc tantus habetur, sua ætate contemnebatur: vt ex illius testimonio in libro de ordine propriorum librorum clarè videre licet. Inquit enim ibi: Mihi propositum non fuit vt libri mei quasi per manus ad posteros peruenirent, quando nec hos quos emiseram, iam placere multis viderem. Inde paulò post subiicit: Persuasum mihi est si vel Musæ aliquid conscriberent, non id multò gratius futurum vel indoctissimi viri scriptis.

Quam facilè etiam Galeno fuerit libros ſuos conſcribere, quàm nobis, quilibet intelligit, cùm non aliorum ſententiis nec expetimentis, niſi perquam rarò inniteretur. Sed quicquid in mentem veniebat, propria fretus authoritate, & ſi cum magno indicio, literis mandabat. Vnde tot contradictiones in eius ſcriptis emanarunt;nobis autem illud Iuriſconſultorum maximè conuenit,dicentium, Erubeſcimus,cum ſine lege loquimur. Itaque tamen ob id,tum ob id, tum ob alias cauſas ſuperius enarratas laborioſiſſimo ſcribendi genere vſi ſumus. Nec etiam parum fuit in tot legis diſſidiis magno plauſu ab omnibus exceptos, paſſimque impreſſos:præſertim io tam vario argumenti genere, cum quorundam libri quos etiam ſolos ediderant, ſub cenſura fuerint. Et eò magis cùm illis tot amici eſſent, nobis tot æmuli. Similiter & in grauiſſimo hoc bello liberè, vt ingenuum decet virum, locutum eſſe, nec quemquam offendiſſe, maius eſt, quàm quod ſapientiæ meæ tribuam. Quid dicam de contentione accuſationibuſque mutuis cæterorum, Eraſmi & Budæi, Fucſij & Cornarij, Veſſallij & Syluij, Nizolij & Maioragij: nobis ad hanc vſque diem nihil tale cootigit. Nam & ſi Nicolaus Tartalea libris materna lingua editis nos calumniatur, impudentiæ tamen ac ſtultitiæ ſuæ non aliud teſtimonium quæras, quam ipſos illius libros, in quibus nominatim ſplendidiorem vnumquéque è ciuibus ſuis proſcindit: adeò vt nemo dubitet inſaniſſe hominem aliquo infortunio; imo nec vel vnum accuſat dictum noſtrum, aut ſententiam, ſed ſolum iniurias congeſſit. Scis etiam quomodo publicè victus à Ludouico Ferrario in æde Franciſcanorum palinodiam canere non ſolum ſit coactus, ſed & pollicitus ſcriptis mandare, quod tamen nõ præſtiti; verùm abſtinens à maledictis in poſterum, vt dixi, contra ciues ſuos exarſit. Et tamen ne quis forſan maiora exiſtimet quæ nõ nouit, nõ aliud in tot locis obiicit, quàm quòd regulam vnam Arithmeticæ, licet etiam ſub ſuo nomine, tamen eo inuito, publicauerim. Habes igitur ſummam accuſationis, quam toties repetit, vt ſatis conſtet vel inimiciſſimi iudicio, neque errorem in ſcriptis, neque crimen in vita inueniri potuiſſe; adeò vt niſi notum eſſet quanta contentione id egerit, fictũ à me hoc negocium ad gloriam augendã ſuſpicari quis poſſet. Amatus verò Luſitanus, qui cum nomen prouinciæ pro familia ſuppoſuerit, hominem ignotum ſe planè declarat (credo) vt nomen aliquod compararet, tam obſcitanter me calumniátur, vnóque tantùm loco, vt vel deliraſſe vel ebrium fuiſſe conſtet: cùm ea ſcripſerit imponátque mihi, quæ ego neque ſomniaueram. Eſt ſuus liber impreſſus, eſt noſter De malo medendi vſu. Vt quiſque poſſit verba conferre, ac videre temeritatem, ne dicam, an ſtultitiam: qui hominem accuſat de eo quod nec ille vnquam cogitauit. Itaque non ſolum ob hoc, ſed ob ea quæ de vena aiuga ſcripſit, exiſtimo hominẽ hunc egregiè mentiri, vt in cæteris, quæ ſi vera eſſent, non eſſent contemnenda, velut mendaci viro fides non adhiberi debeat. Nam ſeu prudens mentitur, ſeu non aſſecutus eſt ſenſum, ſeu oſcitanter legendo deceptus eſt in tam clara re, quid ſperandum eſt de aliis? Tertius fuit Rondelletius, vir Gallus: qui nacta occaſione vno ex loco multis modis nos accuſat. Huic ignoſcendum, qui Ariſtotelem & Galenum non vno in loco, vt me, ſed in pluribus ſigillet. Quod conſilium modo verecunde fiat, & non aut contradicendi ſtudio, aut inanis cuiuſdam gloriæ, haud improbo. Sed tam pauci id ingenuẽ faciunt, vt multo paucioribus & merito etiam res hæc bene cedat. Exiſtimãt forſan hac in parte nos imitari, ſed lõgè aberrant plerique, nam nos vt principia rerum ſtatuamus, in vno vel duobus ad contradicendum Ariſtoteli & inuiti deſcendimus: tam firmis verò rationibus, tam claris experimentis, tot etiam conſequentibus, vt non dubitem apud poſteros noſtram hanc opinionẽ, in qua ab Ariſtotele diſſidemus, pluſquã probabilem futuram. Et tamen id tam verecundè, vt nemo nobis, quantumvis addictus Ariſtoteli, poſſit ſuccenſere. Sed, vt dixi, credamus hæc omnia ſyncero animo ab illo facta, vt veritas eluceſceret. Quid cauſæ eſt, vt nos accuſet, vbi literam videt manifeſtè eſſe corruptã, vt ipſemet fatetur? dicta mea quædam repugnantia continent, quomodo igitur in quatuor verſibus, niſi prorſus deſiperem, vult me mihi repugnare? Par igitur erat contextus corruptione cognita ad me ſcribere, non tot ex vno ſibi fingere ſolœciſmos. Quod enim echeneis echineus non eſſet, apertè declarauerant: quódque torpedo à remora differret. Sed vir gloriæ cupidior anſam damnandi arripuit libenter. Verum decebat hominem tam in redarguendo acrem, culpa, vt Cicero inquit, omni carere; cum enim nos tam exiguis in rebus accuſet, & quæ nihil ad noſtrum faciunt inſtitutum, & quæ ſolum ſupremam manum expoſtulabant, quam nuper omnibus noſtris operibus admouimus, cum anteà ob intempeſtiuas quorundam preces nonnulla, vt etiã Ariſtoteli, & Galeno, excidiſſent inemendata: velut & Ciceroni qui prooemium Academicarum quæſtionum libris De gloria præpoſuiſſe ſe imprudenter fatetur, decebat illum ſolum caſtigata emittere. At tantum abeſt vt emendata ipſe in medium protulerit, vt tum præpoſtero iudicio, tum mendaci hiſtoria, tum propriis diſſenſionibus omnem fidem à libris ſuis abrogauerit. Cupiebam ab illo iuuari; nũc quam fidem adhibere poſſum homini in tota tractatione oſcitabundo, leuiaque ſolum ſectanti, & inconſtanti? Quod quidem qui hiſtoriam noſtram de piſcibus in libris de Rerum Varietate traditam leget, & in ſuis editis libris quæret facilè vera eſſe comperiet: nec credo illum mihi iraſci debere, ſed vix edita pro ſuis volet agnoſcere: adeo mẽdis innumeris & intolerabilibus ſcatent. E quibus vnum quod excuſatione omni caret, quodque, quia extra propoſitum eſſet, in eo loco prætermiſi, hîc pro exemplo ſubiicere ſtatui. Inquit enim, Tiburo piſcis eſt, quem ego è vitulorum aliquo genere eſſe puto. Dij boni quid vnquam abſurdius dici potuit? Ita fato quodam natus ſum, vt qui me calumniantur, inſanire videãtur. Quid enim Tiburonicum Vitulo marino idem aut ſimile? Tiburo capite piſcis, vitulus quaſi felis. Tiburo cum branchiis & ſine pedibus, vitulus cum pedibus & ſine branchiis.

Tiburo

Tiburo masculus cum duplici genitali & simplici lingua, vitulus cum vnico membro & duplici lingua, vt autores referunt, sed ego, quanquam in Scotia & tractauerim & dissecuerim & comederim, duplicem illi esse linguam non animaduerti. Tiburo sine vno vel pilo, vitulus totus, vt quadrupes, pilosus. Tiburo velocissimus, vitulus piger admodum. Denique Tiburo membris internis dissimilis vitulo, & illi inimicissimus est. Adeò vt si quis vellet, vt dici solet, ex vngue leonem, æstimationem libri eius ex hoc facere, fabulam potius quàm historiam posset existimare. Sed ego non sic, verum potius illud Horatianum de illo dicam Quandoque bonus dormitat, Homerus. Itaque cum in his libris Grammatici potius, quàm Philosophi vices gerat, contineat se suis limitibus, nec aliorum gloria illum adeo torqueat, vt iracundè scripsisse videatur: non cum iudicio, sed editos libros ad limam & incudem reuocet. Hæc communis vtilitatis causa dicta, non nostra, existimet; quippe quod nos nibil nisi apposita demonstratione protulimus, quam si quis pensitauerit diligenter, vix à nobis dissentire poterit. Ad hoc forsan ille non intelligit; quoniam nõ eodem in loco conclusio & demonstratio cõscribuntur: quod si hæc non assequitur, non pondus sententiarum, non connexum rerum, non succedentia, per quæ res ipsæ comprobãtur, quomodo Galenum, aut Aristotelem, aut classici alicuius viri scripta percipiet? cum sæpius & illi, & nos multò magis conclusiones in præmissis, & præmissas in conclusionibus non explicatas reliquerimus. Par enim hoc est facere vbi connexio sit necessaria ob infinitatem rerum, quæ comprehenduntur, quas explicare penitus fuerit ἀδύνατον, seu impossibile. Quod si in his se cupit exercere, & an vera sint, experiri, legat nostra cõmentaria seu in Ptolemæum, seu in Hippocratem. Nam nullibi melius docebitur, quàm reconditè quámque altè repositæ fuerint sententiæ veterum, cum in illis explicandis neruos omnes intenderimus. Quamquàm forsan par labor in commentariis ipsis planè intelligendis relinquatur. Quam rem viri eruditi intelligentes & quanti sit laboris & artis, plus iam mihi in re literaria tribuerunt, quàm ego exposcere verecundè ausus essem. Etenim cum nostris inuentionibus sensissent se non parum in scribendo iuuari, iuuabunturque Deo dante multò magis in posterum, cum, vt ex ordine editorum librorum liquet, minus vtilia & minus elaborata prius ediderimus, seu dissimulent, seu prætereant, pauci tamen sunt qui non malint in re adeò manifesta potius fateri debere se nobis, quam furti nomine notari.

Sed iam hos criticos viros mittamus, neque enim illis, sed solum veritatis studiosis scribimus, & ad ordinem reuertamur. Propositum enim nobis ab initio fuerat rationem nostri instituti reddere, quod sanè, qui nostra legerint, laudabunt: neque ob id illis scribimus, sed eis tantum qui fructum aliquem gloriæ & diuitiarum ex tantis laboribus reposcunt: tanquàm quæ hic habentur aut haberi possunt, possit & nostra esse: cum tamen non ita sit. Sed postquam exemplis id comprobare conantur, nam Hippocrates Perdicæ Macedonum Regis, Erasistratus Antigoni, Galenus Antonini philosophi & Commodi Imperatorum Medici fuere, Plato à Dionysio, Aristoteles ab Alexandro, Archimedes ab Hierone Principibus quantum voluerunt, accepere: Zeno quamvis aduena opinione philosophiæ apud Athenas statuas & summos honores meruit, & Antigoni Regis familiaritatem, & munera maxima. Respondeo non id mihi licuisse, quòd vitæ genus à studiis non abhorrens solum mihi deligere poteram. Placuit igitur publicum profitendi munus quod non laboriosum & seruile esset, vt exercitatio: nec tam anxium, vt aula. Nam alioquin seruitutis impatiens moribus ipsis ac vitæ integritate, tum scopo mihi præstituto multum ab aulica vita alienus eram, & præsertim quod non in Adrianum, vel Antoninum philosopos, neque Hieronis pacem incideram, aut fœlicitatem Alexandri, aut Perdicæ securitatem, aut Dionysij gloriæ studium, sed in bella & seditiones, ac Principes à Philosophiæ studiis omnino alienos. Sed cum in ipso cursu profitendo satis fœliciter versarer, ita vt mihi omnia ex voto successura viderẽtur, properarémque ad id quod non ego, sed cæteri maximè optare solent, abrupit fortuna iter. Etenim Gallo Rege vrgente commota est Italia, Eluetij, Turcæ: omnibus ergo ad interitũ spectantibus deserui legendi munus, melius esse ratus, quod etiam tutius esset. Nam etsi omnia, vt postmodum cesserunt, prospere euenirent adiecto præter omnem spem Regi nostro Angliæ regno, maximo tamen in periculo versabamur, ne stipendia non numerarentur. Accessit & mors duorum præsidum Senatus, quibus nostra virtus perspecta erat. Verùm id potius Fatis volentibus euenisse, augurio maximo, vt suo loco scripsimus, id ostẽdente, credendum est. Etenim si munus id non deseruissem, nunquam commentaria illa in Ptolemæum conscripsissem (vt lucra, & peregrinationem prætercam, & honores habitos in itinere, tot tantáque visa) quæ mihi cariora sunt quàm vel stipendia annorum decẽ, & si ampla futura essent. Erui præclarissimam artem ex tenebris, & ab iniuria vindicaui. Fieri nunquam potuisset, vt legendo id negocij, aut saltem tam absolutè, expleuissem. Dic mihi, quid perierit è retimo superlucratus etiam sum; at in honore maiore eras ita profectò, si res agerẽtur provt agi deberent. Sed postquã à discipulorũ seruitute & famæ periculo Genius quidam bonus etiam aduersus fauores Principum me vindicauit: adeò vt sine labore sine cura aliqua auditorium nostrum tot eruditi viri frequẽtarent, floretẽtque Academia nostra, satis esse duxi ad gloriæ apicem peruenisse. Cum enim eò peruenerit si quis se abdicet, Quintilianus docet id summa cum laude fieri.

Iam verò expleueram ea quorum gratia me in Academiam contuleram, scilicet exercitationem docendi disputandique: vt quæ quasi in vmbra conceperam, palam excutienda proponerem, filium ac nepotem erudieram, animum iam à medicis rebus distractum ad eã studia reuocaueram, nomen in arte comparaueram, multáque interim conscripseram, quod plus ocij legendo solum superesset, sed si perseuerassem,

seuerassem, haud dubium erat, cum vtrumque munus mihi incumberet & legendi & medẽdi, multo serins libros perficiendos. Ex hoc igitur quod malum videbatur non leue commodum est consecutum. Quo fit vt nunquam alicuius rei quæ euenerit, pœnituerit, tum quia fatale mihi est omne bonũ ex malo initium habere. Adde etiam quod quæ eueniũt, euentura sciam, salua tamen liberæ voluntatis potestate. Et qnoniam quod factum est fieri non potest quin factum sit: animatusque sim ad perferendos fortunæ impetus, tum natura tũ ratione, quòd non lateat me omnia bumana in finem redigi, in animum induxi vt nunquam voluerim quicquã aliter accidisse quàm acciderit; quod etiam qui nolunt planè stulti sunt, cum, vt dixi, in irritum conentur. Hoc solum doleo, si Deum aliqua ratione offendã, quod autorem omnium bonorum, & tantam maiestatem læserim, atq; hoc vnum est quod aliquando me torquet & angit. Itaque & si nullam aliam dignitatem essem consecutus, satisfecisse viderer eam mihi vitæ quietem parando nominisque immortalitatem, non dicam acquirendo (hoc enim haud mihi dicere conuenit) sed ad id annitendo & vt in tot virorum illustrium ac sapientum animis effigiem meam reuiuiscentem videam. Vt habeãt qui velint sua prædia villásque, & arcas nummis plenas, non tamen nisi vno sedebunt equo, vnóque in lecto dormient sepulti veterno, obrutique Chao, pœna inexpiabili.

Verum de scriptis posteri iudicabunt, vnum hoc satis sit præclaram mibi famam in artis operibus hac conscribendi assiduitate peperisse. Sed rem ipsam, provt gesta est enarremus: atque publicè recitemus quæcunque acta sunt. Illud ptimum præmonentes omnia hæc quæ subiungam in ciuitate nostra, Mediolano scilicet, facta fuisse: superesséque plerosq; vt si quid falsum adiicerẽ, merito à tot æmulis coarguerer; licentia et'am hac illis præstita, vt si vel aliquid horum falsum inuenerint, aut amplificatũ, ant aliter gestum quàm hîc subiunxero, existiment nihil omnino gestum: méque in omnibus non solum mendacem esse: sed egreginm sycophantam. Verum non omnia expedit enarrare quæ mihi supra fidem eucnerint, imo ne decimam quidem partem. Prætermissurus sum etiam quæcunque mihi extra vrbem contigere. Videntur etiam quæ facta sunt non absque numine peracta esse: Nam præter viros probos & modestos neminem ex deploratis casibus sanare potui. Cúmque mihi aliquando ambitiosi viri iu curando socij essent, omnia, secus quàm optarem, euenerunt. Adeò vt si qnis fortunam propriam meam, & cum quibusdam egregiis viris iunctam conferat, non parua detineatur admiratione; sed iam tempus est vt seriem rei exponam.

1 Veneram Mediolanum secunda vice ex oppido Gallarate rediens mense Octobris anni M.D. xxxiv. neque ad eam vsque diem quicquam insigne fecisse in arte medica me memini, quamvis plures ægros quasi deploratos curassem. Sed casui illa tribuo, cum hi non iã à veris medicis tractati essent; alios etiã plures qui ad vigorem morbi summum peruenerant, curaui; quod etiam contigit, vt reor, ferme medicis omnibus. Iam igitur exactus erat octauus annus quo artem cœperam exercere. Veneram in vrbem sine amicis, sine affinibus, sine opibus, autoritatéque medendi. Obtigit autem sors vt sacerdotes bi, quos canonicos regulares vocant (Sunt autem omnium monachorum nobilissimi ac syncerissimi) me in medicum eligerent. Erat eius collegij princeps, quem Priorem appellare solent, Franciscus Gadius vir prudens, sed acer: quem Regẽ, ob potentiam inter suos, nuncupabant. Is cum biennio & atrabile & lepra Græcorum detineretur adeò graui, vt nec à clarissimis medicis sanari potuisset, imo neque iuuari vel modicum, & ipse dicere soleret, malle se esse mortuum, quàm tam acerbè conflictari, in sex mẽsibus à me plenè curatus est & quamvis postmodum in Diomedea insula obierit, multi tamen supersunt tests huius primæ & tam præclaræ curæ, quam in patria egi.

Deinde cum in vrbe esset Branda Scotus 2
frater Octauiani illins amici nostri & ipse mihi familiaris, deduxit me in viam Sozzæ numeratæ, vbi ingressus ad mulierem natã circiter annos xxx. quæ iam xiij. vt ipsa referebat, annis super cathedra sedebat, quoniam vlcus in crure sinistro patiebatur, quod etiam tabefactum erat atque debile, adeò vt nullo modo se sustinere posset. Erátque in ea tabes alia quædam totius corporis, & dolores per circuitus eam vexabant, vocabatur Martha Motta quæ etiam nunc viuit: cum iam exacti sunt anni xx. habitátque extra portam orientalem nunc marito coniuncta. Eam curare aggressus biennij spatio sanaui; atque in posterum ambulauit, nuneque crus elongatum est, non tamen adeò vt non claudicet aliquantulum. Peperitque filium quamvis parum superuixerit.

Post duos autem annos contigit vt Cæsar 3
Palauicinus comitiali morbo & furore alternatim fetè detineretur, adeò vt per septem menses frustrà à medicis curaretur; vbi verò me vocasset ita intra xv. dierum spatium eum liberaui, vt nunquam in posterum de boc morbo conquestus sit.

Poterat autem fortuna quadam contigisse 4
videri, si non paulò post patruelem Aloysij Palatij Iurisconsulti egregij intra quinq; dies liberassem. Hæc tamen licet ita contigerint à cura illorum, qui similibus morbis detinentur, quantum possim, abstineo: non quod sint adeò contumaces, sed quod nesciam vnquam quando dicere ruto possim me illos curasse.

Dum verò sub porticu portæ Tonsæ essem, 5
venit ad me faber lignarius, conquestúsque est quod filius ei tabe mortuus esset, duos vero, ni fallor, haberent qui eodem morbo laborarent, quos facilè sanaui.

Venerunt & alij, similiterque curati sunt. 6
Sed ex hac fama motus Hieronymus Tiboldus mercator, cum iam diu langueret in lecto, multúmque sanguinis & saniei expuisset, cum febre lenta aliáque putrida deductus ad extremum ossibus solum superstitibus, misit ad me, relictísque aliis medicis curatus est, pinguis quoque factus in admirationem omnes qui eum agnouerant, traxit filiámq; paulò pòst suscepit. Itaque medici dicebant eum nõ vera pbthoc laborasse, tantùm potest inuidia,

vt

vt mentiri non pudeat, dummodo gloriæ detrahant eorum quos virtute ſibi & artis experimentis præferri putant;namque cum plures ſanaſſem eiuſmodi, adeò vt auſus ſim ſcribere me phthiſicos & difficultate ſpirandi ſanaſſe, in phthiſicis & medici ipſi & ego mendaces fuimus;ſed ego bona fide hæc ſcripſeram deceptúſque ſui ſpe mea, illi verò malo animo mentiti ſunt, quod poſtmodum ita deprehenſum eſt. Poſt quinque annos hic quem ſanatum ſperabam, die quadam cum ad ſolennia Eccleſiæ iuiſſet,totus aqua, quæ per pluuiam confertim cadebat;perfuſus eſt:rediens autem domum;cum ſe ſanum exiſtimaret interpellatus à ſociis non curauit vt ſiccaretur,ſed à veſpera ad diluculum ludens deinceps correptus eſt febre,curatúſque à me primum,deinde me diſcedente ab alio demum,me redeunte rurſus à me ſanari non potuit, ſed reiecto pulmone more aliorum phthiſicorum mortuus eſt.Cum verò interrogarem poſt obitum vxorem,reperi tuſſim nunquam ex toto ſublatam ;ex quo apparet ſiccatum vlcus diſtuliſſe interitum, non quòd verus phthiſicus non eſſet.

Ante verò quàm hic obiret,Donatus Lāza
pharmacopola,qui è regione ædis Beatæ Ma-
riæ ad ſcalam habitabat , audiens me de hu-
7 iuſmodi morbo diſſerentem , interrogat eum
cum quo loquebar:cùm verò audiſſet quæ in
huiuſmodi morbis feciſſem , & quod multos
maximè pueros tabeſcentes, non tamen verè
phthiſicos liberaſſem , eum ipſe iam diu eo
morbo laboraret, communicato affectu auxi-
lium periit. Itaque viſus eſt leuari , prædica-
bátque ſe à me ſanatum, vt facere ſolent qui
aliquid immodicè cupiunt , cum de hoc ego
non fiderem. Præferebat autem me omnibus
aliis medicis ſuo iudicio. Verum planè appa-
ruit nec hunc verè ſanatum ; nam poſt qua-
tuor annos cum lictores eum compræhende-
re vellent,è feneſtra deſiliit,inde in piſcinam
febre decidit , latuitque totus madidus , cor-
reptúſque febre in manibus meis , vt alter
conſumptus eſt.

8 Huius quoque affinem Simonem Lanxam cum iam duobus menſibus calculo laboraret, accerſitus ſpatio dimidiæ horæ ſanaui protruſo arte mea calculo (ſiquidem adeſſe intellexi) ex renibus in veſicam. Sed hic egregius vir, quod nemo alius fecit, cum bis à me ſeruatus ſit in vita,immemor beneficiorum quod negligentius viderer in aliis morbis eum inuiſere ad alios ſe contulit, nouem illos imitatus de quibus Chriſtus dixit, nonne decem ſanati ſunt,nouem vbi ſunt ?

9 Sed hæc multò poſt contigerunt, velut & illud Martiano Donato qui ad portam Bulentetij habitat,duo pueri ægrotabant , quorum natu maior cum ſenſum amiſiſſet, factus eſt etiam mutus, cúmque multis iam rationibus deſperata ſalus eſſet,nam & vires debiles erāt, & vrina aquea,& ipſe iam decem diebus extra ſenſum,vt dixi,ac mutus,conualuit tamē, & frater natu minor periculum euaſit:cognoui enim abſceſſum factum in capite;qua ratione etiam nuper duas ſeruaui mulieres,quibus tempeſtiuè ſuperueneram. Sed redeo vnde diuerteram ob ominis vnius cum alterius prænomine ſimilitudinem; nec tamen ab re fuit.

Donatus dum adhuc in viuis eſſet , dimiſ- 10
ſa officina in domum Franciſci Sfondrati Senatoris ſe contulerat,conabaturque in gratiā illius me nihil tale requirentem nec etiam cogitantem inſinuare,nitebatur etiam illi perſuadere vt opera mea vteretur:non ſolum vt mihi benefaceret (erat enim vir admodum officioſus)ſed ſuo iudicio magis , vt illi prodeſſet,verum medici alij reſiſtebant.Contigit interim vt puellus ni fallor xviij. natus menſes febre ægrotaret:aderat autem Lucas Croceius famoſus medicus , dixerátque non eſſe periculum xiv. die ſuperueniente comitiali morbo ſubito correptus eſt. Aduocatur alius celebris medicus:hæret,& meritò,nam in decretorio die aduenerat,& à febre;erátque admodum validus affectus , tum Donatus perſuadet patri vt me aduocet,ille vt videbat periculi magnitudinem, ſimul & alterum medicorum attonitu,alterum hærere, miſit ſtatim ad me;non inueniunt ; paulò pòſt bona quadam fortuna rediens domum intelligo me vocari,accedo illico,non ſolum quod vir illuſtris eſſet Sfondratus, ſed quod etiam de me bene meritus ; ibi inuenio medicos : reſpicio puerulum , animaduerto contortum collum retro habere , dico coram omnibus laborare alio morbo etiam grauiore quàm comitiali, quærunt quo ? reſpondeo, Opiſthotono : Ad vocem inſolitam omnes ſilent,coniiciuntque in me oculos;tum Croceius exponit quid hoc nomine ſignificetur; deinde rogant quare id dixerim,tum ego puerulum attolli iubeo; vident retortum collum retrò,velut arcum, nec hoc contentus admoneo vt conentur dirigere;nihil proficitur;tum Croceius , vt erat vir minimè malus, ſeu numine impellente, inquit, Ecce non eſt ſimilis Hieronymo in dignoſcendis morbis. Ad hæc verba obſtupuerunt omnes, vt qui ſcirent quanta apud medicos laborarem inuidia. Tum pater, eſt ne modo auxilium huic morbo;ſiluerunt ſocij. At ego ne gloriam partam ſcientia artis , fortunæ arbitrio committerem,reſpondeo me tentaturum omnia, nihil poſſe polliceri , quòd morbus natura lethalis eſſet. Medici reliqui coniiciunt totum onus in me,ne ſi puer interiiſſet, quòd ſcirent notum omnibus eſſe quā mihi aduerſarentur, ego in illos culpam reiicerem,poſtquam iam perſuaſum eſſet aſtantibus me ſolum morbum agnouiſſe. Hac igitur in parte fortunam propitiam habui, ſanauiq; puerum,& ſatis breui , qui nunc à dignitatis cuiuſdam nomine Baro vocatur. Itaque ex ea hora tantum gloriæ mihi accreuit , vt ſi vel integro anno Sfondratus Mediolani manſiſſet , tota vrbs opera mea vſura foret. Sed Deus qui me ad maius munus vocauerat,effecit vt nondum expleto bimeſtri ſpatio Sfondratus abierit : & interim etiam mortuus eſt Donatus Lanza. Tantum tamen mihi profuit hoc factum , vt nunquam deinceps coactus fuerim cogitare de moderando expenſas,ſed ſolum ſi oporteret vt laborem, augere vellem. Quomodo autem curauerim, iam teſtatus ſum me non hîc dicturum,ſed alibi ſuis locis.

Per eadem tempora multos ſanaui ſputo 11
ſanguinis laborantes,inter quos Iuliū Catium ludi literarij magiſtrum, cū iam tabe ſumma confectus

confectus esset: etenim Phthisi correptum iam fuisse reor. Sed hic quod meliore viuendi ratione vsus sit, etiam nunc magis valet, quàm vnquam aliàs, cum iam anni decem præterierint. Et nuper tenellam ætatem Ducis Mantuæ instituit.

12 Cæsarem etiam Bozium sanum adhuc viuere ferunt, qui cum Mediolani non maneat, nescio quid referam. Hoc vnum scio illius duos fratres Phthoe post immodicum sanguinis ab ore exitum, periisse antequam ipsum curassem.

13 Aloysium Pusianum certè cum pluribus mensibus ex sputo sanguinis & spirandi difficultate laborasset, frustráque à duobus Medicis tentata fuisset cura ita sanauimus, vt omni suspicione, non solum periculo exutus sit, vitámque fœlicem iam multis annis agat, erat enim tunc adolescentulus.

14 Sed non contentus hoc curationis genere aliud adortus sum in Io. Ambrosio Serono equite strenuo. Nam cum amicus esset, & iam diuturna tussi & per multos annos laborasset, quatriduo verò sanguinem spueret, visus est cura diligentiore indigere. Atque ita sanatus est vt omnibus morbis potius obnoxius videretur quàm huic. Qua arte & alium postea seruauimus qui plusquam centum sanguinis vncias reiecerat, cuique iam ter vas ruptum erat, & iam tabem cum esset adolescens, inciderat. Est autem è familia Apianorum venditor vestium veterum, sed tamen ambo hi paucis post annis quadam tabe obierunt.

15 Quæ verò in hoc genere morbi acciderunt in filiis Laurentij Gadij, tempus est vt exponam. Hic tabellio est, contigit autem anno, ni fallor, M. D. xlvj. vt duo filij morerentur ex simili fermè morbo: ad tertium autem adolescentulum vocatus, qui & ipse eodem morbo laborare videbatur iudicio parentum & domesticorum, cum iam fluxu ventris & tussi & summa tabe detineretur, iudicaui celerrimè moriturum. Itaque cum alij quatuor filij & ipsi eodem morbo detineri viderentur, tertius pater quasi de veneno suspicabatur. At ego verecundè petij, vt cùm mortuus esset qui iam grauiter laborabat, liceret corpus dissecare, vt aliis prospiceretur. Annuit pater, dissecuimúsque. Sed hac in cura & actione aderat iuuenis quidam Medicus: peracta est res, inueni in iecore pustulas velut ciceris grana candida, rotunda, in pulmone quoque alias & partem oblongam liuidam atque fuscam. Ex quibus coniectura assequuti sumus non esse venenum, curæque modum. Itaque hac ratione seruati sunt omnes qui superstites erant, filij: & nunc etiam viuunt.

16 Sed postquam in veneni mentionem incidimus dicam quid euenerit Baptistæ Syrtiro Mercatori diuiti, vxorique, & filiis eius. Nam primum vxor ægrotauit, cúmque nihil proficerent auxilia familiaris Medici, antequã illa obiret, ægrotauit & ipse coniux, ob ídque alium quendam Themisonem turgidum, & multa deblaterantem, maledicum, in medendo infœlicissimum aduocauit. Is licet Medicamenta multa suo more, vt eruditus videretur, adhibuisset, multáque, vt solitus erat, disserendo adduceret partim falsa, pleraque ex ignobilibus quibusdam Empiricis contra alios Medicos, nihilo fælicior in cura fuit: quippe æger defunctus est. Interim iam omnes filij ægrotabant: ego autem solitus eram tres fratres defuncti mederi Paulum, Euangelistam, Benedictum. Itaque videntes hos nihil profecisse, & quia res arbitrio eorum agebatur, defuncto fratre aduocant me. Ego perpendens rem diligenter, cognoui veneno illos esse affectos; doceo patruos; iubeo aduocari socium eum, qui primus in cura vxoris fuerat, veluti testem; præstitis auxiliis, scilicet copioso lactis potu, quamuis febrirent, omnes conualuerunt. Inter has erat puella minor natu annos agens circiter octo, quam auia existimabat sub occasu Solis perituram, quòd iaceret vt mortua, irridebátque adhibentem auxilia: minúsque ob hoc mihi fidebat, quoniam crederet quadam iuuenili ac prorsus temeraria spe me ad curandum accessisse; memini autem quòd pueri ipsi conuellebantur etiam præter reliquos morbos: sed & illos postmodum curaui solus; viuunt etiam nunc omnes præter infantulum, qui postquam sanatus fuit, à nutrice dormiente suffocatus est.

17 Per idem tempus contigit vt filia Io. Angeli Linati habitans in via magna portæ Ticinensis cum dolore cruris tremoréque simul iam biennio laborasset, tentasset, autem non solum Medicos, sed circulatores atque omnia frustrà, acrius sæuiente morbo vt in xv. diebus eam liberauerim: concepítque filios nec amplius morbus is rediit.

18 Eodem quoque tempore fermè Agnes vxor Claudij Galli (atque hic solus Mercator Gallus in vrbe nostra remansit) habitat autem iuxta bolemterium vetus, nunc in vico Magdalenæ, quinquagenaria iam nouem mensibus perpetua febre laborans, postquam vltimam sumpsisset vnctionem, destitutáque esset à Medicis, à me sanitati restituta est.

19 Aqua intercute laborantes multos etiam sanaui, præcipuè pueros, inter quos Bianzardi filios duos, sed tamen nondum confirmato morbo.

20 Verum præteritis his quæ ab aliis fieri posse videbantur, pauca è multis exemplis subiiciam, quæ in matronis ac viris toti ciuitati cognitis iam paucis annis exactis peregi miraculo proximiora, quàm artis Medicæ operibus. Et primum referam quid contigerit de Iacobo Clauenzano adolescente patricio; is laborauerat iam septennio difficultate spirandi tanta, vt cum expertus esset præcipuos vrbis Medicos, non solum nihil profecerit, verum ad summam tabem redactus est vt malum quod singulis xv. diebus semel & vnica die vexare solitum erat, iam totu triduo singulis octo diebus detineret. Itaque aduocant me: cumque curando per duos menses continuos nihil profecissem, contigit vt pater videret vxorem mihi pecunias de more numerantem, risitque, quasi diceret, vt reor, non est hæc solutio, sed profusio: aberat enim omnis spes sanationis, cum in deterius res laberetur in dies. Adeo vt iam pœniteret me prouinciæ susceptæ, deliberaueránque mecum ægrum derelinquere tunc: sed mater pro filij salute solicita hortabatur, vt non desererem. Statui igitur adhuc per tres dies illum inuisere nulla

cum

cum ſpe. Neque enim tempus quod mihi ſupererat, vel minimo morbo curando ſuffeciſſet: nec & ſi profeciſſem, poteram intelligere an profeciſſem, quòd tempus illud recurſu morbi minus eſſet. præterea etiam quandoq; per xv. dies abſq; morbo fuerat, nec tamen curabatur: vt nullam certã ſanationis ſpem inuenire liceret. Interim vado ad inuiſendam vxorem Annibalis Cruceij, quam Iſchiæ morbo per quatuor menſes laborantem nuper liberaueram, vt multos alios. Cum verò crus debile remanſiſſet, non poterat ire, adhibueram dropacem Pauli, & contulerat. Tum mecum re cogitans dicebam, cum morbus Clauenzani non leuetur, ex cerebri imbecillitate eſſe debet. Nam Auicenna dicit tales non curari, quid igitur ſi experiar imponens dropacem capiti? ſed quid ages, inquam, & quando? deliberaui igitur duo alia medicamenta adiicere: quæro in ciuitate, nam difficilia erãt inuentu: inuenio apud vnum ſolum, iubeo cõfici medicamentum, erado capillos, applico ſequenti die, poſtridie reuertor, inuenio libras duas aquæ effluxiſſe per ſuturam coronalem, admiramur omnes. Atque eò magis quòd non ſauciata cute vlla ex parte hoc factum fuit, quid plura? repetitur ceratũ, aqua effluit, paucior tamen in ſingulos dies, liberaturq; antequam cogerer ire Papiam, quæ occaſio me premebat tunc. Viuit hic iuuenis pinguis admodum & ſanus magna cũ admiratione omnium. Occluſitq; hic caſus ora medicorum, vt illuſtriores iam deſierint obiicere, tenet enim admiratio ac ſtupor tantæ rei. Quinimo cum ægrotaſſet difficultate ſpirandi regens Pyroanus, miſerunt medici ad patrem huius adoleſcentis nam ego tunc in Scotia erã, omniúmq; medicamentorum deſcriptiones petierunt, ſed non auſi ſunt adminiſtrare, quia ordo deerat: nec quid prius quid poſterius adhibitũ eſſet, interpretari poterant, abſtinuerunt itaque, & forſan quòd eiuſdem generis morbum eſſe nõ credebant, atque ita ille mortuus eſt. Narrabat etiã pater adoleſcentis maximo labore potuiſſe illas deſcriptiones redimere, quòd quidam ſimularent amiſſas eſſe. Vtcunq; ſit, poſt aliquot menſes tandem recepit, nam illi chariores eò ſunt, quòd præter omnem ſpem filiũ ſanatum viderit. Illud & magno teſtimonio eſt, quòd cum ſepties vrbem reliquerim, quotieſcunque redij, hic opera noſtra vſus eſt, ſed non ſolum hic, ſed omnes fermè de quibus dixi, dicturuſque ſum teſtantes fide ſua ac perſeuerantia quæ à me ſupra fidem geſta ſunt, ſimúlque eorum gratum animum, vt appareat noſtros ciues non ſponte, ſed errore malos eſſe: cum ex mille vix vnus me reliquerit eorum, apud quos ſpectatæ virtutis effectus apparuit. Eſt etiam hoc exemplum pro teſte non tam mea ſapientia quam numinis cuiuſdam auxilio adiutum eſſe. Tum maximè quòd frequenter tali modo profecerim. Et erant ægri ipſius parentes, vt conijcere potui, mirum in modum probi.

21 Poſt ſucceſſit vt Ioannes Antonius Scazoſus biennio arthritide laborans nequicquam tentatis auxiliis me aduocaret, quem breui ſanaui.

22 Quo exemplo motus Ioan. Baptiſta Mareſcalcus à Senatus libellis cum grauiſſima arthritide quatuor iam mẽſibus laboraret menſe Decembri cum duplici febre continua & intermittente, immobilis penè, & appetentia cibi ſublata, nec virtute ſatis conſtante, me vocauit. Itaque & hunc cum tot difficultatibus intra menſem curaui plenè.

Poſtmodum quod ſucceſſit de Io. Paulo Negroio toti vrbi notum adeò eſt, vt plerique obſtupuerint, omnibuſque maledicis ſilentiũ ſit impoſitum. Pertranſibo autem breuiſſimè rem omnibus notã, vt poſteri eã ſciant, laborabat igitur hic dolore grauiſſimo cum tuſſi & difficultate ſpirandi iam biennio, & vt erat liberalis admodum & ingenui animi, tres medicos primo ciuitatis abſque dubio aduocauerat: cumque illi curando nihil profeciſſent, in eam opinionem, vt audio (neque enim ab ipſis hoc accepi) deuenerunt, vt eſſet phthiſicus, & omnino inſanabilis, ſpe igitur omni deſtitutus ad me venit, rogat vt opem afferã, fuit dies illa Iouis, iubeo vt ſequenti mane opperiatur me in lecto, adeo illum: omnibus bene penſitatis pronuncio ipſum ſanandum: facturumque vt die Mercurij ſequente intelligat ſe poſſe ſanari. Deſcribo igitur quædam in rem facientia, ſequente die admonet eum pharmacopola Caſtellinus vt deſiſtat; tam calida enim eſſe medicamenta quæ ſcripſi, vt ſi eis vtatur, vitæ periculum ſubeat, quo conſilio id egerit, tibi æſtimandum relinquo. Die dominico cum diu ſortem ſuam languens defleuiſſet, decreuiſſetque abſtinere ab his auxiliis nec amplius fidere conſilio meo, admoneor ab Ambroſio Serono, quem poſteà, vt ſuperius recitaui, ex hæmoptoe curaui, accedo ad ægrum, poſt multa impetro vt pharmacopola vocetur, aduenit, interrogo quænã ſint illa medicamenta calida, tandem, vt breui rem peragam, fatetur ſe ignorare ſingula medicamenta cuius naturæ ſint, hócque pertinere potius ad me, quod & verum erat. Itaque conuictus propria confeſſione, accerſitur alius pharmacopola, quid plura? die Mercurij accedo ad illum, lætum inuenio. Proh Superi, inquit, vera pollicitus es, quomodo tam celebres medicos tam diu latere hic morbus potuit? tum ego, non latuiſſe puto inquam, ſed quiſque iudicio ſuo vtitur in medendo. Hinc fit vt ego in te fortunatior ſim, alius in alio. Vt verò rem paucis peragam, poſt eam diem curatus dimidij menſis ſpatio conualuit perfectè. 23

Huius ſororem, cum febricitaret iam duobus perpetuis menſibus, vt primum vidi, quia aliorum medicamenta nihil profecerant, dixi in vtero habere: ſanauique intra quinque dies. Enixa autem eſt puerum qui etiam nunc viuit, eſtque eius primogenitus. 42

Atque hæc, antequam irem in Scotiam, ſed vbi reuerſus ſum, optabam aliquo egregio facto gloriam partam iam anteà, florentem reddere. Aperuit fortuna viam.

Erat quædam mulier nobilis Iulia Rota nomine, quæ iam quinq; aut ſex menſibus languebat febre primũ nunquàm intermittente, ſed tamen quæ augeretur tertia die ad veſperam: præterea duritie in latere dextro magno cum dolore, adeò vt ſuper illud latus decũbere non poſſet, aderat præterea tuſſis & ſpirãdi difficultas tanta, vt ob ſpumam oris coniecta- 25

rent,illam duobus aut tribus diebus haud soperfuturam, cum itaq; aliorum auxilium non profecisset, aduocatus intellexi multũ adhuc virium superesse,terrebat tum me durities & pôdus lateris dextri,quod hepar iam affectum esse intelligerem. Itaque diligentia summa vsus,& vere ineũte,sanaui:cum tempus anni, quod in aliis ægris aduersabatur,fauisset.

26 Succedenti æstate curaui Clementem pocillatorem illustris mulieris Violantæ Bentiuolæ, qui ex vertigine cadebat, adeò vt domum egredi non auderet.Erat autem morbus difficilis sanè, sed nescio an prius aliorum auxilia tentasset.

27 Similiter & Sacerdotem Franciscum de Puteis,cum laboraret annis iam xxvij. dolore capitis acerbissimo, frustráque omnia tentasset,leuaui,sed non sanaui. Nec scio qnid maius fuerit an sperare post tot annos,an leuare tãtam morbi magnitudinẽ. Sed hæc mittamus.

28 Autumno Octauianum Robiam & ipsum à Senatus libellis iam secundo hecticæ genere tabescentem,insomnem,& acerbissimis doloribus vexatum restitui,ita vt sanus videretur. Media autem hyeme Protasium Rœllum, & Iacobum Zampanam sacerdotem, ambos senes cum tumidis cruribus difficultate spirandi laborantes, ita curaui, vt & ipsis & aliis omnino sani viderentur:manserántque multis mensibus,sed cum ex mala victus ratione in eosdẽ morbos incidissent,duo senes à me amplius sanari non potuerunt: iuuenis diu reluctatus morbo nunc viuit.Itaq; in his me grauiter peccasse intelligo, qoi post tam graues morbos,& in quibus iam eò peruenerant, vt destituti à medicis nihil residui haberent,nisi vt efflarent animam,non imperauerim exactã viuendi normam,saltem vsque ad annum.

Sed ad eos qui superfuerunt, plenéque sanati sunt,de quibus est institutũ,reuertamur. Quanquam non abs re hos tres ægros adiecerimus,vt intelligant medici,eos qui à grauissimis morbis liberãtur, saltem per annum, donec vires firmentur,exquisito victus genere vti debere. At tantum abfuit vt exquisito victus genere vterentur, vt etiam pessimo. Vons enim fructus horarios supra modum comedit,immodicóque cibo,quem fames insatiabilis exposcebat,repletus est. Alter prandebat hora xviij.benéque perpotabat, cœnabátque ante vesperam : vt inter prandium & cœnam vix quatuor horæ intercederẽt. Tertius moderatius vixit,,sed cum se exercuisset, & calefactus esset valde, in æde B.Laurentij, quę frigidissima est,supra duas horas cõsedit: adeò vt pulmo abscessum ex hoc conceperit. Sed,vt dixi,omissis his ordinem sequamur.

29 Contigit eadem hyeme res prorsus admirabilis.Laborabat Gaspar [illegible] (nam si Latinè scribatur proferri non potest, quòd diphthongus hæc græca vicem literæ inter o, & v, Latinum obtineat,vt cõstet literam natura mediam esse, pleniorémque quàm v. tenuiorémque quàm o)hic est caupo trium tibicinũ è regione arcis nostræ iam per annũ integrũ: sed à quinq; mẽsibus citra penitus iacebat immobilis,nõ pedẽ,non caput,aut brachiũ monere poterat,neq; aliud quicquã,præter dolorẽ enim ingentẽ membra vt lapis rigida obduruerãt.Et erat media hyẽs,cõstat hunc à me intra xl. dies plenè sanatũ,non admiratione, sed stupore maximo eorum qoi illũ viderunt. Alij enim syderatũ alij perculsum diuina ira, alij resolutum, alij dæmone correptum dicebant. Ita vt non deessent supplicationes & coniurationes.Hunc itaque ita curauimus.

Hac demum æstate Nicolaum Siccũ militem illum præclarum,affinémque tuum,quàm graui, quàm diuturno morbo liberauerimus, & quàm bene felicitérque,& tota ciuitas nouit, & tu testis locupletissimus es:cum tamen ab omnibus medicis desperaretur, hecticus, arthriticus,tabefactus,regio morbo, & intercuris aquæ vitio etiam non carens. 30

Quartanis etiam captos, velut Ysabellam Lomatiam in vij. accessionibus sub fine Autumni liberaui. Atque ita liberaui,vt postquam vocatus fui paulatim febris minueretur,quæ solebat augeri,quod certum erat veræ curationis indicium. Nam & in aucupandis occasionibus & diiudicando morbos non fui oscitans. 31

Itaq; vt Cæsari Barbauaro nobili viro cũ laboraret vlcere in vesica, nihil polliceri volui, & morbum agnoui,& vitã duobus annis produxi. Sed ad eos quos plenè curaui,reuertor. 32

Labotabant vxor ac filius Bartholomei Cressi Pistoriensis ciuis,iam septem mensibus duplici quartana filius, mater difficultate intestinorum, curatique diu à duobus clari nominis medicis cum nihil profecissent, ad me venit ipse Bartholomeus, incredibile est quanta celeritate illos liberauerim: 33

Atque hæc in dies exempla adeò augentur, vt nunquam si ea prosequi velim,me viuente finem facturus sim, cũ maiora perperuò succedant. Nam & nuper Petrum Antonium Besucium sub hyeme ab arthritide difficillima, & in qua alij diu perperam fatigati erant, breui liberaui. 34

Et Io. Dominicum à melancholia in tribus diebus. Multa quoque alia supra fidem diuino,vt video,afflatu,& mihi sopra spem contingunt. Itaq; si velim hanc historiam prosequi,quotq; podagricos medicamento illo meo tetraphatmaco curauerim, vt posteà non redierit morbus,aut si redierit,leuissimus,quotque comitiales, stupidos, frigidos, doloribus ventriculi,vteri,intestinorum,ramicibus diuturnis laborãtes,aliisque difficillimis morbis, veluti etiam cephaleis & diabete, diuinoque quodã præsidio,tum vrigine meiendi nouo & admirabili inuento, atque in angina duobus præsentibus auxiliis ac certis,necnon alui profluuio sanatos adiicere velim,adeò vt in contumeliam appellent me incogoitorum morborum medicum, quasi non curandi ratione præcellam, sed quia solus cognoscam, solus etiam liberare eos possim, nullus propemodum erit finis. Sed decet gratias Deo agere, quòd non solum quæ sperauer am, concessit, sed etiã multa supra fidem. Inter reliqua medicamen habeo ad cordis palpitationem, quo plurimos in perpetuum curaui sola vnica exhibitione. Quo ego sanatos etiam sum cum esset mihi morbus hæreditarius. Nuper verò rogante Iulio Salmæ Principe ad Maximilianum Bohemiæ Regẽ illud trãsmisi, quòd ipse Rex eo morbo detineatur. Eiusmodi autem sunt omnia auxilia de quibus memini, quæ vel 35

vel vniea vice vel statim liberant. Sed ad ordinem redeo.

36 Duas memioi me aliquaodo molieres curasse, quarum alteram ascite constabat laborare, adeo vt toto anno in lecto cubare non potuisset, aqua spiritum cohibente: alteram quam elephantiasim pati dicebant, sed has mitto: nomen enim excidit.

37 Bartholomeum autem Marianum qui phthisi laborare existimabatur hoc eodem, quo & illas, anno, quamquàm pro deplorato relictum morbi intellecta sede intra xx. dies liberani.

38 Franciscum etiam puerum duodecim annorum filium Philippi Peragalli, sed hunc cum alio medico hecticum, asciticum, leptosum, putridáq; febre laborantem sananimus, quòd socius ille non solum eruditus, sed etiam veritatis, vt videbatur, amator esset.

39 Denique & ab imminenti cæcitate Antonium Comitem, & Antistitem Boromeum; sed hic iam obiit, innumeróſque alios è longis insanabilibus morbis.

40 Elysabetam Pagnanam patritiam mulierem difficultate spirandi laborantem, perfectè quamvis & senem, & multis annis conflictatam sanaui, & nunc illa iucundè viuit.

41 Ex tremore Mastium de Adobaris in xv. diebus.

42 Estrumis puerum in domo Andreæ Cremonini auritextoris.

43 Filiam cauponis Pauonis ex tympanitide.

44 Bernardum Gemmarium è lapide auellana non minore in quatuor diebus, erat autem renalis.

45 Ex diabete filiam Palauicinæ, quæ habitat in foro piscario.

46 Ex vteri antiquo dolore, vxorem pharmacopolæ trium tibicinum atque in perpetuom sanaui. Viuit enim: & iam anni ferme viginti præteriere.

47 Ex conuulsione (id est crassis humoribus) diuturna, ex qua collum iam peruersum erat, sororem Antonij de Laude.

48 Ex sanguinis mictu Antonium de Caio in domo Antonij Maioraggij. Erat enim aduena.

49 Ex aqua in oculo, Bartholomeũ Torneriũ.

In acutis verò non minor affulsit fortuna, cum vix è trecentis vnus ex febre antequàm in Scotiam irem, in manibus meis periret. Post reditum è Scotia aliquanto plures quàm antea solerent, obiere. In vniuersum autem ex articulari morbo quantumvis difficillimo neminem curaui, qui non perfectè sanatus fuerit. Vt si deploratos ex hoc morbo velim enumerare, plusquã centum sint. Ex phthoe autẽ eorum qui curati sunt, nemo præter Catium vltra sex annos superuixit. Itaque si ad fœlicitatem medendi respicio, haud piget fortunæ meæ; quandoquidem videam Galenum tam paucorum meminisse quos ex deploratis morbis sanauerit. In libro enim de prædictione ad Posthumum meminit Eudemi senis in hyeme à tribus quartanis curati, & vxoris Bœthi, cuius morbum reliqui medici ignorare videbantur, tum Demadis Rhetoris & familiaris Charilampi cubicularij, sed horum duorum casus haud insignes fuisse reor. Meminit & iuuenis eius, decimo artis curatiuæ, quem Tessalici medici inedia penè perdiderant, & ferme tota hæc summa in tres redigatur. Verum Galenus non tantum curandi arte, quantum scientia dissectionis & prædicendi inclaruit. Admirabilem enim in hoc genere fuisse scripta eius de pulsibus tam egregia testantur. In curando verò si maiora exempla edidisset vir gloriæ cupidissimus, qui toties de prædictione gloriatur, quique etiam minima scriptis suis inseruit, existimant aliqui nõ prætermissurum fuisse. Verùm conscripsisse multa talia credo, atq; etiam maiora in libris de cura vniuscuiusque morbi propria, sed hi libri magna humani generis iactura, vt reor, periere. Verumtamen neque ipse eum tam illustri sapientia & eruditione egregiisque factis artem ipsam ab iniuria tot nebulonum & sycophãtarum vindicare potuit. Iacebat enim gloria artis vt etiam nunc. Propterea conqueritur tertio Methodi medendi hunc in modũ: Itaque nos quamquàm à principio recusantẽ, orando tamen impulistis vt omne hoc opus tractando susciperem: quod Deos precor aliis quoque hominibus sit vsui. Certè minimam spem habeo propter eum qui nunc regnat, bonarum artium contemptum, diuitiarum verò ac existimationis & ciuilis potentiæ admirationem. Fœlicior fuit quòd Cæsari aliquando placuerit; solet enim dici, quòd Principibus placuisse viris non vltima laus est; quãquàm hæc obsequij, ambitionis, astutiæ, ac fortunæ cuiusdam benignioris argumenta potius sint, quàm excellentiæ artis. Nihil tamẽ mirum est de Galeno, quòd ab Antonino vocatus. Is enim solus inter omnes Imperatores philosophus extitit. Qui & omnibus eruditis fauit. Deinde Romam iam primum se contulerat sponte: Andromachoque Antonini medico conficiendæ theriacæ nomine in amicitiam se insinuauerat: vt ea causa ab Imperatore Demetrio mortuo, quod & euenit, vocaretur. Vt forsan nobis gloriosius sit iam ter, nullis peregrinationibus sponte susceptis, aut officiis talia quærentes, à Regibus è patria ob solam artis opinionem esse auocatos. Et profecto vt video, longè facilius patuit nobis ad Reges aditus quàm Galeno, nec hoc dicimus vt nos illi conferamus: sed vt intelligant homines, Galenum longè maiore dignum fuisse fortuna, quàm cum tot laboribus, tantáque industriá sit consecutus.

Sed vt ad propositum redeam, non operibus tantũ insudaui, sed etiam vt in prædicendo minimè aberrarem. Memini inter reliqua, quòd cum laboraret Ludouicus Madius puer annũ agens circiter vndecimũ, aduocatúsque essem cũ alio celebri medico, cũ videretur puer non grauiter laborare, quòd & febris remissa foret, & puer facilè morbum ferret, dixi matri futurum vt aliquãdo hic puer repentè ex hoc morbo in grauissimum affectum incideret, à quo vix euaderet; cum illa causam sciscitaretur, respondi me ex venarum pulsu id intelligere; nunciauit hoc illustris fœminã alteri medico, qui eùm eadem hora, quà ego solebam, scilicet sub noctem puerum non inuiseret, dixit, quod & verum erat, hanc tantam mutationem se non percipere; nam aliis horis non tãta erat inæqualitas quæ vel ab ipso vel à me si tunc solum tetigissem percipi potuisset, Cúmque ego hanc diuersitatem auge-

ri in dies viderem, affirmaui semper hoc futurum. Quod & contigit; namque repentè post dies ferme xx. cum grauissima spirandi difficultas inuasisset, miserunt ad me, & venienti occurrit mater flens ac dicens, heu quàm verus vates magno meo malo fuisti! Itaque obiit puer altera die, ob id verò tum etiam alia experimenta cum toties abietim, nunquã me deseruerunt: cum verò reuersus essem in patriam ægrotabat Io. Iacobus Resta, duóque aderant egregij medici, aduocor, vt vidi laborare abscessu cerebri dixi, rudior contradicebat, alter non negabat, sed posse adhuc sanari sperabat. Sequenti die cum adhuc conuenissemus, qui pridie negauerat laborare abscessu, credo immemor eorum quæ dixerat, abcessu cerebri iam quatriduo laborare fassus est: ob ídque mittendum sanguinem; quod & alter medicus censebat; tum ego nihil obiiciẽs de pristinæ dici contentione, respondi non laturam virtutem, cum verò ipsi concordes cõtradicerent vt viderant me dicentem statim casuras vires, etiam dum sanguis mitteretur, admirabantur; neque enim causam adiiciebã vllam, cur id ego expectarem: quamobrem surrexerunt diligentius pulsum exploraturi. Cúmq; vnà ad ægrum iremus, tentatit venis iam prorsus cecidisse vires cognouerunt: & admirantes abiere. At ille pòst paulò mortuus est. Tum qui doctior erat, quendam submisit, qui me interrogaret qua ego arte id deprehendissem? cum respondissem ex pulsu, at & nos, inquit ille, pulsum percipimus; quasi idem sit pulsum sentire, & omnes illius differentias exactè assequi. Nuper verò cum ad quendam ingrederer, neque lotio neque vlla alia re visa, nec ægro interrogato pronuntiaui ex solo ægri aspectu illum magna spirandi difficultate laborare, non posse dormire, & pedes tumidos babere. Ille admiratus prædictionem, inquit, non solum pedes, sed & crura tumida habeo, iàmque sex diebus noctibusque vigilo, & spirandi difficultate maxima laboro. Tum ego suis moriturum breui dixi. Mortuus est sexta die postquàm illum inuiseram. Quomodo autem id assequutus sim, quatuor verbis explicabo: Cũ accessissem, sedebat in lecto egrè spirãs, omoplatásque trahens, quod maximè difficultatis spirandi árgumentum est, & faciem tumidam habebat. Vnde clarum erat qui sic afficiũtur, somnum capere non posse, debilitatis inde viribus aqua intercute à pedibus veluti remotioribus à corde corripi, quod & tumor faciei apertius ostendebat. Denique ne singula prosequar, in prædicendo adeò fœlix fui vt neminem mihi vel æmuli ipsi præferant; cum quidam vel plus mihi tribuant quàm res ipsa exposcat. Alij facilè cesserint, modo laudis in arte aliquid remittere velint. Non enim existimant prædicendi partem medicæ arti propriam esse, ac medico, vt reliquas, conuenire. Verùm non tam est prædictio hæc nostra ad ostentationem (vt plerunque esse solet) sed potius ad ægrorum salutem. Non pigebit autem subiicere quod Augustino Fornario Genuensi nobili viro contigit. Is namque Indica lue aliquando cum laborasset, correptus est febre lenta, qualis solet affectos illo morbo comitari; atque ita sensim in hydropis genus illud incidit, quod vocant Tympanitem. Aderat & alius medicus: cúmq; maxima diligentia ab vtroque curaretur, nihil tamen proficiebat. Mulieres assistentes & amici collaudauerunt quendam alium medicum turgidum & gloriosum: & vt fit cum res ad vota non succedunt, facilè obtinuerunt vt superuocaretur. Is vt conspexit hominem diuitem, & liberalem, simúlque quòd inuideret mihi tametsi iuueni, existimauit è re sua esse vt me abacto præda solus poriretur; itaque statuit vt coram omnibus Genuensibus nobilibus contra morem & decreta Collegij verba faceremus. Inuitauit autem, vt credo, illos, nam alioquin non tam communi consensu præsentes adesse potuissent ad audiendum quod instituerat. Adueniunt itaque, & prior ille, cum dixissem demonstrassémque morbi genus, rogat autoritati suæ consulens, licet iunior esset, vt vltimo loco ei dicere liceret; assensus est senior, quid plura? Vt tum solebant ambo in vnum consenserunt, scilicet in ægri perniciem, vt me exploderent. Ita sunt mores hominum. Tunc senior lætus pronuntiat salutem futuram die sequenti, multáque alia addit amentium more; itur deinde ad ægrum; ibi multa gloriatus pollicitósque dicit communi consensu statutum, vt medicamẽtum sumeret, rogátq; me an verum sit; ego qui mentiri non didici, respondi placuisse hoc maiori parti. Intellexerũt astãtes, intellexit & æger, rogat igitur æger me an medicamẽtum sumere debeat? fidebat enim plurimum mihi. Respõdi vocatos esse tres medicos: hãc sentẽtiam esse maioris partis: medicamentũ esse natura innoxiũ; erat enim cassia nigra, hieræ species, & rhabarbarum: illorum maiorem esse autoritatem. Non audebam vlterius progredi. Erat enim is Collegij procurator. Hæc namque officia plerique quærunt vt vi retineant & metu, quod bonis operibus, aut eruditione comparare non possunt, simul & vt apud imperitos autoritatem assequantur. Tum ille acrius instat, vrget, sanitatem pollicetur tandem medici amicique recedunt. Tum astantes mulieres rogant, vt si existimem obfuturum medicamẽtum, ne exhibeam. At ego, qui non solum rerum naturæ satis peritus eram, sed etiam diuini iuris, in hæc verba respondi: Si è re fuisset vt non propinaremus, non esset aduocatus hic tertius medicus; nam iam diu nos ab hoc auxilio volentes abstinuimus, verùm postquàm vos aduocari illum insistis (leges autem Collegij iubent, vt qui vltimò aduocatur, sententiam ferat) non decuit me plusquàm par esset contrà obniti; omnea enim sciunt, me quantum licuit, obstitisse; multò minùs verò iam constituta re mihi soli licet à constitutis discedere; hoc enim improbi & fallacis hominis esset, aliud pertinacis: nec hoc etiam, si vellem, facilè esset facere sine magno meo periculo & iactura famæ; si vos ita voluistis rectéque consuluistis, non est cur ego obsistam: si errastis, haud par est me pro alieno errore pœnas luere. Acquieuerunt inuitæ: vt quæ intelligerent non placere determinationem. Datur itaque medicamentum vesperi (hæc enim mane acta erant diluculo) ius quoddam. Tantum verò abfuit vt conferret, vt noctem inquietam duxerit,

duxerit, mane obstreperet regmone; aduenit medicus senior; audit strepitum, videt plorantes; interrogat an is esset eger; respondent eum esse, adiiciunt verba more mulierum. Ille pertinacia adeò amens erat, vt non crederet eum esse ægrum, sed dubitabat, credo, ne ego illi ludos facerē. Caput introducit; erat enim apertum ostium de more, vt morientibus fieri solet. Videt ægrum esse; statim abiit dicēs, mortuus est. Venit & alter Medicus; videt ægrum: solatur. Veni ego hora prandij. Tum æger ad me, Ecce vides hominem in te confidentem, age si potes vt me reuoces à periculo præsente: non ego illum, sed ciues mei ad me adduxerunt. Itaque hortatus hominem vt bono animo esset, aliquid dedi; iuxta vesperam redij: nec discessi prius quàm illum perfectè ab omni medicamenti noxa liberassem. Tum Genuenses omnes vsi sunt opera mea deinceps, præter duos qui addicti erant nomini illius; superuixit autem æger mensibus septem, & cū videretur liber, surgerétque, repente diaria obiit; vix enim superuiuere poterat vel cum optimo regimine, quanto minus surculis lapathij crudis assiduè vtens. Atque hæc in patria contigerunt. Quamobrem ne mireris si talibus atque his similibus crabrones, vt dici solet, irritauerim, vnde tot conspirationes, tot oppugnationes, maledictiones ortæ sunt. Adagium enim Veritatis est, Qui in tenebris ambulat, odit lucem. Nec verò ob solam ignorantiam plerique peccant, sed quoniam sanctissimam artem non legitimè tractent. Vnde diuino destituti lumine maxima peccata perpetrant.

Verùm his omissis, cum haud ignorem quàm multi historiam illam, cuius toties meminimus, quæque contigit extra patriam, tamen exitum scire cupiant, eam hic subiicere decreui. Adiiciam autem non verba, sed literarum ipsarum exemplum. Primæ igitur quæ ad me scriptæ sunt (nam aliæ ad mercatores prius de negocio transigendo omittuntur) à Medico suo in hanc formam scriptæ sunt:

S. P.

Cum in omnibus nouis coniunctionibus plurimum intersit; Vir eruditissime, qualis primus aditus sit, & qua commendatione amicitiæ fores aperiantur, æquum existimo huius mei ad te scripti (hominis & si tibi incogniti, tui tamen studiosissimi) rationem reddere. Plerisque iucundissimæ amicitiæ causa est geniorum quædam veluti sympathia & similitudo. Aliis ea amicitia ad vitæ suauitatem nō parum facere videtur, quæ studiorum similitudine conciliatur. Magnam certè vim habet ad alliciendas & coniungendas amicitias studiorum ac naturæ similitudo. Nihil quippe est appetentius similium sui, nihil rapacius quàm natura. Haud difficile nihilominus accidit vt huiusce modi amicitiarum nexus dissoluantur. Præsertim cum mores educatione, colloquiis, commerciis varientur, studiorum similitudo in dissimilitudinem pro occasione facilè permutetur: mihi verò cum Cicerone maxima conciliatrix amicitiæ videtur virtutis opinio. Est enim proprium virtutis conciliare animos sibi hominum, & ad suos vsus adiungere, atque, amicitias conseruare. In ea namque conuenientia rerum, in ea stabilitas, in ea est constantia quæ cum se extulit, & lumen suum extendit, & idem aspexit, agnouitque in alio, ad id se admouet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit siue amor siue amicitia. Vnde nihil est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum. Quippe propter virtutem & probabilitatem eos etiam, quos nūquam vidimus, amamus; cuius ea est vis vt (quod maius est) eam in hoste etiam diligamus. Quare quemadmodum despicimus eos qui nec sibi nec aliis prosunt, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est: sic suscepit vita consuetudoque communis vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama & volūtate tollamus, eos suspiciamus, maximisque efferamus laudibus, in quibus existimamus excellentes quasdam & singulares perspicere virtutes, atque eos quorum vita perspecta est in rebus honestis atque magnis, & bene Reipublicæ facientes, quorū virtus & studia fructuosa sunt aliis, sibi autem laboriosa, aut periculosa aut certè gratuita. Qua parte tantò plerosque maximæ famæ, nec minoris ingenij, aut eruditionis superasti, quanto te variarum artium studiosos tibi tuo isto indefesso scribendi studio deuinxisse, vel satis norit is qui tantorum tuorum monumentorum laborumque vel minimum (ex vnguibus leonem æstimo) degustarit. Ego ex tot, tantisque immensi laboris scriptis, quorum in libello de libris propriis catalogum recenses, solum vidi libros de Sapientia, & de subtilitate, & de consolatione, qui vnà cum libris de sapientia annexi sunt. Hos mihi anno M. D. XLIX. dum Tolosæ medicinam facerem, amicus iuris peritus humaniorum admodum studiosus dedit; illos autem de subtilitate hoc anno M. D. LI. in Scotia vbi nunc ago, ab illo amico accepi. Hi ex tam multis soli apud me sunt: ex quorum lectione tanta mihi reliquorum cupido incessit, vt nisi spes esset iis aliquando, imo etiam breui frui, eorum carentia mihi lōgè grauior esset. Quemadmodum enim summa laude & gloria dignum esse lectione digna humanóque generi vtilia scribere, sic aliorum vigiliis ac literariis frui laboribus; maxima mihi voluptas videtur: qua tandiu me tuis caruisse vt doleo & molestè fero, sic futuræ lectionis expectatione consolor. Tua namque in scribēdo copia, varietas, multiplex lectio, rerum obseruatio, sententiarum ornata grauitas, pura castáque narratio; facit vt in tuis monumentis profundissimam memoriam, expertissimam industriam, & acerrimum iudicium quisque deprehendat, laudet, colat, atque veneretur. Me verò plurimum delectauit quòd librum de Sapientia quintum euoluēs; viderim quod tibi iure vendicas experimentum, vbi inter cætera sic scribis: Sed quid si ars ipsa non alat, nec vllus ad aliam detur trāsitus, nouum aliquod inuentum excogitandum est (semper enim nouitas rei gratiam parit) quod in quacunque re magnam affert vtilitatem. Cum in hac vrbe inuidia diu laboremus, nec lucrum suppeditaret impensis (sic durior est spectatæ virtutis, quàm incognitæ conditio, & nemo propheta in patria sua est honoratus) multa vt noua inuenimus, tentauimus in arte: nam extra artem

nihil nun ceſſit. Tandē phthiſis quamphthoe vocant, multis ſæculis curam deploratam excogitaui. ſananique multos, qui nunc ſuperuiuunt, nec difficilius quàm Gallicum morbum: rationem etiam curandæ aquæ, quam intercutem dicunt multis iam ſanatis inueni. Sed pro inuentione ratio duxerit, experimentum autem magiſter, aliorum opera incitamentum. At pro experimento ſi periculum ſit tentandum, leuiter ac paulatim. His duobus à te inuentis experimentis non minus homines tibi deuinxiſti, quàm medicinam auxiſti. Nam ſi non leuis eſt momenti artem quamvis præclaris magnificiſque operibus exornare, & ei incrementa adiungere temporum excurſu, ad quæ priorum nunquam vel ingenium vel induſtria penetrauit, quantò magis in arte omnium præſtantiſſima, & quæ in totius humani generis ſalutem comparata ſit, abſtruſum quiddam & recondinum depromere, quod à vulgari genere philoſophandi & popularibus ſententiis abhorret, immenſæ vtilitatis videtur? Non pauci idcirco falluntur, qui medendi artem veterum labore iouentam, ſatiſque cõſummatam rati non vltra progredi contendunt. Voluntque poſteros omnes vno quaſi filo deductos iiſdem inſiſtere ſemper veſtigiis, de quibus nefas ſit vel trãſuerſum (quod aiunt) vnguem decedere. Viam illi prorſus obſtruunt inueniendis nouis, & illos impudẽtiæ grauiter accuſant, quod in eo omne ſtudium collocarunt, vt aut nouum quippiam contenderet, aut traditas ab antiquis artes iam quaſi vetuſtate collapſas fulcirent, aut illis adderent, quæ partim diligentia, partim experiẽtia, partim ætate eſſent progrediente conſecuti, & quæ tempori magis, quàm ſcriptoribus defuerant. Huiuſmodi moroſiora quorundam ingenia noſſe oportuit, nihil ſimul & inuentum & perfectum eſſe. Omnium enim rerum principia parua ſunt, ſed ſuis progreſſionibus vſa augentur. Quippe nihil eſt in natura rerum omnium quod ſe vniuerſum profundat, & quod totum repentè euolet. Sic omnia quæ fiunt, quæque aguntur acerrimè, lenioribus principiis natura ipſa prætexuit. Et quod ait Comicus: Nunquam ita quiſque bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus ſemper adportet aliquid noui, aliquid moneat, vt illa quæ re ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Itaque vt cum D. Fernelio Medico Lutetiæ claro loquar, tam peccant qui à veteribus peruestigata omnia comprehenſáque eſſe contendunt, quàm qui eiſdem primam rerum cognitionem detrahunt, illóſque de veteri diſciplinarum poſſeſſione deiiciunt. Sed fortaſſe prolixius quàm epiſtolæ alteri negocio deſtinatæ vſus requirat. Ego, vt ad rem reuertar, tuæ eruditioni, virtuti, & ſapiẽtiæ, qua cum aſſiduo ſtudio de ſtudioſis literarum omnibus bene mereri non deſinis, ita me addictum, ita deuinctum ſenſi, vt iam diu nihil animo æquè optatius habuerim, quam vt mihi ſeſe offerret occaſio, qua quàm gratus eſſet erga te animus meus, poſſem declarare. Quæ res tametſi ſetius quàm voluiſſem, ſucceſſerit, nunc demum tamen tam grata cum opportunitate ſe obtulit, vt tibi & mihi non mediocriter gratuler. Mihi tum ob R. AR. D. & Mœcenatis mei à te vno tanquam ſibi propitio Æſculapio expectandam & expetendam ſanitatem, tum ob mutuam & mihi exoptatam tuam conſuetudinem, qua frui hac vna me poſſe ſemper ſum confiſus. Tibi verò gratulor quòd hæc res & vtilitatem tibi non paruam, & laudem, vt ſpero, longè maiorem allatura ſit, cuius amor (cum & virtutis ſequax ſit gloria) generoſis animis veluti ſtimulus ad præclara facinora eſt innatus. Vnde hoc ingratum tibi futurum tantùm abeſt vt exiſtimem, quin potius maximè optandum putem. Rerum enim expetendarum, vt Cicero ſecundo de inuentione teſtatur, tria ſunt genera. Nam eſt quoddam quod ſua vi nos allicit ad ſeſe non emolumento captans aliquo, ſed trahens dignitate: quod genus, virtus, ſcientia, veritas eſt. Aliud autem non propter ſuam vim & naturam, ſed propter fructum atque vtilitatem petendum, quod pecunia eſt. Tertium eſt ex horum partibus iunctum, quod & ſua vi & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe gerit quandam vtilitatem, quo magis expetatur: vt amicitia, bona exiſtimatio. Hæc tria vna hoc negocio, vir optime, haud admodum difficulter potes maxima cum voluptate conſequi. Quippe hinc tuæ virtutis ac ſcientiæ ſumma apud exteras etiam orbis partes erit prædicatio: hinc facultatum domeſticarum non mediocris prouentus: hinc multorum bonorum amicitia accedet, & incredibilis exiſtimatio. Quibus te moueri patiare æquum eſt: præſertim cum omnes expetamus vtilitatem, ad eamque rapiamur, nec facere aliter vllo modo poſſumus, vt autor eſt in Offic. Cicero. Nã quis eſt qui vtilia fugiat, aut quis potius qui ea non ſtudioſiſſimè perſequatur, potiſſimum quando cum dignitate & honeſtate coniungantur? Sed quorſum hæc omnia tendant, accipe; Regni Scotiæ Gubernatoris humaniſſimi principis frater Illuſtriſſimus S. Andreę Archiepiſcopus, cui iã exactis circiter quatuor annis ſum à Medicina, annum agens plus minus quadrageſimum, annò ab hinc decimo, aſthmate periodico, ex repentina immenſi caloris ex paruæ ſphære reticularis ſub canicula ludo contracti in frigus permutatione & frigida ac humida victus cum temporis ratione vexatur. Prima autem morbi acceſſio fuit cerebri in pulmones deſtillatio, cuius etiam tum temporis comes fuit raucedo, quæ præſentis medici præſidiis prò temporis occaſione ablata eſt, relicta tamen mala frigidiori & humidiori cerebri temperatura, à qua materia præter naturam in capite aggregatur, quæ ideo paulatim aſſeruatur, quia cerebrum nec proprium alimentum probè concoquere (præſertim cùm ſanguine pituitoſo nutriatur) vel vapores ad ipſum ex inferioribus partibus delatos præ imbecillitate valet reſoluere; quæ quidem ex præcedenti acceſſione derelicta facit, vt quoties reperitur in toto corpore materia, quæ propriã ſubſtantiam, vel vaporem, aut qualitatem, cerebrum impetere valeat, noua ſuperueniat acceſſio: defluente nempe in pulmones eodem humore. Hinc iam periodica deſtillatio, cuius cum aliarum cauſarum ſigna prætercam, ea potiſſimum eſt nota, quòd in totum fere citrà febrem comitantibus propriis

etiam

etiam destillationis indiciis, illi veluti sano ex manifesta causa confestim accidit. Quæ certè accessio singulis ferè Lunæ coniunctionibus, & oppositionibus, imo etiam quadris veluti certis circuitibus aggreditur: hanc quidem spreto, vt hactenus, aut saltem sedulo non adhibito Medicinæ auxilio, in continuum tandem fluorem abituram (ita tempore subripere vires corporis vires morbi possunt) periculum est, potissimum cum iam ferè continuo maximè noctis tempore nonnihil defluat. Atque hinc non mediocriter pulmones imbecilliores redduntur. Serosus enim, liquidus, aquosus, pituitosus, & dulcis, aut insipidus (alioqui si acris, aut salsus fuisset, & pulmo exulceratus, & morbus Tabes dictus, Græcis φθίσι, dudum subsequutus esset) est defluens in pulmones. Vnde initio tenuis & paucus tussi magna excernitur. Nam tussi leuatus ab expirato aëre diuulsus ac dissectus in pulmones refluit; postea coctus & modicè crassatus, qualis tenuis & crassi medius fuerit, à viribus thoracis valentioribus cum mitiore tussi copiosius expuitur. Qui idem rursum paucus si crassus & lentus euaserit, tum tussi validissima foras mittitur: quare tenacius hæret humor quàm vt per hanc possit auelli & leuari ad fauces vsque. Hinc dyspnœa, seu spirandi difficultas cum stertore mox vbi præcepta est angustia à qua caliditas in corde & pulmone augetur, quæ quidem respirationem, magnam, vehementem, velocem, frequentem magna ex parte facit, ac exufflando (quod caloris aucti proprium est) per os spiritum calidum & feruentem per quam quoque aër parcior quàm per sanitatem trahitur, etiam multum dilatato thorace. Cæterum pulsus arteriarum mollis illi est, paruus accessionis initio creber, frequens, inordinatus, & inæqualis angustiam & dolorem partium respiratoriarum & calorem natiuum auctum demonstrans, cum aër attractus angustiæ viarũ causa cordi refrigerando & pulmoni, vt iam dixi, non sufficiat. Itaque vrina, vt ex ea indicia non prætercam, subruffa, & vt plurimum mediocriter tenuis, sed instante accessione longè tenuior & alba, cruditatem per se ferens cum hypostasi pauca, aliquantulæ obstructionis nota, & bullis quandoque in media superficie desidentibus, humorem ad pulmonem defluxum significantibus, quandoque solam coronam integra serie occupantibus, vrinæque concoloribus capitis affectionem indicantibus. Accessionis verò tempore subrubra, & post accessionis vigorem longè rubrior & frequenter micta & pauca ob dictam superius rationem, vrina cernitur. Totus corporis habitus admodum gracilis: & cum tabidis Hippocratica facies maximè accedat, nihil tamen illi proximum habet præter collapsa tempora ob musculorum (quos à temporibus crotaphitas appellant) substantiam diminutam: reliquæ faciei partes à sana ferè nihil absunt. Itaque dum morbus dat inducias, ita habent totius corporis robora vt hominis penitus sani munia obire valeat; qua maximè ratione tanto morbo idonea præsidia & ipsi eo tempore adhiberi & ipse valide perferre queat. Habes morbi integram rationẽ, quem hactenus vt lenirem, & ne in deterius rueret præcauerem: quibus remediis, quo labore, qua industria fuerim vsus aliquando fauentibus Superis intelliges. Ego enim absolutam illius curationem neque vnquam expectaui, nec quantumvis efficacissimis præsidiis contingere posse confido, tum propter cæli humiditatem (& si non nihil salcedinis ex maritima participet) & ventorum impetum, tum ob illius perpetuos laborum cruciatus, quibus Reipublicæ causa, quæ ferè tota ex eo tanquam tenui filo pendet, noctes diésque distorquetur ita, vt vix in tanta negotiorum vastitate interspirare liceat, multò minus sanitati indulgendo ea præstare quæ bonus noster Hippocrates non solum in Medico, sed & ægroto & cæteris summè desiderat. Iam verò quibuscunque negotiorum tumultibus relictis, Lutetiam omnium disciplinarum genere, & maximè Medicina Ciuitatem florentissimam profectus est, totam sanitati operam ibidem nauaturus. Quoniam autem à me de tua singulari virtute, eruditione eximia, & exercitatissima in re Medica experientia, frequenter monitus est, suppetias tuas tanquam morbi validissimum propugnaculum auidissimè Archiepiscopus exoptat: quibus iam ità confidit (quod ad restituendum sanitatem non parum conducere videtur) vt inde sibi accessuram sanitatem tanquam ex Apollineis propitiis manibus persuasum habeat. Itaque non solum hac in re consilio tuo vti, sed tua præsentia frui tam cupidus est, vt nulli cuiuis sumptui, quo te Lutetiam possit ad aliquod dies allicere, velit parcere. Quamobrem fac, obsecro, vt te tam multorum & magnorum Philosophorum alumna Lutetia semel videat, tã multi docti amplectentur & admirabuntur: & cuius scripta magna cum religione voluunt, cum maiori honore suscipiant, colant, & venerentur. Itaque quantum temporis viæ peragendæ voles, quem comitatum, quos sumptus, quantum nummi, tantùm ab eo qui has perfert, accipies; nec si ætas, corporis valetudo patitur & adsit voluntas, quo citius res peragatur, angariarum præstatio deerit; nec etiam si opus fuerit, Principum commeatus, seu vtriosque patriæ fides publica. Hoc denique vnum scito, Vir optime, tibi cum humanissimo & liberalissimo Principe negotium esse: de quo non minus tutò tibi ipsi polliceri potes, quam ipse de te expectationem concepit. Ille à re corporis bonum expectat, tu non mediocris fortunæ accipies: imo non fortunæ sed potius laboris tui, & singularis doctrinæ ac virtutis merita præmia. Quod si ætas, Musæ domesticæ, Penates, tempus, negotia, amici, vel aliud quoduis eò te adduci non patiantur vt Lutetiam accedas, saltem Lugdunum tibi viciniorem & famosam ciuitatem venias. Hoc à te pro tua humanitate contendimus, honoris boníque non vulgaris causa optamus, non vni etiam optimo Principi hac ratione solum obsequuturus, sed totam vestram Rempublicam & regnum tibi plurimum deuincturus. Quod si petitorum neutrũ (quod non expectamus) concesseris, interim prudentis tui consilij morbo dicto (qui in Phthisim aut deterius, quod Deus auertat, ruere promptus est) oppugnando idonei nos integerrimè, obsecro, mone: & quod visum

fuerit, accipe, nihil omittens quod in illius demolitione facere posse deprehenderis. Quod quidem pro tua syncera fide facturum non dubito. Quemadmodum enim tu inter tam multa & magna tua & nunquam interitura monumenta quæcunque ad humani generis salutem non profutura existimasti, si nocere cum hoc etiam possent, nullo modo superesse voluisti: vt in libello de libris Propriis testaris: sic quàm sis, vt profiteris, consecutus in quibusdam desperatis multis præcedentibus sæculis morbis à D. O. M. curandi rationem, aliquando promolges, non sepelias æquum est. Iniquum siquidem est in vtilissimis toto humano generi præceptis aliquid aut perpetuo recondere: aut aliud sentire, aliud scribere; maximè cum, vt in Adagio est, Expertes inuidentiæ sint Musarum fores. Sed ecce dum his literis summam manum admoueo, occurrunt duo à te xviij. de Subtilitate libro qui de mirabilibus inscribitur, commemorata, quorum alterum ad impinguandum homines mirifice facere testaris, alterum à te inuentum mirum in modum conferre anhelosis & suspiriosis asseris. Horum neutrum nobis experiri hic contigit, tametsi vtraque in rem nostram non parum facere videantur. Itaque quantum ad ozimum attinet, in referendis ipsius facultatibus ita inter se dissentiunt Dioscorides, Galenus, & Plinius, vt nullo pacto illorum sententiæ conciliari possint. Sed de his nunc satis. Denique mandauit Ill. A. R. vt tempus tibi constituerem mensem Ianuarium, quo veluti stato & conducto die Lutetiam venias: vereor certè ne hyemis iniuria veniendi opportunitatem remoretur, aut voluntatem adimat. Sed occasio quæ Hippocrati præceps est, facit, vt vrgeam. Vale, Vir excellentissime. D. O. M. te diu incolumem seruet, & genium tuum ad scribendum in dies extimulet, vt rei Medicæ literarúmque bonarum studiis diu prodesse possis, & nominis tui hac ratione immortalitatem comparare. Edenburgi xxviij. Septembris. M.D.lj.

Hæc Gulielmus Casanatus Medicus sanè eruditus, de quo in Commentariis Astronomicis mentionem fecimus. Itaque persuasit vt irem: petij autem solum cc. coronatos pro viatico Lutetiam vsque; ibi enim Archiepiscopum esse existimabam, sed non aderat; vbi igitur literas nostras accepisset, statim iussit numerari pecunias; accessi itaque Lugdunum. Alibi autem quomodo res gesta sit, enarraui. Illud sane admiratione dignum, cum numquam mentitus sim, istam qualemcunque bonam fortunam tamen ex mendacio ortam fuisse; nam neque verum erat me Phthoe laborantes sanasse; neque tamen consultò mentitus eram, aut ex toto. Tunc enim sanare illos posse sperabam: verùm animaduerti eos solum à me sanatos esse qui ex casu aliquo in sanguinis sputum, inde in tabem incidissent. Eos verò qui ex acri distillatione multam saniem reiicerent, minimè. Ita fatum me impulit: quasi fortuna nunquam veræ virtuti faueat, vt egregiè nolens mentirer, hócque solum mendacium quod me inuito excidit, tantùm mihi vtilitatis & voluptatis afferret. Literas itaque accepi & ccc. alios coronatos, vt irem in Scotiam; literarum exemplar hoc fuit. Erat autem Archiepiscopus ipse qui scribebat; & ego interim Lugduni plura consilia conscripsi pro nobilibus qui diuersis morbis laborabant.

Redditæ sunt nudiustertius Medico nostro mihíque perlectæ tuæ litteræ xxiij. die Nouembris scriptæ. His autem vt singularem eruditionis absconditæ, & perfectæ virtutis tuæ opinionem nostram, Doctissime Cardane, æquasti, sic per te præcipuè restituendæ nobis certò sanitatis expectationem auxisti. Qua iam antea stimulatus Medico nostro maximè suadente, ad te tanquam mihi propitium & propositum Æsculapium morbi profligandi causa recurrendum existimaui. Non de aliorum doctissimorum Medicorum præsidiis diffisus, verùm de tuis auxiliis mihi plurimum pollicitus. Cum autem ipse iam aliquot exactis mensibus, vt ex Medici nostri literis abunde satis intelligere potuisti, hac solum ratione Lutetiam petere statuissem, grauissimis certè & vrgentibus ineuitabilibúsque tandem negotiis interceptus ab instituto desistere sum coactus. Quare dum aliam viam hîc proximam mihi studiosè apparandam duco, incessit cupido virum hunc qui has perfert mihi iam elapsis quatuor annis à Medicina, tui studiosissimum, quíque in iam dictam tui opinionem nos coniecit, ad te mittere, vt tuo deinceps consilio prudentissimo, atque, vt Deo ita dispensante expectamus, saluberrimo, cuius semper sitientissimus fuit, armatus, expeditus, morbo profligando præsidia exquirat, adferat, atque adhibeat. Scripsit is ad te satis amplè iussu meo, de mei ipsius temperamento, morbi origine & progressu, omnémque ferè eius rationem tibi meo iudicio ob oculos proposuerat. Sed quoniam hoc etiã ipsum haud facere satis videbatur, quo hoc quicquid est negotij, facilius, fidelius, ac fœlicius exequeremur, dictum nostræ valetudinis studiosum & fidelem ministrum tibi destinauimus, ex cuius sermone mutuáque collocutione spero tibi meam morbique vniuersam rationem ita perspectam fore, vt posteà nihil ad absolutam eius cognitionem merito possis desiderare. Nihilominus, quia vt ait Poëta, Nec retinent patulæ commissa fideliosaures, Quàm quæ sunt oculis subiecta: & quæ cernuntur certiora sunt, quàm quæ audiuntur, inuentáque (quod prudentissimè dicis) in inuentorum ipsorum manibus mirum in modum relucent, hoc vnum pro singulari tua humanitate atque erga nos capta beneuolentia contendo, vt qui Lutetiam scripta tuis literis conditione venire destinaueras, Scotiam quoque qua voles conditione adire semel statuas; fidem publicam, viaticum, comitatum præstabit qui has perfert, dabítque, si quod pactum inter te & illum initum fuerit, P. Franciscum Restam aut alium trapezitam Mediolani sponsorem. Hoc denique vnũ tibi, Cardane optime atque eruditissime, pollicebor recto pectore, nullam te temporis vel laborum iacturam facturum, non mediocrem autem facultatum prouentum, maximum honoris famæ atque existimationis fructum inde consequuturum. Quare tibi persuadeas velim me longè plura velle, & posse præstare quàm polliceri. Quod haud dubiè si nostra causa

causa tantùm laboris insumpseris, reipsa atque experientia deprebendes. Vale Doctissime Cardane laréśque nostros, non vsque adeò, fortasse vt putas, Scythicos inuise. Edenburgi iv. Februarij, M.D. lij. De cæteris autem his literis non commemoratis Gulielmo Casanato qui eas tibi redder, fidem dato.

Hæc ille persuasit non solum Epistola, sed Medici sui preces; tandem accessi Luteriam; ibi Regij Medici cõuocati de morbo disseruerunt, me audiente quidem, non tamen loquente, quòd ipsi, cum Regij essent Medici, locum dicendi vltimum postularent: ego eum post illos essem vocatus, nec eum curassem vnquam, vt illi, deberi mihi intelligebam; tandem vbi simul pransi essemus, actum est de negocio. Postulabant autem & votum meum, sed interponere, quanquam honestissimo tunc loco nolui. Dicessi, iui in Scotiam, Londino transiens, & Regem Anglorum conueniens. Vbi veni ad Archiepiscopum, quæ proposita erant à Medicis Regiis exequi studens, nihil profeci; atque ita xl. dies triui absque vtilitate: imo cum iactura. Erat enim corpus tabidum, senij tabe; quod vbi adnimauerti admonitus à familiari meo Ioan. Paulo Paladino, qui tum optabat discedere, videbarúrque hac causa suo voto fauere: mutaui consilium, & caosam erroris illi declarans ita effeci vt intra xxxv. dies reliquos, quibus ibi mansi, morbus mitesceret, caro restauraretur. Interim aotem concurrebant multi, imo penè tota nobilitas, adeò vt meminerim aliquando ex duabus Medicamentorum descriptionibus vna die accepisse xix. coronaros aureos. Cúmque hyems succederet, decreui secedere, ac in patriam reuerti; neque enim tutum omnino ibi manere existimabam, seub ob aëris intemperiem, seu ob vnius è meis familiaribus improbitatem: quippe quinque mecum duxeram, sed vnus satis erat maledicus, inuidius, auatissimus, Dei contemptor. Importunè igitur missionem quæsiui, quam vix impetraui. Nam rationes multas Archiepiscopus adducebat, morbum non curatum, imo vix leuatum, paruam moram pro tam longo itinere, bella quantum sæuiebant, ingruentem hyemem, posse me mora quinque aut sex mensium, omnibus satisfacere. Atque hæc omnia ego vera esse intelligebam: sed id me torquebat, quòd ille nesciret in quanto periculo versaret, vrgebat etiam me filiorum amor. Et certè neque ego illius liberalitatem, neque ille me nouerat. Discessi itaque vt ita dicam, re infecta vix dum inchoata, relinqueos tamen consilium satis prolixum, quod partim in itinere, partim ibi confeceram. Rediens itaque, cum animus esset per Celtas reuerti, ob latrones, rametsi Principum auxilio adiotus, nunquam potui. Intellexi autem ab affine meo Gaspare Cardano Medico, quem illuc transmisi, quique in latrones incidit, tum ex literis Lutetiam Præsidis Ranconeti multos illustres viros aduentum meum Lotetiæ operiri, sed fata non sinebant. Reuersus itaque per Belgas, & Germaniam in patriã tandem me contuli, ccxxxv. diebus in itinere, lxxv. apud Archiepiscopum consumptis. Ita longè maior fuit impensa illi quàm mihi lucrum, tametsi in itinere vbi moram duxi, non irrita ea fuerit. Certum enim est pro hoc aduẽtu meo Archiepiscopum paulo minus quatuor aoreis talentis impendisse. Aodiui etiam Principem Lutetiæ fuisse, qui me operiebatur, daturum duo penè talenta, id est, aureos coronaros mille, si curando illi assistere voluissem. Sed hoc non tam certum est, vt affirmare ausim de pecuniarum multitudine; vbi verò in patriam sum reuersus, penè biennium intercessit ex quo nullas literas ab Archiepiscopo accepi. Itaque illum vel mortuum vel bellis implicitum, vel pertæsum aduentus mei rebar. Tandem post biennium vix vno mense exacto, quod tempus ipse sibi ad scribendum præscripserat, aduenit vnus ex suis intimis cum his literis: Binas tuas literas accepi superioribus mensibus mihi etiam gratissimas per quemdam Angliæ Mercatorem, alteras verò per dominum Episcopum DunRordensem, vnà cum Balsamo Indico. Postremas tuas literas accepi à Scoto cum elegantissimis tuis commentariis in difficillimum opus Prolemæi. Quibus omnibus amplè & abuodè ter quater respoosum est. Permultas enim ad te dedi literas: incertum mihi tamen an tuas in manus deuenerint. Nunc aurem famulo tibi noto Romam proficiscenti mandaui, vt excellentiam tuam inoiseret, & meo nomioe salutaret, gratiásque ageret nedum de tuis munusculis variis & gratissimis, sed etiam de sanitare magna ex parte restitusa, morbo propemodum depulso, viribus auctis, vita denique quodammodo recuperata. Ista namque omnia atque corpusculum ipsum tibi acceptum feto. Quandoquidem à tempore tuorum Medicamentorum tãta arte & dexteritate præscriptorum & compositorum, morbus ille mihi peculiaris & rarius & leuius multò me inuasit: qoandoque enim accessiones solitæ vix in mense semel, aliquãdo verò bimestri spatio me opprimunt. Nec tum quidem vrgent, neque premunt more solito, sed solummodo persentisco leuissimè. Ingratitudinis vitio me insimulari liceret (quemadmodum ingenuè fateor) si ista tot & tanta beneficia non recognoscerem, & gratias referrem. Sed iam Epistolam ad te mitto viuam (nempe hunc Michaëlem) idcirco oro, ex animóque precor excellentiam tuam, vt si vsui tibi esse possim ope, opera, aut opibus, isti renunciaueris: qui me quam celerrimè cerriorem faciet; id vbi ego resciuero, in promptu rem factam esse existimato. Præterea Dominus Gulielmus Casanatus Medicus anno superiore lares inuisit paternos, neque adhuc reuersus est. Vir sanè multis nominibus & honore dignus, cuiúsque necessitudo & cohabitatio iucunda fuisset. Multum tuam tamen excellentiam præmonere volo atque obsecro, ne à munere scribendi solito mihi deficias, & ne seiunctis corporibus, animi fiant disiuncti, sed præsentes perpetuò. Famulos & tuos domesticos meo nomine salutatos opto. Vale, ex nostra Metropolitana sede Sancti Andreæ Kalendis Octobris. M. D. liv.

Has ipsemet Archiepiscopus scripsit; ego verò curaui vt adiicerentur, quoniam scio multos & iuremerito de exitu rei dubitasse. Post has etiam alias suscepi literas tanto Prin-

cipe

cipe támque perhumano dignas, quæ à me seruantur, vt intelligant homines, nec eum nobis grauem, nec illi inutilem fuisse amicitiam nostram. Sed si velim illustres viros quos ab insanabilibus propemodum morbis sanaui, tum fœminas hic abscribere, forsan non id rectè facturus sum. Multi enim sunt quibus non tam iucundum est vt intelligatur eos à grauissimis morbis esse plene liberatos, quàm graue sciri, aliquando his morbis laborasse. Nuper enim illustrem virũ iam quinquennio ægrotantem in duobus mensibus perfectè sanaui, cum iam in Medicis supra duo forsan talenta consumpsisset. Atque hæc historia cùm plerisque nota sit: ab ea tamen enarranda tum aliis virorũ illustrium qui non pauciores sunt quam decem, ob eam causam quam diximus, abstinere decreui. At verò hæc ex arte, illud autem nescio vnde: quòd amicorum nullus præter vnum Prosperum Marinonum in manibus meis obierit. Sed dum ægrotaret absens semper fui, aliquando vel leuissimo morbo (quod tamen rarissime accidit) detinebar, atque ita vt neque adesse possem, & viderer languere ob id solum vt amicus absque culpa mea periret. Adiiciam autem quod nuper contigit in M. Antonio seu Antonio Maria comite, viro ob eruditionem omnibus noto. Is quam mihi esset amicus, in Endecasyllabis aliisque carminibus nostris libris adiectis declaranit. Seruaueram autem eum ter aut quater à maximis vitæ periculis. Verum cum nunc ægrotaret primis quatuor aut quinque diebus illum curaui cum altero Medico, visúsque est planè leuari, adeò vt socius illum extra periculum esse omnino diceret. Ego tamen & tunc & ab initio ipso prædixeram certò moriturum aut vix spem esse salutis, si modo Phlegmone non adesset. Verùm ille alter cum iam eum extra periculum esse arbitraretur, & illi magis Maioragius fidere videretur, ita se gessit vt ego ægrotantem deseruerim. Cum verò xviij. die purulenta multa & fætida expuisset, Medicus ille vt audiui, morbo liberum arbitrabatur, affinibus verò qui rem viderunt, è quibus primus & ipse eruditus admodum vir, rem mihi vt acciderat narrantibus, dixi exitium imminere. Itaque mortuus est xxiv. die à discessu meo: xxx. verò ab initio grauioris morbi: septem enim diebus antea latuerat. Atque hæc toti vrbi iam nota esse ferme reor ob hominis excellentiam. Quæ quomodo accidere potuerint nisi fato meo magno non video, cùm ferme supra fidem sint. Nec talia fortuitò contingere crediderim omnia, neque, vt dixi aliàs, nunquam fera aut homo coram me vulnus accepit. Quod quamquam casu accidisse fateamur, similis tamen effectus ordine naturæ, sed diuinior ab eisdem causis procedit, vnde quæ dicta sunt medendo, scribendo, agendo, tolerando mirabilia oriuntur. Scio autem quid obiecturi sint qui paradoxa hæc legent: nam omnes ad me concursuros si ita esset, tamquam ad sacram anchoram dicent? concurrunt sanè plurimi, non tamen omnes, ob duas causas: altera quòd iam Medici ex erroribus decreta fecerunt, dum nimis potentibus blandiri atque obsequi nituntur, atque is vsus adeò inualuit vt si quis decretis suis aduersetur, aut insanus, aut imperitus, aut parum saltem exercitatus habeatur. Sic olim Thessalus & Themison in arte Medica, & vt quisque imperitior ita audacior. Ergo si quis contra consuetudinem agat, pro imperito, verso rerum ordine, habebitur. Sin autem consuetudinem ipsam euertere studeat, magnum sibi malum comparabit. Neque enim Christus ob aliud Cruci affixus, Socrates ad cicutam damnatus, quam quòd consuetudines euertere voluerunt. Multis namque consuetudo per se placet, aliis etiám vtilia: plerique verentur ne cum illa auctoritas sua concidat. Altera causa fuit: quoniam contingit in Medica arte quod & in mulierum forma: multæ enim formosioribus præferuntur aut propter fucum aut vestium ornatum aut mores aut ob amicitiam, aut quia potiri hac non illa speramus, vel quia non eádem omnibus formosiora videntur. Nonne Galenus inquit in libro de prædictione ad Posthumum: Boni Medici non solum calumniis & insidiis obnoxij sunt, sed etiam veneno? recitátque de quodam Medico qui Romæ cum duobus seruis extinctus est. Quintus verò, vir in arte excellens tanquam ægros interficeret Roma pulsus est. Quis maiora miracula fecit quam Christus? quis vita sanctior aut doctrina melior? & tamen pauci dum viueret crediderunt, multi calumniabantur, populúsque in necem eius consensit. An ego melior Christo aut potentior? Quid mirari debet quisquam, homines sibi malle bene esse quam aliis? & quod ab vno vel duobus fieri non potest, multorum consensu effici? talia enim sponte hominum ingenia sunt. Accedit etiam quòd fatale nobis ciuitatum Collegiis odio esse, iudiciísque oppugnari. Nam & pater meus vt ab eo accepi, diu in ingressu Collegij Iurisconsultorum laborauit, & ego vt aliàs testatus sum, bis à Medicorum Patauino, toties filius meus natu maior à Ticinensi, vterque à Mediolanensi reiecti sumus. Sed in illis peruicimus. In hoc indulgentiam pariter vterque, sed serius expertus est: cum mitiora sint damna iudiciorum quam scelerum. Nam Romæ & Venetiis cum nulla sit spes pellendi per leges, ad vim se recipiunt. Itaque in malo bonũ & vicissim in bono malũ latet. Fateri tamẽ cogimur, plus esse odij vbique in operibus admirandis quam in iniuria, plus periculi quam in improbitate, plúsque iacturæ quam in imperitia. Verùm quamquam nunc non intelligam quorsum tetenderit hæc tanta oppugnatio, cum tamen reliqua omnia quæ olim mihi putabam aduersa, videam salutis meæ & egregij cuiusdam boni atque felicitatis causa contigisse: cur est vt non etiam de hoc idem existimen? Sed vt res cessura sit, malui Deo obsequi quam propriæ vtilitatis rationem habere. Itaque cum tot difficultatibus quamvis neminem vnquam læserim, ob solius veritatis studium viximus. Verum non hoc tam demiror quam quòd cum plerique ex his liberali sint ingenio, & non vulgari eruditione, vt, Medico adhibito studio ac diligentia, nulla facta lucri iactura, famæ verò etiam incremento, cum ego solus his moribus tantis resistam, nolint potius sponte amici esse quam hostes? atque vnà nobiscum artem ad legitimã exercitationis rationem

tionem

tionem restituere? remque literariam simul adiuuare? Illud sanè eos moueat exemplum quod cum septies è patria tanquam non rediturus discessérim, id valde parum ad clientum multitudinem comparandam obsuerit. Atque id etiam testimonium præbet quod addicti & deuoti mihi fuerint multi ex ciuibus meis. Quantum verò auctoritas valuerit nostra, hi videre possunt, qui quantum mutata medendi ratio sit à paucis annis citra, correctique abusus, de quibus in libro de malo medendi vsu diximus, intelligunt. Quamobrem neque piget mei instituti, neque pœnitet, cum & per omnes gradus digniores vel sic agens transierim, vel transire potuerim, & primario loco profitendo & electione Principum, nec quicquam quod Medico vt artem honestè ac gloriosè exerceat, contingere ex artis operibus seu virtute, seu fortuna possit, mihi defuit: neque opibus parandis institutum hoc scribendi, sed voluntas ipsa obfuit, si modo diuitiæ inter vera bona numerandæ sunt. Cùmque his omnibus vitam vixi satis diuturnam & sospitem. In ipso verò instituto non mediocrem felicitatem adeptus, vt Deo gratias maximas, qui me ad hoc accenderit, forsan magis cæteris mortalibus, debeam. Nam & hanc conspirationem ac famam malam quibus ab initio ab artis operibus illis vsque ad sanitatem retrahebar, quis non videt non iacturæ meæ causa, sed gloriæ perpetuæ parandæ tanquam viocula solida mihi à numine quodam iniecta fuisse? Quam etiam ob causam cum aliquando ad nobilem matronam, aliàs verò ad mercatorem, qui me tenuiter persoluehant, ingressus, negassem me rediturum, illis causam intelligentibus, matrona quidem multa pollicita non potuit efficere vt redirem, mortuáque ex illo morbo paucos intra menses: Mercator autem obiiciebat auaritiam, quòd nemo ex primariis aliis (tres autem primos adduxit qui & verè primi habentur) hoc fecisset; at ego vera dicere postquam sanctè deierabat, credidi: sed me cum reputans quod si tam vili pretio conducerer, necessariò futurum esset vt vel laboribus immensis meipsum perderem, vel cœptum institutum de edendis libris in medio cursu abrumperem, aut oscitanter curando Deum offenderem, & ægros simul & partam studiis ac tanta industria gloriam non potui persuaderi. Atque hæc fuit vitæ meæ ratio, hæc studia animique tranquillitas, tum fortuna in curandis morbis, conscientiáque tot secretorum ferme in quolibet morbi genere, quæ mihi plus satisfaciunt quàm si Crœsi Lydi diuitias possiderem. Quod si statuto caueretur ne nisi pro sanatis ægrotis Medici præmia acciperent & humani generi optimè consultum esset: & Medici pro conspirationibus studia bonarum literarum exercerent, & iidem essent Principes eruditione & auctoritate qui etiam optimates: quod nisi quandoque fiat, omnia circa artem tandem ruere necesse est. Nobis autem satis fuerit, rebus propriis ita consuluisse, vt hanc admonitionem priuati commodi causa factam quis non existimet. Pridie Nonas Septembris M.D.LIV.



DE



DE LIBRIS PROPRIIS,

EORVMQVE VSV

LIBER RECOGNITVS.

Ad NICOLAVM SICCVM, alias Præfectum criminum Capitalium.

NIHIL tàm difficile est atque arduum, Nicolae Sicce, amicorum præcipue, quàm de se aliquid scribere, aut vitam facta gestáque literis mandare. Seu enim te tuáque laudaueris, seu vituperaueris, seu extuleris, seu depresseris, hoc omne tibi cùm de te scripseris, & cuius alij obfuturum nemo ignorat: quamobrem quampauciffimi hoc munus aggredi tentarunt: & plerique sanè eorum tanquam aliud quippiam agentes, fecerunt liberrimè, quod sciam. Soli L. Sylla Fœlix cognomine, & C.Cæsar, & ipse Dictator, hoc ausi sunt. Cicero, M.Antonius, Galenus, tum Hieronymus & Augustinus, Erasmúsque, aliis argumentis rem ipsam obumbrarunt. Verùm mihi non id tàm conuenire, quàm necessarium fore existimaui: cùm sæpiùs libri mei in publicum prodierint, aucti à meipso, atque etiam aliquot in locis, licet paucis, mutati. Et vt in tot argumentis arduisque scribenti & ratio vtilitatis communis tot laborum, & aditus quidam facilior pateret. Nec negligere debui, quòd cùm multa essent in aliis huius libri editionibus pollicitus, quæ non præstiti, alia rursus eorum loco absoluerim, quæ minimè promiseram, vt sæpiùs iam hic liber fit editus, lectores vt commonefacerem, quæ tandem omnino perf. cta opera, quæque edita, & quibus in locis nullam ampliùs desiderent castigationem. Simul etiam, vt librum mihi conderem tanquam promptuarium, ad ea quæ deficerent absoluenda: & voluptatem aliquam ex præteritis laboribus in hoc adeò ærumnoso tempore, in ætate iam inclinante caperem: quantæ enim vtilitatis humano generi præstitæ mihi conscius sim, palàm facere non verebor. Neque verò quàm multa aliis in editionibus prætermittere potui, hic adiiciam: sed breuiter ad metam ipsam operis properabo. Sic enim & labor minor erit, & iactura temporis & oratio ipsa clarior atque illustrior euadet, vt plures qui fortè alias editiones aspernabantur, hanc vnam vt lectu vtiliorem atque iucundiorem non sint neglecturi. Primùm igitur, vt ad rem ipsam aditum quendam patefaciam, proponam quo tempore hunc vltimum librum scripserim, omnibus (quàm paucissimis demptis) libris qui hic numerantur absolutis. Annus hic est salutis millesimus, quingentesimus ac sexagesimus: Pontificis autem Pij quarti ex Medicea familia primus: & regni Philippi Hispaniarum Regis, ac nostri, tertius. Cùm ego nuper vno de sexaginta annis absolutis, vt ex facti serie facilè quisque deprehendere possit, non quod plurimi existimant fortuitò hæc nobis contingere, aut esse hæc præmia fructúsque virtutis ac laborum nostrorum, vel cuique licere quod vel agere: sed liberam quidem (vt Comicus ait) esse voluntatem, operam seruam, cum hunc librum scribere cœpi. Itaque ob ea quæ iam dixi, nil mirum esse debet si huic argumento nonnulla de vita nostra moribúsque interseram: sed parciùs admodum, non solùm quòd (vt dixi) sermo hic de seipso vix iactantiæ aut amentiæ suspicione carere possit, sed quod multa huius generis in aliis libris, tum maximè De vtilitate ex aduersis capienda conscripsi. Quamobrem sic incipiam.

Cùm natus essem Papiæ, grassante in vrbe nostra peste, tum etiam quòd mater partum ipsum occultari volebat, ne illius affines rescirent. Pater enim meus, vt senex ac Iurisconsultus, viduæ matris meæ pauperis publicas nuptias auersabatur: ipsa verò turpe ducebat, quòd diceretur non ex coniuge peperisse. Horum causa sub partus tempore Papiam se contulit, vbi non natus, sed vt in lucem ductus sum. Post multa igitur aduersa atque calamitates in infantia perpessas, tum morbos, sub patre Mathematicis instructus, & Latinam linguam consuetudine edoctus, cœpi quamprimùm cogitare, an via esset aliqua, vt immortales euaderemus. Nec mirum, fuisse hoc adolescentis consilium: cùm referat Galenus, hoc tentasse quendam, & pollicitum esse, Philosophum etiam: quin & Erasistratum hoc ausum fuisse promittere. Cóscripsi & libellum de locorum distantia, Hebri libro: sed Ioannes Monteregius id argumentum, vt postmodum cognoui, fœliciús absoluerat: hos ambos dedi Augustino Lanizario Commensi, amico præcipuo: hique ambo illius morte periêre non magna iactura nominis mei, nec publicæ (vt reor) vtilitatis:

vtilitatis : fuerant enim conatus iuueniles : & indolis potiùs indicia, quàm fructus scientiæ, aut studiorum. Cùm verò me Patauium contulissem, conscripsi commentaria in libri Posteriorum primi initium, mediocris magnitudinis : è quibus decerpsi contradictiones, quarum exemplar extat apud Medicum Mediolanensem : & apud me liber cuius initium est: Prima contradictio textu Commenti xxix. Ipsa verò Commentaria cùm dedissem Octa-
1. 1. uiano Scoto amico meo, interiêre. Cùm verò anno xxiv. ætatis Rector Academiæ creatus essem, scripsi libros de ludis : sed tamen primum taorùm absolui : folia continet centum quinquaginta pene, Italica lingua. Initium est : *Non per vitio alcune.* Quorsum hæc ? Delectabat alea : noo cedebat infœliciter. Methodum habere in quacunque re cupiebam, ne temporis iacturam adeò magnam facerem. Gaudebam ipsa contemplatione rei, atque studio. Possem me excusare, iuxta illud :

Arcus & arma tua tibi sint imitanda Diana:
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

At, vt dixi duplex ratio ab hac alea ad id me impulit, quòd existimarem plura non posse contineri citra methodum : & ipsa numerorum & casuum, necessitatisque ratio. Sed & id accedebat commodi, vt successiuis temporibus oihil deperiret. Hanc tamen in triginta annis ob curas & negotia, tum studia nobiliora, vix absolui.

Anno autem M. D. xxvj. cùm in Saccense oppidum me contulissem (bella enim grauissima in patria sæuiebant) conscripsi Epidemiorum libros, satis exiles, & vt Hippocratis narrationi conferrentur prorsus indignos.
2. 2. Scripsi etiam mihi Collectanea quædam è diuersis auctoribus satis magna, quorum vsus nullus mihi propè est. Et librum de morbis coniunctis, quem sub alio argumento inchoaueram. Sed ille apud me extat, & imperfectus tamen. Ea ratione id aggressus sum, quòd cernerem sæpe, imò maiori ex parte, morbos morbis iungi, diuersaque postulare, imò frequentiùs contraria auxilia. Itaque hoc ipso opere docemus sic morbos curare, vt aliis si qui sint, non obsimus. Initium eius est : Quicunque morbos coniunctos : magnitudo, foliorum quinquaginta. Scripsi & libellum de pelle, qui nescio quo casu, certè non magno damno interiit. Alium quoque de pituita, & alium de re Venerea : quos ambos nondum absolutos, felis vrina corrupit : vnde illos abieci. Conscripsi & alium de Chiromantia, quem in libros de Rerum varietate transtuli. Ita toto illo sexennio quo in eo oppido artem exercui, magnis cum laboribus, parùm mihi, multò minus aliis profui. Detinebar inconditis cogitationibus, & studiis irritis, non satis prospera & fœlice Mineruа. Ducta vxore, nec tum satis constanti valetudine, redij in patriam, anno trigesimotertio ætatis: pauper, inuisus omnibus : vnde Gallareatum seu Gallaratum me contuli, vbi spacio mensium xix. quibus ibi fui, conscripsi libros
3. 4. quatuor de Fato, qui nunc ad folia cxx. permenêre : ter enim aucti sunt. Initium operis huiusmodi : Omnes qui scribendo gloriam consequi se posse sperant. Scopus tameo fuit, quòd viderem nostras actiones nobis persæpe inuitis fieri, certoque ordine coniuncto successus rerum edocere, quanta vis Fati esset. Et certè magis fato adde Fato scribendum compulsus sum, quàm alia quauis ratione. Verùm vtilitas operis est, omnia æquiore animo ferre. Atque id mihi postmodum euenit, vt vsui magno esset. Narrabo autem historiam admirandam : quam si quem legere pigebit, illud Poëtæ dicat :

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber : legito pauca, libellus ero.

Nec est vt de veritate ac fide huius rei quisquam dubitet, cùm me haud meminerim iam multis annis mentitum esse : adeò veritatis semper amans fui.

Erat etiam mihi perpetuò studiorum & perpetuitatis tanta cura, vt dum reliqua negligerem, vulgus, omnis boni hostis, me accusaret atque damnaret. Itaque & quædam consecutus sum, siue promeruerim, siue ob ea is animus mihi datus sit, quæ supra communem hominum naturam sunt : velut neminem vulneratum coram me, toties præuidisse meorum exitia, toties ereptum à periculis : quæ dicuntur, agitantur ve procul, aut etiam propè, clàm, contra me, aut pro me, præsenti aure sentire, & manifesto prodigio, & tot annis, nunquam fallente euentu. Omitto, quòd etiam nulla fera me præsente vulnerata sit : multaque alia eiusmodi, quæ & in libris de Rerum varietate, & in Theonosto scripsi. Sed iam ad rem redeo. Viuum ducebam in Saccensi oppido, vt mihi videbar, infœlicissimè : sed annum non sat teneo, quod antè ab anno (ni fallor) vigesimo vsque ad eam diem, muliere nulla potiri ob frigiditatem potueram : cum nocte quadam somniaui, me in Paradiso (ita enim ianitor ille pomarium id omnis pomorum generis refertum appellabat) esse, miraque admodum in eo voluptate frui : cùm ecce ante vestibulum ostij, cui propè eram, vidi puellam veste alba indutam, non valde ornata : cuius faciem cùm essem intuitus, ad illam quæ extra pomarij ostium stabat accessi : & vix extuli pedem, cùm ianitor ille ostium occlusit : rogabam vt admitteret : negauit reditum, dicens : Intùs eras, cur exiuisti ? Itaque cùm quid agerem non haberem, puellam cœpi amplexari : atque illa etiam mihi abblandiebatur. Paucis igitur pòst mensibus, cùm domus Altobelli tribuni militum in oppido Saccensi tota concremata esset, domum ille contiguam meæ conduxit. Erat illi puella natu maior inter fœminas, eiusdem formæ ad vnguem, ac ætatis, & veste alba, qualem in somnis videram, ad amussim vestita : memini somnij : sed id ad rem nihil. Ego tamen, qui tot puellarum pulchrarum atque nobilium & diuitum amore nunquam succendi potueram : quique mihi conscius erã veneficij, aut naturalis impotentiæ, adeò illius amore exarsi, vt eam protinus in vxorem à patre peterem : stupebant illi, tum alij qui scirent quales virgines repudiassem : existimabantque me ioco petere. Sed vbi intellexerunt me seriò agere, protinus dederunt. Mirum dictu, vt statim è gallinaceo factus sim gallus, & ex θλαδίας κάλων : vt nisi ob recentem morbum mihi temperassem, periculum

vitæ subire cogeter. Deduxi eam Gallareatum, cùm iam bis abortiſſet trimeſtres puetus: ibi peperit Ioan. Baptiſtam primogenitum. Hic cum natus eſſet die xiv. menſis Maij, die Domini proxima, ſcilicet xvij. ſacro fonte leuatus eſt. Repoſitus iam erat in cunis à prandio, aderamuſque propè omnes, & puerpera cum nutrice, & matre, materteraque mea: eratque ſerena illa dies atque hilaris, cùm per feneſtram apertã ingreditur crabro nuce iuglandi maior, qui cubiculũ circumvolando obſtrepebat: nos ob magnitudinẽ quaſi vno ore rem veluti ominoſam auerſabamur ſimul, atq; admirabamur: quod tempus id nondum crabronibus adeò magnis congrueret, nec ſolerẽt tam tempeſtiuè ſe domibus ingerere: hoc enim illis conſueuit accidere Iulio menſe, & Auguſto. Intenti igitur in illum omnes, verebamur ne quid mali infanti inferret. Vbi igitur bis cubiculum circumuolaſſet, tertia vice verſus feneſtram tetendit: verùm per illam non exiuit, ſed ad chartacea ſpecularia, quæ propè adiacebant depoſita, magno impetu colliſus, maioreque ſonitu cùm à nullo premeretur eliſus, cecidit mortuus: nos admirari caſum, ad illum properamus: ſed tum primùm intelleximus non fuiſſe crabronem, cùm nihil inuentum ſit: neque ibi aliud aderat quàm ſpecularis charta, feneſtræ obtendi ſolita, vt latêre potuerit diligentiam noſtram. Ex ea die ego (quid alij conceperint, neſcio) id pro conſtanti habui, futurum breuis vitæ, garrulum, & repentina morte periturum: non tamen eò proceſſi, vt tam ſæuum exitum ſuſpicarer, nedum vt præuiderem. Nocte verò, quæ infauſtas illas nuptias ſecuta eſt, cùm cubiculum meum tremuerit, nec in tota vrbe fuerit terræmotus, iam mihi magnum malum ex eo præſumpſi. Cùm verò ille crimen in carcere fateretur (ſi modò crimen erat, voluiſſe, nec occidiſſe, adulteram) cuius ego ne conſcium quidem eſſe rebar, nonne conuulſo mihi corde, lacerato, diſruptoque exclamaui: Heu, quoniam filius meus hac hora fatetur ſe veneno ſuſtuliſſe vxorem, conſciuſque eſt eius de quo accuſatur: ob idque capite punietur? neque enim ego noueram quam cauſam habuiſſet conatus illius tam ſtulti atque irriti, vt vel iudicio meo tum damnaretur. Demùm cùm ſignum illud in vngue annularis digiti dextræ manus horridum ipſa die qua captus eſt ille, inchoaſſet, die quæ exitium filij præceſſit, adeò dilatatum ſit ac inflammatum, vt ego qui neſciebam imminentem calamitatem, dicerem: Heu, quia mihi timeo magnum malum? exiſtimabam autem damnatum ad triremes (neque enim tam acerbam iudicum ſententiam ſperare potui) & tamen verebar hoc ſolo ſigno, quod vereri nulla coniectura poteram: quid aliud dicere poſſum, quàm fato & certa Dei ſcientia illum periiſſe: atque vt ille dicebat:

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet:

Vt ipſa die qua natus ſit, eiuſmodi mortem, eaque hora ſubire cogeretur? Cùm ergo ita ſit, Plotini aurea ratio me plenè cum Theonoſti meditatione conſolata eſt: quem rebar, nec falsò, Regem Philippum, etiamſi mihi omnia regna quæ poſſidet (ſunt autem plura ampliſſima atque ditiſſima) ſi ea omnia renunciaſſet, non potuiſſe conſolari. Ergo ratio Plotini, quanquam & alibi recitata ſit, ea eſt: Quòd ſi quæ futura ſunt, præuiſa ſunt à Deo, etiam ordinata ſunt: ſi ordinata à Deo, iuſta etiam ſunt: Deus enim iuſtiſſimus eſt, ſi iuſta, queri non debemus, ne Deo aduerſari videamur. Etenim non ille iuſtitiam ſuam indignatione ſtatuit in pœnam, vt homines: ſed vnicuique quod expedit, & quantum expedit, tribuit. At non nunc nos ex prouidentia Dei eam ſcire poſſumus, quam ex fati ordine ac conſtitutione, cuius auctor Deus ipſe eſt, hæc à Deo inſtituta eſſe. Itaque quantam vtilitatem præbeat ſcientia huius libri, non obſcurum eſt. Primùm enim, vt aduerſa tam æquo feramus animo, vt ne accidiſſe quidem cogitemus, aut non accidiſſe velimus: nam non pij ſolùm & probi hominis eſt, ſed etiam ſapientis, velle, quæ Deum velle norit. Cariuſque ſit noſcere hoc, Deum hæc non latêre, quàm non accepiſſe iniuriam: nam etſi iuſta ſit pœna eorum qui plectuntur, non tamen iuſta eſt damnatio illorum aut iniuria, quam illi damnando inferũt. Quid ergo hoc aliud eſt, quàm ſi Domino, aut Regi optimo ſeruias, cuius ludi literarij iniquus magiſter filium tuum cædat per iniuriam, etiam ſciente domino: an non carius tibi eſſe debet, quòd filius acceperit iniuriam, reſciſcatque dominus, quàm ſi omnino non verberaſſet? Nam & filio tuo & tibi retribuet pro iniuria accepta, & illum probè vlciſcetur. Quamobrem quæ ſic contingunt, iuſta ſunt: & etiam ſi per iniuriam & iniuſtè inferantur, ferenda: neque Deo modus deeſt compenſandi liberaliter, & quæ acceperis damna, dico mortem, in hoc mundo ſummum malorum, cùm ſuperſtites haud dubiè ſint animi noſtri: & neces hæ magno prouinciarum & vrbium ac regum regnorumque damno, prodigioque exitiali euenire ſoleant. Quòd ſi iuſtè non ſolùm hæc pateris, ſed illi etiam damnauerint, non eſt quòd vltionem quæras eorum pro quibus illi præmio digni ſint. Secunda verò vtilitas ex huiuſmodi ſcientia eſt, vt pius euadas: non aliter quàm improbus ſeruus, cùm animaduerterit dominum ſuum, quæcunque agit, è ſpecula conſpicientem. Ipſa quoque ſcientia rerum altiſſimarum, tantique ordinis, ac adeò admirabilis, per ſe iucunda eſt, & digna homine ingenuo. Quinetiam admonitus ex hoc vir prudens, ordinatos eſſe euentus, tum rerum cauſas, conabitur certis rationibus ac firmis, non ex auium volatu aut vanis ſuperſtitionibus, præſcire quæ futura ſint, atque ventura: vt bonis ipſis locupletiùs fruatur, & mala fortiùs ac moderatius ferat. Inde illud:

Et præuiſa minus tela nocere ſolent.

Accedunt præter hæc quatuor principalia commoda, alia etiam: velut quòd fortes ſimus in bello: neque alia ratione magis Turcæ ſine timore militant, quòd exiſtiment omnino decretum eſſe, qui ſint morituri aut ſuperfuturi: tametſi & in prælium eant illi, & ſe ſubducant. Ibi etiam multa ſingularia intelliges: quale illud, nõ poſſe Italiam ſine bello eſſe toto integro decennio. Sed etſi de hoc argumento ſcripſerit Cicero, plus tamen hæc tractatio Philoſophia quàm Eloquentia indiget.

Periitque

Perijtque alter liber. Sed Alexander malè ac perperam de Fato sensit : Pomponatius verò rem potiùs inchoauit, quàm sit consequotus, tametsi de eo quinque libros conscripserit. Quamobrem quod & in aliis magnis libris conscriptis à me facturus sum, & in hoc faciam : scilicet vt capitum, non solum librorum argumenta subiiciam : ea autem sunt huiusmodi.

TABVLA LIBRORVM de Fato.

Liber primus, de Fati cognitione ac demonstratione, & communi consensu de illo : & de tribus Parcis.

1 De modo procedendi in hoc libro.
2 Quid sit Fatum.
3 Ea quæ fiunt, quatuor modis fieri.
4 Demonstratio firmissima, ostendens omnia fato fieri.
5 Quæ sunt, quando sunt, necessariò sunt.
6 Differentiæ rerum & necessitatis.
7 Quæ fiunt à causis numero finitis, necessariò fieri.
8 Omnia agentia naturalia, vltimo conatu effectus suos producere.
9 Quæ ab appetitu & ratione reguntur, eadem Fati lege teneri.
10 Quascunque causas propositas effectum sibi proprium producere.
11 Ratiò prima, Fatum esse suadens, sumpta à Dei scientia.
12 Ordinem tribus modis dici.
13 Ratio secunda, suadens Fatum esse, à futuris sumpta.
14 Ratio tertia, suadens Fatum esse, à Fati substantia sumpta.
15 De quinque significatis huius nominis Fatum, non propriis.
16 Auctoritates Fatum confirmantes.
17 Experimentis probatur Fatum esse.
18 Fati quatuor species, iuxta mod rum numerum quibus fit.
19 Fatum duplex, ratione originis.
20 Si Fato aliquo non fiant, nihil prorsus Fato fieri.
21 Fatum esse non solum necessarium, sed totum immobile & indiuiduum, & an substantia vel accidens.
22 Exempla & mistura causarum quibus Fatum consistit.

Liber secundus, continet rationes quæ aduersus Fatum adducuntur : soluitque eas.

1 Ratio prima aduersus Fatum, à casu & fortuna sumpta.
2 Ratio secunda aduersus Fatum, à consilio sumpta.
3 Idem Fato consilióque, ac casu vel fortuna fieri.
4 Ratio tertia aduersus Fatum, ab his quæ contingunt sumpta.
5 Ratio quarta aduersus Fatum, à pœnis sumpta
6 Quantum intersit inter, ponere Fatum, & negare liberum arbitrium.
7 Fatum esse confirmatur auctoritatibus sacræ Scripturæ.
8 Ratio quinta aduersus Fatum, sumpta à fluctibus maris.
9 Vtrum quælibet varietas in causis præcedentibus sufficiat mutare effectum.
10 Quæ agant certis temporibus atque proportionibus, & quibus agant.
11 Exempla temporum & proportionum in motibus naturalibus.
12 Ratio sexta, quòd posito Fato, Deus videtur esse iniustus & ingratus.
13 Ratio septima, quòd si Fatum ponatur, erit aliquid Deo potentius.
14 Ratio octaua, quòd posito Fato, aufertur cultus diuinus.
15 De necessitate religionis.
16 De vtilitate religionis.
17 De damnis & incommodis religionis.
18 Ratio nona, quòd si Fatum ponatur, potentiæ non erunt, nec omnis homo aptus erit risui.
19 Ratio decima, quòd si Fatum ponatur, futura proximiora non erunt certiora contra sensum.
20 Ratio vndecima, quæ docet non posse demonstrari Fatum esse : quia voluntas corrupta potest odisse bonum, & eligere deterius.
21 Ratio duodecima aduersus Fatum, ab auctoritatibus Philosophorum sumpta.
22 Ratio decimatertia aduersus Fatũ, sumpta à communi consensu, & maximè prudentiũ virorũ, & eorum qui existimationem apud homines magnam habẽt.
23 Ratio decimaquarta, quòd credulitas Fati inutilis sit actionibus.
24 Ratio decimaquinta, quòd Fatum diuinationi propter quã inuentũ est, sit inutile.
25 Quòd Astrologi, seu Fatum sit, seu non, non possunt certè prædicere futura.
26 Quomodo diuinatio, stante Fato, vtilis esse possit.

Liber tertius, de generalibus consecutionibus ad Fatum.

1 Diuinationem omnem à Fato pendere, & quòd triplex eius genus sit.
2 Prodigia quomodo futura doceant.
3 Prodigia debere his de quibus sunt, proportione respondere.
4 Prodigia quæ significãt, & quæ sunt inania.
5 Prodigia cur à lege nostra reiiciantur.
6 Cur quædam, quamuis maxima, absque prodigiis fiant.
7 Modi meliores futura præuidendi.
8 Præsagia ex Astrologia.
9 Aliqua singularia comparata ad aliquas causas, quoad quasdam conditiones possunt esse necessaria.
10 Præsagia ex Physionomia.
11 Præsagia ex lineis corporis & næuis.
12 Fati vtilitas triplex: alia ad fortitudinem, ad incommoda ferenda, ad scientiam ordinis vniuersi.
13 Ea in quibus Fatum est manifestius.
14 Mundi septem vincula demonstrantur.
15 Vinculum primum cum Deo, & quid ex hoc sequatur.

16 Vinculu n secundum mortalium cum cælo, & quæ sequuntur ex hoc.
17 Vinculum tertium cum causis naturalibus ordinaris, & quæ sequuntur.
18 Vinculum quartum vnitatis, & quæ ex hoc pendent.
19 Vinculum quintum interitus & successionis in mortalibus.
20 Vinculum sextum fati.
21 Vinculum septimum mundi cum homine.
22 Præsagia ex oraculis de Sybillis.
23 Præsagia ex somno.
24 Præsagia ex sortibus. De supplicatioonibus sacrificiis & expiationibus.
25 Fatum in singularibus esse, sed tamen ad genetalia per ea pertingere.

Liber quartus, de propriis considerationibus quæ ex fato pendent.

1 Cognitio fati in vnoquoque.
2 Naturalia maximè obnoxia seruituti, arbitrium minimè, sensus mediocriter.
3 Fata legum.
4 De causis mutationis earum, & illarum auctoribus.
5 De Prophetis, & causis eorum.
6 De causis cessationis miraculorum.
7 De dubiis & disputatioonibus inter leges & Philosophos.
8 Fata Imperiorum.
9 Fata Prouinciarum.
10 De quinque calamitatibus vniuersis & quòd plures esse non possint.
11 De fine sæculi, & fato in hominibus.
12 Signa senij mundi.
13 De mundi successione secundum Principes intelligentias.
14 De mundi successione secundum ætates.
15 De his quæ in successione Principatus intelligentiarum in mundo fiunt.
16 De his quæ in successione ætatum mundi adueniunt.
17 De eisdem secundum Apocalypsim, & de terrestri Paradiso.
18 Simile dupliciter dici, quoad totum & partem.
19 Similia quædam frequenter, paociora tatò, eadem nunquam.
20 Mentis & morum imago quomodo remaneant in scriptis.
21 De animæ substantia.
22 Vtilitas liberi arbitrij.
23 Liberæ voluntatis discrimen in comparatione ad præterita & futura.
24 Eos qui fato credunt, plerunque esse sapientissimos.
25 De causis errorum nostrorum.
26 De causis nostrarum calamitatum.
27 Esse ordinem quendam generalem, ex quo tota fati lex pendet, & in quo comprehendatur: & operis totius conclusio.

4. 10. Edidi tum libros de Astrorum iudiciis, qui iam impressi habentur. Statueram eos in decem diuidere libros: modò non sum certus me posse absoluere: bis sunt aucti, ter editi. Sed vt mihi videtur, vno obstat, quæ *Vna cum gente tot annos-Bella gerit.* Nihilominus argumentum addam, vt postquam editi sunt: liceat cuinis iuxta nostra Principia Opus illud sic diuidere: est enim satis magnum, vt satis manifestum est, cùm ad hanc vsque diem venale prostiterit. Primus de Astronomiæ Principiis, ad motus, situs, magnitudines, formámque cœlorum pertinentes, differit. Secundus, de Principiis prædicendi. Tertius, de Tabulis ad hoc necessariis. Quartus, de Generalibus causis futurorum. Quintus, de aëris mutationibus. Sextus, de fame, bello, peste, atque similibus. Septimus, de Geniturıs. Octauus, de transitu seu directionibus. Nonus, de reditu. Decimus, de exemplis ducentarum Geniturarum. Eo tempore sanitati restitutus sum, auctúsque misero illo filiolo, quem Senatus acerbitas mihi eripuit. Proh Superi exclamarem, ni scirem, nos non nobis nasci, sed Dei arbitrio. Hunc primogenitum toties vlnis acceptum, optimum, vt nemo melior esset, sed columba simpliciorem, conantem vlcisci impudicæ vxoris improbitatem, nec tamen vltum, occiderunt. Deos tamen exoro, quos nihil horum quæ hic fiunt, latet, vt si qua nostrum tangit cura, pij patris æternas lachrymas vlciscantur. Annus erat trigesimustertius exactus, cum ludis & Musica æuum consumpseram, nec interea quicquam egregij inueneram aut perfeceram. Siquidem libros de Fato, & librum de Ludo latrunculorum, & Medicas contradictiones, paulo plus quàm inchoaueram. Decreui ergo, non quòd haberem quod sequerer, sed quod fugerem (siquidem in decemnouem mesibus vix quadraginta coronatos lucratus cùm essem, ad summam inopiam redactus fueram) Mediolanum redire. Fortè fortuna contigit, vt tum ex instituto Thomæ Plati, Mathematicæ lectiones nullum essent sortitæ professorem. Itaque etiam auxilio Philippi Arcbinti, iam tum illustris viri, quique Archiepiscopus vrbis nostræ designatus postea fuit, munus id pauculaque alia commoda sum consecutus, quæ tamen quinquaginta coronatorum summam non excesserunt: atque id tum mihi satis videbatur. Anno igitur M. D. xxxiv. Calendis Nouembris, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, nonnunquam & vnius harum loco Architecturam, nonnunquam Geographiam profiteri cœpi.

Paulò pòst dicam quid contigerit nocte quadam, cuius non memini nomenum. Iam illucescente aurora, visus sum cum toto humano genere, maximaque turba mulierum non solùm ac virorum, sed puerorum atque infantium, iuxta radicem montis, qui mihi à dextra erat, currere: cumque admiratione captus, vnum è turba interrogatem, quonam omnes tam præcipiti cursu tenderemus? Ad mortem, respondit ille. Tum visus sum, statim ad montem deflectere, atque ascendere velle: id verò erat difficillimum: sed à vinea adiutus, cùm vitium ramos manibus apprehenderem, ægrè ascendi. Erat vinea qualis autumno inclinante, sine fructu ac foliis viridibus, sed marcescentibus. Pars verò media, reliqua montis, quæ à tergo relinquebatur, virenti erica, sed fine vlla arbore vel arbusto, plena erat. Cùm ergo

ergo pergerem vltrà, quaſi euaſurus etiam viſum tam ingentis periculi, ecce in vertice, dum propero, profundam vallem obſcurámque voraginem, adeóque tetram conſpexi, vt ſola illius memoria ſic perturber (cùm tamen anni iam viginti ſeptem præterierint) vt nunquam ſine horrore eius ſimulachri recordari poſſim. Itaque conuerſo itinere, per montis verticem, qui planus erat, retrocedens, herbida ac ſqualida illa parte paululùm iam proceſſeram: cùm offertur mihi caſa ruſtica vnico tugurio, atque eo ex palea ſordida confecto, quales apud nos ſolent eſſe agricolarum pauperum: ſimúlque puer pallidulus, annum agens circiter xiv. cinerei coloris ſago indutus: quem ego manu apprehendens, ſimul & ingreſſus tugurioli & ſomnij finem feci. Intellexi ex hoc ſomnio, me ad immortalitatis curá erigi. Iam verò ſic animus euiluerat, ſpéſque ipſa defecerat, vt diu quid ſomnium ſignificaret, interpretari neglexerim. Credidi tamen in ſpem præter ſpem, vt ſacra Scriptura dicit: & qualicunque modo conſcribere libros aggreſſus ſum, ſpe eadem edendi, cum nulla affulgeret. Hoc tamen ſomnium velut initium noſtræ gloriæ, ſi qua omnino eſt, eritve, in ectypis ex aduerſo imaginis meæ depinxi. Interpretor autem ipſum ſic: (nam à numine eo, à quo ſeruatum me ſæpiùs manifeſtè vidi, immiſſum exiſtimo:) omnes mortales naturæ impulſu ad mortem properant, interitúmque non ſolùm præſentis vitæ, ſed & famæ. Conſuluit genius, vt ad virtutis montem aſcenderem: is erat vitibus: id eſt, vite plenus, abſque fructu tamen, & abſque voluptate: quia frondes aridæ erant. Aſcendi laborioſè: idque, ob paupertatem reliquaque impedimenta futurum demonſtrauit. Vitis tamen denuò frondeſcit, & fructum parit: ſubſequentium ſeculorum gloriam æternamque viciſſitudinem oſtendens. Vorago illa, impedimentum ne vltra humanas metas tranſirem, cum tanto impetu ad inacceſſa ferrer: vel illum tam grauem filij caſum, quo nupſit & periit. Reditus per ericas, vitam agreſtem, infructiferam, ſed minus laborioſam decernebat. Puer ille, Hercules Vicecomes eſt, alumnus meus, qui ſtatim à coniugio filij domum meam ingreſſus eſt: conueniunt enim ætas, tempus & forma ad vnguem: reliqua etiam quæ in ſomno apparuerunt. Caſa illa ac ruſticum tuguriolum in ſolitudine, tranquillitatem animi: id enim declaratum eſt in quinto libro Theonoſti. Atque hic finis Priami: nam cætera quæ euenerunt, non priùs intellecta ſunt, quàm poſtquam euenerunt. Quin etiam de morte ipſa quaſi nolentes ſcripſimus in libris de Vtilitate capienda ex aduerſis. Ergo ſi priùs intellecta hæc eſſent, non fuiſſent: non ſunt, quia intellecta non ſunt. Sed ad ordinem redeo.

5.15. Cùm Geometriam, vt dixi, profiterer, libros quindecim in ea arte condidi, hoc titulo: *Noua Geometria*: eamque rationem ſeruaui, vt conſequentia ſingulas propoſitiones ſuo loco repoſuerim, atque demonſtrauerim. Itaque primis quinque Euclidis, totidem nouæ Geometriæ libri reſpondent: ſexto autem, duo è noſtris, ob illius magnitudinem. Septimo, Octauo & Nono, nullum comparauimus: quod eorum tractatio Arithmetica cùm ſit, ad opus perfectum ſit tranſlata. Decimo etiam nullum ſcripſimus correſpondentem, ob illius perfectionem, & vt aliis tractationibus nouis locus relinqueretur. Verùm octauum, nonum ac decimum, ſuper Euclidis vndecimum confecimus: Decimo autem duodecimum illius complectente. Vndecimus quoque ac duodecimus ſuper reſiduum duodecimi conſcripti ſunt. Sed duodecimus eade corporibus demonſtrat, ac linearum ſolida poteſtate, quæ decimus elementorum de linearum poteſtate ſuperficiali. Tertiuſdecimus liber noſter principiis innititur trium vltimorum Euclidis librorũ. Sed quartus decimus eſt Dilemmatum: quintus decimus autem, Paralipomenon. Initium operis eſt: Super datam rectam lineam. Docemus quatuor primis libris figurarum diuiſionem, atque inſcriptionẽ earum, ſcilicet quas Euclides prætermiſit, vt trigoni vel quadrati vel duorum ſingulorum in triangulo. In quinto autem, de coniunctione proportionum, cùm Euclides de multiplicatione illarum ſolum egerit. Docemus etiam proprietates quantitatum, quæ continuam proportionem tenent: generaliter quidem omnium, ſed propriè trium, quatuor, quinque, ſex ac ſeptem. In ſexto ac ſeptimo, reflexam proportionem: nec non multa de ſuperficierum proportionibus. At in reliquis ſex, ſolidorum proportiones demonſtramus, non ſecus ac Euclides de Superficiebus egit. Sed in quartodecimo, de duplici deductione, inſtrumentóque Periplomeno ſeu Perirgaplaco: & deſcriptione Heptagoni, illiúſque natura ac proportionibus, tum aliis figuris ad hanc vſque diem ſolo nomine cognitis. In vltimo autem de Ooide ſeu ouali corpore legimus: nam reliqua corpora quæ vocantur Canonica, attigit Euclides: Archimedes Sphæram, Conum Apollonius Pergeus, Cylindrum Serenus. Reliquum igitur erat ad perfectionem artis, vt de illo tractaremus, vt eſſent in toto opere nouem præcipuæ tractationes ab antiquis intactæ: Diuiſio figurarum, & relictarum inſcriptio ſeu circumſcriptio: Paralipomena, quæ ad iungendas quantitatum rationes, & continuæ proportionis in certis numeris quantitatum proprietates: Reflexa proportio, ſolidorum proportiones, & laterum eorum nomina, poteſtateſque Heptagoni, & aliarum figurarum per perirgaplaca deſcriptio, & Ooidis affectiones, naturamque. Hoc tamen opus ſic conſcripſi, vt eſſet totum inordinatum, & magna ex parte mancum, & minimè emendatum: deinceps autem penè ipſum perfeci. Magnitudo totius operis, foliorum ducentorum.

Anno trigeſimo ſexto Arithmeticam artem conſcripſi, lxviij. capitibus contentam, in cuius titulo variatum eſt, ſed cauſam alibi declarauimus: eam tamen cùm in opus perfectum tranſtulerim præſentibus non annumero, tametſi edita ſit. Sphæræ etiam commentarium ſcripſi: ita vocari ſolet opus, quod Ioan. de Sacrobuſto compoſuit. Extant hæc, velut & duo alia in primos Vitruuij de Architectura, quæ ſunt apud Ferrarium. Deſti-

nauεram opus perficere , sed commodiùs vi-
snm est vt res potiùs sectaret : & quæ tractas-
sem, in libros De Varietate rerum, & de Sub-
tilitate , traducerem. Simili modo etiam in-
terpretatus sum primum ac septimum Geo-
graphiæ Ptolemæi librum: quæ Commenta-
ria & Latinè extãt, & materna lingoa à Prin-
cipe Istonij eleganter conuersa. Tunc etiam
libros de circulis Sphæricis , vmbris , atque
ponderibus : sed rem à Monteregio peractam
inueniens , destiti , solùmque quædam fra-
gmenta supersunt de ponderibus & vmbris :
tenénsque multa paraui , sed nihil editione
dignum. Vidi autem per somnium , librum
tribus coloribus depictum (qui mihi à patre
ostendebatur : delectabátque me non solùm
colorum varietas (qnippe rubro , viridi , ao-
reóque distinctus erat) sed etiam mnlto ma-
gis res tractata. Iamque cœperam libros hoc
argumento de Retum varietate inscribere, or-
dinare atque perficere : cùm interim Ludoui-
cus Ferrarius in domum venit : is adhuc puer,
rescripsit hos libros. Quo tempore , vt etiam
in Medicina aliquid scire viderer , librum de
Malo medendi vsu confeci : & alium adinn-
xi , cuius titnlus erat : Quòd nullum simplex
6. 1. Medicamentum noxa caret. Initium prioris
est : Medicam artem antiqois temporibus ;
7. 1. posterioris : Multos ego vidi Medicos : ambo-
rum magnitudo , foliorum xvi. Porrò in his
duobus libris propositum erat , damnare quæ
perperam aguntur in arte , vitiáque indicare:
sed deerat occasio edendi. Itaque fortè fortu-
na aliàs cùm in Academia essem , cum nemi-
ne contraxeram amicitiam , nisi cum adole-
scentulo quodam pallido, qui vltrò ad me ac-
cessit , cùm & ego (Fatis ita volentibus) cu-
perem illius amicitiam , aliorum autem di-
tiorum ac potentiorum aspernarer : ita is mi-
hi adhæsit , vt cum alio prorsus nesciret om-
nioo viuere. Mortuo patre factus est dominus
tabernæ Typographicæ : multorúmque præ-
lorum: vt certè videantur omnia nostra à quo-
dam numine directa. Huic igitur aperio con-
silium meum. Libenter suscipit onus , in-
quiens : Hoc paruum est , quod proponitur :
etiamsi tota impensa petitura sit , tui gratia
imprimam. Existimo tamen non magnam ia-
cturam me facturum : hæc ille. Atque meri-
tò sospicabatur , cùm ab omnibus contem-
nerer & oppugnarer, in artis autem operibus
negligerer , cur esset vt alios docere vellem?
Sed altius latebat fari mei consilium ; impri-
mitur liber , atque hic primus est editorum,
qui lxvj. continebat abusus. Secundò , cum
ab iisdem imprimeretur , centum complexus
est. Præcipua in eo sunt : lasseris vires : præ-
ceptum , Quòd non agendo semper minus
peccatur , quàm qnippiam perperam agen-
do: Quanta occurrant consideranda rectè age-
re volenti. Exceptus quoque est à multis ala-
cri animo : cessitque res aliter quàm speraba-
tur : sed & longè aliter commodum, quod ex-
pectabamus ex illis libellis : nam gloriæ loco,
quemadmodum & Hippocrates de se testatur
Democrito scribens , infamiam retuli. Hos
quidem superesse permisi , non quòd aliquid
dignum effatu continerent: sed vt cuique per-
spicuum esset , quantum homo ab homine
differat : siqoidem primi sunt illi eorum qui
supersunt , utque editi sunt : editi enim sunt
anno ætatis meæ trigesimoquinto. Facile ita-
que peripicere poteris elocutionem , artem,
emphasim ,horum , tum singulorum , provt
vnumquodque serius aut tempestiuius editum
est: quod etiam in adiodicandis aliorum labo-
ribus non leuem vtilitatem afferet.

Anno autem trigesimonono , cùm iam in 8. 2.
Collegium receptus essem , plus exercitatio-
ni medẽdi quàm antea intentus, scribere ador-
tus sum librum, cuius titulus est , Floridorum;
id est, Medicarum disputarionum. Eius ini-
tium est : Sanitas est dispositio , qua vnom-
quodque membrum perficere potest operatio-
nes suas : continet capita xxiij. folia centum.
Eius titulos , vt principaliorioris libri , ascri-
bere libuit : sunt autem hi ;

1 De sanitate , & reliquis dispositionibus.
2 De spiritu.
3 De viribus.
4 De febre diaria.
5 De humoribus.
6 De febre putrida.
7 De membris.
8 De hectica.
9 De febre pestifera.
10 De ventriculi morbis.
11 De intestinorum morbis.
12 De iecoris morbis.
13 De renum morbis.
14 De symptomatibus capitis capitis.
15 De symptomatibus pectoris.
16 De symptomatibus membrorum natura-
lium.
17 De symptomatibus extremorum mem-
brorum.
18 De symptomatibus abscessuum & vulnerũ.
19 De symptomatibus variis & raris.
20 De capitis morbis.
21 De signis.
22 De interrogationibus & agendis.
23 De auxiliis raris.

Proprius vsus libri , maximáque vtilitas
est , difficillimas Medicinæ quæstiones sim-
plici oratione edocere. Ordinem quoque &
facilitatem secuti sumus , vt si ad subiectam
materiam respicias , adeò necessaria sit, vt si-
ne horum cognitione Medicus esse non pos-
sit : sin ad facilitatem, quemlibet possit inui-
tare ad legendum : si ad ordinem , & facile
inuenire possis , & inuenta memoriæ com-
mendare. Summum enim studium nobis fuit,
vt lectores & studiosos iuuaremus, postquam
tot sunt quæ homines ab optimo opere auer-
tunt. Pleraque autem ex his quæ ibi tradun-
tur, apud Galenum vix possunt inueniri : imò
apud illum dubia atque obscura sunt si modò
sint : seu quòd prætermiserit , seu quòd libri
in quibus hæc traduntur, interciderint. Verùm
quanquam huius libri tota farrago extet , ip-
sius tamen libri vix viginti chartæ absolutæ
sunt. Scripsi & alium librum de Medicamen-
tis simplicibus , cuius initium est : Faba in-
uersa herba est foliorum decem.

Sub iisdem quoque temporibus libros octo 9. 8.
conscripsi, de Indico seu Gallico morbo. Pri-
mus liber continet causas & originem huius
morbi : Secundus , signa : Tertius , genera-
lem methodum curandi, vtpotè Medicamen-
tis, victus ratione sanguinis missione. Quar-

tiș, curam per argentum viuum: Quintus, per lignum Indicum, corticémque eius, aquã, vinum simplex, compositum: Sextus, de Cyna radice: Septimus, de Sarza parilia: Octauus, de exquisitissimo modo curandi hunc morbum. Initium operis est: Hunc morbum habuisse: magnitudo, foliorum cccxxiv. Hi libri vnguenta & medicamenta mirabilia continent, ac rationem curandi sublimem ac singularem. Nouus morbus, noua curandi ratio, magnifica experimenta, methodúsque medendi singularis. Habet enim hic morbus multa præcipua, magnitudinem cum lenitudine, varietatem magnam, species multas.

10. 4. Per eadem tempora, quòd de somniis sæpiùs admonitus essem, de impendentibus casibus, scripsi decem libros de illis, quos hoc anno M. D. lxj. reduxi in quatuor, arte mirabili, quorum titulus est: Synesiorum somniorum. Primus est de principiis artis eius, & somniis simplicibus: Secundus, de compositis, & specialibus quibusdam illorum generibus. Tertius, de statibus & mutationibus. Quartus, est de exemplis: continet capita centum, & constructus est arte mirabili. Initium operis Somniorum interpretationem velut diuinitùs concessam: magnitudo, foliorum sexaginta. Vnde mirum est, tot & tanta tam paucis chartis potuisse comprehendi. Sed plus continetur, quàm in fronte repositum sit.

Tunc verò contigit, vt Brixensis nomine, Ioannes Colla, vir procerę staturæ, macilētus, pallidus, subniger, cauis oculis, mansuetis moribus, tardus in ambulando, rarus verbis, ingeniosus, ac in Mathematicis exercitatus, Mediolanum veniret: retulitque, inuentas esse duas regulas Algebræ, vt vocant, cubi & numeri inuicem comparatorum. Sciscitatus sum à quo? A Scipione Ferreo Bononiensi, inquit. Quis habet? Nicolaus Tartalea, dixit: & Antonius Maria Floridus. Sed Tartalea, cùm Mediolanum venisset, illas me docuit quamvis satis inuitus: has cùm diligenter perscrutatus essem, cum Ludouico Ferrario, inuenta demonstratione alias innumeras etiam adinuenimus, vt ex his librum
11. 8. artis magnæ conficerem. Conscripsi igitur operis perfecti primum librum, cuius initium est: Si ab antiquitate aut necessitate: & est foliorum xl. Tertium, foliorum lxij. cuius est initium: Cùm in radicibus quantitarum: & Quartum, foliorum xxx. initium, Denominatio est numerus. Sextum quoque, foliorum xcvi. initium cuius est: Numerorum alij dicuntur primi. Decimum, cuius initium est, Hæc ars olim à Mahomete, foliorum lxxxiij. Primus enim est de integris: Secundus de partibus: Tertius de lateribus quadratis, cubísve: Quartus de incognitis: Quintus de proportionibus: Sextus de numerorum proprietatibus: Septimus de Mercatura: Octauus de redditibus: Nonus de his quæ sunt extra ordinem: Decimus, de regulis magnis: atque ideo Ars magna vocatur, atque hic solus ex omnibus editus est. Vndecimus docet planorum mensuras: Duodecimus solidorum: Tertiusdecimus quæstiones Arithmeticas, vt Quartusdecimus Geometricas. Hi libri complura continent singularia: primùm quidem proprietates numerorum admirabiles, & maximè vsque ad septem continua proportione connexos, laterum & solidorum, ac superficialium vires, operationes, regulas generales inueniendi numeros occultos ex notis, quas Algebræ vocant, breues, ac incognitos hucusque supputandi modos, multáque alia mira dictu. Si nos gloriaremur artem hanc à nobis inuentam (tametsi de ea Nicomachus, Ptolemæus, Pacciolus, Boëthius, multa scripserint) fortasse non mentiremur. Nam neque centesimam partem eorum quæ à nobis inuenta sunt, tanti viri attigêre. Sed de hoc, vt de aliis, iudicium, vt par est, posteris relinquamus. Nos tamen ob id perfectum opus appellauimus, quòd omnibus rationibus sit absolutum.

Tum verò Arithmantiam exaraui, perfecique propemodum: & cùm perfecissem, deleui: licet enim ingeniosa esset, ac admodum delectabilis: quia tamen veritatis in se nihil continebat, & multorum malorum causa esse poterat, ideò protinùs vt perfeci, laceraui, discerpsique. Postmodum cùm artes & libros nihil proficere aduersus temporum & mortalium malignitatem viderem, sed potiùs intentum his abducere hominem à lucro, famáque: quasi dolorem leniturus, quòd cogerer
propositum relinquere, libros tres de Conso- 12. 36.
latione conscripsi, quorum initium est: Vtinam ex tot tantísque veterum monumentis, quæ barbarorum bellis interière: magnitudo, foliorum xxxvj. Primus, generalem rationem consolationis continet. Secundus, de mortis ac luctus consolatione: Tertius, de consolatione infortuniorum quæ contingunt circa externa.

Hos libros scio multos spernere: nam felices, his se non indigere putãt: infelices, ad solatium miseriæ non sufficere. Et tamen felicibus moderationem, dum inconstantiam humanæ conditionis docent, præstant: infelices, si omnia rectè æstimare velimus; fortes reddere possunt. Nam nostra omnia momentanea sunt, & nihil aliud quàm flatus & ventosus tumor est ipsa felicitas humana. Nullum medicamentum omnes sanare potest: sunt affectus animi, qui prorsus sunt insanabiles: non tamen artis opus sperni debet, aut Medicinæ, aut Philosophiæ. Arrianus & Plotinus adeò instant, vt parum talia referre putent: nos aliquid. sed multa falso æstimari docemus. Impressus est hic liber ab Octauiano Scoto primùm, deinde cum libris De Sapientia à Ioanne Petreio Norimbergæ. Id qua ratione contigerit, nunc explicabo. Neque enim, vt dixi, Octauianus spontè libros meos, neque libenter imprimebat, iacturam veritus impensæ: nam tametsi lucrum fecisset in librorum De malo medendi vsu impressione, Id tamen in libris De consolatione postea compensauit, non solùm quòd titulus, & forsan etiam stylus non arrideret: sed quòd Typographus suus innumeros atque turpissimos errores imprimendo commisisset. Quam ob causam librum De Astrorum iudiciis, primùm ego mea impensa Mediolani imprimi curaui, quòd esset exiguus valde, folia continens decem tantùm. Verùm eo quoquo modo distracto, & etiam cum iactura, vbi libros de Consolatione tam fœdè à Typographo Scoto con-

ſpurcatos vidiſſem, curaui vt artem Arithmeticæ Mediolani excuderent: ſatis enim conſtabat implexum opus, quodque notis variis atque figuris indigeret, ſi alibi quàm Mediolani imprimeretur, tum ob cauſas dictas, tum materiæ quæ tunc noua videbatur difficultatem, tum etiam exemplaris obſcuritatem, infinitos errores habiturum. Quòd ſi Venetiis apud eoſdem Scotos excuderent, ne vmbram quidem ſuperfuturam: vt mihi omnino labor & gloria, Typographo impenſa peritura eſſet. Statui igitur Mediolani librum imprimere: oblata eſt occaſio: nam Bernardus Caluſchus Bibliopola ſuis impenſis id egit, ſuoque periculo: decemque coronatos mihi pro exemplari dedit: tanti fuit noſtra fortuna: nam mea impenſa imprimi non poterat, neque (vt dixi) alibi, præterquam in vrbe noſtra: nec ſi non impreſſus fuiſſet, noſtra monumenta inueniſſent Typographum: continuò enim eo opere impreſſo, cœperunt omnia commutari. Nam adieceram Catalogum qualemcunque librorum noſtrorum, quos vel ſcripſeram, vel cœperam ſcribere: & liberis diſtrahi cœpit in Galliis atque Germaniis. Itaq; cùm tunc eſſet Andreas Oſiander Norimbergæ, vir Latinæ, Græcæ, Hebraicæque linguæ peritus, tum Typographus Ioan. Petreius, bonis literis, ſi quis alius, fauens, inito conſilio totis viribus mecum agere cœperunt, vt aliquod opus illis traderem vt imprimerent. Atque ita initium gloriæ noſtræ, ſi qua deinceps fuit, hine ortum habuit. Ergo primum librum De aſtrorum iudiciis auctum edidi.

13.7. Anno deinceps quadrageſimo, cùm conſcripſiſſem tres libros de Æternitatis arcanis, mox in ſeptem diuiſi, magnitudine operis & varietate argumenti motus. Itaque non ſolùm librorum, ſed etiam capitum, ob ſubiecti elegantiam, ſeriem ſubieci.

TABVLA LIBRORVM de Arcanis æternitatis.

Libri primi, de Deo, mundi ortu, numero, magnitudine.

PROOEMIVM.

1 Quænam ſupponere oporteat.
2 Quænam ſint, & quot genera eorum quæ ſciuntur & cognoſcuntur.
3 De modis quibus homines cognoſcunt abdita, & de afflatus generibus.
4 Deum eſſe vnum & æternum.
5 Ariſtotelis ſuppoſita.
6 Ariſtotelis ſententia & rationes pro mundi vnitate.
7 Ariſtotelis ſententia & rationes pro mundi termino.
8 Ariſtotelis ſententia & rationes pro mundi æternitate.
9 Peripateticorum ratio circa Dei ſcientiam.
10 Suppoſita ex hiſtoria aduerſus Ariſtotelem, & eius reſponſiones.
11 Oppugnatio reſponſionum illius.
12 Diſputationis initium aduerſus Philoſophos.
13 Deum eſſe infinitum.
14 Deum cuncta ſcire.
15 Deum omnia poſſe.
16 Quòd non omnis potentia iuxta hominum opinionem perfici poteſt.
17 Infinitum eſſe in mutatione.
18 Infinitum in corporis actu inueniri, & quid ad hoc Philoſophi reſpondeant.
19 Species rerum non eſſe æternas.
20 Mundum initium habuiſſe.
21 Mundum generari & corrumpi rationibus à ſenſilibus ſumptis.
22 De interitu & generatione mundi.
23 Nihil eſſe æternum præter Deum.
24 Solutio rationis cuiuſdam de ſtirpibus contra æternitatem.
25 Solutio rationum Ariſtotelis pro mundi vnitate.
26 Solutio rationum Ariſtotelis pro mundi termino.
27 Solutio rationum Ariſtotelis pro mundi æternitate.
28 Solutio rationum Peripateticorum de Dei ſcientia.

Libri ſecundi, qui eſt de mundi diuini, quem intelligibilem vocant, conſtitutione.

1 Quæſita deſiderata, & de decem generibus hominum.
2 De tribus ſubſtantiis.
3 De generibus entis.
4 De Dei prouidentia.
5 Abyſſus diuinæ ſapientiæ, & de cauſis malorum.
6 Quomodo idem ſit vnum, & producat.
7 Quomodo idem ſit ſimplex & fœlix.
8 Quomodo idem ſit neceſſariũ & liberum.
9 Quomodo quod non intelligit, quæ intelligant, producat.
10 Vtrum vnum idémque ſimul ſit, ac totum.
11 De incorporeis.
12 De anima, & verbo Sum.
13 Animam humanam eſſe immortalem.
14 De eo quod eſt ſupra animam.
15 De dæmonibus, & cultoribus aërearum regionum.
16 De mundi anima.
17 De idæis, & quid ſint.
18 De pulchritudine.

Libri tertij, qui eſt de Mundi ſenſilis conſtitutione & ordine.

1 De ſex vitæ ſeu mundi generibus.
2 De conſenſu & diſſenſione partiũ mundi.
3 De cœli varia ſubſtantia.
4 De aëris regionibus.
5 De materia omnium.
6 Quæ in vniuerſo, maiore ex parte aliquam inſignem vim habuẽte.
7 De mundi tripudio.
8 Cœli motum fieri per partes non commenſas.
9 Dialectica oſtenſio, quòd idem bis fieri non poteſt.
10 Anima in animalibus ex putredine genitis, an cauſa præparationis, an præparatio cauſa animæ.
11 Mathematica cur aliter eſſe non poſſint.

12 Partium

11 Partium orbis constitutio & mores.
13 Species quæ & quot,& de mundi ordine.
14 De imaginibus seu speciebus fossilium.
15 De specie & qualitate.
16 Cur hoc totum & partes.
17 De Natura.
18 De mixtione generali.
19 De æternitate & tempore.
20 De eo quod potentia & actu est.

Libri quarti, qui est de ordine rerum humanarum.

1 De Mundi & hominis similitudine, & æqua partium distributione.
2 De sensu & memoria.
3 De contemplatione.
4 De numeris.
5 De virtute & peccato.
6 De felicitate.
7 Congregationes an digniores singularibus.
8 De legum necessitate, vsu & damnis.
9 De legum comparatione.
10 In omni falso veri, in omni vero falsi aliquid contineri.
11 Mosen fuisse verum prophetam.
12 Quibus argumentis Christi diuinitas ostendatur.
13 Miracula fuisse vera.
14 Christi conceptionem,& illius atque Augusti fuisse mystieam.
15 De rerum humanarum æqua distributione.
16 Quòd huius mundi voluptates sint inanes.
17 De quincuplici genere humanæ vitæ, ac fine hominis.
18 De arte militari.
19 Imperia ac regna esse animæ sensilis.
20 Imperia & regna esse mundo necessaria.

Libri quinti, qui est de successionibus rerum naturalium.

1 Quàm difficilis sit hæc tractatio de successibus.
2 Quot & quanta accipere oporteat ad recte prædicendum de futuris.
3 De triplici successionis tempore, cœlesti, naturali, & humano: & eorum differentiis.
4 De xxi. generibus terminorum vitæ.
5 Quòd mundus diu superfuturus est.
6 Expositio verbi Christi, Ego sum veritas: quantum mundus durabit.
7 Quomodo in infantia mundi sapientes & prophetæ seu vates.
8 Quomodo intelligenda sint ea verba: Et prædicabitur hoc Euangelium.
9 Qui dicantur magni oodi, & de cognitione temporum eorum.
10 Quæ in successiuis temporibus fiant.
11 Qua ratione mundus fluat per tempora.
12 De septem calamitatibus generalibus.
13 De causis earum.
14 De signis præcedentibus eas.
15 De prodigiorum interpretatione.

Libri sexti, qui est de successione rerum humanarum.

1 Quanta sit humana conditionis miseria.
2 De duplici modo quo cunctæ res finiuntur.
3 Nullam legem posse esse perpetuam.
4 De legum interitu, & causis eius.
5 Signa mutationum legum.
6 De legum promulgationibus & initiis, & Philosophorum opinionibus de fine bonorum.
7 Leges, regna, ciuitates & familias, certos habere fines, demonstratur historia, ratione naturali & mathematica.
8 Libros & scripta sapientum necessariò interire.
9 Linguas & artes etiam suum habere interitum.
10 Quantam vim habeant mores & instituta.
11 De exitio imminente.
12 Quòd in omni exitio imminente præuenit vnus qui prædicit.
13 Nullum imperium vel regnum posse esse perpetuum.
14 De causis destruentibus regna & imperia.
15 Quòd mutatio sedis imperij destruit imperium.
16 Quòd nulla ciuitas potest esse perpetua.
17 De ciuitatum vario interitu & calamitatibus.
18 Quòd quæ ad vnum & in vno, & quæ decedunt, omnia calamitosa.
19 Religio an vtilis ad artem militarem, & quæ,& quomodo.
20 Quæ sint necessaria ad obtinendum imperium vniuersi.
21 Addita ad legem Christi, impedire imperium vniuersi.
22 Gallos, Italos, Hispanos, Germanos, non posse adipisci imperium vniuersi.
23 Indiam Orientalem à Lusitanis, Occidentalem ab Hispanis, Hochelagam à Gallis defecturam.
24 Omnes qui sanguine proprio libertatem quæsiuêre, obtinuerunt.
25 De causa exeidij Iudæorum.
26 De perturbationibus Mahumetanorum.
27 Circuitus esse in rebus humanis, vt etiam in naturalibus.
28 De Christi imperio, quando, & vbi erit.
29 De causis repugnantiæ in constitutione status cuiusque Reipublicæ.
30 Leges ciuiles breuiter explicatæ.
31 De seruis.
32 Exemplum generale, de ciuitate Mediolanensi.

Libri septimi, qui est de fine Mundi.

1 De fine Mundi.
2 De prodigiis præcedentibus finem Mundi.
3 De Mundi redim post interitum.
4 Breuis Epilogus historiæ Mundi.

Facile igitur est ex his quæ capitibus ipsis pro titulis præscribuntur, materiam librorum coniectari. Difficilimus tamen liber est Primus, propter mundi numerum, magnitudinem & vitam. Animi quoque & mentis vnitas,

tas,immortalitas,consensus & varietas, atque diuiso non leuis. Initium : Cùm in omnibus quæ ad hanc vsque diem scripsimus: magnitudo, foliorum clxij.

14.5. Superfuit ex farragine illa folium vnum, De Sapientia, quod anno quadragesimo secundo auxi primùm: deinde in quinque libros diuisi, edidique. Eius operis initium est: Quamquam omnium bonorum sapientiam diuinissimam esse constet. Agit autem in primo, de Diuina Sapientia : in secundo, de naturali: in tertio, de humana : in quarto, de Dęmoniaca: in quinto, de errorum emendatione : magnitudo, foliorum lxx. Explicant hi omnem humanæ vitæ cursum, viuendique rationem. Explodunt vanam superstitionem, mortaliumq; cupidam futura ex illicitis artibus præsciendi mentem coarguunt. Felicitati parandæ hi vtiles sunt: Sed mortales non adeò sapientiæ præceptis, velut artib. atque scientiis indigere se existimant. Hi si emendatiores in publicum prodiissent, non erant paruæ vtilitatis : quandoquidem humanam vitam excolere non parum sit.

15.1. Ex eadem fartagine sumpta est materia libri de Animi Immortalitate, cuius est initium: Sępe ac diu dubitatũ est, an animus hic noster: folia continet xl. hunc ergo Gryphius anno M.D. XLV. vt alium Ioannes Petreius præcedenti anno, excudit. Docet hic liber, Animũ nostrum esse immortalem, communique omnium sapientum consensu ex homine in hominem, à supremo die transmigrare : multorum quoque mirabilium quæ circa mortuos tum imagines contingunt, tum aliorum causas reddunt. Hic cum multis, licet leuibus, mendis scateret, non legitimum locum obtinuit : quippe succedentibus Theonosti libris obscurior euasit, alioqui satis iucundus lectu.

16.2. Simili ratione ex librorum de Consolatione farragine, librum qui dicitur Consolatorius amantium, perficere destinaueram : sed maioribus intentus destiti. Perfeci autem primum Contradicentium, quem impressit Octauianus Scotus: inde denuò, tum secundo Gryphius, libri sunt octo, nunc recognitis primis ac immutatis, ne quid deesset: foliis opus totũ constat quadringentis, initium eius est: Excrementa quæ. Fuerunt hi libri necessarij, nedum vtiles, vt multorum simul autorum memoria coleretur: & ne dubitaremus quinam libri fide digni essent, vel qui apocryphi, vel vt minus celebris scriptoris : & vt sciremus quibus in casibus hæc aut illa conuenirent. Tum verò Medicinã Mediolani profiteri cœpi, stipendio satis amplo pro ratione temporum, & in patria, & nunquam aliàs professus : siquidem cẽtum quinquaginta aureorum coronatorum: is fuit annus ætatis quadragesimus tertius:

17.1. Conscripseram iam ætatis anno xxxvij. librum, de libris Propriis: imò non librum, sed potiùs tabulam: deinde auxi, iterúmque mutaui, donec ad hunc ordinem redigeretur. Nec tàm necessitate eorũ quę adiiciebantur indies, quàm etiam certo iudicio: liber hic tam sæpe mutatus est. Iconem ergo quendam mihi in eo proposui omnium eorum quæ à me conscripta sunt, non solùm ad memoriam confirmandam, eligendosque mihi libros, quo priùs absoluerem & castigarem: sed vt doceam; quibus causis, temporibus, quoque ordine talia conscripserim, & vt vim numinis suo loco testarer. Imitatus sum in hoc scribẽdi genere Galenum & Erasmum, qui ambo catalogum librorum suorum scripserunt. Verùm non hic solùm docui librorum nomina, sed & magnitudinem, initium, materiam pertractatam, ordinem diuisionis, ordinisque librorum inter se vtilitatem, quidque in se præcipuum continerent : qua ex re etiam opera ipsa in capita digessi, quædam autem etiam in libros: neque quicquam difficilius huiusmodi enarratione, in qua medium tenere cogor: nec omnibus idem medium est. Sustulimus in hac editione curas admirabiles, quas olim peregimus. Floruimus quondam, en quò me filij stultitia, Senatus austeritas, & ingrata quorundã amicitia, tum patria genúsque humanum adegerunt? Itaque solùm de vitæ cursu, librísque à me conscriptis hic agam: Præcipua verò vtilitas est, docere, quónam pacto libri sint conscribendi: neque enim obiter hanc materiam pertractaui, sed quàm diligenter in tanta breuitate licuit: res omnibus necessaria, præterquam his qui sibi plurimum sapere videntur. Hæc in aliis editionibus iam antea euulgatis desiderantur. Si quem delectat videre nostræ ætatis decursum, fortunam, labores, fructus, non alibi melius perspicere poterit. Scripsimus enim illum anno sexagesimo ætatis nostræ diligenter, castigauimúsque. Quid etiam in posterum facturi simus, edocemus: ne quis nouam editionem illius requirat, cùm quid facturus sim deinceps exposuerim. Etsi fortefortuna ante omnium absolutionem eripiat, modum docui quo expleri possint, atque limari. Curabo etiam quàm potero enixè, vt aliquis vel è stirpe nostra, vel aliena, ita sit institutus & animatus à nobis, vt hoc munus suscipere possit & velit. Addam præterea huic operi tria encomia, Geometriæ, Podagræ & Neronis, vt cum his expleat chartas centũ.

Exegeram iam quadragesimum secundum ætatis annum, in extrema (vt ita dicam) non solùm rerum inopia, sed fortunæ miseria, cùm Florentiam inuisi: deinde Senas profectus, Franciscum Sfondratum, Præfectum vrbis, virum omni laude dignum, ac de me benemeritum, salutaui. Is cùm reuersus esset Mediolanum, sequente æstate, ob ingentia bella. Academia in vrbem nostram translata est. Abeuntibus etiam Professoribus, ob inopiam rei pecuniariæ, locum eius accepi, qui Papiæ iam anno M.D.XXXVI. pro me fuerat subrogatus, Medicinãq; professus Mediolani, inde Papiæ, vsq; ad M.D.LI. nisi quòd M.D. XLVI. intermisi. Scripsi igitur his annis commentaria in duas primas sectiones Aphorismorum, foliis cclxxv. deinde quoddiu antè instituerã, aggressus sum expositionem omnium Hippocratis librorum : adeò vt centum Commentariorum libros scribere instituerim : speroque huiusmodi expositionem omnium quos ediderim, aut conscripserim librorum præstantissimã futuram. Siquidem maturo iam annis consilio conscripti sunt, ac magis per otium, deinde, quoniam vniuersam artem, licet generaliter tantum amplectuntur, & diuini (vt ita dicam) Hippocratis sententiæ inhærent, & finem habent nobilissimum, quippe artem pa-

randæ

randæ aut seruandæ sanitatis. Sex enim artes totas totidem voluminibus complexus sum. Arithmeticam in opere perfecto, sed & eam (vt dixi) penè etiam totam inueni: verùm cùm non adeò nobiles hæc ars professores habeat, non in tot manibus erit tum etiam ob difficultatem. Astrologiam, in commentariis iam supra Ptolemæum editis: sed & hæc ob difficultatem, licet nobiles, paucos tamen habet lectores: tum magis, quòd plures inuidos hæc ars sortita sit. Musicam in quinque libris restitui ab extrema iniuria vetustatis ac desuetudinis, amissis etiam libris qui de ea tractabant, ob negligentiam & vetustatem: sed tamen his libris pauci operam dabunt, quòd qui exercitatione illius non delectabuntur, nec intelligent nec extrabunt artis principia & rationes: qui verò ipsam exercent artē, ab eruditione, ac Mathematicarum scientia plurimum absunt. Metoposcopiam, quam multi vix artis nomine dignaotur appellare, non puto magnam habituram dignitatem. Dialecticam verò an editurus sim, nescio. At commentaria hæc in vniuersam Hippocratis doctrinam, præter id quòd totam artem amplectuntur, historia delectant. & vtilitatem secum coniunctam habent, scribunturque eruditis, nobilibus, diuitibus: ipsa ars in veneratione, ipsa autoris fama inclyta, cuius nomen colitur apud omnes, ad quos memoria eius peruenit. Itaque omni studio, diligentiaque incumbam, vt quamprimùm perficiantur. Initium duxi ab Aphorismis, vt dixi, quos hoc anno in lucem edere proposui. Sequenti autem, octo alios: quorum septē ad præcepta generalia pertinent: octauus verò de Aëre, aquis & locis. Pòst verò vigintitres in Epidemia, seu vulgarium morborum libros ij. igitur erunt triginta octo, supereruntque libri Hippocratis quinquagintaquatuor. Si ergo libros de affectionibus, & de internis affectionibus, tum de natura muliebri, & duos qui sunt de morbis mulierum, librosque Prænotionum, seu Prognosticorum, & Coacarum prædictionum, & de Ratinne victus in morbis acutis, qui omnes satis longi sunt, in duos distinxero, centum numerum ad vnguem expleuero. Erit autem initium operis, quod & Hippocratis, iusiurandi scilicet: Apollinē medicum & Æsculapium. Porrò quæret quispiam, cur tamdiu, quòd iam tanto tempore
18.100. destinaueram, opus hoc distulerim? Huic ego non adducam negotiorum interpellationem pro excusatione, sed quòd non intelligerem satis omnia, vt decebat. Quomodo autem ad hanc cognitionem deuenerim, suo loco inferiùs explicabo: nunc autem paucula de commentariis his subiungere libet. Erunt autem, vt reor, si ex vngue leonem, ad chartas mille ducentas, textus verò ipse trecentorum: vt opus necesse sit in duo volumina, seu tomos diuidere. Ergo in eo summa industria, vt par erat in tanto opere, vsus sum. Incitauit autem me ad hoc felix quædam interpretatio, primùm in Aphorismos, cùm vidissem Galenum adeò oscitantes illos exposuisse, vt ne vmbram quidem sensuum Hippocratis videatur assecutus: nam cùm esset intentus contradicendo Sophistis, veram Hippocratis sententiam passim reliquit, modò multa excipiens, modò etiam nonnulla apertè damnans. Ex eo visum est mihi operæpretium me facturum, si omnes illius explicarem, & à primo interitu vindicarem. Itaque rectè laborem collocaturus videbar, vbi nouitas rei me hortaretur, historiæ varietas delectaret, sensuum profunditas ingenium exerceret, vtilitas operis accenderet, viri autoritas tueretur & illustraret, multitudo rerum digna esset laboribus tantis. Ergo nunc primùm audietis Hippocratem noua lingua loqoentem ac disserentem, non minus quam existimatis noua esse quæ in Geometria & Arithmetica inuenimus. Sed hæc minoris sunt vtilitatis, & forsan non inuenta, quia neglecta: ibi totum mortalium genus neruos, vt assequi sensa possit, intendit. Sed iam ad ordinem cœptum redeo.

Anno quadragesimoquarto Papiam me contuli, & cùm præcedenti anno commentaria Aphorismorum scripsissem, tum scripsi commentaria Artis medicæ, chartis centum sexaginta: quorum initium est: Iam diu intermissum. Anno autem quadragesimo sexto (nā anno vno intermisi, ob pecuniariæ rei publicam inopiam) commentaria confeci in primā primi Auicennæ, chartis centum quinquaginta: quorum initium est: Hucusque diuersis cum ambagibus: extant autem hæc omnia, vt etiā expositiones in Aphorismos priores, quarum initiō est: intermissum ac penè: chartis ducētis ac pluribus. Sed & circūferuntur plurima scripta in huiusmodi genere à discipulis, & varia, quæ ego non inter scripta mea connumero, licet extent. Nam sunt etiam tabulæ duæ magnæ: vna cuius inscriptio est: Tituli librorum classicorum autorum, foliorum x. initium cuius est: Oratio suasoria: altera autem foliorum xxxij. cuius titulus est, Tabula Hippocratis, cuius initium est: Ne miretis candide lector, quarum vsus fuit mihi vtilissimus: duoque mihi sunt exemplaria: sed & primæ copiam aliis feci, huius autem non, quòd quatuor mēsibus vix nil aliud agens absoluerim, Similiter extāt Encomia Podagræ, Geometriæque: Neronis etiam, sed imperfectum: Orationes quoque supra viginti in genere demonstratiuo, in laudem scilicet eorum qui lauream susceperunt. Epistolæ quoque familiares sine numero, ad Principes, tum priuatos: vnaque præcipua ad Fraociscum Gadinm, Pharrium ex ordine Canonicorum B. Augustini, qui cum mihi amicus esset dum floreret, Rexque cognomine ob potentiam appellaretur, coniectus in carcerem, miserè vitam ibi, ne dicam crudeliter, finiuit: nam per quindecim dies in profundissima gorgyne fuit, vt viuus sepeliretur. Epistolæ quoq; nuncupatoriæ sed ex his nonnullæ impressæ, de præstātia scientiarum, vita studiosorū laude liberorum, dignitateq; disciplinarū. Farrago septem librorum nondū conscriptorum Contradicentiū medicorum, tum farrago alia collectaneorum, de quibus dixi; quæ ambæ supra quingētas cōtinent chartas. Declaratio magnitudinis arcæ Noæ. Consilium, an hora secunda noctis deprehendere hominis effigiem exquisitè liceat. Supersunt & duo coosilia conscripta pro Archiepiscopo S. Andreæ in metropoli Scotiæ: multa quoque & sioe numero consilia scripta pro Anglis, Scotis, Gallis, Germanis, Italis, Hispanis, Cimbris,

Cimbris, Blandis, aliisque non ex hatum numero gentium hominibus. Quæ verò non extant, ac periere, aut imperfecta sunt, longè plura sunt his quæ connumerauimus. Tum verò & illa omisimus, quæ hic non annumerani, quamvis omnia extent apud aliquos.

Porrò non illa magis quàm hæc quæ relinqui, quæque periêre, superesse velim: quamvis quædam (vt dixi) etiam edita sint, omnia verò absoluta, & in manibus multorum. Cõtentus sum his operibus, quæ hic sub certo numero recitantur. Sic etiam prætermitto duos libros quos de circulis scripsi, suntque apud me foliorum vigintiquatuor, quorum initium est: Cùm duo circuli se inuicem secant. Est autem argumentum eorum, demonstrare Obliqua rectis posse æquari: quod Archimedes solus in Parabolis constructione ostendit, & spiralibus seu elicis lineis: sed hæ à sensibus sunt remotiores: neque hunc tamen inter nostros libros numeramus: vt nec librum de vita, quem dum ægrotarem anno M.D.LV. conscripsi: verùm illius loco, vt pòst narrabimus, Eremitam scripsimus.

Cùm verò stipendium mihi non numeraretur (erat ccxl. coronatorum aureorum) intermisi, Mediolanique mansi: quo tempore libros de Iudiciis astrorum auxi, scripsique alios xiij. libros Metoposcopiæ, cuius operis initiũ est, Corporis totius significationes ex totius etiam habitu dignoscuntur: magnitudo, fo-
19.13. liorum clxxx. In Primo igitur libro agitur de Physionomiæ, in Secundo de significatis generaliter omnium linearum: in sequentibus septem libris, de significatione linearum iuxta Planetarum loca, à Saturno incipiendo, & ad Lunam descendendo per ordinem: in Decimo, de lineis plura loca possidentibus: in Vndecimo, de linearum mixtione, tum de lineis genuum, brachij, vmbilici, pedum: in Duodecimo, de lineis in fronte mulierum: in Tertiodecimo, de næuis, & signis aliis. Fuit hoc opus totum nostræ inuentionis; præter primum librum: obseruationes tamen à Christophoro Vicecomite, amico nostro, & qui primus artem post tot secula in vsum reuocauit, sumptæ. Docent autem, solo aspectu hominum vitam, naturam, mores, fortunamque agnoscere hi libri. Nec quisquam alius quid id faciat, animaduertere potest: nam lineæ ac signa illa non in manibus, sed fronte, quæ omnibus patet, obseruatur. Non paruum est omnino opus, cùm vniuersam artem amplectatur: atque eo maius, quòd fermè Dccc. figuris
20.1. illustretur.

Eodem tempore cœpi librum Experimentorum, colligens quæ aliàs scripseram, quem perpetuò auxi: continet nunc folia ccx. initiũ cuius est: Omnis qui gloriam ex medica arte consequi desiderat. Doceo, autem, quibus modis sanauerim sideratos, arthriticos, vrinæ profluuio tabescentes, ægrè spirantes, hæmoptoicos, vlcera praua, pestem, quartanam, melancholicos, comitiales. Peculiaria item & propria medicamenta vniuscuiusque morbi, & quæ regioni & ætati nostræ congruerent,
21.5. descripsi.

Eodem quoque anno condidi libros quinque Musicæ, quorum initium est: Musicam neque ab antiquitate: magnitudo, foliorum clxx. In primo libro agitur de generalibus artis regulis atque principiis: in secundo, de antiqua Musica, vbi de rhythmis, carminibus, choris, saltationibus: in tertio, de Musica nostra: in quarto, de modo componendi Cantilenas, & dicitur Contrapunctus: in quinto, de structura & vsu instrumentorum. Satis est, in his libris nouarum consonantiarum scientiam me tradidisse: historiam quoq; rituum & rhythymorum, antiquarumque modulationum, tum instrumentorum musicorum compositionem omnem, vocumque in eis quarundam 22.21.
nondum cognitarum inuentionem.

Contigit autem per eadem tempora res mira admodum, & singularis exempli, cuius in libris de Subtilitate memini: atque eo somnio xxi. libros eius argumenti scripsi, qui sæpiùs editi sunt; sunt autem foliorum cclxxx. Initium operis est. Propositum nostri negocij est de Subtilitate tractare: librorum series hæc est.

TABVLA LIBRORVM de Subtilitate.

Primus, de principiis naturalibus, materia, forma, vacuo, loco, corporum repugnantia, motu.
Secundus, de elementis.
Tertius, de cœlo.
Quartus, de luce & lumine.
Quintus, de metallicis.
Sextus, de metallis.
Septimus, de lapidibus.
Octauus, de plantis.
Nonus, de animalibus quæ putredine generantur.
Decimus, de animalibus quæ ex semine proueniunt.
Vndecimus, de forma & necessitate hominis.
Duodecimus, de illius temperamento.
Tertiusdecimus, de sensilibus & voluptate.
Quartusdecimus, de anima & mente.
Quintusdecimus, de inutilibus subtilitatibus.
Decimussextus, de scientiis.
Decimusseptimus, de artibus.
Decimusoctauus, de mirabilibus & spectris.
Decimusnonus, de dæmonibus.
Vigesimus, de substantiis primis.
Vigesimusprimus, de Deo & vniuerso: atque ibi etiam de tonitru, grandine, pluuia, & similibus.

Conscripsi primù vnico folio, inde quatuor, pòst septem, inde auxi ad quinquaginta: demum cùm primum editus est, ad octuaginta: nunc verò ad clx folia integra peruenit: vbi primùm excusus est Norimbergæ (nam & Lutetiæ, & Lugduni, & Basileæ) cessauit somniũ illud: nisi quòd dum in Scotia essem, ea nocte præcessit cognitionem libri Micropresbyticon, cuius lectione maximè delector, tale quippiam quod me iucunditate perfunderet, visus sum præ manibus habere. Itaque libri hi de omnibus generaliter tractant, seu naturalibus, seu etiam artificiosis rebus, aut his quæ supra fidem esse videntur. Exempla quoque & rationes, non omnium quidem, sed duntaxat rariorum rerum atque effectuum adieci. Docui autem præcipuè causas eorum, quæ in superiore parte orbis fiunt: elementa tantùm

tantùm tria, qualitates verò tantùm duas esse. Humidorum species, ac naturam tam apertè distinxi, vt nunc primùm intellecta ea ratio dici possit. Ventorum etiam aperui, rerumque maximarum, tum artificia mirabilia ac specta: in abditis semper non tritis rebus versatus. Quòd si quid vulgatum sit, id eo admirabilius, cùm in rebus adeò manifestis quantum lateat occulti, & ad altiores res exemplis intelligis. Nota tamen hi libri amplectuntur, vt dubia libri de Fato, & abdita omnino libri de Arcanis æternitatis. Tametsi enim libri de Subtilitate de abditis sint, ad illorum tamen causam experimento ac sensili ratione, ac quasi (vt ita dicam) per manus peruenire licet. Non ita in aliis, quæ in libris de Fato, & de Æternitatis arcanis tractantur. Præterea hi successiones rerum humanarum continent, à quibus libri de Subtilitate, vt de naturalibus tantùm tractantes, abstinent. Qua de causa & de legibus & de moribus quodãmodo tractant, quodammodo non. Adieci autem demonstrationes, nec ad singularia nisi exempli loco declaranda perueni. Itaque hi libri & quid tractent, licet pauca tantum de multis loco exempli adduxerim, & in quibus à cæteris Philosophiæ nostris libris differant, edocuimus: ne quis titulis tantum librorum ex hoc Opere inspectis, quædam repetita existimet, quòd similes tractationes contineri videanrur.

53.4. Cæterùm vt ad ordinem redeam, sequenti anno Genuam inuisi: & ne nihil in via conscriberem, cœpi quatuor libros de Tuenda sanitate. In quorum primo agitur de bis quæ ad sanos pertinent, vsque ad iuuentutem. In secundo, de senibus. In tertio, de morbosis corporibus. In quarto, de his qui alicui muneri addicti sunt, magnitudo operis, foliorum ccxxiv. initium. Asclepiadem si quem alium mortalem. Plura sunt in his libris quæ Galenus aut non attigit, aut saltem ab eo edita non extant: velut ratio coctionis in ventriculo, quies senibus vtilissima, aquæ cœlestes, quas vocant Elixir: regimen iter agentium & eorum qui magnis incommodis subiacent: humidorum discrimina, ex libris de Subtilitate sumpta: præparationes quoque ciborum, quas etsi Galenus tradiderit, liber tamen eius non extat. Omisit etiam Galenus dicere, quid tempus in alimentis faciat. Nec si quis libros de Tuenda sanitate, de cibis boni & mali succi, & de attenuante victu in vnum iungat, opus simile nostro (absit iactantia dicto) facilè efficiat: non solùm quòd plura nos attigerimus, sed quòd quibusdam in partibus aliis principiis innitar.

54.1. Cùm Genua rediissem, conscripsi folia quatuordecim libri de Præceptis ad filios: initium libri est: Cùm multi ô filij. Hic continet omnem sapientiæ humanæ rationem, breuiter traditam atque explicatam: quoniam non argumentis, sed præceptis atque exemplis indigent pueri. Docent etiam, quibus modis patresfamiliâs domesticos continere & in obsequio & in officio debeant. At video quamprimum occursuros, dicentes vulgatum illud,

[illegible]

Quid profuit hæc tua industria? quis infelicior in filiis? quorum alter malè periit: alter nec regi potest, nec regere? Communis mihi hæc conditio est cum maximis viris. Quid dicturi essetis, si saltem Reges inclyti hac calamitate caruissent? aut multò magis, si sapientes etiam? nunc neque sapientes ipsi, neque Reges aut Cæsares, quod multò maius est, hoc infortunio carere potuerunt: ac, quod maximum est, nec in toto orbe filium probum optimis Imperatoribus eligere licuit. Mihi ergo defuit animus, fortuna me destituit: & vt filios duriores procrearem, & vt adeò pauper essem, ne possem cogere quos non poteram persuadere. Itaque videbar Senecam imitatus, de paupertate scribentem (si modò is liber Senecæ est) cùm tota die fœnori incumberet: aut Epicurum, de frugalitate & abstinentia, dum hæc scripsi? Absit: non est cuiusvis egregij Palinuri non soluere nauim: quoniam immineat tempestas: nullius autem, cùm in ipso iam fueris tempestuoso mari, euadere: tam acriter nobis fortuna repugnauit, quàm illi fortiter & sapienter occurrimus: demum, quasi victa dedisset manus aggressa est filios non solùm incautos, sed me non suspicante aliquid, ac perdidit [illegible] Parum profuerit prouidentia, quæ victa cedit. Sed paucis id eueniet, vt plus possint fata quàm prudentia: itaque ne despicere oportet quæ fatis, quæ magistratibus vincuntur? non deceptus sum in iudicio, sed vtraque necessitate victus. Certum est, eum qui occidit, optimum fuisse, dedisseque pœnas stultitiæ suæ, & inuidiæ paternæ.

Anno xlix. ætatis meæ, conscripsi libros de- 55.10.
cem Problematum, quorum initium est: Cur Luna magis de nocte lucet quàm de die? foliorum est hoc opus lxx. In primo libro, de inanimatis agitur: in secundo, de animatis: in tertio, de moribus: in quarto, de legibus generaliter in quinto, de lege Christi: in sexto, de lege Iudæorum: in septimo, de legibus Mahumeti & idolorum: in octauo, de Repub. in nono, de successibus: in decimo, de flagitiis. Soluuntur autem problemata omnia quadrifariam, Theologicè, Astronomicè, Naturaliter, & iuxta Philosophorum Peripateticorum, Epicureorumque sententiam, qui callidè omnia tractant. Propterea hi libri varij argumenti. Alium quoque librum materna lingua scripsi, foliorum centum quadraginta, cuius titulus est: Technarum calidarum, seu, *De le burle calde*: initium: *In nela inclyta citta di Pauia.* Harum & fabularum; vnum & idem videtur esse propositum: scilicet delectare docendo: vt illud Horatianum communiter eis conuenire videatur:

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Veruntamen magnum discrimen est inter fabulas & technas: nam technæ historia constant, & amicè instruunt, & prudentibus conueniunt, & virum quantumcunque grauem delectare possunt: at fabulæ simpliciter docent, & pueris ac calumniatoribus scriptæ videntur: his quidem, vt respondeamus moderatius: illis, vt aptius moneantur.

Sequenti anno contigit res rara. Laborabat iam decẽnio Illustrissimus vir Ioannes Amulthon, patria Scotus, Archiepiscopus Ecclesiæ beati Andreæ, grauissima spirandi

difficultate, quæ illum firmè singulis decem diebus inuadebat: cumque omnia tentassent frustrà medici sui, & affinis: cuiusdam, vt audiui, consilio scripsit, rogans vt illum ad curandum Lutetiam, aut saltem Lugdunum me conferrem: accepturum enim quantum vellem pecuniarum, nec leuem mihi futuram gloriam: ipsumque venturum Luteriam, aut si oporteret, etiam Lugdunum. Ego itaque, qui aliàs Gallias inuisere vel nullo compendio destinaueram, occasionem arripui: confisusque fœlicitati meæ in arte, confero me Lugdunum: sed neminem inuenio: tandem post xlvi. dies, ni fallor, aduenit medicus suus Gulielmus Casanatus, vir egregius, me non iam Lutetiam, sed in Scotiam vsque deducturus. Reluctor. Tandem verò precibus victus, deducor in Scotiam. Sed dum itineri accingimur, atque in ipsa reluctatione, plurimi periēre dies: quarum vltima, qua discessum parabamus, venit ludimagister qoidam ad me, consilium petens pro morbo graui: do. offert pecunias: renuo: dicit se posse puerum ostendere, qui dæmonas in vrceo videat: accedo, inuenio nugas esse. Inter hæc loquimur de Orōtij speculo ignem accendente, quod Archimedis inuentum esse sciebam; ostendit librum Archimedis impressum, quē Antonius Gogaua in Latinū verterat. Tum ego librum inspiciens, video alium sibi iunctum, scilicet Ptolemæi libros de iudiciis: peto an venales sint: ille cogit vt accipiam: accepi tandem: dies enim festus erat, vt emere non liceret. Quo pacto igitur commentaria illa à me conscripta

16. 4. sint, in ipsismet retulisse me memini. Scripsi igitur foliis 300. atque ampliùs nec minus felix in edendo, quàm in scribendo. Et quamquam semel tantùm editum, nullum tamen perfectius ex nostris operibus, hoc in lucem prodiit. Initium est, libros hos antiquorum more de Iudiciis. Additæ sunt pręterea xij. geniturarum exemplares Christique natiuitas admirabilis. Continet hoc opus libros quatuor, in quo totam artem complexus sum, & difficilimum autorem explicani. Pòst per ocium, cùm opus ipsum dennò emēdassem, ad Gallos Typographos, egregios procrastinatores, transmisi: & cum non prodiret in publicum, tandem denuò in manus acceptum ita castigaoi & auxi, vt maximè studiosis satisfacere possit, ob ea quæ inferiùs dum de Dialectica loqnemur, docebimus. Sed dices, quid tibi hi profuerunt libri?

Sed non augariis valuisti pellere pestem.

Quòd si tibi prodesse non potuerunt, quid aliis polliceberis, aut sperandum erit? Talia mihi obiici posse sentio. Sed si egregius medicus lethali morbo corripiatur, num nemini medicinæ studiis vacandum erit, quòd ille se seruare non potuerit? Seruaui me proculdubiò Dei auxilio, artis scientia: sed filios impotentes seruare nequiui. Est etiam astris Genius ille maior, aut æqualis origine, qoi nos nostraque circumagit, dum oon in Deum semper intenti esse possumus. Denique difficile est imperare fine milite & dignitate, ac imperandi facultate. Ipsæ artes disciplinæ, scientiæque perfectæ sunt io seipsis nos exiguam partem attingimus, longè minor pars ad vsum deduci potest. Propterea vtiliores erunt hæ his qui illis studuerint, quàm nobis in inuētione earum occupatis. Si, quæ nos inuenimus, alius inuenisset, & in lucem ante nos edidisset, proculdubiò felices fuissemus: nunc difficilimum fuit inuenire, atque inuentis commodè posse vti. Vt persicus dum poma aliia parit, & bombyx sericum se exhauriunt: ita magnarum inuentionum rarò fructus ad ipsos redundat inuentores. Malè sit primùm his, qui solis inuentis, quæ tam pauca erant, Aristotelis studuerunt. Malè sit his, qui circa nugas & nominum disceptationes, vellicando quæ ab aliis inuenta erant, tantum insudarunt. Malè fit his, qui mihi solùm impedimento fuēre, tot negociis occupato, cum ipsis precariò natus viderer. Malè sit etiam his, qui mihi frustra aduersati sunt, cùm ne digitum quidem ad artium incrementum ipsi admouerint. Malè sit his denique, qui pro tantis bonis talem gratiam reddidēre. Sed ad rem ipsam reuertamur: siquidem vulgare est, cùm optimè feceris, pessimè accipi. Inspice Socratis vincula & cicutam, Aristotelis exilium, Theophrasti fugam, tot denique optimorum virorum casus. 27. 17.

Reuersus in patriam, perfeci libros xvij. de Rerum varietate, quos iampridem inchoaueram: sed tres taotùm erant. Visum est autem commodius, vt in xvij. illud opus dioiderem. Hoc fuit, quod regi Angliæ Eduardo sexto, admodum adolescenti, dum redirem è Scotia, ostendi. Folia cclx. continet. Porrò de vsu eius satis dictum est superiùs. Præcipua est tractatio de ventis, de piscibus, de dæmonibus ac prodigiis. Sed libet tabulam subiicere: quoniam hic liber etiam diuisus est in multa capita, & quasi totius continuus miro quodam ordine esse videtur.

TABVLA LIBRORVM de Varietate rerum.

Liber primus est de vniuerso, & partibus eius sensilibus.

1 Vniuersum, cometæ, ventorum ratio.
2 Elementorum natura.
3 Terræ genera & natura.
4 Loca & regiones.
5 Terræ miracula.
6 Aquæ natura, & genera ac motus.
7 Aquæ miracula.
8 Aëris natura & geneta.
9 Aëris miracula.
10 Elementorum artificia.

Liber secundus, de mundi partibus diuinioribus.

11 Cœlum.
12 Lux & lumen.
13 Influxus.

Liber tertius, de mixtis generaliter.

14 Mixtorum proprietates.
15 Metallica.

Liber

Liber quartus, de metallis.

16 Metalla.

Liber quintus, de lapidibus.

17 Lapidum natura, generatio, differentiæ.
18 Gemmæ.
19 Lapidum miracula.

Liber sextus, de plantis, & productis ab eis.

20 Plantæ, & earum differentiæ.
21 Plantæ aquam subesse significantes.
22 Plantarum miracula.
23 Plantarum cura.
24 Vinum & acetum.
25 Succi alij, & mel.
26 Conseruatio eorum quæ à plantis proueniunt.

Liber septimus, de animalibus, & productis ab eis.

27 Animalium generalis ratio, ac differentiæ.
28 Animalia imperfecta.
29 Serpentes.
30 Reptilium fugandorum ratio.
31 Quadrupedia.
32 Quadrupedium cura.
33 Quadrupedium proprietates.
34 Aues.
35 Auium cura.
36 Auium proprietates.
37 Pisces varij generis.
38 Piscium cura & proprietates.
39 Producta ab animalibus.

Liber octauus, de homine.

40 Humana natura.
41 Sensus.
42 Mens.
43 Hominis proprietates.
44 Morbi mirabiles, curæque superstitiosæ.
45 Communes calamitates.
46 Humanarum rerum finis.

Liber nonus, de motibus.

47 Motuum generalis ratio.
48 Perennia.

Liber decimus, de ignis artificiis.

49 Ignis vires & alimenta.
50 Destillationes.
51 Chymica.
52 Vitri artificia.

Liber vndecimus, de artificiis communibus.

53 Artes variæ.
54 Nauigandi ars.
55 Architectura.
56 Instrumenta & vasa.
57 Compositiones pulchræ.

Liber duodecimus, de artificiis subtilioribus.

58 Artificia mirabilia.
59 Ephemeridum compositio.
60 Chorographicæ descriptiones.
61 Occultatio.
62 Actiones mirabiles.

Liber decimustertius, de artificiis humilioribus.

63 Experimenta minima.
64 Scribendi instrumenta.
65 Fuci seu decoratio.
66 Deliciæ.
67 Colorum, odorum, saporumque materia.

Liber decimusquartus, de diuinatione occultiore.

68 Diuinatio an sit, & an in omnibus.
69 Ignea ostenta.
70 Aëris ostenta.
71 Aquæ ostenta.
72 Terræ ostenta.
73 Plantarum ostenta.
74 Animalium agrestium ostenta.
75 Animalium domesticorum ostenta.
76 Hominum ostenta.
77 Partuum ostenta.

Liber decimusquintus, de diuinatione artificiosa.

78 Præsagia per singula genera rerum.
79 Chiromantiæ obseruationes.
80 Striges, seu lamiæ & fascinationes.
81 Miracula.
82 Auspicia.
83 Aruspicia.
84 Soni, ac voces præter naturam.
85 Vocum varia ratio.
86 Visus causa falsa spectra.
87 Mentis præsagia & oracula.
88 Præsagia tempestatum.

Liber decimussextus, de rebus præter naturam admirandis.

89 Sigilla.
90 Magia naturalis.
91 Magia Artesij.
92 Præcantationes.
93 Dæmones & mortui.

Liber decimusseptimus, de rebus dignis.

94 Gentium ritus.
95 Linguarum varietas.
96 Vrbes, resque aliæ insignes.
97 Thesauri.
99 Bibliothecæ & libri, ac varia vetustæ magnificentiæ exempla.
99 Resolutio à fine, vnde vsus inuentorum.
100 Causa conscribendi hos libros.

Anno igitur ætatis quinquagesimosecundo,

& hos, & qui editi erant de Subtilitate libros emendaui: atque hos primò quidem dicatos Cardinali Tridentino, illos Don Ferrando Gonzaghæ, denuò edidi: impressique sunt ambo Basileæ. Tertiò quoque emendati prodière in lucem libri de Subtilitate: sed impressi etiam fuerant Lutetiæ, Lugduni, Norimbergæ: & materna quoque lingua, seu patria Gallica, conuersi per Ricardum de Blanchis. Verùm libri de Varietate rerum dum imprimuntur Basileæ, quidam vlturus propriam quam acceperat iacturam, ipse iniuriam appellabat, verba quædam addidit in capite de lamiis seu strigis, quæ Phratrios Dominicanos lacessabant: cùm nihil minus mihi expediret, aut esset in animo: ita non sufficere videbantur atroci fortunæ tela inuidia aduersum me comparata, ni etiam alieno crimine nocens fierem. Expostulaui statim à Typographo Henrico Petri, alioqui probo viro, qui (vt erat ingenuus) de illius adiectione questus est mecum: at qui rem peregerat, cum ad illum etiam scripsissem, tantum abfuit vt se excusaret, vt etiam me irriserit, dicens: Quid tua interest, quòd quatuor verba adiecerim? an hoc tantum crimen est? quid facerem absens absenti? Impressus est etiam cum hac labe Auenioni, sed existimo supposito nomine id factum esse, quòd Lugduni potius sit impressus. Cæterùm, cùm non ignorem maculatos fuisse codices B. Hieronymi, atque aliorum patrum nostrorum, ab his qui aliter sentiebant, errorem que suum auctoritate viri tegere voluerunt: vt ne quis in nostris operibus hallucinetur, vel ab aliis decipiatur, sciant omnes, me nullibi Theologum agere, nec velle in alienam messem falcem ponere. Cæterùm, quod ad vitæ institutum & religionem attinet, sequi velle quod tutissimum est, atque in ea qua natus sum lege, hisque ritibus ac ceremoniis moribusque vti velle, quibus iam tot per secula maiores nostri vsi sunt, nec velle discordias serere, aut os in cœlum ponere, vel plus quàm opus est sapere. Si quicquam voluit me scire Deus arcanum naturali lumine, cur ego tanquam cæcus volo exire alueolum, & me tanquam iudicem inter litigantes, non vocatus ab vlla partium, constituere? aut, quod deterius est, & insolentis certè animi, meos oppugnare, vt alienos sequar? Itaque si quid in libris meis tale inuentum fuerit, quale illud, vt quenquam qui me non lacessiuerit lacessam, aut de aliena messe contendam aut debacchet, id sciant meum prorsus non esse: aut si velint, id cogitent, me etiam in insaniam (quòd Deus auertat) incidisse. Non probo Socratem, qui Deorum insulsorum morem, quem colebat patria, nixus sit euertere & irridere: & ego qui Deum illum omnium auctorem cum patria colo, conarer propter tricas & contentiones patriam vnus ego subuertere venerationem? præsertim, qui euertere tantis viribus nituntur, nec ipsi inter se conueniant.

28. 3. Sequenti anno successiuis horis Fabularum tres libros conscripsi. Fabulæ sunt supra quadringentas: magnitudo operis, folia lxxx. Initium eius, Fabularum quidem originem. Puerulis hæ scriptæ sunt, & etiam viris, si tamen opportunè eis vti discant: nam multa de futuris arcana continent. Antilogos etiam, & naturalium rerum historiam: non enim vbi absurdis non vtor, falsa supposui, vt illud Horarianum obseruarem:

Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ.

Non negabo, quòd si potuissem meliùs collocare horas, quin id facturus fuissem: sed quid agerem relaxandi animi causa, non habebam. At verò imitari Deum decet, qui cum potuisset nil creando mortale, in solis subsistere immortalibus, ac gloriosius: maluit vsque ad extremum suæ bonitatis imaginem extendere: atque ita creauit etiam, quæ & visu & tactu fœda sunt. Neque existimo, vt nobiliora quædam pulchriora viderentur, quandoquidem ipse nullius iudicio subiici poterat: sed, vt dixi, rem vt ad extremum exemplum deduceret.

Sub initio anni M. D. lv. conscripsi librum de Aqua & Æthere, quem iam scribere destinaueram: cuius initium est: Aquarum natura ac genera: magnitudo, foliorum xx. in quo doceo, omnes morbos sola aqua, velut efficacissimo auxilio, sanari: aquam quoque facere, quæ omnibus morbis auxilietur, vitam in longissimum æuum producat, perpetuaque in sanitate hominem seruet. Adieci huic operi: quia exiguum erat, quædam alia de Cyna radice exhibenda, consilium pro lepra, aliud pro sanguine vndequaque fluente, pro Hieronymo Palauicino spirandi difficultate laborante. Encomium Medicinæ verius & præstantius, quàm ornatum aut elegans. Cùm edetur (editus est enim Basileæ paucis antè annis) addam Apologiam aduersus calumniatorem, cuius titulus est, Actio secunda: initium, Laudo prudens consilium tuum. Addam & aliqua consilia alia si sors ferat, vt totum opus sit foliorum centum. 29. 1.

Cum verò anno M. D. lv. ægrotarem, scripsi librum cuius titulus est ἀλήθεια, chartarum penè triginta: cuius initium erat: Cùm te, ô veritas. Sed hunc postmodum, 30. 6.
Deo volente, in aliud Opus, cuius titulus est, Eremita seu Theonoston, commutaui. Eius autem initium est: Cùm in viridario essemus: libros continet sex, in quorum Primo agitur de solitariæ vitæ commodis, atque iucunditate: in Secundo, de animi, corporisque tranquillitate: in Tertio, de contemplatione ac studiis artium & disciplinarum: in Quarto, de animi immortalitate: vbi diuinos illos Eremitæ sermones recitamus, & demonstrationes manifestas, quòd animus noster immortalis sit: attulimus autem nouas, nec ampliùs à quoquam excogitatas. Quintus liber continet præclarum illud somnium, ad Ciceronis atque Plutarchi imitationem: nec non præcepta docet de vitæ diuturnitate. Sextus habet instituta de innocentia, sanctitate, religione, beataque ac virtute plena in hoc mundo vita. Porrò ita efficax est liber, vt quemlibet à luctu & desperatione reuocare possit. Sed de hoc inferiùs agam: continet totum opus chartas propè ducentas ac triginta.

Cœpi interim anno M. D. lvij. quædam

inchoare:

inchoare: sed cum difficultate maxima augebatur, ob curam assiduam ægrorum, potentiumque maximè virorum, vt vix possem respirare. Nam fermè ad apicem autoritatis, quanquam multis sepugnantibus, ac etiam contra me conspirantibus, ascenderam: ac quasi inuitus: tum verò nec Theonosti libec absoluebatur, nec vllum de quibus nuper di-
31.1. cturus sum Opus. Itaque nouum consilium inij, si possem aliquando certa conscripta Methodo, mihi faciliorem ad absoluendos libros, qui restabant, viam sternere: neque enim eorum vllum opus fuit, quod non inchoassem. Feliciter ergo excogitaui vt conderem Dialecticam, cuius initium est: Quoniam omnium eorum: chartas continet paululum minus quàm decem. Tanti cōstitit feliciras mea, omnisque autoritas operum ac librorum meorum in posterum, si qua futura est omnino, tum etiam scientiarum ac disciplinarum, & totius rei literariæ perfectio. Dices lector, Insanis ne? Quid hoc est? Haud insanin, vera narro, & comperta ratione, experimentoque. Dicam autem primùm quid contineat opusculū illud. Primis quatuor chartis totam Aristotelis dialecticam adeò absolutam complexus sum, vr eorum quæ in Porphyrij Introductorio, in Prædicamentis, de Enunciatione, Prioribus, Posterioribusque Analyticis, tum Elenchticis continentur præceptorum, nihil posses desiderare: quinimò longè magis dilucida perfecta, ordinara & clara perspicies. Sequentibus autem in quinque cum dimidio chartis (vix enim implent hunc numerum) vniuersam habes Galeni, Euclidis ac Ptolemæi Dialecticam: quæ tamen inter se distinguuntur, vt sint quatuor genera Dialecticæ, imò quinque, vt veriùs dicam: Aristotelica, Galenica, Euclidis, ac Ptolemæi: &, vt dixi, si placet, adiiciamus, seu (si mauis dicere) disiungamus Hippocraticam. Porrò Hippocratis regulæ, præceptaque, quibus artem medicam constituit antiquorum more, paucula fuêre: siquidem duo aut tria. Ptolemæi quoque totidem fermè: quibus tamen confeci tria præclarissimá opera, de Astrorum motibus, deque eorum iudiciis, nec non Musicam. Euclidis autem regulæ plus quàm viginti, sed & Galeni non paucæ: cùm Aristotelis vix septem sint, aut octo. Tam paruo igitur libello quid habeatur, nunc dicam. Primùm quidem eo duce Hippocratem totum interpretati sumus, cuius vix antea minimam partem, nec eam satis rectè intelligebamus. Dum enim constructionis rationem adipiscimur, facilè est, vt in occultis scribendi modis, ac obscura notarum suppositione, vel vna intellecta dictione totam epistolam intelligere. Hoc presidio omnes artes, quarum principia cognouerimus, ita penetrare licet, vt ad quæcumque etiam noua quæsita atque problemata statim pateat aditus. Experimentum feci non semel, cessitque supra omnem expectationem: dicam autem quid acciderit. Transmisit ad nos Franciscus Sambus Rauenates problema Geometricum huiusmodi: Deductæ ex puncto in circuli circumferentia accepto tres lineæ in aduersam rectam, sic vt circuli periferiam diuidant, rectangula extremarum dupla sint rectangulo intermediæ. Affirmabat, experimento verum esse comperisse: rationem tamen nullam inuenire potuisse. Quærebat, an omnino verum esset, & an posset demonstrari, & quomodo: per biēnium rem tractaui, nec inuenire poteram. Dialectica conscripta, suscepi in manus propositionem, volens videre an succederet: nec exacta est horæ pars quarta, cùm inueni problema esse absurdum, si generaliter intelligatur, inde demonstrationem, quòd vbi linea ad perpendiculum posita fuerit rectæ descendentis ex puncto, per centrum, quod id verum erit: intelligo rectangula, quæ fiunt ex tota linea in partem interiorem. Demiratus sum vim medicamenti. Post aliquod tempus transmisit ad me Gualterus Custodis, qui Arithmeticā docebat Antuerpiæ, quinque quæsita: quorum primum & quartum erant facilia, verùm secundum fuit, vt Rectanguli trigoni area esset vigintiquatuor, & anguli reliqui in proportione dupla. Statim respondit: Latus minimum trianguli eo numero definiri, cuius quadratum esset latus, septingentorum sexagintaocto. Sic & ad reliqua proposita, quæ erant etiam faciliora. At verò ex eo libello statim dignoscimus, an qui composuerit librum aliquem, rectam teneret rationem conficiendi libros: & simul proposita mareria, absolutissimum in eo genere librum conscribere docemur: tum verò, quotquot voluerimus quæsita inuenire, & inuenta per demonstrationem dissoluere: vbi autem profiteri voluerimus, textu lecto, Gorgiæ Leontini exemplo, extemporaneam conficere orationem, imò lectionem exactam. Quo fit vt rideam, cùm audio Chrysippeam illam Dialecticam, qua cum diis certare velle gloriabatur: cùm palàm sit, illum alia conscripturum fuisse, si huiusmodi scientiam calluisset. Etenim nos, postquam hunc libellum conscripsimus, in quo ne litera quidem superflua est, aut deficit, nec tamen in difficilibus exempla desunt: etiam libros omnes tanquam è tenebris in lucem exeuntes intelligere statim concessum fuit, nostros emendare libros, & inuenire admiranda in singulis disciplinis. Fui autem tam fœlix in citò absoluendo; quàm infœlicissimus in serò inchoando. Cœpi enim illum anno ætatis meæ quinquagesimooctauo, absolui intra septem dies: res penè prodigio similis. Sed, vt dixi, si tempestiuè librum hunc conscripsissem: id est, intra annum trigesimum, fœlicissimus fuissem mortalium omnium, etiam cum tam humilibus initiis, totque æmulis atque inimicis: ni fortuna aliam viam ingressa, non iam paupertate, filiorum erroribus, oppugnationibus inimicorum, calumniisque tentasset, sed aliquo ingenti casu, vt tegula, vel de proditione Principis falsò insimulando oppressisset. Nam quos libros nondum perfeci senex, decem totis annis perfecissem & edidissem: ita vt lucro & gloriæ tantum accessurum fuisset, vt paulo plus ad sortem meam adiici in hoc vitæ genere potuisset. Præterea absoluissem libros de Vtilitate capienda ex aduersis, quibus filiorum multitudini & securitati vel inuitis fermè Principibus, nedum Senatu ipso, prospexissem: tempestiuè patriam, non patriam sed quidvis potius, deseruissem. Tentaui quidē & præuidi, sed vt in crepusculo nebuloso, nulla edoctus arte, nec viti-

bus opum fretus: quæ etsi quantum voluissem non affuissent, quantum opus tamen fuisset non defuissent. Præterea librum Secretorum iam saltem, vt nunc habeo, iuuenis paratum habuissem. Vt modò vel vnum ex his quæ ibi narrantur, verum fuisset, quid rogo viridi in ætate deesse poterat? Sed cur queror? cùm sciam hoc ipsum noluisse Deum: quandoquidem nihil horum mihi quę contigerint, sed bonorum, seu malorum, sine illius singulari prouidentia & rerum, & modi, & temporis mihi, euenerit; atque ob id ferendum est, quòd non solùm ferre necesse est, sed quòd optimè constitutum esse intelligo. Verùm quę scripsi, sunt perinde ac si quis ex sūma fœlicitate mare præternauigans, cum vniuersis his quę habet, tum etiam filiis atq; vxore, incidat in piratas: à quibus occisis filiis in captiuitatē ductis, vxore & opibus omnibus spoliatus, & ipse pluribus confossus vulneribus, in vincula coniectus sit: dicatque, quod verissimum esset: Si ego non nauigassem, felicissimus eram, nunc ex hoc casu factus sum infelicissimus.

Id verò adiecimus, vt homines intelligerent, quantum vtilitatis hic liber mortalibus sit allaturus: quamquam nec editus sit, nec adhuc an editurus sim proposuerim: est enim vnus è tribus bis, quos mihi seruare decreui: nam alij sunt, Liber de Secretis, & Ars medendi parua. Sed de Dialectica nondum tam certò, vt de aliis duobus, constitui. Reliquos omnes edam, si potero: verùm si edātur, intelligent omnes non esse cuiusvis adire Corinthum. Vix enim toto anno quisquam eam sic legere poterit, vt intellexisse iustè audeat gloriari. Sed qui intellexerit, non minori sapientia ad omnia cognoscenda præditus videbitur, quàm si dæmonem aliquem egregium habeat familiarem.

Anno M.D.LVIII. duo volumina condere aggressus sum: ea tamen præcedenti anno, antequam Dialecticam absoluerem, inchoaueram: sed satis confusè, & ineptè, vt verius dicam: nam quæ difficillima sunt, & magni laboris & industriæ, si quis oscitanter peragere aggrediatur, quod in facilioribus non est necessarium, cogitur ineptè id quod cœperat agere. Horum igitur vnum, Ars curandi parua, inscribitur, vigintiocto chartis artem totam medicam ita aptè complectens, vt neque ea pars desit, quæ ad manuum operationem
32.1. pertinet (Chirurgiam nomine Græco appellamus) & diffusè satis: cuius initium est, Corpus nostrum, Hippocrate teste. Id eo consilio effecimus, vt & ad exercitationem potissimè haberem signa & causas, parataque auxilia præcipua quæque: & ad disputandum rationes, inuentionum modos & autoritates. Res sanè dictu incredibilis, nisi modum quo id fieri in vnaquaque arte posset, in libris de Subtilitate nuper adiecissemus. Duo sat sunt in hoc opere admiranda: vnum quòd quę ab Hippocratis ætate ad hanc vsque diem ignota manserunt, tum etiam ex Galeno in lucem reuocauimus: alterum, vt qui librum hunc teneat, quæ intùs quasi in superficie posita sint, teneat, ac spectare sibi videatur, ac de futuris tanquam præsentibus pronunciare possit. Scio incredibilia videri: sed qui legerit & intellexerit, non audebit negare: est enim è Dialecticæ fructibus. Scriptus est autem plus quàm vicies, insumpto in anagnostas talento: ordinatus, si quis alius liber, subtilitate & structura: librū refert Artis magnæ in Arithmetica, illiusque vices in medicina gerit: vnde ex hoc ad magnam euectus sum, non quidem sapientiæ, sed operum apud vulgum, scientiæ autem apud præcipuos amicos, qui librum illum viderunt, opinionem. Quapropter infinita in laudem meam conscripta sunt, tum carmine, tum soluta oratione: quorum magna pars excidit ob incuriam: multa etiam apud me manent, è quibus vnum subiicere decreui, incerti autoris nunc, ita tempus omnino interpellat: forsan qui fecit, suos fœtus agnoscere volet: ego, vtcumque sit, pro exemplo addam: nam reliqua quæ in laudem meam in aliis libris impressa sunt, me nesciente, dum libri apud Typographum cuduntur, præter Maioragij carmina, ab ipsis autoribus adiecta sunt. Hæc verò ita se habent:

AD HIERONYMVM Cardanum incerti autoris.

Æmulos Epidaurij inter omnes,
Sat Cardane caput, sat extulisti:
Europæ populi satis fatentur,
Cunctos fastigio tuo relictos:
Artis diuitias thoris ab altis
Pandentem obstupuit corona quondam,
Magnos ingenij studijque fructus
Pagina varia ferunt per orbem:
Quas docti manibus fouent vbique,
Delectant, sapiunt, tenent, aluntque,
Doctrina procul abdita legentes.
Te Reges Aquilonij vocarunt,
Vt mortem fugerent sibi propinquam:
Qui per te reduces, Charonta fallunt,
Expectat Stygiis dum eos arenis.
Quot ciues patria tuis medelis,
Quos flebat mulier, tamen redasti?
Hac Cardane satis superque monstrant,
Astra te digito ferire solum,
Despectantem alios humi relictos.
Nunc tantis preme copiis habenas,
Ora contrahe fontium tuorum,
Quo riui tenues fluant in orbem.
Fundis dum proprias opes abundè:
Palàm apperuit esse ter pusillas
Doctrinas hominum, medendi in arte,
Complexu & vario scientiarum,
Qui palmas hodie putant mereri.
Illi non sine sentiunt dolore
Graui, non nisi parua se tenere,
Toto nec secus orbe indicari.

Alterum de Vrinis, quod in quatuor libros 33.4.
diuiditur: magnitudo, foliorum cxx. initium: Cùm præcipuarum trium. Docemus in primo, genera & causas vrinarum: in secundo verò, significata ex causis per se deprompta: in tertio, significata ex morborum qualitate: in quarto, compositarum specierum indicia, tum ea quæ non adeò ad rem ipsam pertinent, nec non quæ supra fidem ex hac cognitione habentur. Tota tractatio demonstratiua est, noua, nec à quoquā medico alio scripta, cū alia principia habuerimus. Eò vsq, autem processimus, vt ex hac sola cognitione doceamus morbos,

morbos, tempora, exitus ad miraculum vsque præcognoſcere. Verùm quanquam fartago tota peracta ſit, atque conſcripta, ſolum tamen ad hanc diem triginta circiter chartas perfecimus. Stylus ab aliis noſtris adeò diuerſus eſt, vt niſi lectorem admonuiſſemus, noſtri hi libri forſan non exiſtimari poſſent.

34. 4. Poſt hos, inchoatum opus De Vtilitate capienda ex aduerſis, anno quinquageſimonono abſolui, poſt obitum filij mei. Initium eius eſt: Non idem eſſe ſi quis dicat. Diuiſus eſt autem in quatuor libros: magnitudo, chartarum ſupra ducentas viginti. In primo agitur de vtilitate capienda generaliter ex omnibus aduerſis, tum etiam de præparatione aduerſus imminentia mala. In ſecundo, de vtilitate capienda ex aduerſis quæ nobis in corpore accidunt: in tertio, de his quæ in fortunæ bonis: in quarto, de his quæ in coniunctis. Sed libet ſpecialem tabulam ſingulorum adiicere: neque enim abs re fuerit, vt ſimul quæ in illis continentur libris, quaſi vno intuitu comprehendamus. Sic autem ſe habet.

ORDO ARGVMENTORVM

Primi libri.

Secundi libri.

Tertij libri.

Quarti libri.

Hi libri abſoluta Dialectica, vt dixi, conſcripti ſunt. Atque vtinam contigiſſet abſoluere ante errorem filij: neque enim ille erraſſet, nec errandi cauſam aliquam habuiſſet: nec, etiamſi erraſſet, periiſſet. Sed, vt iam narraui, & ego & ille communium calamitatum superuenturarum ſignificatione, potiùs quàm propriorum malorum cauſa, Fatis deſtinebamur. Dum enim hæc ſcriberemus, incidi in Epiſtolæ exemplar, quam illi ſex antè menſibus tranſmiſi, quàm errorem illum committeret. Placuit autem in illius memoriam, & quod diuinitùs mihi oblata videatur, eam hîc ſubnectere. Eſt autem huiuſmodi.

Cum me potiùs, ô fili, ſortis tuæ misereat, quàm iraſcar ob delicta tua, quæ non ſolùm in temetipſum, ſed in tuos omnes admiſiſti: propterea hæc ad te ſcribo: quibus ſi mentem, vt par eſt, adhibueris, atque ad vnguem parueris, adhuc ſpes ſupereſt temetipſum ſeruandi: quod vtinam tandem vt ad faciendum animum inducas, ſuperos ſupplex (ſi quæ pia patris in filium vota mouere poſſunt) rogo, atque etiam rogo. Quid enim eſt vt commoueri ad miſericordiam non debeam, cum te tanta calamitate conſtitutum videam, vt omnibus quibus opus habent homines, tu indigeas? atque primùm conſilio, pecunia, corporis robore, & nunc demum bona valetudine. Dij boni, niſi hoc fuiſſet à te ſponte quæſitum, hunc dolorem perferre non poſſem! quia tamen tu tibi hoc poculum intriuiſti miſeriarum omnium, cum quibus nuper illud animaduerti, quod ab amicis etiam meis contemneris, atque id (vt exiſtimo) tua culpa: non enim aliter, coniicere poſſum (ſcio enim illorum grauitatem, & erga te & nos beneuolentiam, officiaque) ferre quicquid futurum eſt æquo animo decreui. Ita tamen hoc me angit, vt intempeſta nocte (cum aliàs hoc mei moris non ſit ante diem ſurgere, nunc iam multò antè) hæc ſcribam. Superos teſtor, me non ira aliqua commotum, quominus te

modis omnibus iuuarem, atque in domum reciperem: ſed veritum, ne potius (quod procliuius fuiſſet) nos perditum traxiſſes, quàm nos teipſum adiuuiſſemus. Nam vos plures & iuuenes, ad perdendum: ego iam ſenio prehendor, & vnus ſum: mihi nulli redditus, vobis prodiga voluntas, & conſilium nullum: quî fieri poteſt, vt non longè magis mihi metuerem, quàm vt ſperarem poſſe te redimi conſilio meo? Præterea factum tuum, quod diſſolui nequit: illorum malà mens: neque enim cum bona mente parentes ſenes admittere talia potuerunt quæ aduerſus diuinas atque humanas leges ac Senatus præcepta peſſimo exemplo ſunt. Exiſtimabant noſtras has paruas facultates, quas tamen illi longè maiores putauerunt, hoc medio inuadere poſſe: prodegerunt ſua: quid mirum eſt ſi alienis inhiant? neque enim ſi alio id conſilio peregiſſent, tam præcipites ad hoc connubium deſcendiſſent. Quamobrem non erat quod ſperarem, me poſſe tuam ſimul atque ſuam mutare fortunam: hoc enim fuiſſet opulentiſſimi viri, qualem illi me crediderunt eſſe: vt verò timerem me peſſum ire ab his, tum à te, ſi vos recepiſſem, tumet (qui nunc, vt puto, pacatiore es animo) tecum reputa. Pater, ſine vllis redditibus, arte precatij lucri, ſenium iam ingreſſus, maxima multorum cum inuidia, atque ob id inconſtanti fama, nec ſatis firma valetudine, etiam cum maximè mihi in victu proſpiciam in tot vectigalibus, in tanta omnium rerum caritate, ingruentibus tot bellis, & in quibus vix finem ſperare liceat: omittenda etiam & amittenda impreſſorum lucella, quæ non parua pars ſunt lucri mei: ſubruenda ſpes munerum: vos plures, impotentes, ſine arte, aut ſine auctoritate, ſine conſilio, perditiſſimis moribus ſegnitiei, luxus & prodigalitatis. Quid iam? hoc non erat metuere periculum, ſed volentem arceſſere? Denique ſi quid ſpei erat, eſtve, in rebus noſtris: licet & extra domum re agente, atque ſine vllo meo impedimento atque periculo (& quod maius his omnibus longè apud me eſt) ſine cura aliqua aut ſolicitudine animi mei re conſequi atque habere, ſi mandatis meis parêre volueris: id autem quomodo fieri poſſit, nunc dicam.

Primùm opportunè duo volumina me ſcripſiſſe video, quibus ambobus indiges: alterum, quod De conſolatione inſcribitur: ſed eo longè vtilius quod nunc adhuc perficio, De vtilitate ex aduerſis capienda: præterea etiam ope à meipſo, quantum fas eſt. Primùm ergo ab ope, qua nunc forſan tanquam præſenti indiges: hæc duplex erit: altera me ipſo, altera per me: ex me ipſo, curabo vt redditum lucrorum totum recipias: nam huius anni medietatem permiſi tibi, futuri etiam medietatem relinquam: nunc etiam permitto, vt habeas ſuppetias ad ſuſtentandum te. Si quid ex Aula impetrare potero, habebis tu dimidium, dimidiumque redditus lucrorum: atque ita vtcunque res cedat, habebis plus quàm ego, cùm cogebar, ab initio totam familiam ſuſtentare. Tui autem muneris erit, vt quoniam futuro anno locatio finitur, agere cum ſocero, vt quampluris poſſint nemora in poſterum diſtrahantur, ſeu venditione ſeu locatione lignorum: nam aut dimidium cum ſtipendio ex aula, vel totum abſque ſtipendio, ſi fortuna cœptis noſtris obſtet, ad te perueniet. Quæ verò per me, iam ſcis: omnia viliorum perſonarum lucra, aut altioribus ædibus habitantium, & quæ viſis lotiis viſitari poſtulant, tua futura. Quicquid etiam amicis impetrare potero, in tuum commodum cedet. Legatus Venetus ſerici vlnas quinque dedit: aut igitur & re donabit: aut eius quod ad me perueniet, dimidium habebis. Et hæc de ope.

Quod ad libros de Conſolatione attinet, animus tuus moderatione eget. Primùm, ne quam triſtitiam ex antè actis, aut præſenti fortuna concipias: nam omnia quæ tibi impendent mala, paupertas, vxor, contemptus, alienatio paternæ domus: omnia hæc inquam tute tibi ipſi volens ac ſciens paraſti. Quare etſi longè deteriora eſſent, non eſt vt doleas. Quod ad fortunam attinet, non eſt vt doleas: natura es homo, non bellua: vir, non fœmina: Chriſtianus, non Iudæus vel Mahumetanus, Italus, non barbarus: ex inclyta vrbe & familia, atque ſi quid ad rem attinet, eo patre cuius opera ſine tuo labore (modò omnino non ſis perditus) nomen tuum multis ſeculis manebit: An tibi parum fortuna fauere hoc ipſo viſa eſt? Sola valetudo infirma, & corpus inualidum: alterum hæreditario iure habuiſti, alteri (ſi prudens fueris, ac temperaueris à voluptatibus) occurres & ſaneſces. Illud etiam cogita, quòd in peccatis tuis punit me Deus, & in meis te: nam niſi noluiſſet, non erraſſes. Quæ enim mens eſt nobis, à Deo habetur, & per momenta etiam. Et quæ calamitoſa videntur, ſi paulò plus in futurum quæ ventura ſunt proſpicere poſſes, vana eſſe intelligeres, ſicut & quæ iucunda. Dum ergo de fœlicitate gratulari, hominis ſit humanam conditionem ignorantis: multò minus in aduerſis contriſtari licet hominem: quoniam omnium vnus eſt finis. Et tanquam contempſiſſet pecunias ſtultum ſit, & hic temporibus (ſi quando vnquam aliàs) durum, nihilominus etiam propter pecunias Deum contempſiſſe, adhuc deterius eſt. Propterea auus tuus Facius Cardanus, duo mihi præcipua mandata propoſuit: alterum, vt ſingulis diebus Dei, & illius immenſæ bonitatis beneficiorumque ſuorum recordarer: alterum, vt his quæ facerem, dum facerem, intentus eſſem.

Quæ verò ad vtilitatem ex aduerſis capiendam pertinent, ſunt hæc. Primùm, ne iraſcaris. Impedit ita animum, ne poſſis cernere verum. Dolor eſt in ira, & corporis habitus corrumpitur, & homo facie ac moribus inſano ſimilis efficitur. Vnde rogatus Ariſtoteles quid eſſet ira, reſpondit: Furor temporaneus. Nec eſto mendax: præter enim quod ſit præceptum ſacræ Scripturæ & Phyſicorum, hoc habet mendax, ne poſtmodum veritas ei credatur. Nec in ocio viuas, ſed perpetuò ſtudeas, memor dicti illius ſancti viri: Cum anima ociatur, in eam ingrediuntur cogitationes malæ, ſicut in inculto agro abundant herbæ agreſtes & ſerpentes. Ne ludo indulgeas: ſcriptum eſt, Aleas fuge: olim luſores toto genere infames erant. Tempus, rem cariſſimam, amittis, & exiſtimationem: tum verò & rem

ſimul.

simul. Ne etiam credas fortunam tuam mutare in melius, ac opes gloriam & amicos parare, nisi animum cum corpore etiam ab incommodis vindicaueris: nec vindicabis corpus ab incommodis, nisi animum à vitiis segregaueris, virtutibusque ornaueris. Ab ea igitur incipiendum est, crede mihi: nam & qui fœnerantur, & latrocinantur, fœlicitatem illam in virtute, non vitio repositam habent: illi quidem in solicitudine & prudentia, hi verò in fortitudine: admiscentur autem vitia: & ideo eorum causa hæc inuisa sunt Deo, legibus atque hominibus probis. Cæterùm si in huiusmodi quicquid est boni, ex bono: id est, virtute pendet, quanto magis in aliis? neque inuideas iis, ô fili, qui per scelera diuites sunt, atque potentes, auratis ac sericeis induti. Romanorum gentem multo opulẽtiorem, & Persarum Reges, Deus perdidit, totque alios Principes, vt ne ex tot nemoribus surculus remanserit: propter Abrahæ autem iustitiam, & quia illi placuit, ex vno surculo Isaac multa nemora adhuc seruantur: seruarenturque longè plura, maiora & fœliciora, si impietas in CHRISTVM non obstaret. Vmbra digiti Dei totum orbem terrarum circumagit.

Animo sedato sic compones res tuas. Ne in plurima recumbas: calida enim temperies est generis nostri, & lapillis subiecta. Nouem horis dormies: prima hora diei surges, & ægros inuises, tacitus in omnibus, nihilque quòd ad artem non pertineat dicens. Non exerceas te vt incalescas, nedum vt sudes. Prius equo extra domum vehêris, inde redibis pedibus. Vbi redieris, calidiore veste te circumda. Prandebis pane & modica carne, vel pisce asso. Bibes parcissimè. A prandio, nisi cogaris, per quatuor horas stude: Studia delectant hominem, obliterant curas, gloriam pariunt, animum exornant, artificis opus iuuant. Pòst iterum inuise ægros simili ratione: sed equitando magis ante cœnam, vireta & arbusta, amœnaque loca inuise, circum vrbem ambulans aut equitans. Si sudore quandoque aut pluuia madueris, cùm domi fueris, nil magis age quàm vt cures temetipsum siccis linteis, ac calidis, tum vestibus suffultis in caldario mane. Cœna sit ad satietatem. Cubitum ea hora eas, quæ decima sit ante diei primam: si non liceat ob noctium breuitatem, quod deest, meridiano somno supple. A septem rebus omnino abstine: à fructibus horariis, à vino nigro, à vano sermone & multo, à mendacio, à ludo, vt ne quid secreti mulieri reueles, & ne illi plus liceat quàm decet. Mulier enim stultum animal est, atque ideò fraude plenum: cui si immodicè blandieris, nunquam fœlix esse poteris, sed ad ingentia mala te protrahet. Imitare belluas. Sectionem venæ atque purgationem, quantum potes, deuita: & vtere corallina, & lotionibus ex aqua calida vel frigida, prout opus est. Habes librum de Consolatione, habebis & libellum de Aqua & æthere, ac etiam paulò pòst librum de Vtilitate capienda ex aduersis. Disce ex errore admisso, parcè viuere, vt famulo & equo contentus sis absque ancilla: nam Phocioni Atheniensium Imperatori minor familia erat. Blandiaris moderatè omnibus, atque eruditioni operam da. Atque hæc satis: quoniam speciatim dictis voluminibus, tum in libris de Sapientia, atque aliis, omnia à me sunt explicata. Super omnia, vanis promissis aut spei ne incumbe. Sed hoc habere te solum puta, quòd habes: & his quæ habes, solum confide. Vale. v. Calendas Septembris. Transmisissem etiam libellum de Præceptis ad te: sed qui à libellis mihi est, satis est impeditus.

His diebus quidam conscripserat aduersus nostrum de Subtilitate librum, Opus ingens. Aduersus quem ego Apologiam scripsi, quæ edita est cum libro de Subtilitate, in tertia editione; in titulo eius est, Actio prima: chartarum est penè quinquaginta: initium eius est: Rectè quidem ac iure. Ea vtilissima est ad libros de Subtilitate, intelligendos: adducunturque in ea expositiones quorundam difficilium locorum, & demonstrationes etiam non vulgares, tametsi paucæ. Verùm per id tem- 35. 1.
poris conscripsi, Hymni ad Deum chartas supra quinque cuius initium est: Quibuscunque ô iubar: difficillima res, & cuius vix duas lineas nonnunquam vna in die conscribere possum. Accidit ante dies quàm filius meus in carcerem duceretur, vt dum scripta quædam reuoluo, hic liber in terram caderet: quanquam totis viribus, ne caderet, obniterer, itaque perterritus hoc miraculo adeò sum, vt mihi deinceps non constarem: timui enim non falsò, quod & euenit: sed non poteram diuinare. Neque consuluerim, vt improbus & mala mente ad eum legendum accedat: cum Theonosto imprimetur.

Reuersus ad profitendum Papiam anno M. D. lix. conscribere aggressus sum librum quartum Secretorum: perfeci plusquàm decem folia: cuius initium est: Cùm quædam sint sapientibus; adiutus mirum in modum Dialectica: nam & aliàs aggressus fueram hanc prouinciam, sed parum feliciter. Verùm libet, quæ iam absoluerim per tabulam ostendere.

TABVLA LIBRI
De Secretis.

1 Occultè loquendo facilè.
2 Occultè scribendo ἀντιζύγιον.
3 Vincto vt significes.
4 Scissitando, nec detegendo.
5 Annixis, seu Prostereneos.
6 Agrixia.
7 Παυσίεργον seditionum.
8 Vesicæ lapidi.
9 Herniæ inguinali.
10 Ὑπ[illegible].
11 Ὀλισθίνη, seu cataplazon.
12 Margarita ἡ [illegible].
13 Proserpinæ apparatus.
14 Hyctalops.
15 Spectrum.
16 Pesti.
17 Perforando obliquè.
18 Phtoe.
19 Sanguinis fluxui.
20 Insaniæ.
21 Diabeti.
22 Podagræ.

13 Vitæ

23 Vitæ producendæ.
24 Statua nobilis.
25 Æs varium.
26 Folia Gemmarum.
27 Smaltum rubrum.
28 Aqua marina.
29 Ἐγχειρίδιον ἀφροδισιασμῶν.
30 Smaragdus.
31 Gemmæ naturaliter pictæ.
32 Animi affectibus corrigendis.
33 Philtra.
34 Dæmonum naturalis visio.
35 Μαλῖνα.
36 Maximum ἰδιωτῶν.
37 Surditati.
38 Fructus seruare.
39 Ἀναμνηστικόν.
40 Κηρύκειον ἐπιγενόμενον.
41 Ἐλαφρόν.
42 Quartanæ.
43 Scabiei.
44 Oleum de Sulphure.
45 Sphondylorum dorsi luxatorum cura.
46 Renum lapidi.
47 Deliciis.
48 Πιναξίον.
49 Phasma.
50 Medicamentum Polycresson.
51 Experimentum mirum.
52 Catapluzon humanum.
53 Hæmoptoë
54 Hydropi.
55 Ad pondus metallorum augendum.
56 Μυδιασίς.
57 Ad delineandum frontem.
58 Ad retinendos fugitiuos, & philtrum.
59 Ad oculorum morbos.
60 Φῶς ἀνόχετον.
61 Φιλοσῆρα.
62 Exhalatio.
63 Κατασφαλῖον.
64 Peregtinatio, seu Metamorphosis.
65 Somnus.
66 Ἀνάβασις.

Quæris iure meritò, an experta? si sic, cur non diues, potens, ac denique Rex? Si non, quæ arcana? Non præsciui, cum oportuit. Sæpe dixi, non hæc nostra sunt: præter duo, nihil non expertum: præter sex, nihil expertum: reliqua omnia semi experta sunt. Sed ad quid quæram opes, si superuixisset ille miser, profutura hæc fuissent non parum, quæ nunc silent.

37. 1. Post opus aggressus sum Mediolani vacationibus quadragenariæ, seu Bacchanalium potiùs, anni M. D. lxj. Ita enim non obscurum est, nostra ætate celebrari ante quadragenariam vacationes, in quibus ludunt, conuiuantur, personati ac laruati incedunt, denique nullum luxus ac lasciuæ genus omittunt Sybaritæ & Lydi Persæque vincuntur. Nec tantum bonis operibus ac piis quadragenaria promerentur, quantum peccant iis Lupercalibus. Hoc igitur tempore commentaria cœpi in Mundini Anatomiam, chartis duodecim: reliqua sunt in prima editione ad chartas centum viginti: initium: Nō eadem est ratio, vsus multiplex est, ac vtilitas: inter reliqua Chinographiam foliatam inueni, & expressi, vt quasi cadauer lateat in commentarijs, præsertim si pingantur figuræ. Præterea breuem omnium morborum qui ex dissectione pendent, curam tradidi: vt aquæ in oculo, seu nebulæ, strummarum, podagræ, fracturæ ossis capitis, Scinanches, tabescentium tumoris lienis & iecoris, aquæ intercus, herniæ, lapidis renum & vesicæ, atque huiusmodi. Adhibui verò diligentiam summam, vt clara esset expositio, & ab omni contentione remota, nec ex membris partibusve membrorum quicquam deficeret.

Eovsque aliquid semper moliri non desiui, 38. 1.
verum cùm decreuissem modum ac finem aliquando facere, coactus sum tamē paucula hæc anno M. D. lxi. conscribere. Et primò libellum de Vno, foliorum quinque: cuius initium: Vnum bonum est: introductorius est ad Dialecticam. Libros Theognoston, & de Arcanis æternitatis. Demonstratur vnitas & ordo vniuersi, Mundus incorporeus qualis, & quòd solum quod vnum etiam bonum.

Deinde librum de Secretis primum, folio- 29. 1.
rum decem: cuius initium: Maxima pars eorum. Hunc ob duas causas: primam, vt multis præclaris ingeniis satisfacerem, vt scilicet ope mea victum sibi parare possent: eaque causa nullum apposui secretum, sed solùm viam illa inueniendi patefeci, vt illibatus liber semper esset, nec vsquam euulgaretur. Secunda, vt multos libros in ordinem redigerem: velut Dialecticam, & est secundus Secretorum: Hymnum, & est tertius: Et de nodis, & est vigesimussextus: Et de Musica, & est vigesimusseptimus: Et de lapidibus, & est trigesimussecundus: Et de præstigiis ex anima & operationibus eius, qui est quadragesimusquintus: Similiter quadragesimussextus, & quadragemusseptimus, de potionibus, & externis auxiliis: & quinquagesimusquartus, de Geometricis: quinquagesimusquintus, de Arithmeticis: & septuagesimusquintus; de Secretis educandi filios: & octuagesimusoonus, de Secretis ludendi: & nonagesimusprimus, de Fato. Vt ergo hos tredecim libros cum illo in ordinem redigerem, hunc librum conscripsi.

Alium quoque, qui iam numeratus est 40. 1.
inter hos, composui, de Gemmis & coloribus, foliorum duodecim, in quo nihil quod ad materiam eam attinet, desiderari potest, adeò subtiliter omnem illorum naturam perscrutatus sum. Initium est: Gemmarum differentiæ plures. Vtilitas satis perspicua est, cùm præsertim illud ostendam, multos esse lapides qui fortunam gestantium commutent.

Conscripsi libellum alium cuius titulus est 41. 1.
Tetim, seu de Humanis consiliis, foliorum sex: initium: Vtinam ô amice. Argumentum est, homines ac principes plerosque præsertim decipi in administratione. Fructus est, magnum afferre auxilium regnis cum felicitate subditorum, & Principum securitate, meliore fama, & Dei gratia. Hi quatuor cum hoc opere, vt patet, excusi sunt.

Conscripsi rursus libellum de Minimis & 42. 1.
proximis, foliorum trium. Alium de Summo
bono, foliorum quatuor. Alium de Nodis, fo- 43. 1.
liorum decem: initium primi, Cum anno M.
D. lix. secundi, Quoniam summum bonum: 44. 1.
tertij, Nodorum scientiam forsitan. Vius primi

ni est, vt doceamur nihil negligere, quandoquidem omnia nostra ex minimis ortum habeant? Secundi autem, compendiosam ostendere viam ad securitatem, quanta ab homine haberi potest, ne simus infelices: & quibus hoc sufficere debeat, quive debeant felicitatem sequi. At verò tertij multa vtilia alia, pulchra, & propè admiranda. Duos priores cum libris de Somniis edidi.

45. 1. Cum etiam hoc anno obiisset Gulielmus Lataneus Anglus, adolescens mihi charissimus, conscripsi librum foliorum duodecim, cuius initium est: Veniens è Scotia: titulus, Gulielmus, seu Gulielmina. Argumentum eius est, viuentes omnes esse mortuis infeliciores, plerosque etiam multo: quantus item sit dolor in morte, qualis, & cui assimiletur. Vtilitas eius est, perferre luctum commodè.

46. Demum cum viderem multa superfutura optima, ne cogerer vniuersa mutare; cœpi conscribere libros Paralipomenon, quorum numerus definitus non est. Initium primi libri: Cùm in Deo multa esse, tractatio est omnibus.

47. 5. Sed & libros quinque de rebus naturali-
bus, duos de supernaturalibus tres de morali-
48. 2. bus. Initium primi: Dei faciendo generatio:
In primo naturalium, de principiis quibus
54. 6. Mundus factus est: in secundo, de principiis
quibus est: In tertio, de principiis generationis: In quarto, de mixtis imperfectis: In quinto, de anima. In primo supernaturalium, de vitis: In secundo, de intellectu & communibus. In primo moralium, Ethica: In secundo, Oeconomica: In tertio, Politica. Causa constructionis fuit, vt omnia necessaria breuissimè & ordinatè colligerentur. Opus erit paulò maius chartis centum.

Horum igitur causa tabulam omnium subiicere decreui. Vtilior autem diuisio mihi videtur in classes: erunt autem octo. Prima, Mathematicarum tractationum: secunda, naturalis Philosophiæ: tertia, moralis: quarta, Diuinorum: quinta, Diuinationis: sexta, Introductoriorum: septima, Medicinæ: octaua, varij & incerti argumenti. Sic igitur & diuidemus illos, & distinguemus.

Mathematici.

Elementorum Geometricorum, lib.xv.fol.cc.
Arithmeticæ, lib.v.fol.ccc.
Musicæ, lib.v.fol.clxxx.

Naturales.

De natura, lib.v.f.c.
Supernaturalium, lib.ij.
De arcanis æternitatis, lib.vij.f.clx.
De fato, lib.iv.f.cxx.
De subtilitate, lib.xxi.f.cclxxx.
De rerum varietate, lib.xvij.f.cclxx.
De animi immortalitate, lib.j.f.lx.
De gemmis & coloribus, lib.j.f.xij.

Morales.

Moralium, lib.iij.
Tetim, lib.j.f.vj.
De sapientia, lib.v.f.lxx.
De præceptis, ad filios, lib.j.f.xiiij.
De summo bono, lib.j.f.iv.
De consolatione, lib.iij.f.xxxvj.
De vtilitate ex aduersis capienda, lib. iv. fol.ccxx.
De minimis & propinquis, lib.j.f.iij.
Gulielmus, lib.j.f.xij.

Diuini.

Theognoston, lib.vj.f.cc.
Hymnus, lib.j.f.v.

Diuinatorij.

Commentaria in Ptolemæum, lib.iv.f.ccc.
De iudiciis, lib.x.f.cc.
Metoposcopiæ, lib.xiij.f.clxxx.
De somniis, lib.iv.f.lxx.

Introductorij.

Dialectica, lib.j.f.x.
De secretis primus, lib.j.f.x.
De libris propriis, lib.j.f.c.
De vno, lib.j.f.v.

Medicinæ.

Commentaria in Hippocratem, lib.c.f.M.D.
Commentaria in Mundinum, lib.j.f.cxx.
De vrinis, lib.iv.f.cxx.
Ars medendi parua, lib.j.f.xxvij.
De sanitate tuenda, lib.iv.f.ccxxiv.
Floridorum, lib.j.f.c.
Contradicentium Medicorum, lib.viij.f.cccc.
De aqua & æthere, lib.j.f.c.
De Indico morbo, lib.viij.f.ccxxiv.
De experimentis, lib.j.f.ccx.
De morbis compositis, lib.j.f.l.
De malo medendi vsu, lib.f.xvj.
Quod nullum simplex. lib.j.f.xvj.

Varij & incerti generis.

De Ludis, lib.j.f.cl.
De Nodis, lib.j.f.x.
Tabularum, lib.iij.f.lxxx.
De Secretis quartus, lib.j.f.x.
Problematum, lib.x.f.lxx.
Paralipomenon. lib.

Librorum ergo horum summa, præter Paralipomena, est trecentorum: chartarum verò trium millium supra trecentas. Præter eos, qui tametsi edentur, aut editi sunt, sub nomine tamen librorum haud comprehensi sunt. Sunt autem hi.

Consilia.

Duo, pro difficultate spirandi.
Pro lepra.
Pro sanguinis fluxu.
Pro ventriculi affectu.
Pro surditate.

Apologia.

In Thessalicum Medicum.
In Iulium Cæsarem Scaligerum.

Encomia.

Medicinæ.
Geometriæ.
Neronis.
Podagræ.

Præter hæc quæ edenda aut edita dixi, sunt manuscripta non edenda, etiam si alia ex eis edita sint: Arithmetica parua edita fol. cxx. Tabula in Hippocratem, fol. xxxij. Tabula

librorum

librorum classicorum, fol. x. Commentaria in Sphæram, fol. xxx. In Geographiam, fol. xx. In duos primos Vitruuij libros, fol. xx. Contradictiones Logicæ, fol. x. Epidemia, fol. xxxvj. De circulis libri duo, fol. xx. Commentaria in primam primi Hasen, fol. cl. In artem Medicam, fol. clx. De Simplicibus Medicamentis alius, fol. x. Epistolæ familiares ad amicos, eruditos & Principes viros, Vesalium, Matthiolum, Alciatum, Osiandrum, Archintum, Ranconetum, Checum, Gesnerum, Fabium, Bonifacium, Antonium, Felicianum, Maioragium, Cicereium, Antonium Alphusianum, Franciscum Vicomercatum, Magnieoum, Georgium Ioachimum, & Hieronymum Scalingum, ad Cardinales plures, ad Principes nonnullæ. Epistolæ aliquot cælestes. Farrago insuper Medica fol D. Orationes in demonstratiuo genere circiter xxx. Farrago libri Technarum, cum initio eius. Consilia multa per totam sparsa Europam.

Exciderunt etiam præter hæc, Arithmantia, de locorum distantia, De peste, De venereis, De humana immortalitate, De pituita, De circulis sphæricis & vmbris, commentaria posteriorum imperfecta, Farrago operum Galeni quæ adhuc extant: Grammatica Græca, sed imperfecta: Tot Epistolæ, aliaque scripta, vt numerate nimis curiosi esset.

Itaque proponamus potiùs, quinam editi sint, idque breuiter: inde, qua ratione diligentiaque conscripti: demum, quo ordine legi debeant. Libri igitur impressi sunt hi:

LIBRI EDITI.

De malo medendi vsu. Bis impressus.
Quod nullum simplex Medicamentum. Bis impressus.
De consolatione. Bis impressus.
De sapientia.
De libris propriis, ter.
Commentaria in Ptolemæum. Bis.
De subtilitate, octies.
De somniis.
De animi immortalite.
Ars magna.
Ephemeridum emendatio, & De genituris.
De rerum varietate. Bis.
De Aqua & Æthere.
De vtilitate capienda ex aduersis.
De Minimis & proximis.
De vita beata.
De vno.
De secretis liber primus.
De gemmis & coloribus.
Gulielmus, seu de morte.
Telim.
Encomium Neronis.

Omitto Arithmeticam paruam, & duos libros Contradicentium, quoniam transmutati sunt alio ordine, ac ex toto permutati, vt nihil ferè ex priore editione retineant. Sunt etiam Apologiæ, aliaque edita. Porrò conscriptorum librorum quidam sunt exiles & aridi, quidam imperfecti, ac quasi immundi, nec expoliti: alij perfecti, quidam supra nostras vires. Sunt & quasi diuini, alij verò mixti.

TABVLA LIBRORVM tum editorum, tum edendorum.

Exiles

De iudiciis Astrorum.
De malo medendi vsu.
Quod nullum simplex Medicamentum.
De animi immortalitate.
De tuenda sanitate.
De præceptis ad filios.
Fabularum.
De Aqua & Æthere.
De morbis coniunctis.
De sapientia.

Supra vires nostras.

Dialectica.
Ars medendi parua.

Diuina penè.

Theognoston.
Hymnus ad Deum.

Impuri, sed quasi perfecti.

De ludis.
Floridorum.
De morbo Indico.
De consolatione.
Anatomia,
De libris propriis.
Experimentorum.
Musicæ.
Problematum.
Mixti generis.
De fato.
De Arcanis Æternitatis.

Perfecti.

Geometria.
Arithmetica.
Commentaria Ptolemæi.
Commentaria Hippocratis.
Metoposcopia.
De somniis.
De subtilitate.
De rerum varietate.
De vtilitate capienda ex aduersis.
De vrinis.
De secretis.
De vno.
Contradicentium Medicorum.
De secretis primus.
De gemmis & coloribus.
Tetim.
De minimis.
De summo bono.
De nodis.
Gulielmus.
De natura.
De supernaturalibus.
Moralium.
Paralipomenon.

TABVLA

TABULA ORDINIS LIBRORUM,
quo legi debent.

1 Elementa Geometriea.
2 Arithmetica.
3 Musica.
4 De vno.
5 Dialectica.
6 De secretis primus.
7 De libris propriis.
8 De natura.
9 De subtilitate.
10 De rerum varietate.
11 De gemmis & coloribus.
12 De animi immortalitate.
13 De Fato.
14 De arcanis æternitatis.
15 Supernaturalium.
16 Theognostos.
17 Hymnus.
19 De sapientia.
18 De moribus.
20 De præceptis.
21 De vtilitate capienda ex aduersis.
22 De minimis.
23 De summo bono.
24 De consolatione.
25 Gulielmus.
26 Tetim.
27 Commentaria in Mundinum.
28 Commentaria in Hippocratem.
29 De sanitate tuenda.
30 Floridorum.
31 De vrinis.
32 Ars medendi parua.
33 De experimentis.
34 De Aqua & Æthere.
35 De Indico morbo.
36 De morbis compositis.
37 Contradicentium Medicorum.
38 De malo medendi vsu.
39 Quòd nullum simplex.
40 Commentaria in Ptolemæum.
41 De iudiciis Astrorum.
42 Metoposcopiæ.
43 De somniis.
44 De secretis quartus.
45 Problematum.
46 Fabularum.
47 De ludis.
48 De nodis.
49 Paralipomenon.

Verùm ratio ordinis in plerisque nutat; quandoquidem horum librorum quidam antè & pòst legendi sunt diuersis rationibus: vt Dialectica, Ars medendi parua, De subtilitate, & de rerum varietate.

Sed hæc mittamus. Quid si contigerit vt ab obitu libri quidam maneat imperfecti, aut quod pluribus eueniet, non omnino castigati? At de hoc operæpretium erat etiam monere lectores, vt si quis non ineruditus eorundem causa qua nos hæc scripsimus, præmiorum efficere tentauerit, non difficile sit rem ipsam absoluere. Sic contigit Homeri & Aristotelis & Virgilij operibus, vnde illud etiam vulgatum Augusti:

Ergo ne supremis potuit vox improba verbis,
Tam dirum mandare nefas?

Et reliqua quæ sequuntur. Nostra ætate idem contigit operibus Cælij Rhodigini. Spes erat emendatos iri à filio, sed gratiam videris relatam. Cupierant extinguere non illum, sed me: non mitiore, verùm crudeliore, sed honestiore modo: vt conciderem in filij sanguine. Sed libet eorum nomina adiicere, qui de me in suis libris palàm editis honorificè mentionem fecerunt: quanquàm multos alios esse non dubitem, quibus gratias debeam ob simile meritum: quos videre ad hanc vsque diem non licuit. Incipiam autem à primo: quoniam is videtur omen fecisse fausto excepto, & non sine numine id egisse.

Gaudentius Merula, in Erasmicano bello: & in Sylua varia lectionis. Cui successit.
Donatus de Mutis, super expositione quorundam Aphorismorum.
Inde eruditissimi Viri:
Andreas Tiraquellus, de legibus connubialibus in initio quindecim libri.
Philander, in Vitruuij cõmentariis non semel.
Gesnerus, dum mihi esset ignotus, passim.
Philippus Melanchton, in initiis sua Naturalis Philosophia.
Gemma Phrysius, in sua Arithmetica.
Franciscus Vicomercatus, in suis Meteorologicis.
Michaël Stiphelius, in sua Arithmetica.
M. Antonius Maioragius, in Antiparadoxis.
Schenerus, de Natiuitatibus, in fine.
Epitome Bibliotheca.
Hieronymus Tragius, in suo Herbario.
Georgius Pictorius, de tuenda sanitate, & in conuiualibus sermonibus.
Antonius Mizaldus, in libro de Sympathia & Antipathia.
Christophorus Hispanus, de itinere Philippi Regis.
Conradus Lycosthenes, de prodigys.
Io. de Choul, in pulcherrimo libello de Quercus historia.
Leuinus Lemnius, in libri de Natura arcanis proœmio.
Adrianus Alemanus, in librum de Aere & aquis Hippocratis.
Hieronymus Castillioneus, in oratione de Laude patria.
Ioachimus Ellerus, in Io. Hispalensis Isagoga.
Adolphus Crang, in Tritemij Abbatis introductorio.
Melchior Guilandius Borussus.
Gulielmus Gratarolus.
Castigator Hermetis, de Natiuitatibus.
Liber magnus de Aquis, à plurib. aggregatus.
Matthaus Abel, in Dionysium de situ orbis.
Nostradamus, in suis Praedictionibus annuis.
P. Constãtinus, in castigationibus in Amatũ.
Gasper Peucerus, de Diuinationũ generibus.

Sanctè verò iurare possum, me nullum horũ agnouisse, antequam de me scriberent, præter Gaudentium Merulam, Antonium Maioragium, Donatum de Mutis Medicum, & Ioan. Choul: sed neque cum illorum quoque, præterquàm Maioragio, amicitiam aut familiaritatem contraxi. Tantum verò abfuit vt quemquam huius causa rogarẽ, vt nunc etiam quasi pudeat meipsius: neq; apud quenquàm minor mihi esse videor, quàm apud memetipsum. Itaque gratias tanto maiores illis habeo, vixque sui Aristoteli aut Galeno forsan similia contigere. Sed obiicies, & aliquos damnasse scripta nostra atque hi sunt:

Nicolaus Tartalea, in suis nouis inuentionibus.
Lucas Gauricus, in suo de Genituris libro.
Io. Brodeus, in Miscellaneis.
Tadaus Dunus, in disputationibus suis.
Io. Buteon, in sua Arithmetica.
Ingrassius, De humoribus.

Atque hi nullus prorsus eaistimationis, præter Brodæum, qui sibi hac causa nomen parare voluit, nec scit quod reprehendat. Gauricus de diuisione domorum arguit, sed non intellexit mentem nostram: pro qua etiam scripsit Antonius Alphasianus Senator ad me. Buteon planè stultus est, & elleboto indiget. Dunus, vt famam quæreret, cùm esset meus auditor, euulgauit Epistolam meam. Ingrassius, nec in reprehendendo, nec vlla In re satis nouit quid dicat: melius fuisset omnino non scribere. Sribere enim vt imperitiam tuam prodas, nec fructum alium facias, superuacaneæ operæ est. Tartalea coactus est recinere palinodiam: sed tamen puduit eum stare promissis, nec quod scripserat, delere voluit, sed in amentia perseuerauit: coruo prorsus similia, viuens alienis laboribus, & fur manifestus alienorum studiorum, adeò impudens, vt quod edideram iam publicè quadriennio antè de expiscandis nauibus submersia, ipse edito libello, nec rem satis intelligens, suppressa de nobis mentione, inuentionem illam: quia materna lingua Italica illam euulgauit, vt suam publicauit. Verùm homines eruditi nos lacessiuerunt, Rondeletius, Iulius Sealiger, Fuchsius in proœmio cuiusdam sui operis, vbi docet cauendas esse nostras Medicinę contradictiones vt venenum pestiferum. Est etiam Reinerus Soleander quidam, de aquis calidis. Sed ille cùm de causa ortus illarum nos reprehendat, non tamen respondet demonstrationi quam pro opinione mea attuli. Cæterum, vt dixi, Cæsari Scaligero in Apologia quæ est cum libris de Subtilitare, satis responsum est. De Fuchsio, pudet me illius, qui damnat, nec rationem adducit, vultque sibi credi velut oraculo, in tot causis arduis. At illi plurimum debere me fateor, cuius causa duodecim illos admirabiles Contradicentium medicorum libros instauraui. Sed ipsum non pudet agnoscere tot furta, qui nil de suo scripsit, sed integras Aëtij, inter cæteros, paginas. De Rondelletio, piger sanè in hanc arenam cum illo descendere: sed potiùs illi ignoscendum existimo, qui Aristotelem & Galenum non vno in loco, vt me, sed in pluribus sugiller. Quod consilium, modò verecundè fiat, & non aut contradicendi studio, aut inania cuiusdam gloriæ, haud improbo. Sed tam pauci id ingenuè faciunt, vt multo paucioribus (& meritò) etiam res hæc benè cedat. Existimat forsan hac in parte nos imitari, sed longè aberrant plerique: nam nos vt principia rerum statuamus, in vno vel duobus ad contradicendum Aristoteli, & in viti, descendimus: tam firmis verò rationibus, tam claria experimentis, tot etiam consequentibus, vt non dubitem apud posteros nostram hanc opinionem, in qua ab Aristotele dissidemus, plusquam probabilem futuram. Et tamen id tam verecundè, vt nemo nobis, quantumuis addictus Aristoteli, possit succensere. Sed (vt dixi) credamus hæc omnia syncero animo ab illo facta, vt veritas elucesceret. Quid causæ est vt nos accuset, vt literam videt manifestè esse corruptam, vt ipsemet fatetur: dicta mea quædam repugnantia continent, quomodo igitur in quatuor versibus, nisi prorsus desiperem, vult me mihi repugnare? Par igitur erat contextus corruptione cognita ad me scribere, non tot ex vno sibi fingere solœcismos. Quod enim echeneis echinus non esset, aptè declaraueram, quodque torpedo à remora differat. Sed vir gloriæ cupidior, ansam damnandi arripuit libenter. Verùm decebat hominem tam in redarguendo acrem, culpa (vt Cicero inquit) omni carere: cum enim nos tam exiguis in rebus accuset, & quæ nihil ad nostrum faciunt institutum: & quæ solùm supremam manum expostulabant, quam nuper omnibus nostris operibus admouimus, cùm antea ob intempestiuas quorundam preces nonnulla (vt etiam Aristoteli & Galeno) excidissent inemendatas velut & Ciceroni, qui proœmium Academicarum quæstionum libris de Gloria præposuisse se imprudenter fatetur: decebat illum, soluo castigata emittere. At tantum abest vt emendata ipse in medium protulerit, vt tum præpostero iudicio, tum mendaci historia, tum propriis dissensionibus omnem fidem à libris suis abrogauerit. Cupiebam ab illo iuuari: nunc quam fidem adhibere possum homini in tota tractatione oscitabundo, leuiáque solum sectanti, & inconstanti? Quod quidem, qui historiam nostram in libris de Rerum varietate traditam leget, & in suis editis libris quæret, facilè vera esse comperiet: nec credo illum mihi irasci debere, sed vix edita pro suis volet agnoscere: adeo mendis innumeris & intolerabilibus scatent. E quibus vnum, quod excusatione omni caret, quòdque extra propositum esset, in eo loco prætermisit; hic pro exemplo subiicere statui. Inquit enim Tiburo piscis est, quem ego è vitulorũ aliquo genere esse puto. Dij boni, quid vnquam absurdius dici potuit? Ita fato quodã natus sum, vt qui calumniatur, insanire videantur. Quid enim Tiburoni cum vitulo marino? idem, aut simile: Tiburo capite piscis, vitulus quasi felis: Tiburo cum branchiis & sine pedibus vitulus cum pedibus & sine branchiis: Tiburo masculus cum duplici genitali & simplici lingua, vitulus cum vnico membro & duplici lingua, vt auctores referunt. Sed ego quanquam in Scotia & tractauerim, & dissecuerim, & comederim, duplicem illi esse linguam non animaduerti. Tiburo fine vno vel pilo, vitulus totus vt quadrupes pilosus: Tiburo: velocissimus, vitulus piger admodum: denique Tiburo membris internis dissimilis vitulo, & illi inimicissimus est. Adeó vt si quis vellet (vt dici solet, & ex vngue leonem) æstimationem libri eius ex hoc facere, fabulam potiùs quam historiam posset existimare. Sed ego non sic: verum potiùs illud Horatianum: *Quandóque bonus dormitat Homerus.* Itaque cum iis in libris Grãmatici potiùs quam Philosophi vices gerat, contineat se suis limitibus, nec aliorum gloria illum adeò torqueat, vt iracundè scripsisse videatur, non cũ iudicio: sed editos libros ad limã & incudem reuocet. Hęc cõmunis vtilitatis

vtilitatis causa dicta, non nostra existimet: quippe quod nos nihil nisi apposita demonstratione protulimus: quam si quis pensitauerit diligenter, vix à nobis dissentire poterit. At hoc forsan ille non intelligit: quoniam non eodem in loco conclusio & demonstratio conscribuntur. Quòd si hæc non assequitur, non pondus sententiarum, non connexum rerum, non succedentia per quæ res ipsæ comprobantur: quomodo Galenum aut Aristotelem, aut classici alicuius viri scripta percipiet: cũ sæpiùs & illi, & nos multò magis cõclusiones in præmissis, & præmissas in conclusionibus non explicatas reliquerimus. Par enim hoc est facere, vbi connexio sit necessaria ob infinitatem rerum quæ comprehẽduntur, quas explicare penitùs fuerit ἀδύνατον seu impossibile. Quòd si in his cupit se exercere, & an vera sint experiri; legat nostra commentaria seu in Ptolemæum, seu in Hippocratem. Nam nullibi meliusdocebitur quàm reconditæ essent, quamque altè repositæ sententiæ veterum, cum in illis explicandis neruos omnes intenderimus. Quanquã forsan par labor in Commentariis ipsis planè intelligendis relinquatur. Quã rem viri eruditi intelligentes, & quãtæ sit difficultatis & artis, plus iam mihi in re literaria tribuerunt, quàm ego exposcere verecundè visus essem. Etenim cum nostris inuentionibus sensissent se non parum in scribendo iuuari, iuuabunturque, Deo dante, multò magis in posterum, cum (vt ex ordine editorum librorum liquet) minus vtilia & minus elaborata priùs ediderimus: seu dissimulent, seu prætereant: pauci sunt tamen qui non malint in re adeò manifesta potiùs fateri debere se nobis, quàm furti nomine notari. Cæterùm & inter eruditos etiam Amatus Lusitanus in Commentario super Dioscoridem testimonium locuples de nobis reddidit, licet in 1. Centuriarum editione accusasset. Verùm tamen res illa de qua arguebar, in caput suum recidebat, cum ego non eiusmodi sententiam protulissem. Vnum illud addam: pulcherrimum futurum opus suum, iudicio meo, si illud contraxisset ad trientem. Cætera enim cum sint vulgaria, in memoriam reuocant eos medicos, qui discipulos ad artem edocendam circumducunt, omnia docentes, necessaria fortuita, vulgaria & selecta, pertrita & secreta, vt ne quid prætermittant. At quod veneretur Hippocratẽ admodum, quòd Auicennam non contemnat, in ratione etiam curandi multa è vetustate in lucem reuocare conetur, laudo ingenium atque iudicium. Est etiam satis clarus & perspicuus. Quòd etsi maledicat de me non curo, inter tot qui bene sentiunt: sunt sua edita, sunt & nostra: homines potuerunt æstimare. Ego non conferam, quando post inuentam Dialecticam pauca admodum videam esse sine labe. Sed vbi maior laus, ibi vituperationi amplior via, & latior patet. Suæ tantum narrationes sunt, paucis exceptis locis: nostra vbique arte conscripta sunt, licet (vt dixi) passim in his quæ ante Dialecticam edita sunt, plura desiderem ego ipse in meis libris, quàm probem. Ita factum est hac egregia inuentione, vt plura sordeant, quæ in alienis mirum in modum placebant, & de quibus in nostris gloriabar. Ita rectè Moses, nos docuit ex scientia torqueri, nihilque iucundius imperitia. Si enim quis sapiens sit, nunquam probabit aliena, suaque despiciet. In angusto enim sumus: malúmque illud scientiæ, doloris atque tristitiæ pater est. Cæterùm cùm, vt ab initio dixi huius sermonis, desperem posse omnia ad perfectionem deducere, vt aliquis nostra opera vir eruditus ad incudem reuocare possit, decreui ipsam Dialecticam, quam supprimere perpetuò destinaram, in publicum edere

Qua edita & intellecta, non erit arduum omnia ad finem deducere omnium: extat enim prima editio, aut saltem tota farrago. Dicam igitur qui modus esse debeat libros conscribendi: atque eo intellecto, facilè erit intelligere, quid & vbi deficiat quicquam in nostris libris, & quomodo restitui possint quæ deficiunt. Primùm igitur, quod ad stylum attinet, non adeò contrahi debet ad Ciceronis regulã, vt si omasum dicere necesse sit, oporteat (quoniam Cicero eius non meminit) sic fari: Pingue illud intestinum bouis, quod gustu, dum diuisum excoquitur cum odoribus, adeò iucundum est. Sufficiat fuisse Horatij, fuisse Plinij. At contrà neque tanta licentia abutemur, vt Græca infœliciter supponamus, si Latina probè respondeant: aut bonitatem atque hæcheitátem eructemus: vel si præcisè, pro ad vnguem: vel si barbara nomina, quæ postmodum incertam habeant interpretationem, interposuerimus. Sit etiam oratio rei congruens: nec disputantes in Architectura. Liuij facundia vtemur: nec in Medicina conabimur stylum, Ciceronis orationibus iudiciatiis assimilare. Meliúsque est vno dicendi genere, etsi non adeò probato, vti, quàm pluribus intermistis, tametsi pulchrioribus. Neque verò se attollere in immensum, nec velut cadentem in infimum se detrudere. Fugiamus autem obscuritatem, quæ per se etiam nimis obrepit, & temporum successu, & vetustatis vitio, & linguarum defectu atque permutatione libros ipsos reddit inutiles. Sed & cuique suam reddamus consuetudinem, vt facilior & clarior euadat oratio. Familiaris autem sit: sermo: propter id enim inuentus est, vt ab omnibus & facilè intelligaris. Non quæras absolæta: leuitatis enim animi indicium est. Neque verò verbosus sis: nam tempus eripis, charissimam rem. Et quòd in Galeno meritò contemnitur, audebis ne tu sperare, quòd in te diu placeat? Memineris semper, verba propter res ipsas facta esse, non res propter verba. Plus legitur, præterquàm à pueris, Horatius in vno exiguo volumine, quod compertus sit, quàm Ouidius in tot. Sed nec adeò breuis sis, vt obscurus euadas, aut concisus: vt Poëtæ & Hippocrates. At ei venia debetur, qui in tabulis ligneis scribere cogebatur. Sed vt non sunt verba à Cethegis expiscanda, aut reuocanda: ita neque multo minus dicendi quidam modi, quamvis Ciceroni & hominibus illius ætatis familiares: qualis ille: Deinde ne pro indicta die quis accusetur, vt ter ante magistratus accuset intermissa die, quam mulctam irroget, aut indicet, quarta sit accusatio trinundinum prodita die, qua die iudicium sit futurum. Sed neque oportet res sui temporis tãquam notas breuiter transigere, cũ multa ex antiquitate sic

Prò domo sua ad Pon.

perierint: quæ enim nunc notissima sunt in Italia, mille post annos apud Mamaricos & Paropamisas incognita erunt. Vbiq; vigebunt studia literarum, vbique interibunt. Adornanda est oratio Poëtarum testimoniis, sed non sepienda vt Galenus, dum Chrysipum imitari studet, aut cum illo contendere, factus est. Cynico illi apud Lucianum cum Morione contendenti similis. Fugere debemus aliorum vitia, non æmulari; nec despicere materiam subiectam. Parum splendebunt carmina in Geometria, vel Arithmetica: necessaria erunt in humanioribus literis, ornabunt Iurisconsultum, testimonium ferent de moribus disputanti. Sed non est inflectenda oratio: vt qui equo Troiano Mediolani insunt, collum illius ad farcimina surripienda plicant. Ipsa oratio fluat per se: dum carmina quasi vltrò se offerunt, non expedita videantur. Affectata omnis res, si habeatur, parum honesta est: si non habeatur, fœda & turpis. Circumfluant verba, nec per similia fiat repetitio: nec per diuersa deturpetur oratio, dum idem significent. Quid enim interest, si idem indicent verba, vt non bis significent dictione, dixisse significent, aut indicent? malo idem nomen repetere, quàm eandem sententiam. Habes quos imiteris in hoc genere, vt in omni certè decet optimos: Ciceronem eloquentia, Quintilianũ arte Nonum premas in anoum, & antiquorum more primùm iudicia eruditorum explora: latent mendæ nostræ plus nos, quàm alios, etiamsi illi longè nobis sint imperitiores: adeò perdifficile est nos agnoscere, vt non solùm nos nostraque, sed (quod existimo te nunc primùm intelligere, si credis) nostri & familiares & domestici, vxórque ac filij: quàm exteros: quanto enim illis propior es, tanto magis eorum delicta te fugiunt: partim quia magis illi à te cauent, quod conspici se putant melius: partim id contingit consuetudine, quæ nos moueri adeò & animaduertere non patitur: partim quòd minus quærimus: vbi aliis placuerint, fac vt vltimus sis cui placeant. Citò enim placent aliis, quæ serò auctoribus ipsis placent. Atque hæc de oratione stylóque dicta sunt.

Verum de re ipsa maior debet esse ars, labor & industria. Legimus Plotinum in dictione fuisse negligentissimum, qui tamen per tot sæcula est in veneratione. At si res ipsa quæ tractatur absurda fuerit, aut malè tractetur, quæ iam spes superest vt liber ad posteros cum auctoritate transeat? Ergo primùm de re ipsa dicamus, de qua tractatur: inde dicturi de modo. Sordida, vilia, inepta, falsa, impia, nefanda, & quæ legibus humanis aut diuinis aduersantur, fugere oportet. Scribimus, vt humano generi opitulemur, vt laudemur, vt res sint perennes: at sordida, vilia & inepta, hominibus non prosunt, imò etiam nocent, & vituperatione digna sunt. Quomodo ergo ex huiusmodi laudem quæres, aut quem fructum afferes? Rursus impia & nefanda legibus aduersantur, quomodo perennia esse poterunt? Admiratus sum non parùm, Ioannis Baptistæ Portæ opus de rebus naturalibus, in publicum prodiisse, in quo nouo scribendi genere factitare venena nos docet. Quæ tanta potuit esse hominum socordia? aut quæ illi mens? Occiderunt filium conantem vlcisci Mœcham vxorem, vt ea illi in faciem obiiciebat, nec tamen occidit: venena publicè factitare docentem, quibus sontes & insontes perdere liceat, suspicimus? O hominum mores! ô secula! Non illum quod oderim dixi, sed cupio ei esse meliorem mentem. At falsa sunt? atque ita reor: fœdissimi tamen exempli, & prorsus igitur inutilia. Ergo mea ætate plures libri his argumentis fœdi cecidêre, quamuis impressi: Manganellus, Iulia Ficaria, atque huiusmodi, etiam solo nomine turpia: sed & Agrippæ libri de Occulta Philosophia: & meritò, cum superstitione pleni, referti sint experimentis falsis solùm, atque absurdis. Venena esse, & cognoscere, & curare, si quis doceat, vtiliter illa necessariò facturus est. Sic Conciliator, Ponzeta, Auicenna, & reliqui præclari Medici fecêre. Magicas vanitates non tàm docet quàm irridet Plinius: Magicam veram quis possit dignè laudare? Verba, nugas, mendacia, chymicas fabulas, impia sacrificia, venena veneficiáque docere, & improbi viri est, & amentis, atque damnosum humano generi. At verò scribere vt nihil scribas, velut hodie cum tot Epistolis Italicis, vbi quisque nimiùm sibi sapit, ad nominis perpetuitatem nihil prodesse speres: ad præsentem vtilitatem, laudemque forsan non ineptè, si quis aptè fecerit: plura enim animalia stipulis & oleribus aluntur, quàm fructibus. Sed & mare cùm nullam habeat arborem: quoniam fluctuum impetu vix fieri posset vt non disiiceretur, raram quoque herbam, longè tamen plura alit animalia, quàm terra ipsa cum tot herbis, arboribusque. Ita etiam in hominum genere plures sunt ventosi, quàm solidi. Primùm omnis ætas sexúsque imbecillior, pueri, mulierésque: inde ex viris plebs tota lucro addicta, ob necessitatem: ex nobilibus omnes, primùm indocti, & ex doctis etiam maxima pars, scilicet qui Musarum chorum à limine salutarunt: impediti etiam grandioribus curis, his magis delectantur ineptiis, tanquam morionum & minorum quodam exemplo, quàm seriis & difficilioribus studiis. Demum & ex his optimis multi delectantur huiusmodi nugis, vel ad remissionem grauiorum studiorum, vel vt aliorum moribus se accommodent: ita enim viuere coguntur, ac loqui, scriberéque, non vt par esset, sed vt aliis satisfaciant: quorum est maximus numerus. Hæc tamen scripta si æterna esse putant, insaniunt: nam cum inania sint, factu etiam facilia sunt: itaque & plures id tentaturos esse necesse est: nec aliquis tam diligit parentes, vt nolit magis sibi bene esse quàm illis, aut illorum gloriæ cedere. Quis ergo est qui ita se à posteris amari, obseruari, venerarique persuadeat, vt illius causa nolint & ipsi scribere, ab hocque quod sibi tam honorificum esse putant, & in quo tantum se profecisse existimant abstinere: scribent igitur, & multitudine scriptorum obrui priores necesse est. At elaborabo ita vt nihil addi possit. Erras, nam quæ nunc maximè placent, cùm tamen nihil aut valde parum contineant, hinc ad centũ annos

mutatis moribus lingua ac ratione scribendi, quæ quasi circulo quodam perpetuò circumferuntur, necesse erit etiamsi optima essent, negligi atque concidere. At Boccatij fabulæ nunc magis virent quàm antea: & Dantis, Petrarchæque ac Virgilij, totq; aliorum Poëmata, sunt in maxima veneratione: & Aureus ille asinus Apuleij, & Æsopicæ fabulæ, cùm tamen nihil contineant omnia hæc veri aut vtilis? Vetustas adiuuit illos tamen quot concidisse credis, comparatione eorum quæ supersunt? Deinde in alio scribendi genere sunt. Aliud est, argumento vni insistere, quamuis ficto: aliud est, vt in Epistolis fieri solet, liberè quovis vagari. Dici enim solet: Qui quod scribat, nescit, ad scribendas Epistolas se conferat. Ciceronis Epistolas defendit illius auctoritas, & puritas linguæ, quæ postmodum statim concidit: vt ibi inuentum sit non leue auxilium, vbi maximum timebatur esse periculum. Si Romana Respublica cum lingua diu floruisset, non fuissent Ciceronis opera in tanta existimatione. Cecidit cum eo flos linguæ, & quærimus inuidè quod periit. Adest & alia causa: res scilicet gestæ eorum temporum, vt nunquam aliàs, magnificæ & admirabiles: tum viri præclarissimi, Cæsares, Bruti, Pompeij, Crassi, Catones, Lentuli, Antonij, Hircij, Pansæ, Lepidi, Crassij, atque alij innumeri, adeò vt omnia in idem tempus se contulerint: dico vrbis Imperium & Monarchia, seditio & bella maxima, mutatioque status Reipublicæ claritas virorum, & florentis linguæ casus: hæc igitur omnia seruarunt Ciceronis Epistolas, quæ etiam Cecilij Plinij: nam & adhuc Roma orbi imperabat sub Nerua Traiano, atque tam sub Domitiano: & quod deerat ex nitiore lingua ob temporum defluxum, & barbarorum in vrbem aduentum, ille diligentia singulari suppleuit, vt meritò pòst Ciceronianas primæ habeantur. Senecæ autem Epistolæ vim libri, sed remissioris styli atque artis retinent: quippe ad vnum Lucilium Balbum Siciliæ præsidem omnes scriptæ sunt: atque in eodem argumento, scilicet virtutem solam esse, in qua sit constituenda fœlicitas: mortem verò esse quasi virtutis metam, ac summum decus, si quis eam fortiter ferat. Sed & Petrarcha & Dantes, vt dixi, non Epistolas, sed libros & numeroso pede condiderunt. Sic & Apuleij fabula, libros vndecim continuato ordine complectitur: in quo genere est illa Heliodori, atque etiam Achillis Statij. Æsopum tuetur antiquitas. Concident ergo tot Epistolarum libri, Philelphi, Ficini, Politiani, Erasmi, Longolij, atque tot Italica lingua conscriptæ: aliis surgentibus aut melioribus, aut gratioribus. Et in eodem omnes Centuriæ, velut Amati, Montani, Farraginésque omnes: in quibus quod collibuit, intruserunt, ordine nullo, ratione admodum tenui, stylo humili. Cadent & Manardi Epistolæ: nec scio an nostræ Contradictiones, quamuis non leuibus laboribus conscriptæ, superesse poterunt. Certè si supererunt, gratia posteritati habenda erit. Hoc consilio omisi libri de Calidis technis constructionem, tametsi lepidissimum esset argumentum, vtiléque vitæ humanæ: & historica, non fabulosa esset tractatio vniuersa: farragóque tota penè iam condita, vt solùm exornatione indigeret. Ergo ea de quibus tractaret conuenit, debent esse primùm humano generi vtilia & salutaria, deinde honesta, deinde perpetua. Hoc dico: quoniam & historiæ ipsæ pereunt vetustate. Quænam facta Alexandri magni præstantiora? & tamen cùm à centum fermè historicis conscripta sint, trium solum historia superest: Iustini, Curtij, Arriani. Sed Iustini concisa & breuis, Curtij mutilata prioribus duobus libris, Arriani sola integra est. Nuper Diodori Siculi altera, non inelegans, prodiit: sed & ipsa, vt Iustini, concisa est, & admodum pro tot gestis breuis. Cùm seriem rerum, nomina, tempus, strategemata, consilia, Epistolásque sustuleris ex historia, narrauerísque solum exercitus, duces, prælia & vrbes captas, historiam exanguem & quasi mortuam reddis. Ob hoc quàm multi historias scribere aggrediuntur: nullas tamen nos habemus historias ex vniuerso genere, præter Cæsaris commentaria, & Iugurthinum bellum, ac Catilinæ coniurationem ex C. Sallustij laboribus: ideo quod Val. Martialis in Apophoretis suis scribit, tàm à paucis est intellectum, quàm verissimum; scilicet:

Hic est, vt perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia,

Ergò adhuc locus scribendi multis superesset. Nam primùm historiæ suprema laus est veritas: ob id adulationibus plenæ nostri temporis historiæ, & mendaciis refertæ, temporibus futuris locum non habebunt inter posteros. Inde, vt perfecta sit locorum descriptionibus, nominibus potentiorum, & quod maximum est, causis belli, & quæ mouerunt auxiliarios vt in hanc vel illam partem declinarent. Inde patefaciat consilia habita, Epistolas occultas. Inde series, tempus, ordóque seruentur: atque adiiciantur copiæ cum ducibus, gentes, prælia, stratagemata, vrbes captæ, direptiones, modus, atque huiusmodi. Adsit stylus fluens, & clarus: orationes ducum magis veræ, quàm quæ historici facundiam ostentent. Nasutum vitum ficta res, qui veritatis solom sit studiosus, quomodo delectare potest? Fabulas atque figmenta Poëtis relinquamus: liceat Homero & Virgilio, non gestarum rerum seriem fideliter narranti. Itaque & in exiguo argumento, vt Xenophontis in ascensu Cyri, maxima voluptatis & delectandi causa relinquitur: si rectè historia conscribatur. At dices: Nimis multa exiguntur, si omnia hæc necessaria sunt ad historiam ritè conscribendam. Fateor non cuiusuis est, hoc posse facere: sed solùm illius, qui rebus ipsis secretioribúsque consiliis omnibus interfuerit; & ad quem literæ omnes zifris seu supposititiis notis scriptæ peruenêre. Aliarum nullæ perpetuæ erunt. At dices: Quæ nostri Regis facta continent, nonne perpetuæ erunt, ob potentiam? Minimè, nisi ad illius stirpem orbis dominium tandem deuenerit: eorum solùm historiæ seruantur, quorum posteris fortuna fauerit, vt orbis imperium adipiscantur. Verùm interim tandiu seruantur, quandiu in ea spe subditis regni esse licet: nam Crœsi Lydo-

rum Regis, & Scytharum & Ægyptiorum Regum, & Gallorum, antequam Romanis subiicerentur, historiæ atque acta, periêre maxima ex patte: sed si tamen rectè traditæ essent, & vt docuimus, adhuc manerent: quandoquidem priuatorum quædam acta & vitæ, quod ad rectam descriptionem accedant, adhuc maneant. seruentur atque legantur. Verùm obiicies: Nonne omnia tandem scripta intereunt? Certè: nam si mundus æternus est, vbi scripta ante tria annorum millia infinitis sæculis, ac tot in prouinciis seruata? si factus, vbi ad interitum venerit, secum cuncta consumet, seu igne, seu marcore consumatur, ac dissoluatur. At ego æterna appello scripta, quæ tamdio durant, donec mundus ipse manserit. Satis nobis nunc sit declarasse, quænam scripta mereantur æternitatem, quæ non: quæ absoluta atque perfecta sint, quæ non quæque laude digna, quæve non: & quæ cum mundo ipso solùm peribunt, & cum humano genere, & quæ non.

Electo præstantissimo argumento, & in quo diuersatus sis & feliciter multis cum experimentis, rationibusque efficacibus, non vulgaribusque obseruationibus, vbi omnium qui de ea re conscripserint seu ex proposito seu obiter libros reuolueris, veritatis quam ostentationis amantior, priùs quasi in præludiis scribendo, docendo, disputandoque exercitatus, propositaque omnium tibi farragine, conare primùm vt eam in ordinem atque ad vnum redigas principium: deinde his rationibus ad scribendum accinge te, non vt laborem & versiculos diebus, vt ille stylo, metiaris: sed pro occasione vigoris, atque intentionis mentis, ocij, & vnitatis argumenti. Leges autem erunt hæ. Primùm vt quicquid amplectêris (tantùm verò amplectêris, quantum optimè noueris) diducas in species: atque ad singulas vsque diuidendo, nihil prorsus omittas, donec ad vltimas deueneris. Demonstrabis autem omnes has sub eo genere contineri: nec vllas alias aut contineri, aut posse contineri. Inde, quæ sint tum totius generis affectiones, tum seorsum vniuscuiusque speciei, ne vna quidem prætermissa, inuenies pro tua facultate, atque edocebis. Dixi pro facultate, nam quantumcunque diligens fueris, longè plura omittes quàm attinges. Sæpiùs enim dixi, nos vmbram tantùm rerum videre, non res ipsas, nec intima. Beatus verò ille fuerit, qui vel muscæ vel culicis, aut pediculi pulicisve intima prospexerit. His cognitis, de singulis deriuationes afferas. Inde conare, vt omnia in vnum, si potes, redigas principium: nam & facilior doctrina, & firmior reddetur, videbiturque Artificiosa. Si non liceat, in quàm paucissima. Adde insuper nominum exquisitam significationem, & ordinem quàm nitidissimum, cum oratione clara atque emendata. Pòst, inuenta ipsa ad vltima extende: nec prætermittes, quæ ex ea doctrina commoda quis consequi possit.

Oportet autem non vnum demonstrandi genus in omnibus obseruare. Geometria exquisitissimas & purissimas requirit: Arithmetica, etiam præter illas, tentandi nodos admittit: non vt securum te reddant de re quæsita, sed vt eorum spe ad quærendum demonstrationem securior accedat. Astronomia ex propositis, tanquam sufficiat sic esse posse, ad conclusionem accidit. Musica eodem modo, sed experimentum quærit: quod etiam in iudiciis Astrorum definiendis obseruare solemus, tum in cæteris diuinatoriis artibus: qui modus quãquam sæpè, & maximè in vniuscuiusque fortuna prædicenda aberret, tamen arti plurimũ affert vtilitatis, quando eo meliorem non habemus. Conferunt ad hoc plurimum quatuor illæ Ptolemæi regulæ, de quibus in Dialectica diximus. In Philosophia naturali, ab effectibus ad causas procedimus: ibi nouus labor est suscipiendus scilicet, vt illius eam causã esse demonstremus: fit autem hoc partim experimentis, partim à diuisione sufficienti proposita, singulis rei capitibus explosis: velut, Luna deficitur lumine: nihil potest intercipere Solis lumen nisi terra: quia nihil est humile & opacum nisi illa. In Medicina verò tum eo genere demonstrationis, tum causæ vtimur: velut in Dialectica, & quinta Aphorismorum, in expositione illius Aphorismi demonstrauimus: Quæ corrupturæ sunt fœtus: & vltimis sextæ particulæ: Si muci incidant, coxa delabitur & restituitur: sed coxa delabitur & restituitur: hoc causæ ratione ostendit: non tamen causam esse, vel effectum: inde reuertitur, effectum esse ostendendo, vnde esse causam demonstratur. Est præterea vnicuique disciplinæ modus tradendi etiam peculiaris. Geometrica summam amant claritatem, puritatem, breuitatem. Arithmetica eodem modo, sed demonstrationem non exigunt nisi vbi difficiliora, sunt atque tum illustrari etiam exemplo debent. Persæpè postulabant tacitæ obiectioni responsum, vbi absurdum videtur quod concluditur: exempla omnium in propriis tractationibus quære: hîc admonuisse satis sit. Astronomica eadem hæc insuper foliatis figuris & narratione repetita per alia verba, vbi difficultas vrget: hoc enim vbique intelligendum requirunt. Musica eandem repetitionẽ & declarationem finis, seu effectus. Optica præter demonstrationem, modum exigit conficiendi instrumenta ad experientiam: tum & materiam requirit, quod etiam in Astronomia & Musica negligere non debemus. Astrologia gaudet ratione, claritate, exemplo, non repetitione, quibus etiam Metoposcopia & tractatio de somniis: sed huic adiicere debemus comparationem ad hominis conditionem. Dialectica demonstratione & claritate, vt Geometria, explicationeque nominum. Theologia ornatu verborum absque figuris: veris enim innititur. Rhetorica, figuris & probabilibus (nõ enim veritatem exigit) immodicoque ornatu, & argumentorum multitudine. Simplicium medicamentorum & dissectionis historia, candida narratione, picturaque exacta. Sed Anatomia multiplicẽ narrationem & diuersis connexam partibus requirit, & picturam foliatam. Reliquæ Medicinæ partes multiplicem postulant diuisionem, operandique modum cũ peculiari verborum ornatu. Architectura verborum explicationem exigit ab ipso initio rei tractandæ, narrationem clarissimam, rationẽ, ichnographiam singularũ partium, inde totius cum vmbris, quas etiã in figuris omnibus præterquã Geometricis planis requirimus. Geo-

graphia

graphia picturam etiam cum coloribus experit, & putam narrationem, maximeque ordinatam comparationem ad alias prouincias, & itinerum rationem, historiam, & præclara locorum miracula, quæque abundent, & quæ optima vbique nascantur, quique homines insignes, imperia, leges, mores. Naturalis philosophia rationibus doceri debet, tum autoritatibus, velut & Medicina, altiùs causas repetendo, & ad principia deducendo: ornatum cũ candore mediocrem verborum non aspernatur. Eadem & Medicina, & Magia præcipuè, experimentis confirmari debet. Morum tractatio autoritatibus muuienda est, vt etiam simplicium historia, vbi in dubium reuocetur: sed præter id ornata esse debet, rationibusque & exemplis, si qua alia, confirmata. Si de ludis quis scribat nugari licet, sed appositè, clareque: nec exemplorum obliuiscatur. Gubernãdæ Reipub. ratio, qualis morum: sed orationẽ floridam & longiorem postulat. Fabula breuem, claram, puramque narrationem exigit. Si quid iotermiscueris, vitio vertetur. Forsan hæc atque alia difficilia videntur, quod mihi obiici solet: sed si vitium hoc effugere voluero, in aliud deterius prolabi necessarium est, immensam scilicet prolixitatem: nam res rebus adeò annexæ sunt, vt scientia nostra infinita sit, aut infinitæ similis: quamobrem hoc vitio dandum non est mihi, quod effugere non possum. Sed his clara erunt omnia, qui diu in nostris libris exercitati fuerunt: aliis certè non ita. In summa ergo conare, vt opus efficias rotundum, expolitum, elegans, vndequaque absolutum & venustum. Verùm dices: Hæc rectè se habent, sed si ad tam arctam normam ea de quibus scribere oportet, deducenda sunt, pauca admodum erunt de quibus scribere possimus: imò nulla, cum de iis antiqui, aut si quid restat, tu ipse scripseris: nempe de continua quantitate Euclides, Archimedes, Apollonius, & tu de numeris, tum etiam de Musica & Astrologia vtraque Ptolemæus: in naturali Philosophia Aristoteles, tum etiam diuina: in Dialectica ille, nique: tum etiam in Metoposcopia: in Opticis, Vitellio: in Architectura, Vitruuius: in Medicina Hippocrates & Galenus. Quid iam residui est, de quo scribere possimus? Aberras toto (vt aiunt) cœlo: nihil scriptum est de vlla re: iam testatus sum, proprietates, naturasque rerum ipsarum esse infinitas. Quid igitur prohibet, ne assumpta aliqua specie, vt Ioan. Choul fecit in Quercu, pulcherrimum & absolutissimum librum conficias? Nec ille huic negocio defuit arte diligentiaque: sed quia non plura experimentis comperetat, non magnus liber, sed libellus tantum euasit. Vt ergo aliàs dixi in Quarto Theognosti libro, de cœli ad humani generis numerum comparatione: ita nunc de argumentis librorum dico, cuilibet mortali, si omnes libros condere possent, mille librorum argumenta suppetere vel toto anno magno, qui triginta sex millibus annorum Solarium definitur. Iam verò postquam de Quercu verba fecimus, in illa afferamus exemplum. Sunt proprietates animalium quæ quercus gignit, medicamenta infinita: loca in quibus peruenit feliciter, & in quibus educari non potest, alia in quibus in genistam transmutatur: partes, fructus & species, cur, quomodo à natura genitæ, quando in aquis proficiat, & quando nigra euadat, quantum sub terra maneat: commoda foliorum, glandium corticis, ligni, medullæ, radicis: cur adeò neruosa, & cælaturæ inepta, quorsumue id naturæ agere attinet, aut necesse fuit? quotannis iuuat, & cur tamdiu? quare ipsa tota planta genita sit: quando visci arbusculum in ea nascatur, cur vmbra illius salutaris? quo in ordine plantarum sit, quot modis ex illius notitia homo ditari possit: cum quibus sympathiam, cum quibus antypathiam habeat: de põdere illius, ratione, mensura ramorum & foliorum: quæ animalia illam diligant: de forma radicum: quid solo commodi vel detrimenti affetat, quæ sint illi congeneres & affines plantæ. Multa quoque & sine numero, quæ ad naturæ vires & artificia spectant: atque alia, quæ non licet memorari: quoniam prorsus ignota sunt. Sed iam ad propositum redeamus.

Operum igitur nostrorum defectus erroresque emendare volenti, primùm scire decet, tria esse perfecta & castigata ad amussim: scilicet præsens hoc. Artem medendi paruam, & Dialecticam. Duo præterea castigata, sed non perfecta: Opus de Secretis, & Hymnum: in iis non plus habet quod agat quisquam, quàm in tria priora: nam addere quicquam, ad meipsum solum pertinet. Verùm opus Arithmeticæ, satis emendatum est. Ars solùm magna, quæ emendatione indigeret, apud me est emendata: vtinam tam à multis intelligatur. Sed & liber de vtilitate capienda ex aduersis, & liber de Subtilitate. perfecti sunt, atque castigati. In hac enim editione Henrici Petri, anni M.D.LX. nihil præter paucas voculas desiderari posse existimo. Commentaria in Ptolemæum, apud me sunt emendata Geometricorum elementorum pars difficillima, tota est absoluta, præter vltimum librum: reliqua quisque poterit ex priore libro addere, seruata ea ratione, vt ordine Euclidis disponantur: scilicet quæ sunt supra tertium librũ, præcedant ea quæ sunt supra quartum: atque ex iis quæ sunt supra eundem librum, præponantur: quæ sunt supra primam, iis quæ sunt supra secundam: atque deinceps supra secundam, iis quæ sunt supra tertiam. Quæ verò ad vltimum pertinent librum, à nemine suppleri postulo: neque enim alterius quàm mei, hoc munus esse posse credo. Liber quoque de Malo medendi vsu, & Quòd nullum simplex medicamentum noxa caret, demptis pauculis vocibus barbaris, nil aliud postulant: quoniam, vt dixi, eo cõsilio relicti sunt in Catalogo, vt imaginem referrem iuuenilis ingenij, & primæ formationis. Eâdem in conditione est opus de Consolatione, liber Fabularum, & de Præceptis ad filios: editioni enim sunt parati. In libro Experimentorum id solum desideratur, vt tituli inanes auferãtur. Cum enim proposuissem ad singulos morbos conscribere singularia experimenta, in quibusdam sanè plura quàm sperarem inueni: in quibusdam non: neque enim more quorumdam, quicquid auxilij quod profuit aut sanauit ægrotantem, id pro experimento adnotaui: sed solùm experimenta appello, quibus deplorati aliquo morbo seruati sunt. At, vt video, alios quosdam

non pudet pro experimentis vulgata conscribere: sed audent etiam ea, quæ iis qui mortui sunt, adhibuêre, inter experimenta numerare. Libri de Aqua & æthere exemplar emendatum apud nos est, vt solum excudi postulet. In omnibus autem iis quæ iam impressa sunt operibus, errores Typographorum, Typographus ipse emendet. Sunt autem quàm multi in libris de Consolatione: quod ob id admonere volui, si quando accideret vt non ante meum obitum imprimerentur. Sed & librorũ de Rerum varietate exemplar est apud me castigatum, & multis in locis super auctum. Imperfecta extant Floridorum. Metoposcopiæque opera: quorum etsi farrago adsit, postulant tamen à me perfici. Sic & Theognosti quod reliquum est, atque sine farragine, adhuc à me desideratur: nam centum tantùm & quadraginta chartas, sed difficillima quæque continentes absolui: reliquum erit (vt reor) paulò plus quàm centum chartæ. Libri quoque de Animi immortalitate exemplar emendatum, quantum emendare licuit, apud me est: nam ex Theognosti compositione quasi perculsus est: assimilatúrque flammæ tenui ignis, quàm Sol irradians exanimat: veruntamen sic editus, multóque antea, ob emendationem elegantior ac pulchrior videbitur, vt spero. Problemata absoluta sunt: iudicio & cẽsura potiùs quàm emẽdatione indigent: ea requirit vnius diei liberæ operam. Liber quoque de Ludis totus conscriptus est, paucis quibusdam in locis emendatione indiget: quòd nescio quomodo chartæ quædam translatæ, negocium lectori facessere, atque impressori eo magis possent. Septem Aphorismorum particulæ, & ipsæ Commentariis sunt illustratæ.

Libri autem de Astrorum iudiciis, sunt ad normam, quam, cùm superiùs de illis ageremus, descripsimus, redigendi. Additis etiam genituris, quæ in nostris emendationibus conscriptæ inuenientur, vt res ipsa & ordo postulat. Cæterùm illud commune præceptum est, quod Anaxagoras dicebat, separare dissimilia, congregare similia, illáque connectere, vt liber magis ordinâtus & lucidus euadat. Præterea eximere repetita, absurda, inconcinna & barbara. Demum omnia ad principia autoris, quantum fieri potest, reuocare. Et ob id summum est artis opus, optimè tenere scribentis mentem, principiúmque illud, cui tanquam nauta temoni dum nauem dirigit, insidet. At eadem ratione libros de Arcanis æternitatis corrigere licebit, memores opus illud naturale esse, non Theologicum: atque etiam cum hoc sub virgulą censuræ illum habere, ne aliqui (vt Petrus de Paulo dicit) obscura in suam trahentes sententiam, vtpotè cum de legum promulgatione agitur, seipsos perdant, & libris nominique meo maculam inurant. In sũma, tandem cum me haud lateat, multa præter ordinem interposita, multa leuia, & transposita plura, in locis paucis voces non Latinas quasdam admissas, in omnibus (præterquàm Dialectica, Hymno, & Arte medendi parua) restitui Latinas voces volo, & Augusti præceptum de Virgiliana Æneide seruari, vt auferant quæcunque leuia aut perperam interposita videbuntur: cæterum nihil omnino addant, nisi quid congruere ex farragine scriptorum meorum, quæ supererunt, existimauerint. Credidi enim melius esse, centum perperam apponere, quæ facilè possunt auferri: quàm vnum deesse, quod numquam arte vlla restitui posset. Cæterum postquam in hos incidimus sermones, non abs re erit (quod plures in nobis damnant (alij verò queruntur, rationem nunc reddere, cur scilicet difficilis admodum omnibus in meis operibus videar: cum in profitendo summa laus, quæ mihi nullo negocio auditorium semper frequens reddidit, fuerit, sitque facilitas & claritas summa in docendo: idque mirum videtur plerísque, cur idem à semetipso tantùm duabus differat in causis, adeò coniunctis & affinibus. Et quãquam superius quædam communi ratione diximus, nunc tamen rem totam vt maximè necessariam explicabo. Ea autem sic se habet. Cum in omni dicendi genere illud semper propositum sit, quæ menti occurrunt explicare: certè si rei argumentum simplex sit, obscura oratione vti aut imperiti est, aut insulsi, aut ambitiosi viri: velut in Mathematicis atque historia. At in Philosophia, dum non tam conamur quàm cogimur naturam imitari, cupimúsque multa ac penè infinita complecti, necesse est vt obscura euadat oratio: nam si omnia distinctè distinguere voluerimus, primum quidem illa disponere oportet: deinde longissimo ambitu tanquam feras in vnum cogere, volenti vti: ea ratione contigit, vt necessarium esset multa breui oratione amplecti, atque ita obscuriores euadere indicio sit, nullum Philosophum hoc vitium (si modò vitium dici debet) effugere potuisse: Aristotelem, Theophrastum, Alexandrum, Themistium, Auerronem, Plotinum, Priscianum, Lydum. Et qui facillimus existimatur Plato, is omnium re ipsa est obscurissimus. Accidit mihi, quòd etiam quibusdam ex illis contigisse reor: scilicet vt longiùs perita absque intermediis (id autem breuitatis studio euenit) tanquam maximè necessaria & tractatione opportuna iungerem. Mens. n. acris & ad disserendum intenta, vndique permeat & colligit argumenta, per media transiliendo, quæ recensere piget: vnde postmodum oratio obscurissima redditur. Vltimum in hac causa est, orationis & consuetudinis: quibus fit, vt vltima primis coniungamus, media prętermittamus nonnũquam, aut postponamus, omnia facientes vt cacephatem vitemus, & orationem floridam efficiamus. At in proficendo cùm locus relinquatur interrogationi, præstat dilucida oratione instruere adolescentes: nam plurima quæ relinquuntur in docendo, quæque illorũ animis occurrunt, licet petẽtibus declarare. Id verò indicium est, obscuritatem illam è renasci, non esse affectatam. Cum enim & clarè disseramus docentes, & dilucidè, quæ dilucidè dici possunt, explicemus, scribentes palàm est non obuiam nos obscuritati ire, sed illam se nobis offerre.

Ea ergo ratione ad profitendum Papiam rediimus, vt faciliùs cœpta opera possemus absoluere: tum etiam, quòd labor ille longè minor esset velitatia illa cursitatione per vrbem, & quòd nullo negocio clarissimè possem docere: vnde mihi laudem non mediocrem, &

frequens

frequens ſperabâm auditorium. Nec expectatio me fefellit: quanquam, vt dici ſolet: Semper Ilio mala. Accedebat, quòd fuga minimè leporina videbatur, cùm pluſquàm vellem medendi autoritate proceſſiſſem. Tametſi eò ventum eſt, vt obſtrepere vehementer inter tot tympana neceſſe ſit. Sed malum malo plectitur, & (vt dici ſolet) ſuo telo iugulantur. Multi hanc ætatem fœliciſſimam eſſe putant: & certè ætas ipſa, arbores, lapides, aër, fœliciſſimi ſunt: nam & orbis totius notitia nunquam aliis ſeculis habita enituit, tot rara, tot inuentiones, tot librorum, ars Typographica, multaque alia præclara: verùm homines infeliciſſimi, ſi vnquam antè. Bonis tutos eſſe non licet, mali felices eſſe non poſſunt: habeant gladios, cohortes, pecunias, ſcorta, vireta & campos, domos, picturas, gemmas, equos, & quicquid eſt deliciarum, mori tamen certum eſt: & quòd bono viro maximè metuendum ac infeliciſſimum, illis pro ſumma felicitate eſſe neceſſe eſt (horrendum dictu) nihil eſſe, & prorſus non eſſe, nec in æternum eſſe ſperare. Mihi verò ſapientia bonum aliquid inter mortales eſſe videtur, vel hoc ipſo, quòd aut eſſe aliquid poſt obitum neceſſe ſit, vel quòd ad ſummum humanæ vitæ apicem peruenerim: nam cùm multos ſani iudicij viros interrogauerim, an vnquam aliquid extra naturam præſenſiſſent, vix vnum aut alterum inueni. Mihi autem cùm talia ſæpiùs ſentire contigerit, ſiquidem naturæ vi illa ſenſi, palàm eſt naturam me vſque ad vltimos ſuos limites tanquam ſpeculatorem eorum, quæ vltrà eſſent produxiſſe, vt poſtmodum ea docerem mortales: quod ſi verè ſenſi (vt reor) palàm etiam eſt non hanc eſſe vitæ noſtræ metam, non hos terminos: ſed eorum ſolùm qui immortalium rerum neglecta cura, totos ſe dederunt huius vitæ lenociniis. Quamobrem ſeu vno ſeu altero modo id euenerit, non temerè ab ſcribendum animum appuli. Incitabant me & aliæ cauſæ non leues ad hoc, de quibus nunc dicam.

Primùm quidem, monitus non ſemel ſomniis ipſis: deinde etiam ipſa rei præſtantia, quæ me ad hoc incitabat: & quòd nihilo ditior aliud faciens euadere potuiſſem, nec felicius viuere. Demùm, quòd aliter mihi facere non licebat. Præſentiam quidem numinis mihi affuiſſe non dicam, ſed tamen haud abſurdè forſan id mihi perſuaſi, quandoquidem primùm monitus toties per ſomnium multa peregi, multáque declinaui: quæ ſi eueniſſent, non hucuſque peruenire potuiſſem: quin etiam quaſi coactus, & ab aliis negociis reuocatus ſum ad ſtudia. Neque inter tot oppugnationes aut victum aut oppreſſum, vel impeditum, in tantáque paupertate nihil omnino defuiſſe maius mihi videtur, quàm vt ſapientiæ meæ tribuam. Sed & hæc minora ſunt quàm vt forſan numinis vim atteſtentur: aut toties ſeruatum diuina ope à peſte, ab inimicis, ac deſperata aqua intereunte in infantia, totque aliis de quibus etiam in initio libri memini, res mihi magna videtur. Denique natum hac ætate florida, tot mira occurriſſe, non ſoli caſui tribuendum puto. Quod ſi quis adiiciat admonitionem patris per ſomnium, qua ad ſtudia literarũ excitabatur, profectò res mira videri poſſit, caſum tot attuliſſe, tanquam conſtanter præter opinionem. Verùm anno M.D.LVIII. qui ætatis noſtræ fuit LVIII. ab eo ſenſim deſtitui viſus ſum numine, quo impellebar: ſeu iam omnibus abſolutis argumentis, & fermè etiam libris: ſeu intermittente ſe vi illa, non ſubducente: ſeu alia quacunque cau[illegible]: certum eſt, cùm aliàs nihil eſſet de quo pe[illegible]omnum non moneret: deinde annis iam decem abhinc illis ceſſantibus ardor ille accederet, quo nihil arduum mihi putarem: & hic maxima ex parte ceſſauerit, nec ætatis vitio, ſiquidem ad alia promptior factus ſum: vim aliquam cœleſtem me deſeruiſſe, quæ diu antea dux mihi fuit ad obeunda negocia illa. Sed vt ad rem redeam, etiamſi nullum numen mihi affulſiſſet (quòd tamen ego non tam abſque ingratitudinis vitio dicere poſſum, quàm ſine iactantiæ ſuſpicione quòd affulſerit affirmare) licet apud eos qui libros de Arcanis, æternitatis legerint, talia haud dubia ſint, nihilominus vel ſpontè hoc vitæ genus eligendo præſtantiſſimum elegiſſe videor. Vt enim de Anaxagora ad Eudemum ſcripſit Ariſtoteles, interrogatus ille quinam fœlix eſſet? Reſpondit: Nullum eorum quos exiſtimas, ſed qui à fœlicitate alieniſſimus tibi videatur. Animaduerterat enim, neminem niſi magnum, aut pulchrum, aut diuitem, fœlicis appellatione dignum illi cenſeri: cùm contrà ſibi fœlices beatique haberentur, qui iuſtis honeſtiſque actionibus tranquillè incumberent, diuinaque alia contemplatione participarent. Neque id cõgruere mihi, quòd ex Ariſtotele vulgatum eſt, exiſtimauerim, ſcilicet quòd pauperes diuitias, diuites ſapientiam quærant. Etenim quamuis de numine, ſomniis atque impulſu excuſari poſſem: oſtenſurum tamen ſpero, etiamſi proponatur bonorum finis ipſa voluptas iuxta Epicurum, optimum vitæ genus me mihi elegiſſe. Atque id tam apertè facere poſſe confido, vt nemo adeò ſit huic cauſæ infenſus, quem non in meã ſententiam traham. Primùm igitur ab his quæro, apud quos conſtat Chriſtum eſſe Dei filium, cur pauper potiùs quàm diues eſſe maluerit, atque adeò pauper, vt ipſe de ſemetipſo teſtatus ſit, nec tantùm ſupereſſe vt recumbere poſſet (quandoquidem abſque agro, abſque domicilio, & abſque ſupellectile vagaretur) ſi non optima pauperum cõditio eſſet? cùm ex his quæ mala ſunt, nihil aſſumpſerit, non deformitatèm, vel morbos, aut cæcitatem, balbutiemve, aut horum quicquam ſimile: fruſtrà ergo laborarem, ſi apud viros, quibus diuino exemplo perſuaſum eſt diuitiis longè præſtantiorem eſſe paupertatem, illam opinionem tueri conarer. Sed mittamus exempla. Deique autoritatem, vel apud atheos ſaltem ſapientiſſimi viri, ſoliſque rationibus ac euidẽtibus ſenſibus innitamur: neq; enim hoc modo minus ſpero quàm exẽplo oſtenſurũ, optimum mihi vitæ genus diſcẽdo potiùs quàm exercendo, ſcribendo quàm diuitias comparando elegiſſe. Id verò commodius facturus ſum, ſi vtilitates ſcribentium aliquod dignum inuentu mortalibus edocuero. Itaque primùm ab exemplis clariſſimorum virorum iudicium ſumendum reor, qui cum tot laboribus ac difficultatibus huic muneri

addicti sunt. Quis enim Platone sapientior? Aristotele prudentior? Theophrasto doctior? Hippocrate grauior? Galeno acutior? Cicerone facundior? Cæsare dictatore potentior? Hieronymo sanctior? Antisthene pauperior? Zenone melior? Cleanthe ærumnosior? Plinio impeditior? Sylla deterior, aut imperitior? & tamen omnes conati sunt imaginem suæ mẽtis posteris scribendo relinquere. Quinimo alij sumptibus suis & industria aliena, nomen apud posteros quæsiuerunt: velut Iustinianus Imperator, Alphonsus Castellæ Rex, & Constantinus Cæsar: ille leges, hic agriculturæ præcepta, horum medius tabulas Astronomicas reliquit. Ingenui magis hominis erat, rem vt gesta erat fateri. Memorabile quoque factum Sostrati Gnidij fuit, qui cùm turrim in Pharo regis nomine exædificasset, exteriùs quidem obducta calce nomen Regis inscripsit? marmori autem, Sostratus Dexiphanes Gnidius diis nauigantibus salutiferis. Quòd etiã Mausoli Architecti fecisse ferũt. An ergo omnes hi desipuère, qui non solùm sapientissimi, sed etiam felicissimi fuerunt? At dices: Diuites hi erant, & potentes? Nequaquam: nã Zeno pauper: Antistheni nihil fuit: Cleanthes verò noctu aquæ hauriendæ operam dabat pro hortis irrigandis: assiduè verò studiis incũbebat, scribebatque de die, adeò vt 60. libros reliquisse feratur. Zenonis verò libri sũt innumerabiles. Sed iam ad rationem accedamus, primùm quidem, nihil esse delectabilius ipsa sapientia, hauddubium esse debet. Vt tamen euidentius hoc demonstremus, scire oportet, omnem iucunditatem esse in voluptate, omnem tristitiam in dolore. Animalia igitur quod sensu prædita sint, delectationem habent: plantæ autem non habent: aut si habent, exiguam, ac quasi insensilem. Sed cùm animalia rationis expertia non cognoscant se affici voluptate, licet afficiantur, eorum lõgè minor est delectatio: hominibus autem maior: quoniam magis cognoscunt. Quia verò se cognoscere percipiunt, maxima: adeò vt harum felicitatum interuallum pluries belluinã felicitatem contineat. Maximum igitur delectationis fundamentum est, cognoscere propriam felicitatem. Qui ergo adeò amẽtes sunt, vt non cognoscant infelicitatẽ, nec valdè felices aut infœlices esse possunt. Non est tamen felicitas humana absoluta, quòd sit cum metu doloris, quòd non sit diuturna: quòd eodem momento non intelligamus, & cognoscamus nos intelligere, sed paulò antè vel pòst: quod discrimen temporis, quamquam exiguum sit admodum, vetat tamen nos omnino esse felices: adeò refert, vt conueniant hæc duo tempora in vnum: ob id igitur homines perfecta felicitate non fruuntur, nec cognitio etiam humana est de omnibus neque omni modo, nec perfecta. Vltimò, non efficit ipsa res. Primæ substantiæ autem absque metu malorum, & semper cognoscunt: & dum cognoscunt se cognoscere, simul atque eodem actu intelligunt: hisque tribus modis ab omnibus differunt: inter se autem: quoniam plura aut pauciora, perfectius aut minus absolutè cognoscunt: hoc enim Dei proprium est: sunt & alia forsan discrimina, quæ intellectus meus non assequitur. Est & aliud maximum indicium, quòd humana felicitas in operatione consistat, quæ fit secundum cognitionem: nam vesperi diem sequentem auide expectamus, etsi senes vna die fiamus seniores. Annos etiam persæpe cupimus exactos, vt quod cum ipsorum cursu perfici debere speramus, habeamus absolutum. At mane diei finem non desideramus: quoniam exacta die nihil superest quod agamus. Constat igitur, animæ cognoscentis opus summum bonum in se continere: & vt Claudianus inquit: ipsa sibi virtus pretium est. Cum igitur perfectio hominis summa sit, cognoscere se intelligere: qui scribunt legenda, hac voluptate fruuntur: estque hæc vera mentis æternitas, cum eadem sententia perpetuo tempore maneat, & nostri pars melior. Ob id igitur sapientes conati sunt hanc meliorem sui partem scriptis ad nos traducere: atque id est commodum primum scribentiũ. Secundum est, memoriæ ipsius confirmatio. Tertium est, exercitatio honesta, per quam etiam multa scitu digna nobis occurrunt, quæ alioqui incautos præterirent. Galenus verò, cùm principalem causam conscribendorum operũ prętermisisset, honestiorem quidem, sed longè minus efficacem subiunxit: scilicet preces amicorum, quæ tamen nec nobis defuit: nam prædictiones ab Anglis, mathematica à Germanis, medica ab Italis postulabantur: naturalia verò ab omnibus. Gallia moralia placuère, quæ forsan vsui multis fuerunt. Si epistolas omnes clarorum virorum, qui vt ederem nostros labores suadebant, in vnum congessissem, integra arca contineri non possent. Sed pertæsus multitudinis, maximam partem earũ ignibus tradidi. Verùm ad institutum redeo: maxima voluptas est hominibus cum seipsos velut in speculo contemplantur: nam speculũ cum corporis tantùm effigien referat, magna tamen voluptate nos afficit: tametsi corpus pars nulla sit nostri, sed tanquam vehiculum solum. Etenim homo totus verè anima est. Scripta igitur nostra cùm legimus, nos ipsos intuemur velut in speculo ipso. Adde quòd effigies corporis ipso absente decedit: imago autem animæ manet in libris, etiamsi homo ipse non adsit: quare forsan melius libros picturis & statuis comparaueris: quæ tamẽ præter id quod (vt dixi) non nos, sed nostrum operculum representant, nullus etiam Zeusis aut Apelles vel Polycletus tam ad viuum referet imaginem nostri corporis, vt scripta animæ. Distant præterea scripta à picturis & statuis, quòd in omnium conspectu sint: & vt immortale à mortali: nam scriptã renouãtur, augentque autoritatem translata: imagines amittunt. Atque id etiam scitu dignum, speculum hoc mentis cùm contemplamur, tàm nos quàm speculum meliores reddit: corporeum autem speculum & imago non ita. Quamobrem Ouidium non aliud occultasse sub tam pulchra fabella Narcissi seipsum in fonte intuentis reor, quàm vt depingeret sapientem scripta sua perlegentem: hic enim verè, ille puer formosissimus est, animus noster, sui imagine captus? sic enim inquit:

Cunctáque miratur, quibus est mirabilis ipse:
Se cupit imprudens & qui probat, ipse probatur:

Dumque

Dumque petit, petitur: pariterque accendit & ardet.

Quam putas esse voluptatem eruditi, cuius scripta iam leguntur & placent, cùm cogitat, quòd in Regum ac Principum cubicula penetrat, in manibus sapientum ac potentium versatur, diligitur à formosis (nam & mulieres legunt, alij auro vestiunt) commendaturque perennibus Bibliothecis, laudatur in publicis locis, suspicitúrque à tot sui seculi viris? Quòd si contingat Genium adesse, & bona esse quæ scribuntur, ac rectè elaborata, subit spes tot futurorum seculorum; quibus perpetuò reuirescit, familiámque cum posteris, ac primam illustrabit. Quas opes cum hac vita conferes? cùm tot Reges, ne dicam Principes & opulentos, temporis diuturnitas obruerit, vt ex decem millibus vix vnius memoria superfit: Cleanthes autem, qui dum viueret, terram fodiebat, adhuc fama viuat, innumerisq; in libris refloreat? Quid dicam de his quorum libri ad nos peruenerunt, qualis Plato, Aristoteles, Plutarchus, & absque numero alij? Sed age, si quid melius habes his, opes erũt: verùm non tàm facile est parare opes, quàm nomé, si quis à natura ad hoc sit institutus. Subiacẽt hæ fortunæ, & labores inexhaustos aut dolos, sceleratáque facta requirunt, maximè his tẽporibus. Itaque & si meliores forent, non tamen tam rara earum acquisitio esset. Præterea etsi benè succedat alea, grauis tamen & absque voluptate est acquisitio, nec licet simul acquirere ac vti. Verùm voluptas hæc ad posteros transfertur. Sed forsan filiis etiam parum proderunt, cum tot insidiæ ob eas illis immineant, hinc agnati ex hæreditate aucupiũ facient, dispensatores ac domestici subfurantur, tot lenones, sycophantæ, inde magistratus & causidici atque aulici, & quandoque principes. Ipsi filij opibus inertes facti, nec se tueri qui spolientur, possunt: nec spoliati quid agant, habent, ocio assueti. Deinde vt de me loquar, si opes parandæ erant, medica arte, non aliter parare potuissem: at ea, si qua alia (gloria quæ illam comitatur excepta) tota seruilis est, plenáque laboribus, & (vt verè fatear) ingenuo viro indigna, vt non mirer olim seruorum fuisse hoc exercitum. Illud potiùs malè habet, quod nimis etiam me illi dederim: namque ad hanc vsque diem supra decem millia ægrorum curaui. Neque enim hæc vitæ meæ ratio lucro obfuit: quippè quod solicitudini detraxi, autoritati adieci. Atque vtinam opibus comparandis non plus obfuisset prodigalitas ipsa, atque incuria iam partorũ, casus quidam aduersi qui filij culpa euenerũt, quàm studia literarum, & conscribendorum operum voluntas. Si enim quantum auri ex arte accepi, referre vellem, vereor ne maior laude sit turpitudo, quod tantum profuderim. Neque tamen adeò piget me huius profusionis & incuriæ, contemptúsque pecuniarum, cùm recordor Bionem Borysthenitem adolescentem hæredem factum ab hero opulentæ hæreditatis, tabulas testamenti lacerasse: Cratem verò Thebanum super cc. talenta patrimonij diuisisse ciuibus quod exemplum sequutus est, vt ferunt, Apollonius Thyaneus, & Peregrinus Philosophus Sed dices: Hi Philosophi fuerunt, nos de ciuili homine sermonem habemos. Constat enim Socratem & plerósque alios, maximè qui ex eius schola fuerunt, contempsisse diuitias. Sed quid dices de Aristotele, qui ob veritatis studium in Eubœã concessit exul, & magna bonorum parte mulctatus? Quid de Philoxeno Poëta, qui cum nec Philosophus esset, nec satis bonis moribus institutus, vt qui gruis collum optaret, quique obscœnè nimis vixit: cùm tamen sortitus in Sicilia domum esset, & agros feraces, reliquit ea, dicens: μὰ τοὺς θεούς, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολῇ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα.

Sed adhuc pugnant aliqui: Opes meliores sunt. Eruditio & scripta vna hora parari nequeunt, neque vnius anni spatio: opes, principis gratia, hæreditas, thesaurus detectus, inuentio, quæpiam noua, vna hora pręstare possunt: opes possum sperare semper, etsi non habeam: delectet autem me illarum possessio, spes vsque ad extremum lactare potest. At si opes habeam, quòmodo sperabo iam senex euadere doctior, & conscripturum opera, ni prorsus insaniam? Quamobrem meo iudicio, etsi numina non suasissent, optimum tamen vitæ genus delegisse, & summum humanæ fœlicitatis apicem appetisse mihi viderer, vt in iudicio saltem non aberrauerim, postquam maior fœlicitas mortalibus cõtingere nequit, quàm vt scriptis illustribus celeriter, atque in omnium ore simus: vt contrà nihil odiosius memoria scelerũ & dedecorum. Quod verò ad Aristotelis sententiã pertinet, satisfecisse me puto: nam ille dandam Philosophiæ operam suadet, cùm seipsum & ancillam alere possit. At ego & filios, & equos anagnostas plures semper alui. At dices, artis auxilio: nihil refert, quandoquidem hæc studia ad autoritaté, reliquáque commoda quæ ex arte parantur, contulerunt. Quod nisi temerarium filij factũ obstitisset, iam haberẽ quo sine labore viuere possem. Verùm etiã illud cõsiderandum, quòd si vir fortis mortem spontè subire debeat ob voluptatem, solum momento temporis ante mortem spe gloriæ consequendam: cur ego hos labores iucundos, hancque peculiolæ iacturam, si qua sit, subire dubito, propter voluptatem multò ampliorem, qua iam multis annis fruor, & in posterum fruiturus sum, nõ iactura vitæ, sed potiùs augmento: imò ne rei quidem familiaris iam in futurum, & forsan, incremento? Constat etenim, hac opinione studiorum maximas & raras occasiones, splendidáque bona oblata: quorum quædam recepi, quædam contempsi.

Quin etiam alias Regum & Principum locupletissimas conditiones renui, non vt plerique solent, iam quæsitas, sed vltrò exhibitas: existimans longè melius esse liberum viuere, atque in patria mediocribus opibus, quàm extra patriam & in seruitute opulentum & diuitem: Stultum enim est in tam breui vitæ curriculo mori vt viuas, diúque infœlicem esse vt sis aliquando fœlix. Multi dum seruierunt, mortui sunt: plures cum habitum corporis sibi comparauẽre, vt in posterum miserrimè semper conflictati sint. Plus etiam est non recipere cum possis, quam voluisse & accepisse: in hoc omnis ratio dignitatis manet illæsa, atque ideo honestius & honorabilius: illud forsan vtilius. Quærere etiam Principum gratiam

tiam his turbulentis temporibus, adeò inutile & importunum existimaui, vt etiam odiosum esse putem. Quid enim inter tot bella pacatum, inter tot vectigalia & tributa: tãquam rei pecuniariæ necessitas sperari facilè, aut etiam si offeratur, honestè recipi posset? aut inter tot adulatores, qualis virtuti locus, aut qualis gratia studiosis inter imperitos? Mihi sanè satis fœlix esse videor, quod metiar vires meas: neque Alexandri gloriam aut Augusti optem: nam prudentia est, recognoscere vires proprias, suámque conditionem: quamquam multò minus illi fuerint fœlices quàm existimẽtur, nihil fœlicius, nihil beatius studiis sapientiæ: cùm illa nec violenti domini (hi sunt æstuantes cupiditates, & animi perturbationes) nec necessariorum defectus impedierint. Hæc cùm mihi studia pepererint, longè plus acquisiuisse videor quam si Lucullianas opes mihi parassem. Quàm dulce est atque iucundum, scire quæ ante nos, & quæ supra nos sint quæque futura sint cùm animus hinc discesserit: neque molesta vita, nec quæ post mortem formidolosa, ipse solus trãsitus naturæ lege grauis est. Cætera omnia, si sobolem excipias, tam parum mouere debent hominem diuina amplectentem, atque in supremo illo mundo tam pulchro omnes curas, omnes mẽtis actus collocantem, vt facilè in Pyrrhonis sententiam deueniam, qui omnia hæc indifferentia appellabat: adeò parum refert, quomodo alea mortalium horum bonorum, gloriæ, diuitiarum, amicorum, voluptatúmque omnium cadat. Gratias tamen Deo ago, qui me penè 46. perpetuis annis sospitem seruauit, vt commodiùs sapientiæ studiis indulgere possem: quam occasionem iuui, vt nulla fermè hora perierit à reditu in patriam, qui iam annis vigintiseptem fuit. Horatianum illud aptè imitatus:

Ibam fortè via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.

Vt multiplici commodo sic frui contigerit: nam & meditata conscribere potui, & delectatione contemplationis firmam sanitatem in inualido corpore sum consecutus: & duplicem vitam egi: alteram, qua anima cum corpore viuit, & sensibus reliquam, qua mens supercœlestia contemplatur. Itaque mihi sanè satis fœlix esse visus sum, tametsi paupertate tanta premerer quandoque, vt emptis libris nec obolus superesset, multíque maledicerent, plures etiam contemnerent. Quapropter miror Galenum dixisse, se fuisse gloriæ contemptorem: vtque crederem, persuaderi possem, si præsentis tantummodò meminisset. Verum postquam adiecit, & eius quæ ex conscriptis libris paratur, nescio quorsum tetenderint tã immensi conatus atque labores, si gloriæ cupidus non erat? Illud certè contenderim, eos qui opum & honorum præsentium adeò sũt studiosi, non solum insanos & malos, sed etiam infœlices esse: nam & Deum, fidem, pietatem & honestatem, vitæque quietem, imò vitam ipsam, & omnem voluptatis sensum negligere coguntur. Et cum cætera vitia morbíque animi finem omnia habeant, sola ambitio & auaricia infinita sunt, atque perpetua. Auarus semper malus: improbi alij quandoque etiam boni fiunt. Multum ergo his studiis debere me sentio, quæ à tantis calamitatibus liberarunt. Ergo detractis à luxu & pompa pecuniis, commodis ac necessitati vitæ inseruiui, anagnostásque duos semper alui. Sic in hac tam splendida paupertate quietus viuo.

Quamobrem malè agunt, qui me tam imprudenter interpellant, absque vtilitate: vt Germani plerique ac Itali: nam de Hispanis ac Gallis, Anglis, Scotis, ciuibúsque meis hac in re conqueri non possum, nec quisquam horum à negociis absque munere me auertit. At illi, Dij boni, ab incognito tamquam familiarissimo, gratuitam operam tanquam debitam, sine vlla verecundia exigunt. Quasi ego vnus illorum cupiditatibus explendis natus sim, cum tempus ipsum ager meus sit, & totũ præmiis & gloriæ, tum animi relationi mancipatum. Itaque desinãt in postérum, rogo, mihi negocium facessere. Omnis enim horula mihi præstinata est. Sed vt ad rem redeam, conatus sum non solùm tranquillitati vitæ meæ, sed etiam aliorum, quantum licuit in hac ingenij mei mediocritate, consulere: ob idque cum vita nostra beata bonis animi, corporis ac fortunæ, tum voluptate constet: bonáq; animi duplicia sint, alia quidem virtute & peritia rerum naturalium supernaturaliúmque, alia humanarum meditationũ scientia: in omni genere, vt vidistis, scripsimus, diuisimúsque in classes. Præcipua tamen omniũ sunt quæ ad sapientiam pertinent. Nam sicut canis mediocris conditionis elegantissima plãta beatior est, & homo mediocris fortunæ cane nobilissimo, & dæmon mediocris status homine beatissimo: ita sapiens mediocri fortuna, felicior est fortunatissimo, cum mediocri mente. Si quis enim beatus est, Rea estiat non velles potiùs esse te ceruum aut canem, quàm Regem apum? ita longè præstantior est dæmum vulgaris conditionis, opulẽtissimo quocumque Rege. Dæmon est autem, quicunque sapiẽs est cum corpore. Et vt breuiter dicam, ac clarè eloquar, non solùm quod ego sentio, sed quod verissimum est, & mihi planè perspectum: hæc humana fœlicitas, etiam cum sapientia iuncta, somnium est: sine autem ea, fabula mera. Sed decipiuntur homines, cùm non attingãt limites sapientiæ. Donec enim hærent sensibus, sunt auari, ambitiosique inde ob id rapaces, perfidique: atque beatos se existimant, non secus ac qui scabie graui tenetur, cùm se affatim scalpserit: ob id ergo non iudicẽt homines de his quæ nesciunt. Optima igitur est conditio humana, animam habere præstãtem, fœcundam, ornatam disciplinis, rebus reconditis instructam. Credendum est autem in hoc his, qui vtramque conditionem experti sunt. Nos enim per Deum fortunam nostram exiguam, atque in ætate senili, cum ditissimo iuuene, sed imperito, non commutaremus. Multo minus Aristotelem aut Ciceronem, qui hoc apertè negauit se facturum, existimandũ est: minimè autem omnium Platonem aut Socratem, imò nec Epicurum ipsũ voluptatis laudatorem. Vt ergo neque quo neque puero credendum esset, præferentibus conditionem suam tanquam felicissimam, quod aliam meliorem non norint: ita neque diuiti, qui sapientiam non norit, sapientibus fœlicitate se præferenti, quod talem se existimet,

met,

met ab aliisque imperitis existimetur. Nam & pueri à pueris, & equi ab equis ea ratione beatiores indicantur: & si aliter esset, quid prohibet ne nos diis beatiores arbitremur, cum quanta sit & qualis beatitas illa, experimento non assequamur? Voco autem sapientiam eam, quæ in libris de Arcanis æternitatis, de Fato, & in Theognosto, de Subtilitate, déque Rerum varietate tradita est. Sed iam ad vltimam causam deueniamus.

Dictum fuit, mihi aliter facere haud licuisse. Atque id verissimum esse intelliges, si naturam meam, moresque meos quales sint, deprehenderis. Videtur enim natura me inter homines finxisse, velut homines ipsos inter animalia: nec quicquam similius, non ouum ouo. Animalia enim singula armauit dentibus, aut vngulis, aut cornibus, aut pedum celeritate: homines nullis prorsus armis, sed ne corio quidem, aut squamma, ad defensionem: nec pilis aut plumis, vt à frigoris iniuria se tueri possent: nudum corpus & exarmatum, nudasque manus præbuit, sed quibus, temporis & industriæ auxilio, & tela omnibus vnguibus, dentibus & cornibus meliora faceret, & loricas galeamque corio spinis ac squammis tutiora, & vestes tunicásque pelliceas omnibus pilis ac etiam plumis molliores & calidiores: ita & domus latibulis & nidis præstantiores: cùm cætera animalia temporis successu nec vngulis nec dentibus aut cornibus discant melius pugnare, nec proficiant in melius: sed qualia à prima iuuentute natura finxit, talia etiam perpetuò maneant. Ita omnes homines natura, ingenita quadam scientia & promptitudine ad artes exercendas, ad mores, ad loquendum, ad scribendum, ad tractandum instruxit: me vnum solum ad omnia naturaliter imperitum, rudem & ineptum fecit, adeò vt in quibus methodum nullam mihi scripserim, paulò melior pica vel graculo possim existimari: quod certè in omnibus mihi obfuit & ad opinionem hominum, & ad actiones obeundas. Vbi verò methodum, quam (vt dixi) non tàm gloriæ vel studij quàm necessitatis causa facio, mihi finxerim: adeò elaborata ratione atque industria singulari eam fingo, vt naturæ beneficium non desiderem. Sic etiã expers memoriæ omnis cùm essem, memoriam artificiosam illam mirabilem mihi confeci, de qua in libro de Secretis egi apertè, obscurè in libris de Subtilitate: qua omnes memores memoria superare videor: nec illa, vt naturalis, subiecta est casibus, vt senio, timori, tristitiæque, quæ solent naturalem memoriam excutere, iuxta illud Comici:

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

Ergo vel hanc mihi causam fuisse constat, vt conscriberem: vel etiam à Deo iniunctam, vt in singulis argumentis normam & methodum conscribere cogerer. Itaque & hac ratione ne admirentur mortales, mihi periisse filiũ: quoniam vbi methodũ non mibi comparauerim, quolibet alio homine sum longè inferior.

Nec est quod quisquam admiretur nos non fuisse felices, cum non semper ars beatum hominem faciat. Pater eloquentiæ Cicero fuit, & maximi nominis apud suos: exagitatus tamen tribunitiis concionibus victus est. Dum verò damnaretur ad exilium, facundia illi nihil profuit. Deuenit ad mouendam cõmiserationem, artis Rhetoricæ non leue telum: nec mouit tantus artifex commiserationem, sed risum. Quid damnas Ciceronem? Non damno: sed eo me tueor, quòd damnari illum non posse præsuppono. Etenim quid aliud est hoc, quàm certamen fortunæ cum virtute, cum arte, cum splendore humanarum inuentionum? Gaudet illa esse victrix, & culmen conatus mortalium præscindere, aut decutere, vel superare. Non semel irrisit Ciceronem in Milone, quamvis conantem summis viribus: & in Deiotaro Rege amicissimo: quomodo frustrata est in Planco & Octauio, quos victor contra se armauit suis orationibus? Quàm contempti conatus contra Antonium, in tot Philippicis? Demum qua fortuna bis vsus: primùm in exilium actus: deinde etiam occisus cum tota domo, vnico excepto filio, qui ad Brutũ euaserat: spoliatúsque fortunis omnibus ipse frater, fratrísque filius cum eisdem sit proscriptus & interfectus? adeò vt præstiterit suis, illum non fuisse. Quid de Demosthene dicam? qui neque fœlicior Cicerone fuit, quãvis facundissimus; actus in exilium sæpè, inde etiam ad voluntariam necem compulsus. Et Æschines Rhodi exul, in Samo paulò pòst vitam finiuit. Quid ergo mirum? si nec belli duces egregij, se tueri possunt aduersus insidias armatorum, nec oratores eloquentissimi contra iudiciorum improbitatem (quorum duorum hominum generum maxima debet esse potestas ac vis inter mortales, quorúmque finis nullus alius est quàm plurimum posse, in tuto viuere, aliis imperare:) nos Philosophiæ & Apollineæ artis studiosos solum, non potentiæ, autoritatis, diuitiarum, honoris, amicitiæ cupidos, à coniuratione improborum, à iudiciis corruptis, à potentiorum iniuria oppressos esse? Præsertim quòd hi quibus fidebamus, iureque fidendum erat, nos reliquerunt. Forsan illud Poëtæ dicere conueniet:

----nimium vobis Cardana propago
Visa potẽs superi propria hæc si dona fuissent.

Ludit fortuna, luditque semper lenonino more cum inclytis viris, ingenti pila. Gaudet egregiis spectaculis: modò virtutem Scipionis, modò Catonis innocentiam, modò Socratis sapientiam subiicit in theatro. Non potuit filius meus euadere securim, vltor impudicæ vxoris, nec certus occisor, sed qui occidere voluerit tantùm: euadunt tamen legibus ipsis tot latrones Regia clementia, quantumvis conuicti. Quot dolo legibus vindicibus subtracti? prætermitto quot præter leges. Tanta fuit deorum ira, non aduersus miserum adolescentem, quem immortalis fama consecrabit posteritati, innocentia supra cœlos euehet, virtus ornabit æternis laudibus. Quod ad vitã attinet, non solùm hac ætate quæ multa habet difficillima, imò patitur: verùm etiam semper vita potiùs pro onere fuit etiam improbis, quàm voluptati: Quid dicam de bonis?

Dat veniam coruis, vexat censura Columbas.

Si Deus voluisset mortalibus benè esse, vel bonam mentem omnibus immisisset, vel suppliciis malos illicò subiecisset. Quàm mihi semper arrisère Plautini illi versus, non adolescente, sed Solone aut Socrate digni:

Sicut mercipretium statuit pro virtute vt veneat,
Qua improba est pro mercis vitio, dum precio pauperet:
Itidem diuos dispertisse vitam humanam aequum fuit.
Qui lepidè ingenuatus esset, vitam longinquam darent:
Qui improbi essent & scelesti, iis adimerent animam citò.
Si hoc parauissent, homines minus multi mali,
Et minus audacter scelesta facerent facta.

Verùm videtur mihi, quicunque regit, contempsisse hanc nostram vitam totam: ac pro scena mundum hunc, pro theatro autem vniuersum cœlum constituisse. Dânent aut deplorent hos casus, vel qui Deû hæc ipsa nec intelligere, nec moderari putant: & qui vitã hanc, hoc æuũ aliquid esse credũt: & qui à sapientia sunt alieni: at mihi hunc ordinẽ spectanti, memoranti q; quónam pacto à Diis regatur: tum paruitatem terræ, quæ tota instar puncti est: breuitatẽ vitæ, ac cursum rapidum tẽporis, ac velut ruinosæ domus semper in futurũ incumbentis, & quàm fallaces sint omnes spes, voluptates verò breues & paruæ atq; interruptæ mille incõmodis: non solùm solor memetipsũ, sed alios etiam possum consolari: nec quisquã in tam mirabili casu, in quo sæuitio imago & rei indignitas longè maiora sunt mala, humilem & viro indignam vocem exaudiuit à me: quãquam qui me audiebãt, non tàm quæ dicerẽ, quàm quæ ipsi me dicere putabant, aut æquũ fore vt quererer, animo deiectum interpretarentur. Dum enim ille miser viueret, quĩ modò beatus est (aliter enim beatus esse non posset, nisi dum viueret miser fuisset) ipsa mei facies, illius virtus, dignitas, causa, pro nobis supplicabant: nõ voces flebiles, humiles, deiectæ atq; effœminatæ. Stat Deus pro nobis, stat virtus, stat nobilitas gentis, causa ipsa plusquàm honesta, bonorũ & eruditorũ omnium consensus aduersus acerbitatem seu iudicum, seu (quod malim esse) inimicorum & accusatorum. Imitemur fortè illum Demetrium, si quid Senecæ credendũ est, imò potiùs Socratẽ, iniustéq; damnatos tot Prætores ab Atheniensi populo: non fœminas, non vilẽ plebem, non stultum vulgus, aut sæuos quosdã è iudicibus tyrannicósq; spiritus. Maxima pars fœlicitatis nostræ est, non ptomeruisse aduersa neque sensisse. An verò existimas, si nos antea periissemus quàm filius, si Priamus ante excidium Troiæ obiisset, eadem autem subsecuta fuissent, & Priamum & me dici potuisse fœlices? O insaniam, & muliebres querelas! vel enim semper dolendum, vt solebat Heraclitus ille cum iugi fletu: aut nunquã, vt Democritus cum perpetuo risu. Nuper Iuliaous Chirurgus filium habebat nomine Prosperum, egregium sanè adolescentẽ. Hunc ego iam diu, eùm laureã in medicina suscepisset, ea'tameo parte tantùm in qua pater erat exercitatus, diiudicaui aliquando in insaniam venturum, ex Physiognomia, tum aliis argumentis: citiùs etiam deuenit quàm sperarã, & primùm quidẽ iacuit inter insanos vinctus: deinde eùm se explicauisset, Præsidis prouinciæ fratrem nulla causa adortus est, dicẽs velle eũ eo pugnare, vt ex equo descenderet: vulnere autem à stipatoribus accepto, cùm illi insanum esse nescirent, & rursus vinctus, ac malè curatus, ubiit. An tu illum patrem me ipso feliciorẽ esse credis? Sed est alius, cui ob hæreditatem (quod sæpe fieri solet) vnicus eripitur filius: non-ne hic etiam miserior erit? Deniq; omnes miseri sumus, si nil aliud superest à nobis: aut beati solum boni, quocũq; casu vixerint aut moriantur: infelices tãtùm mali, si Deo aliqua nostri cura est. Sed iã de hoc toties diximus, vt lectorem non delectare, sed fastidire vereat: hæc tamẽ pauca huc congessi, vt etiam miseris, non solùm studiosis, aut amicis, vel his qui rationem legendorum librorum, eligendorúmque tum etiam conscribendorum quærunt, satisfacerem.

Ergo cum multa conscripsissemus, longè plura animo versaremur, visum est vt aliqua in lucẽ ederem: iudiciúmq; de me mortalium in pauco potiùs quàm in omni ac toto (quemadmodum etiam faciunt, qui nouas artes experimentiq; inuenire sperant) facerẽ: melius enim longè est partem existimationis amittere, quã totam. Occurrit igitur primò, vt dixi, libellus de Malo medendi vsu, & quod nullum simplex medicamentũ noxa caret: hos cum edidissemus, incredibilis omniũ applausu excepti sunt. Et quod ego non probaui, multi ob nouitatẽ fortè argumenti probarunt. Difficillimũ est omnibus placere, imò prorsus ... Verùm hoc satis est, incitasse me hoc tantillũ ad spem editionis, cum non (vt alij solent) ab vltimo conatu, sed à nullo prorsus initium duxissem. Contigit igitur mihi vt probarer in principio, cũ Galenus de hoc queratur. Siquidem in libro de Ordine propriorum librorum hæc habet: Mihi propositum non fuit, vt libri mei quasi per manus ad posteros peruenirẽt, quando nec hos, quos emiserã, placere multis viderẽ. Et paulò pòst: Persuasũ mihi est, si vel Musæ ipsæ aliquid conscriberẽt, non id multo gratius futurum vel indoctissimi viri scriptis. Et certè ille querebatur iniustè, qui scriberet exiguo labore quicquid videbatur: nostra ætas & autoritatem antiquiorum in scriptis requirit, & euidentiores rerum demonstrationes. Obtinuit tamen genius suus, & calamitas tẽporum succedentium, omnibus aliis studiis quàm bonarum literarũ intenta, vt pro Deo, nec Satyrus aut Faunus coleretur, qui plura corrupit longè, & meliora quam inuenerit. Ergo velut in morbis homines melius postmodũ se habẽt, & multi priuati publica calamitãte ditiores euadũt: ita librorũ funesta clades, & bonorum autorũ interitus, auxilio fuit Galeni numini & autoritati. Periêre siquidẽ ea clade Hippocratis penè diuini plura opera, & maximè de Morbis quibuscunq; singillatim, & de Medicamentis. Erasistrati pronepotis Asclepiadis, Archigeniq; monumenta, & in anatomia Marini: tum verò Herophili & Agatini, atq; Praxagoræ: paulò pòst Galenũ Oribasij inclyti libri quinquagintaquinq;, immortalitate digni: seruati autem sunt Galeni, non satis pij Philosophi, maximiq; nugatoris. Præstitit tamen hos seruari, quàm nullos: imò fermè quàm omnes alios, præter Hippocratẽ, si ad vtilitatem humani generis spectemus: propter diuinos illos quatuordecim de Medendi arte libros, & sex de Locis affectis, decemseptem de Vsu partium (si illi non sunt furto

furto ab aliquo potiùs ſubrepti) decem de Compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos, ſeptemque ſecundum genera. In omnibus his planè magnus vir eſt, & etiam admirabilis:in reliquis,caruiſſe forſan melius fuiſſet.Id verò generale præceptum ſit,adeò prolixitati aſſuetum ac deditum fuiſſe Galenum, vt quidquid breuiter ſcripſerit, male ſcripſerit. Vnde in Arte medendi , & Curatiua ad Glauconem, aut omnino infinitos errores admiſit , aut infinitis modis peccandi in arte anſam præbuit. Ita volui monere homines, vt non omnia in homine probent,ſeducti autoritate:ſed ipſum potiùs hominẽ ex ſcriptis laudare par eſt.Fuit vir magni ingenij,in arte exercitatus,atque optimi iudicij:vt glorioſior fuerit in vita quam in ſcriptis : plurima enim pars ſui cum ipſo abſumpta eſt. Neque etiam nos poſtulamus vt omnia noſtra probẽt,quãdoquidem multa nobis diſpliceãt.Rectè ſcribere ſine arte non licet omnino, cum illa difficillimum eſt:vacare culpa,omnium maximè arduum opus eſt:rapimur ab affectibus priuatis,ſtudio præſentis gloriæ, opum cupiditate, ſtudiis contentionum : placemus nobis ipſis, placet operis incrementum & magnitudo,ducimur ſtylo & facundia , ſi qua eſt : quod in Galeno tantum detrimenti attulit , quantum laude dignum videri potuit:ideò difficile eſt, debito loco metam figere:nec excurrere antè, nec in latera inclinare : ita ſolemus humilia, ſordida , vulgata immiſcere ſcriptis , inania quoque & aliena ab argumento,defenſiones, reprehenſiones,&(vt Galenus nõ ſemel fecit) etiam iurgia diei libris interſerere:quod etiã & nos aliàs minus prudentes fecimus. Ita noſtra ætate lapſi ſunt,clariſſimi alioqui viri in hoc genere, Budæus aduerſus Eraſmũ, Fuchſius aduerſus Cornariũ, Siluius aduerſus Veſalium, Nizolius aduerſus Maioragium : non tàm credo iuſtis contentionum cauſis , quàm vanitate quadam & ſpe augendæ opinionis in hominibus, velut Eraſmus id puto ſecum dicebat?Si contra Budæum ſcripſere , meo nomini addicti etiam maiorem futurum me exiſtimabunt:qui colunt Budæum,me etiam aliquem eſſe credent,qui illum audeam arguere, præſertim cùm non abſurda fuerit accuſatio: Hæ hominum artes,hæc ſtudia. Sed qui forſan præſenti ætati ad augendum gloriam aliquid conferunt,ſuccedentibus ſeculis euaneſcunt. Sic etiam tota Ciceronis vita in accuſando & defendendo poſita fuit:nec enim ſolùm hoſtes accuſabat , ſed qui hoſtibus fauerant,quique amicia fuiſſent infenſi , vt res in infinitum protraheretur. Sic L. Piſonem accuſauit,à quo pulſus fuerat:Clodium,qui cauſam præbuerat : Gabinium, qui conſenſerat : Sextium,qui reſtituerat,defendit : Vatinium, qui contra Sextium teſtimonium dixerat,accuſauit:Milonem,qui Clodium occiderat,tueri conatus eſt.Quæ intemperies, quæ inſania, in tam breui vita nunquã viuere velle?Sed in Cicerone immoderata illa facundia , & temporum conditio,vt etiam antea dixi , laudem meruerunt:in aliis nec veniam,nedum laudem promereri poſſunt hujuſmodi libri.Sæpe enim accidit , vt etiam in vitioſo genere atque argumento ſingularis quædam præſtantia non mediocrem afferat & vtilitatem & voluptatẽ:

At dices : Quid ſi ſcripta ipſa pereant , aut obruãtur, non-ne operam & oleũ perdideris, etiãſi optimè ſcripta ſint,& elegãtiſſimè?Nequaquã,ô Vir egregie:hęc ipſa noſtra natura, noſtra monumẽta,fex ſunt vniuerſi:& tamen in ea fece adhuc veſtigia ſapientiæ ſeruãtur, in aliis omnibus ordinibus ſuperioribus abundè hæc ſuppeditant : itaque vt non debemus vereri defuturas aquas ſtante Oceano,& nubibus calorem ſtante Sole:ita quoties hæc ſtudia , hi cultus literarum in his inferioribus abrumpentur,ſeruabuntur abundè, nunquam deficiente immenſo fonte in Dæmonibus,animabus , vitis , mentibus , numinibus atque Deo. Quod ergo hoc aliud eſt ſtudium,quàm imitatio diuinæ exercitationis,tranquillitatis atque ſapientiæ ?

Sed iam ad inſtitutum reuertamur, déque ipſo vitæ humanæ genere aliquid dicamus. Neq; enim quod aliquid eſſe ducam hoc noſtrum viuere(quid enim abſurdius?)ſed vt illis ſatisfaciam qui hoc viuere aliquid eſſe exiſtimant : nulla enim ratio efficacior inueniri poteſt , quàm quæ ex vtriſque contrariis idem concludit. Quod enim ad me attinet,neque mortem eſſe in malis duco,neq; vitam in bonis:ex horum enim alterutro alterum ſequi videtur:nam ſi vita bona non eſt,mors nõ eſt mala : & ſi mors mala non eſt, vita bona eſſe non poteſt:& rurſus ſi vita bona eſt , neceſſariò mors mala eſt:& ſi mors mala eſt,ſequitur confeſtim vitam eſſe bonam.Ob id ſapientiſſimè filius meus reſpondit è carcere, cuidã ſciſcitanti;Quo-nam pacto faſſus eſſet tam facile, ſe voluiſſe vxorem interficere ? reſpondit : Paternam redolens animi conſtantiam : Quis ſcit an bono an malo meo id factum ſit?forſan bono id factum eſt meo. Et certè exuit vitam hanc ærumnoſam,impedimentis & periculia plenam & lachrymabilem, vanam,breuem,ſimilem, inconſtantem:hiſque temporibus,vbi plurima dolo,omnia potentiæ,operibus & gratiæ dantur. Quibus eò ventum eſt, vt omnia ſint violentorum:& eorum qui tyrannico ſpiritu rapiunt:ſolum adhuc pudoris veſtigium quoddã ſupereſt:quod vbi euanuerit(euaneſcere autem neceſſarium eſt,cùm bene cedat vis,& noui homines etiã ditari ditari volent)ad arma,ſeditiones & tumultus res redibit. Qui ergo cupiat ſic veuere ? in quo ſi nullum eſſet aliud malum, id certè maximum non deeſſe poteſt,ſcilicet mortis neceſſitas & expectatio certa. Quamobrem mortem inter indifferentia collocare ſoleo:neque enim illius cauſæ adeò faueo,vt bonã appellem. Sed vt opes,formã,amicos,potentiam, gloriã,honores:ita mortem neq; bonã,neq; malam eſſe duco:vt enim opes bene vtenti bonæ ſunt,veneficiis autem atq; homicidiis intento malæ : ita & mors infelicibus aduenіens, improbis , ſtultis bona eſt,liberãs eos ab innumeris periculis , à grauiſſimis doloribus, à curis exitialibus atque turpi dedecore : ſed & ſic res ritè ſe habens , vt certum eſt , non ſolùm indifferens & bona , ſed etiam optima iudicanda eſt. Bonum fuit & optimum ſic periiſſe filium (Deus enim id voluit) non illi dicam, non mihi,non ſtirpi:cui ergo?nam Deus iuſtè, ſapienter & liberè cuncta agit : futuræ ergo melioris vitæ certè cauſa. Ob id nos in exem-

plum constituit, vt intelligànt homines, non posse bonum & probum virum infelicem esse. Sum pauper, æger, senex, iam orbatus filio optimo, optimæ spei, adolescente mei amantissimo, per iniuriam: alter, cum modica atque exigua admodum spe bonæ fortunæ, propagandæ stirpis, filia, iam nono anno nupta, sterilis. Ego aliàs omnibus modis florens, amicitia, filiis, lucris, bona valetudine: iuuenis in magnam spem erectus, assuetus non solum commodis, sed etiam deliciis: nunc verò totus ærumnosus, despectus, multis cum inimicis, non solùm infelicem esse existimo, sed quàm vnquam aliàs antè feliciorem longè. Neque insanio, neque glorior, actiones id ostendunt: constantissimo animo profiteor, ac ob id etiã frequentissimum est auditorium: omnia administro melius quàm antea: scripta quæ nuper confeci, si quis prioribus conferat, intelliget pleniorem, viuidiorem, puriorémque mihi mentem inesse. At tu, quicunque es, ob vnum infortunium, etiam leuissimum, muliebriter eiulas: nos tot & tanta ferimus: hoc vnum lucrati, vt nec pigeat vitæ ob virtutem & scientiam: nec timeamus mortem, finem tot periculorum atque incommodorum, tamque adeò necessariam: alius ea calamitate, quæ etiam calamitas non est, longè magis discruciatur: & quod per incuriam famuli equus claudicet, exclamat, noctes insomnes ducit, tot ansæ fælicitatis nullũ solamen illi adducunt, tanquã totus sit in sui equi pede: miser est alius quia contemnitur, alius quoniam filius illi nepos, alius quia de vxoris pudicitia timet, alius quia excidit à Magistratu, tentat laqueo vitam finire. Ergo sensus hominum & gustus delicatiores, tum ignorantia rerum & conditionis nostræ, ac desperatio de futura vita, homines reddũt miseros, etiam minimis ea causis: adeò vt huiusmodi homines non possint vlla ratione esse felices, nec in aduersis possint consolari. Vide qualis sit vita nostra. Duo sunt homines, quorum vterque perpetuis sex mensibus (vt de muribus Alpinis referunt) dormit: horũ vnus somniat carceres, vincula cruces, laqueos, tormenta, cædes filiorum, metus, excidia, fugas, tempestates, morbos, inopiam, famem: modò solus vectatur in vndabundo mari, spe salutis posita: modò per deserta, omnium inops, fugit equites tyranni: modò vincitur, & in tetrum barathrum conjicitur: aliàs ducitur ad supplicium: modò à turba vt insanus exsibilatur. Contrà alter somniat regna, honores, epulas, ludos, societates, viridaria, arces, itinera iucunda, scorta, vxorem pulchram, filios, atque ea vna voluptate in alteram transit. Quin etiam non contentus his humanis deliciis, fertur ad cœlum, videt pulcherrima, gloriosa, & supra fidem: modò rapitur ad spectacula, ad Musicorùm egregiorum certamẽ, ad vireta, venationésque aucupia, piscationes. Inde ambo simul expergiscuntur: quis tã stultus est, vt hunc felicem, illum alium infelicem esse dicat? At hoc (respondebis) somnium est breue, minus afficit, nihil ex illo aliis relinquitur: vita verò sit longior cum vero rerum sensu, maioréque voluptate atque dolore, ex qua dum eximus, remanent illa aliis: filij, officines, opes, non omnino vt in insomnio euanescunt. Nugaris: tempus hoc sex mensium felicitatis perpetuæ, primùm si quis rectè cõsideret, in quantacunque vita longa, nemo æquat. De sensu, curis, voluptate, omnia in somnis maiora & sunt & videntur quam in vigilia: idque etiam ratio suadet, cùm à sensibus tamen non distrahamur. At quod ad veram vitam spectat, hoc est quod contẽdimus: verùm interuallum inter futuram vitam & hanc longè maius est, quàm inter vigiliam & & somnum. Quæ verò relinquũtur, si ad stultam spem referantur, aliquid sunt: atque ob id magis dolẽdum quod relinquere cogamur: si ad veram opinionem, si ad successus rerum respicimus, falsa imagine decipimur. Ita cuilibet fingere licet immortalem vitam, regnum immensum atque pacatum: sed quæ nugætres moueri non possunt: ita statuere oportet de vita nostra, vt verè sit somnium. At, vt dixi, si maius aliquid fuisset, eò rem meam euexeram, vt ex infelicissimo felicissimus dici possem: & ex pauperrimo, mea & filij opera ad duo millia coronatorum aureorum in singulos annos lucraremur: nullius ordinis homines, nulli Principes nostris in manibus non essent. Viceram inuidiam, superaueram æmulationem, contuderam conspirationes, in intima penetraueram: aperueram vias, struxeram mihi aditum ad omnia & mihi & filio. Quin etiam Principum occasio externorum non magis quàm alij cuiquam defuit. Primùm quidem apud Dacorum Regem, inde Gallorum, mox etiam ad Scotos vocatus fui. Narrabo autem historiam, quæ contigit anno M.D.LI.

Ægrotabat Ioannes Amulthon, è Regiã Scotorum stirpe, apud illos Pont. primarius, vir insignis fidei, eruditionis ac pietatis, liberalissimusque difficultate spirandi adeò graui, vt qui illum in ipso morbo vidissent, nec vitæ diem superesse existimarent: ille tamen toto decennio iam tantum morbum perferebat, quamvis in dies res laberetur in deterius: nec vllius insignis Medici operam non tentauit: verùm cùm & Regios & Cæsareos Physicos expertus esset, tum Professores etiam artis illustriores, fortè fortuna amicus quidam illius, tum Gulielmus Casanatus illius medicus, in nostros libros de Subtilitate & de Sapientia inciderant: quos cùm reuoluerent, inuenerunt me iactantem, quod phtisicos aliquos sanassem. Et certè paucissimos ex huiusmodi morbo curaueram, multos tamen simili affectu laborantes sanaueram: ita minimè mendaci viro non parum profuit ea iactantia, prædicatioque falsæ laudis meæ, namque hìs atque aliis argumentis incensi, suaserunt illi, vt postquam nullibi pateret spes salutis, ad extremam anchoram refugeret. Placuit conditio, misitque ad nos primum literas, aduocans Lugdunũ aut Lutetiam. Et quanquam priore in huius libri editione ipsius Epistolæ exemplum inscripserim, melius tamen existimauit omissis superfluis, ne lectorẽ morarer, quod ad rem faciebat hic inserere: sed ita tamen, vt neque sensus neque verba ipsa immutarentur: fuit ergo medici sui epistola hæc.

Illustrissimus Pontifex vrbis sancti Andreæ, & totius regni Antistes ac Proregis frater, Mecœnasq; meus, cui à medicina iam quatuor annis sum, destillatione per circuitus, quamvis absque febre, difficillima annis adhinc decem

cem fermè detinetur: adeò vt non solùm celerem & frequentem faciat illi ad summum respirationem, verùm cum stertore graui & horrendo. Contractá fuit hæc dispositio ex lusu pilæ in sole, æstatis tempore: cúmque omnia tentarit, & res in dies labatur in deteriùs: monitus à me de tua singulari virtute, eruditione, atque in arte medica peritia, ad te tanquã ad Apollinem quendam confugit, vt non solùm tuo consilio, sed etiam præsentia frui optet. Itaque quantum temporis viæ peragendæ voles, quem comitatum, quos sumptus, ab eo qui has perfert accipies: quamobrem pro tua humanitate, próque totius huius regni salute, cuius ille summus semper extitit defensor, vt ad nos te conferre non digneris oro, ipsum non solum qui optimus est atque liberalissimus, nosque omnes tibi deuincturus, sed vniuersum regnum quod ex illius salute pendet: simul quoque & gloriæ & rei tuæ non leue incrementum facturus: si quidem non quãtum petieris, sed quantum voles accipies. Delectabit interim te transitus ipse per Galliam, cognitióque tot eruditorum virorum Lutetiæ: qui antea scripta tua tam religiosè coluerunt, nunc teipsum amplexabuntur atque admirabuntur. Quamobrem ne patiare nos aduentu tuo frustrari, vehementer rogamus, atque etiam rogamus. Cætera, qui literas perfert, te docebit atque præstabit. Vale, Edemburgi, IX. calendas Octobr. M.D.LI. Sed nos solùm initio sequentis anni literas accepimus, propter impedimenta viarum ex sæuissimis bellis inter Cæsarem regemque Gallorum orta.

Iui itaque Lugdunum: sed ibi non aderat Princeps ille: decreueram interim me conferre Lutetiam, cùm inter ea superuenit medicus suus, qui literas scripserat, Casanatus, vir sanè doctus: ibi alia numerata pecunia, excusatióneque adiecta, cùm neque Lugdunum neque Lutetiam ipse princeps se contulisset, ab eo literas scriptas reddidit, omissis non necessariis, in hunc modum:

Redditæ sunt oudiustertius medico nostro literæ tuæ, quibus opinionem nostram de tua virtute & recondita eruditione æquasti: simúlque nos, ob id quod de aduentu tuo Lutetiam certiores feceris, spe adipiscendæ salutis per te velut Æsculapium quendam, impleuisti: verùm cùm antea veut ille scripserat meo nomine, venturum pollicitus essem me Lugdunum, aut Lutetiam saltem, difficillimis causis victus venire non potui: rogo itaque perpetua singulari humanite, postquam scripta tua conditione venisse te existimo Lutetiã vsque Scotiam etiam quacunque velis conditione attingere non pigeat: fidem publicam, viaticum, comitatum præstabit ipse medicus noster tui studiosissimus: quòd si quid inter te & ipsum pactum fuerit, fideiussorem dabit P. Franciscum Restum, aut alium quem voles trapezitam. Hoc denique vnum tibi Cardane optime atque eruditissimè pollicebor recto pectore, nullam te temporis vel laborum iacturam facturum, non mediocre autem facultatum incrementum, maximum verò gloriæ nominis atque existimationis consequuturũ. Persuadeas tibi sanè velim, me longè plura velle & posse præstare, quàm polliceri: quod haud dubiè, si nostra causa tantum laboris susceperis, esse verum, ipsa experientia deprehendes. Vale doctissime Cardane, laresque nostros non vsque adeò fortasse vt putas Scythicos inuise. Edemburgi, Pridie Nonas Februarij, M.D.LII.

Persuasit, iuique cum medico, alia accepta pecunia: sponsionem tum feci nullam, nec accepi: sed Lutetiæ: quam ille lõgè liberaliùs expleuit, quod fuerat pollicitus medicus suus: verũ & Chitographũ ego antea laceraui, indignũ non solum putans, sed etiam stultum, cũ principibus præsertim externis, pacisci, quos solus pudor & probitas ad standum pactis cogere possint: Porrò de toto itinere ac reditu aliàs satis dictum est: nũc sufficiat memorasse, quòd conueni Lutetiæ Syluium & Pharnelium regios medicos, & magni nominis, qui ambo iam mortui sunt: mansi apud Scoticum Pontificem dieb. 75. redij per Belgas, metu Britannicorum latronum. Sed vt postmodum certior factus sum à Lutetiano præside Senatus Emaro Ranconeto, & nepote meo ex patruele Gaspare Cardano, qui illac me imperante transierãt circiter 40. viros nobiles adfuisse Lutetiæ, qui vndequaque ex tota Gallia illuc conuenerant, quorum magna pars ẽ numero principum erat, operiẽtes aduentum meum, vt à morbis inuictis eò vsque persanarentur: è quibus vt manerem, vnus solus mille coronatos numeraturus erat) tanto nostri desiderio, tanta fide gens illa in nos flagrabat. Cęterum vt reuersus sum Mediolanum, literas accepi ab Archiepiscopo eodem seu Pontifice primariò Scotici regni, huiusmodi.

Gratias tibi ago Cardane amicissime, pro sanitate mihi tua opera magna ex parte restituta, viribúsque ipsis etiam auctis, imò vita quodammodo recuperata. Omnia enim hęc cũ corpusculo ipso tibi accepta refero, cum à tẽpore tuorũ medicamentorum tãta arte atq; dexteritate præscriptorum, morbus ille adeò mihi infestus, & rarius & leuius multo me vexarit. Vt accessiones ipsæ vix in duob. mensib. tametsi aliquando semel in mense, sed multo mitiores inuadant, cum antea singulis octo dieb. solerem acerbissimas experiri, ingratitudinis vitio me insimulari ingenuè fateor, si tantum beneficium non, vt par est, recognoscerem. Sed epistolam ad te viuam mitto, Michaëlem (vt scis) mihi è familiarib. præcipuũ, vt qui tecum agat, quæcumque illi mandani, vt intelligas te ipso chariorem mihi esse neminẽ. Cæterum Casanatus ipse abiit, vir omni laude dignus. Vale, ex nostra Metropolitana sede sancti Andreæ, Calen. Octob. 1554. Accepi autem ab homine liberaliss. propè duo millia coronatorũ, præter munera pro eo itinere: longè plura accepturas, si diutiùs (quòd ille enixè rogabat) apud ipsum manere voluissem: erat enim stipendium, præter omnes impensas, decem aureorum coronatorum in singulos dies. Hoc autẽ per vltimas literas agebat tacitè, & per nuncium, si in spe pecuniæ ad illum allicere potuisset. Ergo nõ defuit fortuna, sed ego mihi ipsi potiùs. Splẽdidæ oblatæ sunt occasiones, sed occasionib. defui: nec nõ intellexi aut præuidi, sed intellectis occurrere nesciui: plus fuit ponderis, quã ferre possẽ. Viuo tamẽ. At egregij illi, Syluius, Farnelius

Brasauolúsque,& Emarus Ranconetus, omnes inter biennij fermè spacium piôre. Omnibus sunt aliqua aduersa, & sua parata infortunia, cladésque: tantóque maior lapsus, quãto altiore ex loco ruina est. Erat Pharnelius vir proceræ staturæ, macilentus, ætatem paulò maiorem 55. annis præferebat: itaque tũ paulò me senior. Syluius autem vir iucũdus ac facetus, seniculus paruus, totus canus, propè (vt mihi videbatur) 70. annũ. Brasauolum, vt qui Ferrariensis esset, & Ferrariæ moraretur, nunquam vidi: vt neque Vesalium, quamquã intimum mihi amicum. Cum illo adhuc spirabat inimicitias Syluius, nescio qua causa ortas: sanè præferebat Galeni iniurias: postulabátque iniquissimã rem, vt & ego illi essem inimicus. Budæum, Erasmum, Linacrum, Thomam Morum, Cornarium, tametsi floruerint me iã inter meos cognito, neque cognoui, oeque ab illis sum cognitus. Fuchsium noo vidi: ab eo agnitus sum, vt antea dixi. Andream Matthiolum pro amieo habeo; tamètsi non est facie mihi agnitus. Iãm verò si quis spectet quàm misera est hæc nostra vita, & qualis finis tot laborum & inclytorum virorum, cum Theophrasto queri meritò omnes studiosi de mortalium conditione posse videãtur. Misera sanè esset ipsa per se hominum natura, etiamsi nullis exterioribus incommodis vrgeretur: nunc autem, vt video, nihil tàm molestum est homini, quàm homo. Et cùm olim ciuitates conderentur communis vtilitatis causa, nunc ciuitas nulla dici potest. Vrbes multas in Italia video: ciuitates aut nullas, aut quàm paucissimas: quando ciuis ciui potius insidietur quàm auxilietur: cogantúrque viri boni & virtute præstantes pro adulatoribus, pro ignanis, imperitis ac sceleratis laborare, atque vitam terere. Dico bonos, rusticos, & artifices peritos, aut quicunque doctrina & eruditione præstant. Ergo non mihi occasio defuit primarij semper loci & scribendo & profitendo, & apud Principes ipsos, & priuata vita artem exercendi. Addideram alia in editione exempla, quinquaginta ægrorum à me præter omnium spem seruatorum, & (vt dici solet) ex orci faucibus ereptorum: tum prædictionum admirandarum: nunc video illis exemplis locum hîc non esse: & vt qui aliis normã scribendi definierim, ipse longè latéque à scopo aberrem: plurimum enim differt sanatio ægrorum, à descriptione librorum à me compositorum, & ordinis eorum atque vtilitatis, tum tractationis. Cùm ergo omnis studiosi vita ac gloria quatuor bis definiatur, exercitatione ipsa in ea arte quam profiteris, gratia Principum, professione publica alios voce docendo, aut ipsis scriptis: tria ex his & habui quantum mortali licet, & possedi: quartum, scilicet principis aulam, sæpiùs in manibus habui, sæpios elabi sciui, quòd neque mores, neque virtus, neque institutum meum hæc paterentur: corrupti enim mores aularum, ad adulationes & alia peiora: & labor immensus sine fructu virtutis, licet opibus vtiles, & dolis agere contra eos quorum saluti præfecti sumus, quique quod verè illis conducat non norunt, adeò me alienum ab eo cultu effecerunt, vt non tàm voluisse suscipere prouinciam visus sim, quàm ei negocio minimè aptus. Sed credas, vt vis, & cum Poëta dicas:

Non omnia possumus omnes:

Palàm tamen est, cùm in his quæ susceperim, nulli (aliorum iudicio, & communis consensus autoritate, & ipsa rerum experientia declarante) secundus euaserim: etiam in hac causa, si voluissem, si placere potuisset, primas partes obtenturum. Sed dices: Cur non opes & amicus parasti, si tanta poteras, omissa oune aula? Respondebo breuiter: Opes benè parare & iustè minimè licuisse, ob pauperiem summam, in qua reliquit me pater, & liberalitatẽ, vitæque splendorem: tum etiam studia ipsa quibus ab his curis distrahebar ac distinebar: malè autẽ & iniustè, nõ volui: maloq; periisse filium inopia rei pecuniariæ, quem satis constat ob id periisse decreto iudicium (sed, si oporteat, & meipsum, Socratis exemplo, eadẽ causa) quàm ioiustè locupletatum euadere, me aot illum seruatum fuisse. Moriendum est semel, qualiscunque mors obtigerit: mala solum est, quæ sceleratæ vitæ fioem imponit: bona, quæ eripit hominem cum honestate ab iniuriis improborum. Intelligent aotem homines paucos post annos, quid hæc mors attulerit incommodi patriæ, & quantum mali præsagierit. Vt enim, cùm in prædicendo io arte medica me exercerem, legebam obiter Epidemiorum fine oomine, & neque vsque ad finem: considerabámque, au possem diuinare exitum: atque si diuinassem, intelligebam me aliquid io diuioando profecisse: si non, adhuc me vagari in incerto, inopemque esse eorum quæ ad artem pertinent: atque eò vsque non cessaui (quod & studiosis artis aliis pro exemplo propono, & vt facere non negligant, consulo) donec omnium finem (vt cootigir) præsagire possent: túncque me existimaui etiam de bis quos tractabam, idem efficere posse: ita dum orationem pro P. Sestio legerem: intelligebam, etiamsi historiam nullam de Romanorum amissa libertate legissem, fieri non posse vt diu Romana libertas consisteret. Sed de his postea.

Nunc verò quod proposuimus, prosequamur. Hic finis est huius libri, vt doceamus librorum nostrorum argumenta, rationem cõpositionis, ordinem ac vtilitatem: atque hæc principaliter, quæ quatuor sunt: præterea ex consequeotia tempus, locum, causámque scribendi: tum verò, quæ ratio sit conscribendi libros, qui fructus conscribenti, qnot modis errare contingat, quàm accepti fuerint libri, quæ passi impedimenta: quæ præcelluerint in hoc munere: quot genera argumentorum, tractationum, & stylus quam multiplex. Quæ vitiosa sint & ferantur, vt Ciceronis & Galeni: quæ vitio careant, nec tamen placeant nisi paucis, vt Auicenna inter medicos, Archimedes inter Geometras: plurimorum quoque monumenta clarorum virorum, quæ neglecta exciderunt. Iam ergo vt de nostris laboribus agam, certum est & ad Indos penetrasse, & Constantinopoli legi, vt per orbem iam vniuersum qui totus nunc patet, vulgati sunt: quamquam sint minima pars meliorum, vt intelligere potuisti: quamobrem, vt dixi, non defuit genius. Sed Ciceronianum illud dicam: Quoniam l Fatum temporum etiam nostrorum est, vt illa ex veprutelis extracta

extracta nitedula nostra quoque monumenta conaretur arrodere. Verùm vt quod aliquando cœpi absoluam, difficile est bene scribere, vt dixi, etiam scribendi rationem tenenti, propter dissidia & varia studia: vt non possis placere, neque speres omnino omnibus placere posse, cùm multi non intelligant: iis verò qui non intelliguntur, placere minimè possunt. Ob id his occurres clarissimè scribendo. Verùm his quos vitia delectant, velut barbaries, obscuritas, inæqualitas (hæc enim tria maximè vitia multis grata sunt: velut & auctoritatum multitudo, & Græca miscere Latinis) quomodo satisfacies, nisi nitorem omnem ex oratione sustuleris? Ambitiosi ergo Græca & auctoritates libenter mistas vident etiam non satis aptè, narrationi. Inæqualitas placet multo ob id, quod videatur stylus magis se attollere. Quid mirum? nónne multos etiam per colles ire magis delectat, quàm per plana: tametsi etiam fatigentur in illis, non autem in planitie? Barbaries placet ex consuetudine: adeò vt suam miseriam, causam esse velint damnandi aliorum felicitatem: hæc tamen magno cum labore iam mitescunt. Vt verò auellantur, multis Syluiis indigemus, aut tribus saltem: nam ille Mesuem ex barbaro Latinum fecit. Quod si qui Auerroem, B. Thomam & Scotum (quorum sensa profectò, necessaria videntur studiis Philosophiæ atque Theologiæ) ad Latinam linguam deduxerit (horum enim causa viget controuersia, cùm illi arido & infelici sæculo floruerint) subitò omnia pacata videbuntur: id autem cum consensu Pontificis, atque consideratè fieri debet.

In exponendis autem aliorum monumentis alia ratio seruanda est, quàm in nouis scribendis libris: scopus enim non parum enariat. Námque in conscribendo libros scopus est, rei veritas: in explicandis autem libris aliorum, auctoris sententia. Eam igitur sic venabimur, quod pauci facere norunt. Oportet autẽ egregium aliquem auctorem exponendum suscipere: non vulgarem, cum quo simul expositio ipsa persuadetur: atque eo sumpto, conare vt stylum, voces sensúsque vocum tibi reddas quàm familiarissimas: inde verò meditare argumentum rei, atque principium vnum ex quo omnia deducuntur. Quod si inueneris, ordinem ex illo quære, ac ex ordine diuisionem. Sed si vni illi non omnia conueniant, scias te nondum mentem auctoris assecutum. Reuertaris igitur tanquam diligens explorator, ad nodum illum quærendum, ex quo omnia pendent: quo inuento, vt dixi, quæres ordinem atque diuisionem totius operis, ac demum demonstrationes quibus ille innititur: ita auctoris sententiam pulchrè explicabis, & ad normam si quando paululum declinabit, reduces, ipsúmque à calumniatoribus tueri poteris. Quatuor igitur sunt munia boni expositoris: auctoris mentem declarare, demõstrare quòd ita sit quod dicitur, amplificare illius doctrinam, & tueri ipsũm à calumniatoribus. Hæc fiunt, inuentis principiò ordine & diuisione: hæc inueniuntur, interpretatione vocum illi auctori familiarium, sub consensu quo ille accipere solet, natura ac genere orationis & styli: tertiò: ex comparatione partium totius operis inuicem, tum ad alia ab eo conscripta: demum ab ipsa rei natura, ac partium serie atque dispositione. Vt verò omnia hæc inueneris, conare vt ad amussim totum opus in partes sensibus diuisis congruentes distinguatur.

Quod si quis in eodem genere iam tibi amicus scripserit, seu argumento nouo, seu exponendo aliena opera: vt nuper mihi contigit in Adriano Alemano, Lutetiano Medico, qui commentaria quatuor in librum de Aëre & aquis Hippocratis scripsit: & quamuis non è facie vel vlla alia causa notus mihi sit, cùm tamen multa adducat ex nostris Commentariis in secundum de Iudiciis Astrorum librum Ptolemæi, non sine magna nostri laude (hoc enim maximum est quod cuiquam tribui possit, vt integræ pagellæ vel periodi ad verbum transcribantur, illius non suppresso nomine) nos verò cùm antea multò quàm liber in manus nostras peruenerit, decreuissemus commentaria in totum Hippocratis volumen conficere: non par est cupidis naturæ & probis obtrudere maiore conatu illorum lumen: multò minus illum librum ob id inexpositum relinquere, aut à tam vtili Prouincia exponendi totum Hippocratem, ob id solum quod ille partem vnam exposuerit, desistere. Quid ergo in huiusmodi casibus agendum? Seneca docet in Epistola ad Lucilium, hortator illius: vt cùm Naso & Maro ambo de Æthnæ miraculis scripsissent, ipse nihilominus præsens ipsi rei scriberet: esse certamen hoc ad gloriam, non ad impedimentum eorum qui antea bene scripserint: non defutura (inquit) argumenta scribentibus, nec in eodem argumento rationes variandi: vt cúm tu placeas, Maro vel Naso displiceat. Atque ob id dixi, multa esse scripta ad hanc diẽ, paucissimos libros: multas vrbes, paucas ciuitates hominis, paucissimos ciues: ita timere nemo debet, ve scribendi ansa desit: placent libelli, quia magis elaborati & absoluti: placent libri, quoniam plura in his continentur, nec lector tantùm in his fatigatur. Ergo ille scripsit pulchrè: nos aliam exponendi viam stylum rationémque tenebimus, nihil ab illo inuito subripiemus. Si quippiam erit, accipiemus ab illo, non subtrahemus, atque in alium vsum disponemus: ita nostra post illius scripta delectabunt legentes: & post nostra, vt sua videant, desiderabunt: id verò facere, & eruditi cum primis & prudentis viri est, nec interea nimis seipsum amantis.

Vitia verò effugere, etiamsi multis placeant, oportet. Nec immodicè te efferas: sed tamen loci, temporis, ac regni ratio habenda est. Quatuor esse genera sapientiæ, totidémque esse regna, in libris de Sapientia docuimus. Sed relicto illo quod ad improbitatem puram ac vanitatem pertinet, in quo versantur latrones, lusores, chymistæ, deceptores, necromãtici, diuinatores per sortes, præstigiatores, fures, atque huiusmodi, qui stultitiæ turbam, non regnum vllum conficiunt: tria reliqua ita hic disposita sunt, vt vnum aliis parêre dedigneтur: quanquam qui sapiunt, & naturalia & humana diuinis parêre velint, rursúsque naturalibus ipsis humana. Sed non de eo quod esse debet, sed quod in vsu est, nunc sermonem instituimus. Est igitur regnum humanum potestate & sapientia constitutum: nec Deos veneratur aut curat, sed illis permittentibus

tentibus sine vllo impedimento non secus decernit de his inferioribus, ac Deus ipse de cœlo suisque vitis: & natura de maribus, montibus, imbribus, animaliúmque generatione: adeò vt hæc regna prorsus impermista viderentur, aut saltem illis visa sunt: neque enim visus est homo, qui supplicationibus exorans Deum, ab vxore abstinens, filium ex ea susceperit: aut regnum obtinuerit contrà armatum hostem, ipse inermis & sine milite sedens. At contrà videmus, quotidie Deus execrantes, cum fœcundis vxoribus concumbendo filios & robustos & egregios suscipere: alios omnino impios, impiis cum militibus, sed bene armatis, per vim, cædes, dolos, sæuitiámque execrabilem obtinere regna: quæ etsi postmodum corruant, non à Dei ira, sed nimia impotentia cadunt: atque hæc ita se habere, persuasum est hominibus illis qui res publicas tractant. Nec solùm his, sed & Hippocrates salutis spem totam in medico, non in Deo collocat, illum etiam Deo æqualem faciens: an verò ita sit, non est (vt dixi) præsentis instituti hîc disputare. Quod si religioni inhærere videantur, ea pietatis specie ad securitatem, non pietate vsi sunt. Huius verò exemplum (vt procul petito argumento, nunc propius accedam) Romani præbuerunt: qui non solùm omnem vim, omnem potestatem, omnéque robur & auctoritatem imperandi, & victorias, & administrationem, atque ex eis felicitatem in armis & Rom. Pop. consensu posuerunt: sed supra modum inflati ac tumidi immodica hac persuasione, ea verba proferebant, quæ Turcas, & ipsos multarum Prouinciarum Dominos, & Scythicam planè ducentes originem pudet proferre: adeò vt quandoque mecum reputem mores hominum, & falsas opiniones de illis. Romani, qui alios barbaros vocare solebant, legum conseruatores, ciuilium morum auctores, Philosophiæ & humaniorum ab ipsis literarum ob id dicti studiosi, adeò insolenter se gerunt, voce inflationem spiritus, spectaculis immanitatem summam testantes: Turcæ barbari: à studiis alieni, moribus sordidi, legum haud professores, verùm quasi contemptores, crudelitatis exemplis inferiores, insolētia verò verborum minimè Romanis comparandi. En videas summi oratoris, toto spectante populo Romano verba, mores illorum tanquam in pictura quadam explicanda: plena tumoris, plena insolentiæ? Hinc illud de Pompeio loquens, & Tigrane Armeniorum Rege: insigne Regium quod ille de suo capite abiecerat, reposuit: & imperatis certis rebus regnare iussit. Et rursus Antiochum illum magnum, maiores nostri magna belli contentione terra marique superatum, intra montem Taurum regnare iusserunt. Et rursus: Ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla vnquam suspicio durior aut ad Senatum aut ad Imperatores nostros allata est, viuus (vt aiunt) est & videns cum victu ac vestitu suo publicatus. Hæc de regibus, vt de seruis loquebantur: Iussit, iusserunt, imperauit: minus superbè nos seruos & mendicos alloquimur, quàm illi facerent Reges. Dij boni, quo fastu, qua verborum insolentia, quàm inflati, turgidi ac ventosi homines erant. Idem verò Cicero quàm prostitutus adulator in Pompeio: Nō est passus ille vir, qui sceleratissimos ciues, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui Reges, qui gentes feras atque inauditas, qui omnibus bellis terra marique compressis imperium Populi Romani, orbis terrarum terminis definisset.

Lib. de Arte & lib. de decenti ornatu, pag. 2.

Quàm illud superbè de magistratibus: In consulum magistratus tutela Reges atque exteræ nationes semper fuerunt. At de seipso intoleranda, fastidienda, ridicula, de exilio solùm loquens: Cùm meum illum casum tam horribilem, tam grauem, tam repentinum non solùm homines, sed tecta vrbis ac templa lugerent, nemo vestrorum forum, nemo curiam, nemo lucem aspicere vellet. Quid, si sol ipse, quid si Deus etiam pareat, maius aut dici potest, aut excogitari: cùm filius carbonarij, sola facundia immoderata præceps, hæc sibi tribuat? Sed ad homines conuersus, audite quid dicat Arpinates ciuis: Quem enim vnquam Senatus ciuem, nisi me, nationibus commendauit? cuius vnquam propter salutem, nisi meam, Senatus publicè sociis populi R. gratias egit? de me vno patres conscripti decreuerunt, vt qui prouincias cum imperio obtinerent, qui Quæstores Legatíque essent, salutem & vitam meam custodirent. In mea vna caussa post Romam conditam factum est, vt literis consularibus ex S.C. cuncta ex Italia, omnes qui Rempublicā saluam vellent, conuocarentur: quod nunquam Senatus in vniuersæ Reipublicæ periculo decreuit, id in vnius mea salute conseruanda decernendum putauit. Quem curia magis requisiuit? quem forum luxit? quem æquè ipsa tribunalia desiderauerunt? omnia discessu meo deserta, horrida, muta, plena luctus & mœroris fuerunt. Quis est Italiæ locus, in quo non fixum sit in publicis monumentis studium salutis meæ, testimonium dignitatis? Nam quid ego de me diuina illa Senatusconsulta commemorem? vel quod in Templo Iouis Optimi Maximi factum est, cùm vir is qui tripartitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic Imperio notauit, de scripto sententia dicta, mihi vni testimonium patriæ conseruatæ dedit. Quis hanc ferat insolentiam, aut stultitiam, aut potiùs insaniam? Quæ neq; summis Imperatoribus quæ vix diu conueniunt, homini impuro, & solis fallendi artibus instructo tribuemus? At ergo dices, Insectaris Ciceronem? clamabunt hîc Grammatici, Rhetores, Iurisconsulti, & omnes qui politioribus literis operam dant. At non vident hæc dici posse insectandi causa Ciceronem ipsum, quod absit: is enim viribus suis vsus est ad tuendam dignitatem in humano regno: & ob vitium temporis, aut exemplum. At vitium id fuisse temporis, non negauerim: hominem sola dicendi vi præditum, rapinis ac vitæ flagitiis non omnino immunem ad sidera extulisse quid aliud fuit, quàm ætatis illius luxuriam, inertiam, improbitatem, summam licentiam, auaritiam, metúmque declarare? Itaque hac oratione quis meritò interpretari posset, me vitia illorum temporum ac Romanorum insectari velle: sed quorsum? quid hoc ad propositum nostrum? Reliquum est igitur, vt hæc adiecerimus instituti huius causa, scilicet licere Rhetorico quæ non liceant Philo-

fopho:

ſopho: & tantum condonandum conſuetudini, loco & tempori, vt quæ etiam ab alio ferri non poſſent pro Ciceroοe, ſtomachúmque mouerent, quæ inſani eſſent defenſoris, inſolentis, amentis, quæque exſibilarentur, tempora, locus, conſuetudo tulit vt in gloriam Ciceronis cederent. Veruntamen hoiuſmodi exemplis non eſt innitendum in libris conſcribendis, cùm iudicium generale ac verum, non præſentis ſolùm temporis ac loci ſit præponendum. Sed & tum illa adeò immoderata inſolentia, & Græcis potiùs quàm Romanis digna, nec illi decora fuit, nec vtilis: ſed argumentum leuitatis hominis, ac ſummæ ambitionis, cauſâque ruinæ Reipublicæ atqoe ipſius, nam vitia contemptum pariunt, contemptus odium ſuſcitat, & animum ád opprimendum auget.

Verùm illud obitet mibi occurrit dubitandum, cur adeò excellentes viri magnis flagrent vitiis, & cur qui magnis flagrant vitiis, perſæpe virtute vel eruditiooe ſint incomparabiles? Sofficiat ſolùm accepiſſe ſex exempla in hoc: C. Marij & L. Syllæ, Pompeij & Cæſaris, Demoſthenis & Ciceronis: qootum virtus tanta fuit, vt à nemine niſi altero poſſet ſuperari. Matius non niſi à Sylla, contra cæteros inuictus: Pompeius non niſi à Cæſare: Demoſthenes nullis ſuccubuit inimicis, ſed Macedonum armis: Cicero Antonij, alioqui Romaoorum Rex dicebatur. Verùm ille idem rapax, contumelioſus, ſeditioſus, ambitioſiſſimus: Demoſthenes, vt vno verbo dicam, patriæ proditor: Pompeius & Cæſar, libertatis euerſores: Pompeius occultè, ſed nulla vi adactus: Cæſar, calidior, atque ob id mitior, ſed apertè pattiam oppreſſit. Marius & Sylla, vt vno verbo dicam, tyranni, atque crudeliſſimi tyranni. Itaque reor hoc fortunâ contingere, & naturâ ipſa, vel vi Siderum, vt minimè exiſtimemus hoc regnum humanum aliis legibus ſubiici: ſed more Romanorum, quod Pop. Rom. & S. ſanxiſſet, id pro ratu habendum; tanquam à Deo ipſo ſancitum: nullam eſſe deorum in huiuſmodi curam. Hæc igitur volui dixiſſe, vt homines intelligerent, me (quod huius uon ſim opinionis, ſed ſciam hotum curam eſſe Diis) maluiſſe carere amplis opibus atque amicis, quàm iniuſtè viuendo, & impiè de prouidentia Dei ſentiendo, diſtari: quod tamen admodum mihi facilè interdum fuiſſet.

Diximus de ſumma pietate humana, quam Romanorum Reſpublicas expreſſit: nunc autem de Sapientia dicendum erit: quæ, vt dixi, etiam eò tendit, vt arcana adminiſtrationum publicarum regníque intelligat: ſcilicet priuata conſilia, literas notis ſuppoſititiis conſcriptas, denique modum quo ad proditionem præfecti tribuni militéſque ſolicitantur & inducuntur, impelluntúrque: tum maximè, quod rariſſimè (mirúmqoe id) qui talia agunt, deprehenduntur, verùm potiùs qui prodere deſtinarunt & ſolicitati ſont. Ergo hoc regnum eſt humanom, fraudibus, vi, rapinis doliſque, ac omni ſcelere præter leges tectum, aut ſupra leges, aut ſecundum leges plenum: cuios fructus ſunt diuitiæ, honores, potentia, exiſtimatio, magiſtratus, principum amicitia, tum aliorum potentiorum multo frequentior, vltionis commodum, ambitio, diuitiarum vſus, ædes, famuli, equi, fundi, pecuniæ, gemmæ, veſtes, cibi delicatiores, cœnæ ſumptuoſæ, conuiuia, Muſici, carmina in laudem, applauſus populi, adulatorum blanditiæ, horti, piſcatio, aucupium, venatio, picturæ, ſtatuæ, aotiqui operis numiſmata, & quicquid deliciarum eſt vſque ad pueros & formoſas mulieres: præterea quod maius eſt, licentia tàm in libidinibus quàm in iniuriis, legúmque contemptus, ac penè ſecura vita. Per hæc ergo ſi tranſire voluiſſem, non periiſſet filius, non eſſem inops. Atque hæc via minos ardua eſt, quàm quæ ad virtutem aliâque regna deducit ſapientiæ. Qui verò in eo humano regno plurimùm poſſunt, & ab aliis coluntur, alióſque in officio retinent, hus Oprimates vocant. Quanquam Optimatem aliter definiat Cicero: ſcilicet virum qui nec nocens ſit, nec natura improbus, nec furioſus, nec malis domeſticis impeditus. Sed hunc virum vbinam inueniemus? Dicet Cicero, longè latéque patere hunc numerum hominom: enumerátque conſilij publici principes, & qui cum eis ſentiunt, aut coniuncti ſunt, & mnnicipiorum inculæ & ruſtici, & artifices ac libertini. Hic non quæ ſenſit, ſed quæ vera eſſent, explicuit: ſed ſatis ab vſu alieno nomine: non enim Optimatem ſolemos appellare hominem, niſi virum upulcotum, blandum, quietum, & erga piebeios quoque humanom verbis: ſed qui tamen cum aliis tyrannidem exerceat, horrea concludat, iudicia ad gratiam accommodum diſtorqueat, trahat atque exerceat: cuius indicium eſt, quod rarò hoc nomine in ſingulari numeru vtimur: ſed Optimates dicimus, quaſi vnus eſſe non poſſit: & verè. Nam Optimates eſſe non poſſunt, niſi in paucorum commodum conſpirauerint inter ſe: ſed ſi conſpirauerint, plures fuiſſe neceſſe eſt. Ergo arguis Ciceronem rurſum de interpretatione nominis? Abſit: non errauit, ſed fallebat populum volens ac ſciens: hoc enim arcanum tegi volunt, vt plebs ipſa non norit: & quibus artibus poſſunt, occoltant, dolo, minis, diſſimulatione, pietatis, religioniſque prætextu, virtutis imagine, ſimulatis diſſenſionibus: quando aliter fieri non poteſt, vt vnus commoda tenuiorum ſuſcipiat aduerſus alios defendenda. At nunc non tam apertè: quia opus non eſt, defenduntur: ſed ſecretæ ſufficiunt conſpirationes, adeò vt neque librum ſit principibus bonis liberum vocem emittere, aut ſe eis opponere, adeò vndique obſidentur.

Mihi verò perſuaſum eſt, primùm rem non ita ſe habere, quod videam humanum regnum naturali ſaltem indigere: bellica virtute, nauigandi peritia, Medicina, Agricultura, aliiſque artibus, quarum peritia & exercitatio ad naturale regnum pertinet. Vnde veriſimile eſt, nec hoc debere eſſe contentum, qui vniuerſa inuicem colligauit: ſed vt humanum naturali eget, ita vtrumque diuino opus habere, & ab illo regi. Deinde quòd viderem, huiuſmodi hæc omnia non afferre ſolidam vel ſtabilem fœlicitatem, ſed tumultuoſam, mobilem, vanam & breuem. Demum, non mihi perſuaſum eſt, Deum adeò hæc inferiora deſpicere, vt malis tot bona eſſe velit, bonis tot mala. Hæc atque huiuſmodi cogitans,

tans, malui proferre omnia, quàm improbus esse: Et si mors (quæ acerbissima res est omnium) toleranda est æqoo aniooo, quam tot viri fortes spontè petiuerunt, felices venientem moderatè tulerunt, molles homines tum fœminæ ac pueri adeò leniter ferrent, vt nec queri, nec commoueri, nec dolere, nec metuere vllo modo viderētur: cur est vt tot acceptis ego supra conditionē humanam à Genio, Deo imperante, beneficiis, desertor solus euadam: Quod si clientes & beneficiis affectos & domesticos & affines & amicos decet tyrānis esse fidos, eosque in calamitatibus non deserere: cur ego modicæ gloriolæ cupiditate, breuis temporis vitæ vsura, instabilium & paruarum opum præmio, inconstantiom & vanarum blanditiarum deliciis, curiosa ambitione principalis amicitiæ, semper grauis, sæpe damnosæ, nonnunquam & non parum periculosæ, perfuga esse debui ab optimo illo benefactore Deo Optimo Maximóque? Dices: Omnia concedam, si ostenderis hunc à Genio fauorem peculiarem, hanc prærogatiuam, hanc singularem electionem. Fingis hæc, vt quod stoliditate, desidia, casu, vanam spem dum seqoeris, tibi contigerunt. Verùm hoc peculiare donum non ob id quod sæpè seruatus sim imaginor: casu eoim fieri potest: & multis etiam maiora contigerunt, cùm essent improbissimi: non ex somnis, quos forsan cupiditas immortalitatis nominis, aut diurnæ cogitationes, aut ab ortu siderum constitutio reuoluentibus annis excitat: non eruditio, quæ studiis & diligentiæ & laboribus & naturæ & indicio ob exercitationem & vitæ diuturnitati (si qua illa est) tribui posset: sed ost.ntis visisque, quæ modum naturæ (ni fallor) humanæ excedunt, tribuo. De his ergo aliàs abundè, atque nimis sæpè dictum est, adeò vt non paruæ esset turpitudinis hoc in proposito argumenti tam breuis denuò ac quasi extra propositum inserere.

Itaque neque mihi ob has causas multum timendum vereor: quanquam ea sim in patria, in qua semper timere coactus sim, iustis adeò causis, sine præsagio imminentis calamitatis, vt à Præside Senatus (quod aliàs etiam dixi) petierim biennio antequam crudelem illam tulerit sententiam, vt mitteret me io exilium: satis causæ esse dicens, hanc causam, quod sine cāosa adeò sub illis esse timerem atque vererer. Nunc verò exonerata in filium tanta clade, & toties Fati monitu tectus atque defensus, præterea iam anno abhinc (ni fallor) decimoseptimo, claro somnio certior factus, per eundum esse mihi in itinere Romam versus, ibíque à sociis qui iampridem obierant expectari: & quòd, vt modò res cedat, tàm parum mali in morte esse cernam, quàm felicitatis in hac vita, mortem non horreo, neque timeo; & multò minus in posterum cauendum ab aliis calamitatibus censeo: sed hunc laborem, hanc curam atque solicitudinem his relinquamus, qui erga nos tam sæui, támque inexorabiles fuêre. Expleuerunt votum, satiati sunt, animo satisfecerunt, afflixerunt (quod in illis fuit) patrem innocentem in misero filio, filium optimum & piissimum in parente, rarum exemplum aduersus clementiam Regiam inuexerunt, geotis Hispanicæ ingratum factum declararunt. Ergo in posterum quiescere proposui, paucis conteotus, & maximè familiaribus: nam horum turba grauis est, præsertim pauperi, & inutilis: eorúmque discessu ac mutatione domus conturbatur, & aoimus aogitur: adeò vt defectus in omnibus plenus est, incommodis, ita copia & abundantia perturbationibus & curis: ad tranquillitatem enim vitæ & felicitatem nil melius est, quàm assuescere paucis, contentum esse amicis domesticis: sed, vt dixi, maximè familiaribus: in his autem felicitatem constituere, quæ tibi eripi non possunt, & securè possidentur: hoc enim est fundameotum diuinæ felicitatis vitarum & mentium, meliorúmque substaotiarum, securè frui his, quæ illis à Deo tribuuntur.

Cæterùm vt interim quæ proposuimus, ad finem deducamus: postquam librorum singulorum in suo genere vtilitatem atque vsum explicauimus, reliquum est vt ipsarum disciplinarum atque scientiarum laudes & vtilitatem proponamus, vt norint morales quantum illorum commodis atque vtilitati profuerimus. Scripsimus autem in multiplici genere (vt vidistis) Dialectica, Geometria, Arithmetica, Musica, Astrologia, atque ea duplici, scilicet diuinatione, & quæ de moribus tractat: tum Optica, Metoposcopia, Agricultura, Architectunice, Geographia, Medicina, Philosophia naturali, aperta illa ab Aristotele tradita & recondita, & arcana quam Magiam nominant, Somniorum prædicendi arte, ratione gubernandæ Reipublicæ atque suprema omnium Theologia ac morum institutione. Decem & octo sunt hæ præterea de Ludis ac Fabulis: vt siot omnes modi atque argumenta in quibus scripsimus, cum his, viginti. De omnibus igitor, præterquam de Geometria, dicendum erit: nam illius encomiom iampridem factum, huic Operi attexuimus. Ergo omnium harum disciplinarum seu artium, quomodo malueris appellare duplex est commodum: vnum quidem, sciendi atque intelligendi, quo mens ipsa delectatur: alterum, qui quasi fructus est exercitationis: Vt aotem in difficillimo genere id explicem, à Theologia, cuius solus vsus in intellectu esse videtur, exordiar.

Theologiæ itaque contemplatio nimis ex se perpulchra est: quid enim pulchrius aut excellentius, quàm diuina, quàm immortalia, quàm beatissima scire atque intelligere? quod si tàm scire atqoe intelligere liceret quàm hoc pulchrum esset, nullum studium huic comparari posset. Ipse verò vsus est duplex: gratias reddere ei cui maximè debemus, & animum beatum efficere. Quamobrem summum bonum in vtroque constitutum esse debet, & felicitas maxima illis qoibus vti licet. Habet autem Theologia duodecim partes, quarum prima de Deo ipso, sommo bono, essentiáque æterna & perfectissima, agit: atque hæc pars tam difficilis est, & ardua & obscura, quàm videtur plerisque facilis: omnes eoim quid sit Deus intelligere se putant, cùm nihil minus. Secunda pars est de potestate, sapientia, amore, personísque ac defluxu earum, tam certa Philosophis

quàm

quàm perspicua Theologis? neque idem est in illis amor & sapientia ipsi bono, neque aliquid diuersum. Tertia est de mentibus, ordines vocant Theologi separatarum substantiarum: hæ mediæ sunt inter finitum & infinitum. Porrò vnaquæque harum partium duplicem habet vsum, vt dixi, in generali consideratione & scientiæ & vsus: veluti scientia boni & principalis & pietatis & sapientiæ & amoris delectat & instruit animum; prætetea reddit nos illi gratos, cuius beneficio sumus & viuimus. Quarta est de viris quæ cœlo adhærent, suntque similes animabus nostris. Quinta de his quæ sunt extra mundum: quanquam omnes mentes & vitæ & dij extra mundum siut, ea ratione quod sint in seipsis, non in loco vllo neque intùs neque extra. Sed tamen quibusdam mundus aut mundi partes eis insunt, quibusdam non Sexta est de mundi cœlorúmque ortu atque productione, & regimine ab illis inferiorum corporum. Septima de futurorum ordine, & successu causarum: hunc Fatum appellare solent. Octaua, de statu animarum nostrarum ab obitu: Nona, de his quæ naturæ sunt melioris, aut sublimioris. Decima, de his quæ ad animæ perfectionem & operationes in hac vita pertinent. Vndecima est de cultu Deorum, & ceremoniis quæ non licent, licentve, appellatúrque religio. Duodecima verò est de generalibus vt ente, re, vno, vero, bono, atque huiusmodi. Singulæ harum multas habent partes, capita, amplánque tractationem: de quibus non est præsentis instituti agere. Verùm de prima principaliter, tum de omnibus quæ Deo propria sunt, scripsimus in Hymno. At de sequentibus quinque à prima, egimus in libris de Æternitatis arcanis: de septima, in libris de Fato: de octaua & nona, in Theonosto: de decima, in libro de Animi immortalitate. Vndecima non est præsentis considerationis: duodecimam relinquimus Aristoteli.

Dialecticæ contemplatio est vtilis ad scientiam rectè inueniendi & demonstrandi: vsus autem ad omnes disciplinas, & in omnibus disciplinis. Partes eius sunt decem: notitia nominum, vis orationis, ac comparatio, Syllogismus, Syllogismus demonstratiuus & probabilis, declinatio deceptionis, seu cognitio elenctici; syllogismus seu ratio imperfecta, suppositio, inuentio medij. Et modus tradendæ ordinandæque doctrinæ, cognoscendique benè ac malè tradita. De septem primis partibus egit felicissimè Aristoteles, de octaua Paulus Venetus: de duabus vltimis, quæ maximè sunt, tum septimæ nobiliore parte, nos in nostra Dialectica.

Arithmeticæ contemplatio subtilissima est, & per se felicissima, tum quia docemur cuncta esse miro quodam ordine & arcano connexa. Neque enim credendum est illam connexionem esse fortuitam, sed vmbram quandam vinculi diuini, quo cuncta inuicem colligata sunt certo ordine, mensura, tempore: ob id non tam temerè Pythagorici & Academici numeros constituerunt rerum principia: quos si non per calumniam Aristoteles voluisset interpretari, quis dubitat non aliud per hoc Ænigma illos significasse, quàm numeros vmbras esse eius ordinis quo Deus cuncta constituit, fecit & ordinauit? sed ordo ille in Deo quasi inuolutus est, & vnum quoddam, extrà autem multiplex: qui cùm sit infinitus vndequàque, quis non videt infinitam primi boni esse naturam? Nam neque numerus per se est, est enim accidens: neque sui auctor Deus enim non est: nec αὐτόματον, neque animæ nostræ figmentum, sic enim falsus esset: natura igitur quædam per se infinita est, nec aliud quam vmbra aut vestigium ordinis infiniti. Ecce quam paruo deprehendimus infinitam esse naturam. In illum igitur intuens animus noster, diuinitatem quasi è rimula inspicit. Vsus verò duplex: acuere mirum in modum ingenium, & solertem efficere: alius est, ad rationes & mercaturam exercendam. Partes eius sunt quatuor: numerus, pars, latus, & incognitum. Præter has sunt proportiones progressus, laterum extractiones, transmutationes, incrementa seu vsuræ, inuentiones & iudicia. In principalioribus quatuor partibus solent exerceri quinque opiniones, numerando, iungendo, detrahendo, multiplicando, & diuidendo. Partibus autem vna peculiaris operatio inseruit, quam vocamus insitionem. Primam partem mirum in modum auximus & illustrauimus, tum secundam: reliquas nouem fermè totas inuenimus.

Musicæ contemplatio quid peculiare est; habétque quasi medelam, vsus scilicet moderationem, ac participationem: de hac tam bene Ptolemæus egit, vt non audeam me illi commiscere, nec de ea tractare. Vsus est, demulcere affectus, delectate animos, & lætitiam gignere. Partes eius sunt duæ: vocalis & instrumentalis: tria illius genera, Diatonicum, Chromaticum, & Enarmonicum: vt in totum sint sex genera: quorum singulum longè latéque patet. Est etiam constructionis methodus, vt sint septem. Difficillimum est Enarmonicum. Instrumenta autem alia fistulosa, alia hydraulica: alia fidibus constant, alia tympano: vt sint quindecim potiùs quàm sex genera. Præter has etiam est Musica antiqua, & carminum cantus & modulatio; tum saltatio & choreæ: vt sint in vniuersum partes decem & octo. Maxima est hæc disciplina, & ingeniosissima, à paucis rudibúsque viris (si qua alia) tractata. Egimus nos de vniuersis, vt etiam superiùs visum est.

Optica, digna studiis, & Geometriæ similis, exacuit ingenium: vsus est, mirabilium effectum intellectus, & scientia efficiendi spectra. Partes illius sunt septem: lux simplex, lux mutata, radius transiens, radius collectus, radius reflexus à plano, conuexo atque concauo. Nos peculiarem de ea, vt de reliquis, tractationem non fecimus: verùm in libris de Subtilitate & Rerum varietate præstantiora docuimus.

Astronomia, quæ de motibus agit imaginandi, super omnia exercet. Eadem nos in summi Opificis contemplationem erigit, præsertim eos qui diuinæ maiestatis magnitudinem non animaduertunt: vnúsque is vsus: alter, scire ortus siderum, loca, magnitudines, coniunctiones, eclipses. Partes illius sunt quatuor: scire motus & proportiones ac consonantiam illorum, scire per tabulas quod volumus

lumus

lumus inuenire, scire construere simulachrum orbium cum motibus, corporeum solidúmque, & in plano per foliara. De hac, vt quæ ex obseruationibus pendeat, parum tractauimus in libro, cuius titulus est, Supplementum Ephemeridum.

Astrologiæ consideratio per se pulchra est, vinculum intelligere horum inferiorum cum superioribus. Vsus autem, scire furura, & præcauere posse. Eius sunt partes nouem, videre Generales constitutiones Mundi, quæ ex reuolutionibus inerrantium staris pendent temporibus: Propria Prouinciis magnísque regionibus, in quibus nihil ex terra obseruatur: Obseruationes ex initiis vrbium ac tegnorum, quamuis fallaces: Visionum in sublimi interpretatio, Constitutiones temporum, Ortus & occasus siderum cum veterum circuitu, Geneses, Processus & Redditus annui. Porrò de his omnibus egimus.

Geomettiæ partes sunt nouem: De corporibus regularibus, Conis, Cylindris, Oualibus, Sphære mensura, Conoidalibus corporibus, Elicis lineis, Proportionibus, & bifariam motis Octanam partem ego auxi non parùm, Quartam & vltimam ego inueni & tradidi.

Naturalis coniectutæ tres sunt partes: Metoposcopia ex fronte, Chiromantia ex manibus, ex roto autem Physiognomia. Meroposcopiæ partes sunt tres: Figura frontis, lineæ, & rorius faciei næui atque vestigia: de quibus omnibus nos egimus: ipsa contemplario maximè rationalis, iudicium postulans, & participarionis dialecticarúmque regularum Ptolemæi vsum exercens. Omnium diuinarionum præstantissima est Physiognomia, adeò vt prudenrum consiliis proximè accedat. Proxima illi Metoposcopia: inde quæ ex Astris: post Chiromantia, pòst prodigiorum, sexta somniorum si ritè obseruentur. De tota arte Metoposcopię scripsimus. Architecturę scientia indicio & solertiæ commoda est, hominémque ad inueniendum & excogitandum comparationémque faciendam inducit, cogírque sagacem esse: rationes perpulchras docet. Vsus perspicuus, cùm sit ars mechanica. Eius partes sunt quatuor: Ædificario, Munitio, Aquarum deductio, & machinarum fabricatio: de quibus omnibus, licet non specialiter, in libris de Subtilitate, & de Varietate rerum, tum etiam de Secretis abundè egimus.

Agriculturæ cognitio superior pars est naturalis Philosophiæ, inferior mechanica prorsus est: ob id & contemplatio & vsus perspicuus est, & omnibus notus. De ipsa egimus in triginta octo illis libris iam enarratis, in quibus de naturali Philosophia egimus. Verùm partes illius sunt decem & octo, singulæque illarum longè latéque patent. Harum prima est satio: quo tempore, qua terra, quídque serendum sit, electio seminum, quomodòve serantur, semine an surculo, an alio modo. Insitióque ad hoc pertinet. Huic succedit cura, vt prouenianr, vt grandescant, vt sint tuta à temporum iniuria, & animalium. Tertia est obseruatio temporum atque locorum, imbrium, & exortus siderum, quid sub vnoquóque facere conueniat & expediat. Quárta est collectio fructuum, seminum, quid agendum, quæ paranda antè, quomodo dignoscatur maturitas. Quinta est, vsus fructuum aut seminum: in quo genere sunt vinum, sapa, omphacium, oleum, fraces, & huiusmodi, vt etiam aqua rosacea. Sexta est conseruario tum horum, tum fructuum & seminum: vt pomorum, frumenti, ac talium. Septima est, cura agri, hyeme collectio lignorum, & eorum quæ ad vsum præbet ager, præter fructus & semina: vt sarmentorum, atque fungorum, tuberum. Octaua est, cura instrumentorum necessariorum, falcium, securium, curruum, plostrorum, torcularis, cadorum, lacus vinarij, bidentis, rastri, sarculi, rutri, occæ, marræ, aliorúmque sine numero. Nona est, de cura villici, & educatione, institutísque ac cautionem ne decipiat. Decima est, de educatione & cura boüm, anserum, gallinarum, suum, & huiusmodi. Vndecima est, de cura bombycum & apum, atque talium quorum lucrum non mediocre est, & ars educandi non vulgaris. Duodecima est piscinarum, cancrorum, ranarum, testudinum, cochlearum impinguandarum. Terriadecima est animalium syluestrium, ceruorum, damarum, cuniculorum, quorum magna est copia & prouentus certis in locis, parum alioqui vtilibus atque in hoc etiam continetur cura pastorum, pecudes, capras, asinos, vaccásque alentium, alibi & camelos, vt in calidis regionibus, & rangiferos in frigidis. Quartadecima est aucupij, venationis, fallendi lupos, piscationis, rei lucrosæ & iucundæ. Quintadecima est hortorum peculiaris cultura, ducere riuos, areas diuidere. Hanc sequitur singularium plantarum studium ac cura: deinde nemorum & syluarum, res non minus vtilis cæteris, & minoris impensæ, laboris atque periculi: sub qua & continetur rizum, quod in paludibus solùm feliciter prouenit: res tantò lucrosior, quantò locis inutilibus & abiectis nascitur. Vltima pars pertinet ad prata, atque in ea continentur deliciæ & miracula agriculturæ, & remedia calamitatum.

Succedit Geographia, cuius contemplatio vtilis est ad historiam & scientiam rerum naturalium: vsus verò ad cognitionem itinerum, bellorum, morum, gentium, potentiæ, regum. Habet autem partes principales nouem: scientiam magnitudinis, & situs locorum, ac formam cum qualitate: dispositionem ad fortunatas insulas, & ad meridiem seu æquinoctij circulum: mores gentium, instituta, Reges, vires, res præcipuas quæ ibi nascuntur: specialem loci descriptionem, vrbes, pagos, riuos, fontes, colles, atque huiusmodi minutiora, historiam insignium bellorum, & originis gentis: descriptionem orbis in plano, descriptionem eiusdem in sphæra, modum nauigandi. Hanc solùm disciplinam ex omnibus reliquimus intactam, ob inconstantiam eorum quæ in illa traduntur: obiter tamen de eiusmodi, & maximè de generali ratione descriptionis attigimus variis in locis, & maximè in libris de Rerum varietate.

Medicinæ partes decem sunt: primùm, quæ antecedit totam artem, corporum humanorum

manorum

manorum dissecandorum notitia: inde artis Principia, elementa, qualitates, humores, membra, operationes, facultates: tertia est, partium singularum vsus & vtilitas: quarta, morbi: inde causæ & signa, pòst cura: inde potitia simplicium medicamentorum, & vitium eorum: pòst, componendi ratio: demùm, eorum quæ proprietate naturæ agunt scientia. Ipsa per se scientia pars est naturalis Philosophiæ, cuius contemplatio pulchra, opera & ordinem naturæ spectanti. Medicus non vt Philosophus adeò considerat formam, finemve naturæ, sed vt cæteri artifices, cùm formam & finem quasi præ oculis habeant, in efficiens & materiam magis oculos dirigit. Vsus autem, vt dixi, duplex est in huiusmodi: vnus quidem in anima, alius in opere atque extra animam. In anima quidem scientia est, & cognitio modi operandi, extrà aurem, finis est sanitas. Est autem fructus in anima, alios scire dirigere quàm rectè operentur. De prima, quarta & quinta, & sexta atque vltima, nos scripsimus: liber enim Experimentorum ad vltimam partem totus pertinet. De cæteris Hippocrates & Galenus, qui etiam de omnibus scripsit partibus præterquam de vltima: aut si scripsit, ad nos non peruenit. De septima speciatim non scripsit. Nos præterea de omnibus scribimus, dum commentaria in totum Hippocratem conficimus. Contradictiones quoque ad Scholia & Castigationes quasi pertinent. Philosophiæ studium ipsum per se pulchrum est, & ad primævitæ notitiam nos perducit: fructus autem est scientia rerum naturalium, vnde artes exoriuntur, impulsus per ignem & aquam, & Machinarum se exonerantium trahentiúmque, tum notitia proprietatum rerum & causarum: vnde quæ miracula aliis videntur, nobis & cur & quomodo se habeāt, nota sunt. Habet septem partes principales: Prima est de principiis naturæ, materia, forma, loco, tempore, appetitu: quod non sit locus sine corpore, nec cum duplici corpore. Secunda de simplicibus corporibus cœlo, terra, aëre & aqua. Tertia de mistione & mistis. Quarta, de anima. Quinta, de plantis. Sexta, de animalibus. Septima, de homine. Porrò secundam libenter ego diuiderem in duas, scilicet de cœlo & elementis: non solùm quòd natura vnius horum multum ab alterius natura differat, sed quòd cœli non minus, imò multo magis inter se differant quam elementa inter se: vt declaratum est in Theognosto: vitæ enim illorū & animæ cum differunt specie, differunt & cœli: at nihil est in elementis quod in aliud transmutati non queat. Et præter id eadem participant materia & qualitatibus, fluit enim tam aqua quàm aër, & vtrunque humidum est. Sexta rursus in quinque partes diuidi solet: in quadrupedia, aues, pisces, serpentes & animalia quæ parentibus carent. Præterea quædam pars communis est omnibus animam habentibus ab anima separata: vt vita, ad quam consequuntur multa: vt in quibusdam respiratio, iuuentus & senectus: in omnibus generatio, somnus, vigilia atque motus. Sensus enim animę coniunctior esse videtur: erunt igitur in vniuersū tredecim partes.

Magiæ verò seu reconditæ Philosophiæ partes erunt decem. Prima quidem, quæ ex rerum proprietatibus pendet, lapidum, animalium, plantarum: præeliguntur lapides, quòd in illis vires sint efficaciores, nec tam citò senescant, nec moriantur, aut suffocentur, aut putrescant commodiúsque gestentur. Secunda verò ortum habet à siderum influxu in initiis rerum, vt imaginibus vel sationibus. Tertia est ex consensu operationum visionis & soni, & odorum occultorum, & saporum, & inunctionum: sicut ex tactu serpentis horremus adeò, etiamsi illum esse serpentem nesciamus. Quarta est ex proprietate inter homines & res, propter ortus. Quidam semper erit infelix in vna vrbe, domo, cum vno equo: hoc autem magis cum hominibus propter repugnantiam naturæ ab ipso ortu contractam: vt cum vxore, familiari, amicóve. Quidam feliciùs agunt cum quibusdam æmulis & inimicis, quàm domesticis & amicis: quanto magis si iidem fuerint & amici, & genius cum genio illius consenserit? Ego verè fateor, aspectu huius Præsidis Senatus, tametsi antea neque vnquam mihi iratum expertus essem, nec nisi beneficia ab illo accepissem, magis semper exhorrui, quàm duorum præcedentium qui mihi sæpiùs irati fuēre: atque id tantùm in me potuit, vt solùm illius causa aliò commigrare destinassem: sed occasiò defuit: quæ vtinam non defuisset: non enim periisset filius meus. Hoc est quod petiui, vt me in exilium mitteret. Senriebam, seu ex Genio mihi præfecto, seu quòd natura mea in extremitate humanæ substantiæ, conditionisque, & confinio immortalium posita esset, magnum mihi ab illo malum imminere, adeò vt aspectum illius formidarem, noménque horrerem: sed tamen genus mali non intelligebam: refugiebámque ipsum quannım possem, nec ab vllo alio primare metuebam: quamvis non ignorem aliquos mihi magis infensos, sed hi sine isto hoc non poterant. Refugere igitur expedit huiusmodi homines. Quinta est, quæ pertinet ad auguria, prodigia, miracula, eorúmque significata. Vt enim subtexuntur communibus causis, alios effectus indicant. Vnde quinque præsagiunt, quinque non: támque errant qui omnia contemnunt, quàm qui obseruant, aut nimium fidunt. Sexta est, ex animæ operatione, eam à corpore quasi separata, & supra seipsam eleuatata, ostendit varias rerum effigies, & persæpè diuinat: animas quoque inferiores cogit. Septima est ex homine toto, cum afficitur aut perturbatur certis cibis, terræque habitu, aquarúmque potu: incerta vi, certo effectu. Octaua est ex effectu genij, seu etiam melioris vitæ in nos, aut alterius cuiuspiam: idque præsenti, quod maximum est: aut per somnium, quod leuissimum, non tamen contemnendum: aut per Ecstasim, quod medium est. Nona est euentuum qui Fato adueniunt, cuius sublata ratione ad magiam naturalem solum recursus relinquitur. Ad hoc genus vltimò reducuntur, quæcunque obscuras habent causas in nobis, seu ex Medicina, seu ex naturali

naturalibus effectibus: vt Engastrimythi; & qui quasi Dæmonem habere in corpore videntur, vt Pater meus referebat, & Lucius Philaltheus Philosophus. Sentiunt enim huiusmodi homines modò ventrem, modò digitum pedis dexteri magnum, nullâque interposita temporis mora minimum sinistræ manus dolere, inflammari, titillare, inflari, prurire, atque alia huiusmodi sæpe absque causa manifesta: quæ omnia ad decimum genus magiæ referri possunt. Sic quidam haud insulsus, cum se reuolueret: magnam vitri confracti quantitatem resonare in visceribus sentiebat: audiebant & alij. Est autẽ flatus genus ad libellam temperati: propterea non perpetuò sentiunt. De his igitur omnibus, in Naturalibus non solùm sed etiam Diuinis libris, & de Secretis locuti sumus: adeò vt quod ad historiam attinet (ne Plinij, aut Alberti, aut Cornelij Agrippæ, aut Agyrtarum fabulas commemorem) vnus ego penè totam hanc artem inuenerim, non quidem speciatim singula experimenta commemorando, sed meo more generalia præcepta pro tota arte ac disciplina constituendo. Porrò alterius partis tractationem satis pulchrè absolnit Aristoteles: nos plura addidimus: & quæ deficere videbantur, vt veritas notior esset, suppleuimus aliqua, in quibus nimis cupidè antiquos sectatus est, in melius commutantes. Vtilitas autem quæ ex magia habetur, quanta nulla alia: est enim artium ars suprema, disciplinarum moralium præstantissima: sed cui non sint falsa vlla experimenta immiscenda: ipsius verò scientiæ sola cognitio ad diuina nos rapit, fructu non exiguo: sicut fabulosa ad impietatem, contemptum, deceptionem, paupertatémque: velut & Chymica: scientia verò per se sola nos exercet in profundissimis contemplationibus, causarúmque abditarum inuentionibus, iudicio plusquam humano.

Somniorum prædicendi ars quatuor habet partes: generalem interpretandi rationem, modum in singulis, & significata propria, distinctionémque specierum. Hoc enim somnium vni significabit opes, alij inimicos, alij interitum, alij liberationem. Generalis interpretandi ratio causam docet somniorum cur hæc significent. De omnibus his nos tractauimus in libris de Somniis. Vtilitas est euidens, sed non adeò certa. Exercitatio mentis, in coniecturali genere.

Ratio gubernandæ Reipublicæ in libris de Arcanis æternitatis explicata est. Vsus priuato nullus, sed vt intelligat quæ aliter intelligere non posset: & quamvis pauper sit, non videatur plebeius homo: hinc ad altiores gradus pateat ascensus, vitétque pericula, non in simplicitate confisus, ant virtute. Quod si fortuna eum altiùs extulerit, & gratiam principum fuerit consecutus, aut in Republica locum, intelliget quibus modis retinere possit dignitatem, aut rectè consulere Reipublicæ. Plerisque enim potentiorum & procerum persuasum est, non posse regi Rempublicam rectè: nisi dolo, ambitione, crudelitate, iniustitia, impietatéque regatur. Id non tam rei ipsius natura contingit, quàm ministrorum & dominantium ignorantia, desidia, auaritiáque. Dicetur autem de his post.

Nunc verò ad diuisionem accedamus politicæ disciplinæ, cuius sunt partes quatuor: administratio popularis, optimatium, regia, & belli gerendi ratio. Adeò autem patent singulæ harum, vt sint penè infinitæ. Egimus, sad non vt oportuit, in tertio libro de Sapientia etiam. Cæterùm omnis hæc consideratio debet comparari ad seipsos, vt in vnum coëant ad naturalem necessitatem, vt agri colantur; aër sit salubris: & ad externos, vt tuti sint ab hostibus. Aristoteles octo libros Politicorum in hoc argumento scripsit: sed minus tamen sufficienter quàm oportuit. Multo minus Plato: non enim visi sunt tenere veram rationem gubernandæ Reipublicæ, sed non mirum: nihil enim difficilius est, quàm concordiam retinere: quòd, si homines sint militares, nolunt superioribus parêre: si enerues, exanimas Rempublicam, si infeliciter cedant bella, periculum est ab externis: si feliciter, quis insolentes comprimet? Si æqualitas est, parêre nolunt: si inæqualitas, oderunt quibus inuident. Paupertas despicitur, & ad bella gerenda impedita est: diuitiæ efficiunt luxum: contigit hoc, vt reor: quoniam humanum regnum in præcipiti circulo perpetuo reuoluitur, nec stare potest.

Morum institutio, quod ad contemplationem attinet, pulchrum à diuinitate sumit exemplum: quod ad vsum, nulla potest dari certa ratio, nisi in bene instituto regno aut Republica. Dixi enim quales sint qui imperant aliis: nihilominus quatuor præbet semper commoda, incommodis malæ institutæ Reipublicæ potiora: assimilari diuinis, conscientia bona apud se, honestas apud alios, & occasiones damnorum euitare. Partes habet tres: comparationem ad seipsum, oritúrque Ethica: ad domum, domesticósve, fitque œconomica: & ac amicos [illegible]: neque hæc ad politicum pertinet, neque intima magis est domus gubernatione: sed & de his scripsimus non solùm in libris de Sapientia & Consolatione, sed longè locupletiùs in libris de Vtilitate capienda ex aduersis.

Supersunt fabulæ ac ludi, quarum inuentio delectar, cognitio ingenium exercet. Et quamuis ludorum essent multa genera, de illo solùm egimus quod malum exemplum non præbet. Sunt autem plura quàm quis reputet, de quibus in libris de Vtilitate capienda ex aduersis locuti sumus.

Fabularum autem quadruplex genus: simplex, & mystica, & parabola, & historica. Simplex est, cum per ea quæ esse non possunt, aut absurda sunt, aliquid significamus: vt si statua loquatur, aut homo statuam alloquatur. Historica differt à parabola: non adornatur, & tota in significatum conuersa est: historica verò, fabulam historiæ similem efficere nititur. Mystica autem, arcana continet, aut præsentia, aut etiam futura. Sed & de omnibus his egimus peculiari libro.

Iam ergo licet, á nobis expleta esse omnia argumenta disciplinarum, vt quæ defecerint, restituerim: atque ea ratione condidisse libros omnes, quibus quod deficeret in omnibus

artibus,

artibus, supplerem: nec abundasse nimium non necessaria scribendo, nec defecisse necessaria omittendo. Verùm dices, quid ergo superest aliis? Eò tendebat oratio nostra, vt tria hæc doceremus: primum quidem, nos maximum emolumentum attulisse rei literariæ, omnium principia inueniendo, quæ nondum inuenta essent, atque docendo: Secundum, superesse tamen infinitam ad scribendum aliis materiam: Tertium, scripta ab aliis non obfutura nostræ gloriæ, sed profutura: nec nostra vicissim illis futura impedimento, sed auxilio, & ad scribendum facilius & ornatius, maioréque cum arte: tum etiam vt scripta magis legantur, maioréque cum auctoritate. Vt ergo hæc ita se habere constet, vndecim esse genera scribendi oportet scire: Traditionem seu Artem, Expositionem, Historiam, Poësim, Laudationem seu vituperationem, Paraphrasim, Castigationem, Scholia, Dialogos, Epistolas, Fabulas. De tribus primis generibus iam superiùs diximus: de quarto, Horatius in Poëtica: de quinto, Cicero qui de his tam luculente regerunt, vt non ausim, ne vel verbum quidem addere licuerit Quintiliano. Nunc de aliis, quia necessarium esse existimo, agamus. In paraphrasi, breuiter quæ dicta sunt, clarè explicari solent. Castigantur errata vel auctoris, vel librarij: vel quæ bona mente scripta sunt, sed non rectè significata, aut verbis minus conuenientibus. Dialogos omnes scribunt, putántque licere, vt etiam Epistolas medicámque artem hoc vitioso scribendi genere repleuerint. Quoties res obscura est, difficilis, nec vno continuo dicendi genere potest narrari, sed est implicata, reflexa in se; & quasi circumuoluta, postulat dialogo explicari. Tum personarum, loci, temporisque habenda est ratio: nec gloriæ cuiusquam adeò addictum esse oportet, vt argumento rei noceas. Nec ibi, quod multi stulti faciunt, te sub alterius persona laudes, arbitratus ab alio laudari: puerile admodum commentum. Scribunt dialogos: quia faciliùs est scribere: at non animaduertunt, non tàm quærendum vt facilè, quàm vt bene & rectè ornatéque scribas. Solum ergo dialogi in his quæ ad mores pertinent, & ad Theologiam, inuentionémque principiorũ, sermonémque familiarem spectant, decorem suum retinent: in docendo artes, minimè conueniunt. Neque etiam in istis semper: sed oportet non ociosum esse, non verbosum, non iniustæ causæ fauentem, vt vincas, cùm vinci te oporteat. Sed omnes pro viribus adnitantur. Plato & Cicero præcellunt in hoc dicendi genere: ad quod, non vt alia fugerent, se contulerunt, sed quia hoc præ cæteris præstare existimarunt.

Lucianus verò hoc ipsum amplexus est: quoniam in nullo alio pollebat: quamobrem nec in hoc ipso præstitit quod debuit. Dialogorum duæ sunt species: vna in qua personæ nomen præponitur semper: vt apud Poëtas, Comœdos, Tragœdósque, Sophoclem, Euripidem, Aristophanem, Plautum, Terentium, Senecam: tum etiam apud Platonem & Lucianum. Aliud tanto elegantius, quanto difficilius, vbi per sermonem continuantur: vt apud Ciceronem in plerisque Philosophiæ libris, quanquam in Tusculanis hunc rigorem non tenuerit.

Epistolarum etiam laxius genus, quod turpiter à culina (vt dici solet) in sacrarium transfertur. Epistolis enim narrari debent domestica facta, fortuiti casus opiniones, vota & studia hominum non scientiæ explicari. At scientias artésque Epistolis recondere velle, est gemmam luto intrudere. Sed nec sic norunt decus scribendarum Epistolarum, adeó vt Erasmus, qui leges huic negotio præscripsit, turpissimas ipse reliquerit. Ergo cùm parua sit res Epistola, & minimi artificij, eo cultior & sine menda omnino esse debet. Non sit ex argumento ficto, neque toto, neque in parte, sed vero. Vix licebit rectè Epistolam texere, nisi res ipsa animum moueat. Nec velis ex argumento paruo longam condere Epistolam: ex longo licet magis contrahere. Sit clara, quantum cui scribitur necesse est: paulò enim obscurior, laudabilior est omnino eneruata. Breuitatem Symmachi effugias: non decet nisi eos qui imperant, cum ad subditos scribunt. Cùm ad principes scribimus, sit breuissima, quantum potest esse vt sit clarissima: & clarissima, quantum potest esse vt sit breuissima. Longis nullus est locus, nisi in defensione causæ suæ: aut narratione facti quod ad eum spectat ad quem scribitur: vel cum iocosa est omnino, & qualiscunque delectare potest: eúmque ad suos, qui procul absunt, scribitur: vel instituitur filius, vt Laurentij Medices ad Ioannem qui postmodum summus Pontifex creatus est. Vtrumque extremum, vbi suspicio cadere possit & prolixitatis & breuitatis, contemptum demonstrant. Disponatur series rei gestæ antequam Epistola scribatur, vt velut in pictura partes narrationis gestæ rei in omnibus & ordine, respondeant. Sic enim obscuritatem effugies, & repetitionem. Eligas argumentum nobile, non de quacunque re cuique scribendum: & verba splendida & culta: disponasque sic, vt in sensu ob verba nihil redundet, neque deficiat. Vbi periculum sit ne non intelligaris, non piegat addidisse verbum, vt ambiguitatem tollas: melius est orationis gratiam vitiare, quàm sensum. Omnino caueas, ne non perplexum amicum reddas: nisi timeas, ne non in manus inimicorum incidat. Vbi breue sit nimis argumentum rei, & tamen scribere cogaris, ne videaris breuitate amicum contemnere, non aliorum more addas verba illa communia vt chartam impleas: sed diuiso argumento in partes, illas exornando sine vitio mediocritatem imitaberis. In seriis, & maximè quæ ad illum pertinent, huius decoris ne sis sullicitus. In vniuersum habenda est ratio argumenti, rei, personæ, & quàm illi sis familiaris & amicus, loci, temporis, opportunitatísque. Similiter & fabularum inuentio, narratióque, quamuis leuissima res videatur, non quemque decet: sed de his in procemio diximus.

Cùm ergo præter fabulas decem sint modi scribendi, argumenta verò præstantiorum rerum ac notabiliorum generalia centumsexaginta duo, fient libri mille sexcenti atque viginti. Fac ergo vt nos cum antiquis ducen-

tos scripserimus, quot adhuc argumenta illibata manent? at quot historiæ sub vno argumento continentur? quot membra propria in singulis generalibus. Dicam autem exemplum, in Castigationibus Francisci Massarij in nonum Plinij librum, quas eruditus quisque libentissimè legat: at in quot libros tum Plinij tum aliorum veterum huiusmodi labores iustè desiderati possunt? Scholia similiter, de quibus non diximus, quibus obscura breuissimè declarantur, supplent quæ deficiunt, corrigunt errata librariorum, quis non libenter legat? qualia Gabrielis Humelbergi in Apitium. Quis ergo paraphrasim breuem in Galeni prolixitate refutet? quis in Hippocratis breuitatem commentaria? quis in vtrisque aut Castigationes, aut Scholia? quin potiùs vnum propter aliud legat, commentaria vt Hippocratem intelligat, Hippocratem propter commentaria: quia intelligere posse speret? nonne alterutrer gloriæ alterius fauebit? eo igitur consilio tot & tanta scripsi, & vt alij scribant adhortor, docuique scribendi modum qualis esse debeat.

Cæterùm, vt dixi, nostra non obfutura esse aliorum laboribus sed magis profutura: ita maximè quoddam genus hominum auersari debemus, qui nos Aristotele & Galeno iubent esse contentos: totámque machinam hanc, tótque arcana sapientiæ duorum hominum, qui nec se totos studiis disciplinarum tradiderunt, arbitrio committunt. Rem sanè intolerandam, & mortalium generi perniciosissimam. Finge primum, neutrum illorum errasse in principiis: quandoquidem hoc tamen necesse sit eo argumento quod alter alteri contradicat, quam parum longè ab ipsis principiis processerunt? perinde est igitur, ac si quis in Geometria iubeat nos consistere in trianguli æquilàteri constructione, omnia alia tum Problemata tum Theoremata negligat: quæ insania, quæ furiæ sunt hæ? Aristoteles tradidit Philosophiæ principia, & rectè: modò admittatur, in ipsis consistam; non curabo an alia sint, quot & quanta ex his deduci queant? Galenus scripsit Elementa Medicinæ: ego non plus procedam, omitto quod stultè acquiescam? Sapientiam Dei infinitam, duorum ambitiosorum virorum ineptiis definiam? Ineptias non appello ad meam aut tuam doctrinam comparata, sed ad Dei, sed ad naturæ arcana: homines velim admirari: tradiderunt illi aliquot fundamenta: sit ita, non vlla alia quæram? neque de his, si satis firma sint? demum ex omnibus qualem fructum possim colligere? Quid, quod turpius est, in eiusdem rei determinatione non pudet simul contrarias sequi sententias, easque pro principiis habere? tanquam idem possit esse & non esse, quòd duo clari viri diuersa sentiant. O plusquam improbam hominum vecordiam atque pertinaciam! Quid hoc est? Quoniam magis diligunt existimationem & pecuniolas, quam veritatem: magis timent superari, aut mutare sententiam, quam falsa credere & docere, & pessundare sapientiam & mortalium commoda. Videas quam parum doctrinæ hæ duæ, adeò cultæ, adeò splendidæ, cum tot præmiis professoribus additis, creuerint: ne dicam imminutas esse, vt illorum ætate ad hanc vsque, quum Geometria & Astronomia, longè commodis humanis minus aptæ, nullis præmiis aut fauoribus principum adiutæ, fermè ad culmen humani ingenij auctæ sint. Quæ horum causa? nisi pervicacia, pertinacia, impudentiáque professorum & expositorum qui cum duos homines, duos faciant Deos, & vera & falsa tuentur: & quæ ne somniarunt quidem, mordicus tenent illos dixisse: & in quibus errasse conuincũtur, ipsa potiùs negare experimenta, quam illorum fateri ignorantiam. Sic factum est, vt etiam in eisdem hæreamus, in quibus etiam illorum ætate homines hærebant: nec tot annorum cursum quicquam profuisse putemus ad detegenda naturæ arcana: sic vix retinemus impressionis & bellicarum machinarum & artis nauigandi vsum: atque id meritò, quòd in homines Philosophiæ ignaros inciderunt. Nam existimo, si cura etiam horum cuipiam Philosopho demandata esset, perdenda potiùs fuisse, quàm perdendum iniquum dogma. At ista ob euidentem vtilitatem, & maximam, ab idiotis seruata sunt: quanta verò perierunt ab his infidis Peripateticis? alia etiã Galenicis Medicis commissa, quod non adeò vtilia vsibus hominum viderentur, nec commissa idiotarum custodiæ. Adhuc disceptant, an necesse sit semen fœminæ ad generationem concurrere: ita sit, vt necesse sit semen fœminæ in generatione fœtus concurrere, & non sit necesse. O pulchrum dogma, & dignum talibus auctoribus, ac tanta sapientia! at, Nescimus, dicetis: neque ergo pudeat dicere, Nescimus: non ego Aristotelem & Galenum despicio, sed suspicio: nolim tamen in eorum inuentis, tanquam in Dei sapientia, in absoluta terum cognitione quiescere: nolim vos plus credere illorum auctoritati, quàm experimentis: nolim magis fidere eorum dictis, quàm his quæ demonstrationibus contraria eorum sententiæ conuincuntur. Dabo exemplum vnum fermè vtrique commune ex a. lib. nostro de Sanitate tuenda. Aristoteles oleum, succum, vinum, aquámque cognouit: Galenus, præter id etiam succi alterius speciem, quæ lacti similis videtur, tum muccosum. Multa nug intur, nullus illorum rationem explicat, qua io re inter se differant, ita vt primùm quid vnicuique ex his conueniat, & cur quæque inuicem esse possint aut non possint: velut oleum & vinum simul esse non possunt, vinum & aqua possunt: inde inuentis principiis, qualia hæc sint quæ proprietates rum in ipsis tum in comparatione ad nos exurgant: cur vinum vuarum seruari possit, mororum non possit: an verò hæc toto genere differant, an iuxta perfectionem & imperfectionem: velut vinum & omphacium, oleum & muccosus succus? Hæc atque huiusmodi scire, scire verè est. Quænam scientia est, dicere horæos fructus corrumpi, quod humida sint substantia aut febres generare? cur aqua, cum sit humidior, febrem non generat quadruplo sub pondere epota: succus pomorum facilè generat? cur cerasa celeriùs corrumpuntur ficubus, cum sint longè tamen duriora? Itaque operam dare oportet, vt alia principia multo

multo profundius recondita inueniamus, & inuenta ab his ad trutinam reuocemus: aliquot enim falsa sunt, plura malè intellecta ea omnia excolamus, vtrasque procedentes amplificemus disciplinas ipsas, atque augeamus, quemadmodum & Archimedes & Appollonius suam Geometriam: neque enim parmum est quod adiici potest, sed ad millecuplum & vltra procedere poterit: adeò exigua est portio qui inuenta fuit ab his quæ non artes ipsas iuuerunt, sed propriæ ambitioni consulentes, modum quærentibus & inuenientibus imposuêre. Nam & Philosophia ante Aristotelem magnum & assiduum suscipiebat incrementum, & Medicina ante Galenum: post hos homines cessarunt mortales vlterius quærere: nec tantum profuêre quæ illi addiderunt præter antiquos in his disciplinis, quantum nocuerunt plura bene inuenta corrumpendo, quòd suis illis principiis parum (vt puto) congruerent, & posteros ab inuentione deterrendo. Cum enim has artes ad normam quandam, quam methodum vocant, reuocassent: plerique mortalium, quos facilitas & breuitas magis mouent quam locuples & profunda scientia, his contenti, alios deterruêre ab vlteriori inquisitione atque inuentione: existimantes inuentionem primò dubiam: deinde etiamsi bene cederet, mortales eorum lectionem, si traderentur, ob laboris tædium & iudicium anceps aspernaturos: nos verò spectamus ipsos pulchritudine rei motos, ac vtilitatis spe euidenti propositâ, multo plura singulis disciplinis adiecturos, quamquam à nobis inuenta reperetint, Hoc enim habet veritas, vt detectâ tandem temporis auxilio emergat, falsis obrutis. Ob id conati sunt hi viri multa supprimere, ne in infinitum humana scientia augeretur: plus ambitioni propriæ consulentes, quam posterorum vtilitati. Causam huius erroris humanæ præbuêre disciplinæ, cum multi eo exemplo ducantur: nam in eis finis quidam videatur impositus, velut in Rhetorica. Sed res secus se habet. Etenim si Rhetoricam in infinitum conetis extendere, non solum non augebis, sed eorrumpes quæ iam bene inuenta sunt: & adeò difficilem reddes, vt nemo eam possit assequi & illius vsum etiam inutilem reddes: nam nemo tantam subtilitatem deprehendere poterit. Hoc autem continget: quoniam eius artis limites angusto spacio concluduntur. At in Philosophia & Medicina secus est: limites enim nullos penè habent, & spaciis terbilque infinitis patent. Quamobrē dolosi sunt atque improbissimi viri, qui breuia sectantur, simulántque ac persuadere conantur se paucis artem docere posse: necesse est plura didicisse, non pauca, qui plura scire vult: & plura scire necesse est rursus in arte, qui vult vt decet opitulari languentibus. Quot amissi sunt circa artem curandi, quæ nota erant tempore Hippocratis? hæc fuit præclara illa doctrina Galeni, quæ non solùm benè inuentis quicquam non addidit, sed multa ac maximè necessaria inuenta ab Hippocrate prætermisit, quemadmodum dissectionem in empyemate, exustionem in tabificis, vstionem in iecoris tumoribus, perforationem cranei in aqua cerebri, extractionem lapidis renum perfectionem, extractionem aquæ intercutis (quam licet exerceant hodie, non tamen ea est quæ Hippocratis tempore habebatur, cum omnes pereant, olim multi seruarentur) sectionem supra oculum in suffusione: multáque alia pulcherrima, & maximè necessaria. At nostri temporis viri ex eodem in idem se reuoluentes, gloriantur de prudentia & sapientia, qua miseros ægros qui se suæ fidei committunt, perimunt: atque adeò turpiter, vt vix è pluribus vnus aut alter, excarnificatus etiam euadat. Itaque parùm iam hæc gloriosa methodus ab illa antiqua, quam Galenus meritò insectatur, abest: adeò vt fermè præstiterit non esse, vt quæ imperfecta sit, & ansam his improbis præbeat fugiendorum laborum, spernendi sapientiam, contradicendi nouis vtilibus inuentis, atque (vt vno verbo explicem) artes & disciplinas destruendi. Et eum Galenum adeò & Aristotelem præferant, nihil est in illis non maximè ab illorum vita, studiis atque præceptis alienum. Falsi, imperiti, rudes, osores veritatis, ambitiosi, auari, iniusti, crudeles, perfidi: vt quoties occurro his viris (quotidie autem occurro) vel huiusmodi vitorum fucatam lego aliquot paginis doctrinam hinc inde furto subreptam ac consarcinatam, suppressô etiam nomine eorum à quibus subripuerint, libeat exclamare: O genus hominum pessimum, cur non te instius forsan terra absorbeat quàm Datham & Abiron? quoniam audes in publicum prodire, & tui meliores spernare ac irridere? conscij vobis ipsis vestræ imperitiæ & scelerum? Sed redeo vnde digressus sum. Spero equidem, cum tot aduersis etiam detectis nostra opera, tot rerum principiis arcanisque speciosis & humano generi vtilibus eiectis qui ad pulcherrima inuenta viam obsepiunt, atque aditum, venturos homines veri amantes, qui etiam naturalem scientiam amplificent, colant, ornent; in immensúmque augeant: cogántque vel rerum necessitate, vel edictis principum, magis pluribus, magisque arduis & artificiosis methodis humanis commodis consulere: & vt non fraudare illos debita laude, quod ad bonas artes nos adhortati sint, decet: ita nec omnia præter iustum tribuere, qui plus sibi quàm nobis consuluêre.

Quod si cui inanes hi labores videri possint, quòd scripta multis subiiciantur casibus: non tamen metuendum est vt libri pereant. Tria enim sunt quæ vecordiæ mortalium, perire sinentium bonas artes ac scripta, obstant: Rerum ipsarum inuentio, velut Medicinæ, quam necesse est constare scriptis, quòd ars sit necessaria: ideò culta, & longa, ob id vt sensim augeatur, postulat Religio, quæ cæremonias scriptis mandari vult, vt conseruentur: Et principum studia, qui famam, gesta, vitam historiis consecrari cupiunt: his tribus tanquam principiis, res literaria constat.

Reliquum est tandem vt doceamus, curam esse Deo horum mortalium, & cur & quomodo, quod ab initio polliciti sumus. Nam si Xenophon seruatus est à superstitio-

ſis diis, quantò magis & nos? Quod ſi regnum humanum ſibi relinqueretur, deficeret mortalium genus. Sed cùm ad extremum peruentum fuerit, diſſoluta tyrannide, vt etiam Moſes inſinuat in inundatione orbis, redigitur humanum genus ad pauciſſimos: hi recuperata libertate, edocti prioribus malis, iuſtè viuunt. At non decuit Deum violare regnum naturæ atque humanum, vim cauſis inferendo: quando tam facilè mutata opinione noſtra, poteſt nos eripere, ab hoſtibus vel inuitis, aut hæſitantibus obiicere. Poſtquam igitur hypomochium (vt dici ſolet) manu retinet, id eſt animum, ſi illum circumagendo parùm non vult nos eripere à malis, cur vis vt confuſis omnium rerum ordinibus eripiat? Memini me, quod aliàs etiam narraui, cùm in via eſſem, quæ ad Orientalem portam ducebat, nullo conſilio, nulla cauſa ad aliam partem tranſiſſe viæ, dicens mecum: Hoc volo agere, cur id agam neſcio. Cecidit interim à parte qua diſceſſeram antè, quantum lata erat via, tantum cementi, vt octo boues occidere potuiſſet, ab altiſſima feneſtra, quæ prope tectum erat. Itaque ſi Deus hoc paruo conſilio me ſeruare potuit, cur erat vt me ſineret procedere, & tanti ponderis poſtmodum ictum irritum faceret? Nihil vulgare agit Deus: ſed tam paruo negotio nos & in foueam & regna deducit, & caſura abducit. Principium enim omnium in uobis mens. Id ego non fortuna accidiſſe puto, quòd, cùm à pueritia fermè quotidie ad hunc diem vſque ſanitatem, ſapientiam, & vitæ diuturnitatem petierim à Deo: ſanitatem certò præter ſpem conſecutus ſum, de vitæ diuturnitate in magna ſpe ſum, de Sapientia alij iudicabunt. Regna igitur omnia, ſed non vt remur, diuino ſubiiciuntur, vt ſine metu cuncta quæ poſſunt, agant: ipſe verò Deus, quem velit, illis neſcientibus eripiat.

Finis librorum de Libris propriis.



DE SOCRATIS STVDIO.

SI vnquam vlla in causa contradici mihi atque accusari mortalésque vniuersos ne in me concitarem metuere debui, nun sanè metuendom esse intelligo. Vt qui hominem insontem, infelicem, miserum, iam penè duobus ab hinc annorum millibus extinctum, singulari virtute præditum, Philosophiæ auctorem, tot sapientum magistrum, omnium scriptorum iudicio celebratū, collaudatum à Deo, atque ab eodem vindicatum publica peste, ab infamibus viris accusatum, à iudicibus iratis ac peierantibus iniuste damnatum, iterum occidere tentauerim. Factum stultum contra vmbras luctari, crudele & inhumanum toties sæuire in miserum, impium denique pro tot meritis talem illi gratiā reddere. Quod si in irritum res cædat, cui bono hic labor cum maxima infamia coniunctus? Sin hæc legent multi, & approbabunt, quis nam iam locus bonis? quod genus vitæ, quæ virtus tuta esse poterit? cum Socratem tamquàm pessimum virum habituri sint mortales: Neronem verò vt optimum Principem collaudaturi? Hæc enim sunt artium immoderatæ quædam ostentationes ac delusiones, præstigiæque potius quàm orationes quibus fidem adhibere conueniat. Illod etiam admiratione dignum est omnino. Quod vnum hominem atque eum si non optimum saltem bonū tot sæculis iam mortuum persequi totis viribus studeam, in eum omnem dicendi vim, omnia tela intendam, quorsum ista? At nun tam absurda est hæc vt credunt plerique, aut inutilis accusatio? nam non tantùm Socrates in hoc iudicio concider, sed cum eo omnes fucati viri, omnes imperiti doctores, omnes vanæ sapientiæ professores, omnes simulatores cum hoc vno euertentur. Et qui quod optimum est omnibus bonis viris aut eruditis aduersantur. An non hoc egregium lucrū est mundum vniuersum à tot erroribus liberare bonos euehere, & sapientes, prauos, & imperimere? studiosos disciplinarum accendere, & alacres reddere? ipsas artes atque scientias in vsum reducere? splendorem vitæ mortalibus, famam, beatitudinem, atque diuinorum consuetudinem adiicere? Quamobrem valeat Socrates quem mortuum non occidimus, sed homines à falsa de illo opinione merito liberare cupimus. An propter Græculum vnum, ambitiosum atque mendacem decet, nos in perpetuis erroribus viuere? summam fœlicitatem huius non solum sed futuræ vitæ amittere? Homo fuit, errare potuit, hoc satis est. Homo fuit, fallere consueuit, hoc etiam satis est. Homo fuit, Græcus leuis, inconstans, ambitiosus, mendax, & hoc satis esse debet. Si meritò accuso, cur est quod reprehendar: si immeritò, nullam pœnam neque Talionis neque maiorem recuso. Non ego Socratem in iudicium voco, non famæ detraho, nam si probus fuit hæc irrita accusatio illius famam augebit, si improbus, non est illius vlla gloria, sed inanis gloria, nec queri quisquam debet alieno spoliari. Probatus fuit Dei iudicio, de hoc videbimus. Nemo ante me illum damnauit? imò nemo sapiens, nemo probus illum approbauit: Aristoteles eum irrisorem, & ambitiosum vocat. At is verè sapiens fuit, Atheneus grauiter damnat, Theophrastus, Plotinus, Ptolemæus cæterique verè sapientes illum non laudauêre, aut quicunque laudauêre sententias potius quam hominem laudarunt. Itaque iam omnia ex causa merito pendent, si bonus fuit. Socrates, si sancta Philosophiæ suæ præcepta. Ego damnari debeo, & criminis reus sum, si malus, si mortalium generi inutilis, nō video cur mihi mortales gratias atque etiam magnas habere non debeant. Sed iam causas necessitatis aperiam, inde accusationis capita. Dehortatur Socrates mortales ab omnium disciplinarum studio, auertitque nos ab optimo opere: ille idem suadet, vt morali disciplinæ incumbamus, hoc inane, nam voluntate potius quam scientia optimus quisque euadit. Necesse est igitur aut nos deserere disciplinas, aut Socratem, quod nam iustius sit omnium iudicio qui vel homines se esse norint relinquo. Capita autem accusationis hæc sunt: Socratem mortalium generi plurimum his documentis, atque exemplis obfuisse. Socratem callidè non simpliciter homines à studiis liberalium artium dehortatum fuisse. Socratis vitam non pro exemplo habendam, sed plenam inani gloria, vanis concertationibus, actionibus inutilibus. Socratē omnibus eruditis bellum internecinum indixisse. Socratis imitatores, & discipulos qui in Republica versati sunt, pessimos euasisse. Nec si omnino iustè damnandus est Socrates, ob id iustè accusatum dico, neque etiam iustè damnatum. Potuit enim alius esse animus postquam & demon seu Deus inquit illi, fauisse visus est. Vt verò iniustissimè dānatus fuerit, neq; tamen iustam ob causam, cum neque filios corrumperet alienos, dicēs sibi magis quam patribus auscultandum, neque quòd deos alios introduceret. Hoc enim etsi fecisset, iustè fecisset, cum tamen non fecerit, neque impium est, si quis medico pro salute magis quam patri, & exercitus duci pro bello gerēdo erectat. Quod etsi damnatio iusta fuisset, & iustas habuisset causas, non tamen ob id iustè ab illis accusa-

batur,quos constabat scelestos fuisse, & eum quanto melior extitisset tanto acrius fuisse insectaturos. Imò ob id illum accusarunt quòd optimum esse existimarent,sic ille commento suo periit.

Primum igitur id demonstrandum arbitror non esse mendacium vtile hominibus neque deorum. Cum enim tres sint Mundi: infimus animalium & stirpium,expertium doli atque mendacij: viuunt enim lege naturæ, & supremus beatarum substantiarum quæ in ipsa,veritate collucent,solus hic medius vanitatis ac falsitatis sedes est. A quo si mendaciũ auferre liceret magnam cum supremo mundo similitudinem haberet,nam & sapientia, & intelligentia, & ordo, & Deorum cultus, & amor immortalitatis,multáque alia ad similitudinem vtriusque mundi immortalis,scilicet corporei, atque incorporei in hoc splendent. Verum à mendacio, & falsitate coinquinatur,& fœdatur. Quid enim primum est iniustitia quàm mendacij ramus? Peierant iudices,& quod vni debetur alteri adiudicatur. Deceptiones omnes,insidiæ, ingratitudo, immerita, & præcepta præmia omnia partes sunt falsitatis atque mendacij. Ille cum sit imperitus,periti opinione occupat munera apud vulgus, quæ perito debentur. Ille profitetur mille coronatis cum nec centum promereatur: at e diuerso alius cum mille dignus sit, vix quingentos consequi potest. Vnde hæc?nonne omnia mendacij facta sunt. Medicus ille ex leuibus morbis magnos efficit, ex mediocribus omnes perire sinit,& lucratur, & à principibus in precio habetur. At ille alius cum plures curet, rectè prædicat eruditior longè sit, vix habet qui se fidei suæ credere velit. Vnde hoc?à mẽdacio. Pharmacopola,seplasiarius,qui omnes decipit prædiues fit:ille alius cum neminem decipere velit,esurit. Vnde hoc? mendacij fructus hic est, denique ne cogat per omnia pertransire, mendacium omnium malorum auctor est,& origo, & causa infelicitatis totius humanæ. Quid aulas, & eum ipsis Reges ac tyrannos perdit nisi mendaciũ? laudatur inutilis, deprimitur strenuus, insidiator pro fido, fidus pro insidiatore habetur; non hæc exemplis indigent cum fegere in vere hoc sit frequentius, adeóque vulgatum,vt etiam qui emerita virtute aliquid cõsequuntur cogantur tamen mendaciis quod consequuntur debere. Quid oratores impij decipientes populos,consiliarij reges? omnia in perditionem ac exitium ob minimũ emolumentum, & quanquam nullum sed ambitionis solius causa, Christus cum Cacodæmonem qualis esset descripsit, non auarum, impium,crudelem ambitiosum,inuidum, ingratumve appellauit, sed mendacij patrem:quasi quod hoc voo omnia flagitia continerentur. Cogita si mendacium omne abesset qualis esset vita mortalium, certè diuorum puritati simillima. At mendacio prorsus omnia euertuntur, boni,strenui, sapientes opprimuntur: mali, inertes, imperiti, atque imprudentes euehuntur,erroris causa est mendacium,veritas. Sapientiæ mendacio omnia cõfunduntur, conturbãtur,& infirma redduntur. Nihil tam inhumanum quam mendacium, cum tamen homini proprium sit. Reges feruntur esse veridici quod sine hac virtute regno indigni esse videantur. Dij si quid aliud veridici maximè sunt. Mendacium aut exitium quoddam est, aut ab exitiali quodam monstro proficiscitur. Quamobrem ciuitates quæ Rethoribus studuerunt,ab ipsis omnes in perniciem actæ sunt. Demosthenes Athenas perdidit, Aratus Acheos, Cicero Romanos. Si nil aliud vos hortatur aut suadere potest,hoc vnum considerate quid boni afferre possit mendacium atque deceptio?etiam qui ex deceptione viuunt,si ipsi mutuo se decipiant breui ars cum artificibus perit. Est autem mendacij duplex genus,quod verbo & quod gestu exprimitur. Nihil interest vtrouis fallas. Sed licet imperitos quémque gestu fallere: Cæteros nullo modo. Si igitur mendacium omnium malorum in humanis causa est omnis erroris, flagitij, sceleris,eos qui docent homines mentiri,quique fallere conantur,seu verbo,seu specie,seu moribus,nonne palam est pessimos esse?atque eo deteriores quanto plures vel doctrina, vel exemplo tales esse docuerint. Quid ergo si Socratem mendacium introduxisse, laudasse,docuisse verbo,exemplo,imitatione, ostendero, an non dicemus illum pessimum fuisse virum, ac de humano toto genere pessimè meritum. Vt qui latente veneno omnia illius bona perdiderit. Primum ergo quæro an sapiens esset annon? si non cur laudatus pro sapientissimo ab Apolline? cur cum omnibus sapientibus disputabat? cur omnes irridebat? Si sapiens fuit, cur hoc toties in ore iactabat, se hoc vnum scire quod nihil sciret. At ô præclaram sapientiam, quæ cum omnibus pueris cõmunis est. Sed quia dictum est à Socrate aureum dictum,aurea sententia est. Sed & omnes ironiæ vsum affirmant, at hæc mendacij pars est non obscura:in re dico, non in verbo. Quid si aliquis peritus Latinarum literarum, tanquàm omnino ignarus earum quempiam adeat, illúmque exploret,loqui iubeat, colligat errores eius, solecismos, barbarismos, incomptè,parum latinè,ruditer inconcinnéque prolata, an non hic pessimus explorator erit, & improbus sycophanta, dignúsque vt non verbis sed verberibus ac plagis mulctetur.

Quorsum hæ ironiæ?hæ dissimulationes, si bonus liberè loqueretur, si non liberè loqui voluit, malitiosus, & improbus fuit. Non-ne Christi præceptũ est:sit responsio vestra,sic & nõ. Hæc vera,hęc sancta Philosophia,quorsũ tot ambages?qualis disciplina exemplaris ad erudiendum populos?quem cum viderent, ob id sapientem existimari, quòd ambagibus, ironia irrisionéque vteretur,omnes cupiebant ea ratione videri esse sapientes. Sed quæ sapientia quam coriarij opificésque conscriptis libris mandabant literis? Simon Glauco Phedóque sordidis cum manibus. Si sapientia fuit quare prophanauit eam? ac quasi virginem populis conculcandam, & irridendam tradidit? si nulla erat sapientia, cur sapientis nomen disputando aucupabatur? Sed quales iudices?populus scilicet altercationum arbiter. Vnde Horatius sic illum repudiauit dicens.

Odi prophanum vulgus & arceo.

O Socratis calliditatem & haud ingenuam vitam ac mores tantóque viro dignos. Præcepta sapientiæ docere populos non solum licet,

licet,ſed etiam expedit, quandoquidem fine ipſis viuere autem ſaltem commodè viuerè, non poſſint, at ſapientiam docere tentare aut inſanientis eſt ſi ſpetat, aut improbi ſi nnn ſperat,ſed ſimulat,quod ſperare nõ auder. Verum hæc minora ſunt,illud non poteſt defendi,ſapientiam inter populos diſſeminatam ſeditionum,& tumultuum,tebellionum,deniq; exitij cauſam certam eſſe. Neque enim vnquam ſapienriam inter populos quiſquam diſſeminare tentauit,abſque peſſimis ſucceſſibus miſerorúmque pernicie. Quid ſi quis iuta ac leges illos docere velit,qnot contentiones ſuſcitabit? Idem de religione ac ſimilibus. Qui medicinam communicarunt populis morte digni ſunt,nec ſimplici,eorum enim factn periti Medici acceperunt iudicem populum, vt errare cum illis cogantur:aut ſi rectè agendo perdurare velint, atq; perſiſtere, eaſus infelices illis tribuantur.Horum igitur nmnium hic ſanctus vir cauſa erat. Adde quòd negabat diſciplinas diſci oportere, recitat hoc Xenophon in opere de Dictis ac factis Socratis, quaſi hoc præcepto magnam mereretur láudem. O hominem ſceleſtum, & prorſus vita indignum ſi hæc dixit! Sed omnes id fateri videntur.Vnde etiâm illud quòd in ore mulierum eſt, quæ ſupta nos,nihil ad nos. Sed altius paulò repetenda eſt res hæc.

Natura noſtra, vt dictum eſt, triplex eſt: coniuncta ſtirpibus atque animalibus ſenſu fruitur, & appetita nutritur, augetur. Membráque cum cæteris animantibus cuncta cõmunia habet:iecur,ventrem,renes,oculos,aures,pedes,pilos,vngues: atque hac parte ſimplex eſt, & fraudis expers, quandam tamen ſolertiam ad ſui ſalutem natura illis indulſit. Altera propria eſt homini, tatione vti atque reminiſci.Vnde etiam peculiaria quædam habet, temperamentum maximè permiſtum,& omnibus animalibus ſimile tum etiam ſtirpibus.Erectam vero cotporis ſtaturam ſolus habet, & manus,nam cætera animãtia quæ crebra ſunt,& quæ manum habere videntur,non habent,ſed quippiam ſimile.Gallus enim eol. lum non habet è regione cnirum, nec cercopytheeus,aut ſimia crecti diu ambulare poſſunt.Muſculi verò manus in his non ſunt,velut in homine. Neque pollex in ſimiis, & ſimilibus è regione aliorum poſitus eſt. Hac parte Homo animal eſt prudentiſſimum, & ad omnes artes aptiſſimum. Sed iuncta priuatione mendacio, ſcilicet ex artifice & ciuili ttanſit in latronem, & tyrannum. Nec habet quo ſe ab improbitate tueatur aur reſipiſcat, namque ab inferiore anima ad voluprates, iram, libidinem inconſtantiámque trahitur. Ratio oſtendit neceſſarias eſſe his omnibus opes, ideóque ſuadet: vt quovis modo illas ſibi comparet. At nihil aptius fraude,dolo,atque huiuſmodi,nõ ergo reſipiſcere hnmo poteſt beneficio propriæ naturæ,neque inferioris.Tertia pars eſt toto diuina,qua dioinis iũgitur mens,cuius naturalem appetitum volũtatem appellant. Atque eum ea lumen quoddam quo cuncta ſcire poteſt,ipſa verò ſcit,ac quaſi recipit ſapientiam. In ea ſunt ſcientiæ, Dei cognitio,cognitio principiorum,& æternorum.Hac ſyncerus eſt animus neque fallaciæ capax aut mediator,ſed totus purus,& in puro alienus ab omni mendacio. Et quo magis hæc pars ſuperior extiterit, rationem ad bene agendum dirigit. Nec credas huiuſmodi ſapientum vllum improbum fuiſſe. Dico illos qui ſapientia vera claruere Ariſtoxenũ, Eudoxum,Timocharim,Triſmegiſtum, Ptolemeum, Apollonium Pergeum, Archytam, Archimedem,Euclidem, Ariſtotelem,Theofraſtum,Hippocratem, Marinum,Plotinum, Eratoſthenem,Thebitum,Hippatium, Galenum, Oribaſium, Haſen,Thomam Scotum, Albertum Theonem, Alexandrinum Entocium. Illud tamen cogitando nil prohibere quin idem ſapiens ſit, & malus, ſed tum ſapiens non erit cum malus erit, aut non malus cum ſapiens euaſerit. Neque enim ego in iuuenta mihi ipſi ſimilis eram vitæ innocentia, vt nec ſapientia in ſenili ætate. Iam ergo ſapientia homines optimi per ſe euadunt, ſapientum vero exemplo cæteri. Quinque enim cauſis homines boni ſunt:natura,lege, inſtitutione, iudicio, & exemplo. Natura quidem mulieres, & pueros, & lege bonos habemus. Et ſi à viris non corrumperentur, fermè huiuſmodi omnes boni eſſent. Atque ita potior pars humani generis quod ad multitudinem attinet, ſed tamen niſi viri boni ſint,etiam ab his corrumpuntur, & eorum bonitas parum prodeſt, quoniam in eorum poteſtate nihil repoſitum eſt. Lex autem duplex,humana quæ vi,& diuina, quæ metu homines cogit eſſe bonos: At legem humanã multa prohibent bonos efficere homines. Primum quod non circa mores ſed actiones, neque omnes ſed principaliores verſetur. Deinde quòd leges plerunque malæ ſint, vt non ex malis bonos, ſed bonis malos potius efficere queant, tyrannicæ primùm, rudes, Barbaræ, omnes fermè ad malos homines efficiendos videntur ordinatæ. Mediolani lex lata fuit,vt ſi nnbilis plebeium occidiſſet pœna ſeptem librarum tertiolorum,id eſt,beſſe auri puniretur: In hoc genere ſunt, leges Salicæ, & Longobardorum, quibus cædes inſontium exigua pecunia redimuntur. Tum multa alia grauia flagitia.Sed & leges non poſſunt, niſi manifeſta crimina punire:at maxima pars eorum iudices ſubterfugit ac latet. Pauci ergo legibus humanis boni euadunt, verum ne lædere poſſint continentur. Atque id vbi non in gratioſos & potentes dirigantur. Hi enim eas contemnunt.Diuinæ autem metu non vt continent homines,ideò inefficaces ſiunt primùm vita multorum qui leges ipſas ſuadent, aliena ſatis ab inſtituto:deinde quòd admirãda profiteantur.Et quod in agendarum rerum feruore frigeant, habentque multos contradicentes:adeò vt res ad mulieres, pueros, & infirmiorem plebis partem relegetur, qui omnes, vt dixi, niſi ab improbis hominibus euerterentur,vitam ſatis honeſtam ducerent. Inſtitutio plurimùm poſſe videtur, dicente Ariſtotele:Multùm poteſt educatio, imò plurimùm, imò ferè totum. Sed quibus conſtat educatio atque inſtitutio?præceptis duntaxat? non,ſed præceptis,conſuetudine ac ſocietate: cum ergo Socrates ſola præcepta adhiberet, non potuit quenquam efficere bonum, quod etiam ſuo loco experientia comprobabitur. Minima pars ſunt præcepta inſtitutionis,verum

rum conſuetudo,& ſocietas longè plus ſingula ſeorſum poſſunt, quam præcepta. Reliquũ eſt igitur vt, ſtatuamus, homines iudicio, & exemplo bonos reddi. Si Rex bonus fiat ſtatim omnes ferme vel etiam ſine legibus, aut præmio vllo imitatione boni fiunt. Quamobrem ſæueritas legum parum prodeſt ad continendos populos in officio, & pietate. Quinimò ſi tyrannicam agant vitam principes, & magiſtratus, legibus autem aſperis vtantur, omnes fient latrones. Et miſeram vitam populi agent, in omnem occaſionem ad rebellionem propenſi. Vt enim peſſimum hoc eſt, ita optimum principem,& magiſtratus rectè viuere, leges autem mitiſſimas eſſe. Si Rex ipſe bonus ſit, vt Alexander Seuerus, bonos euehet,& magiſtratibus præponet, quorum exẽplo, admiratione, ſpe ſtatim omnes boni fient. Sed & ſi Principes, magiſtratus, potentes, ſapientes euadant boni fient,& cum his omnes alij eues. Optimum igitur modum bonæ inſtitutionis, partem præcipuam felicitatis humanæ diuinum quicquid in nobis erat vnicam ſpem bonos reddendi ciues Socrates ſuſtulit malitioſeque ſuſtulit

Suſtuliſſe quidem haud dubium eſt, nec quiſquã inficiatur, ſed id malitioſe feciſſe forſan dubitari poſſet. Id autem oſtẽdam ex multis: primum quod Socrates omnium diſciplinarum eſſet, prorſus ignarus. Quin etiam refert quòd in carcere eſſet, manſit autem triginta diebus, fabulaſque quaſdam Æſopi in carmen redigere tentaret, infeliciter & ineptè ſatis negotium ei ſucceſſit. Nec quiſquam eſt qui Socratem vllam artem calluiſſe dicat. Plato enim illi adeò addictus de rebus naturalibus dum diſſereret Timæum Pythagoricum introduxit docentem Mundi generationem, primordia atque conſtructionem. Ille idem ad Pythagoricos gratia diſcendi naturalia nauigauit, liberoſque quoſdam magno precio emit; nauigauit & in Heliopolim Ægypti vt à Chaldæis naturalia atque diuina condiſceret. Xenophon qui illum laudat maxime, nullam tamen ei diſciplinarum cognitionem tribuit. Nec diſcere voluit aut potuit, ſed ab aliis inuentam exeindere conatus eſt. Claruere enim viri ſapientes ante ſuam ætatem, & cum eo Thales Mileſius, Hippocrates Cous,& ei coëquales Medici clariſſimi tres vel quatuor: Anaxagoras, Empedocles, atque Democritus, Archytas Tarentinus, Eudoxus, Parmenides & Meliſſus,& Alcmeon. Sed Hippocrates,& Alcmeon omnium præſtantiſſimi, quorum nomina Ariſtoteles etiam veneratur. Non ergo Athenieſes odere Philoſophos ſed prauos Philoſophos. Etenim nullum horum damnauerunt, ſed Eudoxo etiam ſtatuam æneam cũ aurea lingua in porticu dedicarunt. Meminit etiam Ariſtoteles Calippi, itaque videtur Socrates dehortatus, à Philoſophiæ ſtudiis homines quod eum ipſe rudis eſſet, ſtudio talis potius, quam negligentia vel ingenij, defectu eſſe videri vellet. Vnde illi etiam à Metopoſcopo prædictum quod rudis eſſet. Si enim diſciplinas adeptus demonſtraſſet, illas poſſet videri ex animo feciſſe, at cum nec deguſtarit, quis dubitare poteſt, non inuidia id feciſſe, vt damnaret incognita. At ſapientiſſimus appellatus eſt ab oraculo? Ita eſt,& optime, neque inficior. Sed quo ſapientiæ genere, non dixit? conſtat enim neque in Geometria, neque Muſica, nec Aſtrologia, nec Philoſophia naturali nec diuina, nec alia quavis diſciplina. In qua ergo arte excelluit? dices morali: Hæc ſapientia, vt antea docui, non conſtat ſed voluntate: Benefacere bonis benemerentibus, tum etiam malis, qui aliis nõ ſunt moleſti: iuſtitiam pietatemque ſeruare, atque huiuſmodi, quæ ſapientia hæc eſt, vt Eudoxo vel Hippocrati, comparari debeat aut etiam præferri? vis, vt oſtendam? ſane nec puto inficiaberis, vir lapidarij,& obſtetricis filius, humillima ex plebe natus, pauperimus, nullam callens diſciplinã, ſine literis, qui Reipub. nec conſilio nec facto vllo egregio vtilis fuit, illis ſuis nugis, & ficta ſanctitate vitæ dum per compita,& fora vagatur mendico ſimilis, nudis pedibus, obſoleto pallico (amenti ſimilis) totam vrbẽ Athenarum nouo miraculo traxit in hanc opinionem, vt ſpretis qui vere philoſophabantur relictis ducibus, qui totis diebus laborabant, pro ſalute Reipublicæ, vnum Socratem laudarent vt ſapientem, admirarentur vt ſanctũ virum, colerent vt Reipub. vnice vtilem. Inde non ſolum Athenas his præſtigiis impleuit, ſed & totam Græciam: inde etiam permanauit hæc opinio in alias regiones,& totum orbem impleuit, nec ſolum ſua ætate ſed adhuc apud omnes viget, adeò vt inſanire quempiã putent qui neget Socratem fuiſſe optimum virum, aut ſapientiſſimum. Pluréſque (adeò corrupta ſunt, hominum iudicia) æquo animo audituri ſint maledicentem de Chriſto quam de Socrate, nam de Socrate nemo fert, de Chriſto Mahumetani, Iudæi, Philoſophi, pluréſq; è proceribus noſtris. An ergo mentitus eſt aut in quoquam aberrauit, Apollo cũ eum ſapientiſſimum, id eſt, vaferrimum appellauit? cuius pene ſolius certè maximè ex coëqualibus fama inclaruit, per tot ſecula, cum nihil haberet eorum propter quæ homines cæteri inclareſcere ſolent. Sed tamen eius fallacia vitáque fucata, & ſimulata ſapiẽtia ab Atheneo perſtringitur. Et Ariſtophanes non perperam admiratus ſtultitiam vulgi, quod hominem eum optimum eſſe duceret, atque ſapientiſſimum, ob id ſolum quòd diſputando circumueniret homines, & doceret cauſam deteriorem meliorem facere. Vnde illa immodica Demoſthenis, & Æſchinis eloquentia, altera fax altera falx exitialis patriæ. Sic enim in Nubibus:

Eſſe apud ipſos dicunt ambos ſermones:
Potentiorum quicunque eſt, & inferiorum
Horum altero ſcilicet inferiore,
Vincere docent cauſa cum iniuſtiſſima.
Si igitur docueris me iniuſtum hunc ſermonem,
Quæ nunc debeo, per te his debitoribus:
Non reddam, neque obelum vlli.

Verſatile ingenium Socratis, & penſi nil habentem præter inanem gloriam docet: Diſſimulationem quoque vitæ, & fictam innocentiam atque manſuetudinem:

Heu praui ſcio, ſuperbos,
Pallentes: nudos pedibus, dicis
Quorum infœlix Socrates & Charephon.

At naturalium rerum diuinarumque imperitiam non ſolum, ſed & contemptum,

perpul

perpulcbre notauit his vetbis :

Putabis Deum nullum præter quem nos;
Chaos hoc,& nebulas,& linguam,tria hæc.

Per chaos ignorantiam rerum naturalium insinuauit,quasi fortuito omnia facta ſint :

Et cum impio Diagota ſenſerit, qui Deorum ſuſtulit prouidentiam. Per nebulas autem nouam ſuperſtitionem ac mores & vt liceret, pro arbitrio pietatis ſpeciem præferre , linguam autem quod cauſas non ex merito , ſed ex facundia, & acumine diſſerendi ſuperiores faceret. Tum & rurſus illud:vt omnes damnarit artifices.

Non enim per Iouem ſciebas quod plurimos
hæ nutriunt ſophiſtas ,
Vates, Medicos, Philoſophos.

Suam imperitiam (indicans) dum vellet Socrates velare, male dixiſſe de omnibus diſciplinis , quod & ſi illi obiiciatur ab æmulo, confeſſione tamen etiam Platonis veriſſimum fuiſſe conſtat. Sed & illud : Cognitus eris aliquando Athenienſibus :

Qualia doces rudes
Heu inſania tua ciuitatiſque,
Quæ te nutrit !
Corrumpentem adoleſcentulos.
Hæc ex perſona iuſti viri : inde ſubiicit ex Socratis
Verbis nouis,ipſum
Et ſententiis ſagittabo. Et rurſus :
Conſidera enim O adoleſcentule immodeſta eſſe omnia
Quæ inſunt , voluptatibus tot futuris ſi priueris ?
Puerorum,mulierum, ludorum, obſoniorum, conuiniorum,cachinorum.
Quale hoc ipſum erit viuere, his ſi priuatus fueris ?

Docétque lege,non re eſſe mala, quæ modo non eſſe mala tuearis oratione,te ipſum liberabis ab infamia quando peccatum nullum ſit. Inde inducit creditorem pecuniam repetentem,quem ſic inſtructus Strepſiades eludit vel iure communi vel ex condicto tibi illa debetur : non communi quandoquidem non par eſt, pecuniam augeri, ſed eandem manere,vt mare,& montes, & cœlum, nihil enim auget ſeipſum : non ex condicto quia abiuro debitum,quòd tuto abiurare licet, quia videmus quod dij hæc periuria negligunt. Similiter inducit filium verberantem patrem:dicẽs ego cum puer eſſem verberabar à te ô pater, & liber eram vt tu,igitur par eſt,te à me verberari. Et ſi ego puer eram tu cum ſis ſenex bis puer es & dignior vt fleas. Præterea galli iuuenes verberant parentes, igitur verberare parentes eſt,ex naturæ lege,quid hoc tandem eſt, non reuocandas res ad facundiam vel argutias , omnia enim bona atque commercia hominum ac leges euertentur. Nam quod corrumperet adoleſcentes falſo obiectum puto : Et puto Ariſtophanem fuiſſe peſſimum virum,& vt ille de Æſchylo dicebat :

Strepitum plenum, inſtabilem , multiloquum, prærupeum.

Sed tamen nec id inficiari poteſt quiſquam,quod hæ diſputationes de moribus rectè viuendi normam non corrumpant : poſtquàm quæ lata ſunt,lege diuina humanáque, tum naturali,conſtant ratione , & à Philoſophis ſunt comprobata,in dubium reuocantur. Sic ibi inducit oſtendentem Socratem cogreſſum maſculi cum maſculo defendentem,quod galli cum maſculi ſint,à gallis,& armenta ſubiguntur. Quaſi dicat quid tam turpe eſſe poreſt,aut nefarium quod ſi ad has diſputatiunculas redigatur honeſtum,& iuſtum videri nõ poſſit ? liquet igitur dolo ſe egiſſe Socratem dum auerterit homines à ſtudiis bonarum artium.Cuius rei etiam eſt,aliud argumentum, ſcilicet quòd omnes peritos artium irrideret, negarétque ſcire ſe quicquam, vt eum haberetur ſapiens opinionem omnem ſcientiæ in aliis extingueret. Deinde quod male diceret de Anaxagora qui ob ſapientiæ naturalis exiſtimationem quam habebant , ciues de illo, paulo ante damnatus fuiſſet:vt vir non ſolum inuidus ſed etiam improbus videri poſſit. Senecam præterea qui maximè Socratem æmulatus ſit,de moribus aſſidue diſputando, & vitæ ficta innocentia,quanquam diuitias maxime concupierit, conſtat haud dubie maligne inſectatum literarum ſtudia. Cum idem videatur fuiſſe viuendi inſtitutum , diſciplina, robur , & ſenectus valida , ac mors violenta publicaque:Quamobrem nil peius excogitari poſſe reor diſſimulata hac viuendi ratione, quod etiam ex priuata vita diſcere licet.

Primùm quidem ocioſam elegiſſe illum non obſcurum eſt,non ſtudiis,non arti , non militiæ addictus: quanquam vi coactus feratur aliquando pugnaſſe cum Alcibiade. Vnde tot nugæ de victoria,cum victi fuerint. Atheneus contendit nec affuiſſe in ea pugna ambos, ſed omnia ficta. Omittam modo ſuſpitiones de puerorum, & præcipuè Alcibiadis amoribus,tum quia tunc videbantur licita , aut ſaltem admiſſa,tum quia hoc eſſet hominem nõ inſtitutum inſectari. Homines enim magis procliues ad alia atque alia naſcuntur , hoc damno non quod quis facit,ſed quod etſi non facit faciendum putat aut ſuadet , aut vt faciat ſtudet,cum haud iuſtum ſit,aut decorum. Sic neque quod filios malè inſtituerit , ipſi vero flagitioſiſſimi ac nequiſſimi fuerint. Communis enim calamitas,vt dixi, virorum clariſſimorum non peccatum parentum:Vnde etiam Ariſtophanes in nebulis.

Hippocratis filiis ſimilis eris , vt te vocent ſanum.

Conſtat ex Atheneo illum fuiſſe infelicem, ſed,& quod morte præuentus, duo enim tum erant paruuli maior nam adoleſcentulus, non potuit erudire neque inſtituere. Sed nec quod duas ſimul duxerit vxores. Laudi enim magis quam vituperationi hoc tribui debet quod Reipub. conſuluerit, & magiſtratibus ac legibus paruerit. Sed illud primũ obiicio quod nihil ageret : cum Paulus texeret ſportulas quamvis tantus, apud omnes concionator, nec victus minus quam Socrati ſuppeditaret, vt qui ex his quæ dono accipiebat partes vrbium aleret. Rogo quo exemplo docuit iuuẽtutem nihil agere , cum iuuenibus nihil ſit vtilius. Hæc enim mutuo ſe conſequuntur, frugi eſſe ac bonum & exerceri laboribus,laboribuſq; exerceri iuuẽem,& probum eſſe ac frugi , quod etſi non ſtatim appareat tamen ſemper euenit. Deinde quo iure aſpernatus eſt præmia,ab his quos docebat, & ab amicis dona,

dona, vt poſtmodum grauis eſſet aliis,& virturem deturparetut? Siquidem non accepit præmia, quod nihil doceret rectè fecit, ſed tamen docere ſe fatebatur. Si non accepit à diuitibus,& volentibus peſſime egit,nam primum fœdabat, & vilem docentis artem reddebat: & alios qui præmia acciperent iniuſte grauabat. Vnde Ariſtippocum obiiceretur quod præmium, à diſcipulis acciperet, Socrates non accepiſſet,reſpondit: ſibi non eſſe niſi proprios redditus, Socrati opes optimatũ Athenienſium fuiſſe pœnu. Quis & de hoc dubitare poteſt Socratem inuidiam in omnes qui tum docerent,non excitaſſe?Rurſus vnde illi patientia tanta vxoris, cum peſſimo eſſet eaemplo, & vt fœmineum genus licenter viueret:contra leges & mores cuiuſvis bene inſtitutæ Reipublicæ. Quid verò illud, adeſſe omnibus conuiuiis,vt ſuam illam ſapientiam oſtentaret? Videbimus modeſtiſſimos quoſque tum maaime ſenes abeis abſtinere;quæ enim non fugit ſapiens probat. Vnde etiam ſermones hi de puerorum amoribus tam frequentes?O caſti ſunt dices, certe poterant hæc vel quovis alio indice,, quam Platone ac Xenophonte longe purius,& meliore eaemplo proferri. Hoc enim eſt, ac ſi quis ignem ſulphuri appropinquet. Si qua nupta amantem deoſculetur,inde dicat ſyncero amore id feciſſe,nõ ob adulterium. Poſſunt dici ſed non credi, homines ad huiuſmodi conniuent, ſed non perſuadent? Nuditas verò illa pedum quid aliud eſt,quam oſtentatio mera patientiæ imò ſtultitiæ?& ambitioſa inſania:cui bono? at vt iuuenes ad patientiam, & tolerantiam,ac militiam eaerceret?nihil minus cum iam ipſe militiæ ætatem exceſſiſſet,& parum,vt dixi, militaſſet. Filium non erudiſſe vlla in arte,& tamen nee illi cenſum quem relinqueret paraſſe,quorſum hoc? Quis non videt ambitionis cuiuſdam immenſæ opera fuiſſe? Vt qui illum non agnoſcerent, ea tam abſurdis actionibus,habitu,vitæ genere ſermonéque admirârentur quod & obtinuit, potius leuitate ciuium, quàm calliditate propria,neque enim tanta eſſe potuit, vt alibi quam Athenis tam celebre nomen conſequi poſſet. Dien non ſolum Romæ hec in Italia ſed neque apud Lacedemonios,aut Thebanos, aut alios Græcos præter ſolos Athenienſes. Sed dices Oraculum diait, Socratem non ſolum eſſe ſapientem, ſed etiam optimum virum,non ergo (ſtudioſe ſaltem) homines decepit. Reſpondeo tametſi Xenophon hoc adiiciat, reliqui tamen omnes dicunt,ſolum pronunciaſſe, ipſum eſſe ſapientiſſimum. Sic enim referunt locutum Oraculum.

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Sed fac vt adiecerit etiam optimum, illud idem dico quod de ſapientia,ea enim agebat, & faciebat quæ optimus quiſque faceret, licet non eo animo, at ex fine vnum quodque appellari debet. Apollini tamen vt ſuo more, & congruentia,& ancipitis ſenſus verba proferret, atque ſententiam,bonum (ſi modo id dixit) ſeu optimum appellare placuit. Verum rurſus dixeris, Demonem habebat familiaré, qui fieri poteſt, vt non etiam ſapientiſſimus fuerit? Falleris, ſeu enim Demõ ille quidam ſit affectus excellens,velut gloriæ:amoris ſeu patientiæ,ſeu ſit aſtrorum conſtitutio huiuſmodi:ſeu cauſa quædam incorporea generalis ſeu propria,& adumbrata quæ nos doceat:ſeu fati ſeries proprij tanquam ex toto auulſa, non niſi in vno genere aut paucis quibuſdam nos admonet,atque dirigit in aliis,vt ad finem inſtitutum deducat,nos tranſuerſos agit, velut equũ per cœnum,& abrupta. Nonne Anytum fruſtra prouocauit, opificum defenſorem, & Melitũ Poëtarum? Nam de Lycone forſan nõ eſt accuſandus,cum rhetores, & oratores Rempublicam perderent. At Poëtæ,& ſi quid grauius committant non tum perſequi eos debuit. Multa enim toleranda ſunt in domo, quanto magis in Repub. vt maiores errores corrigere poſſit. Sed agebatur Dæmone, vt ille dicebat, ad mala potius quam vtilia impellente. Si modo Demonem habere non res vulgaris eſt, multum addebat,ad authoritatem eorum quæ dicebat, atque docebat. Vt duplici emolumento eſſet, illi hæc de eo opinio apud vulgus, triplici autem ſi verè habuit. Sed vt vt res fuerit, Demõ fuit nõ Deus ille. Deus enim bonorum, & tranquillitatis cauſa eſt,at vita Socratis plena fuit turbationibus, calamitatibus & planè miſera. Quid etiam attinuit ad illum tantum ſequi formoſos pueros,ac laudare formam, vt de Xenophonte maaimè dicitur. Careant iſta quantumvis crimine,non carent reprehenſione,& ſi reprehenſione, non tamen ſuſpitione. Sed fac vt ſuſpitione etiam caruerit, exemplum laudari nullo modo poteſt. Et ſi vitam illius quis inſpiciat, videtur certè Demonẽ ſapere, namque qui cum illo verſantur rudes ſunt, & mali, nam ſapientia quidem Demonis ſunt, peccata hominis. Et parum ab Epicuro differre, qui & ipſe ſuſtulit Deorum prouidentiam edoctus à Diagora, & in voluptate poſuit felicitatem, Eudoxi opinionem ſecutus. Vt demirer Ciceronẽ hæc tribuiſſe Epicuro, qui non fuit niſi purus recitator. Neque enim de hac inuentione etiam ſi aliquid eſſet gloriari poterat:cum partem dogmatis à Diagora ſcilicet impietatem, partem ab Eudoao ſcilicet belluinam vitam,& inſtitutionem,ſumpſerit. Sed & cum Ariſtippus inter præcipuos Socratis auditores parum ab Epicuro differat, palàm eſt Socratis vitam ab Epicuri opinione,atque inſtituto parum abfuiſſe. Quæ enim de Diis adiicit Plato nõ ex Socratis diſciplina ſed potius Pythagoreorum, & Chaldeorum commentus eſt,nec, vt diai, hæc Socrati tribuit. Ergo diſcipulos Socratis quales illius doctrina fuit,fuiſſe nil mirum eſt. Ariſtippus primum diſſolutus omnique voluptatis ac flagitij genere affluẽs. Non illud obiiciam quòd coram Dionyſio ſaltarit,quòd pluribus puellis ſimul operam dederit:hoc enim humanum etſi paulo intemperantius, illud prudentiæ, poſtquàm ſeruietis tyrannis,quibus nihil eſt mediũ, ſed vel placere vel perire eligere quod optimum eſſet. Vnde vides etiam quantum in iudicio falluntur homines vbi nullum crimen,flagitium,probrum eſt, omnia hæc fingant,vbi eſt non animaduertunt,ſed quod vir Philoſophus pecuniæ ſolius ſtudio ſuſtinuerit,tanto ſui dedecore,tanta tyranni laude,& fauore ad Dionyſium accedere. Neque enim ob aliud Philoſophorum aptarunt familiaritatem

tatem quam vt vitam suam honestarent, scelera velarent, flagitia obtegerent. Indicio est epistola propria illius scilicet Dionysij ad Platonem, & Phalaridis ad Orsilochum in qua hæc habet: Si propterea quòd Pythagoras plus sæpenumero à me accersitus huc venire noluerit, quemadmodum eum qui meam fugeret consuetudinem laudasti, mihi calumniam attulit. Quod nunc ad me venerit, & quintum iam mensem vna mecum in voluptatibus sit, mihi profectò laudi est. Apud me ne breui quidem momento permansisset nisi mores nostri cum eo côuenissent. Sic Pisistratus Soloem domum reuocare conatus est: cui contra ille, Athenas redire mihi vtile non esse cognosco, ne quis me iustè reprehendat, qui Atheniensibus dudum Rempub. administrandam tradideram, præsensque oblatam mihi tyrannidem sponte declinaueram, modo rediens factum tuum subita pœnitentia probare videat. Sic Periander Sapientibus: Sicut igitur anno præterito Sardis in Lydiam venistis, ita nûc oro ne pigeat ad me vos proficisci Corinthi tyrannum. Videbunt enim vos non sine gratulatione Corinthij Periandri domum adeuntes. At côtraria ratione Pittacus cum Crœsum regem non improbaret, ne iudicio suo illum damnare videretur respondit: Auro ipsi non indigemus contenti modico vitæ stipendio quantum est mihi satis, & amicis. Veniam tamen vt tibi perhumano, & hospitali viro familiaris efficiar. Sed & Zeno Citticus, ab Antigono vocatus quâuis non iuerit misit tamen Persæum atque Philonidam ne contempsisse regem, aut non probasse, eius mores videretur. Vt enim adire regem, aut tyrannum est illius probare vitã, actis subscibere, ita non adire vel est ingentis fastus indicium, imò potis stultitiæ cuiusdam, aut non probare illius acta, liquet ergo Aristippum Dionysij facta pro aduentu suo probasse. Et quomodo potuit vir ille Philosophus spectare manus illas tot cædibus nefandas? Hæc igitur Socratica sanctitas. Venio ad Platonem qui & si non saltauerit, in eodem tamen crimine est, nam & ipse ad Dionysium pecuniarum spe venit. Et eo deterior fuit Aristippo quanto diuinior habebatur? quasi non solum à Philosophis coleretur ac vita eius probaretur, sed etiam à Diis ipsis. Addidit & scelus sceleri cû Dionẽ hortatus est, ad expellendû Dionysium illi sanguine côiunctum, & nil tale meritum ab eo, Si inimicus? cur adis, cur pecunias accipis? si amicus cur illi insidias paras: Vellem inuenire oratorem, qui ista defenderet. Omitto vitam quã duxit infamem perpetuò pueris vsus adeò, vt nec mulieris interulam viderit vnquam. Subsequitur tertius Xenophon vlt blandus, & ornatus eloquio, verum omnium bonarum artium expers, perpetuus miles, rapax, & qui ex militia cum nullo in prælio victor fuerit tamen grande peculium corrasit. Patriæ etiam pene proditor. Vnde in exilium actus est. Cum enim Lacedemonij acerbissimas inimicitias cû Atheniensibus gererent, Lacedemoniis adhæsit, illos laudauit, Atheniensibus posthabitis aut postp ositis. De puerorum autem amore nefando quid dicam? vnde illa vox: vellem ad omnia alia cæcus esse modo Cliniam videre. O dignam sententiam Philosopho! Sed video quid sis dicturus. Antisthenes Socratis auditor fuit, & tamen optimus vir. Certè id verum est, fuit enim probus admodum, fœminas amauit, ad tyrannos non accessit, pecuniam, & opes spreuit. At ô egregie qui docet an eruditus habendus quòd vnus euadat eruditus discipulus, cæteri omnes imperiti? aut sub quo vnus, aut duo imperiti, cæteri omnes eruditi? Quis ignorat quosdam esse adeò constantis, & puræ vitæ, vt etiam inter greges Cibeles versari non tamen coinquinentur? talis fuit Antisthenes, is enim militauit sed pro patria. Et prius fuit doctor quàm Socratis discipulus, nec ab illo quicquam accepit præter tolerantiam & tranquillitatem. Vt vir omnino innocens fuerit. Nec cum illo commorabatur, sed Athenis Socrates, ipse verò in Pireo quod quadtaginta stadiis ab Athenis distabat, Socratem audiebat, ob probitatẽ etiam Orphicis mysteriis est initiatus. Platonẽ etiã tulit malè de eo dicentem. Et cum ille coram esset, fastum & inanem illius ambitionem modestè taxauit. Ille solus ex omnibus discipulis vltores quæsiuit, & populum Atheniensem in necis Socratis auctores incitauit. Ille solus inter Socraticos, à Theopompo laudatur. Ille Crati fuit continentiæ, & Zenoni tolerantiæ, & Diogeni trãquillitatis auctor. Ille idem consuluit ducendas vxores filiorum suscipiendorum causa. Et certe non solum ipse sed qui eum secuti sunt, præcipuè quos nuper nominauimus optimi viri extitere: adeò vt Zenoni statuam posuerint Athenienses, & apud illum claues vrbis reponerent. Cum tamen esset Antigono regi valdè amicus, vt pateat Athenienses non Philosophiæ, sed prauis Philosophis fuisse infestos, nam nec Zenonem nec Antisthenem, nec Cratem vexarunt: Sed Socrati aduersati sunt, quòd verè Rempub. dum simularet erigere, euerteret. Et Aristoteli ob Antipatri familiaritatem, licet impietatis prætextu illum accusauerunt ne cum Antipatro inimicitias augerent.

Sed iam id quod propositum est, videamus, scilicet an Socrates vrbem Atheniensium euerterit discipulis, ac disciplina: & primo de Æschine loquamur, is enim illius fuit auditor. Quam turbulentus fuerit, in Republica omnibus qui eius vitam legerunt, seu apud Plutarchum seu alios quanquam noxias dum illam is, & Demosth. velut Boreas, & Auster exagitant, & in legationibus prodiderint nô est, qui ignotet. Vt tãdem in exilium metu se proripiens, aut etiam damnatus finem sceleratæ vitæ imposuerit. Quid dicas de Alcibiade qui toties pro patria contra patriam pugnauit dux exul, nemini, fidus, nulla in re constans: non continentior in exilio quam domi fuerat. Vxorẽ regis Lacedemoniorum qui cû hospitio susceperat, beneficij loco adulterauit ex qua etiam filium suscepisse creditur, certè obiectum est ei quod Alcibiadis esset filius? atque ob id crimen Lacedemoniis odiosus. Seditiosus domi, foris perfidus, & rapax, in exilio hospitum proditor, nam Athenienses monebat de his quæ Lacedemonij agerẽt. Vit vt vno verbo dicam nec prudens, nec bonus, nec Reipub. vtilis. Euclides Megarensis, non is qui Geometrica scripsit, in vrbe sua intexit

contentionis rabiem. Verum hæc forsan toleranda, at quæ post successere in exemplum transierunt: velut illud.

Inter Socraticos notissima fama cinædos.

Putant simpliciter dictum quod magna arte proponitur: nam sub Socratico habitu, & moribus pessima latent flagitia. Et nunc (Dij boni) quonam ptorepsit malum, siue quis furem seu fœnetatorem aut siccarium, aut deceptorem, aut virum iniustissimom, quali habitu incedit, qualem simulat grauitatem, & innocentiam? Hinc simolata religio, ficta pietas, prolixa barba, incompti crines, reprehẽsio minorũ vitiorum & eorũ quæ sperant latere posse, insontes vt sontes arguunt. Hunc quòd parum pius, illum qoòd amator puetorum, alium quod hæresim sapiat, cum ipsi sint ἄθεοι, crudeles, scelesti, iniosti, fœneratores, rapaces, adulteri pædicones, & incestuarij, furesque publici. Hoc igitur vitæ genus à quo maximè defluxit? Nempe à Socrate, scripsimus nos verecundè satis de hoc in [illegible]. nec volumus publicari ob hoc: ille verò fallendi artem publice docuit. Credo potius ob Deorum inuidiã Socratem missom quam ob hominum salutem, namque cum Dij amant populos, reges mittunt bonos non priuatos homines, & ex plebe infima qui seditionem excitent. Sic Romanis post longas clades, Traianum, & Alexandrum: Seuerum Danidem & Salomonem: Hebræis Agatoclem Lacedemoniis concessit, aliosque alibi qui collapsas Respublicas reficerent. Numa vir sanctus habitus est, is Romam instaurauit seculo rudi. At dices, auctor tamen Philosophiæ extitit. Nequaquàm, quin inuentores ipsos damnabat. Verum adeò felici sydere atque ingenio natus est, vt aliorum labores ad se traheret. Non tamen Aristoteles, aut Theophrastus quicquam Socrati in naturalibus tribuunt, in mortalibus verò etiam damnant Anaxagoram, Empedoclem, Parmenidem, atque Melissum, passim citatos inuenies, tum Alemeonem atque Platonem, Socratem nullibi. Laudant aliqui sobrietatem, alij pertinaciam cum referant tota die in vno habitu stetisse immobilem. At non animaduertunt illum dum hæc referunt, vehementer vituperari. Quorsum enim hæc primum ostentatio? deinde quæ gloria de corporis naturali munere? An si quis non possit hoc facere, ideò malus habendus est? aut si potest, & oon vult contemni atque irrideri, aliis mouere inuidiam, stultus erit? Quinimo laudabimus eum qui cum multa huiusmodi possit ab his abstinet, nec signum vanitatis prodit. Puerorum enim nec satis magnorum, apud nos sunt hæc experimenta. Deosque, vt alibi diximus, moralis Philosophia maxima ex parte noxia est, disceotibus eam, alios eoim tutiores ad fallendum reddit. Vnde qui illum sectati sunt, vixere miseri ac oppressi, sibi inutiles, aliis non vtiles. Velut Diogenes, Menippus, Menedemus, Cleanthes, Telephus, aliique plures, qui pro morionibus sua ætate habiti sunt. Quid dicam de Phauorino illo Philosopho sanctissimo qui apud Gellium leges duodecim tabularum irridebat, tam nulla ratione, quàm euidenti? At verò plus officiet vir vnus optimi sub opinione atque exemplo malo, quam millies mille ex professo improbi. Quapropter Socratis vita atque institutum perniciosa fuere mortalibus, vt aliud quicquam quod pessimi fuerit exempli. Vixit enim sibi vni prorsus, non Reipublicæ, non suis neque etiam filiis. Hi enim qui laboribus suis artes augent, Reipublicæ & posteris sibique viuunt laudabili labore, qui verò opes congregant, filiis aut suis: at hic omnia ad sui ipsius commodum instituit, vt gloriam sine labore, vt eruditus absque studiis, vt potens absque periculo, vt laute viueret sine tædio parandarum custodiendarumque opum. Contempsisse omoes, & soos etiam & filios, & omnia, quis noo videt? quem pessimum virum fuisse constat. At ounc si videas duos homines alterum artificem, alterum cauillationibus artem irridentem, quis tam excors est, aut veritatis hostis qoi priorem non frugi hominem dicat, alium autem nebulonem? Huiusmodi aotem disciplina hodie etiam omnes præclari viri opprimuntur: vt non vno mortis genere dignus fuerit, tanti sceleris auctor. At cur illi tantum seu genius seu dij fauerint non hic est locus differendi. Et est certè magna, & ardua quæstio, quasi Dij rebus humanis inuideant, aut illæ nulla prouideotia regantur.

ORATIO

ORATIO AD ILLVSTRISSIMVM

I. ALCIATVM CARDINALEM,

SIVE TRICIPITIS GERYONIS, aut Cerberi Canis.



VAM multa sunt quæ homines partim ob imperitiam, partim à calumniatoribus persuasi, cum antiquissima sint, noua esse putant: quale illud primum longis temporum interuallis vix vnum haberi Medicum: Rursus illlos quos vocant Medicos, longè plures occidere quàm seruare: Præstare sine Medicis esse quàm cum illis: Medicorum genus pestiferum esse: Medicinam tamen veram artem: omnesque posse ægros sanare, qui vitio naturæ solùm laborent: Tum verò medicinam vnam è tribus quas Deus humano generi ostendit, & non docuit: ob id etiam effecisse quosdam viros qui eam possiderent, sed quasi inuisos ab eodem vel malè acceptos, vel prohibitos docere, vel etiam temerariæ doctrinæ pœnas luisse. Carnes qooque, vinum, oua, nullis in morbis non acutis modo, sed dum morbo ipso laborant haud conuenire. Demum etiam sectionem venæ quam feriоè omnibus adhibent putrida febricitantibus nulli vtilem esse, aut adeò rarò vt è centum vnum vix inuenias, cui prosit. Ob id tricipitis Geryonis aut Hecates seu Cerberi canis, quoniam tria habet capita, nomen oratio hæc sorrita est. Et primùm quidem illud aggrediat, quod etiam primo proposui; scilicet longis temporum interuallis vix vnum haberi Medicum. Debetem in hoc sola experientia esse contentus, quandoquidem neque vllum inuenio qui victis opem adhibere recuset, non victos à morbo restituat; quæ duo sunt

Pag. 4. Medici periti munera, libro de Arte. Quinimo & morituris manum admouent, & sanandus nesciunt certè an sanari possint, neque semper sanant. Indicio est huic quòd dixi nunc (nam de primo ipsi qui verecundiores sunt fatentur, qui impudentiores quotidie in mendacio deprehenduntur) quod non norint morbum, aut propriam morbi sedem, aut quantitatem, aut tempus quæ omnia noscere

Pag. 6. oportet si curare debent, vt ille idem affirmat. Et quomodo morbum norunt eum superuocatus Medicus alium esse putat: & in genere etiam de loco ipso diffideant. Velut in tertiana quam notissimam esse constat, dicant materiam in musculis sparsam putrescere ita ait Galenus, alius dicet in venis potius esse, effundi autem in musculos rigoris tempore, quomodo ergo hoc notum fuit vel saltem in genere? Oportuit autem non solum in genere, sed speciatim quod curandum est in ægris ipsis, non aliter quàm in genere, curandum est notum fore: Velut cum tertianæ curam docemus: sufficiet enim frigida calidis, humida siccis opposuisse: lenisse aluum, proritasse vrinas, sudores, potiones refrigeratorias exhibuisse, concoxisse materiam, concoctam adduxisse, abstinuisse à cibo die accessionis, à curis, à laboribus, vino, iniunxisse, frictiones, confirmasse ventriculum: at in hoc laborante eadem omnia ad metam illius, vires, temperaturam, ætatem, speciem morbi, vtpotè si notha sit, aut synceta, magnitudinem, locum, tempus illius, tempus anni traduxisse, quin etiam ad ea quæ habere potest: multis auxilia multa desunt, vel quia preciosa, vel quia homo est procul ab vrbe. Ergo eum Medicus, teste Hippocrate, omnia hæc scire debeat qui sanari possint, aut quorum morbi magnitudo saltem retundi, atque his manum admonere, & qui non atque ab illis abstinete, vt etiam Galenus docet, nec vllus hac ætare id præstet, luce clarius manifestum est, & vt conuicti fateamini necesse est, hac ætate nullum legitimum esse Medicum, sed solo nomine. Verùm iam audite quid dicat ille, quem vos adeò suspicere simulatis, me quòd damnem falsò insimuletis: Non minus autem hunc admirabuntur homines, quàm Hippocratem si operibus magnum se in arte præstabit, melius quàm reliqui faciant, luxata emendans, & quæ luxationi parata sunt, in validiorem statum permutans, vulnera & fracturas & vlcera & quæ alij curare non poterant ipse facile sanans, nec minus quæ ægro euentura sunt ante euentum præfatus, & quæ iam euenerint adsuntvè ita euenisse vel adesse sine percũctatione, aut relatione coràm astantibus explicet. His enim officiis Hippocrates omnium posteriorum iudicio Æsculapij gloriam adeptus est. Sed iam ad testimonia transeamus, constat enim ante Hippocratem nullum fuisse Medicum nomine dignum, qui interiorum morborum curam tractaret.

Secundo in 1. de Morbis vulg. Com. 2. & lib. de Inæq. cap. 7.

De Arte pagina 1.

De subsig. Empir. cap. 13.

Nam Æsculaphus ipse egregius chirurgus fui:, velut & filij Troiano tempore Podalirius & Machaon.

Iliad. 13. *Ques duo ducebat fratres, Phœbique nepotes*
Pater Coronida præstantes arte medendi
Belligeriq; ambo Podalirius atq; Machaon.
Iliados 8. *Et post qualẽ operã præstaret Machaõ docet.*
Vade ait hoc propere siste Machaona cursu
Phœb genagenitũ medico qui vulgus Atrida
Eduxit. *Inspectum fratris curet.* Et paulò pòst.
Ipse Deo similis mox & de vulnere selum
Inde manu quanto telum descenderit ictu
In latus explorat:pressoq; è vulnere demum.
Applicat. *Sanguine sedãdo, medicamina blãda dolori.*

Non est vt Ouidij vel Papinij, aur aliorum Poëtarum confirmem id quod omnibus est notissimum. Sed & de Podalirio referunt, seruatum in Caria à Pastore Syrnio, inde curasse Syrnam filiam Regis Damæthi lapsam è tecto, misso ex vtroque brachio sanguine, cuius postmodum matrimonium promeruerit à patre, cum Cherooensi parte in qua duas vrbes, vnam nomine Pastoris, alteram filiæ Regis seu vxoris, Syrnium & Syrnam condidit. *Lec. Antiq. lib. 14. cap. 13.* Meminit Cœlius Rhodiginus. At verò post illos nullus memoratur fuisse insignis in cu- *Art. cur. capite 1.* randis internis morbis, cumque tempore Hippocratis tres essent sectæ Medicorum, paulo ante quatuor, Choij, Gnidij, Itali & Rhodij, ante illum, damnet autem omnes Hippocrates, constat vnum tantum ea ætate fuisse bonum medicum. Quòd etiam coniectura assequi licet. Nam Antaxerxes tantus Rex in vnum illum incubuit: & Pœones reges & Athenæ ad quas filium transmisit, non ergo præter vnum Medicum tulit tota ætas Hippocratem, qui floruit annis ecexv. à condita vrbe. Ab hoc rursus constat neminem fuisse Medicum, si Galeno credimus: nam Asclepiadem, Archigenem, Erasistratum, reliquosque qui inter Hippocratem & ipsum floruerunt damnat, reiectis etiam prima fronte omnibus, qui vel Methodici vel Empiriei fuere, A Galeno rursus ad Oribasium, si illum tali nomine dignum censeri velimus, nullus fuit alius Medicus. Ab hoc qui Iuliani temporibus vixit ad Aëtium ac Paulum non multum fluxit temporis, sed is Empiricus fuit, quanquam nec is Medici nomine dignus admittatur, tamen si placet eorum exemplo, qui taciturnitatis argumento doctrinæ opinionem assequuntur. Ita proponatur multo post inter Arabes Hasen; iam habes expletum numerum, Medicorum sex, totidem millium annorum spatio atque amplius, nam si me addidero constabit æqualitas vt singulis mille annis vnus Medicus etiam prorsus absolutus habeatur. Ridebis quòd me adnumerem illis: res digna propè risu, & præcipuè prima fronte. Etenim non prorsus falsum dixisse me conuincam, sed dimidia parte verum, reliqua anceps & dubium, quòd enim vnus sit tãtum Medicus singulis ætatibus si modo sit hoc verissimum quisque existimare potest, & nos iam id ostẽdimus, ostensuriq; sumus luce clarius: at quod ego ille sim, aut me esse existimem meritò tã vos videre potestis quàm ego credere, neque enim vllus est qui non se talem existimauerit Themison etiam si sit, aut Thessalus, aut alius quispiam adhuc imperitior ac deterior. Cur ergo de me mihi id persuadere non licebit? Sed iam ad rationem transeamus: proponit Galenus lib. de Constituit. Artis Medicæ, septem conditiones necessarias ad hoc, vt bonus Medicus esse debeat: & cum necessariæ sint, vt bonus Medicus habeatur, non tamen confestim reciprocatur, vt qui has habuerit bonus sit Medicus, nam iudicium exigi & experientiam & multa alia palàm est, quorum ibi non meminit, quilibet ergo secum reputet, an illa habeat omnia quæ sint necessaria? Vnde primum contemptus omnium, & solius veritatis ardentissimus amor. Vel etiam vbi mathematicus exquisitus, dialecticus optimus, vtque audiuerit optimos sui temporis Professores? Quis est qui omnes qui sanari possint sanet, & in quibus morbus solum minui potest illum retundit, in reliquis docet artem nihil posse, & ab illis curandis abstinetur, nullus se exhibet, nemo obuiam venit: nullus inquam est Medicus perfectus, nec talis qualem vult Hippocrates, non ergo nouum est hoc, nullus est bonus Medicus, atque idipsum iam coguntur fateri omnes, reliquum rides orationis cum adiecissem (præter me) tanquam nouum: sed non est: priuilegium est medicorum omnium, laudare semetipsos. Hippocrates ipse testatur veram inuenisse medicinam: Medicum qui non omnia præstat indignum esse eo nomine, solamque in illo opinionem non artem esse: oportere vt vagetur inter gentes: quæ omnia cum ipse se fecisse præstitisseque testetur palàm est se omnibus anteposuisse. Quid de Galeno dicam? qui omnes alios medicos asinos & lapides, & lapides molares, & stultos appellat. At Menecrates se Iouem, & eo habitu vtebatur, duodecimque ægros ab eo sanatos secum deducebat habitu duodecim nobiliorum Deorum, Apollinis, Mercurij, Mineruæ, Æsculapij, ac reliquorum. Quid de Asclepiade, Thessalo, Erasistrato, Themisone, Archigene, num aliquis horum voluit quempiam sua ætate vocari Medicum præter se? non Andromachus, non Antonius *Princeps in principio sui operis.* Musa, nõ Scribonius Largus. Quin etiã Arabs ille, dũ inquit de suo libro loquẽs. Quòd verò super ipsum addatur incomprehensibile est. Si igitur hi viri tũ alij plures hoc de seipsis existimarunt, insinuarunt, cur mihi turpe sit hoc apertè dixisse? nisi quòd sim magis ingenuus. Et quanquã ratione, & experimentis illis omnibus me præferre possem, vt qui Mathematicas lõgè magis calluerim, Dialecticã illam insignẽ, & à nullo alio mortaliũ prorsus cognitã ediderim, & diutius artis operib. insudauerim, scilicet supra quadraginta annos, morbo semel dũtaxat impeditus, cũq; diligentissimus hac in parte fuerim, vt quem nulla negocia distraxerint: & veritatis amore supra mortales omnes flagrauerim, contemnẽs opes, amicos, præsentemq; gloriã: in prædicendo etiã tum iudicio, tum exercitatione, tum variis artibus instructus, adeò veridicus fuerim, vt Dæmonem multi me habere dicerent: in curando autem felicissimus, vt qui fermè mortuos non tantum deploratos suscitauerim, Asclepiadi fortuna par, magnitudine librorum Galeno superior: cur non mihi liceat cum tot præclaris viris insanire. Verùm id non dico dixivè, sed lusi tecum, &, vt comprimerem petulan-

tiam

tiam illorum, hæc adieci, docens ignaros & ignauos, indignos esse Medici nomine: si qui sint paulo cæteris præstantiores. eos adeò esse ambitiosos, vt amentes meritò dici possint. Hoc parit licentia illa horum nebulonum, nullis aliis, nec scio cur concessa. Iurisconsulti legibus ipsis tenentur, & Cæsar ipse, quas condiderunt: Theologi ac Pontifices ipsi qui diuina tractant & supra leges sunt, legibus tamen viuunt: Milites militúmque duces quorum institutum est sine legibus viuere, & legibus ipsis aduersari, tamen & ipsi legibus coercentur, hoc solom genus hominum nescio, qua ratione omni lege solutum viuit. Sed ad rem redeamus, ostendamusque, non solum quenquam non inueniri Medicum verum, sed vix Medici nomine dignum. Omitto modo quod nullus eorum septem illas conditiones habeat quas necesse sit habere Medicum, qui saltem præstans haberi velit: quis est ex tanto numero qui norit tempora morbi, & circa illa obseruet quæ obseruãda sint: cum tamen nemo sine his quenquam curare possit: qui non curat obest, qui non iuuat nocet: qui nocet neque Medicus est, neque Medici nomine dignus haberi potest, cum etiam multi plures pereant in manibus horum quam si prorsus non curarentur, non natura fermè indita nobis sunt quies, lenitio alui, cum clysteribus lauacra, abstinentia à cibo, vt contenti sint sola simplici sorbitione: caueantque à vini potu, vtpote quod iucundum sit. Hæc ergo, quæ se sponte offerunt, si obseruauerint homines, dubio procul multo plures sanabuntur quam cum Medicis, non igitur Medici isti sunt, sed lanistæ. Quam sententiam confirmat mos tot nationum quæ à Medicis perpetuò abstinuerunt, atque inter reliquas Romani ac Turcæ, hi quidem perpetuò, illi annis à condita vrbe propè sexcentis. Forsan quis eò refugiat quòd multi in manibus clarorum Medicorum & eruditorum pereant, vt contra alij, iique plures in imperitorum manibus seruentur: adeò vt artem nullam Medicinæ esse credant, sed potius causam hanc mortis ac vitæ ad fatum ipsum referunt: alij vt magis videantur esse pij, vitam hominum in manu Dei esse aiunt. Esse rem hanc magnam & solùm in Dei arbitrio positam, non ita reliquas actiones. Hæc partim visa sunt ab Hippocrate, partim talia sunt, vt ne in mentem quidem illius aut alterius sapientis venire potuerint. Et sanè si quis pro medio illo singulari artem ipsam medicinæ subiiciat, iam explicatam superiorum responsionem apud ipsum Hippocratem habebit, vt iam non me sed illum disputantem de hac re auditurus sis. Dico in manibus periti Medici neminem esse periturum, quanto minus artis, nisi primum æger, vel aliqui ex assistentibus, aut casus obstiterit, quod enim ægris venenum pro medicamento miscetur, aut inuidia, aut ab inimicis, aut expectatione hæreditatis? hos nec Æsculapius quidem seruasset. Obseruant autem potissimè hæc tempora improbi, cum vomitus, dolores, animi defectiones & ventris proluuies, alioquin insueta sanis, communia sunt tam ægrotantibus, quàm his qui venenum sumpserunt. Propterea nihil est quod magis me angat hac cura, cum ministros Pharmacopolas, & ipsorum Pharmacopolarũ seruos, cauere nimis arduum sit. Iam verò quibus virtus ipsa deficiens, dissolutaúe compages elementorum morbus est, his nullam artem suffragari posse certum est: quemadmodũ nec decrepita ætate vitis, & in aspera seruitute degentibus, qualis est triremium, & vt militiæ serui ac barbarorum. Et quamvis vnum esse videatur genus, tot tamen sunt languentium genera, quot membra in homine vitæ necessaria: alius cerebrum habet corruptum, alius eius membranas siccatas atque distentas, alius vlcus aut scirrhos habet in pulmone vel iecore, alius ventriculum attenuatum ac putridum, alius prægrandem in renibus lapidem, aut multo maiorem in vesica: Quidam cor habent oppressum intemperie aut humore virulento, & talibus quidem quis opitulabitur, iam diuturnitate morbi euicta natura? In quibusdam ipsa natura aberrauit, vt falsa compositione longius vita trahi non possit. Sunt quorum morbi non dignoscuntur antequam insanabiles euaserint, sed hæc est ignauia illorum, aut error Medicorum non artis peccatũ. Aliis violentia externa obstitit: vel si multa simul iungũtur in vnum, præcipuè quæ inuicem repugnent. His tot modis contingit falsò criminari Medicos: cum non tempestiuè aduocantur. At verò quòd in manibus Themisonum ac Thessalorum plurimi seruẽtur, nunc audi vnde fiat. Nunquam sanè, malè mederi ægro, vtile erit: aliquot tamen seruari etiam in manibus imperitorum non solum verisimile est, sed etiam necessarium, sed audi quales & quomodo: in morbis enim qui circuitu nullo aguntur nec redeunt sponte: in his fieri non potest, vt quisquam sanus fiat à malo medico: velut in vlceribus prauis, in tumoribus duris atque intemperiebus confirmatis, alij sunt morbi qui naturæ violenter infliguntur, ipsa autem natura se ad solita trahente homines sponte sanãtur, etiam absque medicina: velut in parum distortis, frigore afflictis, vel quibus ob assiduum laborem, aut fructuum esum, membra vitio laborant, in his enim, relicta consuetudine praua, restituuntur quæ ægra facta fuerant, membra, & absque ope Medici. Contingit tamen vel scientia rei quæ offendit sanari ægrum, vel etiam casu solo: sunt quidam alij morbi, qui sponte quidem sanantur, sed tamen leuem opem & vulgarem curam quandam exigunt: velut vulnera recentia & soppurata, in quibus modo saniem sicces, in corporibus bene habitis, sanitas redit. Sed quoniam siccare illa non sine dolore licet, si exactè id facere velis, propterea Medicus aduocatur, putantque artis esse magnæ quòd ab artifice quadam simulata diligentia præstatur. Demùm sunt morbi ipsi qui circuitibus suis finem accipiunt, vt febres omnes putridæ tum etiam diarriæ & inflammationes ad suppurationem vsque. Hos igitur ipsos seruat natura, tum etiam quotcunque ex his in quibus ipsa non solum morbum superat, sed etiam Medici errores, at hi plurimi sunt. Finge ergo aliquem ægrotare continua febre, Medicum esse, quales plerique sunt, imperitum, stultum, indiligẽtem, qui venam frustra secat, purget ab initio, frigidam quoque det tum carnes atq; oua,

ac etiam vinum & alia intempestinè exhibeat: septima die natura, ætate adiutus, & maxime æstate inedia, licèt multis exhausta vis debilitate modis oppressa erratis, insurgit velut vir robustus & acer. Sed aliquot tamen cum vulneribus inter imbelles Ægyptios aut pueros protruditque materiam multis sudoribus, sanitati hic restituetur, dicétque nequam ille medicus seruasse quem Deus seruauit ipse, quantum in se fuit peremit: atque huiusmodi casus tam multi singulis annis accidunt, vt velamen aliquod imperitis medicis afferant: cum tamen neminem ipsi seruent, cumque medicorum, vt in cæteris etiam artibus, alter altero sit imperitior, stultior, ac pertinacior, quos etiam falsa appellatione solemus infœlices vocare, non sibi sed illis miseris quibus manus admouent, palàm est etiam plures effugere mortem in manibus vnius eorum quàm alterius, non vt ille melior sit, sed quòd cæteri sint deteriores, & qui Deum nil curãt nec sperant aliquid nobis mortuis superesse præter cineres. In omnibus tamen his, si quis diligenter obseruet; tria hæc euenire necesse est: primùm, vt manifesto se periculo mortis exponat qui ab eis curatur, siue enim morbus sit magnus, seu è pestilentium genere, seu in visceribus lateat, vel minima inflammatio, seu, vt dixi, laborans sit confectus ætate longa, aut antea conflictatus diuturno morbo: aut perpetuum habeat quendam sensum doloris, velut qui vesica laborant aut vigilia vel si exhaustos laboribus aut nimia venere aut largo sanguinis profluuio, omnino non euadet: sed vt omnino nil horum adsit in periculum, aliud incidit ne in morbum aliquem insanabilem deducatur, hi autem propemodum sunt infiniti, sed sufficiat quosdam notissimos, & qui frequentius superueniant ea mala cura commemurasse, talem morbum regium, cachexiam, dolores renum, flatum ventriculi imbecillitatem, melancholiam, alui astrictionem, veneris impotentiam, vigilias, tum dolores pedum & læsionem visus aut auditus aut memoriæ debilitatem, à quibus nunquã tota vita se explicent. Sed fac, vt si fieri potest, hæc omnia effugerint, nunqoam demum effugient quin corpus ita parauerint, vt si vel sponte vel vi vel casu aliquo morbus alius intra biennium maximè superueniat, vt effugere possint, tuncque queruntur de sorte, aut ægrum ipsum frustra calamniantur, tanquam qui voluerit nimium voluptatibus indulgere, præteritis mandatis medicorum cum mortis causa in promptu sit, præsentis morbi atque præteriti mala curatio. At dices omnes ergo medicos improbos & imperitos, & humano generi perniciosos appellasti? ane quid dicas? Primùm quidem hoc nimis acerbum est, deinde etiam periculosum, & quibúsnam tot & tanta illa scripsisti, si nemo dignus est qui ea legat? Demùm si aliquid perfectum est in natura, necesse est multa esse in eodem genere bona, cum vnum altero magis illi perfecto appropinquet. Si ergo, gratia exempli, Hippocrates medicus ille perfectus est (nam video te de hoc solo sentire licet alios admisceas) nónne plures quos etiam Galenus ipse recẽset illi similes, bonos medicos esse fateberis. Cuiusmodi Philistiõ, Pausanias, Diocles, Polybus, Praxagoras, Philotinus, Eutiphon, multique alij: Insanum enim hoc & inhumanum videtur, negare quenquam esse bonum medicum, quia non sint nisi rarissimi perfecti, idq; & nos fatemur: illud tamen vt neminem bonum esse fateamur nũquam admissuri sumus, quod & in gemmis & in lignis & in artificiis cæterisque apertè videamus, multa videri bona, pauca præclara fateor esse, sed neminem ex illis quos vulgus suspicit, aut qui tota vrbe discurrunt, qui se iactãt, plures habere ægros, qui ex arte ditati sunt, omnes enim hos prauos fuisse necesse est, quòd ars ipsa difficilis sit, ipsi verò cum plures suscipiant curandos, necesse est & vt sine ratione, sed vsu quodam illos curent, & vt in pluribus aberrent, vnum ex scriptis probo. Iachinum, si moda vita & exercitatio scriptis respondet. Sic & in Gallia, Germania, Hispaniis ac tota Italia boni medici erunt, non tamen medici nomine digni. Et vt vno verbo complectar, plures boni esse possunt, nulli esse volunt, nec forsan ego ipse. Nam cuiuscunque qui perit sub cõditione & ignoratione eorum quæ inter summam eruditionem, & hanc in qua nunc versantur cognitionem, nónne necis rei sunt? Quid ergo illis prodest quod Cæsaris aut Põtificis aut Regis medici sint, cum ob ambitionem & contentionem homo perit qui seruari posset legibus obnoxij? Quid prodest eruditio & ornata oratio cum in alteru nullus sit, in reliquo quòd ignoratis ægri pereant, & vos periclitamini? Iam verò quis fuit ætate nostra insignis medicus, qui principem suum constanti valetudine frui docuerit, aut demum non occiderit? Causantur eorum contumaciam: sed quid illos detinet apud eos qui parere nolunt præceptis artis, præsertim tantu cũ periculo infamiæ atque dedecoris? Auaritia inexplebilis & ambitio improba. Possemus credere culpa propria principes periisse, si non tam frequens esset hoc exemplum, vt si in aliorum cura feliciores essetis quàm dominorum. Omnia alia norunt nostræ ætatis medici præter id quòd cõduceret, eloquentiam, Græcas literas, Architecturam, plantas, alius aulicus perfectus est: sed nil melius quàm dolos maledicentium & aliorum contemptum. At dicent, nonnulli pauperes sumus, victum quærere cogimur? concedo vobis vt exerceatis artis artem eãdem, sed ita vt semper studiis animum intendatis: curetis ne quicquam vtilium ad illam lateat, quotidie proficiatis in melius, mementote vos esse homines, vos esse Philosophos, vos esse Christianos, quantum debeatis arti, quantum fidei vestræ, quantum humanitati. Relinquatis voluptates inanes, studium ambitionis, iniquæ opum virulentarum, facundiæ superfluæ: sint vobis studia Philosophiæ charissima medicinæ debita Mathematicarum pro delitiis ad capescendam veritatem. Neque enim me latebat per hos quos bonos merito appellare possumus (nam & qoidam nunc etiam viuunt non indigni eo nomine) medicinam adhuc licet iaceat nõ omnino explodendam esse. Sed redeamus ad propositum, dicitis fatum, dicitis Deum esse causam pereuntium? cur ergo in areis fabrum bonum quæritis, in domo Architectum, aduocatum vt causam vincatis? at nónne sufficiebat

fatum

fatum aut Deus? at ſi relicta ratione his nugis operam dederis, neque vnqoam cauſa eritis ſuperiores: neque ædificium vllum pulchrum erit: neque arca bellè fabricata. Ocioſorum ſunt hæc deliramenta, nimis Dei patientia abutentium: curat ille vitas humanas, curat & reliqua. Sed nónne ab æterno ita ſingula potuit diſponere, vt quæ conſequerentur proportione reſponderent ſuis cauſis? Cur hæc in Chirurgis non ſomniatis: an Deus ipſe Medicus eſt Phyſicus, non vulnerarius? Quid oportuit condere Medicinam ſi ipſe eam tantum exercere voluit? & qua ratione ergo vos pecunias exigitis, inambulalatis diſtenti ſi nulla eſt Medicina quam profitemini, & Deus ipſe ægros ſanat? ſi Deus ſolus nulla ope veſtra omnes ſanat? O inſania & amentia pluſquàm aſinina? ob hæc ergo Medicos dixi plerumque malos, ideò etiam fermè omnes peſtiferos eſſe humano generi fateri oportet; nos tamen decuit illa tot ſcribere, vt ſi reſipiſcant vſui illis eſſe poſſint, idem fecit Galenus, eodémque modo conqueſtus eſt dicens: Itaque & vos præterea me quanquam à principio recuſantem, orando tamen impuliſtis vt omne hoc opus tractandum ſuſciperem, quòd, Deos precor, aliis quoque hominibus, alicui ſit vſui. Certè minimam ſpem habeo propter eum qui nunc regnat, bonarum artium contemptum, diuitiarum verò, exiſtimationis & ciuilis potentiæ admirationem. Ad quæ quiſquis ſe connertit is nulla in re veritatem inuenire poterit. Verum hæc provt Deo placebit ita fienenter. Cum ergo hoc totum in voluntate conſiſtat, quod ſcit aliquando an terici aliqua Dei manifeſta vindicta, vel conſenſu aliquot bonorum, aut lege quæ prohibeat quenquam accipere præminm niſi pro ſanatis ægris. vel Imperio optimi alicuius Principis, aut alio caſu ſeu neceſſitate, vel quia omnia commutentur, diſcant etiam Medici velle eſſe meliores. Interim decet nos non eſſe ignauos, & ſubminiſtrare non ſolum ſtimulos ad tam præclaram Prouinciam, ſed etiam ſegetem ſtudiorum & exercitationum. Et quanquam vnus ego ſim ac minimus & ſenex & imbellis, contra autem tot potentes & vulgus tumultuoſom, & Imperiti Principes, eum tamen ad diuina reſpicio, ad illas ſubſtantias æternas, ad incorporeum illum mondum atque refulgentem, ad ſpatium immenſum circumcirca nos ambiens, ſeu aërem ſeu Æthera, minorem ſanè omnem humanum conatum eſſe video, illorum comparatione quàm mecum cum aduerſariis: præſertim quòd aduerſari- ipſi, quanquam numero longè plures ſint, imperiti tamen ſunt, & congreſſum hoc ipſo vel nomine refugient ne imperiti habeantur. Eam ergo tradere artem, quæ omnium ſit diuiniſſima, atque adiuuare, cum aliis multis præſertim Hippocrate, in quo naturæ, & in quo antiquorum inuenta relucent, operæ pretium eſſe duxeram.

Art. Med. cap. 1.

Porrò quod tres diſciplinas Deus ipſe mortalibus deguſtandas ſolùm, non habendas aut poſſidendas reliquerit, quódque ex his vna ſit Medicina, nunc dicere tempeſtiuum eſt. Dico autem has eſſe Aſtrologiam, Iuriſprudentiam ac Medicinam; nam cum tria ſint quæ hominem beatum efficere poſſint, ſeu ad hoc vt beatus ſit, ſint neceſſaria diuturna & incolumis vita, hoc obſcurum non eſt præſtare Medicinam: per ſe viuere commodè hoc præſtat Aſtrologia: neque enim ſi futuris perſpiceremus calamitas vlla nos poſſet opprimere, non paupertas, ex vſu enim temporum, ex nauigationibus, ex aëris ſalubritate omnia incommoda licet effugere; omitto modo inſidias, furta, filios malos. Vnde antiquo tempore expoſuiſſe Laium fingunt filium ab oraculo monitum & de Agathocle fermè eadem feruntur. Viuere etiam cum aliis rectè: nam homo cum animal ſit gregale per ſe ſufficere ſibi non poteſt: hoc præſtant leges. Hæc omnia igitur voluit Deus deguſtaſſe mortales, nō tamen illis frui. Et de Aſtrologia qoidem cum videant magnitudinem illorum corporum & actiones Solis & Lunæ adeò manifeſtas, dubium non eſt, quin mortalibus corporibus præſit: ſed quanto certior eſt ipſa ars, tanto minus nota nobis, & qui eam profitentur cæteris etiam ad rem minus idonei prudentéſque habentur. Ita Medicinam ſcimus eſſe veram, & illius manifeſta eduntur experimenta, ſed, vt dixi, vix vnus aut alter Medicus, pluribus habentibus ſeculis, inuenitur. Referúntque fabulæ, occiſum ab Ioue Æſculapium, quod Hyppolitum à morte ſuſcitauerit: quem equi contumaces & pauidi è curru ob diras preces patris excuſſerant; ſed quàm pulchra inuentio, Auus nepotem ex filio occidit indicta cauſa? Eundem Deum effecit? ille mortuum ſuſcitauit? ſed veriſimile eſt caſu fulmine percuſſum, argumentum fabulæ prætuliſſe. Quid dicam de legibus? Minos crudeles, Carthaginenſes ſceleſtas, Lacedæmonij ſæuas, Athenenſes improbas, Romani tyrannicas, Thebani duras, Perſæ atroces, tota Græcia fœdas; in hoc enim ſolo cōuenere. Plures impias, alij ſordidas, ſtultas, laſciuiæ plenas: ita optima re peſſime quique abuſi ſunt. Haud decuit ergo homines eſſe felices qui Diis (dicebat Democritus) ſint infenſi: quapropter nullo iſtorum beneficiorum frui nos voluit. Ob id ergo neque Medicos bonos eſſe, & ſi eſſent internoſci, inter tot monſtra ſcelerum expedire non putat: vt neque leges quas & ſi Iuſtinianus in vnum coëgit. Vide tamen quam ei viro fidem habituri ſumus, qui in earum initio bellicos ſudores præferat cum nunquam in caſtris fuerit. Et vix retentus à muliere ne imperio renunciauerit ob ciuilis ſeditionis timorem. Quid de Iuſtitia dicam? Sergium iniuſtiſſimum & nequiſſimum hominem tam pertinaciter in Africa præfectum Prouinciæ, Quamuis admonitus de illius atrocibus ſceleribus inexplicabilique auaritia retinuit, vt penè eam amiſerit, & tota deſolata habitatoribus ſit, nec niſi ab aliis per proditionem etiam recuperata: ob id ſolùm quod Sergius Salomonis ex fratre Bacco nepos eſſet, Salomon autem ei gratus, ſed fac vt bonæ eſſent:? Sont enim ſanè plura bona quàm mala, ita tamen ſunt expoſita vt nulla anſa maior iniquis iudicibus concedi potuerit, vna quoque eo trahente ſenſum legis quo improbus animus deflectit; nunc adeò excreuit numerus interpre-

tum vt par sit nullas leges esse, & tot interpretes, vt nec vita nostra si deeuplo longior esset legi possent. Itaque vides nos in quibusvis optimis ac necessariis delusos esse. Quid, queror de Deo? absit: sed improbitas nostra in causa est. Inopes malis Iurisconsultis premũtur, potentes imperitis Medicis pœnas dant quasi exæquata lance. Vtrique futurorum ignorantia plectuntur: nec sinit diuina vulgo profanari, ergo non casu hæe contingere vidẽtur. Sed dices quid proderunt ergo libri si præstat ad puniendos prauos nesciri quod docere polliceris? eqoidem nemini Deus quicquam aufert, neque enim inuidus est, velut ealumniantur Simonides: neque eausa malorum, sed omnibus vt iustus dispensator ex æquo omnia diuidit. Velut etiam Sol omnibus radiorum suorum beneficium impertitur: nostrum autẽ est illi potiri aut repudiare, non mutata illius benignitate aot voluntate. Igitur si homines aliquando futuri sint boni præstat etiam Medicos bonos esse & Medicinam. Etenim ea scripsimus aliis vt naturæ potius quàm eiuilis consuetudinis morem sequeremur; nam quot lapides etiam gignit ipsa natura in terræ visceribus quot pisces in medio mari, quot plantas in desertis quæ nuoquam hominum vsibus profuturæ sunt.

Nunc iam secundum eaput totius rei tangamus. Diximus enim non legitimè artem tractari, neque oua neque earnes, nec vinum in febribus (etiam non acutis modo febris maneat) conuenire. Non hunc attigimus tanquã vnum errorem, aut è duobus vnum, sed ex infinitis propemodum vt euidentissimum & maioris noxæ. Namque & de ignorantia remporum morbi, & prædictionum imperitia, & medicamentis quæ perperam ab initio exbibẽtur, de conuersa ratiooe victus, multa referre possem aliísque innumeris quæ dieere supersedeo: hoc vnum atque aliud duntaxat caput, de quo ab initio dixi attingere propositũ est, quòd in his duobus fermè tota ratio vitæ & necis reposita est. Non expectetis vt hæc ostendam rationibus, non est hie locus ingulare mortuos, eausam toties coniunctam in dubium vel disputationem reuocare nolo. Satis notum est si scitis, si sapitis: si nescitis, si dissimulatis, si eodem imperitia vos obruit, non est vt retraham violenter eos qui mergi volunt, qui peccare consulto studẽt, non est hic locus disputandi in arte Medica, satis quisque nouit quod in Ephemeris non tuto lieet, imo omnino dare prohibemur oua carnésque, quamvis mitissimæ sint omnium febrium. *a Meth. cap. 2.* Qui maximè nos oppugnat, qui de hoc aliquot conscripsit libros sua confessione vos damnat: sua venia declarat Hippocratis Galeníque mentẽ Brudus Lusitanus, dum ob consuetudinẽ petit suis Anglis concedi iura pinguia, & multis herbis refrigerata & munita, vt sibi videtur aduersus putredinem, aduersus inflãmationem: *Lib. de Vict. in acut.* nil aliud petit pro tãto labore, nil aliud quærit quàm vt illud sibi concedatur: nec scio an persuaserit rectè, quãquam dum ius petit, iuri omni quod in carnes vinúmq; habet renunciat. Cogitate qualis causa sit vestra in quo qui illam defensurus est aduocatus ex principali & possessorio decedit sine contentione: solùm exorat sibi veniam dari euiusdam partis, quæ etiam extra causam est. Dicitis in tertiana simplici cõcedi carnes colliquatas. Primo ad Glauconem, *Cap. 8.* huic argumento adeò stupidi inhæretis non videntes quod eo ipso conficimini; nam primũ consulit vt si quis rectè curare velit, sola ptisana vsque ad statum morbi, Hippocratis more, cõtentus sit. Deinde quod cibum præsupponit dari solum in die quietis, edoctus in prima Aphorismorum illis verbis: In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstioere oportet. Idem ipse ad vnguem declarauit in vndecimo Methodi iuxta finem, *Cap. 11.* ex illius propriáque sententia, an putatis illum fuisse adeò immemorem præceptorum suorum aut generalia artis neglexisse? Sed Glauconi nõ ignaro Medicinæ hæc præscribit præsupponẽs illum generalia mandata tenere. Quinimo Thessalici etiam isti nostri Medici hoc vnũ vel ipsi obseruant ex præceptis, vt in die accessionis abstineant à eibo, licet conniueát in tot aliis: an ergo Galenum eoncessisse quod prorsus ægris inimicissimum est, & imperiti etiam non audent prætermittere cum in minoribus se exhibuerit adeo diligentem censorem? Si igitur vrgente febre nil prorsus dare velit ea die, eo tempore, quamvis intermittens, quid in continuis censendum est? in quibus periculum longe maius est, & iactura adeò euidens, quod etiã patet in exemplo iuuenis quẽ coactus est ob symptoma pernitiosum cibare, *10. Meth. cap. 3.* & quasi ostẽtationis eausa, quamvis sola tertiana laboraret, non tamen ausus est præter ptisanæ cremorem cúmque ex duobus cyatis, id est vnciis tribus & offam panis ex vino exhibere: antea autem aliis in accessionibus, quoniam syncopis illom nondum occupauerat, sed præoccupasset ipse eibare, dedit alicam ex aqua pura sine alia conditura cum granis mali punici. Vbi tam extremo casu oua earnésque? Sed iam eausam suam in morbis acutis prorsus desperatam vident, cum in illis Auenzoar, non solum per totum febris decursum & inclinationem ipsam adhuc extincta febre, prohibeat vinum, carnes & oua. Sed biduo tantum post luteum oui concedat, rationẽ reddens verisimilem imo euidentem: scilicet quod membra calefacta corrumpunt & accẽdunt cibum illum pinguem, & redit febris persæpe. Sed neque quicquam melius in ipso morbo laterali habent, vbi minus facultas naturalis impedita est (qui scopus primus est vt cibus exhiberi possit) & vitalis atque animalis magis deficiunt, quæ ambæ sunt valde necessariæ ad expuitionem vna, ad respirationem altera; cum Hippocrates iubeat post iudicationem quiescere duobus diebus antequam ad frumentacea venias. Sie enim exponit Galenus ibi; *3. de Victu in acutis Tex. 25. 12. Art. cur. cap. 3.* non ergo de ouis aut carne intelligie vnqnam. Quinetiã in ea febre quæ syncopam ex humoribus crudis adducit, tantum abest vt vinum, oua carnésve exhibeat, vt nihil prorsus, sed ad quartum diem vsq; sola mulsa cruda, si vires validiores fuerint, cocta si imbecilliores, contentus eris; sed dices, pòst dat vinum eum pane: fateor, vbi enim syncopis periculũ imminet solum transit ad offam panis cum vino, nunquam ad carnes neque oua: nec ad hoc ipsum nisi in periculo præseoti. In vniuersum hæc tria sunt explosa, vinum, caro, oua à victu

febricitan

febricitantium, quandiu febricitauerint, seu
intermittentes, seu continuæ, seu acutæ, sen
diuturnæ, seu ardentes aut continentes, aut al-
terius generis. Verum dices, in syncopali fe-
12. Art. cur. cap. 6. bre quæ ex humoribus tenuibus fit, Galenus
dat, quovis etiam febris tempore, panem cum
alica & ouorum vitello, & testes gallinaceos,
& suillum cerebrum, vinum quoque album te-
nuéque. Sed si omnia ex voto successerint, car-
nei etiam aliquid, potissimum post tres dies, &
cum humores concoqui cœperint; velut feci,
inquit, in iuuencillo qui ab initio accessionis
animo linquebatur. At vero huiusmodi casus
tarò in vita accidunt homini, vnde regulam
sumere velis ad mactâdos ægros? constat enim
nulli febricitanti febris ratione, sed naturę hu-
moris temporis proprietate huiusmodi curam
conuenire; quod si Medicus fortuito fiat prin-
ceps, an ob id statuendum erit de principibus
quòd de Medicis vniuersis? Et si Agathocles
ex figulo & Lycastus ex pastore, & S. Tullius
ex seruili conditione facti sint reges: & nostra
ætate alij principes qui rustici erant, an ob id
præferre debemus figulos, pastores, rusticos &
seruos Iurisconsultis, Philosophis, Senatori-
bus atque Patritiis? Ex exceptione valde tenui
generalem regulam efficere, quid stultius dici
potest aut excogitari insolentius? Veniamus ad
Principem quandoquidem apud Græcos op-
Prima 4. Trac. 2 c. 58. ante finem. timos illis nullum est refugium. Dicent hi
Principem Arabum concessisse carnes & oua
atque huiusmodi: tum in curatione propria
expressè, velut cum dixit in curâ quotidianæ
intermittentis, quòd iuuat dare pullos in pa-
tella coctos. Sed ibi manifestè loquitur de fe-
bre iuncta cum fluxu ventris, ideò symptoma
vocat ad securam non febris exigit cibũ? Ve-
rùm antea concedit pullos & Althebugi &
Alchibugi: sed hoc est post declinationem, &
Cap. 8. est, vt dixi intermittens. Et maior difficultas
est in his quæ dixit in sermonibus generalibus
cum inter cibos febricitantiũ numerauit gal-
linas pullósque earum & coturnices Cyprias,
quas Veneti vocant coturnos rubro rostro pe-
dibúsque perdicibus magnitudine similes:
& ipsas perdices etiam. Verùm videtur totum
Com. 16. hoc sumpsisse à Galeno primo de Victu in
acutis, cum dixit: Quod neque alteri cuipiam
inest eorum quæ Medici languentibus dare
consueuerunt, ouis, gallorum testiculis, alis,
piscibus, columbis iuuenibus. Vnde totalis or-
ta est quasi hoc dicat de febricitantibus: aut si
de illis tanquam de continuis? & si de illis
quasi eorum consuetudinẽ approbauerit? Ve-
rùm quòd ad Principem attinet, satis constat
illum in tribus maximè esse deceptum, quæ
omnia licet perpendenti ea quæ de cibatione
febricitantium in generali dixit, clarè conspi-
cientur. Primùm quod existimauerit coctio-
nem materiæ fieri à facultate eadem quæ cibũ
Com. 44. exigit, scilicet vitali, primo de Victu in acutis,
fiat coctio materiæ peccantis à naturali quæ
cibum non adeò exigit, vt quarto de Præsagio
Cap. 12. ex pulsibus. Hac igitur ratione non est exhi-
bendus cibus, vt facultas naturalis concoque-
re possit materiam: hoc enim sine cibo posset
fieri per multos dies, scilicet ad quatuordecim
Dx. 49. vsque saltem. Tertio de Fracturis, nam sunt
qui legant quadraginta pro quatuordecim,
quod vix verisimile videtur. Secundum est,
quoniam confundit calorem naturalem cum
facultate seu viribus, ideò eò deductus est vt
cogeretur cibum in omnibus exhibere; nam
magnitudo caloris certè cibum vberiorem exi-
git, aliter calor depascitur sanguinem, inflam-
mans ipsum, extinguens vires cum spiritu, &
obnoxia putredini putrefacit, aut omnino exu-
rit solida & tabefacit: idem si exiguus est cum
eundẽ esse putet cum viribus, & vires exiguæ
cibum requirant rursus oportebit cibum ex-
hibere: at sic nusquam locus relinquetur in-
ediæ, saltem illi exactissimæ quæ ad victum
tenuem pertinet; nam non est dicendum me-
dio calori posse deberi: medium enim non po-
test esse immune ab eo quod cõuenit extremis
eodem modo. Sed, vt dixi, hic est secundus er-
ror, scilicet quòd facultas & calor idem sint;
cum sint diuersa, potest enim esse calor exi-
guus (licet nõ in extremo velut in decrepitis,
sed velut in cruda senectute, seu potius viridi)
& robustæ vires: quia membra densa, & bene
temperata, & sanguis itidem, ac quantum
satis est, & tunc duplici ratione parum cõue-
nient cibi & ratione caloris & ratione viriũ.
Tertium est, quoniam non animaduertit Hip-
pocratem non loqui de quantitate ciborum
propriè, cum in illa consuetudinem seruandã
esse censeat, sed de qualitate, vt vitemus pin-
guia & vinum; & quamvis omnes hi errores
obstarent. & dubiè loquutus sit in hac causa, &
perplexè, vt quasi contraria dicere visus sit, &
nos neque quantitatem proximam consuetæ
in sanis, nec numerum nisi obstet accessio pro-
bibeamus, sed qualitatem tãtum, scilicet oua,
carnes, vinum, & etiam panem, nihilominus
(quòd sanè mirabile est) ipse Princeps vtitur
victu magis attenuante in febribus quã Hip-
pocrates aut Galenus. Cum enim Galenus in
curâ tertianæ puræ concedat carnem colli-
quatam, & oua, vt supra docuimus, Princeps
dat betam & lactucam tantum coctans, non *Cap. 38.*
aliud & ptisanam, quam vocat Riseh hordei. *1. ad Glauc. cap. 10.*
Et cum in notha Galenus velit, vt aliquanto *Cap. 39.*
plenius quàm in exquisita alatur: Princeps
dicit: Oportet vt cibetur vno die, alio non. In
quartana cum Galenus ægros tantum à por- *2. ad Glauc.*
cinis carnibus & crassis velut bouum & vac- *cap. 12.*
carum prohibeat, dicit Princeps. Et rectius est *Cap. 65.*
vt abstineant à carne & alxumet, id est iure
pingui, quod nos propriè consumptum dici-
mus; imò antea non concedit in ea febre nisi
olera humida & pepones, & huiusmodi. Et
subiungit de quartana continua loquens, Et *Cap. 63.*
in hac febre cauere magis etiam oportet à car- *Cap. 66.*
nibus quàm in intermittente. Et dum curat *Cap. 45.*
febrem continentem, palàm est, quòd exhibet
lentes, olera, fructus, & similia, vt nec audeat
super ptisanam nedum super alicam, cum Ga-
lenus non solùm ptisanam & alicam, sed etiã
panem concedat. Et loco carneorum & carnis
quæ concedit Galenus in syncopali febre ex *Cap. 13. 9. ad Glauc.*
humoribus tenuibus, Princeps solùm conce-
dit iura pinguia, seu consumpta, & præparata
cum aceto, omphacio, oleribus frigidis, & præ-
cipuè coriandro, vt nihil sit quòd obiicere
possint de hoc homine, sed exquisitissima vi-
ctus ratione, si quis alius vtatur in febribus,
non solùm acutis sed etiam longis.

Hactenus videri poteram explicuisse quod
proposueram, hic si longè latius pateret pro-
positum

positum nostrum, quod etiam apud plerosque difficultatem maximam habet: adeò vt cum qui litteras nouerunt, licet factis id non præstent, erubescant, tamen mihi de hoc contradicere in acutis, tam in diuturnis, neque assentiti velint, nec disputare de hoc illos pudeat; tametsi velut Hebræi olim contra Romanos plus animo quàm viribus pugnent, inermes contra armatos. Igitur Hippocrates censet tertio Epidemiorũ, Apollonium periisse in xxxiv. die quòd lac ouillum & caprillum bibisset crudum ac multum. Oportet igitur à cibis etia multo ante temperare siquidem id ille egerat citea quartam diem, propterea subiunxit, & victu malo vsus est, & omnium errorum læsiones magnæ subsecutæ sunt. At de Lario rursus qui obiit die centesima vigesima non solum tempore febris, sed etiam cum interim in quadragesima alleuatus fuisset, & esset absque febre, inquit, cibis multis ac vitiosis vtebatur. Iam ergo dubium non est eum præscripsisset normam in ægris, ptisanam hordeacẽã, malos cibos vocare & carnes & oua, quæ nec dignatur inter cibos sanorum oumerare: cum dicat secundo de Diæta: Oua volucrum robustum quid habent, alunt & inflant. Quid in libro de Veteri Medicina? nónne declarat mentem suam, dicens: si ægro sani cibum des multo magis lædes ipsum quam si sano victũ fetarum exhibeas. Sunt enim pauci valde quibus minimum date licet cibi sanorum, sed omnibus fermè expedit sorbitiones loco ciborum dare & paucas, multis etiam ex his, neque illas, sed solùm potus, dare oportet: quoniam natura ægrorum quæcunque fortia edulia aspernantur, non quia mala per se, quinimo & à pane & à mazza dicit, læduntur gramius decuplo ægri quàm à sorbitionibus. Volt ergo sorbitionibus tantum vtendum, atq; his ex pane: cum antiquo tempore vsus carnium cõtusarum esset ignotus, quinimo cum noscetet triticum, elegit tamen hordeum pro ptisana, quòd sit minus robustum alimentum, intelligit robustum quod cum difficultate subigitur, & cum hoc etiam plurimum notrit, quæ duo mala sunt in carnibus contusis: tum multa alia etiam vtpote quòd facillimè putrescant, facile accẽdantur, & ob lentorem ebstruant: eædem in ouis, sed non sunt difficilis coctionis: ergo nihil horum conuenit febrientibus. Iterum forsan confugies ad id quòd multi febricitantes cum sumant contusa, & oua, tamen sanantur. Idem responsum: eadem confutatio: multi moriuntur, non seruantur nisi quibus vires sunt robustiores morbo simul atque errore: & non seruantur perfectè: & si modo tandem perfectè non nisi longo post tempore: & remanent imbecilles, exhausti & cum malo habitu. Propterea vide quid dicat Hippocrates de huiusmodi curatione in eodem libro. Quare plerique Medici, eadem quæ mali gubernatores, in se admittere mihi videntur: etenim illi cum trãquillitate gubernantes delinquunt non fiunt manifesti: quum vero deprehenderit ipsos ventus magnus & tempestas, palàm iam conspicui sunt omnibus hominibus, quod ignorantia & culpa erroris sui nauem perdiderunt; sic sanè etiam mali & plurimi Medici; quum curant homines nihil graue patientes, in quos etiam si quis maximè delinquat, nihil graue faciat, sunt autem multi tales morbi, & multo sæpius quàm graues hominibus accidunt. In talibus sanè delinquentes nõ fiunt manifesti idiotis hominibus. Vbi verò obtigerit magnus & fortis & periculosus morbus, tunc ipsorum delicta & ars omnibus in conspicuo sunt. Neque enim longè absunt singulorũ pœnæ ac cruces, sed breui adsunt. Itaque mira est impudentia istorum, maior socordia eorum ad quos hæc pertinerent: sed

Nimium vobis Romana propago
Visa potens superi propria hac si dona fuissẽt.
Nimis fuissent mortales ipsi felices,
Si Medici boni essent & leges.

Ad aliud caput procedamus, sanguinẽ mittunt in febribus putridis ex vena: & tam illud benè ac rectè facere videntur, vt si contradicam, non parum superiori causæ, quam vel ex ipsis indicibus superiorem esse intelligunt, detraham. Quid magis mirum dicent hii insanit, senex est, omnia euertere conatur, gloriam inanem quærit: putat nos nullos esse, seu confidat in sua illa Dialectica, seu in dæmone aliquo, quem persæpe habere illum diximos, sed credere nolunt homines. Si sectio venæ tollatur è medio, omnes ægri perituri sunt. O miram temeritatẽ id nos diximus, finem tandem huius altæ sapientiæ amentiam esse & insaniam: eósque qui dæmonibus aures præbent, finem sortiri miserum & infelicem. Hæ sunt exclamationes istorum præclarorum onocephalorum, Cosconiorum Calidianorúmque siue malis eos Philonides appellare, qui de ercuicibus vestris disputant nõ ex lege, aut legis ioterpretatione, sed arbitrio, mala consuetudioe, furore, nulla certa tatione. Affirmant Hippocratem hoc voluisse, noluisse Galenum: neminem esse qui non mittat in putridis febribus sanguinem. Est illud præclarum Elogium ex vndecimo Artis curandi; *Saluberrimum est in febribus venam incidere non continentibus modo, verum etiam aliis omnibus quas putrescens humor concitat.* Sed si ostendero neque Hippocratem huius fuisse sententiæ, neque conducere homini febre putrida laboranti sanguinem mittere, nec antiquos huius fuisse sententiæ, perniciosámque esse venæ sectionem, nec Galenum omnino tam coluisse vt credunt, sed & ipsum declinasse quantum potuerit, adeò vt etiam ex illius sententia, vix vni aut alteri, ex quadraginta ægris mittere conueniat sanguinem, quid postmodum de antiquo hoc veterno dictũri sunt: aut quicquam temissuri de hac cõsuetudine adeò exitiali? separabo hic inquam Phlegmonom causam, in quibus tam in secando venam aberrant fermè semper quam in febribus, quod omnino secent, vbicunque secuerint. Iam tot annis litigant de venæ sectione in Phlegmonibus, & concordiam habent ante oculos, nec eam vident, quódque nos vna charta comprehendimus clarè, dilucidè & ex omnium consensu, ipsi plúsquam mille chartis consumptis, indiscussum & magis dubium relinquere quam antea, sed de hoc in secundo de Dentibus. Sectionem venæ in Phlegmonibus internis conuenire plerunque fateor, sed errate omnes Medicos de loco contendo. Si rectè illam adminiistrarint reliquis fortuna & casu contingit,

11. Æger. 2. ord.

Larg. 1. ibid.

Pag. 7.

Pag. 5.

Cap. 15.

tingit, vt pleraque alia. Sed de febre contētio nunc est, nec omni, sed putrida tantum, nam vt neque in hectica, neq; in Ephemera secare venā quisquam eorū velit, ita nec nos si quis febre ex sanguine antequam putruerit laborauerit, omittendam omnino censemus. Dubitatio est de ardentibus & continentibus cum putredine, acutis, hæmitritæis, sudorificis, frigorificis, squalidis, lentis, tertianis, quartanis, quotidianis, syncopalibus, pestilentibus, erraticis, lipyriis, nisi ex inflammatione interna sint epialis diurnis nocturnisque, quarum nulli venæ sectionem vtilem esse dico, neque eam esse ex mēte Hippocratis, nec fuisse olim in consuetudine antiquorum. Parum etiam probari à Galeno hanc actionem quamvis adeò addictus illi esse videatur dum Erasistratum persequitur. Hoc enim in hoc viro, quod sæpius dixi, mali est, vt dum conuellere nimis antiquorum opinionem cupit, in quædam absurda & periculosa incidat; sed mittamus hæc, reui aggrediamur: si sanguinem mittimus, ex vena materiam totam quæ in venis putruit, loco dimouemus, vnde non parua mala contingunt: spargitur enim primum & sanguis ipse semine corruptionis concipit, & mota ex loco non concoquitur, & in interiores partes truditur, & super membra principalia transit, & angusta obstruitque ea. Secundum est quod vires semper plus debilitantur quàm materia peccans minuatur. Tertia est quòd tot sunt exceptiones quæ prohibent venæ sectionem, vt etiam si id postulet febris, non tamen conueniat, etiam ex Galeni ipsius sententia; capita solum adduxisse sufficiat, locos alibi enarratos omittam: neque ergo summis ardoribus, neq; summis frigoribus, nec in ætate pueriliad quartumdecimum annum vsque, neque valde senili, nec vbi materia turgens fuerit, purgari enim debet, non venæ sectione euacuari, nec vbi morbus processerit, nec si inedia magna præcesserit aut purgatio naturalis diarrhœæ, dysenteriæ, hæmorrhoïdarum vel natura motum alium inchoauerit, nam si fastiditus aut nauseabundus, nec cruditatibus repletus ventriculus, aut cum vomitu, neque si pestilens fuerit febris aut aēt perniciosus, nam tutela nulla relinquitur, vel si ex veneno assumpto febris inuaserit. Non si bilis aëtis vincat, aut humores crudi, frigidi, pituitave multa aut melancholia. Et si virtus valde sit imbecillis, si corpus admodum siccum, præsertim ex vigilia. Sed nec vbi iam sanguis computruerit, aut in syncopali, aut si venus multa præcesserit, nec si morbus sit leuis aut febris intermittens quatenus huiusmodi est. Nec si læta fuerit, aut eidem iuncta hectica, aut patiens habeat lapidem in vesica; & sunt qui id genus auxilij naturaliter nimis ægrè ferunt. Omitto luseiosos, neruorum debilitate, tremore præsertim, laborantes, obliuiosos, corde facilè & sæpè palpitantes: omnesque imbecilli iecore. Quid verò cum hos omnes exceperis quos excipere oportet reliquum tibi erit in quos hanc sectionem exerceas? Quarta ratio, vel vires sunt robustiores his quæ sunt contra naturā, aut inferiores, si inferiores non sunt infamāda auxilia in morituris, quæ in sanandis possent esse auxilio: non igitur mittendus sanguis: si vires detracto sanguine erunt superiores, igitur natura ipsa emittet sanguinem, si emittere expediat, opportunius, moderatius, & tutius quam venæ sectione; neque enim desunt loca, hæmorrhoïdes, nasus & præter id in mulieribus menses. Sed fac vt natura negligat, vel tu vis mittere sanguinē ratione qualitatis hoc non conuenit febri: febris siccat, vires debilitat, opus est inedia, vbi fame laborandum non est: nullo modo conuenit: vel etiam ratione sui, est thesaurus naturæ, non potest esse vtile vel ratione quantitatis quot modis in hoc aberrabis? si minus educas mouebis sanguinem, & hoc est semper malum, & non educes neque iuuabis: aut minus iuuabis quàm nocebis: aut plus educes, & ita debilitabis vires; adde quot incommoda, quot pericula: Tonsor vnus vulnerat hominem, & sanguinem non educit: alius secat vnam venam pro alia, vt heri quidam, cui iusseram, vt mitteret sanguinem ex pede sinistro, cum bis frustra sauciasset ægrum, misit ex brachio dextro magno ægri periculo, licet euaserit, iactura tamen certa, alius pungit neruum & conuellitur æger & moritur, vt trapezita Io. Marini: aliis sanguis ex vulnere fluit, per somnum, vt Patritio cuidam ex familia Tortorum Ticinensium; obiitque hac causa sola ex leui morbo hoc, & quàm multa alia intercidere possunt. At quod non fuerit sententia neque mos Hippocratis aut æqualium eius est considerandum: quoniam Erasistratus id negat fieri debere. Hippocrates floruit anno cōditæ Vrbis cccxv. cum adhuc regnaret Artaxerxes Longimanus, qui bellum Græciæ intulit. Aristoteles anno vrbis ccccxxv. centum & decem annis post ex descendentibus. Erasistratus autem ex Pythiade nepos Aristotelis coniunxit Theophrasto, quomodo igitur Erasistratus in tritauum suum Hippocratem adeò etiam celebrem apud omnes tam fœdè inuectus esset, cuius verba per vrbes decantare solitus erat? Equidem addere aliquid in aliorum sententiis citra vituperationem licet: seu declarandi causa seu quod ille breuius dixerit, seu quod nondum ars ea fuerit planè inuenta; at abolere quæ mandarit, negare quæ prius ille dixerit, citra contumeliam id fieri non potest. Quòd si etiam voluisset, cur non Galenus ex Hippocratis verbis illum confutat: at cum nullibi id faciat quanquam duobus peculiaribus libris ad hoc dicatis qui supersunt integri, in Phlegmone autem & doloribus & sputo sanguinis id agat, palàm est Hippocratem nūquam præcepisse sectionem venæ in febribus. Hæc igitur ostendunt planè sectionem venæ parum esse opportunam febrientibus, iam febre putrida, non solum ex sententia Erasistrati & Hippocratis, sed etiam ratione. Verùm in sanguineis febribus nondum corrupto sanguine, in Phlegmonibus, aut iam factis, aut initium facientibus, in corporibus iam alioquin repletis, non ob febrem, sed ob repletionis periculum, vrgente febre, in vasis ruptis, in doloribus vehementibus, in omnibus his quibus extrema opus esset inedia, nec famem tamen perferre possunt, eam non solum admisetim, sed suaserim etiam. Cæterum aliud est ratione febris, cui nullo modo conuenit, neq; enim hectica debilitat nec siccat corpora: nec nisi rato materiæ febris ratione, quæ cruda est inobediens & furens, aut sicca: sed ratione coniunctarum

An sang. in Oratio cont tineatur. Cap. 7.

coniunctarum occasionum sectio venæ conuenite potest. Quòd verò plerosque Medicos fallit, est, quod cum antequam incipiant esse putrida, si administretur persæpe iuuat: tum illi putant putridæ febri ob id conuenire.

Hæc igitur dicta sint de his tribus capitibus quæ proposuimus, non quòd in his solum peccent Medici aut maximè, sed quod facillime. Ostendam autem exemplo quod nuper mihi contigit quantum aberrent illi, dum in huiusmodi curationis genere versantur, & quòd maximè mirum est, quomodo sub optima medendi specie ægri periclitentur. Laborat Vincentius Balzanus Vir haud plebeiæ sortis erysipelate in crure dextro cum dolore & febre, à dioturno morbo conualescens, curatus more isto vulgati, quem appellant honestiore nomine practicam, vetiore Empericem: iubeo è talo sinistro sanguinem mitti, tonsor aliis Medicis assuetus, qui non curant qua ex parte, nedum qua ex vena sanguis mittatur, postquā bis pertusa vena pedis sanguinem educere non potuit, iecorariam dextri brachij secuit. Adueniens ego vesperi, leuiter damnaui factum, ne terrerem ægrum adhuc febre non leui laborantem, sed ad L. Nonium Fauentinnm iuuenem Medicum connersus dixi, vno errore multa damna attulisse: non eduxit peccantis materiæ qoicquam, non aduertit à iecore, sed ad illud atttaxit: & bonū fudit atque inculpatum sanguinē. Curaui ergo vt noo leuiter crus sinistrum totum deorsum traheodo fricaretur: emplastrum acopum & frigefaciens tepidum parti patienti adhibui: carnes, vinum, ouáque io bibui, exactis duobus diebus, cum res satis ex voto cederent (oam inæqualitas pulsus quę secunda à sectione venæ die apparuerat cessauit) dolor est imminutus, crus ipsum cum sura intumuit satis, sed molle & rubrū absque vehementi calore: dixi hic vides Noni, & quàm perniciose peccent Medici, & quam facile sit perdere hominem per ignorantiam: & quomodo nil tam probetur à populo in arte quā quod pessimè fit: rum ille arrexit aures dixitque quomodo? Quoniam (dixi ego) si quis medicamētum validum nunc exhibeat, videatur sanasse ægrum & tamen perimet, aut in maximum saltem discrimen adducet: namque eo exhibito strenuum aliquid facere videbitur, & maximè cum purgauerit egregiè, & materiam reuocabit à loco vnde dolor & rubor cessabit: materia enim in venis dum fuerit dolorem non excitat, cum venæ sensus sint expertes, cessante dolore, totum quicquid est Ephimeræ cessabit, febrísque ob id alleuiata, adeò videbitur vt vix quisque febrire illum percipiat. An ooo ego sibi ipsi & astantibus longe melius se habere ex hoc Pharmaco videbitur? tum Nonius imo planè Sanatus multis qui non intelligunt; sed vnde discrimen illud vitæ tam magnum? cui ego, imò non discrimen sed iactura certa: namque materia quæ erysipelas facit, cum non amplius crus patiatur, si non educta est Pharmaco in corpore adhuc erit: secus fieri non potest, inquit ille: at eductam esse vel minimam guttam eius ostendam planè esse impossibile: primum tam multa vt pluribus indigeret euacuationibus, & tam procul vt quasi totum corpus permeare cogeretur, & maximè in tam breui tempore: post adeò cruda & minimè naturæ ægrotantis subiecta: demum fac vt nil horum adsit, quomodo ex gibba iecoris tam crassa cum sit permeabit in cauam, vbi venæ tam angustæ sint, vt dubium sit an penetrent & inuicem conueniant: adeò vt cum hæc omnia in hoc ægro adsint, dubium non sit ne guttam quidem euacuari. Sed vnde tanta tamen, inquit ille, materia in purgationibus eiusmodi prodit, & vnde alleuiat io illa adeò manifesta? dixit Nonius. Euacuantur materiæ crudæ, quæ in mesaræo vndique sunt, & colliquantur sana, vt inquit Hippocrates. At alleuiatio illa erysipelatis in crure fit, tota materia, per consequentiam attractionis, reuocata ex venis magnis ad paruas, ita vt relicto membro iam læso, & nondum traducta ad iecur, quod tempus quatuor vix dies implere potest, vbi adsit febris: vbi latuerit per multos. Per totum igitur id tempus quasi quiescit morbus, & æger melius se habere videtur. Relinquuntur tamen vrinæ crudæ, sitis, vigilia, & appetitus, non integer, quædā molestia, & pulsus, si quis eum rectè tangere norit, inæqualis. Deinde superueniente febre, Medici causantur ægrum edisse pomum, aut iratum esse, aut surrexisse nimis tempestiuè. Video, inquit Nonius statum ægri, sed quomodo tanto sit in discrimine non intelligo, cui ego ostendam: reuocata ea materia ad iecur, ibi excipitur multa cruda facta maligna exitu illo ad cutim ne potens permeate venulas illas capillares iecoris, & retenta, ibi totum corrumpit sanguinem, coctionem & nutritionem impedit, inflammat iecur, febrem accendit, persæpe etiam Phlegmonem in ipso iecore excitat: aut resoluta parte tenuiore scirrhum in eo facit, aut etiam putrefacit illius substantiam. Hi sunt fines illius gloriosæ alleuiationis, ex quibus plerique intereunt: aliqui quorum materia tenuiot & paucior, venæ latiores, ætas florida, plurimum conflictati, tandem euadunt, exhausti omnibus bonis, animæ, corporis & fortunæ. Atque hie modus est non mortis vnius, sed infinitorum, eum omnes qui Phlegmone in aliqua parte viscerum laborant, qui totidem fermè sunt, quot qui febrem habent continuam, acutam, aut si diuturna sit cum tumore duro, aut molli eidem periculo atqoe aliis subiiciantur.

4 de Vict. in Acutis Tex. 22.

Ergo receptui canamus, & nobis quid agendum sit consolamus, ne vel cum illis sentiamus, neque despecti inter homines, aut mēdici vitam trahere cogamur. Cæterum quinam in errore maiore sint, an beati isti iuuenes, potentes, opulenti, quorum vita eiusmodi est, vt nil boni sperare ab obitu possint: aut quibus nil sperare summum sit bonum, qui hoc ipsum in quo omnia exposita sunt, tam oscitanter curent, & in eo tam apertè fallantur, an ego qui iam lxvj. prætergredior annum laudis in posterum aliquantulum spei ab obitu plus longè adeptus, & in eo, quòd maximum illi putant, rectè sentiens, in aliis minoribus etiam si deciperer tibi diiudicandum telinqoo; mibi sanè videtur, si illi, quanto maiores fuerint, cum magis delinquant, sapientes existimantur, me hac in parte stultum haud iure dici posse. Verùm de his tu ipse videris

IN THESSALICVM MEDICVM ACTIO SECVNDA.



AVDO prudens consilium tuum, ô Vir egregie, quòd nactus tam præclaram ditescendi occasionem, summósque honores atque existimationem, tum amicos parandi sine labore, sine vigiliis, aut sumptu vllo: neglectis vanis mortuorum expectationibus, & inferorum fabulosis terriculis, inanibusque Philosophorum argutiolis, postquam in eâ arte versaris in qua tutissimè peccare licet, atque absque vllo legum metu, quæ sola etiam fortes viros terrere possunt: tu omni stulta formidine posthabita, eam tam bene sis amplexatus, tam strenuéque administraueris, vt nemo tibi iure præponi, imò ne comparari quidem possit. Qui veluti nouus quidam artis inuentor, per tot blanditias, per tot dolos, per tot negociationes, per innumeras funera, sine arte, sine doctrina, sine iudicio ita oculos populi atque principum præstigiator summe perstringere potuisti; vt ad culmen autoritatis & existimationis ascenderis, diuitiásque non contemnẽdas tibi parateris. Eia age strenuè, & perdura in opere egregio: gloriam tibi sempiternam, familiæque tuæ nomen maximum paraturus. Sed si aliqua est Adrastia. Nemesis, si aliquis sensus Superis, si tibi tot male facta mentis aliquid reliquerunt, docè me quonam pacto eum recordatione huius vitæ somnum capere possis. Nonne tot per inscitiam & pertinaciam ambitionémque interfectorum hominum agmina te exagitant? nonne conscientia tanti sceleris mentem excruciat? Sed existimo in initio hæc omnia tibi contigisse: vbi occaluisti, velut iam vetulus carnifex, aut latro, non magis de hominum cæde quam hædorum aut pullorum solicitus es. Quinimò etiam iam securus ob vsum pauca quidem per te: longè plura verò per tuos illos sceleris socios quotidie in plebem aduersus omnes bonos euulgas. Præsertim autem vnum me impetis; seu ob artis successum, seu quod studiis meis aut famæ (quæ quamuis mediocris sit, te tamẽ torquet) inuideas, seu potius, quòd natura ita comparatum sit, vt maximè dissimiles moribus atque institutis, maximo etiam odio prosequamur. Nam neque omnino à me læsus es vnquam: quis enim à me læsum se vel verbo vel factis dicere potest? neque adeò imperitus sum: cui enim talis visus sum aliquando? nec tam infelix in artis operibus propter quæ nobis inuides: & tamen tua illecebri impostura sic vrbem impleuisti, vt plures damnent quem non cognoscunt, horreantque eum à quo nil nisi vtile consequi possunt. Adeóne exteris tuis istis dolis, tua ista nefanda versutia, qua plurimum vales (neque enim te tuâ laude spoliare volo, quemadmodum tu meâ me niteris) imponere te posse speras? Quid iam adhuc superest, quàm vt eruditos, vt veritatem, vt Deum ipsum fallere hac tua mendaci, furtóque ac malis artibus conquisita gloria posse confidas? An non tibi iam conscius es imperitiæ tuæ? an nescis quotnam ciues felici illa tua indulgentia ad orcum miseris? an dissimulare potes, qua ambitione, quibúsne technis potentiam tibi ac tyrannicam vim parueris, amicitiæq; principum te insinuare conatus sis? Tu doctor eorum qui illegitimè artẽ tractant, tu exemplum legum non seruãdarum, tu ambitione ac minis bonos opprimere non cessas: tu blandiri mulierculis in ægrorum perniciẽ excogitasti, vt quod imperitia & stultitia non poteras nomen retinere, his versutiis etiam augeres. Nescio quonam encomio te magis dignum esse censeam, quàm eo quo qui fontẽ sacrum infantulos aspergunt, cacodæmonẽ execrantur. Quid tibi prodessent regiæ opes & stipendia, etiamsi ampliora multo essent? quid Imperatoriæ dignitates, aut principum familiaritas, omnia per falsas adulationes, per obsequia nefaria, denique per suppositiтios laudatores acquisita? Non ego tuorum sordidam parentum conditionem, neque aliud quicquã insectabor (hæc enim odiosa sunt, ætatis aut fortunæ vitia accusare) verũ tu solus mihi (ita pessimè in arte versatus es) sufficis, vt longiorem possim conficere orationem, dum fraudes vitiáque ac malefacta quæ in sanctissimã disciplinã, quæ in patriam & ciues, quæq; in reliquos artis professores, & maximè in meipsum exercuisti, recenseo: quã sint Verrinæ illæ Ciceronianæ, aut Demosthenis Philippicæ. Itáne forsã debacchatus securè es, vt crederes defuturum hominẽ qui tua flagitia agnosceret, aut in publicum edere auderet? Publicè peccasti, & in perniciem ciuitatis nostræ solũ natus esse videris, pestísque vna ciuiũ ac patriæ tuæ (si modò tam flagitiosus, tã patriæ ingratus, ciuis dici meritò potest:) Ob id publicam tantum etiam ob iacturam, non ob priuatas aliquas inimicitias, tametsi tot tantáq; in me patraueris, tua facta detego, téq; vt meritus es accuso. Fecisti mortalium pessime, ex erroribus tuis dogmata, & nouam medendi rationẽ ac perniciosam aduersus omnium antiquorũ præcepta in hanc vrbem inuexisti. Quid iam nunc prosunt Academiæ, gymnasiáque tantis stipẽdiis sustentata, tot libri, si imperitus vnus medicus partim ignorãtia, partim scelere omnia euertit & destruit? docétq; quemadmodum egregius ille Paradoxorũ scriptor, melius esse nescire literas quam scire? Atque ita videt esse, & experitur, postquam in sola amentia sua confidit, & felicitatem non in virtute, non in artis operibus sed in operibus & potentia

dolo partis conſtituit. Et vos videtis & fertis: quoniam huius diſciplinæ eſtis ignari. Et dum puniendo errare timetis, non puniendo longè grauius peccatis. Quæritis forſan, cur ego ſolus inter tot præſtantiores deſcenderim ad accuſandum? cúrque hic impoſtor omnes alios in me accenderit? Hoc primum dicam (cum neutrum obſcurum ſit) Non ſperabant me ſtante obtinere poſſe quod concupierat, imperitus apud non imperitum, ignarus exercitationis apud exercitatiſſimum, infelix in opere apud feliciſſimum: denique ſolis dolis ac verſutia preditus, cæterum omnium bonorum inſcius, aduerſus eum qui totam vitam in ſtudiis & experientia rerum conſumpſerat: & quamquam calliditatis eius omnem virtutem ſuperare poſſet, ipſe tamen ſibi conſcius, haud confidebat ſe quicquam agere poſſe, niſi me oppreſſo. Id etiam forſam cogitauit, vt inimicitiis mecum ſuſceptis fieret celebrior. Audierat aliquādo incognitos homines ob egregiorum virorum inſectationem claros euaſiſſe. Sic Hippocrati Lycus & Iulianus, Platoni Moto, Ariſtoteli Eubulides, nominis conquirēdi cauſa aduerſati ſunt. Sed vt Romanus ille aiebat: Abſit vt hunc hominem tanquam amicum recipiam, aut inimicum reſpiciam, cum eum ſciam ſe ampliorē futurum ſperare, ſi ſe mihi inimicum dictauerit. Itaque ſi hunc homunculum nunc nominarem, nec caſtigarem, maiore illum honore quam contumelia afficerem. Nāque is cum beatum ſe eſſe alioqui putet ob diuitias, etiam inimicitias exercendo, poſtquam aliter non licet, gloriam quærit. Sed quomodo te beatum opes efficere poſſunt, aut glorioſum, cū tantò magis egeas, quantò plus habes? Etenim niſi indigeres, non quæreres: cumque plura quæras, pluribus, te indigere perſpicuū eſt. Nec interim illis gaudes, nec frueris, nec retinere ſine magna cuſtodia potes, nec amittere ſine dolore. Nec tanta poteſt eſſe voluptas in paranda, quanta eſt anteactæ vitæ pœnitentia. At parabis filiis ac nepotibus? vtrum illi ſuperfuturi ſint, Deus nouit. Si vxor nunc pudica, ſit nurus, qua arte tandem efficies ne quandoque in adulteri filium omnia deuoluantur? Certum eſt enim (quod tu tamen verum eſſe non arbitraris) ſtatis temporum circuitibus opes neceſſariò ex vna ſtirpe in aliam tranſire, vt qui dites fuêre, fiant mendici: & rurſus, pauperum proles in diuitum opes ſuccedat. Quòd cum multis modis eueniat, ſemper tamen euenit, in quibuſdam ante nepotum obitum: adeò ſænit quandoque Diuina vltio, quòd & Iuriſcōſulti affirmant. Cui etiam principi peccatum videri poterit, poſteros tam ſcelerati viri ſpoliare fortunis, opéſque tam iniuſtè partas ſibi vindicare? Sed eueniat hoc quomodo & quando libet: conſcientia facti nunc tua eſt, labórque vſus ac voluptas in poſterum aliorum. Ergo ſolus ob id te accuſo palàm, vt ſcias reliquos omnes qui præſentes adſunt, vultu, geſtu, quāquam ſileant, hanc tuam impudentiam temeritatémque damnare. Hoc ipſe Deus, hoc patria, hoc boni omnes vna ſententia te condēnant: tu tamen tibi places: quoniam neque tātum ſenſus, tantum verecundiæ retines, vt dolere poſſis. Noli lætari vocibus tuorum atque aliorum ſimplicium, qui te florere dicunt: non enim flores, ſed inualeſcis ac ſęuis, quibus verbis clamitatum etiam reliquarum incrementa deſignare ſolemus. Inquies forſan: Quid egi? quid ſcis? conſcius enim mihi ſum, me clanculum peccaſſe. Quid ais? Tu hæc malefacta Deū ante ipſum latêre poſſe arbitraris? Cæterùm, quòd non reris, & vrbi & toti orbi notiſſima per me fient. Sed vndénam in tanta rerū tractandarum magnitudine ac multitudine incipiam, non ſat mihi occurrit. Debéone ab ignorantiæ exemplis, ac vitiis peccatíſque tuis, ac artis euerſione: an à dolis conſpirationibúſq; cum pharmacopolis, cum tonſoribus; cū chirurgis, cum mulieribus: an ab aperta vi, qua ſimul cum coniuratis aduerſus nos vteris: an potiùs à maledicentia illa, qua omnem probum virum inſectatus es, initium ducere?

Sed ab imperitia tamen incipere decet, in qua illud ſanè mirabile eſt, quod qua parte maximè es imperitus, ea alios docere vis. Nōne tu primùm, ſapientiſſime vir, omnem prædictionem ab arte ſuſtuliſti? Nónne tu es ille qui doces, eos qui prædicunt, vatum & aſtrologorum, ac etiam circulatorum loco habendos? Eia vir egregie, vnde primùm hoc didiciſti, vt tot libros Hippocratis, Galeni, Auicennæ, aliorúmque optimorum autorum dānares? Deinde ſi prædictio nulla eſt, quomodo inſtituemus victus rationem ad ſtatum vſque? Nam ſi ab initio tenuem, vt tu facere ſoles, in diuturnioribus febribus victus rationem præcipiamus, homines enecabimus duplici ratione: & quod minus imbecilles euadent ægri, & quòd cogemur in ſtatu, maximè cùm à cibo abſtinendum eſt, dare cibum. Sin autem ab initio craſſiorem: quomodo non omnes quibus ſtatus proximè eſt, iugulas? Quanam igitur ratione medicina ſtare poteſt, abſque hac præcognitione. Quin tu etiam occidas quotquot in manus tuas veniunt, & peſſimo exemplo alios idem facere doceas? An hæc quæ dico falſa ſunt? & à mente authorū, & à ratione atque experientia aliena? An falſum eſt, te omnem ſuſtuliſſe prædictionem? cùm non ſolùm abſtineas ab illa, ſed eò vſque tuum illum patrium virus latè ſerpſerit, vt ne vnus quidem aut alter nunc prædicere audeat. Ita vir innocens, ne procederetur ignorantia tua, totam vrbem euertiſti: & non ſolùm nunc, ſed, niſi Deus aliquis prouideat, etiam in poſterum. Hæc eſt gratia, quam patriæ tuæ reddidiſti. Quid enim illa dicere poſſet? ego te genui, alui, educaui, tutata ſum: tu, vt ditior aliquanto efficereris, peſſimè non ſolùm perdis, prodíſque amicos, ſed vnumquemque bonum inſectaris? exemplóque doces, occidere meos alumnos? Vndenam (nunc ego te interrogo) fama increbuit quòd inſanirem? Verùm in hoc tibi ignoſco: nam cum duorum alterum neceſſarium eſſet, vel vt homines inſanire me crederent, vel te omni ſupplicio dignum exiſtimarent, ferendus es: etſi hanc infamiā, hoc periculum, quacunque ratione à te conatus ſis propulſare. Verùm vbi id non ſucceſſit, viſumq; eſt nimis arduum hoc perſuadere hominibus pro Aſtrologo habendum prædicaſti, adeò vt hic rumor vſque ad Cæſarem peruenerit. Ego quidem fateor me ſcripſiſſe aliqua in Aſtrologia: vbi etiam ſycophantarū perfidia artē euerſam eſſe cognoui.

Sed

Sed vide Elenchum librorum meorum, & quam minima sit eorum portio, id quod à me in Astrologia conscriptum est. Verùm ô præclare, vbi docebis me vix ter aut quater illam artem exercuisse, etiam maximis præmiis propositis? Artem verò medicam perpetuò iam annis triginta & ampliùs exerceo.

At dicis: aliis in disciplinis scripsisti, & inauditam rem: quod aliis omnibus laudi tribuitur, tu pessime vt mihi probro sit obtinere vis? Et solùm in me dignum vituperatione inuenisti, quod iure meritò in omnibus laudari solet. Quanta Galenus, quanta Auicenna, quanta Aëtius, extra artem scripsêre, ac longè plura quàm in arte, & quàm ego? num ergo & illos repudias? & vt medicos imperitos aut minus exercitatos arguis? Sed hæc est labes seculi? non per Iouem, sed patriæ nostræ: nec patriæ, nisi tu dira & stygia pestis in perniciem non solùm honorum, sed etiam disciplinarum natus esses.

Verùm hæc mittamus, rem ipsam prosequamur. Quonam pacto, si statum morbi ignoras, audes tot nobilium corpora tractare? ni forsan diuino iudicio carnifex meritò euasisti. Nunquid purgare, secare venam rectè licebit, ignoto morbi statu? Quid si sub statu horum alterum facias, vel vtrumque nonne hominem occidisti? Suspenduntur latrones, lacerantur, excarnificantur, alibi etiam palis rotisque inseruntur, quòd homines ignotos pecuniis spolient: tu amicos, tuæ fidei creditos fortunis, & vita priuas, præmiáque necis ac sceleris accipis. O felicem sceletati fortunam.

At dices: Nolens occido? Qui nolens, cùm scias te rectè facere posse, nec facias: aliósque facere volentes prohibes? Nonne illa medicamentorum intempestiua exhibitio in gratiam pharmacopolarum excogitata est? scilicet vt lucro allecti, te ad alios infirmos aduocent, & vt simul aliquid facere videatis, morbúmque in longum producas? Quis cum tot commodis tuis errare te nolentem suspicetur: & maximè reclamantibus autoribus, tanquam infelici miserorum ægrotantium successu? Quid ergo est quòd tantum Astrologiam insectaris, quæ morbi euentum prænoscere docet? Non doleo quòd illi operam dederim: sed quòd à tuis malefactis impeditus, id nondum esse qui potuerim quod volebam: scilicet vt statum morbi ex astris prænoscere possem. Ita vt duplici coniecturæ quasi duplici crure innixus, maximam humanæ salutis ansam possem deprehendere. Id solùm generaliter assecutus, quòd tàm Sol quàm Luna in signis vernalibus salubres & breues, in æstiuis breues & periculosos, in autumnalibus lethales, in hyemalibus longos efficere solent. Quódque qui à Sole reguntur morbi diuturni, à Luna breues sunt. Et quòd cum luminare morbo dominans grauioribus planetis commiscetur, ac tardis, morbus natura & euentu longus erit. Sin autem grauibus planetis natura, velocibus autem motu, vt cum Saturnus aut Iupiter prope Solem sunt, morbus quidem natura diuturnus breuior efficietur: sicut contrà, si Mars, Venus aut Mercurius tardi fuerint, morbi natura breues protrahentur: sin veloces, velociter finientur morbi, natura etiam per se breues.

Quodque beneficæ mites, maleficæ prauos suggerunt morbos: & orientales manifestos, occidentales occultos, sub Solis radiis latentes prorsus & incognitos. Quamquam planeta, ibi constitutus si præsit, solùm signent virtutis languorem, & humorum exustionem.

Verùm dices, hæc extra artem sunt: omitto iam. Quid si contendam, te & complices tuos vrinarum cognitionem nullam tenere: sed omnia quæ circa morbos qui ex materia pendent, febres præcipuè, ex æquo tibi incognita esse: Dico sanè & morbum, morbi tempora.

An hoc extra artem etiam? quod tamen tibi experientia ostendere paratus sum. Sed ad cætera transeo. Ex hoc errore in alium non minorem, imò deteriorem incidisti, cùm nescires vbi & quando status morbi sit collocandus, ad septimum in omnibus illum constituisti, aliósque ita facere doces. Vnde si quibusdam antea status euenerit (quod rariùs accidit) illos superflua inedia maceras: deinde me arguis, quod exquisitiore victu in morbis vtar. Cùm ego pluribus cibum vberiorem concedam, quibus tu pernegares, pernegastique aliquando, si quando tantum periculum euadentes ad me laborantes transierunt. At quod maius est, ac generalius, vbi status vltra septimum diem extenditur, tunc illos certò enecas, si sæuus sit morbus: si mitissimus, etiã in difficillimam conditionem vitæ deducis, triplici errore: & quod primùm illum nimis ab initio, quando maximè nutrire oportuit, fame enecasti: & quod nunc quando minimè cibum dare oportet, natura circa coctiones, præparationes, separationes, expulsiones, grauiáque symptomata occupata, das copiosiorem: & quòd repentè ex summa inedia ad pleniorem victum transeas, quod etiam in sanis, Auicenna teste, perniciosissimum est, nedum in extremo vitæ periculo constitutis.

Mitto hîc autoritates, rationésque: neque enim adeò te imperitum existimo, vt hæc non noris: nec tam impudentem, vt quæ confessa sunt ab omnibus medicis, absque vlla controuersia negare audeas. Sed existimas, vt dicis, quemadmodum in moribus, ita in medendo, consuetudinem legem efficere. Proh Dij immortales, iugulare homines consuetudo efficere potest vt sit impunitum? Ita præciso capite efficiet consuetudo, vt homines non moriantur? Hoc est transire à stultis hominum decretis, ad æternas & inconcussas naturæ leges. Ita fiet, vt aconito in vsum hominum reuocato, vnoquoque pereunte tandem vsus obtineat, vt fiat salubre medicamentum. O inauditam temeritatem & impudentiam: quæ etiam inuenit ex artis studiosis & ciuibus, qui se prudentes existimant; & tamen his nugis aures præbent. Sed ad id in quo semper peccat transeamus, carnes & oua dando in putridis continuis febribus, in quo putat se ob id rectè agere, quòd (vt inquit) à nullo antiquorum prohibeatur. Cùm tamen audiat Hippocratem dicentem: Non puta corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Et rursus, in acutis nunquam ptisanam excedit, sed sæpiùs

ac fermè semper infra subsititit. Et Galenus Petrone victus, qui ægros vino & carnibus nutriebat? At dicis: Non in acutis faciendum censeo, sed tantùm in diuturnis morbis. Eia vir egregie: non ne scis nunc sermonem esse de febribus continuis, quæ diem centesimum vigesimum non excedunt, ea Hippocratis seotentia, sicut acutæ quartum decimum? Vbi ergo inuenies apud Hippocratem in tot exemplis ægrotum, qui vltra quadragesimum etiam febre conflictati sunt, quòd vel vnus carnibus vel vino aut ouis vsus sit? Quinimo sorbitiones tamùm ex ptisana, melicratúoque: Galenus verò alicam, panémque lotum etiam indulsit: quanquam ne huius quidem exempla habeam. Dicis vir acutus, tanquam nouam docturus medicinam nostro æuo, experimentum ostendere febres continuas vltra centesimum vigesimum diem extendi, atque hæc tua præcepta in debilibus debere intelligi. O egregiam sapientiam! nonne scis hanc longitudinem non pendere ex morbi natura, sed esse testem errorum tuorum? Contioua enim febris non vltra eum terminum extendi potest, seu lethalis sit, seu sanabilis, ac rectè curetur. Quod verò de imbecillitate vitium obiicis: quis debilior his languentibus, qui iam propter febrem syncope laborant, seu ex humorum abundantia, seu offenso ore ventriculi, in quorum vno ne cibum quidem dat vllum, sed mulsa contentus est: in altero autem ptisanam solùm? non nunquam in alterutro panem vino infusum. Vbi carnes aut oua dantem inuenisti etiam in summo discrimine? quin etiam in ipso periculo, id ipsa syncope & lapsu virium, per quamcumque resolutionem facto, etiamsi ex inedia vel hæmorrosagia contigerit, nunquam tamen carnes aut oua dat: ex principalibus enim & primis proprietatibus cibi, quas debet habere qui exhibetur febricitantibus (quæ sunt, vt facilè concoquantur, & difficulter corrumpantur) carni quidem vtraque deest: nam facilè corrumpitur, & difficillimè concoquitur: oua facillimè corrumpuntur, sed facilè concoquuntur: vt panis difficulter concoquitur, sed difficulter etiam corrumpitur. Ex aliis rursus proprietatibus non adeò necessariis, scilicet vt sit frigidus, humidus, & pauci nutrimenti, nulla adhuc carni conuenit nisi colliquatæ. Quòd sit humida reliqua, ne arte quidem licet permutare: at oua etsi plurimum nutriunt, non tamen adeò calida sunt, sed temperamento proxima: vt panis, qui neque adeò calidus est, & in aqua refrigeratus (lotum hunc vocant) temperatior est, & minus nutrit carne. Caro igitur pessima est febricitantibus: inde oua, panis lotus, vel in vino infusus, & vinum ipsum in syncopis periculo ob id admittuntur. Sed concedamus, vt omnia hæc etiam dari possint quibusdam: postquam non dare tutissimum est: nec vllum inuenias autorem, qui quenquam periclitari horum abstinentia, aut sanari ex vsu affirmet. Cur mauis in morbis continuis & ex humore pendentibus (nam de his nunc sermo est) periculosam, quàm omnino tutam medendi rationem amplecti? neque enim apud aliquem autorem inuenies, quòd quisquam perierit ob id, quod vel carnibus, vel ouis, vel vino (etiamsi per integrum annum) abstinuerit, modò ptisanæ aut panis loti, & eum iure parati quantum oportuit, sumpserit. At eorum qui vel ob vinum, aut oua, aut carnes & olim perierint, & nunc etiam quotidie pereant, exempla non desunt.

Sed iam admittamus, carnes & oua conuenire: cur eum horum alterutro panem coctum aut ptisanam iungis? an non satis onerasse eorum altero ægrum videris? aut minus putas ex adiectione posse nutriri? aut hanc mistionem imparium ciborum sine magno detrimento laborantis esse posse? Verùm deterius etiam his omnibus, quod iam excogitauit, inuenit, in vsumque tam frequentem adduxit, vt fœminæ putent me insanire, si contradico: vel oscitanter medici officio defungi, si prætercam. En illud medicamentum, ille nectarius potus, parum abest quin nomen inuentoris tam præclaræ potionis adiecerim. Et demiror sanè quòd hanc occasionem gloriosam prætermiserit, scilicet vt nomine suo medicamentum antiquorum more non nuncupauerit. Sed vt video, hac in parte fuit præter solitum (nec causam nou) pudentiusculus. Constat hoc non exoticis, nec longiùs petitis medicamentis, quemadmodum talia pleraque (vt Theriaca, aut Athanasia) sed mira arte ex facilè parabilibus quæque vbique in promptu sunt, compositum est: siquidem vitellis ouorum, vino & saccharo. O præclarum magistrum! Vinum, cùm statim nutriat, lutea ouorum secum rapit incocta: ita iecinoris meatus obstruuntur, spiritus inflammatur, saccharum in bilem vertitur. Vt si hoc non apud medicos didiceris, saltem dum puer esses, à poëtis intelligere potuisti. Ita præclarum hoc medicamentum, parum à veneno, & maximè in acutis morbis aut biliosis corporibus abest: sed quia plerumque serius hoc malum se prodit, ideo illius noxam non intelligit, semper tamen aut statim aut aliquanto pòst nocet.

Verùm mittamus dira hæc, quæ in perniciem humani generis inuexit: nam vt nulla regula nulloque ordine constant, ita propemodum sunt infinita. Quin potiùs etiam audi, impudentius ex victu tenuique, ortam febrem, aut auctam inquit. Si te non mouet autoritas, experientia saltem doceat. Quid hoc est aliud, quàm si dicas: Ademptis lignis ignis auctus est, additis imminutus? O egregiã sapientiam, & nouam medendi rationem.

Audistis errorem: inde ex eo, quasi consulto ad humani generis perniciem tenderet, alium non minorem inuexit. Cùm enim inuenisset Auicennæ sententiam: Et cùm virtus debilis fuerit, sparge cibum: eam sic interpretatur: Hora puta decima iubet dari contusas, hora sextadecima vitellos duos ouorum hora vigesima contusum aut ferculum, hora secunda aut tertia noctis rursus oua. O egregium virum medicum prouidum: modò alternet cibos, de cæteris nihil curat.

Dicetis, non fieri posse? Visa refero, & sæpiùs: imò & mos hic perniciosus iam in multos, & ferè omnes dimanauit. Non feret sanus octo diebus hanc copiam ciborum, quin vehementer ægrotet, etiamsi bene dormiat

mine æger insomnis, febre vel doloribus vehementissimis oppressus, cum virtute imbecilli hæc feret? ita iugulati, imò strangulati pereunt omnes. Quòd ergo ille de diuisione suasit, hic de repetitione interpretatus est. Hic cum à me de tam manifestis homicidiis coargueretur, dixit, vsum hoc obtinuisse: ita, vt dixi, putat hic nouus Thessalicus asinus, fieri posse vt velut apud homines, ita apud naturam, vitia imperitorum in leges vertantur. Memini, cum quosdam Medicos è tua secta inuenissem, misero cuidam ægro carnes colliquatas exhibentes, seu contusas, inde post horas vix quinque lutea duo ouorum, rursus post totidem fermè ferculum cum contusis carnibus, ac rursus post horas sex ouorum lutea: parum abfuit quin exclamarem: Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Verùm mecum reputans quòd fundos, redditus, torques, aurea & argentea vasa, gemmas, ac reliqua omnia quæ possident, gloriam quoque ac amicitias, his tam sibi felicibus: aliis autem adeò funestis erroribus debent, consilio, non imperitia eos errare animaduerti. Velut & cum ingrauescente morbo saluatellam (ita manus vocant venam) incidunt, & medicamenta exhibent. Quæ si expediunt, ab initio cur non facis? constat enim auxilia valida omnia ab initio esse adhibenda, tutiusque adhiberi: si non expediunt, cur facis? Sic & cum nouandi studio auxilia quæ iuuant mutas, alia inexperta subrogas: quo quid malignius fieri possit non video.

Verùm diuino quid dicturus sit: id scilicet; quòd tamen plures vel sic seruantur: deinde, quòd plures & nobiles, imò principes, ad re confluant. Sed audi vir egregie: quòd plures sanentur, id in causa est, quòd morbi maxima ex parte (Galeno teste) periculo vacant. His igitur qui sic laborant, omnes fermè ad extremum periculum deducis hac tua noua medendi ratione: & si moriantur aliqui, habes quod excuses, scilicet morbi magnitudinem; sed non spontaneam, verùm quam tu fecisti: imò & nouus etiam Philosophus iam apud plebem fatum inuexisti. Adeò ne es impudens, vt qui pereunt, fato periisse audeas dicere: cum eos qui sanantur, tuâ operâ seruatos glorieris? At non fato perire, sed medicorum tui similium culpâ, ostenderunt tum inter cæteros, hi languentes, à me nuper sanati ex abscessibus, occultis tuis sectatoribus. Quamuis enim ad Orcum fermè deducti essent, præter spem tamen adhibitis per me debitis auxiliis seruati sunt, cum sub illis perpetuò in deterius ruerent. Verùm in his qui leuissimis morbis detinentur, mirum te præbes artificem: iubes enim, prohibes, arguis, increpas, vt si seruentur à morbo quem tu magnum, non casus effecerat, triplici tibi sint emolumento: & quòd plures exprimas pecunias: & quòd plus tibi debere se existimant, velut seruati ab extremo exitio: & quòd fama illa diuagatur, te egregium esse Medicum.

Ita difficile est Deo ac veritati atque iustitiæ seruire, ac simul propriæ vtilitati consulere: cui cum summa pernicie humani generis optimè prospexisti. Ita fit, vt ægri tui, tuorúmque sociorum, omnes ex magnis morbis euasisse videantur. Cùm tamen hac medendi noua methodo, ex magnis morbis omnes, ex mediocribus plerique, ex minimis etiam aliquot pereant. Et cum sic mederi, mederi non sit, sed latrocinari: hæc tamen tua est gloria. At contraria ratione, ex nostris nulli fermè ad magnum morbum perueniunt: qui tamen perueniunt, vix seruantur: nam non errore, sed natura morbi ac propria vi ad eam peruenerunt magnitudinem. Morbi enim qui sub eruditis medicis inualuerunt, vix spes est vt seruari possint. At de his qui sub imperitis, longè maiorem spem concipere possumus, vt Galenus ait.

Hactenus scio vos damnare tacitis votis huius imperitiam, illiúsque errores execrari, adeò nostris ciuibus perniciosos: sed tamen aliqua vos spes alit. Aliqui sunt, qui eum tueri vellent: multi etiam, qui non omnia eius facta improbent, quòd (vt dixi) non omnes eius ægri intereant. Sed audite maius his. Hoc vos terreat, hoc à vobis calculos omnes aduersus illum exprimat, hoc vocem damnationis extorqueat. Nemo fermè qui eius manus euaserit, duobus aut tribus annis superest. Memoria repetatis, quomodo: licet è grauibus illis morbis euaserint, tamen breui quasi omnes perierint. Quid scalpitis caput? ita est: ciuium nostrorum qui sub isto ægrotauerint & euaserint, nomina recenseatis. Quid dubitatis? cùm nemo sit prorsus qui hac obliqua medendi ratione mortem subterfugerit, nemo prorsus dico est qui vitam suam multis annis non decurtauerit. Etenim morbi longitudine & medicamentorum multitudine necesse est homines valde citiùs senescere. Hoc ratio docet, experientia confirmat. Labant enim crura, corpora extenuantur, ventriculus non concoquit, vitalis calor absumitur, facies pallet, spiritus fit difficilis, pili canescunt: an non hæc omnia accelerantis senij indicia sunt? An non hoc dicit Auicenna: Medicina purgans, purgando efficit vt homo senescat? At hanc necessitatem medicamentorum parit copia cibi exhibiti, & consuetudo praua, cuius tu auctor es.

Quòd verò plures ac nobiles & principes cures, duas afferam rationes: & aliam quæ tametsi medica non sit, multum tamen huic proposito congruit. Primùm quidem seruitute & assiduitate, deinde collusione cum pharmacopolis, chirurgis, tonsoribus, obstetricibus, parasitis cubiculariis adulatoribus, cauponibus, omníque hominum colluuie, hanc gloriam tibi inanem conciliasti. Id etiam plurimum tibi fauet, nobis obest, quòd vulgus diuersam à medicorum sententia & veritate ipsa opinionem habet, scilicet quòd melius sit multis auxiliis vti quàm vti quàm paucis: quodque maius periculum sit necessaria omittere, quàm perperam non necessariis vti. Quorum tu non ignarus, nihil prætermittis nisi quod conducere potest. Ob id igitur quis te imperitus artis non laudat? Quis te artis peritus non omnino ridet? Quanta flagitia, quot dolos, reputa tecum miser, perpetrasti, vt per tot calumnias, mendacia, scelera que eò peruenires? Adeò verò tua

hæc collusio cum pharmacopolis ac chirurgis mihi iure suspecta est, vt de morte (quod videtis) securè pronunciem, quòd mors nullius dolis interuerti possit: de vita securè nunquam. Tantum enim timere ne detegaris, tantum alienæ gloriæ inuidere te intelligo, vt nihil non ausurum putem, ne ex voto mihi res succedant. Adde quòd persæpe res, quàm sit votum tuum, in deterius cedit: & dum de me ludos facere cupies, morbi magnitudine iam per se in discrimen vitæ vocante ægrum, eum interficies. Quam etiam ob causam ne speretis me sero vocatum (quod quidam nimiò plus quàm decet de me polliciti expectant) ægros posse reuocare ad vitam: non solùm quòd hic meritò morbus suis suspectum multorum societatem mihi reddiderit, sed multò magis ob id, quod (vt dixi) auxilia strenua nec tutò nec vtiliter nisi in febrium principiis, ex autorum omnium sententia, admoueri possunt. Cuius tamen contrarium plerique vestrûm existimantes, miracula, non euras à me flagitatis: quæ si non perfecero, alij irrident: modestiores me in ordinem conantur redigere: quod perinde est, ac si quis architectum negligat, quòd fundamentis malè iactis & ichnographia peius absoluta, neque pulchrum, neque firmum possit constituere ædificium.

Existimant præterea in medicina principes strenuique viri, vt in militari disciplina, plurimùm posse autoritatem: quod vt in militari fateor verum esse: quoniam obedientia constat, quæ nec minis, nec præmiis, nec crudelitate tàm bene quàm sola autoritate habetur: ita in medicina parum hæc autoritas, aut nihil omnino prodest, rem cum natura & legibus vniuersi nobis præhendentibus. Hoc itaque errore illi omnia confundunt, existimantes se tantum valere iudicio, quantum fortuna præstant: vt vi pollent, ita de artibus atque artificibus homines debere illorum sententiæ acquiescere.

Illud etiam homo solers, atque ex generalibus causis proprias venari solitus prouidè inuenisti, per quod tibi optimè consuleres: scilicet naturam ciuium nostrorum, & præcipuè diuitum ac mulierum, quæ mollior est quàm vt exquisito victu vti velit. Vnde ex hoc inuento plus tibi emolumenti accessit, quàm ex vniuersa Galeni artis Medicæ de temperamentis peritia. Vbi enim ciues nostri, & eò magis Principes, Medicum inuenerint suis cupiditatibus obsequentem, hunc laudant, extollunt, omnibus aliis præferunt: ille solus sapit, vt dici solet, ac viget: præcipuè si quosdam illorum qui perditissimè auaritiæ dediti sunt, gratis, aut exiguis munusculis contentus, curare non aspernetur: hic certè apud hos summis extollitur laudibus, in cæteros varias calumnias effingunt. Sed ad priorem sermonem redeo. Memini cum aliquando cuipiam ex his vinum, quod ex vsu illi erat, concessissem, amplexatus ille manum, me miris laudibus extollebat: tum ego ridens mecum dicebam: Quod si vinum hoc te ad Orcum ducturum esset? nihil minus me laudare, vt laudas nondum expertus rem. Hanc occasionem non prætermisit generosus vir Themison, plus lucri illi ferentem quàm Hippocratis præcepta. Ita nostri ciues Medicum sibi congruentem & ex opinione inuenerunt, & (vt dici solet) sua labra lactucas. Quid igitur mirum est si hunc colant, laudent, amplexentur, malintque cum eo mori, præsertim quod nec consuetudinis iam dictæ quorundam ignarus, paruo vendit operam, quæ illi paruo constat, minúsque emptoribus ipsis vtilem, quàm cum artis peritis viuere? Diuina enim sententia est: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Si tamen reuiuiscere mortuis liceret, non tam gloriareris: quererentur enim apud vulgum, se occisos. Nunc nescio, an tu plures ac firmiores amicos occidendo, quàm ego seruando, conciliés (etenim & hoc inter nostrorum nescio an dicam temporum an ciuium, egregias virtutes est) nam neque agnati & fratres hæredes nunc solum gaudent tuis erroribus, & mariti vxorum (hoc etenim etiam pertritum est) sed proh Deûm fidem, eò processit morum improbitas, vt filij parentum morte lætentur, dum hæreditatibus locupletibus inhiant. Scio nuper quendam adscitum pro familiari medico, à filiis, ob id solum quod parentem eorum occidisset: quem ego totis viribus seruatum cupiebam. Nec nunc periculum medicis est, dum ægros iugulant, vt odio sint nullis nisi parentibus pro filiis, in quibus naturæ lex reluctatur ne interfectorem amare possint. At bene scis quot domus hac causa amiseris. Adeò vt si omnes diligerent suos necessarios, vt patres filios diligere solent, ne vnus tibi ægrotus relictus esset. Verùm aduersus hæc incommoda vir strenuus alteram atque secundam inuenit tuendi se rationem, scilicet potentiam, affines, amicos: adeò vt non tam eruditione, exercitatione, fœlicitateque ac successibus artis pugnetur, sed vi, dolis, rapina. Diceretis esse bellicum certamen pulcherrimè instructum. Sunt velites, iuuenes, sunt in insidiis auxiliares copiæ amici, est statarius miles ac veteranus multis cædibus fortis, sunt duces autoritate potentes, sunt machinæ, opes & nummi bellorum nerui. Quid ad expugnandum Ducem tam instructæ aciei, ego solus inermis valere possum? ne igitur admiremini, si Themison hic vnumquemque in suo genere pessimum sibi adiungens, non solum se tuetur, sed etiam nobis minitatur. Neque tamen glorietis de hac sycophantia, tanquam tuopte ingenio tibi bene cædat; labes est potiùs vrbis nostræ, quæ nimis facilis est ad credendum, vt pauci pluribus imponant, laudentque quæ non viderint, vituperent quæ non sint experti. Vnde sapienter vir grauis Ambrosius, huius vrbis Pontifex cauit, ne Hebræus quisquam plus triduo in ea commoretur: satis intelligens talia esse ciuium ingenia, vt à quouis homine vafro facilè seduci & euerti possint. Itaque ne speres, neque glorieris, quod hîc obtines, vllibi gentium aliàs posse impetrare. Tertia causa forsan, etsi absurdior videri possit, non tamen minus est efficax. Nunc mundus fœnatoribus, latronibus iniustisque viris repletus est, si vnquam aliàs: hi quomodo iustius plecti poterant, quam si vita ante tempus priuarentur? si pignorum charissimorum funera

videant?

videant? si denique ipsi dimidium ætatis suæ inter fomenta, clysteria, venæ sectiones, & aquæ potum, in formidine mortis consumant? quodque reliquum est vitæ, etiam mancipia medicorum viuant, dum ne digito quidem à iussis horum impostorum discedere audent? Nam & hanc artem hic nouus Æsculapius docuit, vt illos loco perterrefaciat qui sibi fidunt, vt ægri pro prædio, sani pro seruis eius sint. Tunc enim illis etiam aliis in causis audacter & absque verecundia imperant: at miseri parent, existimantes eas minas cuiusdam caræ beneuolentiæ fructus esse, ita illi, alioqui in aliis rebus nimium versuti, seu proprio scelere, seu vitæ immodica cupiditate, plusquam pueri hac in causa desipiunt. Non igitur hæc tuæ felicitatis causa tibi eueniunt, sed vltionis illorum: nam & in te aut posteris tuis pari vltione Deus vtetur: vt qui optimum munus, sanctissimam artem, tui commodi tuæque ambitionis & inexplebilis auaritiæ causa vitiaueris. Cur nam existimas ô inclyte vir, poëtas de Æsculapio confixisse, quod cum Hippolytum & Androgeona ad vitam reuocasset, Iupiter fulmine illum extinxerit? nisi vt intelligamus, hominum potentium genus Ioui esse odiosum: nec velle quenquam plus iusto prodesse sceleratis? Satis illis esse debere, si per scelus nefandis, non autem diuinis (quales sunt quæ arte medica parantur) voluptatibus frui liceat. Vnde & illud est de quo Plinius conqueritur, sed causam non intelligebat: Romanorum enim scelera tanta erant, vt non aliter possent puniri, nec melius. Non hæc propter culpam euenire, mihi obiicere potes: scilicet vt negligentiæ, cuius me accusas, & studiorum superuacaneorum, ac acerbitatis naturæ, difficiliumque morum, ac factiosæ opinionis pœnas luam: vel quod aduersentur astra, cum plus semper negotij habeam quàm velim.

Verùm vices patriæ doleo, quódque fermè illud Heliæ dicere possim. Sed ad rem redeo. Quonam pacto artem hanc exercere audes, cum nullius morbi cognitionem teneas, in incerto vagaris, in tenebris erras? Si quis te interroget, quæ febris est hæc? si pauper sit nomen quodcunque, quod in mentem venerit prodis, seu sit, seu non sit: quoniam à nemine coargui times. Si diues & potens, plurima verba in incertum effutis: demum nomine generali vteris, velut quòd sit ex genere biliosarum, aut quòd sit febris continua, quæ omnia vel mulieres & imperiti artis dicere solent: ita eludis audientes, & medicos etiam. Vbi enim speciem morbi enarrauerint, dicis: Et ego inquam dixeram febrem esse biliosam. Quasi idem sit, esse biliosam & hemitriteum primæ vel secundæ vel quartæ aut sextæ speciei, aut tertianam notham, vel extensam, aut simplicem, aut ardentem, aut pestilentem. Omnes enim hæ febres tuo more sub hoc genere continentur.

Quid si sit lipyria, aut epiala, aut hemitriteus alius ex residuis duobus, aut alia febris? num omnes sub vno genere febris tuæ biliosæ comprehendentur? O insanum caput, & intolerabile malum.

Sed omitto iam imperitiam, qua solùm tuis clientibus obesse potes: deteriora sunt: maledicentia illa, qua omnem bonum proscidisti: ambitio, qua docere tuam artem vanam & inanem aggressus es, vt omnes coinquinares hoc tuo virulento dogmate: conspirationes illæ, quibus per vim & nefas obtines, quod neque peritia artis, nec ratione consequi potes: doli, quibus plebem, mulieres, imperitósque omnes seducis, medicos verò longè te meliores superare videris, & irridere. Vnde tibi, die, & cur necessaria illa iracundia, ille vultus toruus? verba faribunda, minæque? an medicamenta & morbi his obsequentur? vt rhabarbarum abs te perterritum, nigram bilem pro flaua, cnicum verò pro pituita bilem detrahet? Quid hoc ipso clarius ostendit tyrannidem tuam, dum quæ neque ratione neque autoritate vel legibus vllis obtinere aut persuadere posse speras, vi extorques? Si doctrina, si ratio vlla tibi suppeteret, si honestum esset quod peteres, quod velles, quid opus esset his minis? præcipuè apud nos, qui mitissimi sumus, & minimè contentiosi. Sed cùm adeò illa quæ præcipis, quæ vis, quæ dicis, absurda sint, vt risu digna omnino apud artis peritos censeantur; ad vim te conuertis. Quid rogo dolis opus est in arte? an naturam decipere te posse confidis? Si ergo ad naturam hi prorsus sint inutiles, qua causa vteris erga homines, nisi vt illi decepti aberrent, illisque imponas? itaque pro eruditione, ratione & experientia (quæ tria in arte maximè sunt necessaria) certamen de ambitione, dolis ac violentia inter nos inuexisti, cùm totiòs ciuitatis pernicie: deinde irrides Medicos Hispanos, Gallos, Germanos, tanquam imperitos. Ego certè imperitos tuarum artium, quemadmodum & ego sum, magna ex parte illos fateor: nec quemquam tibi posse comparari: brauium obtinuisti: cedo, dignus es eo, omnes superasti: sed tamen si de doctrina, artis experientia, intelligentiáque verba habeantur, nemo eorum quos tu barbaros vocas, non te melior est. Quinimo apud hos, vt Fuchsium, Cornarium, & Vesalium, ac Farnelium, Syluiumque prætercam, tótque alios qui medicinam illustrarunt, Copum, Linacrum, Andernacum: innumeros vi præstantissimos viros tum eruditione, tum artis exercitatione. Etsi vera fateri velim, longè plures apud vnamque nationem, sed præcipuè Gallicam, quòd ibi floreant studia, & ea gens mihi magis cognita sit quàm apud Italos. Ita enim hoc virus malarum artium in Italia sæuit, vt desertis studiis, ad has sycophantias fermè omnes conuolent: plúsque obsit praua consuetudo, quàm natura prodesse possit. Hæc cùm ita sint, méque in his scias haud mentiri, omniáque quæ proposui esse tanquam axiomata communésque sententias ab omnibus medicinæ autoribus receptas: eò artem te deduxisse vides, vt hominibus præstet, sola victus ratione ex pane loto, cocto, aquáque è semine arantij sibi indicta, frictionibúsque ac clysteribus (si è re sint) vti, quàm tot periculis errorum; quos tu passim disseminasti, se subiicere: nam & dimidio pauciores peribunt: & qui sanabuntur longè citiùs sanabuntur. Cùm enim rectè

medicinam tractanti è febribus vix vnus aut alter pereat (quòd mihi vsu euenit, cùm solus tempestiuè aduocor : vt ex fide magistratus publicæ sanitatis apertè deprehendi potest) qui fit, vt è tuis tuorumque participum pars fermè tertia decedat, nisi illos vestris nouis institutis perimatis, aut fingatis (quod solum reliquum est) morituros ad uos, sanandos ad me, bona quadam fortuna conuolare?

Verùm tu, ô egregie, simile quippiam effecisti his qui orbem terrarum pessimè describunt : paruo enim circulo delineato, figuram quamcunque modò in partes tres diuisa sit, vt Asiam, Africam & Europam referat, inscribunt: voluntque haberi Cosmographi, cùm neque magnitudinem, neque figuram, neque prouinciarum distinctionem vllam habeat hæc descriptio. Quòd si hos pro Cosmographis non recipitis, quòd illorum pictura nulli sit vsui, non ad intelligentiam situs orbis, non formæ illius, non ad cognitionem maris, montium, fluminum, ciuitatum, non nauigare nos doceat, non iter agere, non prouinciam aggredi ea ea liceat, sed sit exemplum paruum & inconditum, nulliusque vsus: cum eum qui Medicinam eodem modo corrupit, pro Medico habebitis?

Itaque videtis Principes, Patrésque conscripti, quorsum protepat boc tam malum exemplum, & quibus suppliciis dignus sit qui bæc in perniciem hominum docuit. Sed non possum Principibus, imò ne vobis quidem spero ista posse persuadere: scilicet quòd homo simplex in arte medica longè melior sit homine versuto, quòd videatis vos in his quæ tractatis regnis, atque militia ac iustitia administranda, versutum virum & malum, & qui multa etiam furetur & interuertat, minus inutilem esse plerumque Reipub. quàm simplicem, tametsi optimus vir sit atque iustissimus. Idque ita se habet.

Sed decipimini, ignoscite mihi ô viri præstantissimi : quoniam vobis negotium perpetuò cum hominibus est, quibus cum opus homine alio callido atque prudenti : quanquam neque in hoc vtilis esse possit, si non sit probitas cum prudentia & calliditate coniuncta. Verùm cùm nostrum negocium cum natura & diuinis legibus sit, cum quibus nullis dolis, nulla opus est versutia & calliditate, vir quò simplicior, eò melior atque in artis operibus felicior est. Possem ista multis sacræ Scripturæ Philosophorumque ac Medicorum testimoniis confirmare: sed quorsum Soli lucem addere? res adeò per se manifesta est, vt etiam tu ipse improbitatis autor, & cæterorum tui similium facilè Princeps, hæc non negare ausurus sis : sed si quis interroget, negabis prorsus te callidum esse, aut versutum, imò hæc à me confingi liuoris & odij causa dices : re tamen te versutum ostendis : & talem etiam haberi ab omnibus cupis : sed cùm de negocio agitur, alia sentis, alia dicis, quod in omnibus actionibus tuis semper facis. Dices forsan : Versutus sum & callidus, nec tibi hac in parte inuideo, decet hominem talem esse : sed quid prohibet, hoc ne etiam eruditus sim ac peritus quantum es tu, vel etiam longè plus? Sed ô vir egregie, quid prodest hæc tua peritia & eruditio, etiamsi illam haberes, cùm non vtaris? At mentitis : nam ne minimum tibi eius relictum est. Scriptum est enim : In malitiosum animum non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio.

Verùm forsan hæc omnia tolerari, ac etiam ferri possent, cùm nec latro vnus vrbem vnam solus euertere queat: hócque factum in tui commodum, quantumcunque malum excusare velis : sed quod alios idem facere docueris, hoc nónne omnino est patriam prodere? nónne crimen læsæ maiestatis est, siccarios congregare in perniciem publicam?

Tum, Rex túque Senatus, si quis vel viginti viros armet aduersum vos, si quis veneno vt proderet totidem ex intimis vestris familiaribus tentaret, quibus illum cruciatibus afficeretis? modò deteriora facientem atque molientem, non solùm permittitis impunitum, sed etiam amplexamini : vt quod viribus suis ac per se ne tentare quidem auderet, vestra ámicitia vestráque familiaritate fretus efficere possit? Dicitis, Nescimus, nec credimus. Non est bæc digna excusatio. Si quæratis, facilè est sontes deprehendere vel ex ipsorum confessione. Scio tamen quàm difficile sit, tam inueteratum errorem ex animis vestris excutere : quámque arduum vos hortari, vt Medicos amicos, longa consuetudine vobis charos, è domo propellere velitis : nedum vt in illos animaduertere sustineatis. Quanquam non minor sit hæc proditio, & longè maius malum, maiórque pernicies primæ, maiúsque vobis periculum immineat, quam à militibus ac seditione : nam multo plures horum scelere perierunt, Reges ac Senatores, quorum omnium tu doctor es ac Princeps, quàm vel veneno vel ferro : nec quisquam medicis magis intimus aut familiaris esse potest, quorum operam effugere non licet. Quis nunc omittenda non facit? facienda non omittit? frictiones adeò necessarias, adeò vtiles non solùm morbo depellendo, sed etiam confirmandis viribus, quotusquisque facit? at fomenta, inunctiones milléque alias nugas facere iubes ac doces, en consilio, vt si faciant alij, & ipsi peccent, & tu princeps Medicorum videaris.

Sed quomodo diuinabimus nos, quod prorsus extra artis præcepta est? Si omittant tanquam necessaria permittentes & quæ tu iam in vsum reuocaueris, pro imperitis habeantur. Simili modo & illud, puerperis statim vinum, oua, carnes dare, tuum inuentum est: quo errore quarta pars earum perit: non minor in perpetuos & insanabiles morbos, licet mitiores, decidit : quæ si recta victus ratione vterentur, via ex centum duæ perirent, cum sit partus res naturalis, & ex quo vix aliud animal intereat. Quis etiam docuit perperam vbique chirurgum aduocare, non vtilitatis ægri causa, sed vt lucri participes tuos errores celet, tuáque crimina defendat, aduocétque vicissim ad alios ægros?

Verùm dices, Quid hoc obest ægro? Multum sanè : nam & chirurgi, vt aliquid facere videantur, de membri salute disputant. Dumque illi, vt in crisibus persæpè euenire solet, parti prospiciunt, totum hominem perdunt:

perdunt: atque ita duos nobiles viros, atque inter ciuitatis primarios, hoc errore periisse uidi. Nonne & illud in vsum reuocasti, vt interrogantibus de faciendis circa ægros, statim medici respondeant? ita vt cùm me hæsitare videant, vel obliuiosum, vel alia cogitantem, vel stupidum esse existiment? cùm tamen boc errore, hac prompta respondendi consuetudine, in tota arte nihil possit esse perniciosius. Impossibile enim est, in tam ardua re, & inter tot difficultates, promptè benéque consulere.

At error bic hominis vita persæpè pensatur. Quin etiam quasi contrariis dogmatibus homo callidè in vsum mulieribus blandiens deduxisti, vt patienter earum nugas & aliquot infirmorum mollium deliramenta audiremus: vnde homini occupato necessarium esset, vel cum inimicitia eos reprehendere, vel ad rem non pertinentia audiendo necessaria omittere, quemadmodum & tu facis: nam neque quid dederis, nec quando cœperit morbus, nec quid iniunxeris, memoria tenes. Sed etiam accessionis immemor, cibum in illius initio exhiberi mandas: & ei qui interuallo est metuens, frustra accessionis initium inediam imperas: & venæ sectionem post sectionem, medicamenta post medicamenta, vt omnia fortuitò & facias & eueniant. Illud quoque reprehensione non leui in te dignum est, quod moram apud ægros non iuxta morborum magnitudinem ducis, & languentis necessitatem, sed iuxta potentiam hominum, pecuniæque largitionem: quasi, qui tenuiore re ac fortuna sunt, non sint homines. Ita omnia proprio commodo metiris, nulla æqui iustique ratione habita: nec plus fides apud te valet, quàm apud Pœnos, cùm fallere summa laus sit, & de fraudibus glorieris. Quid verò dicam de interrogatiunculis illis tuis, in quibus tempus illud quo apud ægrum manes, terrere solitus es? quàm inanes, ineptæ, ridiculæ, & solùm auribus mulierum atque artis inexpertium accommodatæ: Quid edistis? quid bibistis? vitellum ne vnum oui, an duos sumpsistis? assatos, an elixos? arantiine succum addidistis? ante vel post ferculum? Inde illud præclarum: Quàm suauis vobis cibus? quàm iucundus potus visus est? incaluistis ne? O perditam hominum amentiam, & miseram ægrorum conditionem?

Dicis; Quid ergo interrogare debeo? An tātus natu adhuc ignoras? Verùm ex puerilibus bis interrogationibus, si non omnino vecordes essent ciues nostri, non ne tuam sapientiam introspicerent? è quibus inter cætera omnia illud pulcherrimum est, quod antequam vnius responsum audias, ad aliam trāsit interrogationem: quasi memoriæ præceptiones has puerorum & picarum more mandaueris, & interrogasse absq; responsione sufficiat. Cùm tamen contrario modo res se habeat, scilicet vt responsione solùm, non interrogatione opus habeamus, qua quidem ad proliciendam respōsionem solùm vtimur. Verùm cùm hæc ita se habeant: quæritis forsan, quomodo in inuidiam omnium medicorum, imò fermè totius ciuitatis, bic me traxerit? Audite admirabilem solertiam, industriámque non vulgarem, & quomodo scelere suo omnibus me reddiderit odiosum. Corrupta enim medendi consuetudine, cùm fermè vbique aliquid contra præcepta artis admitteretur, conatus sum eos ad veram methodum reuocare: id illis sinistrè interpretantibus facilè persuasit me alios contemnere, omnia solum agere, méque etiam vnum credere sapientem. Quis non meritò, si ita sit, talem non odio habeat? Itaque cum eas ipse consuetudines induxisset, quæ à nullo artis perito possent nisi omnibus diuinis humanisque legibus contemptis admitti: quòd cum suis participibus non sentiremus, in inuidiam nos vocat. O ingenium verbis Christi dignum! Filij, inquit, huius mundi prudentiores sunt filiis lucis. Dicis, Cur alij non queruntur? Quod me grauius premat hoc malum, quàm forsan reliquos: neque enim nisi sciens peccare possum, ac teipsum imitari: plerisque aliis non tam certè scire se derelinquere, leniorem efficit culpam. Quòd etsi recta medendi via innumeros seruem, qui sub te essent perituri: illud tamen incommodi sequitur, vt qui pereunt, quamuis fatali necessitate, & non sine prædictione mea, tamen inscitia periisse vulgus arbitretur, quòd consuetam tuam normam, quam illi nunc pro lege habent, non seruauerim. Ita fit, vt vnius mors necessaria, tot aliorum saluti impedimento sit. Quin etiam audite aliud technæ genus: Si ad deploratum aliquem vocor, omnia sinit me facere, dum sperat moriturum: ne consanguinei eum inuidisse saluti infirmi querantur. Si fortè contingat reuiuiscere, vnus omnia agit, qui nihil antea agebat: tótque & tanta præcipit, vt nihil mihi restet: plura etiam perperam, quibus æger denuò persæpe relabitur ita infamiæ expers, gloriæ ne socium quidem habere dignatur. Eaque arte & tanquam me omnia agentem calumniatur, & sui erroris culpam in me reiicit. Quinetiam cum duo simus rara quadam sorte Medici eiusdem nominis atque prænominis, neque hanc tam pulchram hic impostor prætermittit occasionem: quicquid illi sinistri contingit, suppressa differentia narrat, vt plures credant (& maximè quòd his qui me norunt, talia refert) mihi contigisse. Ita fit, vt etiam alterius casibus sim obnoxius, propriæ felicitatis vix particeps. Auget præterea hæc, ornat, queritur de communi medicorum conditione: dolet quòd paucorum error ad multorum ignominiam transferatur. Ita nihil prætermittit: quod ad fallendum conducat, falsóque calumniandum: idque etiam sequaces suos facere docuit. Hi quoque adeò euiluerunt, vt sæpe famam sparserint me abesse ab vrbe, cum essem præsens: ægrotaréque, cùm maximè valerem, vt infirmos hac fallacia suffurarentur. Cuius rei tot sunt testes, vt pudeat numerum referre. Sic in dies grassatur hoc malum vestra culpa, nostráque iactura, ô ciues. Nam quod ad me attinet, semper hoc exemplum viguit aduersum artis medicæ principes, (non quòd me talem existimem alia causa: sed cùm video contra me imperitos omnes conspirasse, adducor vt credam certè, etsi talis non sim,

illos

illos me talem exiſtimare (vt nulli eorum defuerit ſuus Zoilus: Hippocrati, Gnidij medici: Galeno, Theſſalus quidam & Eraſiſtratij: ita vt ſemper optimus quiſque in arte malè audierit. Verùm quod ad te attinet, monſtrum horrendum, age quantumuis dolis miniſque: ſunt mihi ſpicula Hiſpanicis gladiis acutiora, & Gallicis machinis vehementiora: oratio ſcilicet, vibrantéſque ſententiæ, quibus te perfodiam, nec vlla vis, non diuitiæ, nec fauor principum, non violentia illa tua te mihi eripiet, quin vt vrſa nuper catulos enixa te totum confodiam atque dilacerem. Quòd ſi conſilium non mutabis, perſeuerabíſque in hac tua tam impudenti pertinacia, prodam & nomen: & tam acri ſtudio te, tuámque vitam ac facta inſectabor, vt imbuta Archilochi tela putes rabie. Nam niſi obſtaret vecordia tua, contemptuſque honoris, conſiderem te ad laqueum ſpontaneum poſſe adigi, cùm tua facta Lycambeis multo ſint deteriora & turpiora: neque mihi, ſuppeditantibus Muſis, aduerſus tam atrocem latronem dicendi facultatem, quanta fuit eius genero, vereor defuturam.

D I X I.



NERONIS

NERONIS
ENCOMIVM.

SÆpenumero accidit in iudicio ferendn, habendáque existimatione de hominibus ac maximè principibus quod etiam in rebus ipsis, velut corporibus erga animam, sensuum illecebris erga rationem scilicet, vt deterior pars meliorem vincat. Etenim nrta à populi, ab imperitnrum, ac improborum vocibus vulgari npinione, quod Nern improbus esset, ac crudelis, adeò permanauit in omnium mentes, adeò peruicit etiam sapientum sententiam, vt iam talis ab omnibus habeatur: & si quis contradicere vel illum laudare tentet, paradoxa dicere videatur. Quòd si illud Antisthenis dictum aureum secum pensitarent, idem esse laudari ab improbis, & vituperari à probis, vel vituperari ab imprnbis, à probis laudari, non minimum laudis hæc vituperatin afferre posset: quandoquidem constet, eius ætatis viros, maximè Romanos, adeò improbos fuisse, vt nihil supra excogitari possit: seu verò imperitos, seu ipsos scriptnres inspicias, in existimatione haud possis aberrare. Namque Tacitus sacerdos fuit idolorum, & vir summa ambitione atque improbitate, si vitam ex verbis etiam eius coniicere velis. At quanto etiam deteriorem fuisse credendum est, quàm sponte se prodiderit? In vniuersum, vt breuiter agam, impius cultor Deorum, existimationem omnem flagitij constituebat in offensa potentiorum: vt non à probitate, nec à causa pœnas & supplicia, sed ab opibus, potentia & nobilitate æstimaret: Cætera quæ pro maximis sceleribus nunc habentur, nec in numero habenda censuerit. Dico rapinas, stupra, cuiuscunque generis furta, dolos, sæuitiam, oppressionem miserorum, iudicia profanata, atque huiusmodi. Alter Suetonius, eius cui erat à secretis, vxoris Antonini scilicet, corruptor: cætera ex hoc vno æstimato. His ergo iudicibus, & testibus damnatus est Nero. Quanquam nec sic ab illis damnari potuit, vt etiam eorum testimonio optimus princeps haberi non debeat. Quòd si ad Senatus ac potentiorum iudicium rem ipsam deferamus, placet mihi illud Ciceronis: Vel ego, vel illi desipiũt. Cùm enim à plerisque damnaretur, & pro stulto haberetur, quòd posthabita sui suorúmque securitate, tutatus esset rempublicam, cõstanti animo ausus est se solum pronũciare sapientem aduersus tot stultos: cùm alterũ duorũ esse necessarium foret, vel vt omnes illi desiperent, solus ipse saperet: vel omnibus illis rectè sentientibus ipse solus desiperet. Ita dico, vel Neronem necesse est fuisse improbum: illos autem omnes innocentes & probos: vel solum Neronem probum, Senatum omnem cum nptimatibus illis pessimos, & omnis flagitij autores. De Senatu, de nptimatibus, notissimum est quales fuerint, quibus ludibrio totum humanum genus fuit præter Romanos: homines in theatro pro pecudibus subiiciebantur, vis pro iure & æquitate fuit, Romanus populus & Senatus pro Diis erat. Quid est quod singula commemorem, vbi nihil esset quod homine dignum esset? Si ergò homines hos punire nefarium est, omnis Rex, omnis Senatus nefarius est. Si homines interficere viri est nequam, cùm nullus Senatus quouis latronum collegio pauciores homines occidat, necesse est omnem Senatum collegio latronum esse scelestiorem. Si ergo causa, locus, tempus, persona, necessitas, excusare non solùm possunt hominum necem, sed etiam eos qui illam intulerint, laude dignos reddere: non est quod damnemus Neronem sæuitiæ, quòd multos occiderit: sed, si iniustè & sine causa occidit. Nulla calumnia certior est, quàm cùm res ipsa accusatur, modus non adiicitur. Interfecerit patrem, matrem, filios, fratres, vxorem licet, nihil dicis modò, quod sine causa non ostenderis occidisse. Potuit occidisse nolens; coactus iustam ob causam, deceptus: nihil horum condemnat eum: aliqua etiam gloriosa sunt. Timoleon fratrem patriæ insidiantem occidit: laudatur ab omnibus, defensus à Diis, post id factum victoriis multis clarus. Brutus & Torquatus filios occiderunt, & laudantur. Virginius filiam virginem, ne in seruitutem raperetur: factúmque illius ab omnibus probatur. Ottomanorum principes, quos Deus tueri videtur, patres, fratres, filios, nepotes ex fratribus ac filiis occidunt: nec ob id nefarij habentur. Causa enim est in omnibus, non solùm regnare tutò, sed etiam sine seditione & iactura subditorum. Quid ergo est, vt factum in crimen sine causa in Nerone vocetis? Si Nero bonus fuit, non meretur vituperari: si malus, sub malis principibus boni solent esse rectores magistratus, & reliqui homines, metu saltem: vt nonnunquam melius sit (vt dicebat Fronto Consul) sub his esse, sub quibus nihil licet (Domitianum innuens) quàm sub quibus omnia: ipsum designans Neruam, virum sanè optimum, sed ætate inualidum. Confer ergo Domitiani sæuos spiritus cum clementi Neruæ natura, & Domitianum cum Nerone; & tempora temporibus Domitiani iam fracta potentia, militum denique, Senatus & potentiorum, tot intestinis à ciuilibus bellis, tot proscriptionibus contra Neronis adhuc spirantis victorias, triumphos, minas, cædes, libertatis memoriam dulcem,

nona

nouæ seruitutis impatieotes animos : intelliges Neronem meliorem fuisse suis temporibus,quàm Neruam sois. Quod si commutata fuisset tatio,aut commutari potuisset , Neronem Neruæ temporibus vt Deum visum iri, Neruam Neronis æuo inutilem : cumpara, si rectè libet iudicare,homines,tempora temporibus,non simpliciter hominum facta, locus, tempus,leges,consuetudo,ætas multa variant: ob quæ mali persæpe meliores videntur,boni detetiores. Si sontes Nero puniuit,bonus fuit: si Nero insontes opprimi permisit,malus. Ergo si vtrumque contigit , Nero Nerua melior est : at Neronem non sulùm sontes uppressisse constat , sed insontibus omnibus ae miseris mitem, liberalem atque vtilem fuisse haud dubium est. Quot igitur gradibus , vt ita dieam , Neronem Neruæ præferemus ? Quid enim si Neto non optimus fuit Imperator, nec ad hoc coëgit vt laudes illius describerem?an forsan tot post annos mihi manes illius conciliaturus , vel placaturus sum ? an in gratiam agnatorum illius , vel consuetudinis eius studiosorum,iam mille & quingenteis annis elapsis?aut forsan periculum facūdiæ meæ facturus,qui sim prupè elinguis,aut ira,amore, odio,spe alicuius?aut ocij causa?cùm tempus nec ad necessaria conscribenda satis superesse animaduertam:aut nece filij irritatus, sperabo me aliquid editurum audentius , sub hoc titulo: Aduersus necis authores?cùm constet, hoc Encomium nunquam non à me excogitatum , iamdio meditatum & cœptum, aliquot antè obitum filij annos conscriptum, & inter libros meos numeratum. Ergu sola rei indignitas me mouit:cum,vt pleraque alia optimum principem peruersu ordine inter pessimus numerarent. Cæterùm rei gestæ series ita se habet.

C. Iulio Cæsare , viro tyrannico spiritu, Romanam rempublicam dolo, seditione, vi occupaote, eóque parùm felicitet occiso, Antonius,Octauius & Lepidus defectione, proditione, conspiratione , atque vi tandem imperium obtinuerunt. Erat autem Octauius Acciæ filius,ac Octauij : Aecia autem Iuliæ, C. Cæsaris sororis,& Balbi filia:ita Octauius nepos fuit sororis Cæsaris , & ab co in filium adoptatus. Is perculsis ambobus collegis , M. Antonium ad voluntariam mortem adegit, eius filium natu maiorem iussit interfici : sic potitus rerum , eum nefanda crudelitate CCC. Senatorij, II. equesttis XXX. è populo occidisset, & bonis etiam spoliasset , quorundam etiam vxoribus ac filiis sublatis tanquam nouus Aristides suscepit Reip. Romanæ gubernaculum , in quo neqne ipse neque maiores sui quicquam incrementi contulerant:vt cuius pater adstipulator , auus fuerit argentarius : atque sic Cicero. Antonius verò & Cassius etiam nummulatium fuisse auum, & pistrinum exercuisse aiunt. Constat vtrumque & patrem & auum, precariū fecisse quæstum. Ex Scribonia vxore , quæ iam duobus antea maritis nupserat , Iuliam suscepit filiam:statimque pertæsus coniugij , quod morosam esse diceret , Liuiam duxit, Tiberij vxorem quæ iam marito Tiberium pepererat,& tum in vtero Drusum semestrem gerebat. Ita Octauius filiam vnam & duos priuignos habuit. Ex Liuia nullum putuit suscipere filium , sed abortu pueri sterilis euasit in posterum. Iuliam ergu filiam ob hæc Agrippæ genero Octauiæ sororis nuptui datt vbique coniugium à diuortio auspicatus. Felix tamen & in hoc , ex Agrippa susceptis nepotibus , altero Agrippa , Caio & Luciu, qui tamen sine filiis & in iuuenta obiêre:neptibus autem , altera Iulia & Agrippina , Iuliam neptem locauit Lucio Paulo Censoris filio. Mortuo Agripa , Iuliam filiam Tiberio locauit : coacto ptiùs vxorem quam vnicè diligebat,& ex qua Drusum susceperat,filium abdicare. Atque antea omnia , si non probè & iustè,saltem cautè egerat. Hoc autem neque prudenter , neque caotè. Quin etiam pertæsus Tiberius huius coniugij , quamuis principalis, maluit secedere Rhodom , quàm impudicæ vxoris , quam nec necare ob patrem, nec pati ob turpitudinem poterat , tædium sustinere. Per hæc tempora Liuiæ , vt puto vxoris astu cognouit , vtranque Iuliam, filiam & neptem , parum pudicè viuere : ob quæ vtranque relegauit. Filium etiam neptis post damnationem natum ali vetuit , sed iussit exponi : sen ira Deorum ad id cogente, seu quod sæuissimus esset , adeò vt in bello Perusino trecentos ex dediticiis vtriusque ordinis ad aram Iulij more ouium mactauerit : sicque aliis qui capti erant veniam deprecantibus , etiam sæuam illam & ferinam vocem addidit : Moriendum esse. Iam ergo tota illius progenie spem vnius Agrippinæ redacta, eam Germanico Drusi priuigni filio collocauit : adò felici successu , vt ex ea pronepotes sex,qui ei superstites fuerunt, susciperet : masculos tres,Drusum, Neronem,& Caligulam : totidem fœminas , Drusillam, Liuillam , & alteram Agrippinam. Omittò modò cæteros ex eisdem parentibus liberos genitos , qui ante Augusti mortem obiêre. Susceperat Drusus ex Aotonia , M. Antonij triumuiri ex filia nepte, duos alios filios, præter Germanicum : scilicet Claudium neque Tiberium qoicquam ad Augusti progeniem pertinere:sed Claudium priuigni filium,& ex nepte inimicissimi hostis : Tiberium verò tantum priuignum fuisse. Hucusque , si non cautè, saltem non stultè, & quæ quoquomodo excusari possent , peracta sunt ab Augusto omnia. Quæ tamen post hæc , nullo consilio, nullo iudicio ab eo peracta sunt , vt mente omnino excidisse videretur. Viuente igitur nepte Agrippina,& coniuge eios Germanico, Tiberium , ad se nihil pertinentem , imperij hæredem reliquit. Præteriit Agrippam iuuenē & nepotem,& in filium cum Tiberio adoptatum,qui adhuc superstes erat:satis fit. Exulem dices?sed Germanicum alterius priuigni filiū, & tot suorum pronepotum parentē, quo iure? Itaque vbi Octauius excessit è vita , Tiberius Agrippam statim in insula occidi iussit. Nec verò sine suspicione doli Liuiæ mortuus erat Caius, Octauij (vt dixi) nepos,ex Armenia veniens,licet vulnere debilis. Perierat & iampridem Drusus,alter priuignus:vnde summa rerū in Germanico Tiberij ex fratre nepote incūbebat,exercituum domino. Sed seu patrui reuerentia,seu testamētum Augusti deterruerit, seu non confisus viribus propriis , aut etiam quadam

quadam ignauia distineretur, nihil aduersus Tiberium moliri ausus est: at contrà ille, vt par erat, non legitimum imperium obtinens, tot adhuc saluis legitimis hæredibus, primùm per Pisonem Germanicum dolo aggreditur: quem seu maleficis artibus, seu dolore atque angore animi interficit. Inde duos natu maiores filios illius, Senatus authoritate morte damnauit, Drusum & Neronem. Adiecit & sceleri matrem. Et nisi fortuna quædam Caligulam seruasset, omnem stirpem Germanici extincturus proculdubio erat. Verùm dum ipse luxui simul & sceleribus operam dat, & vt honestius viderentur damnari nepotes, per adoptionem Seianum quendam subiicit, omnium horum ministrum, ille vbi videt Germanici propè domũ extinctam, senem hunc diis & hominibus ob immania flagitia inuisum: mox cupidus inuadendi imperium, solus Drusum iuuenem Tiberij filium, in quem spes omnis imperij incumbebat, veneno necat: quæ res detecta, vt exitio Seiano, ita Caligulæ saluti fuit, cùm iam nullus hæres imperio relinqueretur præter Caligulam. Qui non eò seruatus est, quòd pronepos esset Augusti: sed quòd Drusi fratris Tiberij nepos fuerit. Ex quo apparet, quàm stultè Augustus imperium reliquerit Tiberio: cui tamen esset filius Drusus, quomodo poterat sperare imperium relicturum filio salua prole Augusti? vt cogeretur etiamsi impetrare neglexisset, aut filio imperium relinquere: aut si ipse & filius salui esse vellent, totam Augusti stirpem excindere. Accessit huic Fatorum ordini quoddam non leue suffragium, vt Tiberius Tiberiolum ex proprio filio Druso natum, filium illius esse non existimauerit: alter enim res rursus acta erat. Et vel sic tamen illum cum Caligula instituit heredem. Sed Caligula vt sibi prospiceret, & tot cædes suorum vlcisceretur, statim vbi imperium inuasit, Tiberiolum occidi iussit. Occiso Caligula ob immensa scelera, Claudius (vt dixi) Drusi filius, & Antonij pronepos, nulla sanguinis affinitate contingens Augustum, ad imperium rapitur, nullo iure, sed sola amentia militum, & Senatus ambitione. Hic rursus exclusis descendentibus ex filiabus Germanici, ac pronepotibus Augusti, extra illius stirpem iniquissimo iure (si ius vllum tyranno regnandi esse potest) aut nullo, si nullum concessit. Hic iterum fortuna, quæ in illorum familiam iurauerat, admirabile commentum inuenit. Erat Claudio vxor nomine Messalina, Barbari Messalæ consobrini filia, & ex descendentibus Messalæ vnius è tribus Augusti principalibus amicis (fuerunt autem hi, Mœcenas, Messala, & Agrippa) quæ omni genere probri contaminata, eò amentiæ venit, vt viuente Claudio filio nuberet: vnde Claudij iussu occisa. Claudius impatiens cœlibatus, contra omnia iura Romana, Agrippinam Domitij Ænobarbi aliàs vxorem, & ex quo Neronem sustulerat, Germanici fratris filiam, in vxorem ducit: illa callido consilio primùm Octauiæ, filiæ Claudij, Neronem iam adolescentem connubio iungit. Deinde quamuis Claudio filius esset Britannicus satis adultus, suadet vt Neronem in filium adoptet: quibus rationibus, non satscio: sed nec ad suadendum Claudio vllæ poterant esse insufficientes, & alteri nullæ sufficere potuissent. Persuasit demum & Claudius priuignum natu maiorem ex stirpe Augusti, cùm ipse nullo (vt dixi) eam iure contingeret: & matris præsidio armatum adoptat in filium. Inde priuignum fictis criminibus ad Claudium delatis, quibuscunque fidis custodibus exarmat. Facilè fuisset, etiam prudentem decepisse, opitulantibus omnibus qui in necem Messalinæ consenserant: è quorum re erat, ne Germanicus succederet, futurus vlto sicariorum & inimicorum matris. Cùm verò Agrippina, quæ eò vsque prudenter se gesserat, & petulantia & lasciuia thorum Claudij incestare aggressa esset, resipiscente Claudio, & fœdas nuptias, adoptionem stultam, periculosam Agrippinæ & morosam consuetudinem animaduerteret, consilio mutato, omnia dissoluere tentabat. Sed priùs dixit, quàm statuerit: adeò amens erat, & inops prudentiæ. Quamobrem illa metuens, ne pluribus annis dolo partam imperij spem, vna hora per vim amitteret: Claudium quidem boletis veneno infectis, per Halotum spadonem ministrum & Locustam veneficij magistram necat. Atque sic imperium filio parauit, nomine quidem, re autem sibi. Adiunctis enim Neroni, Seneca, tanquam literarum institutore, & Burro imperij ministro, conabatur imperij ius ad se trahere: & vt filium maiore in metu ac magis in officio contineret, simulauit, amplecti Britannicum, & spem etiam imperij facere: Burrum & Senecam sperabat terreri posse minis, ob beneficium contineri in officio (namque præter cætera constat, Senecam ab exilio iam trunca manu reuocatum, etiam bona sua, & multò ampliora recepisse) his adolescentem coërceri. Eò autem venerat insaniæ & petulantiæ, vt Armeniorum legatis apud Neronem causam orantibus, ascendere suggestum Imperatoris, & præsidere simul pararet: ni cæteris pauore defixis Seneca Neronem admonuisset, vt venienti matri occurreret: ita specie pietatis obuiam itum dedecori. Post hæc etiam cùm nil proficere videretur, filium ad stuprum solicitauit, existimans hac via posse filium decipi. His causis motus, fratrem veneno, ne illum mater præponeret audacia, gratia potens, sanguinis Claudiorum adolescentulum, filiúmque Imperatoris: non tàm imperio quàm etiam vitæ timens: deinde matrẽ cùm videret nihilosecius omnia moliri, vt nõ tam ipse quàm illa regnaret, maiusque esse ius vxoris quàm matris, diu cunctatus, consiliis tandem eorum, quos illa ei præfecerat, qui nec ipsi mulieris impotentiam perferre possent, occidit. Eádẽ ratione occidit & vxorem: nam dimissæ cùm essent ex Imperatoria stirpe tàm mater quàm vxor, si alteri nupsissent, exitium Neroni peperissent: cùm & inimicos proprios, & amicorum partem, & omnes amicos illarum ac noui sponsi aduersum se pugnaturos animaduerteret. Interim in omnes mitis ac blandus, iustique ac recti defensor: sed paulò pòst irritatus duplici cõspiratione, Pisoniana primùm maiore, inde etiam Viniciana Beneuenti plurimos occidit conscios illarum: inter quos Senecã, & Lucanum illius nepotem: in quibus etiam se mitem pro facti ratione exhibuit, cùm neminem nisi

simplici mortis genere damnauerit, pluribus etiam insitato clementiæ genere pepercit. Accidit autem, vt inter hæc vrbs Romana sex totis diebus arserit: ibi quàm iniustè sit culpatus, quòd incendij auctor extitisset, apparet, cùm constet immenso auri pondere populum ad ædificandum adiuuisse: adeò vt qui eum accusant, nec sibi constent. Subiectos post hæc falsæ criminationi incendij Christianos, immeritas luisse pœnas scio. Sed vbi difficultas est, nemo lapidem mouet. Quorsum enim subiecisset, qui non esset sibi facinoris conscius? Demum amitam & Burrum veneno sublatos calumniantur, tam lenibus suspicionibus, vt pudeat huiusmodi in medium afferre. Quod verò maximè accusant, est, quòd aurigauerit, cecinerit, saltauerit: quæ omnia humanioris, ac si acerbius prosequi factum velis, mollioris animi argumenta sunt, non sceleris aut flagitij. Sublato metu & obrepentibus adulatoribus, paululùm ad libidinem, adolescentiæ peculiarem affectum, inclinauit: in qua miris eum modis lacerant? quòd si quid habuissent potiùs quod damnassent, in tam futilem accusationem non iam se totos recepissent. Crimina sunt adolescentiæ, irritamenta potentiæ, sensuum illecebræ, consilia & auxilia adulatorum: quorum nihil defuit Neroni. At non culpabunt clementiam, libertatem, iustitiam, amorem sapientum, proborum ac tenuiorum, publicæ rei dilectionem & curam, mansuetudinem, contemptum ambitionis, splendorem operum, acumen ingenij, facundiam, memoriam, gratiam in bene meritos, Deorum cultum, religionem: hæc si possent culpare, in ipso potuissent, ne certè ad laudem eius hæc abolendam aut minuendam pertinerent. Sed cùm in his omnibus admirabilem se præstiterit, cùm omnes maiores suos probitate superauerit, vanum esse puto, ex puerilibus aut adolescentiæ vitiis illum eriminari. Cùm verò seditiosi duces ac perfidi administratores, auaritia & ambitione pellecti, tot beneficiorum immemores legiones solicitassent communi omnium periculo, ad atmáque aduersus iustum & æquum principem capessenda incitassent, quod nollet illos finibus excedere, deprædari finitimos & ipsontes, miseràmque plebem, quo nil magis optabant milites: crimini eius datur alienum scelus. Indicio autem est sub Nerone tam amplis finibus Romani Imperij nullum fuisse bellum, nisi pro Armenia cum Parthis: quòd etiam & victoriis insignis, & liberalitate admirabilis placauit, mediúmque tenuit, vt nec auidus quicquam ex hostilibus adiecerit imperio fraude vel vi, nec ob mollitiem aut socordiam amiserit. Quæ duo vitia, etiam in bis qui optimi habiti sunt Imperatoribus, Traiano atque Adriano, damnantur. Horum alteri nil satis esse videbatur, alter etiam patris factis per summam segnitiem inuidebat. Desertus ergo ab improbis militibus ac facinorosis, mortem se suáque virtute dignam oppetiit: manumque fortiter sibi inferens, ostendit nihil formidare potuisse, nec mortem honestam refugerit. Quinetiam qualem animum retinuerit, in ipso quoque mortis instantis sensu declarauit, cùm militi cuidam ad eum pro auxilio venisse simulanti respondit, Serò: scilicet, si ad auxilium. Inde subiecit: Et hæc est fides; ne non intelligere fraudem videretur. Cogita modò tu, quali ingenij præstantia, quali prudentia ac fortitudine fuerit. Vnde illa verba: οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις. ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Id est: Non decet Neronem, non decet: supple, hæc pati, & tam sordido loco esse. Euigilare oportet in huiusmodi. Age, suscita teipsum. Ipse sibi sepulchrum exornauit: & cùm equorum aduentum sensit, dixit:

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει. id est: *Equorum citatorum strepitus circumsonat aures.*

Vt intelligeremus, in ipso mortis aditu (neque enim distulit ictum, quo se gladio confodit) mente haud consternatum esse: aliena enim lingua metu excussi quomodo loquentur, cùm multi nec loqui prorsus queant? Iam ergo honestissimam mortem subiit, adeò vt cùm damnatus esset à scelestissimo Senatu, metu populi miserantis tam indignam damnationem, defectionem, proditionem, viri fortem casum, non ausi sint eum contumelia aliqua afficere: vt contigit Galbæ, qui eum prodidit: ac Vitellio aliisque: imò concrematus est funere quinquies mille aureorum coronatorum, stragulis albis auro intextis, quibus vsus fuerat Calendis Ianuariis.

Cæterùm vt ad reliqua vitæ ornamenta transeam, pauca de multis subiiciam, & breuiter: vt illius fortunam potiùs miserabilem, quàm lætam, licet splẽdidam, fuisse ostendam. Adolescens nobili genere, sed parùm felici ortus sidere, inter odia populi Romani atque Senatus, ob maiorum sæuitiam ac iniurias, inter ætatis illius & vrbis infanda vitia, inter abusus & iniustas leges, quas tollere sine periculo & relinquere sine maxima iniuria vniuersi orbis non poterat, fraudulenta matre, infirmo principatu, improbis consultoribus, nequissimis amicis, pugnare cum omnibus coactus est. Existimo, si sui iuris fuisset, nunquam cum tot periculis, & curis etiam oblatum fuisse recepturum imperium: recepit imperium hortatu & iussis matris: dimittere amplius tutum non erat. Parum prosperum & auspicatum fuit initium, non alius successus neque finis sperandus erat. Deceptus à matre quæ illum à studiis Philosophiæ prohibuit, & à Seneca magistro, mortalium improbissimo, qui matri id persuasit non conuenire principi Philosophiam, quo ipse videretur Neroni admirabilior. Educatus à prima pueritia, ne vlla in parte fortuna illius virtuti aduersaretur apud Lepidam amitam, duobus sub pædagogis, saltatore atque tonsore: quas rogo disciplinas, aut quales bonos mores aut egregia exempla, aut regendi atque imperandi præcepta, sub talibus magistris discere potuit? Et tamen vbi primum Senecam nactus est præceptorem, quamprimum (quod optimus esset natura) ad illius perfectam imitationem se totum tradidit. Itaque quicquid boni in eo fuit, proprium illius naturæ, iudicij, consiliique fuit; si quid omnino errauit: aut si aliqua in parte defecit, certè id ei alieno vitio contigit, atque eorum sanè quos turpius fuisset à se abigere,

quàm

quàm parère. Sed quoniam, vt cognoscamus qualis sit optimus Princeps, necessarium est, scire primum, quænam sint officia optimi Principis, quæ à nullo (quod sciam) aut verè aut scitè explicata sunt: sed Peripatetico more omnia miscentium, confundentium atque perdentium inuoluta, causam præbuêre vt optimi habeantur tyranni: improbi verò qui optimè regunt, ideò vnquam necesse est de officio optimi principis dicere. Cùmque omnibus in rebus quædam sint necessaria, quædam magis necessaria, quædam maximè necessaria: hoc idem institutis optimi Principis distinguere oportet: nihil enim deterius in multiplici rerum vsu atque doctrina, quàm aut decipi in rebus ipsis, velut bona pro malis, & mala pro bonis habere: aut in ordine, cùm quæ optima sunt, bonis anteponimus, aut etiam pessima simpliciter malis, aut vehementer malis. Optimi igitur Principis maximè necessariæ conditiones sunt, foris pacem aut necessarium tantum bellum habere: domi autem iustitiam & æquitatem colere. Magis autem necessariæ, sed non quantum priores, sunt, commodis omnium prospicere, maximè tamen bonorum & egentium. Necessariæ autem non adeò sunt, prouinciam totam ornare moribus atque pulchritudine. Ita in vrbibus templa, ædes magnificæ; spectacula: in agris cultus, in viis æqualitas, & pontes iuxta flumina, resiccare paludes, transferre noxios torrentes, saxa eximere, montes peruios facere, custodias contra latrones adhibere, feras tollere, diuersoria locis necessariis constituere, rusticorum alacritati fauere, omnia tuta & visu iucunda reddere. Hæc vt fiant à principe, necesse est vt prudentia & bonitate polleat. Parùm in illo fortitudo desideratur, si hæc adsint, quod multorum auxilio se tueri possit. Bonitas duplicem exigit vsum: & quod velit bona malis proponere; & quod nulli incommodo vel labori vt publicæ vtilitati consulat, parcere velit. Hæc igitur, & non plura, optimi principis officia esse, nemo non videt, tametsi nullus Glauco, vel Polemarchus nostra dicta tanquam aliena probet. Sed modò videamus, an hæc omnia ita sint, & non pluribus indigeamus, & quomodo sint intelligenda: tum demum Neronem hæc ipsa obseruasse demonstrabimus. Principiò igitur pacem bello præponendam non puto necessarium esse vt doceamus, sed tamen ob peruicaces docere abs re non erit. Pax incrementum & quietem affert humano generi, bellum perturbationem & interitum. Pace artes bonæ coluntur, bello destruuntur. Pax bonis omnibus amica est, & miseros solatur: bellum bonos opprimit, miseros funditùs enecat. Pax leges exercet, & improbos punit: bellum efficit improbos, & leges silere cogit. Pax denique agros fertiles reddit, domos erigit: bellum agros deuastat, ædificia diruit. Denique bellum propter pacem est, non pax propter bellum. Feris nationibus bellum familiare est: humanis, cultis, bonis, sapientibúsque viris pax cordi est: bellum fit furentibus hominibus, atque insanientibus: pax verò pacatis, felicibus atque prudentibus. Itaque Neronem quis hac in laude æquare poterit? Audi dicat Suetonius: "Augendi propagandique imperij neque voluntate vlla, neque spe motus vnquam & ex Britannia ducere exercitum cogitauit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in Prouinciæ formam redegit." Hæc ille scripsit: in quibus si tantum laudis contineri sensisset, nescio an scripturus fuisset: nam certè nihil maius, aut absolutius hac in causa excogitari potuit: non enim vi augere imperium voluit, vt Traianus: nec dolo turpi, vt Tiberius, quem præstabat vel sic imperium minuisse quàm auxisse. Vnde de Tiberio Tacitus: Archelaum Cappadociæ Regem quinquaginta annis regno potitum specie indulgentiæ per matris litteras accersit: inde vbi venit, accusatum in Senatu de tædio & angore animi, senioque ad mortem seu voluntariam, seu ex morbo adegit, regnumque in Prouinciam redegit. Sic Maraboduum Germanum & Thrasypolim Thracem decepit: ac contra Armeniam à Parthis, Mœsiam à Dacis ac Sarmatis, Gallia à Germanis vastari neglexit. Itaque Alexander Seuerus non ausus est pomerium vrbis Romanæ ampliare, dicens: Licuisse hoc solum tribus Cæsaribus, Augusto, Neroni, & Traiano: quòd hi limites Imperij ampliarunt, & partum seruarunt. Itaque quod ad imperij moderationem cupiditate, & pacis tuendæ rationem, nulli impar optimo principi fuit, plerisque etiam superior. Veniamus ad bella. Quinque causis licet bellum suscipere. Prima, si iniustè quis inferat: stultum est enim iacere desidem, ingruente hoste cum exercitu. Secunda, si qui aliquid eripuerint vltrò: nam veterem ferendo iniuriam, irritas nouam. Tertia, si periculum est ab hoste, ita vt cogaris fidei suæ salutem tuam committere. Vt enim optimus sit princeps, malus ei succedere potest: ideo cùm non nisi iustis legibus rectè viuere & beatè liceat, cauendum est ne vicinis armis impediamur. Quarta, cum his qui nobiscum fœdere iuncti sunt, bellum aut iniuria infertur: decet enim & ob fidem seruandam, & vt par pari, si occasio eueniat, referatur, amicos tueri. Quinta, vt militem in disciplina contineamus: dum enim expertes belli, vel disciplinam amittunt, vel pro militibus latrones euadunt, prouincialiúmque bona & finitimorum cum quibus pax est, diripiunt. Quocirca non diu in pace sinere oportet: sed translatis exercitibus ita agendum, vt vnum bellum exercendis omnibus militibus satisfaciat. Ergo Neroni nulla causa cùm esset bellandi, præterquam contra Parthos, qui Armeniam simul possidebant, & infestabant: inde omnes causæ iusti belli eum compulerunt ad illud suscipiendum; & omnia etiam quæ diximus peregit. Cùm enim Corbulonem, acrem virum, in ducem elegisset, hæc Tacitus subiungit: "Sed Corbuloni plus molis aduersus ignauiam militum, quàm contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotæ legiones pace longa segnes, munia Romanorum ægerrimè tolerabant."

„ Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non statioοem, non vigiliam inissent, vallum fossámque quasi noua & mira viserent t sine galeis, sine loricis, nitidi & quæstuosi, militia per oppida expleta. Igitor dimissis quibus senecta aut valetudo aduersa etat, supplementum pitiuit. Et habiti per Galatiam & Cappadociam delectus, adiectáque ex Germania legio, cum equitibus alariis, & peditatu cohortium. Liquet igitur ex Taciti testimonio, Neronem artem reparasse militarem, quæ sub continuis tribus proximis Principibus, Claudio, Caligula, & Tiberio (aliter enim veterani munia illa ignorasse non potuerunt) neglecta fuerat. Bellum suscepisse iustissimum, maximè necessarium & vtile Romanæ Reipublicæ: illudqoe obseruasse, vt hoc vno bello nullæ legiones quiescerent, sed plures in officio & exercitatione, omnes in metu continerentur. Nam non solùm hanc, sed plures alias legiones loco mouit, ex Ponto, Mœsia atque Pannonia. Sed nec minus felix exitus, & longè vtilior quàm M. Crassi, qui exercitum amisit: & Augusti, qui solùm specie honoris contentus, satis habuit illos suis in sedibus quiescere: & quàm (vt dixi) Tiberij & succedentium, sub quibus Parthi Armeniam occuparant: & quàm eriam Traiani, qui cum speciosis victoriis plus afflixit Romanam Rẽpublicam quàm auxerit: vnde infecta te coactus est regredi. Victi etiam Parthi fuerant ab Antonio, Ventidio duce: sed & ea victoria nil plus attulit quàm honorem illum, quem postmodum Augusto detulerunt. At Nero pertinaci & bene instituto bello, castella illorum expugnauit, exercitus profligauit, Artaxatam Armeniæ quasi caput occupauit: tandem Parthos ad deditionem, ad fatendum victorem, ad supplicandum Romanorum vexillis coëgit: idque nec mutato Duce in tam diuturno bello, nec clade insigni vlla accepta, cùm Augustus Loliaoam & Varianam magna cum ignominia accepisset, tam validis cum exercitibus, & tum maximè vigente militari disciplina, ac Romana Republica. Sed & sub fine Imperij quàm sapienter Nero prospexit defectioni Iudæorum, quos & subegit & deleuit per Vespasiannm ducem; licet ob proditionem Vindicis & Galbæ, Nero eam victoriam videre non potuerit. Apparet igitur, Neronem tàm belli quàm pacis artibus, omnibus Cæsaribus qui vel antè vel post fuêre, præstantiorem fuisse.

Veniamus ad Reipublicæ gubernandæ munia, in quibus an melior, an prudentior, an felicior fuerit, non sat facilè dictu. Id verò primò videndum, quis sit iustus aut æquus iudex, aut dominus. Iustum solét definire, qui legem obseruat. At videamus quid Reipublicæ & humano generi vtile sit: certè, vt quisquis quantum fieri possit, bene babeat. Id verò duobus modis fit commodis vniofcniusque prospiciatur, & vt omnes boni euadant: cùm enim mala duplici modo nobis contingant, alia qoidem natura & fortuna, alia verò ab hominibus aliis: rectè consultum fuerit, si his quæ natura & caso veniunt, beneficiis & liberalitate Princeps succurrerit: his autem quæ ab hominibus eueniunt, illos efficiendo bonos: nam sic non solùm nemini oberunt, sed etiam multis proderunt. Iustitia verò probos efficit homines: & præter id etiam, quod cuiusque est, ei reddit: ob id iustitiam & primam & solam: id est, omnem complectentem virtutem rectè appellat: atque hæc sine controuersia sunt. De quibus autem controuersamur, sunt tria. Primùm, an fauendum sit miseris, an potentibus? Secundũ, an iustitia sit, seruare leges ex præscripto? Tertium, an idem sit in fauendo vtile & honestũ? De primo enim nõ magna est difficultas, quin leges afflictis & miseris fauere debeant, si ad Deum, ad iustũ & æquum respicere velimus: nam cùm, vt dixi, finis oprimi principis sit, vt omnes optimè habeant: palàm est, leges debere subleuare languentes, fouere miseros: non autem potentes, qui hoc ipso non indigent. Quid ergo propriom est iusti aut æqui domini aut iudicis? est, erigere miseros, protegere, alleuare afflictos. Ob id non iostus est qui leges ex præscripto seruat, sed sæuus: illi tamen Seueri nomen sibi vindicant. Et rectè: secus, à vero. Sed in tam graui te mittamus iocos. Ille iustus est, legem ad mentem conditoris refert, non qui ad scripium. Mens conditoris considerat non factum solùm, sed causam facti, qualitatẽ errantis, vt eorum qui cum illo iuncti sunt. Seruauit Pop. Rom. & bene, Horatium illum qoi sororem occiderat: quoniam patriam seruauerat. Occidam oe ego hominem, qui iratus ciuem occiderit, cum seruauerit plurimos? ille iustus est iudex, qui ad mitiorem partem semper inclinat, non sui, sed delinquẽtis causa. Sui causa, si in mitiorem partem declinet, iniustus est. Sui causa inclinabit, cùm delinquentis potentiam aut gratiam spectabit aut ab illius pecunia corrumpetur. Delinquentis causa inclinari dicitur, cùm illius iniurias, quas passus est, ac molestiam ab illo quem occidit, diuturnam vexationem, periculum vitæ, iuuentutem, leuitatem, consilia aliorum, pœnitentiam facti, virtutem, eruditionem, pietatem, vtilitatem qua exhibet Reipublicæ, facta egregia, filios impuberes, patrem aut matrem senem, aut cui nulli alij sint filij, aut si vnus alius superfit, sed inutilis prorsns, aut si parentes alat, vel si vnus superfit è memorabili aliqua stirpe (nec magis in alio probem Augusti factum, quàm cum damnatum reuocauit nulla causa, nisi quod vnus esset ex Brasidæ Lacedæmonij descendentibus) vel quoniam incorruptus sit ei ad pecuniam animus, considerat. Æquitatis verò est, si veniam consecutus est ab his quos læsit: si alij ex eodem crimine dimissi sunt, si alat filios eius quem interfecit, si se religioni addixerit, si sui miseri sint, si non existimauit occisurum, si desperatione & multitudine calamitatum ad id compulsus est. Non ergo iustum est ex lege iudicare, nisi in ciuilibos caussis, propter confusionem, & rei de qua agitur humilitatem. Errare enim in pecunia, multo minus est quam in criminibus capitalibus vbi infamia morti adiungitur, & vbi ex præscripto legis agitur: vt apud Areopagitas. Et tamen duas liberarunt, quas lex damnabat: vt apud Valerium Maximum legitur. Adeo laudabilis est clementia & misericordia, vbi non pro pecunia adipiscenda crimen admittitur: in cæteris enim ad mitiorem semper partem inclinandum est. Cogita Vir inique, qui alium damnas, quanta tu admiseris, quali tu

pœna

pœna dignus sis, nisi te calliditas regat, potentia nimia tueatur. Qui in pauperes & impotentes sæuit, excusari nequit, quod se norit esse nocentem. Qui legibus homines damnat, rarò in id quod rectum est, collimat. Puniuntur homines tribus ex causis, vel ob id vt improbus tollatur è Republica, vel ob exemplum, vel ob solarium eôrum qui offensam passi sunt. Si vt improbus è Repub. tollatur, nulli sunt puniendi nisi qui vel ipso vitio oblectantur, vel qui ob pecuniam id agunt. Verisimile enim est, huiusmodi hominibus facultatem peccandi nunquam defuturam. Reliquos, & maximè iuuenes, sinere oportet: saltem enim prole iuuare Rempublicam poterunt: maximè si artem aliquam calleant. Ob exemplum atrocibus facinoribus, & in his ad quæ hominum genus procliue est: in cæteris nonnunquam pœna plus exemplo nocet, quàm absolutio. Considerandum est autem præcipuè in his, quis iniuriam primus intulerit, etiamsi leuior sit. Iniquissimum est, sinere inultos prouocantes: prouocatos autem, etiam si maius admittant peccatum, punire. Ad solatium autem eius qui offensam passus est, punire quenquam, ferinum est, imò vipereum. Vsurparunt hoc veteres pessimo exemplo, solum in bellis: vnde illud:

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsuros sanguine flammas:

Antea verò dixerat: *Sulmone creatos*

Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens
Viuentes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captiuóque rogi perfundat sanguine flāmas.

Sumptum etiam ab Homero, in Patrocli funere. Post edi mundus gladiatorium per bustuarios cœpit, vt atrocia facti leniretur. Quid ergo est, vt in pacato iudicio detur hæc atrocibus & sauciis ira, vltionis desiderio, ambitione animis? Nulli ergo hoc dandum, nisi altera ex prioribus causis adsit. Tertium, quod in contentione erat, duo habet capita: vnum, an simul iungantur vtilitas publica, & pium iustúmque præceptum, decretúmque: deinde, si non iungantur, cui parendum sit, & quid præponendum. In hoc omnes & reges & aulici & magistratus decipiuntur, hoc conantur tueri, & duo esse diuersa, & Reipublicæ potiùs quā pietatis habendam rationem. Hîc pugna, tametsi occulta, hîc dissidia oriūtur. Dicunt, melius esse Rempublica fauere, opulentis fauere, potentibus magnísque viris. Hoc suadent improbi fures regibus, hoc agunt re, tametsi dissimulent. Et primùm quidem ratione id defendunt, quod à miseris & humilibus nullum immineat periculum: ingens autem à potentibus strenuis & opulentis: & contrà opulenti multis in causis amici prodesse possunt, inopes nequaquam. Non aliud Philosophi & Poëtæ dicunt, quàm euersa regna ob nobiliorum offensas: tenuiorum nullum, aut vnum alterūve exemplum. Pauciores etiam in officio continere, multitudine facilius est. Ergo si tenuioribus faueas, non propter id continebis multitudinem, sed cogêris plurimis fauere: nec tamē ob multitudinem tibi amicam habebis. Potentes etiam sunt magis natura grati & memores, vt qui sint meliorum morum, & magis agnoscāt beneficium. Vident etiam & ostendunt regna nunc Turcarum, Gallorum, ac omnia (vt ita dicam) adeò vt etiam Respublicæ quæ diuturna sunt & antiquis firmiora, quæ fauent potentioribus. Ita hæc persuadent regibus iniquissimi viri; cùm non solùm honestius sit ac magis pium, vt dixi, fauere tenuioribus: sed securius Principi, & diuturnitati Reipublicæ ac cuiuscunque dominationis vtilius. Itaque in vtroque errare faciunt, ipsi non errant: nam sic venditantes iustitiam, quam tenuioribus venditare ob paupertatem non possent, prætorias domos & alta Palatia construunt: & fundos possident adeo latos, vt persæpe fines eorum ignorent: Sed maledictis non his opus est, quæ plus illi non curant quā Dij preces simiarum. Pugnandum est ratione, nec adducam quicquam ex Deorum ira atque vindicta: cui si crederent, vt Philippus Argemonus optimè dicit, opus nō esset mea admonitione. Deinde etiamsi crederent, scio nihil grauius posse eorum auribus cōtingere, quàm quotidie offundere has minas: dicentes (quod verum esse fateor) ne non esse Dei [illegible]: ita de reuocatis consiliis, vel statim veniam parāre per exomologesin: quod ego non nego, modò præstes quod ex iure illius est. Alij dicunt, sermones institui oportere de præsentibus: nam futura incerta sunt. Omittamus ergo, quandoquidem paucos secus habituri sumus auditores, sermones pios: nam in his nullum est dubium, nec apud ipsos: & de principum vtilitate disseramus. Si potentibus faueant iudices, si illos plus iusto euehant, principes tria maxima sequuntur incommoda, quæ ad euersionem dominationis faciunt. Primum, quod pecuniæ in paucos & potentes cogentur, vnde necessitatis tempore tributa exigere non licebit: hácque ex causa victi cessêre tandem semper Galli: à plebe enim facilè est pecunias habere tum quia faciliùs parent, tum quia auctis vectigalibus crescunt redditus principum absque periculo. Secundum, quod si per iniusta procedatur, & ad potentiores semper procedat fauor, necesse est vt breui res in tyrannidem euadat, & regnum vel Respublica ruat: quod & Romæ, & in Parthorum ac Britannorum aliisque plurimis regibus euenit, qui ab his quos iniustè euexerant, euersi sunt. Tertium est, quòd crescentem potentia vel vnius ad fastigium, vel plurium satrapatum, valde necesse vt regnū maximo cum rege in periculo sit, seu illi inter se conueniāt, seu dissideant. Porrò quā inualida sint huiusmodi regna quæ potentioribus fauent, ostenderunt in Italia nostra ætate Neapolitanum, Insubrum, Taurinum & Salassiorum: quæ omnia nostra ætate dominos cōmutarunt. Sic & Florentia ac Sena. Solæ Venetiæ, Ferraria ac Mantua diu steterunt: omnes munimento situs potiùs quàm gubernationis, præter Venetias: sed hæ ius æquum custodiunt melius. Turcarum potentia stat ob reuolutionem: serui enim sunt omnes: nec potentia vel opes ad descendētes perueniūt: ob id fauere potentioribus aut tenuioribus, pro eodē habentur. At non sic Pannoniæ regnum, quod & nostra ætate concidit, semper instabile antea, licet nunquam aliàs euersum. Incredibile est quàm facilè concidant hæc regna, in quibus iudices potentioribus fauent:

nam regnum Neapolitanum & Mediolanense, vix toto trimestri spacio conciderunt prorsus. Taurinum, vel mense toto: Salassiorum, vix octo diebus. Speciosa est pompa horum Procerũ, sed vt vitrea organa magni sumptus, inutilis. Si petis, non dant: si imperas, non obediunt: vndique discordiæ, seditiones, contentionésque fluctuant. Regis magnitudini aut inuident, si nihil det: aut damnosi, si dat: quandoque vtroque modo noxij. Nihil est nocentius regibus procerum potentia. Si quicquam peccet princeps in illos, facilè conspirant in vnum, ob paucitatem: faciliùs irascuntur ob ambitionem. Vidistis infelicem casum Pharnesij Ducis: hoc metuere à tenuis fortunæ viris non poterat. Quinetiam multi ex his adeò amentes sunt, vt pluris se existiment rege: cùm enim plures sint potentes, quid mirum est si vnus aut alter eò dementiæ veniat? Hoc insaniæ genus, si secus mente valeant, incredibile dictu quanta & qualia mala ipsi regi pariat. Quis princeps apud nos regnauit è Vicecomitum aut Sfortiadum familia, quem non aliquis ciuis noster, etiam sine causa, sed sola ambitione, ferro aggressus sit? pauci certè. Forsan pluribus sufficere possit exemplum illud Tarquinij ad legatos filij, cum loco responsi capita papauerum quæ supereminebant virga decuteret: insinuans, tutò Gabiis non imperaturum, nisi eos qui potentia præcellerent, tolleret.

Ergo si diuino humanóque iure tenemur fauere tenuioris fortunæ viris, nec non miseris, iustéque id ac secundum leges: Nero verò id maximè præstitit: haud dubium est, Neronem non fuisse optimum virum: atque etiam perspicuum, quare pro improbo habitus sit. Turba enim illa omnis, primùm aulica, inde potentiorum ac Senatus, deinde gratiosorum (scitis quos dicam) nec non fœneratorum, quorum & nunc maxima est potentia, historicorum, ducum, militum, aduersus Neronem conspirauit: non in initio principatus: nam tum Burrus ac Seneca suis fœneratoribus ac potentioribus fauebant: quod si quem oppressissent, illis, non Principi imputabatur: ita aliquandiu Nero iacuit & seipso deterior, & laudatus: cum his placeret ciuibus, qui plurimum possent. Verùm vbi patrocinium iustitiæ, æquitatis, tenuiorum ac miserorum, tum plebis suscepit: inde repentè crudelis parricida, impius, infamis, omnium mortalium pessimus dictus est. Hæc igitur vt ostendamus, beneficia illius in omnes bonos, in omnes dico, in plebem & miseros atque abiectæ sortis homines, in memoriam reuocemus: id priùs prædicentes, Neronem bono magis animo, & meliore quàm felici successu rerum suarum fecisse. Vt enim non sinunt potentiores, plurimum posse atque superare leges: ita vbi iam occupauerint illi, non valde tutum est deiicere eos è loco. Itaque legibus potiùs proterendi sunt tunc proceres, quàm imperantis voce ac iussu. Leges per plures administrantur, imperium per vnum, imò ipsum principẽ. Quocirca Nero non tantum potuit hac in parte habere consilij, quantum erat necesse. Verùm ætatis feruidæ confidentia plus sibi tribuit quàm posset. Vnde etiam illa vox emanauit: Nullus ex principibus, qui me præcesserunt, sciuit quid sibi liceret: quam in deteriorem partem, vt reliqua etiam alia, interpretati sunt: quasi non de cohibendo potentiorum iniurias in tenuiores loquerentur, sed inferendo. Adiecit & aliud incommodum, quòd se theatro, cantui citharæ, histrionicæ; aurigationíque dedit: quæ tametsi crimina nõ essent, auctoritatem tamen tanto periculo, quam necesse erat maximam esse, imminuerunt. Quatuor enim necessaria sunt ad procerum iam confirmatam potentiam euertendam: Sapientia summa in constituendo leges & iudices, & vt eò non tendêre videantur: summa auctoritas, vt etiam vita religiosa sit: vitæ diuturnitas: & bona fortuna quædam, sine qua nil arduum inter mortalia perficere, multa excogitare licet: atque in hoc genere sunt filij, affines, cognatique ac amici, potentia, fide consilióqu præstantes. Sed iam ad leges & benefacta Neronis veniamus, quæ plura sunt quàm quæ à me colligi facilè possint. Primùm ergo de annonæ abundantia, testis ille iniquus Cornelius Tacitus, cùm de Neronis discessu ageret, inquit: Præcipua cura rei frumentariæ, angustias, si abesset, populo metuenti. Quid hoc? nisi quod per absentiam illius horrea concluderentur, præsentia paterẽt? ita nequissimi illi optimates pessimorum plebem enecabant. Et rursus: Cùm vrbs, vt dixi, flagrasset, pretium frumenti minusum ad ternos nummos, vt pauperibus consuleretur. Aliàs stratagemate vsus, effuso frumento veteri in Tyberim, non permisit, tametsi in magna penuria, pretium augeri. Nec vnquam sub illius imperio fame laboratum, nisi extremo tempore, cùm non potuit auxiliari. Sed ad decreta veniamus. Initio principatus, professus (quod etiam, vt Tacitus refert, præstitit) se non omnium negotiorum iudicem futurum, vt clausis intra domum vnam accusatoribus & reis paucorum potentia grassaretur, teneret antiqua munia Senatus, consulum tribunalibus Italia & publicæ prouinciæ assisterent, illi patrum aditum præberent: se mandatis exercitibus consulturũ. Inde constitutum, ne quis ad orandam causam mercede aut donis emeretur, ne designatis quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset. Statuas aureas à Senatu oblatas, & initium anni vt ad Decembrem mensem (quo natus erat) transferretur: & Antistij collegæ in consulatu iusamẽtum in manus suas prohibuit, nec passus est accusante proprio seruo Carinam Celerem, nec Iulium Densum ob inuidiam inter reos duci. Quinetiam raro exemplo accusatos Burrum præfectum, Pallantem atque Cornelium Sullam affectati imperij, nõ solùm plenè absoluit, exustis etiam tabulis, sed & accusatorem in exilium damnauit. Detraxit & in spectaculis theatri militem, vt plebs liberior esset. Sed hoc diu manere non potuit, nimia plebis licentia: quæ in partes diuisa, dum diuersis studiis immodicè fauet, penè seditionẽ excitauit. Cúmque liberos ad seruitutem redigere rursus quidam conarentur, ob non satis graues causas inhibuit, additis etiam his verbis: Dispiceret quisque, dum liberaret seruum, illius merita: tardéque concederet, quòd datum non adimeretur. Inducti etiam tribuni non adeò soluta licentia, sed tum qui plebis

commodis

commodis consulerent: statutumque, quantum Ædiles pignoris capere possent. Et tribunus Eluidius Priscus contra Obultronium Sabinum contentiones exercuit, quòd quæstor ærarij contra inopes ius hastæ inclementer exerceret. Elegit & ad quæsturam illam prætura perfunctos, & experientia probatos. Antium coloniam deduxit, additis veteranis è prætorio, ditissimisque primipilarium, portuque sumptuosissimi operis extructo. Capuam Nuceriam firmauit additis militibus: plebeiq; congiarium quadrigeni nummi viritim dati: Et sestertium quadringenties ærario illatum, ad retinendam populi fidem. Vectigal quoq; quintæ & vigesimæ venalium mancipiorum remissum. Et quod optimum fuit, edixit ne quis magistratus aut procurator qui prouinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut ludicrum aliud quodvis ederet. Nam antè non minus largitione quàm corripiendis pecuniis subiectos affligebant: dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnãt: parum verò abfuit ne cuncta vectigalia tàm in cæteris prouinciis quàm in vrbe & Italia pulcberrimo dono mortalium generi aboleret. Sustulit tamen quadragesimam & quinquagesimam, & quæcunque illicitis exactionibus excreuerant. Cossutianus verò Capito & Vibius Secundus, pluresque alij sub Nerone repetundarum damnati sunt. Contra Valerium Messalam collegam in consulatu, sed pauperem, & duos senatores ad inopiam redactos, pecunia in singulos annos constituta subleuauit: nec eos tantùm, sed (vt Suetonius inquit) quoscunque nobilissimi generis, etiã ad quingena salario anno constituto. P. Suiliũ vt damnauit, quamquã Senatorem, ob scelera, ita ne videretur inuidiæ quorundam in patrem subscribere, filium illius Nerulinum absoluit: tametsi Seneca, qui tum plurimum poterat ob Neronis ætatem, & patri illius erat inimicissimus, reluctaretur. Pomponiam Grecinam, externæ superstitionis ream, pulcherrimo exemplo coniugi Plancio concessit: qui eam adhibitis propinquis insontem pronunciauit. Leges publicanorum ad id tempus in fraudem exactionũ occultatas publicari iussit: & ne quis eorum vltra annum posset repetere debitum: Et cùm sibi iudices antea haberent, voluit, vt Romæ prætor: in prouinciis qui pro prætore essent, ius aduersus illos dicerent: & vt militibus immunitas seruaretur, nisi quid illi venderent. Temperata etiam apud transmarinas prouincias frumenti subuectio: & ne censibus negociatorum naues ascriberentur, nec pro illis tributum penderent, cautum est. Et ne segnem militem desidia corrũperet, exercitum in Germania, postquam pax cum finitimis esset, coëgit aggerem quo Rhenus cohiberetur, sub Druso cœptum ante sexaginta annos, absoluere. Exules impotentia matris pulsos patria, vbi illa periit, suis sedibus restituit: non quidem (vt dicunt) in matris iniuriam (neque enim vlla illius alia decreta rescidit) sed quòd necdum viueret pulchrum putabat illi aduersari, nec male acta quanquã in matre probaret, exitio præcipuè alieno. Ipse verò post epulas sapiẽtiæ doctoribus operam dabat, & pangendis carminibus, quæ certatim ætate æquales supplebant: doctus etiam cælare, pingere, canere, pulsare, equos cursu exercere & agitare. Pedius quidem Blesus à Senatu motus est accusantibus Cyrenensibus, violatum ab eo Æsculapij thesaurum. Quàm illud penè diuinum? Appio rex, agros quosdam cum regno populo Romano reliquit: hos inuasêre quidam ciues Cyrenensium, atque occupauêre. Orta inter Claudij Imperatoris procuratores & Cyrenẽses contentione de huiusmodi agris, mittitur iudex Attilius Strabo, qui eos populo Romano adiudicauit. Tum Cyrenenses de iudicis iniquitate apud Senatum conquesti, remissi sunt ad Neronem, ea ratione (puto) quòd res fisci ageretur: ille pronunciauit, Atrilium rectè iudicasse: agros tamen Cyrenensibus reliquit. Dicam miranda, tamẽ vera, de miti illius ingenio atque prudentia. Fulserat Cometes. Populus ingratus, & nouarum rerum cupidus, destinarat sua existimatione Neronem morti: quòd huiusmodi sidera mortem principum prænunciare videantur: iam illi quærit successorem, eumque Rubellium Plautum, ex Iulia familia per matrem originem ducentem, iuuenem clarum opibus, augurio etiam ad spem confirmatum: namque paucis antè diebus, dum Nero apud Simbruina stagna in finibus Tiburtum cænaret, ictæ illi sunt fulgure dapes: cum Plauius paternam originem ex Tiburto duceret. Hunc ergo tam suspectum, satis habuit monere, prauè diffamantibus se subtraheret: habere in Asia auitos agros, vbi tuta & inturbida iuuenta frueretur. Cum aliquando comitia Prætorum, arbitrio Senatus haberi solita, nimium ob contẽtionem exarsissent: Nero optimè composuit contentionem, eos qui supra numerum petebant (erant autem tres) legioni præficiendo. Eundemque deinceps morem seruauit, vt Suetonius refert, in cãdidatis omnibus qui supra numerum essent, vt in solarium moræ & dilationis legionibus præficerentur. Idem auxit Patrum honorem, statuendo, vt qui à priuatis iudicibus ad Senatum prouocassent, eiusdem pecuniæ periculũ facerent: cuius, & qui ad Imperatorem appellauissent: quasi Senatus autoritatem, quanti principis, faceret. Factum est & Senatusconsultum, ne res ad prætorem deferrentur, pœnas à præfecto vrbis euasuri: nam præfectus vrbis ampliorem habebat sontes puniendi autoritatem. Et cum damnari essent serui Pedanij Secundi crudeliter, vellentque etiam libertos damnare, vetuit, dicens: Si morem antiquum misericordia non minuit, nec par est sæuitia accendere. Idem in dedicatione Gymnasij, oleum præbuit Senatui, equitibusque Græco more. Antistium, qui probrosa carmina in se factitauerat, satis habuit publicatis bonis in insulam deportare: quanquam quasi per Neronis iniuriam, à morte absolutus esset à Senatu: cum Nero illum nulla in parte antea læsisset, quinimò tum prætor esset illius beneficio: Simili lenitate, sed maiore etiam, in Veientonẽ vsus est: cui satis fuit vt libri exurerentur, (nec tamen conqueri omnes potuerunt, sed passim habiti legique etiam post damnationem cœpere) & ipse Italia pelleretur: eo autem mitior hæc fuit sententia, quòd Auristium Senatus, Veientonem Nero condemnauit. Sanxit quoque ne simulata adoptio

vlla in parte orbos iuuaret, at ne vsurpandis quidem hæreditatibus, cùm antea multi per has adoptiones priuilegia verorum parentum occuparent: atque hæc Senatus autoritate. Illud sine ea, vt qui è prouinciis discederent, nō in prouincia illorum collegiis, quod in fauorem paucorum cedebat, sed Romæ proprætoribus aut proconsulibus gratias apud Senatū agerent. Idem distinxit in spectando equites à plebe cum antea solum lege Roscia de Quatuordecim ordinibus cautum esset. Id autem iustissimè: nam vt in opibus fauere oporter miseris ac inopibus, ita in honoribus his qui eos promerentur. Sic enim æquatis (vt ita dicam) æquitatis eriam fauoribus, & hi commodiùs, & illi honestiùs viuere poterūt: Sexcentes quoq; sestertiū annoûm: id est, quindecies centena millia coronatorum largitus est Reipub. qua munificentia quid potest esse præclarius? quodve maius argumentum amoris in plebem? Et tamen eum ad sanda infandaque cæterorum principum gratias publicè agerent, supplicarent, ac vota facerent Diis, hanc vt leuissimam rem silentio fermè obliterarunt. Et Tacitus ipse, qui illam refert: quia nil maius referri potest, duobus verbis eam transfigit, quasi de re non admodum certa ageret: cùm tamen, quamdiu Nero vixit, locum habuerit, & omnium in oculis esset. Cur hoc? Dices, nescio: At ego bene scio: quoniam hac pecunia dissoluebatur fœnus plebis, redimebantur agri potentioribus oppignorati, emebatur annona ex publico: quæ omnia eùm in iacturam cederent fœneratorum, Senatus, qui talia mercabatur, & potentiorum, quibus non sufficit esse ditissimos nisi omnino & domos & agellos & vxores & filias filiosque miserorum occupent: ideò pro tam ingenti beneficio nullas reddiderunt gratias. Iustè igitur factum est, vt quas illi gratias tam ingratè agere noluerunt, quas Diis preces fundere pro eius salute meritas neglexerunt, cogerentur ira numinum pro cædibus coniunctissimorum agere ac fundere: pueros contumaces imitati, qui cùm non pro beneficiis gratias reddunt, reddunt pro flagris. Qui admirantur me Neronem elegisse inter tot principes, quem laudarem: desinant iam admirari, nisi ostenderint alium quempiam Imperatorem aut Regem etiam antea vel pòst simile quid, aut pro ratione redituum donasse perpetuò suæ Reipublicæ. Iam tum & illud bene actum, quòd nationes Alpium maritimarum in ius Latij trāstulit. Senatum etiam edicto increpuit, quòd hortorum potiùs amœnitati inseruirent, Reipub. munia desererent: eorumque exemplo equites ad segnitiem verti. Cladem Logdunensem quadragies sestertio solatus est, vt amissa vrbi reponerent. Non inter laudes vocem illam reposuerim, quam cum damnati cuiusdam supplicio subscribere de more cogeretur, edidit, scilicet: Quam vellem nescire literas: fictam enim aut puerilem esse contendent. Similiter nec illud recensebo, cuius tamen meminerunt quidam, vt magnifici respōsi. Cùm enim accusaretur apud illum Thraseas, iam ob contumaciam inuisus, quod esset iniustus: respondit Nero: Vtinā tàm me Thraseas diligat quam iustus est iudex. Quæ enim admiranda sunt in aliis, ad laudem Neroni, ob eam opinionem quòd compositus ad simulationem existimaretur, prodesse nolumus. Sed ad facta redeamus. Recitat Seneca fuisse Demetrium quendam Cynicæ sectæ virum sanè probum, sed (vt mos est hominum illorum) iacentem inter stipulas nudum: huic tamē ducenta sestertia: id est, aureos coronatos penè quinquies mille transmisit, quos ille solita ei genti stultitia renuit. Ille idem, eodemque autore teste, duos misit centuriones in Æthiopiam, qui quàm diligenter de Nili origine scrutarentur, eidemque referrent. Silium Italicum, notissimum Poëtam, & virum eruditū atq; probum, supremo anno Consulem fecit. Amasse literatos & eruditos, ac nemini non potenti viro infensum non fuisse, imò perhumanum, declarant verba illa Suetonij: Sed neque autores requisiuit, & quosdam per indicem delatos ad Senatum affici grauiore pœna prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, quod Nauplij mala bene concitaret, sua bona malè disponeret. Et Datus Atellanarum histrio in cantico quodam ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauerat, vt bibentem natantemque faceret: exitum C. Claudij Agrippinæque significans: & in nouissima clausula:

Horcus ducit vobis pedes,

Senatum gestu notaret, histrionem & philosophum: Nero nihil amplius quàm vrbe Italiaque submouit, vel contemptu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem irritaret ingenia. Quis est vel nostrorum regum, qui tot cū titulis pietatis talia ferat? qui non magis in deprehensos sæuiat? idem Suetonius refert, Domitianum propter quasdam in historia figuras Hermogenem Tarsensem occidisse, librariis etiam qui eam descripserant crucifixis. Quare velim eos qui tam anxiè in Neronis famam grassantur, cogitare homines omnes esse: neque Neronem Diis, sed hominibus comparandum. Quod si hoc animo censoram actorum Neronis agere velint, minimè tanquam Neronis aduocatus recuso. Verum in aliis causis hoc requiro, in hac sanè non: cum Diis enim patientia conferri posse contendo. Iuuenis securus omnium, sine causa lacessitus, tot beneficiis in Remp. in omnes bonos frustra collatis, loco gratiarum perpetuas calumnias & probra sibi perpetuò obiici sentiens, atque ob id non mediocriter iratus, plus tamen tribuit hominum virtoti quàm causæ iusti doloris. Quis audiuit vnquam sub Nerone, præter Senecam, maximorum malorum autorem, quenquam studiosum aut eruditum vel philosophum damnatum, vexatum, malè habitum: Tiberius cùm inter Græculos quotidie versaretur, cum publicè profitentes audiret, Gymnasia frequentaret, Zenonem exilio, Seleucum (ambos grammaticos) sine causa morte damnauit. C. Caligula meditatus est Vergilij & Liuij scripta abolere. Sub Claudio exusti libri Labieni, qui Rabies cognominabatur, cum quorum cineribus viuum se voluit sepulchro inferri. Quantus in oratoria arte, quantus in vtraque lingua fuerit, ex hoc perspici potest, quòd apud Claudium tunc nō solum Imperatorem, sed etiam Consulem, & gratias egit pro adoptione & pro Bononiensibus Latinè, & pro Rhodiis & Iliensibus

Græcè

Græcè perorauit. Notiſſima eſt oratio illa eius ad Senecam, huiuſmodi: Et quod meditatæ orationi tuæ ſtatim occurram, id primum tui muneris habeo, quam me non tantum præuiſa, ſed ſubita expedire docuiſti. Auus meus Auguſtus Agrippæ & Mæcenati vſurpare ocium poſt labores conceſſit: ſed in ea ipſa ætate, cuius autoritas tueretur quicquid & qualecunque tribuiſſet. Attamen neutrum datis à ſe præmiis exuit. Bello & periculis meruerant. Io his iuuenta Auguſti verſata eſt. Nec mihi tela manus tuæ defuiſſent, in armis agenti. Sed quod præſens conditio poſcebat, ratione conſilio, præceptis, pueritiam, deinde iuuentam meam fouiſti. Et tua quidem erga me munera, dum vita ſupperet, æterna erunt. Quæ à me habes, horti, & fœnus, & villæ, caſibus obnoxa ſunt: ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores ſpectantur. Vnde etiam rubori mihi eſt, quod præcipuus charitate, nondum omnes fortuna antecellis. Verùm & tibi valida ætas, rebuſque & fructui rerum ſufficiens, & nos prima imperij ſpacia ingredimur: niſi fortè aut te Vitellio ter Conſuli, aut me Claudio præponis. Sed quantum Voluſio longa parſimonia quæſiuit, tantũ in te mea liberalitas explere non poteſt. Quin ſi qua in parte lubricũ adoleſcentiæ noſtræ declinat, reuocas, iuornatumque robur ſubſidio impenſius regis. Non tua moderatio, ſi reddideris pecuniam: nec quies, ſi reliqueris principem: ſed mea auaricia, meæ crudelitatis metus, in ore omnium verſabitur. Quod ſi maximè continentia tua laudetur, non tamen ſapienti viro decorum fuerit, vnde amico inſaniam parat, inde gloriam ſibi recipere. Et rurſus de illius ingenio atque peritia, maximè in Poëſi, Suetonius: Liberales diſciplinas ferè omnes puer attigit: ſed à Philoſophia eum mater auertit, dicens imperaturo contrariam eſſe à cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, vt diutiùs eum in admiratione ſui detineret. Itaque ad Poëticam pronus, carmina libenter ac ſine labore compoſuit: nec (vt quidam putant) aliena pro ſuis edidit. Venere in manus meas pugillares, libellique cum quibuſdam notiſſimis verſibus, ipſius chirographo ſcriptis, vt facilè appareat non tranſlatos, nec aliquo dictante exceptos, ſed planè quaſi à cogitante atque generante exaratos: ita multa & deleta, inducta & ſuperſcripta inerant. Sed veniamus ad edicta, in quibus (vt dixi) præcipuam habuit Reipub. curam: hæc enim ſolùm addidi, non vt prodeſſent, ſed ne obeſſent. Et patri & matri præcipuos detulit honores, non ſolùm quandiu vixit Claudius, ſed etiam ſemper poſt obitum: quamvis etiam Seneca ad contrarium adhortante, vt etiam ex impuriſſimis illius in Claudium verſibus, qui adhuc extant, apparet. Sed & matri, quantum quiſque alius princeps detulit: & ſæpe cum illa in publicum ſe produci voluit. Et auſpicanti ſignum Tribuno, optimæ matris ſignum dederit, eò vſque procedens, donec illa non ſatis habuit quibuſcunque modis ornari vt matrem Imperatoris, ſed concupiuit imperare: atque inde ſigna dedit etiam, nec ſi quieturam: verùm vel cogi Neronem illius eſſe coniugem, contra omnia naturæ ac gentium decreta: vel illam alteri nupturam, cui deferret imperium. Profeſſus etiam eſt, ex præſcripto Auguſti imperaturum, nec liberalitatis (inquit Suetonius) nec clementiæ, nec comitatis quidem exhibendi occaſionem vllam omiſit. Grauiora vectigalia aut aboleuit, aut minuit: præmia delatorum ex Papia lege ad quartas redegit, diuiſis populo viritim quadringentis nummis. Adhibitus ſumptibus modus publicæ cœnæ ad ſportulas redactæ: interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret: vſum Tyrij Amethyſtinique coloris nõ niſi certis perſonis indulſit. Omnes ordines ſubinde & memoriter ſalutauit. Agenti Senatui gratias reſpondit: Cũ meruero. Recuſauit & Patris patriæ nomen, vt minimè ætati eius congruens. Recitauit & carmina nõ modò domi, ſed in theatro, tanta vniuerſorum lætitia, vt ob recitationem ſupplicatio decreta ſit, & pars carminum aureis literis Capitolino Ioui dicata. Vetuit & quadrigarum luſus, quibus inueterata licentia paſſim vagantibus fallere ac furari per iocum ius erat. Pantomicorum factiones cum ipſis ſimul relegatæ. Auerſus falſarios: tum primùm repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ, ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur. Cautum, vt in teſtamentis primæ duæ ceræ, teſtatorum modo nomine inſcripto, vacuæ ſignaturis oſtenderentur: ac ne quis alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi aſcriberet. Statuit &, vt litigatores pro patrociniis certam iuſtamque mercedem, pro ſubſelliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: vtque rerum actu ab ærario cauſæ ad forum ac recuperatores transferrentur, & vt omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent. Parauit autem expeditionem ad Caſpias portas, ex Ecbatana in Parthiam tendentibus, ex tyronibus ſenum patrum Italicis conſcripta legione, vt barbaris terrori eſſet pariter, & admirationi. Primus quoque raſtro in Achaia humum effodit, Prætorianos ad Iſthmum fodiendum cohortatus. Primus quoque corbulo congeſtum humeris extulit, exemplo cauens, ne quenquã laboris pigeret. Culpatur à Luciano id factũ, & à vulgo, non ob aliud quàm exitum. Ferunt enim Cæſarem dictatorem, Caligulam etiam antea, ſed infelici (vt apparuit) ſucceſſu, rem eandem tentaſſe. Sed Philoſtratus docet, Neronem deſtitiſſe non difficultate rei, nec timore ne perficere non poſſet, ſed ne Ægina ſubmergeretur: vel etiam, ne Romanis hoc pro infauſto omine eſſet: nam mutationem imperij hoc facto portendi affirmabant. Nec magis felicem fuiſſe Seleucum Nicanorem qui Iſthmum qui dirimit Euxinum à Caſpio mari, quàm etiam Cæſarem, qui tentarit Corinthiacum dirimere. Sed in Cnidios voluiſſe propriam Iſthmum effodere, prohibitoſque ab oraculo. Hæc volui adduxiſſe, vt oſtenderem Neroni nec defuiſſe animum ad maximas res conficiendas, nec conſilium, vt quæ agenda non eſſent, ſpe gloriæ facere concupierit. De liberalitate autem eius, quid dicã? cùm diuitiarum & pecuniæ fructum nullum alium arbitraretur quàm profuſionem? In cũctos liberalis fuit, in pleroſque verò etiam magnificè ſplendidus. Prætorianis ſuis frumentum

mentum distribuebat, menstruumque gratuitum: quo fit vt demirer, quomodo in eum tam ingrati esse potuerint In Tyridatem, quem ex Armenia aduocauit D.CCC. nummûm in singulos dies: id est, aureorum millia penè viginti dedit: abeunti quinquies ac vicies centena millia: hanc liberalitatem vt in externũ, imò inimicum, multi vituperant: at ipse pulchrum putauit, non solùm Regem in finibus imperij & procul Roma continere beneficio atque metu potentiæ, cùm ibi Parthi & Persæ, Romanis inuictæ vtræque gentes, incumberent: apparuitque hoc consilium fuisse salutatius quàm Traiani, & multo magis quàm Iuliani ac Valeriani. Cæterùm quod ad summam pecuniarum attinet, magna est, seorsum id æstimantibus: sed cùm ad bellum eadem comparatur, nihil est. Hoc verò est quod solus forsan Nero, aut saltem cum paucis, intellexit: minimum bellum plus exhaurire pecuniarum, quàm quotannis prodigentia. Sed & illud considerare dignum est, Neronem multa didicisse à Tygrane circa magiam, multa vidisse quæ illi chariora regno ipso fuere: nam de manibus fermè, quod essent, certior factus est. Græciam quoque vniuersam liberam pronunciauit. Inde satis frigidè in libro de Sera numinis vindicta fingitur, cùm damnatus esset Nero ob parricidium, quispiam illum à pœna eximir dicens: Et Neroni à Deo aliquid debetur, quòd maximè charum illi Græcorum genus, à seruitute & oppressione liberasset. Non ausus est Plutarchus, quamvis Græcus, testimonium integrum de Neronis virtute referre: quòd sciret quàm ille popularis fuerit, & optimatum potentiæ inuisus: quodque idem esset laudare Neronem, ac illius probare gesta: quod perinde esset atque animare principes ad iustitiam tuendam, premendosque insolentes optimates, è quorum numero non solùm ipse, sed eius amici, ob Traiani consuetudinem, erant. Quinetiam inter admirandas illius fuit virtutes, alea non lusisse: cui Augustus primùm, inde Caligula & Claudius totos dies insumebant, adeò vt etiam essedo vecti non cessarent. Studia aleæ ob auaritiam & publicis damnata legibus, id maximè efficiunt, vt principem à studio administrationis Reipub. auocent. Itaque maximo malo ac flagitio caruisse Neronem constat. At hoc parum putant: puniunturque multo minora scelera ludo, fœnori atque rapinis nullus impositus modus. Quid deterius est, rogo, aut esse alea potest? & tamen eam isti acres censores, plebi soli minitantes, multam relinquunt. Est-ne quid, aut esse potest, aut etiam excogitari, deterius alea? cur ergo relinquunt, ne prodant vitium suum? Reges enim atque potentes ea delectantur. Hæc armat filios in patres, hæc furari cogit, eripit tempus ad execrationes aduersus Deos impellit: vanas alit spes, illicita lucra præstat, spoliat familias, vrget mulieres & adolescentulos (si quid aliud) ad impudicitiam perferendam: gulæ, profusionis, meretricum debacchationis ministra: ibi lenones, fures, impij, sacrilegi, parentum contemptores, inertes, improbi, proditores vnà congregantur, inficiuntque vniuersam vrbem.

Laudatur Augustus & Claudius, qui aleæ operam dederunt: vituperatur Nero, quòd citharam pulsauerit, innoxio & facto & exemplo: adeò peruersa sunt hominum iudicia. Cur adulteria & puerorum concubitus, & furta & latrocinia, & impietatem & execrationes, & perfidiam tabulasque falsas punitis, modum ganeæ imponitis: radicem omnium malorum integram relinquitis? an ideo, vt etiam in cæteris malis, vt repullulet? nec est ministrorum votum excindere vitium, sed habere quo ditentur. Si vos nullus Dei metus mouet, moueat saltem pudor Mahumetanorum, apud quos alea perhibetur vt certè malorum maximum. Atque hæc circa mores virtutemque illius, leges atque instituta dicta sint. Cæterùm, in adornanda vrbe nullus ei comparari, nedum æquari potuit. Vbi enim ex quatuordecim, vt dictum est, regionibus tres penitùs conflagrassent, septem deturpatæ omnino incendio exustis tectis essent, relictæque tantùm quatuor fuissent intactæ, totam sic vrbem restituit. Non enim vt post Gallica incendia, domus nulla distinctione, nec passim erectæ: sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spaciis, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, aditisque porticibus quæ frontem insularum protegerent, eas porticus Nero sua pecunia extructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est. Addidit præmia pro cuiusque ordine, & rei familiaris copiis, finiuitque tempus intra quod effectis domibus aut insulis adipiscerentur. Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, vtque naues quæ frumentum Tyberi subuectassent onustæ rudere decurrerent: ædificiaque ipsa certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanoque solidarentur, quod is lapis igni imperuius est. Iam aqua priuatorum licentia intercepta, quo largior & pluribus locis in publicum flueret, custodes & subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet: nec communione parietum, sed propriis quæque muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta, decorem quoque nouæ vrbi attulere. Erant tamen qui crederent, veterem illam formam salubritati magis conduxisse: quoniam angustiæ itinerum & altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem, & nulla vmbra defensam grauiore æstu ardescere. Ob hæc tanta tamque inclyta in Rempublicam beneficia, non demiror Traianum optasse quinquennium primum Neronis. Quænam laus Imperatori maior, quàm ab Imperatore? bono viro, quàm ab optimo? sapienti, quàm à prudentissimo? forti, quàm à fortissimo, contingere potuit? Ob quę etiam nec mirum illud, multis adeò pòst annis nunquam defuisse, qui tumulum eius verbis atque æstiuis floribus ornarent: ac modò illius imagines prætextatas in rostris proferrent, modò edicta quasi viuentis, & magno inimicorum malo reuersuri. Et Vologesem Parthorum regem missis ad Senatum legatis de instauranda societate, hoc etiam magnopere orasse, vt Neronis memoria coleretur. Denique cùm post viginti annos extitisset quidam conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile

rabile

tabile apud Parthos illius nomen extitisse, vt vehementer adiutus sit, ac penè restitutus. An verò pietatem, & erga Deos venerationem, quanquam id conentur historici euertere; multis modis ostendit: primùm, cum sacris Eleusinis interesse non est ausus: deinde, quòd cùm in æde Vestæ esset, vniuersis membris tremore correptus est, adeò vt ab incœpto venerandi illam destiterit. Apparet autem non superstitione detentum neglexisse Deos, sed soperstitionem: cùm enim omen quoddam sibi (vt videbatur) faustum occurrisset, veneratus est cœlum: tanquam sciret non Iunonem aut Palladem & reliqua deliramenta Deos esse, sed vitas cœlestes, atque omnium conditorem summum Deum. Eius etiam causa promeruit, vt Diuino auxilio adiutus videretur: & Neapoli cùm theatrum cecidit, omnibus iam è theatro spectatoribus egressis: & cùm in Artaxatæ oppugnatione intùs tenebræ defensoribus essent impedimento, cateriùs clara lux faueret oppugnatoribus. Ergo si Nero diu suum potuisset imperium retinere, aut statim ei succedere ei similis, quàm bonus fuisset, omnes intellexissent. Quid enim profuit Augusto, vt bonus videri potuerit, triumviratus exitialis, quo omnes potentes & ambitiosi ac improbi ceciderunt? vt tum licuerit regere populos miti virga. Pòst superuenit Tiberius, qui repullulasse animaduertens: improbos & contumaces viros, non solùm se trucem aduersus eos ostendit, sed & ex ipsis vnum. Idem quoque accidit in Caligula. Sub Claudio rursus per illius segnitiem collectis adhuc spiritibus redundarunt optimates hi: id est, tyranni potiùs: quos dum excindere Nero coactus est, & regimen temperare erga bonos & miseros, pius & clemens ab aliquibus damnabatur. Eius tamen iustitia factum est, vt Vespasianus laudaretur: & Domitiani rursus seueritate, quæ tamen non, vt Neronis, clementiæ & iusticiæ ac bonis artibus iuncta erat, omnes qui successerunt principes iusti & probi, excisis tot improbis, dici potuerunt. Traianus verò omnium callidissimus, vnicum præsidium inuenit, vt quoscunque pacis virtutibus non probaret, in militiam duxerit: hac enim solertia sine odio cuiusquam quoslibet sceleratos aut sustulit, aut militiæ laboribus & acerbitate fregit: quod consilium prudens, & Adrianus & Antoninus Philosophus secuti sont magna cum laude. Sic verò facile fuit, etiam eos qui domi manebant reddere bonos, dum facultatem pœnæ nimis pronam in Principe metuunt. Sed cùm hæc iam in Nerone probauerimus, metuo ne quis sinistrè interpretando, postquàm adeò facilis est lapsus in mala, existimet me probare principem, qui potentes sint, premat, aut ex medio tollat: quod nec vitium in Nerona fuit. Verba Taciti referam: Eo anno mortem obiit Memmius Regulus autorita-
„ te, constantia, fama (inquantum præumbrante Imperatoris fastigio datur) clarus
„ adeò, vt Nero æger valetudine, & adulantibus circum, qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateret, responderit, habere subsidium Rempublicam. Rogantibus
„ dehinc in quo potissimùm responderit: in Memmio Regulo. Vixit autem post hæc Regulus quiete defensus: & quia noua generis claritudine, neque inuidiosus opibus erat. Hæc ille, adeò potentiorum facti addictus.

Verùm cùm tres sint dominandi formæ: vna, quæ potentioribus fauet, vt olim Parthica, nunc (ne exemplo desit inuidia) cùm nullibi fermè non adsit: altera, quæ nouis fauet hominibus, vt Turcica & Britannica: tertia, quæ potentiorum insolentiam vlciscitur, illorum honoribus fauet, hæc sola & diuturna & iusta est; nam secunda, etsi iniusta sit, plena est tumultibus: caretque iustitia, quòd per iniuriam potentiorum fiat. Vnde inter Turcas & Britannos tot cædes. Sed Britannica adhuc inconstantior est: quoniam plures familiæ inter se ausæ sunt de regno decertare: vnáque consuetudine tantum stat illud regnum, quod per quantamcunque seditionem, coniurationem, proditionem, cladem que nunquam neque in domos, nec agros, nec imbellem turbam sæuitur: qui mos si non esset, iam vicies regnum illud more Africanorum funditùs euersum esset. At in Ottomanis, nondum bellum ab aliquo qui ea aliena familia esset oriundus, exarsit: itaque & diu illa manet, & formam iustitiæ retinet. Dum enim fauet potentibus, potentes autem variantur iuxta singulos principes, vt ex miseris fiant optimates: ita fit, vt lanx quasi æquetur, appellarique potiùs possit fortuna quàm iniuria. At prima forma iniqua est, & minimè diuturna, dum qui iacet, iacere semper cogitur: qui vrget, acrius instat, securus conditionis suæ ac sortis. In tertia est hoc impedimentum, quòd si nimis confirmata fuerit optimatum potentia, nec diu manere potest sine regni exitio, nec euerti securè potest. Vnde quidam, qui per blandiméta illam euexere, caducum postmodum posteris suis regnum reliquerunt. At qui conati sunt iustè retinere regnum, cùm persæpe cogerentur potentiam procerum frangere, in ipso regnandi medio, vel etiam circa initia conciderunt: vt Caligula, Nero, & multi alij, quos optimos fuisse nemo negat: vt Pertinax Seuerus, Alexander, Probus, Aurelianus, Claudius, Caius. Qui verò perdurarunt, non solùm posteris tutum regnum reliquerunt, & firmum: sed etiam ipsi tutò & quiete regnarunt: velut Augustus, & Pertinax Seuerus: sed hic discordiarum semina reliquit, dum diuidere imperium inter duos fratres moribus etiam non solum studiis & odio dissidentes, voluit. Quibus ergo huiusmodi regna obtigerint, opus est magna prudentia, fortitudine atque virtute: inde etiam bona fortuna, quæ diu vitam principis protrahat, nec ab externis hostibus impediatur. Cùm ergo Nero hoc genus imperandi aggressus fuerit, iam coalita tyrannorum potentia per Claudij segnitiem, periculosum sibi, bonis miseris & Reipub. vtile iter ingressus est: in cuius medio, & multo antè, ne in principio dicam, concidit. Decepit eum Senatus autoritas, quam frangere oportuit, non vexare: alior legere, & ordinem alium ei præficere: nam libertatis tempore magis à tribu-

nitia

nitia poteſtate frangebántur, quàm ſub Nerone ab Imperatore: quod apparuit in damnandis Snrano atque Thraſea: vbi neceſſe fuit Senatum globis militum terrere, quo nil detetins, cùm autoritas relinqueretur, vis autoritati intenderetur, & confeſſio metus patefieret: hæc autem ſtultè à Tigillino exeogitata fuere, qui amieitiæ principis eum ſuo genern Coſſuriano Capitone illudens, ne potentia eius infringeretur, malnit Tribunis plebis ſuam nnn reſtituere: quæ vnum etat aduerſus Senatum auxilium: nec poterat Netn, in tanta ſuorum ſolitudine, in tanta potentia tyrapnorum, Senatus cnnſpiratione, ſeculi licentia, vrbis ambitione, ciuinm flagitiis, odin aduerſus Cæſarum nomen, adhuc recenti libertatis memnria & exempln vetuſtn poſt tam diuturnam regum ſeruitutem excuſſi iugi. Itaque quanquam expediebat has leges, hns mores, hæc edicta in voluminibus Iuſtiniani includi, odio tamen Neroniani nnminis & factinnis Senatus ac potentiorum, qui illios memnriam funditùs eruere in exemplum cæterorum qui regnaturi eſſent ne talia aduerſus illos auderent, ſatagebant, aſpirante fortuna quod nemo prorſos ex ſanguine Auguſti ſupereſſet, nrnamenta hæc Reipublicæ miſerorum ſolatia, plebis & tenuiorum munimenta, exempla virtutis, bonorum arma, & in eruditns etiam peccantes clementiæ ſingularis documenta extinxerunt. Et ne videar forſan oratorin bnatu hæc adiicere, enarrabo hiſtoriam vix credibilem. Coniurauerant in necem eius C. Piſn, innumerique alij, cupidine occupandæ dominatinois: & detecta coniuratione, animaduerſum eſt in pleroſque illorum. Virginium tamen Rufum elnquentiæ præceptnrem, & Mnſoninm ſapientiæ doctnrem, non ſuſpicione criminis carente, ſed ioter res Mnſonium ſaltem nominatum ennſtat, cùm ſubiiciat Tacitus: At Cadicia » vxor Secuini, & Ceſenius Maximus Italia » pelluntur, reos fuiſſe ſeſe tantum pœna ex» perri, ſatis habuit nb eruditinnis nomen, » in maris Ægei inſulas relegare. Quinetiam Aciliæ Lucani matri, quam Lucanus inter conſcias nominauit, pepercit. Hæc ſunt crudelitatis exempla: vt nnn immeritò ei Seneca de Clementia libros dedicauerit. Rectè igitur feciſſent, ſi functiones quaſcunque Neronis vt maximè populares, iuſtas, clementes, atque probis & miſeris eruditiſque fauorabiles, Corpori (vt vocant) vris, ne vna quidem noiſſa, inſeruiſſent. Verùm iam ad obiecta veniamus, neque enim pauca, neque leuia obiici ſnlent. Maxima vixit cum inuidia, obtrectatoribus ideo non caruit. Genera primùm eorum de quibus dicturus ſum, narrabimus: inde quæ in ſingulis generibus propria obiiciuntur. Ergo parricidia & cædes coniunctorum, aut eorum quibus non minus debemus vt apud Hebræos, quam parentibus (imò magis eos colunt, ſcilicet magiſtros) inde improbitas qua (vt aiunt illi) ſanctos viros ſuſtulit: pòſt ſæuitia, incendium vrbis, crudelitas in Chriſtianos, etiam his qui Chriſtianos ipſos oderunt inuiſa, rapinæ, luxoria, ſumptus immenſi & inutiles, & publica infamia. De parricidio, mors patris, matris, vxorum, fratris, ſornris, amitæ, educatnrum Burri & Senecæ, priu:gni prnponitur. De patre, nullus illum autnrem prodit: quàm maximè illi infenſi ſunt, dieunt eo conſeio Agrippinam venenum Claudin dediſſe: parricidium igitur patrauit Agrippina, non Nero. Si Nerone inſcin, nullum prorſus eſt crimen: ſi conſcio, adhuc puer cum eſſet, excuſandus videretur, adhortante impia matre: conſtat enim necdum 17. annum tnm Nernnem expleuiſſe. Sed fac expleuerit, ſciuerit, patrarit: patrem non occidit, ſed fratrem aui materni patruum magnum. Scelus eſt, ſi nil addas: ſed tyrannum occidit. Nulla, vt dixi, ratione ad Claudium, omnino ab Auguſti ſanguine alienum, nec teſtamentn Tiberij nec Caligulæ imperium peruenire potuit: vi militum ad illud raptus eſt, metu adactus, Senatus confirmauit. Si Auguſtus teſtamentn imperium relinquere potuit, maius etiam eſt ius hæreditarium deſcendentium, qui abſque teſtamento ad hæreditatem veniunt. Filij ſi teſtamento exhæredentur ſine cauſa legitima, ad hæreditatem tameo veniunt. Ad Neronem ergn ſi ab inteſtatn imperium perueniebat, Claudius nulln conſanguinitatis vinculo Auguſto annexus erat. Claudins tyrannus fuit, Nero ſucceſſnr legitimns, & abnepos (vt audiniſtis) Auguſti: vis, electio, illa nihil proſunt: nam ſi in Repub. fuiſſet arbitrium, non Claudium quidem amentem & ſtupidum quæſiſſet Imperatorem, ſed nec quenquam alium quidem, verùm libertatem. Si vim militum, tyrannus fuit, & omni ſupplicio dignus. Sin autem Auguſti voluntate: omnino exploſus eſt ab eius coniunctinne, nec etiam teſtamentn hæres vlla in parte relictus, nec inter ſecundos hæredes aut vltimos numeratus. Si igitur voluntas Auguſti irrita eſſe debuit, libertas præualebat: ſi firma, non potuit eſſe hæres nec ab inteſtatn, nec ex teſtamento: tyrannus ergn nmninn fuit: nam nec à Tiberio, nec Caligula nnminatus eſt. At patum ducis ereptam tyrannidem, adeptum fuiſſe imperium hæreditarium ſiue dolo ſiue vi, aut fortuna aut virtute? tanquam deeſſent potentes, opulenti, acres viri, qui nmni conatu, induſtria, ſtudin, diligentia, maximiſque periculis illud quærerent. Itaque vel hoc ipſn maxima laude dignum Neronem cenſuerim, quod imperium occupauerit, ſi ad ius reſpicias, in quo plurimum poſſet: ſi ad vires, in quo nihil. Quòd etſi nullo iure occupaſſet, adhuc iuxta Ataoi dictum laudari poterat:

Nam ſi violandum eſt ius, imperij gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

Sed hæc omnia fruſtra: neque enim huius rei conſcius fuit, quam non celaſſet adoleſcens, & natura liber: nec veriſimile eſt matrem, quæ nulln eius auxilio hac in re indigebat, fruſtra tantum crimen ei communicaſſe: tum magis, ne eam illi prn impia abhorreret: quod & poſtquam reſciuit, ſtatim euenit. Nullum enim factum tam in vtilitatem cuiuſqnam cedere poteſt, quòd ſi ſupra humanam imprnbitatem efferatur, ei in cuius vtilitatem cedit, non odioſum euadat: ſeu quòd cnnſenſu exprobretur, ſeu quòd exemplo

metuere

metuere cogatur. Quinimo tametsi laruato illo Philosopho Seneca aliquando imprudens adhortante, cauillis eum prosecutus sit, publicos tamen quotcunque potuit honores tribuit, & acta illius manere voluit, nec gestis illius inuidit. Eadem ratione & fratris & sororis crimen diluimus: nam vt nec pater fuit Claudius, ita nec frater Britannicus, nec soror Antonia. Dices, lege facti sunt frater & soror, vt etiam Claudius pater. Stultum est lege agere contra eos, qui legibus non sunt obstricti. In huiusmodi requiritur ius sanguinis: quod si seruatur sanè nimis, legem nullam in talibus requiras. Sed ne si centum patres, lege adoptionis patres factos, quis occidat, tantum facinus patrauerit, quàm si quis verum patrem, à quo etiam sit emancipatus. Vrgebat periculum amittendi Imperij, & cum imperio vitam. Agrippina omnium malorum causa erat, quæ vt terreret Neronem, Britannicum amplexabatur intempestiuè, quem veram stirpem Claudij, & imperio dignam dictitabat. Inde illa verba furoris plena: Id solum Diis & sibi prouisum, quòd viueret priuignus: ituram cum illo in castra: audiretur hinc Germanici filia. Accessit huic metui, error Britannici, frustra querentis quodam carmine euolutum se de patria summisque rebus: & cùm minimum sapere præstitisset, tum nimio studio, Fatis ita volentibus, motam commiserationem erga se, erga Neronem inuidiam, quasi alienum
» occuparet imperium. Vnde idem Tacitus su-
» biicit: Nero intellecta inuidia, odium inten-
» dit. Vrgentibusque Agrippinæ minis: quia
» nullum crimen neque iubere cædem fratris
» palàm audebat, occulta molitur. Sit crimen occidisse huiusmodi fratrem securitatis causa (quod etiam excusatur à Tacito his verbis:
» Plerique etiam hominum Neroni ignosce-
» bant, antiquas fratrum discordias & insocia-
» bile regnum existimantes. Quidnam dicemus de Augusto, qui prius hoc exemplum edidit in Cæsarionem Cleopatræ filium, quem & per adoptionem fratrem, & per sanguinem in eodem gradu cum ipso fuisse constat, quem etiam sine vlla suspicione regni occidit? Et Augustum pro Deo colitis: Neronem autem execramini: quæ hæc est ira, iniqua & de rebus & de factis æstimatio? Existimatur Antoninus Philosophus Verum fratrem sustulisse, nec hoc etiam in his qui hoc credunt, inter crimina numeratur. Sed plures factum negant: sit ita: satis est paruum creditum crimen, vt salua sit. Resp. fratres occidere. Melius sanè, quam pernicioso exemplo prouinciam deuastare, vrbes excidere, tot innoxios occidere. Quanta mala, quantam iacturam attulit Carolus, frater Ludouici vndecimi Gallorum Regis, Gallico regno, quod penè euertit? Ludouicus Sfortia, dum sibi principatum asciscere conatur nostra ætate, quantas clades regioni attulit? inde etiam è familia excidit, & ad barbaros peruenit, maximis Italiæ bellis. Quàm præstitisset illum non fuisse? Non ergo laudarim parricidium. Hercules Ferrariæ sapientissimus dux oculos fratri effodit, & in carcere perpetuò, quoad vixit ipse filiusque, habuit: liberatus est à fratris nepote, & nunc etiam robustus superuiuit, cum quinquaginta perpetuos annos in carcere exegerit. Quòd si computentur anni, erunt supra octuaginta. Vigesimum quintum annum agebat, cùm coniectus est in vincula: tertius annus agitur, postquam liberatus est Iulius Estensis. Omitto modò, quod Ottomanis Orientis principibus tam familiare est sustulisse fratres, vt nemo ex illis vnquam dum regnaret, passus sit fratrem superuiuere: nam & exules & profugos ita persequuntur, vt canis odorus feram. Non laudo factum, sed potiùs consuetudinem regis Æthiopum: verùm nullus hoc ubiicit Ottomanis: quod sanè minus triste est, quàm vt nostri principes, qui ab adulatoribus, à mulieribus, à perfidis consultoribus persuasi, dum plures volunt posteros Principes relinquere, principatus extra familiam & posteros eliditur, & ab alienis occupatur. Plura sunt, è quibus hoc vnum est, quæ sub pietatis specie fiunt, apud Deum maximè impia. An melius est, vt bene sit improbo vni helluoni, tot perdere homines insontes, mulieres, infantes, pueros, prægnantes, diripi ciuitates, spoliari templa, incendi vrbes, vastari agros? quónam oratore hæc apud Deum tuebimur? non regna propter reges, sed reges propter regna facta sunt. Tyrannici spiritus hæc introduxerunt: adulatorum & precio corruptorum, & nimis propriis commodis prospicientium turba, tum eorum qui liuore, odio, spe, metuque ducuntur, defenditur. Quàm pulchrius spectaculum est, videre plures filios principes: tam miserabilius, finem illorum aut nepotum spectantium. Multitudo, inquit Aristoteles, Principum mala: vnus ergo Princeps. Si in tam amplo orbe multitudo deorum ex æquo dominantium, quanquam hi nihil exigant ab illo, mala est, tametsi ipsi Dij per se boni sint: quanto deterior in angusto terræ ambitu hæc multitudo dominorum, qui omnia à subditis exiguunt, plura etiam non necessaria occupant, nec vt Dij iusti aut sapientes aut potentes? Sed omittamus modò quid præster: satis fuerit defendisse Neronis factum, necessarium sibi, & Reipub. admódum vtile. Quid sperari potuit, si populus Romanus duplici aula, duplicatis ministris, adulatoribus, magistratibus, vectigalibus, luxu, pompa, ludis, spectaculis pressus fuisset, aut distractus, quando ne vni quidem sufficiebat? Non fuere Neroni mentes Negu, non consilium eruendi oculos fratri (postquam fratrem vultis appellari filium patrui magni, etiam damnata adulterij & occisa matre) quid ergo superetat, fremente matre parricida tutum, fidumve auxilium illi, præter id maximè quod Britannico perperam persuasum erat, iniustè sibi ereptum imperium, quod iniustissimè prius pater illius ereptum Neroni, aut occupatum ex Repub. possedisset; vt non obscurum esset, moriendum fuisse Neroni, nisi clementiam in Britannico paternam, vtilem esse potuisse credat, cum Claudio neque nocentiorem neque sæuiorem hominem natura ediderit. Stultitia meticulosus, metu exitiosus. Veniamus ad sororem Antoniam, in qua eadem omnia mala erant, quæ in Britannico: nam neque soror verè, nec periculum ingens ab

ea deerat: imò plura & maiora quàm in illo: nam & ætas, & cauſæ irarum, occiſo fratre & ſorore, quæ & vxor illius erat, Octauia, manifeſtiores: & deſtinati Piſoni, qui Neronem occidere & occupare imperium aggreſſus eſt. Sic enim Tacitus: interim Piſo apud ædem Cereris operiretur, vnde cùm præfectus Tenius & cæteri accitum ferrent in caſtra, comitante Antonia Claudij Cæſaris filia, ad eliciendum vulgi fauorem: quod C. Plinius memorat. Nobis quoque modò traditum non occultare in animo fuit, quamvis abſurdum videretur & inane, aut ipſi Antoniam nomen & periculum commodauiſſe, aut Piſonem notum amore vxoris alij matrimonio ſe obſtrinxiſſe, niſi ſi cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt: & tamen vel ſic in illã, credo, miſericordia domus Claudij non animaduertit. Quis ergo tam Neroni infenſus eſt, qui non admiretur clementiam eius in illam, quam omnia iura ream mortis damnabant? Superuixit tamen eò vſque, donec Poppæa poſt aliquot annos extincta, dum nuptias eius repoſcentis aſpernata, & odij pertinaciam & periculum quàm in gratia eſſet, patefecit. Siquidem clàm nubens alicui, perculſo Nerone, optimatum & Senatus odio inuadere imperium facilè potuiſſet. Tum ergo tanquam immemorem beneficij, & implacabile odium teſtantem, & ob imminens exilij periculum & priora quaſi facta exprobrantem interfici iuſſit: non ſolùm neceſſariò, ſed etiam iuſtiſſimis ex cauſis. Sequitur vxoris Octauiæ mors, magis neceſſaria quàm cæteræ, non tamen adeò iuſta: iuſta tamen. Memor illa fratris, Agrippinæ etiam, noua pietate, quæ & ſceleribus & blanditiis æquè pernicioſa Claudij domui, nec retineri ſine periculo aut veneni aut nocturnatum inſidiarum, neque dimitti abſque maiore etiam poterat (quippe expertus ſemel vulgi in illam fauorem, diſiectis Poppææ ſtatuis & acclamationibus) nõ tàm ſcelere Neronis, quàm Claudij patris ac maiorum execrandis flagitiis extincta eſt. Decuit enim Antonij, ſceleratiſſimi viri, priùs quàm Auguſti, vel etiam non minus vniuerſam progeniem extingui: atque ferro, ne non fortuita vltio diuina aut neglecta eſſe videretur. Et quanto ſæuiora in puella ſpectacula repræſentabantur: eò recordantibus cædes, tot bonorum, tot inſontium, ab illius maioribus factas, vt minora præteream, diuinæ iuſtitiæ locuples teſtimonium elucebat. Hoc tamen conſilium vxoris necis, non tàm ſpontè iniit, quàm impulſus fraude Ottonis & Poppææ, qui & ipſi malè periere. Nec quicquam eſt quantumvis magnis cauſis hoc effecerit, quod Neronem feciſſe nollem, quàm cædem coniugis Octauiæ: puella pudica coniugio iuncta ſine crimine, non potuit ad mortem iuſtè damnari, tametſi ille ſe à periculo iuſtè liberare poterat: ſufficiebat relegaſſe, quam poſtmodum cuſtodia diligenti ſeruatam denuò ducere in domum poterat. Sed præter alias cauſas quibus ei infenſus erat, ſterilitas fuit: nam Octauia nupſit Neroni, A. Vitellio & L. Vipſano Conſulibus: periit P. Mario & Scilio Conſulibus: poſtquam verba illa Nero ad Senecam habuit. Agebat tum Nero annum vigeſimumſextum, Octauia vigeſimum exceſſerat, nec tamen vnquam concœpit. Ego tamen inuiſum autorem necis, etſi non neceſſe, ſuperis fuiſſe crediderim: namque Claudiorum gens ambitione ſumma, auaritia & crudelitate fuit: vt etiam Claudius ille Decem. vir damnatus ſit iudicio publico: & Claudia fœminã, quæ eliſa ob multitudinem optabat fratrem reuiuiſcere, præcipuam iacturam claſſis Romanę, vt rurſus victus frequentiam populi minueret atque & illa ob id damnata. Infenſa hæc ſemper plebi & miſeris, qualem putas fuiſſe erga alias nationes? qualem erga ſeruos? nihil minus quàm quòd in immeritam hæc fierent, nec eo conſilio ob id puto Diis inuiſam fuiſſe: nam propè mortem viſus eſt ab Octauia trahi in interiores tenebras: & ipſe eadem die ferrum intulit quo Octauiam occiderat: vt videatur non fortuito id contigiſſe: ſed ſeu ordine aſtrorum, ſeu vltione diuina, cui propius accedo, factum reor. Neque enim omnia quæ neceſſariò fiunt, iuſta ſunt: quoniam vbi cauſa non eſt, potius quàm innoxiũ occidere maximè morte præniſa, præſtat quodvis periculũ ſubire, & mortem ipſam. Nec idem eſt optimum fuiſſe vel eſſe Principem, & nibil admittere quod culpari queat. Quis tam ſanctus fuit, vt non deteriore animo regnarit? Poſſem, ſi vellem artis neruos intendere, hanc necem vt iuſtam laudibus magnis efferre: ſed non eſt id mihi conſilium, vt calamo ea probem, quæ animo probare non poſſim. Temperetur ars ad beneficium publicum: vt quæ ſcribuntur, ad exemplum trahi poſſuit: ſatis ſit oſtendiſſe, neceſſitate & ſtultitia & alieno ſcelere quæſitam hanc necem; Diis quidem iuſtiſſimam, non itidem autori. Meminerim me eſſe Philoſophum, non rhetorem. Et ſi conarer, aut nõ effecturum quod velim: aut ſi efficiam, non placere hæc ſuperis: & mihi minus fidei habendum, qui ambitione ductus, & oſtentandi cauſa, falſa ſimul & vera laudem. Quo minus, ni mors matris tã iuſta fuiſſet, abſiſtere decreueram. Sed in ea neſcio an maiori laude dignus ſit Nero, quòd occiderit, an quòd tam diu pertulerit: neque quicquam maius excogitare poſſum, quàm cùm illius æſtus, quos tam diu tulit, imaginor. Hinc materna ſpecies, memoria educationis, dulcedo coniunctionis, partum illius ſeu induſtria ſeu ſcelere imperium: at ex diuerſo omnia, obſcœna parricidium in patrem perpetratum, cædes multæ nobilium, tentatus concubitus nefarius filij, cupiditas eripiendæ dominationis, perpetua ſolicitatio fratris, vxoris, exercituum, tribunorum, optimatum ad illum euertendum: ita, minæ, ſuſpecta fides & conſuetudo, non ipſi tantùm, ſed omnibus eius amicis & educatoribus, etiam iiſdem quos illa ei adiunxerat. Si matrem occidere omnino non licet, fateor iniuſtè cæſam: ſed ſi vnquam licuit (licuit autem Oreſti, etiam conſultore Apolline) maximè licuiſſe Neroni oſtendemus. Sed prius hiſtoriam enarrabimus. Fuit Agrippina, filia Germanici, vt diximus, & Agrippinæ, neptis Auguſti, fœcundæ matronæ: itaque eò nobilitate potens, ſed non minus ſceleribus notiſſima, & inceſtu etiam fratris infamis: quam tamen vel ſic ſororem & pellicem ferre non potuit, ſed in exilium egit, ob impotentiam: adeò verò ferox & improba,

vt

vt cùm Nero nuper natus eſſet, gratulantibus amicis, pater Domitius negarit potuiſſe ex ſe quicquam naſci & Agrippinæ, niſi exitiale populo Romano: adeò vxoris mores aſpernabatur: quæ vox adeò inconſulta, multum dedecoris & inuidiæ Neroni attulit: tanquam neceſſarium ſit, aut eſſet, filium aſſimilari parentibus. Namque ego ex duobus parentibus natus ſum maximè iracundis, cùm tamen ſim mitiſſimus: filij tamen mei parentibus meis, non mihi ſimiles nati ſunt. Deinde fac vt quis natura talis naſcatur: quid faciet aut proderit educatio, ſi neceſſariò talis futurus eſt natus quales fuere parentes? inſulſa ſanè vox fuit, & quæ quotidiano experimento atque vſu refellitur. Quinimò plerunque accidit, vbi parentes ſeu virtute ſeu vitiis extremis inter ſe ſimiles fuerint, vt filius naſcatur contrariis moribus & natura: ex duobus maximè ſæuis mitiſſimus, ex ſapientibus ſtupidus aut ſtultus, ex iracundis (vt dixi) quietus: ſeu quòd vt ignis ignem retundit, ſeu quòd extrema neceſſe ſit in contrarium ſtatum declinare: ſeu quòd vitia parentum dum filius aſpernatur, aut virtutem æquare poſſe non ſperat, in contrarium habitum tranſeant. Vbi ergo ſucceſſu impudicitiæ primùm cum fratre, inde Pallante Claudij liberto, ſed potentiſſimo & locupletiſſimo, ornatoque multis dignitatibus deinde cum patruo Imperatore facta ferocior, cœpit (vt mos eſt eorum qui per ſcelera & flagitia aſcendunt) nihil ſibi exiſtimare non licere, atque ex eo moliri vt filius in imperium ſuccederet: potita voto, per omne flagitium, ſeu quòd maius ſit, vxorem eſſe Imperatoris quàm matrem: ſeu quòd Claudius ob inertiam plus illi tribueret quàm Nero adoleſcens, & ferudus natura, ipſique matri ſimilis: ſeu quòd plura vellet quàm haberet, ſeu quòd mallet omnia imperare, non obſcurè concupiuit. Et primùm quidem experta indulgentiam filij: ſed ea tanta eſſe non poterat infinita cupienti vt ſatisfaceret: inde conuerſa ad vim occultam, & impudentiam: pòſt apertè tentauit: vbi vidit non licere fœminæ imperare, poſſeque plus publicum ius priuato vinculo materno reuerentiæ, ad ſtultum conſilium diuertit occupandi Neronis adoleſcentiam nefario inceſtu. Vbi verò neque id proceſſit, ad querelas, iurgia, ſolicitationes, minaſque animum intendit: nullum lapidem non mouit, donec tot tantiſque malis, maioribuſque periculis, tum etiam aſſiduitate importunæ mulieris perculſus Nero, coactus eſt exuere filium, induere iuſtitiam, abiicere reſpectum, ſumere poteſtatis licentiam, contemnere famam vanam, conſulere ſecuritati. Iam ergò ſingula ita eſſe oſtendamus, ex vno eodemque autore. Ecce initium libri, vbi de Nerone agitur. Prima nouo principatu mors Iunij Siliani, Proconſulis Aſiæ, ignaro Nerone per dolum Agrippinæ paratur, non quia ingenij volentia exitum irritauerit, ſegnis & dominationibus aliis faſtiditus, adeò vt C. Cæſar pecudem auream eum appellare ſolitus ſit: ve-
„ rùm Agrippina fratri eius L. Sillano necem
„ molita, vltorem metuebat: crebra vulgi fama,
„ anteponendũ eſſe vixdum pueritiam egreſſo
„ Neroni, & imperium per ſcelus adepto, virum
ætate compoſita, inſontem, nobilẽ, & qui tunc “
ſpectaretur è Cæſarum poſteris. Quippe & Sil- “
lanus D. Auguſti abnepos erat. Hæc cauſa ne- “
cis. Ecce quibus auſpiciis. Inde ſubiicit: Nec “
minus properatò Narciſſus Claudij libertus, “
de cuius iurgiis aduerſus Agrippinam retuli “
aſpera cuſtodia, & neceſſitate extrema, ad “
mortem agitur, inuito principe. Ibaturque in “
cædes, niſi Afranius Burrus & Anneus Sene- “
ca obuiam iiſſent. “

Habetis iam ingenium fœminæ, atque acta. “
Inceſtum autem negare quis poſſit quæſitum? “
Tum Agrippina verſis artibus, per blandi- “
menta iuuenem aggredi, ſinum potiùs cubicu- “
lum ac ſinum offerre contegendis quæ prima “
ætas & ſumma fortuna expeterent. Quin & “
fatebatur intempeſtiuam ſeueritatem, & ſua- “
rum opum, quæ haud procul Imperatoriis “
aberant copias: & vt nimia coercendo nuper “
filio, ita rurſum intemperanter demiſſa. Quæ “
mutatio neque Neronem fefellit, & proxi- “
mi amicorum metuebant, orabantque caue- “
ri inſidias mulieris ſemper atrocis, tum & “
falſæ. Fortè illis diebus Cæſar inſpecto or- “
natu, quo Principum coniuges ac parentes “
effulſerant, delegit veſtem & gemmas, miſit- “
que donum matri nulla parſimonia, cum præ- “
cipua & cupita aliis prior deferret. Sed Agrip- “
pina non hîc inſtrui cultus ſuos, ſed cæteris “
arceri proclamat: & diuidere filium, quæ “
cuncta ex ipſa haberet. Nec defuere qui in “
deterius referrent. Et Nero infenſus bis qui- “
bus ſuperbia mulieris innitebatur, demouet “
Pallantem à cura rerum, quis à Claudio im- “
poſitus, velut arbitrum regni agebat: fereba- “
turque, digrediente eo magna proſequentium “
multitudine, non abſurdè dixiſſe, Ire Pallan- “
tem vt eiuraret. Sanè pepigerat Pallas, ne “
cuius facti in præteritum interrogaretur, “
paréſque cum Republica rationes haberet. “
Præceps poſthæc Agrippina, ruere ad ter- “
rorem ac minas, neque Principis auribus “
abſtinere. Et rurſus hæc ſubdit: Tradit Cli- “
uius, ardore retinendæ Agrippinam poten- “
tiæ eò vſque prouectam, vt medio diei, “
tùm id temporis Nero per vinum & epu- “
las incaleſceret, offerret ſe ſæpiùs temu- “
lento comptam, & inceſto paratam. Iam- “
que laſciua oſcula, prænuncias flagitij blan- “
ditias annotantibus proximis, Senecam con- “
tra muliebres illecebras ſubſidium à fœmina “
petiuiſſe: immiſſamque Acten libertam, quæ “
ſimul ſuo periculo & infamia Neronis an- “
xia deferret, peruulgatum eſſe inceſtum, “
gloriante matre: nec toleraturos milites pro- “
fani principis imperium. Fabius Ruſticus “
non Agrippinæ, ſed Neroni cupitum id me- “
morat: eiuſdemque libertæ aſtu diſiectum. “
Sed quæ Cliuius, eadem quoque cæteri au- “
tores prodidere. Et fama huc inclinat, ſeu “
conceperit animo tãtum immanitatis Agrip- “
pina; ſeu credibilior nouæ libidinis meditatio “
in ea viſa eſt, quæ puellaribus annis ſtuprum “
cum Lepido ſpe dominationis admiſerat, “
pari cupidine vſque ad libita Pallantis pro- “
uoluta, & exercita ad omne flagitium pa- “
trui nuptiis. Igitur Nero vitare ſecretos eius “
congreſſus, abſcedentem in hortos, aut Tuſ- “
culanum, vel Antiatem agrum laudare, quod “
ocium laceſſiſſet. Hæc oſtendunt, Neronem “

non id, sed Agrippinam quæsisse. Si igitur Nini filius matrem Semiramidem od id solum occidit, quod illius concubitum quæsisset: quam inuremus infamiam Neroni, quòd eandem ob causam matrem occiderit? cùm etiam vim illa, minasque adderet, mulier venefica, impotens, sæua, multis flagitiis nota, superba, rapax, impudens, falsa: præterea potens, dives, & (vt dixi) ex Augusti stirpe. Sed age cum quictura non esset nisi stupro impetrato (quanquam quid abominabilius, etiam dempto scelere:) an vxorem & concubinas, pellicesque quarum forma propter ætatem præcellebat, omnes tollere voluit, vllam præponi sibi Agrippina sperare potuit? Quòd si præponeretur, adhuc nihil erat actum, nisi perpetratum flagitium: dissensio, iurgia eadem manebant. Quid ergo? duceret in vxorem matrem, vt fertur moris esse Persarum gentis? tulisset ne hoc populus Romanus tantum scelus, ac tam publicum? Necesse igitur fuit, extinguere hoc tantum incendium, morte ipsa. Admirantur forsan quidam, multitudinem rerum: & quod in vno tolerandum videtur, auersantur in pluribus. Non ignari sunt, Ptolemæos quosdam fratres, alios parentes, alios filios, alios vxores, plures etiam amicos occidisse. Sed mirantur Neronem simul hæc omnia egisse: vt videatur ipse potiùs consilio suo huiusmodi peregisse, quàm fortuna, aut casu. Neque illis id persuaderi potest, verisimile quidem fuisse vt in tot occasiones solus incideret, sed eas potiùs quæsisse: atque hæc maxima suspicio est contra illum. Cui respondemus: Quosdam homines esse velut agaricum, centauream, & verbascum, quibus plurimæ sunt vires, atque numero incredibiles: alios vt arbutum, cui nullæ: ita certè contingit, vt quibusdam plurima & maxima eueniant infortunia, aut occasiones difficiles, quibus etiam cogantur aur succumbere, aut acriores quàm communis vsus sit videri: è quorum numero Nero fuit, si quis alius. Sed tamen si occupata tyrannide omnes Claudij descendentes excidisset, vt multi quoque alij fecere Principes, quamvis id iniustè egisset, melior tamen videri poterat. Eius enim clementiam segnitiem interpretantes, ea ausi sunt, per quæ, nisi sibi prospexisset, euertebatur. Id maximè contingit, cùm ex familia in familiam regnum transfertur: atque lætis temporibus, & in magna viuendi licentia. Sed iam ad Agrippinæ violentiam redeamus, cùm præter superius adducta inquit: Simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Sillanorum manes inuocare: & tot irrita facinora. Et rursus: Certamen Senecæ & Burro vnum erat, contra ferociam Agrippinæ: quæ cunctis malis, dominationis cupidiraribus flagrans, habebat in partibus Pallantem, quo autore Claudius nuptiis incestis & adoptione exitiosa semet peruerterat. Sed facile est videre, Neronem non quæsisse occasionem perdendæ matris, cum habitam vt honestam non receperit, verùm omni studio seruare concupierunt. Narrabo historiam breuiter. Erat Rubellius Plautus, pari cum Augusto, vt Nero, in gradu: de hoc ita Tacitus: Iturius & Caluisius, non iam vetera & sæpius audita referentes, quòd Britannici mortem Agrippina lugeret, aut Octauiæ iniurias euulgaret, sed destinauisse eam Rubellium Plautum ad res nouas extollere, conjugioque eius etiam imperio Rempub. rursus inuadere: hæc Atimeto Domitiæ Neronis amitæ liberto aperiunt (quippe inter Agrippinam & Domitiam infensa æmulatio exercebatur) ille Domitiæ ea, Paridem histrionem libertum solitum lusus principis intendere, ad illum iam prouecta nocte mittit: adeoque exterret Neronem, vt iam non solùm de Plauti & matris nece cogitaret, sed etiam amouendo præfectura Burro tanquam Agrippinæ gratia prouectum. Quid plura? hìc vides Neronis moderationem in tanta suspicione, in odio matris tam manifesto: Burrum præfectum prætorij, in cuius manu vita erat & imperium, loco non mouit, nec Senecam: quamvis vterque ab Agrippina ei datus esset. Sed neque illorum quenquam priuauit vel punita matre, verùm Burrum morte amisit. Seneca sponte, Nerone nolente, se abdicauit. Sed vide finem huius accusationis: neque enim satis habuit matrem & Plautum innoxios pronunciare, sed & accusatores & Atimetum, qui extra culpam erat, supplicio affecit: ratus ob Domitiam, delatorem vltrò accessisse. Quis ergo tam infensus Neroni esse potest, vt audeat dicere, quæsisse causam occidendæ matris? verùm vt Tacitus & Suetonius refert, victus illius acerbitate destinauit occidere:

Vnde Tacitus: Postremò vbicunque haberetur, prægrauem ratus, interficere constituit: hactenus consultans veneno an ferro, vel qua alia vi. Et Suetonius: Verùm minis eius ac violentia territus, perdere statuit. Quæras forsan, quomodo potuit Princeps orbis terreri minis fœminæ? Dicam primùm quidem ab insidiis, ne non veneno per communes ministros illum conficeret: vnde Tacitus: Et ministro Agrippinæ tentare de veneno arduum videbatur, mulieris vsu scelerum aduersus insidias intentæ. Et alibi: At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octauiam, crebra cum amicis secreta habere: super ingenitam auariciam vndique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos, & centuriones comiter excipere: nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quæreret ducem & partes. Cognitum id Neroni, excubiasque militares, quæ, vt coniugi Imperatoris solitum, & vt matri, seruabantur, & Germanos custodes super eundem honorem additos digredi iubet: ac ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam quæ Antoniæ fuerat. Quoties ipse illuc ventitaret, septus turba Centurionum, & post breue osculum digrediens. Imminebat, vt dixi, maius & longè periculum, ne alicui potentium nuberet: neque enim non manifestissimo in discrimine imperij & vitæ versabatur. Quid dicam de infamia, qua illum aspergebat, tanquam parricidam fratris, desertorem coniugij, suspectum de Claudij morte: illegitimum successorem imperij, matri ingratum, flagrantem

amore

amore libertæ, tum nocturna flagitia, & quæcunque tenebræ abscondunt etiam in sanctissimo viro deformia, nedum in adolescente principe euulgando, omniaque in maius augendo, præsens exitium cum contemptu illi parabat. Quòd & si nullum exitij periculum fuisset, vitam illi acerbam reddere potuit. Neque fides testi, matri scilicet, deesse poterat. Quid deinde intra domesticos penates, dum vxorem illi parùm beneuolam etiam contumacem & iratam reddit, eamque suspicionibus malignis replet? Cunctosque illi Claudij se Britannici seu Octauiæ amicos, tanquam non ipsa Claudium occiderit fratrem & vxorem euerterit, amicos interfecerit, oppresserit, eiecerit, sed Nero. Nam forsan credas, quòd Britannicum amplexaretur, in odium filij amasse illum? Absit. Quæ enim nouerca, quantumvis bona, & sine imperij etiam æmulatione, potuit priuignum non odisse? Et amabat Agrippina Britannicum, cuius patrem necarat, à quo transtulerat imperium, imò eripuerat, filióque proprio dederat. Quid plura, audi rursum Tacitum: Com-
,, motus Agrippinæ querelis, quasi crimini-
,, bus, Claudius, optimum quemque educato-
,, rem filij morte aut exilio afficit, datósque à
,, nouerca custodiæ eius imponit. Lusciumque
,, Getam & Rufum Crispinum, Messalinæ me-
,, mores, & filiis eius deuinctos, specie quòd
,, cohortes duorum ambitu distraherentur,
,, amouit: traditque Burro Afranio, gnaro
,, cuius sponte perficeretur. Et rursus pòst, dum
,, de Britannici nece agit: Nam vt proximus
,, quisque Britannico: ne fas neque fidem pen-
,, si haberet, olim prouisum erat. Primùm ita-
,, que venenum assumpsit ab ipsis educatori-
,, bus. Deinde deflebat, quem ipsa morti de-
,, stinarat.

Tot sceleribus infandam mulierem, & fœminei totius sexus dedecus, ac naturæ horribile monstrum, decem annis fermè pertulit Nero inter maxima pericula, maioresque metus, & maximam molestiam. Quali autem
,, animo aut timore eam occiderit, audi: At
,, Neroni nuncios patrati facinoris opperienti,
,, affertur, Agrippinam euasisse, leui ictu sau-
,, ciam: & hactenus adito discrimine, ne autor
,, dubitaretur. Tum pauore exanimis, & iam
,, iamque affore obtestans vindictæ properam,
,, siue seruitia armaret, vel militem accenderet,
,, siue ad Senatum & populum peruaderet, nau-
,, fragium & vulnus & interfectos amicos
,, obiiciendo: quod contra subsidium sibi? nisi
,, quid Burrus & Seneca expergiscerentur, quos
,, statim acciuerat: incertum, an antè ignaros.
,, Igitur longum vtriusque silentium, ne irriti
,, dissuaderent: & eò descensum credebant, vt
,, nisi præueniretur Agrippina, pereundum
,, Neroni esset. Post Seneca hactenus prom-
,, ptior, respicere Burrum, ac sciscitaretur, an mi-
,, liti imperanda cædes esset? Ille, Prætorianos
,, toti Cæsarum domui obstrictos, & memores
,, Germanici, nihil aduersus progeniem eius
,, atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus
,, promissa. Qui nihil cunctatus, poscit sum-
,, mam sceleris. Ad illam vocem Nero, illo si-
,, bi die dari imperium, autoremque tanti mu-
,, neris libertum profitetur.

Iam dubio procul esse video, & Neronem metu id egisse, ac in summa desperatione rerum: & nisi detectus fuisset dolus nauis ruinosæ, non proruptum ad publicam cædem. Et sanctum Senecam cum optimo Borro non solùm conscios huius parricidij (si modò parricidium sit, tam scelestam fœminam occidisse, exemisse se manifesto vitæ periculo) sed & consultores & autores.

Sed & inuitam cædem confestim subsecuta est pœnitentia: vnde & se exagitari materna specie testatus est: & maris eius ac littorum aspectus, quo cœptum est facinus, turbabat eum. Et vt Suetonius ait, manes illius, facto per magos sacrificio, euocare & exorare tentauit. Vnde demiror Tacitum in ea verba prorupuisse, vt Neronem voluerit occidisse matrem, vt Octauiam abdicaret, Poppæam duceret. Quo mendacio nihil turpius: aut si ita ex coniecturis credidit, opinione nihil absurdius esse aut dici potest, aut excogitari.

Omitto, quòd causæ necis matris tot tantæque, vt dixi, fuere, vt quemvis patientissimum mouere potuissent: nónne animaduertit, vel etiam ipso teste, inter mortem Agrippinæ & Octauiæ annos plusquàm tres intercessisse? Mortua enim est Agrippina, C. Vipsano Fonteioqoe coss. quibus successerunt Nero quartò & Cornelius Cossus, his autem Cæsonius Pætus & Petronius Turpilianus, pòst P. Marius & L. Asinius: sub quibus Octauia occisa, Poppea ducta in matrimonium. Si ergo ardebat tum Poppææ amore, cur tantum distulit? nimis enim longa amanti hæc mora, etiam moderato, & priuatæ conditionis.

Quòd si verò nondum eò ardor processerat, sed mediocriter ferebat, cur tantum scelus aggressus est, quod etiam non sufficeret? Quid vetuit, ne Octauiam tolleret minore crimine, Agrippinam relinqueret? Sanè fateor, multum accelerasse Octauiæ necem consiliis improbis, quibus aduersus coniugem eam accenderat: inuisamque illam filio reddidisse, dum per vim, quam ardenter deperiret, quasi matrem, metueret, retineri videri vult. Ita mulier hæc seu volens, seu inuita, exitio fatali miseræ domus Claudiorum nata videbatur.

Forsan obiicies, quod solum obiici posse sentio, præstitisse Neroni periisse, imperium amisisse, quàm tanta cum infamia matrem occidisse. Sed quis adolescens tam sanctus, tam Philosophus est, qui malit alieno scelere perire, quàm supplicio seruari? Iam omnia quæ proposuimus, ostendimus: veniamus ad ius ipsum.

Si Sillanorum affines atque amici, si Antonia Claudij filia, si Narcissi coniuncti, totque aliorum (quos illa perdidit) virorum (nam sub his optimatibus haud dubium est magnam turbam mediocris conditionis virorum interemptorum, silentio præteritam latere: nam & Calistus ab ea occisus est, vnus è tribus potentioribus libertis) ius aduersum Agrippinam à Nerone petissent: an non cogebatur illam punire? Tum verò iustissimus habitus esset.

At modò cum tot aliis sceleribus iniustus & parricida vocatur. Quid hoc? Fecit, sed in sui commodum. Si finem spectes, postquā factum

est sine crimine, causa facti eum excusat etiam qui cum crimine fecisset, postque timore iusto id egit: nec viuere illa salua, nedum imperare poterat: igitur cùm factum iustum sit, causa non sit turpis, quam etiam Philosophus egregius & cæterorum doctor comprobauit: & vir optimus Burrus, vt Tacitus testatur: non parricidium admisit Nero turpitur, sed magna cum laude vindicauit. Fac vt Traiano, fac vt duobus Antoninis ea sors, mater adeò scelerata contigerit: vis reliquerint incolumem? iniusti planè erunt: non enim alienæ iniuriæ domini sunt Cæsares. Fac vt vindicauerint: cur quod in Traiano & Antoninis laude dignum babetur, in Nerone etiam longè maioribus cum causis vituperatione dignum esse debet? Nunc veniamus ad amitam, in qua vt nullum crimen, ita nec in Nerone suspicio necis: nec de ea quicquam apud Tacitum. Si dicas, deesse partem xvi. libri: certum est non esse magnam: peruenit enim ad finem consulatus C. Suetonij & L. Telesini, vt Nero postmodum parùm superuixerit. Quomodo ergo positurum lanuginem dixit, qui iam propè triginta annos natus esset? Quid minus verisimile, quàm coëgisse Medicos, tantum scelus admittere: imò nec coëgisse, sed quasi de pecudis vita ageretur, verbo vno hortatũ, vt amitam Imperatoris occiderent? defuisse illi venenum, quod perfidos sibi daret ægræ? Demum quæsisse iam tot facinorum infamia laborantem, si Deos, si æquum iustumque sperneret, quo publicè & sine excusatione maiore dedecore flagraret apud populum & milites, quos metuebat? Quo teste ista prodita? qua securitate illi prodere potuerunt? Et si securos eos princeps reddidit, cui bono? vt scilicet non solùm fama, sed lucrum illis periret? Demum, quot purgationibus opus erat vt periret? An medicamento medicamentum addere oportuit? Quis non videt hæc conficta ab inimicis, tam absurdè etiam, vt fidem non sint habitura? Amabat amitam, suosque nisi illos qui ingrati erga eum fuerunt. Nonne constat, in extremo vitæ superfuisse duas nutrices suas, Sporum, Epaphroditum, Phaontem, totque alios? atque vtinam illi fidi fuissent, quàm plures superfuere amici, atque magnis affecti beneficiis. Siquidem refert Tacitus, XXII. HS. id est, aureorum coronatorum quinquagies quinquies millies mille, in ditandis amicis impendisse, à quibus desereretur. Atque inter cæteros autor ille inuidiæ Ophonius Tigillinus, ab eo & ipse desciuit. Cæterùm in Domitia, nam Liuilla & Drusilla uon amitæ, sed materteræ fuerunt. Nec existimandum est odisse defensores potentiæ suæ. Sed eo Fato natus videbatur, vt non solùm beneficia quæcunque pro maleficiis haberentur, sed & quæcunque egisset, in malam partem traherentur. Simili iniuria illum afficiunt, dum reum mortis Burri esse volunt, & priuigni. Burro misit medicamentum, quo fauces illiniret: misit venenum: an non poterat experiri in seruo, in damnato, qui esset præfectus prætorij? Sed Tacitus verisimiliora dicit, medicos mandato Neronis id egisse, non venenum à Nerone missum. Simili vanitate mentiuntur Ruffinum Crispinum priuignum ex Poppæa natum, impuberem, iussisse mergi mari, quòd luderet ducatus & imperia. Qnid enim absurdius, cùm Poppæam vnicè dilexerit, & ab ea vsque ad mortem dilectus fuerit? quod etiam illi causa mortis fuit. Cùm enim ob zelotypiam reuertentem, acrius irata eum obiurgaret, percussa ab illo calce periit, quòd excusso fœtu abortierit. Quomodo verò occiso illi filio sine causa, impubere præsertim, eum amare adeò ardenter potuerit, non video. Quòd si fingas id factum post Poppææ mortem, quid hoc habet verisimile: cùm iam puero nulla essent præsidia quibus metueretur? nec Tacitus tantæ rei meminit. Quod enim iratus nolensque vxorem occiderit, fortunam & hîc, non animum accusare oportet. Quotus quisque enim mortalis adeò patiens est, qui cum vxore quatuor annis, etiam minimè morosa, quadrienni, aut Nero cum Poppæa, omnium fœminarum morosissima, perpetuò sine iurgio viuat? Satisfecimus parricidiis, si de Senecæ morte agamus. Occidit Senecam Philosophum, educatorem, institutorem teneræ suæ ætatis, adiutorem potentiæ & dominationis, rhetorem eruditum, disertum oratorem, virum facundum, memorem, vt qui (quod aliàs diximus) duo millia nominum propriorum memoriæ mandare solitus esset: hominem grauem, optimi exempli, sine causa, & insontem (quæ duo maxima sunt) & si quid ad rem facit, amicum B. Pauli Apostoli. O maximum & inexpiabile facinus! Verte sententiam, & ad veritatem te retrahe. Occidit pseudo-Philosophum, proditorem teneræ ætatis, atque ob id euersorem Imperij, adiutorem & institutorem scelerum, rhetorem malignum & insulsum, oratorem improbum, frigidis cum argutiis beneficio naturæ pessimè abutentem: hominem varium, dolosum, pessimi exempli, atque huiusmodi (quod Christus maximè damnauit) subdolum, dissimulatorem, pessimum adulatorem, participem & doctorem omnium quęcunque in Nerone maximè reprehensa sunt causa cum maxima, inhiantem etiam imperio: inimicum non solùm B. Pauli, sed omnium Christianorum atque bonorum. Itaque existimo necem Senecæ, si quid modò per imprudentiam in aliis deliquit Nero, maximam criminum partem eluere. Eo enim quisque deterior est, haberique debet, quo principaliori loco, & sub specie probitatis, & titulo integritatis, ac sapiens mala admittit: horum enim exemplo ita peruertuntur principes, vt quicquid malorum orbi euenit, ob hos pessimos adulatores hypocritasque contingat. Euersores bonorum, seditionum causæ, proditores principum, laruæ malorum Dæmonum, oppressores miserorum, exemplum malignitatis, hirudines humani generis, corruptores aulæ, eruditionis & virtutis perniciosissimi hostes, faces tyrannorum, regnorum blattæ & caries perniciosa semper. Hic professor Stoicæ disciplinæ, quemadmodum & ille improbus P. Egnatius (qui pecunia corruptus prodidit Bareā Soranum, amicum præcipuum) nihil non alienum à Stoa sapiebat. Sed nihil actum est, nisi talem Senecā fuisse ostēderimus. Primùm quidē non est cur tot nominib. insecter Senecam,

virum

virum iam fermè mille quingentis annis mortuum, quem odisse possum. Mores fuēre vrbis & sæculi, ac propria illius ambitio, non leui coniuncta stultitiæ, atque immensæ auaritiæ. Sed vis dignoscere probum virum ab improbo? duobus tibi verbis absque Physionomia aut Astrologia te docebo: non est quod errare timeas, si hæc duo obserues. Si auarus non est, si immortalitatem animi credit, bonus est: qui contrà, malus. At de animi immortalitate, quid hoc simulant plerique, ob legis metum? Christi præceptum babes, quo etiam auari & insontes deprehenduntur: inquit enim: A fructibus eorum cognoscetis eos. At hæc ambo iam in Seneca sine difficultate produntur: nam & animos esse mortales, sæpe fassus est: & summam in eo auaritiam, quātum in quouis mortalium fuisse, nemo dubitare debet. Inquit enim Tacitus, obiiciente,
» quem accusabat Seneca, Suillio: Qua sapien-
» tia, quibus Philosophorum præceptis, intra
» quadriennium Regiæ amicitiæ, ter millies se-
» stertiûm parauisset? Romæ testamenta & or-
» bis velut indagine eius capi, Italiam & Pro-
» uincias immenso fœnore hauriri. An grauius
» existimandum, sponte litigatoris præmium
» honestæ operæ assequi, quàm corrumpere cu-
» bicula principum fœminarum? Hæc sufficere deberent, ad ostendendum improbitatem fucati Philosophi, qui his moribus fuerit, vt insatiabili animo ad quæstum esset: nec solùm sibi, sed etiam fratribus maximas diuitias comparauit, aut comparare docuit. Vnde Tacitus:
„ Mella, quibus Gallio & Seneca parentibus na-
„ tus, petitione honorum abstinuerat per ambi-
„ tionem præposteram, vt eques Romanus con-
„ sularibus potentia æquaretur. Simul acquiren-
„ dæ pecuniæ breuis iter credebat, per procura-
„ tores administrandis principis negotiis. Et inde subdit: Neronem opibus illius inhiasse. Quales fuerint cogita, quibus Imperator orbis inhiauerit. Nec fuisse expertem Senecam, nec omnino conscium Pisonianæ coniurationis, ex eo coniicitur, quòd paucis antè diebus de maxima familiaritate cum Pisone accusatus fuit à Romano: & licet discusserit crimen crimine pari, existimandum tamen est Senecam hortatum fuisse Pisonem sic, vt mens potiùs quàm verba deprehenderetur. Vnde Tacitus:
„ Et Natali misso: à Pisone respondisse Sene-
„ cam: Sermones mutuos et crebra colloquia
„ neutri conducere, cæterùm salutem suam in-
„ columitate Pisonis inniti. Iam consuetudo intima, & conscientia facinorum Neronis, quæ vt illi necessaria ob imperium & vitam tuendam, ita Senecæ ob auaritiā & ambitionem, scelera erant. Fratris, matris, vxoris, aliorumque more imperata, quam possunt mereri excusationem in Seneca? Sed nosce ingenium hominis in controuersiis illis fœdis, flagitiosis, sæuis, cùm vt ostentaret eloquentiam, nec veritati, nec æquitati, nec misericordiæ locum vllum reliquit. Sed quò rapax & inculta facundia rapiebat, eò detorquebat ius atque æquum. Deterius est longè docere mala, quàm facere: qui facit, impetu & dolore, aut ira vel perturbatione alia animi fertur, semel tantum peccat, & peccando seipsum criminis damnat, dum celat, fugit, pauet, excusat, habétque quædam decoris & honestatis in causa facti rudimenta: qui docet, impudenter docet, & multos: nec vllo affectu nisi improbitatis ducitur, nec habet vllam facti causam. Vis vitæ impuritatem videre? historiam lege hostis illius, primo Naturalium quæstionum, adeò turpem, vt plures (inter quos Andreas Alciatus, Vir eruditionis singularis) eam pudore obliterauerint: maluerintque codicem deformare, quàm animum. Præstat enim in quibusdam atrocibus malis viam præscindere, vt etsi velis, facere vel scire non possis. Porrò quòd mortalem censuerit animum: omitto: quòd Epicureus, & cui Epicurus placet, sit, & carmina vulgata illius, quæ forsan quis sua esse negare possit, in Epistolis sæpiùs se prodit: in quibus etiam, vel ipso teste, quàm frigidè bonus fuerit, dignoscitur. Hunc virum adeò abhorrentem ab omnibus Christianis præceptis, qui ne vno in loco Christi aut Christiani cuiuspiam mentionem fecerit, nec moriendo, quis audeat ob fictas Epistolas Christianum dicere? Ergo si Senecam alter punisset à Nerone, iustissimus dici poterat: nunc quia Nero fuit, cuius omnia facta probrosa, iniusta facta, scelerataque esse volunt, iniustissima nex, Senecaque sanctus appellatur. O iudicia hominum! ô stultitiam! Sed hæc omnia quare contigerint, suo loco demonstrabimus. Nunc illud aggrediamur, quo demonstremus peruersam mortalium sententiam: Augustus (inquit) ex nepte Iulia post damnationem natum infantem agnosci vetuit. Hic rogo animaduertas. Augustus pro diuo colebatur, qui infantem pronepotem sustulerat. Nero, qui matrem sceleratam, & cum periculo imperij & vitæ eius omnia turbantem sustulit, pro impio damnatur, & reiicitur. Nuper Solimanus filiam, & nepotem ex eo adhuc impuberem; ob suspicionem affectatæ tyrannidis laqueo strangulari iussit: eius pater Selim patrem suum Baiazetem pulsum regno, decrepita ætate, necari curauit per Hebræum Medicum: nec Solimanus ob filium & nepotem, nec Selim ob patrem impij habentur. Pius enim videtur, qui crimen agnoscit, & propter publicum beneficium punit. Quærat igitur iustè aliquis, an deterius sit occidere pronepotem, an filium? & an filium, aut matrem, vel patrem? Ægyptiorum reges alij quidem parentes, alij filios occidere consueuerunt, atque inter reliquos Physton, filium impuberem ex sorore, eaque vxore genitum, sororis odio interfecit. Philopater autem, patrem & matrem: Mithridates filios. Verùm crudelius est matrem occidere: magis impium, patrem: quòd leges patriam potestatem constituerint, non maternam: & quòd pater principale sit agens vt semen, mater autem vt terra: planta autem semini plus debet quàm terræ: & quod pater alat filium, educet, instruat, magis quàm mater: filium autem occidere magis contra naturam est: & amentis, vt quem genueris occidas, spemque tibi perpetuitatis succedere cupias aduersum temetipsum. At pronepotes magis in spe habentur quàm filij. Ideo nemo excusauerit Augustum, quòd cùm non posset dubitare de matre, pronepotem insontem sustulerit: vt si de impietate agendum sit, qui patriam oppresserit,

fratrem & pronepotem occiderit, magis non sit Nerone execrandus : & tamen Augustum Deum & effecerunt, & coluerunt : adeò peruersa hominum studia, vt si quis secum reputet, simillima sint amentiæ.

Sed iam ad aliud crimen, scilicet sæuitiæ, descendam : in quo adeò damnatur Nero, vt iam in adagium versum sit : tametsi Erasmus eidem non Neronem iniustè, sed Phalaridem iustius subiecerit. Primumque obiicitur sæuitia, qua in Christianos vsus est : cùm etiam Petrum & Paulum Romæ occiderit : vt proxima sit hæc crudelitas etiam impietati. Ingrata res, quæ cùm plerosque optimos principes tetigerit etiam, vt Traianum, Decium, Diocletianum, Neroni pro crimine obiiciatur. Quòd si Nero probos & sanctos Christianos & vtiles Reipublicæ necandos putauit, non recuso quin Neronis factum cum aliis maximè detester. Sed si probrosi, seditiosi & impij habeantur, Nero non est in crimine. Est enim prudentis principis, tueri præsentem & vetustam religionem. Sic Antonini atque alij optimi principes ac viri. Paulus primùm persecutus est Christianos : postea idem effectus est vas electionis. Si error est pro scelere, certè Nerone hac in causa non minus sceleratus fuit. Sed neque Suetonius, neque Tacitus Neronem ob hoc arguunt : sed quòd tanquam incendij reos subiecerit innocentes. At quis non videt quæsitam fabulæ causam, vt etiam Christianis : quorum non paruus tunc erat numerus, & omnibus aliis exosus esset ? Christianis, quòd eos falsa ex causa crudeliter damnasset : populo autem, & præsertim sacerdotibus idolorum, quòd antea semper damnari vetuisset eo nomine. Itaque inuidia ardentes cum plerosque incitassent, qui Christianos incendij auctores dicerent : Nero permisit vt punirentur : in quo facto causam illi maledicendi inuenerunt, quasi punierit & ob falsum, & ob minus delictum: minus enim existimabant incendi vrbem, quàm cultum Deorum suorũ negligi. Indicio est sic esse, quod antea non legatur in Christianos desæuisse vllos, quòd suffecerit etiam prioribus Imperatoribus vrbe illos depulisse. Vnde idem Suetonius in Claudio: Iudæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit. Insitatum fuit ad eam vsque diem, qua permisit Nero Christianos ob incendij suspicionem accusatos plecti, quenquam ob alienam superstitionẽ supplicio extremo affici : in quo errauit Nero. Sed Suetonius id inter illius benefacta narrat, vocatque Christianos superstitionis nouæ ac maleficæ. Sed si modò improbandus est Nero Christianorum supplicia, vt certè est : magis Traianus, Decius & Antonini erunt incusandi, qui absque causa vlla, nec causæ suspicione & per edictum damnarunt illos, cum alioqui mites & perhumani haberentur ; ita non solùm facto, sed & auctoritate degrauarunt Christianorum sectam, tanto acrius, quanto hi Nerone meliores habebantur. Nero non edicto Christianos omnes, sed causa incendij eos damnauit. Et cùm sæuus haberetur, auctoritate non perculit. Vide quàm iniquè homines de rebus statuant ? nemo Christianorum causæ minus hostis fuit : & tamen ab omnibus damnatur: fortuna & casu euenit, vt coactus sit Christianis esse infensus: crimini datur : cæteri qui ex proposito illos odêre, à Christianis vt boni viri laudantur. Videte Traiani, diuini hominis, de Christianis ad Plinium Secundum rescriptum : Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui Christiani ad te delati fuerunt, secutus es. Neque enim vniuersum aliquid quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt : si deferantur & arguantur, puniendi sunt : ita tamen, vt qui negauerit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit : id est, supplicando Diis nostris, quamuis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret : sine auctore verò propositi libelli, nulla crimina locum habere debent : nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est. In hac Epistola, quæ vt res rara celebratur, tot penè sunt errores, quot sententiæ. Nam cæteros prætermitto : quod verò ad Plinium ille scribit, plenum est turpis & fœdæ adulationis in priuatum hominem : quoniam scilicet illius Panegyricum scripserat, aut etiam dixerat. Hic primùm incognita causa, inaudita defensione, damnat omnes Christianos. Defendas, publici boni causa non fuisse improbum, & quanquam eò spectet, semper de summa causæ cognoscere impium esse * apud eos fuisse-ne quomodo negare potes, ac longe deteriorem Nerone, qui hoc generali edicto non cauit ? Dices, hoc ostende? Ostendo, quòd Paulus cum prima vice in vinculis Romam adductus est, vt referunt omnes auctores, liberatus est : de quo non ambigitur, quòd Christianus esset : imò constaret, multos ad nomen Christi conuertere, & accusabatur à potentissimis Iudæorum, atque ditissimis illorum : vt si edictum fuisset promulgatum in Christianos, nullus veniæ locus futurus esset. Inde dicit : Delatos & conuictos punies, non delatos non conquires. Quid absurdius ? Siquidem crimẽ non est, cur non vis conquiri ? præsertim cùm de publico bono agatur. Tertiò vult, vt qui probauerit se non esse Christianum, veniam consequatur. Quæ venia debetur ei qui non peccauit ? an sola suspicio reum quenquam facere debet, aut potest ? Sed addit vltimis in verbis, Diis nostris : quasi alios esse duceret. Quòd si existimauit, cur eos non iussit coli ? quicunque enim Deos esse nouit, nec coli iubet si princeps sit, aut suadet si priuatus, etiamsi cum periculo vitæ id fieri necesse sit, impius est. Si enim prodere principem omni supplicio dignum est, prodere Deos ipsos multo magis. Et tamen Vir hic inuenit (vt referunt) sanctum virum, qui illius animam ab inferis reuocarit: Nero non inuenit, qui tametsi aberrauit timore infamiæ populi, non tamen odio Christi nomen prosecutus est. Sed nec mireris damnatos Christianos vt incendiarios: nam multi Christiani (vt Eusebius refert in Ecclesiastica historia) eo nomine Christiani facti sunt, vt sceleribus ac flagitiis licentius operam darent.

Sed iam ad alia sæuitiæ experimenta transeamus. Hic verò altius repetendum est exordium, multa quoque longius petenda, quæ non nobis adeò præsentia occurrunt. Di-

ninæ

ninæ enim primùm bonitatis est atque iustitiæ, vt omnia flagitia puniantur, si non in ipsis qui admittunt, saltem in posteris: & vt æquata lance mortalium genus simul afficiatur ac releuetur, atque cum hoc commodis illius generaliter consulatur. Sic enim ab initio, cum vicus vicum, domus domum, regio regionem vexaret, vt nihil tutum cuiquam esset, arreptis armis, & occupata tyrannide, Ninus imperium cõstituit Assyriorum: sub quo commodiùs viuebatur: quanquam vna tota gens Assyriorum tyrannidem, non solùm vnus homo exercebat, quàm sub vllo principe, tyrannis autem omnibus: cuius rei etiam testis est Plutarchus in Thesei vita, qui ob hoc vt Deus habitus est, quòd Atticæ formam hanc vincendi non armis, vt Ninus, nec sub vno, sed sub Rempublicam Atheniensem redegit. Ita necesse est in omni regno esse quod regatur vt corpus, & quod regat vt caput: semperque caput hoc corpori graue quodammodo est. Sed cum vitiis gentis Assyriæ & regum, nouissimè Sardanapali subditi paulo melius viuerēt quàm ab initio nullis sub principibus per Arbacum translatum est regnum ex Assyriis in Medos. Qua mutatione simul Diuina sapientia duobus maximè commodis prospexit: & vt quæ in Assyriis leges & consuetudines erant præter ius atque æquum velut solutis nimis moribus antiquarentur: & vt eorum iniuriis in alias gentes illatis, per Medos versa vice satisfieret: quanquam enim pluribus vnus homo vel gens iniurias inferat, satisfit omnibus pulcherrimo Dei consilio, si vnus homo seu gens, licet non omnes qui iniuriam acceperint, vindicent in iniustam gentem vel hominem illatas iniurias. Ergo pari ratione, cùm Medi Assyrios satis pressissent, alios verò iniuriis afficerent: visum est diuinæ sapientiæ, vt ex Medis sub Astyage per Cyrum in Persas imperium deferretur. Et ne non fortuitò id accidisse contingat, vt eaueret per somnum monitus est ipse Astyages: exponique iussit Cyrum nepotem: vnde postmodum tragœdia illa in Harpagum: cuius cùm non meminerit Xenophon, illi ætati proximior, fabulam esse suspicor, à mendacissimo Herodoto natam. Sed vt vt fuerit, eiusmodi translationes regnorum, maximè violentas, manifesta signa consequi solent, quibus moneamur, non hominum errore aut vi (vt plerique mortalium credunt) sed diuino consilio ista peragi: namque cùm Persæ diu regnassent, & vt Medi crudelitate, ita ipsi ambitione subiectas nationes pressissent, exusto Ephesi templo Dianæ (quod ob magnitudinem, artificium, opulentiam & celebritatem inter miracula orbis numerabatur) à Græco quodam Herostrato, vates protulerunt natum puerum, qui Asiam totam pressurus esset: ita natum constat eadem die Alexandrum Magnum, qui imperium transtulit ex Persis ad Græcos: vt quas passi essent Græci à Barbaris iniurias non solùm, sed etiam aliæ gentes à Persis ipsis, vindicatas in eisdem viderent. Quanta verò prodigia præcessêre Romanorum imperium, quòd, vt Græci alios atque Macedones presserant, ita Macedones ipsos ac Græcos pressit? vt penè nulla gens peius & crudelius afflicta sit, initio ab ipsorum regum semine facto: nam & Persa Rex extinctus est in carcere, & filius vnicus qui superfuit fabrilem exercuit artem. Itaque consulto à diuina prouidentia facta sunt hæc omnia: & ne quis inficiari possit, hæc etiam in minimis animaduersa sunt.

Quippe temporibus nostris, dum Rex Gallorum excussus est dominatione Mediolanensium ab Eluetiis, nónne ventis ac tempestate excidit totus apparatus ligneus triumphi Gallici Regis? Et cum sæuiore casu pulsi sunt ab Hispanis rursus, est rursus excussa terræ motu ac fulmine penè tota Arx Mediolanensis, nullis viribus humanis expugnabilis? Quid ergo, tam sæuum Reipublicæ Romanæ imperium, tam crudele iugum in omnes gentes, nonne, nondum vllis iniuriis, quas Græci, & qui eorum nomine imperauerunt, Ptolemæi, Antigoni, Mithridates, Carthaginenses, Macedones, Corinthij, Athenienses, Lacedæmonij orbi intulerant, vt non expediret solui, poniri non debuit? Qua ergo via immanis hæc gens quæ in theatris sootes & insontes dimicare inter se cogebat ad necem crudelem, quæ viros, fœminas, pueros, non miserta sexus vel ætatis, feris dilaniandos in spectaculis exhibebat, quæ seruos etiam per ludibrium excruciabat: vnde rotæ suspensi pedibus viri, & ad necem vsque verberati: piscinæ, in quibus per ludibrium, seu quibusuis minimis ex causis, non sexus, non ætatis habita ratione, piscibus deuorandi viui mergebantur: tot cruces, pistrini, compedes, tormentorum inaudita genera in miseros? quæ in reliquis seu domitis seu sociis seu fœderatis gentibus tantum exercebat, quantum libebat: nemo à nece, quantumvis insons, nemo à verberibus tutus, non puer, non nupta à libidine, Romani non solùm magistratus, sed nec ministri vllius, nec etiam serui vel liberti: non signum, statua, fundus, domus, aut quicquam aliud auaritiæ illorum imperium. Nonne Cicero tecitat, cum in Asiam proconsul iuisset, eò redactos per tributa, extorsiones, rapinas, publica, & priuata furta præcedentium administratorum, vt nisi venditis capitibus suis & filiorum, non essent soluendo vectigalia? Est tamen hic sanctus Arpinas, qui cum tam innocentem se iactauerit, vel toto vertente anno nomine Reipublicæ Romanæ collegis ex Prouincia HS. (I): id est, aureorum vicies quinquies centena millia: satis nimis vel toti Asiæ expilatæ, vel Prouinciæ quam regebat Ciliciæ, adiectis tribus diœcesibus Lycaonia, Pamphilia & Isauria, & Cypro insula. Ex his paucis tantum corrasit pecuniarum, tanta infamia publica, quanta priuata gloria, si modò tam sanctus in administratione fuit, fuit quantum se prædicat: nam de Q. Cicerone illius fratre vel ex ipso Marco dignoscitur, quàm crudeliter & auarè petulanterque se gesserit.

Sed redeo ad Ciliciam & Cappadociam, cuius regem Ariobarzanem pupillum in tutela habuit adeò pauperem, vt cum tutelam alij reliquerint, ipse concupierit: atq; inter reliqua vni Pompeio, sancto illi atque innocenti, numerari sunt CCHS, aurei centum & viginti mille, pro fœnore: nam ex forte nihil decidebat. Erat fœnus hoc xxxiij. talenta Attica in

in ſingulos menſes. Cogita reliqua, vt ne Regem in ea Prouincia eſſe expediret, nec priuatum. Audi aliud: Salaminij ciues (ea vrbs in Cypro eſt) menſtruo fœnore in quaternas centeſimas pacti fuerant, etiam cum annuis anatociſmis. Cicero ex Senatuſconſulto in centeſimam cum anatociſmis redigere tentauerat. Scaptius, Vir nequiſſimus, & M. Bruti adminiſtrator, redigere tentauerat: non potuit: rem reliquit affini Bruti iudicandam, qui Ciceroni ſucceſſurus erat: cùm antea Scaptius impetratis equitibus, ita miſeros ciues vexaſſet, vt Senatu eorum in arcem recepto, aliquot Senatores fame perierint. Eſt autem fœnus quatuor centeſimarum cum anatociſmis annuis adeò magnum, vt mille coronati in decem annis quinquaginta millia euadant: tantam ergo iniuriam humani generis, talem contemptum, vt mortem duorum hominum & inſignium, quòd Græci eſſent, Cicero irrideat, vltrà pati non potuit: immiſitque C. Cæſarem primò, qui Rempublicam occupauit, ſed minimè crudeliter: cui ſucceſſerunt Auguſtus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otbo, Vitellius, Domitianus: inter quos Neronem mitiſſimum omniom ſi fuiſſe probarem, ſufficere mibi deberet: ſed hoc non ſolum demonſtrare contendo, verùm mitiorem inter optimos etiam quoſcunque principes adnumerato etiam Veſpaſiano, Tito, Traianoque: eaque exempla clementiæ in omnibus edidiſſe, vt non immeritò videatur eos illi libros de Clementia (vt antea dixi) Seneca inſcripſiſſe. Nec prodeſſe volo nunc mihi, quæ propoſui de diuina vltione, de commodo humani generis vniuerſali, cum abundè hoc ſufficere poſſet. Neque enim Deus, poſtquam horum principum ortus, dominatio, vita, fortuna, interitus, manifeſtis prodigiis propter plebem, & Diuinæ prouidentiæ ratione propter ſapientes à Deo inſtitutus videtur, quicquam impotenter aut inuidioſè facere poteſt, aut negligere vel ignorare. Sint tamen hæc malorum principium, non Neronis defenſionis argumenta: nos Neronem nihil peccaſſe, ſed iuſtiſſimum fuiſſe ac mitiſſimum oſtendemus. Non officiat modò nobis publica fama, ex ignorantia & alieno ſcelere orta. Sed præſtat primùm ſcire Romanorum eo tempore leges: nam de moribus ſatis dictum eſt. Et, vt vno verbo expediam, ſcias ad improbitatem nihil addi potuiſſe. Lex erat Romæ, cuius etiam meminit Cicero, ne vllus ciuis Romanus morte afficeretur adeò vt è foro crux ſublata ſit prorſus: ſic Milo quanquam cædis reus primarij viri P. Clodij, & Pompeio ac Cæſare parum amicis, Maſſiliam relegatus eſt: hanc legem neglectam, vt par erat, à Nerone atque Domitiano, ob idque tyrannis appellatis, Nerua atque Traianus reſtituerunt, hi homines ſanctiſſimi: ſed vide exitum vimque legis, ac fructum. Marius Priſcus Proconſul Africæ, conuictus quòd acceptis à Vitellio Honorato trecentis millibus: id eſt, aureis ſeptem millibus ac quingentis inimicum illius equitem Romanum exilio, ſeptem eius amicos vltimo ſupplio affeciſſet iniuſtè: à Flauio autem Martiano ſeptiogentis millibus: id eſt, aureis coronatis decemſeptem millibus ac quingentis (ſed tamen in vtraque ſumma propter auri incrementum demere ſextam partem licet) alterius equitis Romani virgas, damnationem ad metallum, ſtrangulationem in carcere mercatus eſſet: (quot in inferioris ſortis homines flagitia admiſerit huiuſmodi, alterius verò generis, coniectari facilè poſſumus) accuſantibus Lepticanis, perorante cauſam Plinio Secundo in quinque horas, & Cor. Tacito coram ipſo Principe Martiano (nam Vitellius, dum cauſa apparatur, interiit) Italia & Africa interdixerunt: Marium Priſcum condemnarunt, vt ſeptingentā illia fiſco inferrentur, ipſi vrbe & Italia interdiceretur. Hoſtilium Firmitium Senatorē, qui omnia hæc Priſci ſcelera adornauerat tractauerat, compegerat, cum vellent amouere Senatu, Nerua ſanctiſſimus prohibuit: ſatis eſſe ducens, ne in ſortitione Prouinciæ ratio eius haberetur: hancque ſententiam adulator nequiſſimus ille tam laudat, quàm Cornutum Tertullum Cōſulem deſignatum fortitudinis: ô tempora, ô mores! Hiſce certè videri potuit miſer Nero crudelis: homines dignos crucibus, palis, ſerra, & quicquid eſt tormentorum, ſatis habuerunt pellere Italia, nec bonis ſublatis, nec etiam trecentis millibus reſtitutis: cùm etiam illum alium in Senatu reliquerint: atque ad hoc etiam impetrandum eloquentia tanta opus fuit, vt non criminis hæc pœna fuerit, ſed præmium ambitione oratorum. I modò, vel hoc exemplo vno, ſub quo quanta contineantur & qualia intelligis, cauſam accuſationis & calumniæ Neronis diſcas. Aliquanto grauiora erant, & ſeueriora iudicia, ſub Republica Ciceronis tempore, quæ tamen corruptiſſima fuere Sed audi aliud. Claſſicus Proconſul cum vxore, filia, amicis, miniſtris, totam Prouinciam diripuerat: veniunt hi (Betici enim erant) prouinciales omnes accuſant: eſt Plinius Secundus, & L. Albius: quid plura? vix aliqui ad exilium damnati quinquennij, alij biennij, plures abſoluti, prodente cauſam (vt puto) ipſo Plinio, quo etiam gloriatur: hæc erat iuſtitia temporum illorum, & miſeria mortalium ſub his beatiſſimis atque ſanctiſſimis Imperatoribus, cùm etiam ipſe Imperator Hiſpanus eſſet, atque ideo ex prouincia ſpoliata. Tales cogita fuiſſe quoſcunque laudauerunt, Veſpaſianum, Titum, Adrianum, Auguſtum, Antoninos, atque huiuſmodi Deos inferorum, non cæleſtes. Sed audi tertium, ne non credas in quoquam variaſſe. Iulius Baſſus ſub Veſpano reus, ſub Tito inuiſus: à Domitiano, cui amicus ferebatur, relegatus: à Nerua ob ambitionem non ſolùm reſtitutus, ſed Bithyniis præpoſitus, inter flagitia & rapinas ſenex factus, iam ab ipſis prouincialibus accuſabatur. Defenſorem huius Plinium Secundum de criminibus, quæ & ipſe fatebatur, conſtabat. Bæbius Macer repetundarum lege teneri volebat. Cepio. Hipſo ſalua dignitate cenſuit dandos iudices è Senatu. Quid plura? obtinuit vtrunque, & vtrunque euaſit: nam & in Senatu remanſit, & quod rapuerat, obtinuit: atquè de hoc gloriatur ipſe Plinius: vt iam non recti ac æqui vlla eſſet cura, ſed oſtentationis eloquentiæ.

Sed hoc parum Theophanes è Bithyniis Vir diſertus, parùm abfuit: nam Senatus ea erat

erat sententia, vt quia reum acriùs vrgeret, pro reo ipso subiiceretur. Verùm tantam infamiam ab ipso Senatu, non dicam scelus (id enim contemnebant) Consules auerterunt.

Sed adhuc hoc minus est causa ipsa, qua liberatus est. Fecerat (inquit) eum fauorabilem renouata discriminum vetus fama, notumque periculis nomen: & in procero corpore mœsta & squalida senectus. O secundum impudentem: nonne turpior est causa, quàm absolutio? Fauorabilem fecit renouata scelerum vetus fama? toties repetita iudicia non obtenta, ob gratiam, ob potentiam ob corruptos pecunia iudices, contra miseros prouinciales? notumque periculis damnationum nomen? quasi ei vni qui primò peccauerit, non faciliùs ignoscatur? Et in procero corpore: id est, segni atque inerti sue, mœsta (ob quid?) & squalida senectus: quod damnari tandem timeret. Dicis: Damnabatur, quòd munera ab amicis (nec accepisse is negabat) quæ lege prohibebantur, licet sine flagitio accepisset.

O virum impudentem! quæ refers in laudem tuam, quanto melius fuerat silentio obliterasse? Venissent Bithynij, viri pauperes, ex tam longinqua regione, tanta cum impensa, vt virum potentissimum accusarent, quòd munuscula quædam (vt ipse appellat) accepisset, quæ quis dare cogerat primùm? Deinde, quæ conuictus repetundarum solum restituere cogeretur eum aduersis Diis atque iratis nihil damnato deterius contingere posset.

Sed audi iam: Quibus sententia Cepionis placuit, sententiam Macri vt duram rigidamque reprehendant. Verùm Pæana vide: adfui Beticis contra Bæbium Bassum. Quæsitum est, an danda esset inquisitio? data est. Adfui rursus iisdem, quærentibus de Cæcilio Classico. Quæsitum est, an prouinciales vt socios ministrosque Proconsulis plecti oporteret? pœnas luerunt. Accusaui Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus, vtebatur clementia legis, cuius seueritatem immanitate criminum excesserat: relegatus est. Tuitus sum Iulium Bassum, vt incustoditum nimis atque incautum, ita minimè malum iudicibus acceptis, in Senatu remansit. Dixi proximè pro Vareno, postulante vt sibi inuicem euocare testes liceret (hoc autem lege prohibebatur) impetratum est. Quid amplius, si huius testimonio, cuius intererat vel saltem verbis defendere iuris speciem, omnia ad gratiam rei & pro facundia agebantur? miseris insontibus, criminibus, nullus locus erat: quo loco fuisse putas reliqua, quæ silentio regebantur? quæ defendere non ausi sunt? quæ pro criminibus habebantur? quæque ab his agebantur oratoribus, quos improbos esse dicebant? illud mirum, solum quod in tantis sæculi probris non inultum adulterium esse voluerunt. Galitta enim damnata est Iulia lege, & mœchus Centurio exauctoratus, atque relegatus. Vt deterius sit aliquanto seculum hoc nostrum flagitiosissimo quouis antiquorum, in quo saltem pudoris ratio habebatur reliqua tam profanata erant, vt nec crudelitati, nec rapinis aut ambitioni, aut auaritiæ aut stupris, aut aliis vllis vitiis modus vllus esset; sed liceret quicquid lubitum esset. Gloriatur ipse his verbis: Quòd Senatum inuidia liberassem, qua apud alios ordines flagrabat: quòd seuerus in cæteros, Senatoribus solis dissimulatione quasi manca pateret. Sed quid tandem actum tanto conatu ab isto facundissimo oratore? vt Publicius Certus, qui Heluidium Priscum Thrasææ generum ad mortem adegerat, non fieret Consul: nimis, si iustè damnatus fuerat Heluidius: ridicula pœna, si iniustè. Has leges contra naturæ gentiumque decreta cum antiquare vellet Nero, & crudelibus iudicibus mortis pœnam irrogare, & iniusta iudicia punire, magistratuumque scelerata flagitia supplicio summo & bonorum priuatione vindicare (hinc dolor, hinc lachrymæ) factus est repentè omnium mortalium scelestissimus. Damnauit & Thrasæam Petum, ac Baream Soranum, (inquit Tacitus) cum quibus ipsam virtutem excindere concupinit: præterea Seruiliam Sorani filiam, C. Cassium, Ostorem, Syllanum, omnes Senatorij ordinis, insontemque Vestinum consulem. Hic nō tàm de crudelitate quàm de iniustitia agitur: nam si iustè perempti sunt, quandoquidem omnibus permissum est liberum mortis genus, crudeliter extincti dici non possunt.

Sed videamus qualis hic fuerit Senatus, in quo hæc iudicia exercebantur. Incidit fortè, vt Pedanium Secundum seruus eius siue amore exoleti, seu quòd libertatem pollicitus non daret, occiderit. Erant Pedanio seni, adnumeratis mulieribus ac pueris, plus quàm quadringenti: omnes capti lege improbissima Romanorum, ad mortem damnabantur. Plebs tot insontes (neque enim præter illum qui dominum ac semetipsum occiderat, quisquam facti conscius erat) protegebat, miserebaturque tot fœminarum, puerorum, infantium: acta res in Senatu, multis ob multitudinem legem moderari cupientibus. C. Cassius è Senatoribus vnus obtinuit, vt omnes occiderentur: totque insontes ad supplicium ducti sunt Aderat Thrasæas, aderat Soranus: quid est quòd amentiam viri non prohibuerunt? tunc nullus Nero obstabat.

Sed crimine ab vnn Disce omnes.

Si tam impudenter, tam crudeliter, tam sceleratè quadringentos insontes, nulla sexus aut ætatis habita ratione, nullo quæstu, nulla gratia, nullo metu damnare vltimo supplicio potuerunt: quales eos putas fuisse in iudicandis causis, in quibus quæstus gratia metusve vrgebant, nec cùm tam publica infamia crudelitatis obstare, nec iudicij iniusti tam apertum scelus? Quas putat fuisse meditationes, conspirationes, vitia, iras, factiones eorum qui se adeò omnis humanitatis expertes ostenderint? Si ergo Nero hunc omnem Senatum sustulisset, crudelem vocare velles? Si crudelis fuit, iustus esse non poterat: at iustus fuisset, quomodo ergo crudelis esse potuit? Quam faciem vis Neroni obuersatam fuisse, in damnatione Thrasææ, Soranique, atque aliorum Senatorum, cùm recordabatur quòd quadringentos insontes ad mortem (inter quos, vt dixi, & mulieres & pueri puellæque numerabantur) vna sententia ob ambitionem damnassent? vt viderentur scilicet legem scriptam seruasse. Vis mitem experiri dominum? & tu erga alios prior mitis esto.

Lex

Lex (dicis) erat huiusmodi. Lex iniusta, lex non est : nec fas est Principi legem constituere, nec Reipublicæ vt vnquam insons morte afficiatur , aut cruciatu : insontes autem sunt omnes pueri , puellæque. Sed an in bello non conuictos damnare morte liceat , aut filios proditorum , non est præsentis instituti. Et mihi quidem videtur quòd non : verùm temperata ratione vtendum. Quicunque igitur huiusmodi ferunt , non leges , sed imperia appellanda : nec ab aliquo viro bono defendenda , etiamsi cum capitis periculo certandum sit. An existimas quenquam fuisse Senatorem , postquam tam impudenter hos morte damnabat , sontes absoluebant , aliarum cædium non conscium ? Misit Deus Neronem, qui de tam impio,tam scelerato ordine pœnas sumeret. Misit & Domitianum & Commodum aliosque plures.

Durabat & tam sæua lex contra seruos Plinij secundi tempore , sub Nerua atque Traiano. Afranius Dexter Consul periit : & post quæstionem de suis habitam, incertum à quo, an à seipso , an ab aliquo ipsorum. Et tum seruos morte damnarunt. De libertis dubitatum est : quidam morte afficiendos , quidam relegandos : alij , qui & plures , absoluendos esse censuerunt. Crudelius quàm ex Neronis sententia: ille enim de Pedanij libertis ita pronunciauit : Postquam motem antiquæ legis misericordia non leniuit , nec par est sæuitia accendere. Quid ergo tu , qui Neruam , qui Traianum bonum esse dicis , quomodo tueberis esse bonos , qui has leges , hæc potiùs (vt dixi) sæua imperia non abrogauerint ? Quid ergo , cùm Soranus ille sanctus deflebat Seruiliam filiam, si ego præsens affuissem, interrogassem , Tu quidem defles teipsum , filiamque quasi inhærentem, an recordatis, cùm pueros illos puellasque, post tam longam seruitutem , quos nec ipse dominus si reuixisset, damnasset , sine vlla culpa ad necem damnabas , fœdamque ac sub carnifice ? at filia tua quoquomodo rea est ? & si forsan non omnino , illi ne vmbra quidem criminis aspersi , tantummodò tyrannica vestra lege concidebant. Imaginare impie iudex, crudelis & omni fera atrocior, illos miserorum iustos gemitus , illas lacrymas , quæ populum etiam truculentissimum , rudemque , & solis cædibus ac spectaculis laniandorum hominum assuetum , ad misericordiam mouere potuerunt : te autem non potuerunt. At illi serui erant! An illis ô nefarie Vir vnum oculum , tibi duos , illis vnum pedem , tibi duos , non aciem videndi , non auditum , non crura ad cursum , & formam re ipso etiam liberaliorem atque venustiorem illis tribuit : cur ergo in tuam imaginem sine causa sæuis ? quid meruêre illi?quid tibi fecêre?An nescis, aliquando tibi atque illis communes fuisse parentes? Morere igitur æquo animo , & patere etiam filiam mori : quæ etsi in nullo deliquisset , in hoc deliquit, quod sceleratissimi viri filia sit. Omitto modò illius deuotiones in Cæsarem, ipsius de amicitia cum Plauto exule,& sollicitata Asia ad nouas res suscitandas : quæ si non omnino vera fuerunt, non tamen prorsus conficta. Accusabat Ionius Sabinus eques Romanus : constabat aluisse ciuitatum seditiones Vir potens,diues,ambitiosus,factiosus, titulo ementitę probitatis:quę qualis fuerit,satis intelligis. Hæc quiuis sæuus iudex expectet in nepotibus & pronepotibus,si non vidit filiis: expectet in familia , si stirps propria desit , si non putat diuinam vltionem sopitam esse:viue securus ô crudelis & inique , non distulit Deus ob te vindictam : sed ne illius qui per te affligitur , præpropera vltione sua minuatur pœna, ac leniatur : vltio enim iniuriæ patris minuit dolorem. Similibus causis alij damnati, inter quos C. Cassius ille author damnationis seruorum, multorum criminum reus, in Sardiniam relegatus est , celeriter nouissima meritus : vt intelligas, Neronem fuisse mitissimum, illos pessimos viros. Sed hæc de iustitia: in qua causa sufficere poterat illud dixisse : Quoscunque occidit Nero, præter illos qui ad coniurationem pertinebant, vt Vestinum consulem, Senatus iudicio occidit. Quod si dicas, Senatum timore illos occidisse , non sponte: quid coëgit illos timere, in quorum manibus erant iudicia ? nec visus est Nero petere , vt Soranum , aut Thraseam, aut Ostorium, aut Syllanum occiderent : sed accusatoribus & iudicibus illos permisit. Deinde quorsum fœdæ illæ adulationes ? nonne sufficiebat damnasse sine principis adulatione pessima? Et quod peius pessimo est , quónam processêre , vt eum cui tam fœdè adulati paulò antè erant , tam crudeliter damnarent? nonne illi mortis arbitrium relinquere præstabat , vt ipse illis , nec addere vt puniretur more maiorum? Quis non videt in hoc timiditatem plusquam fœminilem, itam plusquam ferinam, crudelitatem & ingratitudinem turpitudinem turpem , cùm multi eorum ab illo locupletati essent? Itaque nemo Neronem, sed temporum mores & improbitatem Senatus illius ac optimatum arguat. Deinde fac vt Nero eos timore adegerit ad facinora, terrore continuerit atque potentia, quid illos detinuit, ne subsequentibus temporibus accusatores ipsos & scelerum adiutores, velut Trigillinum , Eprium , Marcellum ac Cossutianum Capitonem , Thraseæ accusatores , Torium Sabinum , Marcum Regulum, totque alios quorum nullus à Senatu ad mortem damnatus est post Neronis obitum: vix vnus Tigillinus ab Othone, cæteri omnes iudicium non solùm mortis effugerunt, sed sub subsequentibus principibus plerique regnarunt, pauci è multis, vt Marius Priscus & Publicius Certus, leuiter vel etiã leuissimè tacti , tanquam aliquem irati ad leue exilium adegissent, aut paruam pecuniæ summam soluere iniustè coëgissent. Quid ergo querimini iniustè de Principe, si auctores malorum esse finxtis? si damnati fuissent qui sub Tiberio sæuierant, non fuissent inuenti qui sub Caligula: vel si sub Caligula , qui sub Claudio aut Nerone alios detulissent, aut damnassent. Plures inueniri malos necesse est , quando innocentia damno est? improbitas tuta etiam præmiis afficitur. Nihil ergo ad Neronem hoc malum: sed diuinæ vltio fuit, & scelus ordinum, qui iudiciis præerant tum optimatum: dum alius alium spectante principe, ambitione, inuidia, auaritia, odioque trudit falsis indiciis ad necem.

Apparet etiam pluribus obfuisse diuitias: quas ira Deûm partas esse constat, ac pluribus

longè

longè sceleribus quàm esset opum multitudo. Cumulos earum & scelerum compara, inuenies plura non solum fuisse scelera, sed & maiora, maiores cumulos.

Sed iam videamus, an reliqui qui inter Deos etiam relati sunt, mitiores fuerint Nerone, vt eum de sæuitia accusare saltem liceat: & si non de iniustitia, vel de scelere. Crudelis est, quisquis non solùm immeritis pœnas ingerit, sed grauiores aut exquisitas, vel gaudet adesse suppliciis. Horum nihil potes obiicere Neroni: omnibus permisit liberum moriendi genus: & cùm gauderet spectaculis vsque ad infamiam, nusquam interfuisse legitur vel damnatorum suppliciis, neque etiam gladiatorum, nec ferarum quæ cum hominibus dimicarent, cùm constet omnes Imperatores interfuisse spectaculis huiusmodi: quinimo & Claudium Tiburi à mane ad vesperam perseuerasse, vt carnificem ex vrbe accitum expectaret, deligatis ad palum noxiis, quos more antiquo puniti iusserant magistratus: Pœnas parricidarum & tormenta etiam quæstionum coram se exigebat & repræsentabat: quocunque munere gladiatorio prolapsos iugulari iubebat, maximè retiarios, vt expirantium faciem videret. Cùm par quoddam gladiatorum mutuis ictibus cõcidisset, cultellos sibi paruos ex vtroque ferro fieri in vsum sine mora iussit. Bestiariis meridianisque adeò delectabatur, vt etiam prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo præsideret: præterque destinatos, etiam leui subitáque de causa quosdam committeret, de fabrorum quoque ac ministrorum atque id genus numero, si aut ἀυτόματον vel pegma vel tale aliquid parum cessisset: induxit vnum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus. Quid tale in Nerone quis vidit, audiuit aut legit vnquam? & tamen hic Claudius, Diuus appellatur, & in Diuorum numerum relatus est. Forsan quia mitior fuit in iudiciis, quanquam sæuior spectaculis. Audi quid dicat Suetonius: Apium Syllanum consocium suum, Liuiasque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defensione vlla data, occidit. Item, Cn. Pompeium, maioris filiæ virum, & L. Syllanum minoris sponsum. Ex quibus, Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est: Syllanus abdicare se prætura ante quartum Kal. Ianuarias, morique initio anni coactus. Die ipso Claudij Agrippinæ nuptiarum, in quinque & triginta Senatores, trecentósque amplius equites animaduertit. Demitor amẽtiam hominum, furorémque ac fortunam Neronis, qui sine cæde crudelis, sine suppliciis exquisitis sæuus appellatus est: cæteri cum pessima quæque perpetrarent, inter Diuos relati sunt. Dices forsan, Claudium fuisse crudeliorem beneficio Agrippinæ inter deos relatum, vt inuidiam parricidij hoc commento leniret. Sed Nero consensit, Nero in cultu perseuerauit: Neroni ergo laus iam pietatis debetur. Sed id sapienter factum, non piè. Fateo, si sapiens Nero, etiam bonus: si bonus, sapiens. Nemo bonus, nisi sapiens: nullus sapiens, qui bonus non sit. Defuit ergo Neroni bonus successor, non ipse malus fuit. Quis Galbas, Othones, Vitelliósque Neroni comparare velit, ausitve, non video quorum breuissimo principatu plus scelerum & flagitiorum admissum est, plus sanguinis ciuium effusum est, quàm quatuordecim totis annis Neronis: adeò vt hoc bene inter tot mala Otho præstiterit, vt satietas eum tenuerit, ciuilem effundendi sanguinem: cæteris nunquam defutura voluntas, modò licuisset. Pergamus ergo ad illas humani generis delicias. Titum, Neronique comparemus, qui vno spectaculo aliquot millia Iudæorum, in quibus pueri & mulieres, feris dilaniandas exposuit: autor, illius amicus Iosephus: ne quicquam ex fide decedere credas. Erant Iudæi, erant rebelles, erant contumaces: sed

Quid meruere boues, animal sine fraude, dolisue

Quid cum pueris & mulieribus? Decet stirpem impiorum excindere, insontes occidere non licet. Licuit in bello, inter iram, vindictã & arma: non in pace, pacatis animis. Licuit occidere, non crudeliter occidere: licuit per homines occidere, non feris exponere: nihil tale fecit Nero. At fecisset, incertum est. Si fecisset, non deterior futurus erat Tito: at nũc meliorem fuisse necesse est. Regnauit parùm Titus, & multa tamen feritatis indicia reliquit. Aulum Cæcinnã pene inter sacra mensæ Imperatoriæ occidi iussit: nihil adhuc tale fecisse Neronem obiiciunt. Arguitur de Vestino, non quòd inuitauerit ad mensam, nec quòd confodi iusserit (hæc latronum sunt imperia) sed mortis liberum genus permisit: & tamen nihil deterius fecisse Neronem dico: quamuis in indignatione summa id egerit, cùm pro tot beneficiis in Rempub. in singulos, illum occidere decreuissent. Nero circum repleuit aurigis, cantoribus, citharistis, histrionibus: Titus gladiatoribus, feris dilaniantibus nudos captiuos, qui pro deo patrio, pro penatibus, pro sacris, pro suorum si non libertate, saltem ne tot iniurias paterentur, depugnarunt: mitissimum spectaculum sub Tito fuit, armatos iustis armis aduersus feras depugnare. Dic quæso vter fuerit sæuior, aut crudelior? Quot Titus, submissis accusatoribus, tanquam sontes, solo rumore occidi iussit: adeò vt referat Suetonius, nemine magis inuitis omnibus ob sæuitiæ de illo opinionem ad principatũ transisse, sed vide illius beneuolentiam. Populum in primis vniuersum (inquit Suetonius) tanta per omnes occasiones comitate tractauit, vt proposito gladiatorio munere non ad suũ, sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit. Ita laudabo carnificẽ humanitatis, qui non vt rogat qui supplicio afficitur, sed qui spectatoribus morẽ gerit. Ita & anthropophagos eos beneuolentes, qui carnes viuentis assent in veru, quòd futuræ sint sapidiores. O monstra! ô iudicia hominum dira. Hæc pro iuuenalibus Circensibus scenicisque ludis, & in quibus togatam Afranij edidit, vbi sparsit missilia omnis generis, aues cuiusque generis, tesseras frumentarias, vestes, aurum, argentum, gemmas, margaritas, tabulas pictas, mancipia, iuméta, feras mansuefactas: nouissimè etiam naues, domos, agros, apparatúmque omnem scenæ diripiendum plebi dedit. Hic verè popularis fuit: munus gladiatorium semel tantùm dedisse legitur, & sub imperij initio, cùm

adhuc arbitrio Agrippinæ regeretur. Cæterùm in posterum non solùm auertit mutatione facta in alios ludos mites, sed etiam edicto cohibuit. Hunc igitur sincerè popularem dicimus, non Titum: qui vt popularis videretur, dum lauaretur in thermis suis, plebem admisit, & cum populo cauillabatur. Quæ quis non videt esse cauti, non mitis: auari, non beneuolentis principis signa? Plebs non gaudet hac comitate vel bonis verbis, sed frumenti vili precio, pecunia, iustitia contra potentiores. Nemo omnia dat, nec in omnibus largus esse potest: qui dat verba, non dat res.
» Sed videamus alia illius acta. Duos (inquit
» Suetonius) patricij generis, conuictos de af-
» fectatione imperij, nihil ampliùs quàm vt
» desisterent, monuit, dicens: Principatum fa-
» to dari: si quid præterea desiderarent, promit-
» tens se tributurum. Et confestim ad alterius
» matrem, quæ procul aberat, cursores suos
» misit, qui anxiæ de filio, eum saluum esse nũ-
» ciarent. Cæterùm ipsos non solùm familiari
» cœnæ adhibuit, sed & in sequenti die gladia-
torum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium porrexit. Hic non temerè progrediendum, multa hic laude digna continentur: idque solùm non laude dignum est, propter quod ille hæc scripsit, scilicet quòd ignouerit: neque enim solùm iniustitiæ pars est, cum causa ignoscere delinquentibus: sed etiam non ignoscere his qui sine causa delinquunt. Quòd ignouerit, malum fuit, malique exempli res: reliqua omnia mira laude digna: atque in primis, quòd nullum timorem, nullam suspicionem metus præ se tulit, vt non solùm illis, sed omnibus spem insidiarum sustulerit. Contrà alij, dum timorem suum dissimulare non possunt, dum crudelitate tutos se fore sperant, periculum bifariam adaugent: & numerum insidiatorum, ob offensas & audaciam, ob metum suum. At Titus patris artibus instructus, Fato dixit imperia deberi: genesi scire quid immineret. Ita nemo audet contra Deos, Fata, Astra. Porrò & illud adiecit, vt humanitatem fictam coram populo ostentaret. Illud non fictum, & sapienter & piè nimis factum, de matre, vt non plebs & imperiti, sed sapientes animaduerterent quam prudens, quàm humanus esset, qui maiorem in parentibus dolorem, & immeritò ex filiorum periculo, quàm in ipsis filiis esse non ignorarent: nec tàm pepercisse illis dignis supplicio, quàm non voluisse immeritam matrem affligere. Plusque potuisse innocentiam matris ad seruandum nocentem filium, quàm scelus filij ad perdendum insontem matrem: cuius laudis, vt dixi, nec expers fuit Nero, in Montano. At non sic ille Diuus Augustus: qui patrem & filium pro vita supplicantes iussit aut sortiri, vter superesse deberet: aut dimicare ac spectasse vtrumque morientem: cum patre occiso, qui se vltrò obtulerat, filius quoque voluntaria occubuisset nece. Quid huic simile ex vniuersa Neronis vita conferes? Sed vide aliud. Gallus Prætor in salutationis officio duplices tabellas sub veste tenebat: suspicatus Augustus gladium occulere: nec quærens quid esset, ne aliud inueniretur: paulò pòst per centuriones raptum è tribunali seruilem in modum torsit: ac fatentem nihil, iussit occidi, prius oculis sua manu effossis. Quid rursus habes, quod huic seu temeritati seu crudelitati obiicias ex Nerone? Omitto nunc proscriptionem illam nefariam, & Perusinam crudelitatem, tótque imperatas priuatim cædes, & consulum necem, de qua arguitur, Pansæ & Hirtij. Sufficiat vnum ex Seneca apposuisse exemplum. Volesus sub Augusto, inquit, Asiæ proconsul, trecentos prouinciales vna die securi percussit: inambulánsque per cadauera medius, Græcè exclamauit, ô rem regiam? Quis rex hoc fecisset? Vide rursus, quid huic solo facto ex Nerone conferes, etsi quotquot occidit tota vita simul adnumeres? Tantum deinde sanguinis ciuilis, tantum Italici, tantum prouincialium sociorúmque, in suos atque inimicos ex æquo sæuus, minax ac truculentus. Tot inde ciuitates, tot prouinciæ direptæ, faméque & necessitate, tum iniuriis militum quicquid imbellis sexus aut ætatis ad mortem adactum crudelitate comparabis Neroni? qui in prouinciales insons, in socios & Italicos innoxius: paucculos Senatores & optimates flagitiosissimos, & omni supplicio dignos, iudicio etiam ipsius Senatus, cuius nunquam pœnam auxit, persæpe minuit, nonnunquam ex toto sustulit, morte aut exilio damnauerit: plebi, miseris, probis, eruditis semper vtilis. Reliquum damnationis totum ad ambitionem, ad suorum optimatum potentiam contorsit, vt miris ac iustus eo modo quo de Nerua & Traiano diximus, haberetur. Caligulam & Domitianum non commemorabo: nemo enim est tam impudens, qui eos non sæuiores Nerone fateatur: vnde etiam illud Domitiani vulgatum:

Sed perijt, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit lamiarum cæde madenti.

Cùm enim calceus eum læderet, intellexit corium ab his qui calceos conficiunt, dentibus trahi: vnde omnibus calceorum artificibus dentes anteriores dettahi iussit. Caligula verò filios occidebat, inde patres ad epulas inuitabat, cogebátque iocis & hilaritati operam dare. Arcam habuit veneni, quo infecta sunt maria: ille suis manibus discruciabat, quos vellet, fidiculis per noctem, & occluso etiam ore, ne fortè aliquid audiret quòd fortiter dolor exprimeret: cogebat animam exire per vulnera. Ille idem quandoque misericors factus, occisis filiis eadem nocte (ne luctu conficerentur puto) insontes patres per milites domi inuentos occidi iubebat. Sed redeamus ad sanctissimos, C. Cæsarem, Vespasianum, Antoninos: libet tamen de Tiberio paucula dicere, non quòd comparandus sit vlla ex parte Neroni, sed vt quanto sæuior fuerit intelligatur. Fuit immane monstrum, atque horrendum: non crudele, sed crudelitas ipsa. Omitto iniurias in matrem, & odium ingratissimum & necem nepotum nurus, ac duriciem in filios, non sine suspicione, veneficij Germani, quibus in parricidiis mortales omnes superauit. Videamus in reliquos omnes qualem se exhibuerit.

Nota est fabula de piscatore, qui mulam ei grandem inopinanter secretò agenti obtule-

tat:

rat: inde in pœna immerita gratulanti, quòd non locustam itidem grandem attulisset. Cósulente Prætore, an iudicia maiestatis cogi iuberet, respondit: Exercendas esse leges: & atrocissimè etiam exercuit. Statuæ quidam Augusti caput dempserat, vt alterius postea imponeret: acta res in Senatu: & quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, confestim hoc genus calũniæ eò processit, vt hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulachrum seruum cæcidisse, vestem mutasse, nũmo vel annulo effigiem impressam latrinæ vel lupanari intulisse: dictũ vllum, factumve eius existimatione aliqua læsisse. Periit denique & is, qui honores in colonia sua eodem die sibi decerni passus est, quo decreti & Augusto olim fuerant. Scurram quoq; qui prætereunte funere, mortuo mandauerat, vt nũciaret Augusto, nondum reddi legata quæ plebi reliquisset: attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium impetrauit, & patri suo verum referri. Alia multa, imò penè infinita in hoc genere perpetrauit, per quæ omnem cogitationem excessit. Omitto Grammaticos conuictores: quos minimis etiam causis perdidit: ex viginti quos à Repub. adiutores administrationis sibi depoposcerat, vix duos aut tres incolumes reliquit. Sæuum illius ingenium etiam à pueritia deprehensum est à Theodoro Gadareo, Rhetoricæ præceptore, qui illum lutum sanguine maceratũ appellabat. Infinitũ esset, si huius monstri crudelia facta recitare velim. Sed sufficiat ex immenso numero hæc paucula subiecisse. Inquit enim Suetonius; Mox in omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia: cũ primo matris, deinde nepotum & nurus, postremò Seiani familiares, atque etiam notos persequeretur: post cuius interitum vel sæuissimus extitit: quo maximè apparuit, non tam ipsum à Seiano concitari solitum, quàm Seianum quærenti occasiones subministrasse. Etsi cõmentario quem de vita sua summatim breuitérq; composuit, ausus est scribere, Seianum se punisse, quòd comperisset furere aduersus Germanici liberos, filij sui: quorum ipse alterum suspecto iam, alterũ oppresso demũ Seiano interemit. Singulatim crudeliter facta eius exequi longum est: genera velut exẽplaria sæuitiæ enumerare sat erit. Nullus à pœna hominum cessauit dies: ne religiosus quidem ac sacer. Animaduersum in quosdam ineunte anno nouo: accusati damnatique multi cum liberis, atque etiam vxoribus suis. Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum: obiectum est poëtæ, quòd in tragœdia Agamemnonem probris lacessisset: obiectum & historico, quòd Brutum Cassiúmq; vltimos Romanorum dixisset: animaduersum statim in autores, scriptáque abolita, quamuis probarentur aliquot ante annos, etiã Augusto audiente recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non modò studendi solatium adẽptum, sed etiam sermonis & colloquij vsus. Citati ad causam dicendam, partim se domi vulnerauerunt, certi damnationis, sed ad vexationem ignominiamque vitandam: partim in media curia venenum hauserunt: & tamẽ colligatis vulneribus ac semianimes, palpitantésque in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonias abiectus, vncoq; tractus. Viginti vno die abiecti, tractique inter eos pueri & fœminæ, immaturæ puellæ: quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ priùs à carnifice, deinstrangulatæ. Mori volentibus vis adhibita viuendi. nam mortem adeò leue supplicium putabat, vt cum audisset vnum ex reis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamauerit: Carnulius me euasit. Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidã pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecũ in gratiam redij. Annalibus suis vir consularis inseruit: frequenti quodam conuiuio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subitò & clarè à quodam nano astante mensæ inter Capreas: Cur Paconius maiestatis reus, tam diu viueret? statim quidem petulantiam linguæ obiurgasse: cæterùm post paucos dies scripsisse Senatui, vt de pœna Paconij quamprimùm statueret. Auxit intenditq; sæuitiam, exacerbatus iudicio de morte filij sui Drusi: quem cum morbo & intemperãtia periisse existimaret, vt tandem veneno interemptum fraude Liuillæ vxoris atq; Seiani cognouit, neque tormentis neque supplitio cuiusquam pepercit: soli huic cognitioni adeò per totos dies deditus & intẽtus, vt Rhodiensem hospitem, quem familiaribus literis Romam euocarat, aduenisse sibi nunciatum, torqueri sine mora iusserit, quasi aliquis ex necessariis quæstioni adesset: deinde errore detecto, & occidi, ne vulgaret iniuriã. Carnificinæ eius ostenditur locus Capreis, vnde damnatos post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubebat: excipiente classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quicquam inesset. Excogitauerat autem inter genera cruciatus etiam, vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis, fidicularum simul vrinæque tormento distenderet. Quod etiam, nisi eum mors præuenisset, & Thrasyllus consultò (vt aiunt) differre quædam spe longioris vitæ cõpulisset, plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidẽ nepotibus parsurus creditur: cũ & Caium suspectum haberet, & Tiberium vt ex adulterio conceptum aspernaretur. Nec abhorret à vero: namq; identidem felicem Priamum vocabat, quòd superstes omnium suorum extitisset. Quam verò inter hæc non modò inuisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoque atq; etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa iuditia sunt: Aruspices secretò ac sine testibus consuli vetuit: vicina verò vrbi oracula etiam disiicere conatus est. Sed in maiestate Prænestinarum sortium territus destitit: cùm obsignatas, deuictasque Romam non reperisset in arca nisi relatas rursus ad templum. Vnum & alterum consulares, oblatis prouinciis, non ausus à se dimittere: vsque adeò detinuit donec successores post aliquot annos præsentibus daret: cùm interim manente officij titulo, etiam delegaret plurima, assiduéque illi per legatos & adiutores suos exequenda curarent. Nurum ac nepotes nunquam aliter post damnationem quàm catenatos, obsutáque lectica loco mouit: prohibitis per militem obuiis ac viatoribus respicere vsquam, vel consistere. Seianum res nouas molientem, quamuis

iam & natalem eius publicè celebrari, & imagines aureas edi passim videret: vix tandem & astu magis, ac dolo, quàm principali autoritate sobuertit. Nam primò vt à se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assũpsit in quinto consulatu, quem longo interuallo absens ob id ipsum susceperat. Deinde spe affinitatis ac Tribunitiæ potestatis deceptum, inopinantem criminatus est pudenda miserandáque oratione: cùm inter alia P. C. precaretur, mitterent alterum è Consulibus, qui senem se & solum in conspectum eorum cum aliquo militari præsidio perduceret. Sic quoque diffidens, tumultúmq; metuens, Drusum nepotem, quem vinculis adhuc Romæ continebat, solui, si res posceret, ducémq; constitui præceperat. Aptatis etiam nauibus ad quascunq; legiones, meditabatur fugam, speculabundus ex altissima rupe identidem: signaque, ne nuncij morarentur, tolli procul, vt quidq; foret factum, mandauerat. Verùm & oppressa coniuratione Seiani, nihilo securior, aut constantior, per nouem proximos menses non egressus est villa, quæ vocatur Iouis. Vrebant insuper anxiam mentem varia vndique conuicia, nullo non damnatorum omne probri genus coràm, vel per libellos, in orchestrà positos ingerente. Quibus quidem diuersissimè afficiebatur: modò vt præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: nonnunquam eadem contemneret, & proferret vltrò, atq; vulgaret. Quin & Arthabani Parthorum regis laceratus est literis, parricidia & cædes & ignauiam & luxuriam obiicientis, monentisque vt voluntaria morte, maximo iustissimóque ciuium odio quamprimùm satisfaceret. Postremò semetipse pertæsus, talis Epistolæ principiu tãtum non summam malorum suorum professus est. Quid scribam vobis P.C. aut quomodo scribam? aut quid omnino non scribam, hoc tempore? Dij me Deęque peius perdant, quem quotidie perire sentio, si scio: ob hæc his carminibus in publicum euulgatis notatus esto:

Asper & immitis, breuiter vis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.
Non es eques: quare? non sunt tibi millia centum:
Omnia si quæras, & Rhodos exilium est.
Aurea mutasti Saturni secula, Cæsar:
Incolumi: nam te ferrea semper erunt.
Fastidit vinum, quia iam sitit iste cruorem:
Tam bibit hũc auidè, quàm bibit ante merũ,
Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam:
Et Marium, si vis, aspice, sed reducem.
Nec non Antoni ciuilia bella mouentis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic. Roma perit: regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Itaque reor hoc Adagium, Nerone crudelior, proculdubiò non de Domitio, Nerone, de quo principalis sermo institutus est: sed de Tiberio hoc, qui crudelitate omnes mortales superauit: vel si omnino hoc nolis, factum commune tribus Neronibus, Tiberio, Claudio, & Domitio: namque Claudius, licet Tiberius Claudius Drusus vocatus sit, pater tamen eius Nero Drusus vocabatur: vt intelligeremus, Tiberij descendentes, dico Tiberij, patris Tiberij ac Drusi, qui Tiberius Nero vocabatur (qui fuêre, Tiberius, Claudius ac Domitius) omnes fuisse sæuos. Sed alia ratione singulos, Tiberium ob improbitatem & iniustitiam, Claudium ob stultitiam, Domitium ob seueritatem. Sed iam his omissis, quæ nos non fatigant, conferamus illum melioribus, ac diuis ipsis: C. scilicet Iulio primùm, qui etsi non aliud parricidium exercuisset, illud maximum fuit, Rempublicam prodidisse, & in seruitutem redegisse. Quod ad crudelitatem attinet, trecenta millia Germanorum præter ius & fas cùm in fœdere essent, occidit. Vnde Catonis sententia erat, ad expiandum tantum scelus, liberandamque Rempublicam à flagitio & dedecore, dedendum illum esse affinibus eorum per iniuriam cæcidisset. Quæ sententia vt non obtinuit, quòd esset suspecta ob inimicitias Cæsaris cum Catone, & ob Pompeij ac Crassi conspirationem, tum etiam Romanorum auaritiam: ita, si obtinuisset, salutaris fuisset Reipub. admodum. An trecenta millia Germanorum insontium occidisse sine summa crudelitate licuit? ciuitates quæ sponte ei se dedebant, recipere noluit, vt posset diripere. An cura sola Deo erat de Romanis? & ille, vt Romani, in nullo numero gentes cæteras habuit? At constat cùm Drusus solita feritate & ambitione Germanos persequeretur, astitisse mulierem humana forma augustiorem, quæ illum Latinè monuit ne vltrà pergeret: atque sic cessauit. Paulò etiam pòst mortuus est.

Quid de bellis ciuilibus, quantum hic latro Romani sanguinis effudit? quantum sociorũ, Italicorum? Refert Plinius, in prælijs C. Cęsarem, exceptis etiam ciuilibus bellis, vndecies centena & nonaginta duo millia hominum occidisse. Adde quod in bellis ciuilibus quòd extra bella (quod maius est) effudit: infinitum propemodum erit. Hunc virum conferto Neroni, quo nemo forsan plus sparsit humani sãguinis: atq; id ob solam ambitionem, auaritiã, & crudelitatem: vt deterior sit causa immanitate sceleris. Hunc virum cum Sylla potiùs & cum Mario conferes, non cum Nerone: quos tamen crudelitate superauit: atq; is est, qui clementissimi nomen adeptus est. Vides iudicia? vides errores hominum, atq; stultitiam? At dicunt: In pace pepercit inimicis? Sed vide primũ, quibus inimicis? inimicos appellauit, qui in ciuitate libera restiterunt, illi ne seruirent. Pepercit, cum ob potentiam nihil ab eis metuere posset. Pepercit, vt cõmodius eos in seruitutẽ redigeret: vt deterior fuerit hęc clemẽtia & venia, crudelitate & bellis ipsis: namq; cùm illi non magna esset coniunctio cũ optimatibus (fuit enim in comparatione temporũ & conditionis tum ciuium Romanorũ, humilis sortis) si in pace persequi ciues perseuerasset necesse erat vt ab illis opprimeretur, aut perpetuò esset in castris: itaque hac fraudulenta clementia sperauit eos in voluntariam seruitutem adigere, quos vi continebat: apertum enim erat, quamdiu ciues armis opprimeret, vi esse dominum: ideoque tanquam ab hostibus, sic à subditis metuendum. Itaque constat, Neronem principem fuisse, non tyrannum clementémque: contrà, C. Cæsarem tyrannum sæuissimum, non principem: cùm tamen eò amentiæ homines processissent, vt vbi nullum esse crimen, crimen struerent: vbi esset tam ingens vt etiam à Plinio improbetur, dissimularent: id autem totum contigit metu & acerbitate succedentium

dentium

dentium Iulio principium, qui eorum qui vetera retulissent, non satis habebant scripta dānare atque exurere, vt proximo exemplo docui: sed ipsos autores vltimo supplicio afficiebant, bonis etiam ab hæredibus sublatis: capitaléque erat, & læsæ maiestatis crimen, si vel ioco quis D. Iulij & D. Augustini quicquam non fine summa adulatione ac diuini præfatione attigisset. Neruni autem cum externi principes successerint, & extra familiam omnino Iuliorum, quicquid odij, maleuolentiæ, opinionis prauæ conceptum in totam dominationem Iuliorum fuerat, ingratè & iniustè falsóque in illum, quòd præsens fuisset, illúmque solum viditseut, reiectum est. Et nisi immania fuissent omninu & supra fidem facta maiorum, in perpetuum latuissent, sæuitia sæuiriam tegente. Nnne tandem veritas, temporis filia, me duce, vt etiam in plerisque aliis, post tot secula in lucem prodiit, Neronem tuens, alios pro meritis principes damnans. Sed ad D. Vespasianum veniamus, de quo videtur consensus omnium, quòd optimus fuerit princeps & mitis: nec eum falsa posteritas ignorantia tuetur, cùm breue in illius familia imperium extiterit, scilicet annorum tantum viginti & octo, cùm Iuliorum familia regnasset annis centum quatuordecim: vt omnis memoria maiorum extincta esset sub Vespasiano: scripta verò (vt dixi) sæuissimis edictis & crudelirate imperantium abolita. Fuit enim Iulia gens, fax ingens, ab inferis suscitata iussu diuinæ iustitiæ, cum non aliter tot mala impij populi Romani puniri possent: huius facis extremum fuit Nero Cæsar: vt in omnibus quæ ad finem perueniunt, non solùm remissum, sed languidum ac mite: vt qui iam expleta diuina vltione, ad iustitiam & clementiam verteretur. Sed quia militaria scelera ac flagitia imperio per successionem delato inulta manebant, quatuor continuos principes diuersos Deus sustinuit, quorum ita ac ambitione exercitus ipsi mutuis vulneribus conciderent, eisdemque armis, & quod ad Persas, Parthos, Indos atque Germanos (quæ quatuor gentes magnæ adhuc inexpertæ Romanum iugum superarant) subigendos satis superque fuisset, interina seditione ac bellis plus quàm (vt ille aiebat) ciuilibus absumptum est. Ergo vt ad Vespasianum redeam, qui non optimus fuit, sed prudentissimus, cuius facinora malignè Suetonius, nescio qua causa multum illi fauens, suppressit: constat tamen, bellis ciuilibus, dum imperium per vim & ad ipsum minimè pertinens occupat, & multum effudisse sanguinis ciuilis, & crudeliter multa, sed per suos potiùs quàm seipsum, imò etiam filium: sed per Antonium & Mutiamum longè plura. At diuinus princeps (ita enim credi se voluit) quid admittere impium poterat? legati violati tamen à militibus Petilij Certalis: occisus A. Vitellius, frater Imperatoris: & Calpurnius, C. Pisonis filius. Sed vide quid Plutarchus dicat: Interfecit verò Epponimam Vespasianus, cædisque eius inquissimæ pœ-
„ nas non multo pòst dedit omni genere extin-
„ cto. Cùm autem multa atrocia facinora tunc
„ facta sint, nihil tam triste tulit principatus il-
„ le: versimiléque est, nullum magis facinus deos immortales aduersatos esse, quamuis cū supplicium de eo sumeretur, spectantium ex animo omnem sustulerit misericordiam fortitudo ipsius ac libertas: quo magis etiam incendit Cæsarem. Postquam enim veniam desperauit, rogauit, vt citò infra terram mitteret: vixisse enim se iucūdius sub terra ac tenebricosis locis, quàm regnante illo in luce ac siderum aspectu. Itaque constat sæuum & sanguinarium fuisse principem, sed cultum & celatum. Quod verò maius testimoniū petis hoc ipso? cum regnare cœpisset, in spem erectus est senatus, vlciscendi mortem atque iniurias acceptas sub prioribus principibus: vocabantúrque in discrimen inter cæteros Eprius Marcellus & Vibius Crispus, non vnam meriti necem, sed mille supplicia: hi falsi accusatores periuri testes, iniusti iudices, nullo flagitij genere cātebant. Hos prohibuit Vespasianus: non melior Nerone sed deterior: nam Nero offensus damnari permiserat accusatos, & à falsis forsan testibus opprimi: Vespasianus de testibus & accusatoribus quæri vetuit: Vter deterior? Sic etiam Pisonem interfici curauit, Africæ proconsulem: ministros etiam habuit pessimos, inter quos Bebium Massam. Occidit & Germanicum, Vitellij filium, insontem: & Heluidium Priscum, solum ob verba quædam: virum adeò sanctum, vt Nero ob sanctitatem, quamuis Thraseæ generum & suspectum maiestatis læsæ, eum demiserit.

Verùm quid opus est in re clara disputationibus: nonne extant epistolæ duæ Apollonij Thianæi, Philosophi sanctissimi, in quibus Neronem ei præfert, cùm etiam ad illum ipsū scriberet? inquit enim: Existimas te Xerxe opulentiorem, quòd Græcos, quos Nero ludendo liberos effecit, vt seriò in seruitutem redegeris: cùm tamen ille ditior voluntario esset obsequio, quàm tu violenta seruitute.

Sed veniamus ad Antoninos, de quibus vulgatum est illud: Sis Antonino sanctior, Traiano melior, felicior Augusto: in quibus error ille cōmunis fuit, quod Senatoribus & optimatibus fauebant, tanquam inopes & cæteri qui miseri essent, homines non essent: cùm tamen celebres viri magis ex hoc quàm ex illo ordine fuerint, seu eruditione clari euaserint. Cauit vterque, ne Senator vllus occideretur: adeò vt etiam Cassio desciscenti, & aduersus Marcū bella mouenti, ignoscere vellet. Quo tamen factum est, vt Marcomani & Germani in prouinciam non redigerentur: quæ causa fuit tādem euersionis imperij Romani. Alter Pius, particidam Senatorem occidere noluit: quo exemplo, qua stultitia? in tanto facinore, deportasse in insulam scilicet, vt diripere occideréque impunè liceret. Quin etiam repetundarum damnatis, bona restituebat filiis eorum, modò prouincialibus satisfacerent. Quid hoc erat, quàm eos securos reddere rapinarum quandoquidem non conuictis relinquebātur, conuictis transibant ad filios: nec quid deterius cōtingere poterat, quàm reddere. At quæ ta subterfugere necesse erat, aut ob verecundiam non repetentibus: vel quia sponte datæ viderentur, vel quia non magna: vel quia deesset testis, aut quia periisset testis, vel etiam qui dedisset: vel quoniam in confessione, muneris confessio etiam criminis esset?

Quæ ergo hæc clementia, improbos tueri vt insontes spoliarent? At fortassis crudele non est, spoliare pauperes pecunia? Quasi nulla sit mors sæua, nisi securi quenquam occidere. Deterius est longè enecare fame, frigore, laboribus: quandoquidem cruciatus maior,& diuturnior exitus, idem clades generalior. Quocirca hi sunt qui clementes vocant principes, quòd facinorosis: quoniam potentes sunt, ignoscunt: tributis & vectigalibus ita exhauriunt populos, vt ipsi ac filij fame,frigore, laboribus ac despetatione conficiantur. In quo vos Antonini meliores estis mendico quouis?an plura vobis membra sunt, aut animus vester solùm immortalis in vobis ac Senatu, plebis animi & prouincialium caduci,& (vt Turcæ nugantur de fœmineo sexu)belluini? Vis videre fictam fuisse hanc humanitatem? nonne Pius sumptum statuit gladiatorio muneri,tanquam non homines(quorum plerique inuiti,& bello capti, dum libertatem suam tueri volunt: alij seruorum filij empti ad hoc munus? nec simpliciter cadere licuit his, sed à lasta docebantur: cogebantur etiam ferrum vltrò cōdere,quòd iam recegerant in intima, proh hominum fidem! vt placerent spectatoribus)sed pecudes aut feræ iugularentur:& Neroni, qui horum loco scenicos ludos exhibebat, audent exprobrare crudelitatem? Marcus verò de Sepulcris asperrimas leges tulit, maiorem mortuorum quàm viuorum curam gerens. Patrem autem verum Antoninum tulit, hominem crudelem, & callidæ crudelitatis,qui in commessationibus gladiatoria munera edebat: quasi non idem esset, id facere, ac permittere. Et cum legiones cæsæ essent in Sytia & legatus occisus, in Apulia ipse Verus venabatur. Quòd si nihil mali omnino egisset, Commodum cùm genuerit, monstrum illud horrendum, & cuius mores cùm iam agnosceret, reliquerit imperij hæredem, satis execrandus esset hoc solo facto. Itaque palàm est, Antoninos prudentes quidem fuisse, & egregios dissimulatores: cæterùm Nerone ipso longè crudeliores: si crudelitas est, pauperes premere, miseros in manibus potentiorum cruciandos & vexandos dimittere, facinorosos magistratus impunitos relinquere. Quisque rem cogitet æqua lance,animo haud addicto factioni: statim intelliget,quæ à me proferuntur, vera esse. Quanto melior sanè Alexander Seuerus (hic siquidem solus Deorum cultor verè bonus fuit, inter omnes Imperatores qui à Iulio Cæsare vsque ad nostra tempora regnarunt: nec huic Neronem præponere ausim) qui fures omnes odio Internecino prosequebatur: magistratus autem, qui quippiam iniustum patrarent, seu Senatores seu alios,acerrimè,,vt decuit, puniebat. Adeò verò rapaces iudices horrebat, vt ad nominis eorum mentionem aliquando bilem euomeret. In probos mitis,clemens, liberalis:vt non hominem, sed Deum quempiam, humanam carnem suscepisse diceres: quemadmodum & Homerus & Plato quandoque contingere aiunt. Nec tam insector sæuitiam, vt Neronem tuear, quàm quòd in illo non fuerit. Neque enim me latet sæuitia Aureliani Imperatoris factum, vt cùm antea innumeri tyranni occuparent Remp. & Galieni tempore triginta simul: hic effecit, vt non esset qui recipere vellet imperium, mansitque Romana Respub. sine imperatore per sex menses. Itaque vt crudelitas præpostera execrabilis est, ita opportuna nulla melior ad continendum regna. Ea autem est opportuna, in qua scelerati puniuntur. Scelerati verò propriè sunt auari,& ambitiosi: horum enim insatiabilis est cupi ditas,qua omnia euertunt. Crudeles enim, Iracundi, segnes, libidini dediti, aut gulæ,aut inconstantes, scelerati verè dici haud merentur.

Iniquam sæuitiam appellabo Septimij Seueri, quem tamen inter Diuos retulerunt: qui sexaginta Senatores non ob illorum flagitia, sed ob priuatum odium occidit indicta causa, & iudicio nullo: quòd Nero non nisi in Vestino detecta coniuratione, & iam priuatis odiis effecit, flagranti periculo: Septimius sedato. Sed de Septimio nemo dubitat, quòd crudelissimus mortalium non fuerit. Nunc ostendamus, quantum à crudelitate abfuerit Nero. Epicharis libertina fuit illius ætate, quæ conscia Pisonianæ coniurationis, Volusio Proculo nauarcho Neronis fidissimo rem detegit, sperans eum in sententiam adduci posse, quòd in illum pro meritis Nero ingratus fuisse videretur: nihilo secius, vt prudens,neque autores, neque conscios, neque tempus aut modum detegit. Volusius rem detulit Neroni: mittit ad eam, venit: interrogatur: negat:componitur cum indice:constanter pernegat, quicquam tale dixisse. Hîc primùm considera, quis tam mitis princeps sit,& vix regulus, qui ab amico monitus,vbi de vitæ periculo agitur, satis habeat mittere ad illam, non iubere comprehendi? Quis postmodum pernegantem non adhibuisset tormentis? At Neroni satis fuit, nulla ampliùs quæstione habita, illam detinere sine noxa in carcere.

At timuit: quam? mulierem. At veritus est nobilitatem: cuius? libertinæ. Sed vide reliqua, ne forsan omnino quòd iudicium contempserit, factum putes. Detegitur coniuratio: quid obiiciunt? quòd coniurati triplicibus cathenis causam dixêre: hoc timoris fuit, non crudelitatis: cæterùm conuictos & fassos nec tormentis cruciauit,nec opprobriis fœdauit, sed simplici morte damnauit: cum Lucano & aliis consciis liberum mortis genus permisisset. Et tamen nonnulli ex his eotam (non satis habentes voluisse occidere, alium creare Imperatorem: quòd indicium est, non culpa eius initam coniurationem,sed ambitione dominationis: quorsum enim, si ob malefacta Neronis in eum conspirauerant quærere antequam occideretur illi successorem?) coniiuis eum affecerunt: inter quos Subrius Flauius tribunus militum eum appellauit parricidam matris & vxoris, aurigam, histrionem & incendiarium: Sulpitius autem Asper centurio dixit, non aliter potuisse succurri tot illius flagitiis. His tamen omnibus satis habuit, eos pœna capitis multare. Sed audi maiora. Cum quotidie multi & multi proderentur(fuêre enim innumeri in ea coniuratione) nec posset sciri an aliqui superessent (inauditam rem profero) neminem sustinuit

tormentis

tormentis ad generationem adhibere, præter libertam illam, quam odio, vt par erat, prosequebatur non leui, quod tam diu voluisset parricidium celare. Sed hæc cum neminem prodiderit, fascia qua alligata erat spiritum elisit. Ita Neroni nil magis profuit indignatione. Cum enim conspirati exigerent pœnas ab aliis, ipsi verò nondum essent proditi ab his, quos vrgebant acriter, vt innoxij viderentur, ob iram detegebantur.

Audi etiam longè maiora. Pluribus conuictis & confessis omnino ignouit: inter quos Antonio Natali, Ceruario Proculo, Granio Syluano, Statio Proximo, tum multis aliis etiam: inter quos Acilia fuit, vt dixi, Lucani mater, & Marcellus Cornelius, & Vulcatius Tullinus, dirarum & deuotionum in principem rei. Quin etiam Tenio Rufo coniurationis principi, & Præfecto prætorij, viro omnium erga Neronem mortalium ingratissimo, conuicto, & confesso, indulsit ius Testamenti, nec ademit bona.

Hîc iam liceat exclamare: ô Christiani principes ac magistratus, si Nero cum bis crudelis meretur appellari, quales vos eritis? certè nullum nomen nec Latinè nec Græcè vobis iam congruere poterit. θεοειδεῖς, φαλαγγομὶς vos vocabo, aut si quid aliud deterius est? At non estis: neque enim in cœlum os ponere volo. Sat sit ergo, indignè admodum crudelem appellari Neronem; qui non nisi maximis ex caussis ac iustis homines occidit, non nisi iudicio Senatus: nam huius coniurationis indicia in libros collata, & confessiones damnatorum & Senatui ostendit, & populo per edictum: qui neminem exquisito mortis genere condemnauit, qui maluit multa in obscuro, quæ ad illam pertinebat, & dubia relinquere, quàm tormentis veritatem emere: qui tot conuictis de insidiis præsentibus, & etiam sine iniuria accepta paratis ignouit: qui neminem in Gemonias proiici passus est: qui nullum coram se interfici curauit, nec quenquam inauditum condemnauit, nisi Vestinum consulem (vt diximus) quem si odisset, creari passus non esset consulem.

Cogitate vltionem principum huius ætatis in proditores, quos non satis habuerunt in carcere tormentis exquisitissimis discruciare, extra candenti igne adurere, pedibus suspendere, in frusta lacerare, vrere, spargere cineres: quid vltra iam? an sperabant etiam Hylen delere, atque animum immortalem tollere, ne fuisset? ne dicam; memoriam illius extinguere? Sapientius meo iudicio Cæsar, non solùm mitius, cum morte ipsa omnia clandi intelligeret. Cætera sunt magis spectacula efferatæ naturæ, aut impatientis iræ, quàm supplicia homini debita. Sed obiicies forsan illud Suetonij: Damnatorum liberi vrbe pulsi enectique veneno aut fame. Constat quosdam cum pœdagogis & capsariis vno prandio pariter necatos: alios diurnum victum prohibitos quærere. Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi quoscunque libuisset, quacunque de causa.

Cui videntur consentire verba Taciti, sub persona Curtij Montani: An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio superstites fuerunt: cùm interim intestabilior & sæuior exortus est. Quem testimoniis damnare non potuerunt, in eum aculeos eloquentiæ exercuêre. Sed conficiuntur suis verbis: ac ipsis testibus deprehenditur, plus voluisse satis dicere, quàm dicere potuerint. Quis prohibuisset, si crudelis fuisset Nero, ne filios damnatorum occidisset, aut saltem damnasset in vinculis (quod lege facere adhuc licet) cùm eorum parentes in personam principis coniurassent?

Infantem è cunis illiserunt muro hæredes Galeazij Sfortiæ, filium Ioannis Andreæ Lāpugnani quod Galeazium occidisset pater. Iidem curarunt, vti insons frâter medicus, Venetiis tamen degens, occideretur. Pulsus est pater Olgiati ex eadem causa: fratet aufugit, mortem subiturus, quanquam extra omnem suspicionem, si captus fuisset. Nero patrum nulli, aut fratri infestus fuit, filios satis babuit vrbe pellere: quid mitius? At veneno necati sunt, ac fame: in tanto odio principis multi expleuêre odia sua, priuata hæc fuit iniuria, non publica: nam & maior pars euasit. Ille iudex minus sæuiit in filios damnatorum, cùm esset idololatra: quàm magistratus nostri qui CHRISTVM, ore profitentur, in patres aut fratres nulla lege fulti fecerunt, facerentve. Itaque quod ad Neronis calumniam quæsitum est, solum rubor est nostræ ætatis. Taciti verò oratio, seu Montani, plena irarum, plena ambitionis senatoriæ, vt dixi, cùm esset diuersarum partium; & contra illum, qui ius & æquum fastui & potentiæ prætulit, quam fidem facere nobis debet?

Sed iam ad alia crimina transeamus: nam Neronem mitem fuisse constat: si mitem esse, est tueri iustitiam, eleuare miseros: at si partiri ius pro potentia & opibus hominum, id mitis viri est: non negauerim Neronem crudelem dici debere, imò crudelissimum, vt cuius institutum semper ab huiusmodi procerum voto abhorruerit. Quamobrem eadem ratione etiam iustum fuisse liquet: cùm iustitiæ optima pars sit, vt pœnæ criminibus non magis vllis aliis debeantur.

Agamus ergo primùm de sumptibus, quos illi vt inutiles obiiciunt Neroni: quos in aliis pro laude Imperatoribus celebrant. Quòd vrbem restaurauerit, quis crimini ei det? Quòd thermas ædificauerit, quæ adhuc Diocletiani temporibus nomen Neronianarum retinebant, quis vitio det: Excelsæ, magnificæ, vtiles populo, vir ad omnia pauperum commoda natus.

Quòd domum præclarissimam, & inter miracula orbis numerandam erexerit, qui illum vituperet? Si Traiano, si Adriano, qui duo maximè in ædificando profusi & magnificentissimi fuêre inter Romanos Imperatores, hoc in maximum decus cessit, cur non Neronis?

Cogita deinceps, quot viros pauperes hac specie aluerit. Alij cædebant ligna, vehebant alij: alij dolabant, alij operi applicabant, trahebant sursum, quidam clauos affigebant: Quid de lapidibus, lateribus, arena, sabulo, calce, marmore, cementis, ferreis vinculis, picturis, statuis, cellis subterraneis fodiendis, fornicibus construendis, lacu, piscibus tam peregrinis quàm etiam Italicis; ductu deinde

aquarum io quibus admirabilem se patientia & liberalitate ostendit? Delusus enim à Seuero & Celere architectis, quibus non satis erat lucrum ex operibus ingens captare, nisi etiam ex irritis profusionibus: nec illos occidit, qui auaritia contemptum effecissent: nec coëgit restituere, quæ eorum dolis amiserat. Verba Taciti ea in re ascribere lubet hîc: Magistris & machinatoribus Seuero & Celere, quibus ingenium & audacia erat etiam quæ natura deneganisset per artem tentare, & viribus principis illudere. Namque ab lacu Auerno nauigabilem fossam vsque ad ostia Tiberina depressuros promiserant squalenti littore, aut per montes aduersos: neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes: cætera abrupta, aut arentia: ac si abrumpi possent, intolerandus labor: nec satis caosæ. Nero tamen, vt erat incredibilium cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus est: manéntque vestigia irritæ spei.

Hic si sæuus fuisset, quàm pulchram habuit experiendi materiam? quandoetiam iure eos punire debuit. Turcarum Rex, cum Venetus quidam architectus pollicitus esset fossam à mari rubro ducere in Nilum (magno sanè commodo, si successisset) quicquid petiit obulit, præfecítque operi, sed archtecto custodes adhibuit: fallente voto, hominem occidit, & meritò: neqoe enim locri causa debemus ludos facere principibus: & præter iacturam sumptuum, eos exponere inuidorum maledicentiæ. Simili patientia & mansoetudine Ceselio Basso Pœno, (qui ei illuserat somnio inani de thesauris reconditis Didonis, adeò turpiter, vt Oratores iam Cæsari de hoc gratularentur, tanquam inuentis iam quæ ille leuitate pollicitus fuerat) nihil mali fecit: quanquam ipse, seu pudore seu metu, sibi manus intulerit. Quartum opus Collossus fuit, cui caput suum imposuit, mansitque vsque ad tempora Commodi per decem Imperatores, & annis plusquam centum viginti: solus Commodus caput Neronis detraxit, vt suum imponeret, cuculo fœdo haud absimilis. Excelluit ergo vel omnium consenso, etiam obtrectatorum, magnificentia operum.

Sed dices, vt illi obiiciunt: Grauis fuit his impensis Reipub. & rapinas ob id exercuit. De rapinis suo loco dicam: de vexatione, nemo minus grauis: nam dum vituperare student, laudant. Audi Suetonium: Quorum operum perficiendorum gratia, quod vbique esset custodiæ, in Italiam deportari; etiam scelere conuictos, nnn nisi ad opus damnari præceperat. Quid hîc obiicis? quòd morti addictos seruauerit? qnòd neminem huius causa vexauerit? aot quid aliud magis? an meliùs fuerat damnare insontes ad opus? aut totum ærariom publicum exhaurire? Sed mittamus hæc: ad accusationem rapinarum deueniamus. Rapuit Nero, rapuit Vespasianus: Nero improbus appellatur, Vespasianus diuus: quæ causa est? an quia Nero iam deterior est Vespasiano? sed hoc non est: & si esset, aggrauare benefacta illius id non debet. An quia rapuerit, & non dederit? neque hoc vel ipsi obtrectatores obiiciunt: quandoquidem constat omnium testimonio, neminem fuisse liberaliorem. At Vespasianus etiam in daodo auarus fuit. An quia plus Nero rapuit? certè non. Audi Suetonium, quàm sordida, violenta & iotoleranda fuerit Vespasiani auaritia: Sola est, io qua meritò Vespasianus culpetur, auaritia: non enim contentus, omissa sub Galba vectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, & auxisse tributa prouinciis nonnullis, & duplicasse: oegotiationes quoque, vel priuato pudendas, propalàm exercuit, coëmendo quædam, tantum vt pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reis-ve tàm innoxiis quàm nocentibus absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro spongiis dicebatur vti, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.

At dices: Forsan hic solus aoarior fuit. Ne detraxeris rogo Cæsarem, dictatorem primum: non Tiberium, non Caligulam, non Galbam, Vitellium, Othonem, Domitianum. Fateris de omnibus, excepto Dictatore. Audi Suetonium, de illo etiam: Abstinentiam neque in imperiis neque in magistratibus præstitit: vt enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania à Proconsule & à sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida, quanquàm nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter: in Gallia fana templáque Deorum donis referta expilauit, vrbes diruit, sæpiùs ob prædam quàm ob delictum: vnde factum, vt auro abundaret, ternísque millibus nummûm in libras promercale per Italiam prouinciásque diuenderet. In primo consulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris reposuit. Societates ac regna precio dedit, vt qui vni Ptolemæo propè sex millia talentorum suo Pompeiique nomine abstulerit. Postea verò euidentissimis rapinis ac sacrilegiis, & onera bellorum ciuilium, & triumphorum ac munerum sustinuit impendia. Ex impensarum etiam magnitudine rapinæ dignosci possunt: erant enim supra fidem, vnde illud: Donec attonitis iam omnibus, & quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de summa se Reipub. acturum, retulit ad Senatum, vt ei succederetur ante tempus. Itaque exigua sunt quæ Nero accepit, si ad huiusmodi belluones conferantur. Neque Claudium excipiam: verùm cùm esset amens fuit præmium libertorum, non Cæsaris. Quem ergo præferes Neroni? Augustum, qui Imperium rapuit? aut Titum, qui qualis esset, ob breuitatem vitæ dignosci potuit? Verùm forsan id in causa est, quòd Nero à diuitibus, cæteri à plebe per tributa extorserunt. Iniquum esse dicunt, vt onera inæqualiter imponantur, voluntque vt per capita diuidantur. Sic mihi aliquando contigit: nec erubescebant, tandem sponte ditiores aliquid plus impenderunt. Fateor Ne-

ronem

ronem rapacem dici debere ſi iuſtius eſt diuidi tributa per capita quàm per patrimonia. Non erubeſcis impie, cùm ſis diues, excutere pondus duorum aureorum, vt imponas miſeræ illi viduæ aut gerulo, qui ſolis oneribus aut pendula tela vitam quatuor aut quinque filiorum ſuſtinent? O Chriſtiani, ſatis ac multo crudeliores Nerone. Rapuit, dicitis? at beati illi Antonini, ab optimatibus tam laudati, quot miſeros credis oppreſſerint vectigalibus? Dicitis: Mutum eſt pecus plebs: nemo vlciſcitur, nemo contra huiuſmodi tyrannos ſcribit: ſed ſi optimates premat, illis metuendum eſt: armantur, coëunt, vltionem quærunt: ſi non poſſint, ſcriptores vrgent. Qui rapit à diuite, ſi rapit, malè agit, ſed tamen ſolas aufert opes: quas etiam iuſtius, ſi moderatè auferat, eripit: at qui à paupere, eripit quod non habet: ideóque iniuſtus, ſi moderatè auferat, eripit: at qui à paupere, eripit quod non habet ideóque iniuſtus, & cum pecunia vitam illius aut filiorum. Non ergo rapax fuit Nero, ſi tueri vultis veſtros Traianos, Veſpaſianos, Antoninos. Venio ad reliqua crimina, atque in primis illud, quod quoniam crimen non eſt, nomen non habet: ſcilicet quòd aurigauerit, cecinerit, publicè pulſauerit, hiſtrionicam exercuerit, adeò vt perſonatus in publicum prodierit. Hæc crimina, cùm crimina dici debeant, nec legi nec vidi, nec ſcio. Placuit his autoribus crimina hæc appellare, qui eruditionem, qui Philoſophiam, qui pingendi munus in Adriano probant, citharam in Alexandro: in Nerone nihil, vt video, probatur. At dicunt: intra domum debuit hæc exercere, aut per alios, non publicè & per ſeipſum: indecorum turpéq; eſt, moderatorum orbis infamiam virorum, præſertim publicè, exercuere miniſteria. Si peccauit Nero, poſtquam crimen non fuit, aut ſtultitia aut opinione, aut nimio æſtu animi peccauit: Stultitia quidem non peccaſſe, ſuo loco demonſtrabitur: ſi æſtu animi, non crimen fuit, ſed intemperies: at de hoc non accuſatur, quòd ediderit, quòd ſpectauerit: ſed quòd ſe illis immiſcuerit. Verùm id Neronis votum fuit, vt populus Romanus à tam ſæuis ſpectaculis gladiatorum, & hominum à feris laniandorum cum pueris & mulieribus, aut depugnantium cum belluis, ad hæc mitiora declinaret. Exhorruit & Cicero, ſed non quantum & qualiter debuit, huiuſmodi ludos, cùm in quadam Epiſtola dicat: Sed quæ poteſt eſſe homini politico delectatio, cùm homo imbecillus à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo transfuerberatur? Excuſant ſe hi prodigioſi viri, quòd Nero hoc agendo populum eneruaret. Atque ob hanc cauſam etiam pulſos Philoſophos Roma, quòd iuuentutem corrumperent, ait Seneca: O ſapientes Reſpublicas: ſic Athenienſes Socratem peremerunt, quòd iuuentutem & ipſum corrumpere dicerent. Socrates corrupit iuuentutem? Philoſophi corrumpunt iuuentutem? quid ergo eſt quòd illam æquè ornat? an Oratorum peruerſa facundia? an lenonum conſuetudo? an efferata rabies abominandorum ſpectaculorum? At dices: His efferantur ad pugnam: tanquam non acrius pugnarent Athenienſes, Lacedæmonij, Macedones & Numatini, qui pauciſſimi numero, adeò ingentes Romanorum copias fuderunt. At cur non ergo hi obtinuerunt orbis imperium, vt Romani? Non hoc ex fortitudine pendebat, ſed quoniam tribus rebus Romani conſuluerunt: quas dum neglexêre hi, tandem dolo magis ac pertinacia quàm prælijs victi ſuccubuêre: ea tria fuerunt: multitudo ciuium, vnde ſumeretur miles: robur corporis ex victu, lardo enim & caſeo placentiſque abſque fermento & poſca veſcebantur perpetuò in caſtris: vnde tertium, vt ferrent tot arma, vt æquus vix ferre queat.

Audi hac in cauſa Ciceronem in Tuſculanis: Inde qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati menſis cibaria? ferre ſi quid ad vſum velint? ferre vallum? nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros & lacertos, manus: arma enim militis membra eſſe dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt ſi vſus foret, adiectis oneribus, expeditis armis pugnare poſſint. Quid exercitatio legionum? quid ille curſus, clamor quanti laboris eſt? Ex hoc ille animus in prælijs paratus ad vulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem: mulier videbitur: cur? tantum intereſt inter nouum & veterem exercitum, quantum experti ſumus: ætas tyronum plerumque melior: ſed ferre laborem, contemnere vulnus, conſuetudo docet. Quin etiam videmus ex acie efferri ſæpe ſaucios: & quidem rudem illum & inexercitatum, quamuis leui ictu, ploratus turpiſſimos edere; at verò ille exercitatus & vetus, ob eamque rem fortior, medicum modò requirere, à quo vulnus obligaretur. Itaque non ſpectacula, ſed exercitatio & robur quod ex ratione victus proficiſcitur, & experientia armorum, fortem & robuſtum reddunt militem: & multitudo hominum, quæ præter fidem tot bellis perpetuis ſufficiebant, victricem reddidêre rempublicam. Nam de fortitudine ſola ſi agas, tria millia Græcorum, Lacedæmoniorum aut Bœotiorũ, aut Achæorum, vel Acarnanorũ, aut Ætolorum, pugnare poterant cum ſex millibus Romanorum, tametſi Romani Græcis eſſent longè robuſtiores. Oſtendit hoc Philopœmen Argiuus dux, & Corinthiorum Timoleon, qui eoſdem hoſtes, quos Romani multis annis vix ſuperauerunt, ipſi breui tempore ſubegerunt. Sed non conſtabat fides. Quid ſi bella cum Xerxe & Artaxerxe conſideres? adeò paucis copiis innumeros barbaros fuderunt, vt fabula videatur. Vnus commemoratur Lucullus, qui decem millibus hominum maximas copias fudit barbarorum: ſed non tamen victricia arma, ſed victa depulit: nec Perſas, ſed imbelles Cappadoces & Medos & Armenos, aliáſque gentes Perſis ſubditas: neque eodem numero, at vix quinta parte: nec armis eiſdem inſtructos, non falcatis curribus, neque elephantis. Sed quid plura? viſum eſt quantis laboribus Cteſiphontem Romani Imperatores, non legiones tantùm, ſed totum penè orbem trahentes ſecum, ſuperare potuerunt: paucique ex illis, adeo vt fatale flumen Romanis dicerent: at quam breui vnus Alexander totam Perſidem, tum florentem imperio totius Aſiæ, obtinuit? Sed non ſolus Alexander hoc potuit, verùm & Ageſilaus Lacedæmoniorum

moniorum Rex, iam obtinere cœperat, ni Græcorum inuidia à patria reuocatus fuisset.

Sed reuertamur ad institutum. Non spectacula illa fortes efficere poterant, sed crudeles. Quinimò pauor mulierum, puerorum imbellium, præsens tàm acerbum exitium, quot fletus, gemitus, lamentabiles voces, quot eiulatus, exanimationes repræsentare solebat? vt vix vnum fortitudinis exemplum inter innumerabilia timoris & panoris, sæuitiæ & efferationis omnia certè videres. Quare non est vt excuses Romanam feritatem his magis nugis, & longè plus Philosophia ad fortitudinem facit, quàm sæua illa spectacula. Quantum emolumenti affert ad fortiter occurrendum morti, opinio de Animi immortalitate? non crudelia theatra: quæ cùm toties Cicero & Cato spectassent, alter cùm mori destinasset, non illa mente reuoluebat, sed Platonis Phædonem: alter sibi commentus est sermones Tusculanarum quæstionum, de Animi immortalitate. Prodest Philosophia, docens nos, mortem, etsi à bonis paucis nos abstrahat, à longè tamen pluribus malis nos securos reddere: atque inter cætera, à metu, morbo & iniuria, quæ sunt summa mala mortalium, & quæ nulla animi virtute effugere licet. Docet etiam, nos non debere mortem horrere, quam necessario & breui quisque subiturus est, etiamsi annos Nestoreos viuat. Ergo non spectaculis, sed Philosophia opus est ad fortitudinem. Spectacula ad alliciendum cruentum populum, & magnificentiam ostendendam excogitata sunt. Iratus atque Nero his causis populo, atque illis qui aduersum vtilitatem communem voces spargebant in publicum, leges illas sæuas spectaculorum promulgauit, in quibus nec excedere è theatro fas erat: obseruarique iussit singulorum vultum, quomodo ferrent spectaculum: & si ægrè, punirent: non alia causa quàm indignatione, quòd cædes hominum & ludibria humani generis libenter spectarent, vera spectacula & liberalium artium experimenta odissent. Nec tamen adeò probem illius optimum votum ac prudens consilium emendandi vitia populi, quam damnauerim violentam iram, qua id consequi cupiuit. Etenim nonnunquam contingit, vt dum nimis quod iustum est volumus, acerbius instando deteriorem causam apud maleuolos & obtrectatores facere videamur. Superest modò, vt de illo tam vulgato vitio disseram, libidine scilicet & luxuria, in qua solum eum defendi non posse obtrectatores credunt: tum ob immanitatem sceleris, tũ quòd publicè hæc flagitia admitteret: & primùm quod inconstans fuerit in vxoribus retinendis. Sed si ad hoc respicimus, nullus ex familia Augusti pauciores habuit. C. Cæsar Dictator rtes, Corneliam Cinnæ, Pompeiam. Põpei Calpurniam Pisonis: sed & Cleopatram penè loco vxoris habuit. Augustus ipse quatuor, P. Seruilij F. Claudiam, priuignam Antonij ex Fuluia, Scriboniam, & Liuiam Drusillam. Tiberius duas tantùm duxit, Agrippinam & Iuliam: sed non tam continentia, quàm odio fœminei sexus. Caligula Liuiam Horestillam, & Lolliam Paulinam, & Claudius sex. Sed de Nerone agamus: tres duxit, Octauiam, Poppæam, & Statiliam Messalinam, Tauri bis consulis abneptem, cum priores morte amisisset. At alij superinduxerunt, repudiarunt, tam turpiter, vt visas repentè in conuiuio, aut ex sola commemoratione pulchritudinis, statim abduxerint.

Sed veniamus ad vxorum iniurias, quas Cæsar dictator Augustus & Caligula illis intulerunt. Augusto Liuia cogebatur puellas conquirere, cum quibus concumberet: præter vxores ciuium, quas constuprabat. Vnde illud amarulentum iurgium Antonij, ex Suetonio: Tu solam Drusillam inis? ita valeas, vti « tamen hanc Epistolam cùm leges, non inieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, « aut Saluiam Citisceniam, aut omnes. Caius « verò vxoribus sorores superinducebat in conuiuio. Itaque de re vxoria nihil est quòd Neroni possit obiici, vt qui constanter bis hæserit, nec se miscuerit propinquis, vt Caligula, qui cum omnibus vxoribus (erant autem tres) stuprum commisit. Veniamus iam sensim ad singula: obiicitur Neroni, quòd fratrem Britannicum constuprarit. Quæro, quo teste? Nero non dixit, qui omnia fatebatur, & cui id obiiciunt maximè quòd nihil celare sciret. Britannicus non dixit: puer enim erat, quem puduisset talia fateri: tertius testis non affuit. Nec Suetonius illius hostis acerrimus, huius meminit: nec ipse Tacitus satis constanter, cùm dixit, Ferunt: vt ex odio potiùs sit hoc aggestum, quàm ex historia & facti veritate. Deinde si factum est, Britannicus consensit tum maximè; quod Tacitus dicat crebris diebus Neronem illusisse Britannici pueritiæ: nec tàm igitur damnent Neronem, quàm Britannicum: tum maximè, quòd turpius existimetur pati nefanda, quàm agere: hoc enim virile est, licet prauum. multisque claris ac generosis commune virium: illud effœminati viri, & omnino indigni, alienúmque à generositate. Quòd si ætas excusate potuit Britannicum, scilicet quòd puer esset: quanto magis Neronem, adolescentia ad omnem libidinem prona? At dictatorem Cæsarem cum Octauio nepote sororis concumbentem, quis defendere poterit? vir senex, cum nepote certo concũbit: tanquam desint pueri domino orbis terrarum, nisi in proprium sanguinem tantum dedecus reiiciat. O rem indignam C. Cæsare, & homine tot victoriis inclyto, ac Augusto! Huius tamen rei testis locuples est Cicero, qui vt rem tamen omnibus notum scribit. Compara modò senem adolescenti, patruum ei qui quod ad sanguinem attinet (licet lege frater appellaretur) vix in numero esset consanguineorum. Sed veniamus ad reliqua. Obiicitur, quòd Doryphoro liberto nupserit: Tacitus habet, Pythagoræ: nam hoc verisimilius est (ne effugiam, quòd facilè effugere liceret, cum de persona non constet) quòd Isidis sacra celebraret, vbi constuprari & constuprare ita licebat, vt in sacris Vestæ castimoniam agere. Itaque noctu constat hæc peracta esse, nec continuata, sed per adulatores persuasum Neroni pro sacrificio flagitium. At Cæsar dictator, qui pudicitiam Nicomedi prostrauit; vnde illa carmina celebrata à militibus in triumpho,

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.

Ecce

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Et rursus, ne adolescentiæ lapsus iniuriosè (quanquam tum Nero esset adolescens) persequi videatur, quid illud est, aut quibus sacris peracta sunt quæ à Catullo narrantur?

Pulchrè conuenit improbis cinædis,
Mamurra, Pathicoque, Cæsarique.
Nec mirum, maculæ pares vtrisque.

Inde subiungit:

Morbosi pariter, gemelli vtrique:
Vno in lectulo erudituli ambo.

Et alibi:

Quis hoc potest videre? quis potest pati,
Nisi impudicus & vorax, & aleo?
Mamurram habere, quo comata Gallia
Habebat, & cuncta vltima Britannia.
Cinæde Romule hoc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.

Inde subiungit:

Eone nomine Imperator vnice
Fuisti in vltima Occidentis insula,
Vt ista vestra diffutata mentula
Ducenties comesset, aut trecenties?
Quid est? an hæc sinistra liberalitas
Parum expatrauit?

Et alibi rursus:

Nil nimium studeo Cæsar tibi velle placere,
Nec scire vtrum sis albus an ater homo.
Mentula mœchatur, mœchatur mētula certè:
Hoc est quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Fuit hic Mamurra præfectus fabrûm Cæsaris in Gallia, cuius etiam meminit Cicero in Epistolis ad Atticum, his verbis: Et Labie-
,, ni diuitiæ, & Mamurræ placent, & Balbi
,, horti, & Tusculanum: ditauit enim eum Cæ-
,, sar mirum in modum: hic fuit, qui primus
,, voluit incrustari parietes marmore: autor
,, Plinius est. Et Suetonius: Valerium Catul-
,, lum, à quo sibi versiculis de Mamurra per-
,, petua stigmata imposita non dissimulauerat,
,, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ. Itaque non video cur non magis damnandus sit Cæsar, qui in scelere perseuerauit, qui nullis sacris hoc egit; qui tantùm ex hac causa donauit etiam priuatus vt infamis redderetur, quàm Nero. Et Octauium, qui se patruo supposuit. Nota est fabula de Caligula & Pisone: sed omitto illum qui Deus non fuit. Nero his diuis Isidis comparetur: videbis minus peccasse. Odio tamen potentiorum hîc damnatur, quòd sine successore mortuus est: illi metu relati in Deos, Iulius ab Octauio, Octauius à Tiberio, Claudius à Nerone. Succedit Sporus, efformatus in puellæ modum: vnus fuit Sporus Neroni, & damnatur: at quot pueri fuêre Traiano, quot fuêre Adriano? inter quos duo: Antinous, templis sacris astro dicatus inter Deos, quem profana ob sacra fertur occidisse: alter, cui imperium relinquere destinauerat, Cæsarémque iam creauerat, sed præuentus morte non successit in imperio. Sunt etiam qui credant, Adrianum ea causa, quamuis coniunctum Traiano, adeptum imperium: eo factum est, vt vterque horum odiosus ob hæc crimina esset vxori: quod Neroni nunquam euenit. Sed redeamus ad Diuos alios, priores omittendo. Domitiani Earinum nomine C. Cæsar dictator trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & imperium Ruscioni liberti sui filio exoleto demandauit? Quid tale Nero in Sporo effecit? Porrò adulteria & stupra reginarum & matronarum Romanorum ac prouincialium Cæsaris si quis numerare velit, non historiam, sed fabulam recitare videbitur. Adeò verò insaniuit in amore Cleopatræ, vt conuiuia in primam lucem sæpe traxerit: & eadem naue Thalamego Ægyptum penetrando, Æthiopia tenus vectus fuisset, nisi recusasset exercitus. Huic etiam Ægypti regnum quòd Romani in prouinciam reducere nolebant, quòd ipsis formidabile solum ob potentiam videretur, dono dedit. Vxorem Bugodis Mauritaniæ regis sic adamauit, vt coniugi illius plurima & immensa dona tribuerit. Seruiliam M. Catonis sororem, M. Bruti matrem corrupit, donóque dedit margaritam sexagies sestertio emptam. Tertiam quoque illius filiam adulterauit, cui ex auctione amplissima prædia minimo addixit precio: vnde vulgati illi versus in triumpho:

Vrbani seruate vxores, mœchum Caluum adducimus:
Auro in Gallia stuprum emisti, hic sumpsisti mutuum.

Quid dicam de Augusto, qui Apollinem cœnabat inter sex catamitos, totidémque puellas. Vulgata sunt ob id carmina illa:

Cùm primum istorum conduxit mensa choragum,
Séxque deos vidit, Mallia sexque deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc numina declinarunt,
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Omittam nunc Tiberium, inusitatæ & horrendæ libidinis autorem: cui Nero non solùm, sed mortalium nullus potest comparari. Sellariam, Elephantidis libros, Spintrias puerulos natantes, Parrhasij tabulam in qua Atalanta ore Meleagro morigeratur, Fratres tibicines, irrumatas fœminas: & morti addictam Malloniam, quòd non posset hoc diutiùs ferre: antra & cauas rupes Paniscorum habitu, ac nympharum pubem & impubem gregem: & triplici vinculo colligata corpora teneræ ætatis: illud potiùs quæram, cur clarissimorum virorum plerique adeò turpibus flagitiis conflagrarunt? Quin etiam sanctissimi & moderati alioqui, hac in parte omnes infamia aspersi sunt. Socrates, si negemus peccasse, ipse tamen fatetur quàm pronus fuerit ad libidinem, in cæteris continentissimus, vini, ciborum, iræ, laborum patiens, abstinens, & ab auaritia omni alienus. Plato cum sua sanctitate, Aristotelésque adeò fœdè vixerunt, vt homines fuisse neges. Sequuntur Semiramis, Philippus Alexandri pater, & ipse Alexander, Agesilaus, Traianus, Adrianus, Cicero etiam de crimine filiæ notatus nam de Tyrone haud puduit fateri. Quid ergo causæ est, vt Neroni pro crimine ascribamus, quod nulli alij crimini datum est? aut si crimen est, quod verè crimen est: non minus venia dignus est adolescens Imperator, quàm senes hi in priuata vita. An forsan ei obiicies Tiberij ebrietatem, cōuiuia triduana,

exquisitas

exquiſitas cupedias, aut aleam Caij & Claudij? Quod obiicis, ita commune eſt omnibus bonis, vt vitium poſſit dici virtutis refulgentis, non flagitium. At dicis: fellator fuit, & inguina ſugebat virorum deligatorum ad ſtirpem? Non laudabo, non defendam hac in parte Neronem, non tuebor quòd Tiberius deteriora fecerit: fuêre impatientis libidinis: hæc irritàmenta fuêre priuati viti, & ætatis laſſinientis delicta: in quibus non malus princeps dignuſcitur, ſed ſalax natura, & corporis vitium velut ſcabies. Quæ delinquit princeps in ſæuitia, in rapinis, in iudiciis, non tuendo fines imperij, populum premendo fame, hæc principis ſunt vitia: at ſi immodicè ſe vino dedat, aut crapulæ, aut libidini, aut aleæ, aut delicatiori vitæ: hæc non malum principem efficiunt. Cato & Traianus optimi cenſentur, vterque vinoſus fuit. Alexander Seuerus, quo nemo melior, vorax & ambitioſus: Aleæ Auguſtus, vitæ delicatioris fuêre Gordiani, qui optimi principes habiti ſunt. Vitia corporis repellere, arduum eſt: atque aliud eſt illa non poſſe euincere, aliud animum habere, malum. Inconſulta iuuenta maiora habet mala quàm fellare: adoleſcentes nihil putes omittere flagitij, dum æſtuant inſana libidine: in aues, in canes ſæuiunt, in murorum foramina. Quid enim, quòd manibus toties peccant? ſed nemo tam ſtolidus eſt, vt hæc ſciri velit nedum vt referat ea. Quò fit, vt malignè hæc ſcripta ſint, & etiam in hiſtoriam traducta, quæ debuerant perpetuò ſilentio obliterari. An hoc multum referre putem, quod Plato, cùm adoleſcentulus eſſet, ſe maſtrubaret: quæ inſania eſt huiuſmodi, quære? & maior quàm Tiberij percunctatio, Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines? Quò fit, vt ſæpe exiſtimauerim longè melius eſſe, non ſcribi hiſtorias: earúmque lectionem plus afferre mali, quàm vtilitatis mortalium generi. Quid enim ad bonos mores refert, ſeu legas leuitatem Athenienſium, perfidiam Carthaginenſium, crudelitatem tyrannorum? Quid boni ex Agathoclis vita ac geſtis, aut Phalaridis vel Dionyſiorum? Sed neque Marij, Syllæ, C. Cæſaris geſta vtile aliquod exemplum continent: nil niſi doli, rapinæ, inſidiæ, fracta fides, ſæuitia, mortes egregiorum virorum, bonorum oppreſſiones, depopulationes agrorum, excidia vrbium, cædes promiſcuæ, miſerorum graues ſeruitutes, calumniæ in inſontes, omniaque infinita cum infelici exitu: vt neque voluptatem capias, nec vtilitatem ex eiuſmodi lectione conſequaris. Itaq; & Taciti & Metonij & Diodiori Siculi, & Appiani Alexandrini & Thucididis hiſtoriæ, tum Macchiauelli, Philoſophiæ ſacræ ſtudiis aduerſantur. Sed longè deteriores his ſunt Herodoti, & noſtrorum temporum, quæ præter vitia communia plenæ ſunt mendaciis & adulationibus, falſiſque criminationibus. Quis neſcit, quanta fuerit virtus Antonij Leuæ Hiſpani ducis, vt ſolus diel, aut cum paucis Imperator appellari noſtri temporis poſſit: & tamen nequiſſimus hiſtoricus, ſeu potiùs fabulator, quod pecunias non dediſſet, maluit totam corrumpere hiſtoriam tréſque libros qui illi debebantur intermittere, ne (vt aiebat) ingratum inſereret hiſtoriæ. Cogita in cæteris qualem ſe exhibuerit. Cùm aliquando Cæſar noſter legeret victoriam quam de Gallis habuerat, dixit: profectò non meam, ſed Gallorum regis victoriam hic ſcripſit: indicans, ex pecuniis acceptis à rege, quanta mendacia inſeruiſſet hiſtoriæ. Sed & plerumque vita eorum congruit ſententiis: Thucydides enim exul ob furta publica, Herodotus infamis, Salluſtius Numidiæ præfectus totam diripuit prouinciam, adulter, & omni ſcelere coinquinatus. Diodorus, dum fœda, turpia, flagitioſáque enarrat, ita omnia attingit, vt videatur voluptate potius quàm neceſſitate adductus ea conſcribere. Hic noſter hiſtoricus, admirandus profectò magis aliis, qui tametſi ſenex parum abſuit quin pepererit. Sed & id deteſtabilius, quod cùm eſſet etiam Antiſtes, gaudebat numerari procos adoleſcentulos. Vah, quis credat ab huiuſmodi vita conducibile aliquid mortalium moribus aut vitæ emanare poſſe? Omitto quòd, vt aliàs dixi, hæ hiſtoriæ omnes anima carent. Non vituperabo Xenophontis de Cyro confictam hiſtoriam: ſed hæc non hiſtoria eſt, verùm philoſophica inſtitutio. Et Philippi quidem regis & Alexandri geſta n arrantem libenter audio: ſed nulla pulchrior quà m Ælij Lampridij de Alexandro Seuero, digna certè quæ ab omnibus legatur, maximè principibus. Sed lubet ſcire ea omnia: & quomodocunque aucta, qualiter aut parta ſint imperia? Non nego, non veto: narratio vera tota eſſe debet. Optimè conſultum eſſet rebus humanis, ſi principes & magiſtratus & hiſtorici omnes Philoſophiæ operam dediſſent. Non cuiuſuis eſt hiſtoriam ſcribere. Tria ſunt vitiorum genera: quædam quæ omnino inutilia ſunt, etiamſi nullus Deus nobis præſit, animique mortales ſint: velut ſtultitia, ira, ſegnities: in his vagari non decet hiſtoricum: ſed vbi attigerit damna quæ ſubſecuta ſunt, attingere cætera exempla: quæ non proſunt, relinquere: in eo genere etiam iniuria, cum nulli vſui eſt. Quæ verò non niſi Deum verentibus obſunt, vt dolus & auaritia, quæ vtilia vitia dicuntur: & appetitus gloriæ, & honorum ambitio, ſic debent narrari, vt emolumenta non ſolùm doceas, ſed diligentiam & ſolertiam omnem adhibitam adiicias. Atque hac in parte præter tres illos aliàs à nobis deſcriptos, Xenophontem, Salluſtium & Philippum Argentonem, Diodorum, & Plutarchum de vita virorum illuſtrium adnumerabis. In tertio autem vitiorum genere, velut vltione, ſæuitia & inuidia, quod quandoque vtile eſt, quandoque non licet verbum attingere ſolum, & breuiter pertranſire: niſi ingens aliquod malum aut bonum ſubſecutum fuerit: tunc enim, vt in ſecundo, omnia minutim ac diligentiſſimè deſcribenda ſunt: maximè autem docenda ſunt, vt aliàs dixi, arcana colloquiorum, Epiſtolarum & actionum vt non ſit æqua partium deſcriptio; ſed vt Poëta ait:

Semper ad euẽtum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractat niteſcere poſſe, relinquit.

Sic etiam in picturis quædam obſcurè ſolum ſignificantur, ac breuiter: quæ pulchra ſunt, & notatu digna, lõga ſerie ac multis imaginibus referuntur.

referuntur. Volutari autem in fœdorum vitiorum enarratione, & maximè cùm vitia priuata sunt, qui admittit princeps cùm res nullius sit exempli, aut ad morum institutionem vtilis, eius est qui vel animi mores, aut odium vel amorem in principem prodere velit, Comicique aut Tragœdi hoc est, non grauis historici. Nam Tacitum virum fuisse ambitiosissimum, & optimatum factioni addictum, nemo est qui addubitet. Sed ad accusationem Neronis reuertor. Obiiciunt id, cur palàm hæc fecit? ignoscimus ætati, ignoscimus temporum moribus, naturæ irritamentis, licentiæ regiæ, tot adulatoribus, occasionibus, exemplis perditorum: quid coëgit vt palàm faceret, quæ in priuato fœda, quæ occulta vix defendi possunt? Hoc est, in quo excusari non posse illum putant. Sic & illud culpant: Scis quid mihi opus sit ad magistratus: quasi illos ad rapinas non solùm hortaretur, sed impelleret. Verùm, vt idem Suetonius auctor est, impudicitiam professis cætera delicta ignouit: non existimauit crimen esse, quod non cælabatur. Fuit simplicitatis amator, dimulatorum hostis. Si repræhendis in Nerone, cur tueris in Epicureis? vnde illud Ciceronis: „ ἀσωτείας turpissimæ intemperantiæ Epicureorum testem timui. „ Hi enim publicè profitebantur, se id morbi genus formidare. At communis tamen labes, vt Iuuenalis:

Inter Socraticos notissima fama cinædos.

Nero autem hos horruit, qui cùm mali essent, boni videri volebant: vt idem Poëta rursus ait:

Qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt.

Veram integritatem non aspernatus, vt Cynici Demetrij, cuius suprà meminimus: quanquam & illum Plinius Secundus, in defensione eius Philosophi qui Sotanum pecunia inductus accusauit, iure damnet. Ex quo tamen apparet, Sorani damnationem iustam fuisse: neque enim emptus fuisset Philosophus ad accusationem falsam, cùm alij multi falsi testes inuenti essent: nec damnatur Philosophus vt falsus testis (facile enim potuisset redargui) sed quòd vnica actione & Philosophiæ auctoritatem, & amicitiæ iura violauerit. Existimauit ergo Nero scelera esse eò deteriora, quò magis occulta. Ludos tamen ille putauit, nec eo modo in publicum processura: nocte enim & in lucis, vt refert Tacitus, hæc acta sunt. Et forsan fama & inuidia plus addidit. Quod verò magistratibus imperauerit rapinas, stultè dicunt, cum ex verbis suis conuincantur: nam quæ rapiebant, non in Neronis, sed proprium illorum commodum perueniebant. Ergo hoc ipso dicto iussit, ne quæ ad fiscum pertinerent, in suos vsus conuerterent simulatione compositionis atque remissionis. Quod malum adeò sæuit nostris temporibus, vt dum sontium bona in magistratuum commoda transeunt, ditatis paucis cogantur principes grauioribus vectigalibus depauperare insontes: quorum vtrum melius sit, cogitandum tibi relinquo.

Extremum illud quod obiicitur, est stultitiæ & imprudentiæ vitium: cui euentus subscripsisse videtur, amisso dum viueret Imperio: quod seu stultitia, seu iniuriis crebris in subditos? seu segnitia acciderit, par videtur esse infamia ac peccatum. At mihi reliqui Cæsares stultiores fuisse Nerone videntur. Omitto modò Claudium, qui non stultus iam, sed ipsa meta fuit stultitia: satque vnum fuerit retulisse exemplum. Omitteo do, quòd criminante vxore fidos custodes ademerit à pupillo filio, quòd priuignum adoptauerit, infinitáque alia cùm duo litigarent, vnus ex his monuit Claudium, se vidisse quendam, descripsitque illius habitum, formam, qui secum litigabat, qui manum inferret Claudio. Paulò pòst superueniente altero litigatore, & libellum offerente, cum forma & vestes congruerent, raptum statim & damnatum, nec auditum, duci iussit. Simili amentia perdidit Appium Syllanum consocerum suum, cum Messalina & Narcissus somniasse se ex composito affirmassent, quòd à Syllano trucidaretur: illumque interim adesse tanquam à Claudio vocaretur iussissent: cuius aduentu existimans somnio fidem factam, iussit statim eum interfici. Nec erubuit causam reddere necis in Senatu, & gratias liberto reddere. Sed comparemus Neronem ei Imperatori, qui sapientissimus ab omnibus iudicatus est: scilicet Augusto: comparemus & Ciceroni: dico Neronem vtroque sapientiorem fuisse. Primumque id supponamus quod verissimum est, scilicet sapientiam maximè consistere in electione eorum quæ in nostra sunt potestate: nam in cæteris felicem esse fortunæ est, non prudentiæ: vulgatum enim est apud nos prouerbium: Stultos sæpe collimare. Ergo si ita est, quis dementior fuit Augusto, qui per innumeros labores, infinita pericula, inaudita flagitia, maximos æstus animi, grauissimam infamiam, sæuitiam ferinam, summam ἀχαριστίαν, infelicitatem patriæ, ac ruinam, suorum mortes, ad tyrannidem peruenit, vt suis postmodum testamento priuatis, eos relinqueret hæredes, quorum maiores vt hostes maximos ad mortem compulit necessariam, filios fratresque occidit. Non deerant ex proprio sanguine elegantissimi iuuenes: maluit senem ex alieno hæredem relinquere, non sine manifesta pernicie omnium suorum. Nec reliquit successorem orbum: erat ei filius iuuenis & incolumis, & ex filio nepos. Quid stultius excogitari potuit? nonne hoc quod sæpiùs dixi, tanquam testimonium ingentium scelerum illius fuit? vt Deos ostenderet sapientibus, quàm facile sit ei vlcisci pessimos homines. Non hoc Agathocles aut Dionysius aut Hiero, vel alius quispiam tyrannus effecit: vt constet Augusto dementiorem fuisse neminem, qui immortalitatis spem, vt qui seipsos excidunt sponte, præcidit. Poterat Drusus esse filius: de Tiberio nemo dubitat. Quorsum ergo tanta insania, quorsum tot atrocia facta, mandare vt infans pronepos exponeretur? natura nepos, lege filius, in insulam deportaretur, inde occideretur? Herodes Iudæorum tyrannus multos filios occidit, sed vt filios relinqueret hæredes: nemo adeò desipuit, vt filios & nepotes occideret, vt alienis regnũ relinqueret. Miramur de illo qui filios præteriit

vt fratrem regem efficeret: & Augustus, vt ferum Tiberium, qui suam deleret stirpem: quod etsi non omnino contigit, & parum tamen admodum abfuit: & causam dedit hic error vt tandem sub Commodo prorsus tam fœminea quàm masculina, quæ in abnepotibus desietat, extingueretur. Sed multo antea peritura erat, iam occiso à Tiberio per centurionem Agrippa, Germanico veneno sublato, effosso oculo Agrippinæ per centurionem, verberata relegata in Pandacariam insulam, vt mori præoptauerit: Drusi fame absumpto, Nerone per carnificem ad voluntariam mortem adacto: nisi Seianum veneno sustulisse Drusi Tiberij nepotem compertum fuisset: hoc saluti fuit reliquis, qui superfuerunt. At si omnia latere potuerunt Augustum, an illud nescire quod dici solet:

Regum non capit duos?

Nec tyrannum stirpi regiæ parcere? Omitto reliqua. Nihil tale meditatus est porro: amisit imperium, proditus à suis: quot aliis hoc optimis Imperatoribus accidit? Pertinaci, Alexandro Seuero, Aureliano: qui adeò terribilis fuerat. At hos non vniuersi deseruêre. Sed neque Neronem: nam & legiones Orientis & Germanicæ non desciuêre ab illo: & Prætorianos fatetur Tacitus potiùs deceptos, quàm quòd voluntate disciuerint. Errauit, si modò errauit, Nero in his quæ fortunæ casibus subiacebant: Augustus in his quæ prudentiæ ac sapientiæ. Dic vter stultior? ob id Suetonius Augustum conatur excusare: sed fœdior est excusatio accusatione. Quòd scilicet Liuiæ vxoris precibus id egerit, seu vt successoris improbitate melior videretur: quorum vtrunque stultissimum est, perdere suam prolem, pro qua belluæ etiã pugnant, & in qua viget spes immortalitatis, vt alienam feras: aut inani gloriolæ, quæ paucis annis finitur, satisfacias. Sed veniamus ad aliud sapientiæ exemplum, Ciceronem ipsum: qui cum mortuo C. Cæsare, cuius cædi non interfuisse dolet, Octauium lege filium, sanguine sororis nepotem, testamento hæredem ex dodrante (quæ pars à toto parum abest) cuexit, extulit, armauit contra Rempublicam dum eam tueri nititur, quanquam toties monitus à Bruto, vnde ille grauiter & iustè apud Atticum & apud Ciceronem conqueritur. Sed mittamus siccarios, quibus non adeò dignum credi fas est: videamus quomodo ab Attico ipso monitus sit:
„ Quanquam enim posset in præsentia bellè iste
„ puer pertundere Antonium, tamen exitum ex-
„ pectare debemus. Et ipsemet Cicero hoc vi-
„ dit, & tamen errauit: in Epistola enim ad At-
„ ticum quadam inquit: Missa est mihi concio
„ Octauiani: at quæ concio? Iurat, ita sibi pa-
„ tentis honores consequi liceat, & simul dex-
„ tram intendit ad statuam: μὴ σωθείην οὕτω σωθέντι:
„ id est, Ne saluus quidem, si quid tale vn-
„ quam: Et antea: Si multum possit Octauia-
„ nus, multo firmius acta tyranni comproba-
„ tum iri, quàm in Telluris, idque contra Bru-
„ tum fore.
„ Quapropter postmodum suam stultitiam
„ apertè deflet in Epistola ad eundem Octa-
„ uium: O me nunquam sapientem & ali-
„ quando id quod non erat frustra existima-
„ tum. Quantum te Populo Romane de me fe-
fellit opinio? O meam calamitosam & præ- „
cipitem senectutem! ô turpem exacta de- „
mentique ætate caniciem! Ego Patres con- „
scriptos ad parricidium induxi: ego Rempu- „
blicam fefelli: Ego ipse Senatum sibi manus „
afferre coëgi: cùm te Iunonium puerum, „
& matris tuæ partum aureum esse dixi. At te „
fata patriæ Paridem futurum prædicabant. Nec hoc errore contentus quod euexisset, quòd ambitione Consulatus vt Consul fieret, fauisset garrula illa lingua, qua tot fontes in perniciem Reipublicæ defenderat, vt scommate sapiens videretur, ornandum tollendumque puerum (ita enim appellabat eum à quo vt puer habitus est) iactabat: Quod etiam non parum obfuit Ciceroni, cùm Octauius non solùm decipi (hoc enim iampridem intelligens dissimulabat) sed irrideri se ob beneficium optimatibus & Senatui præstitum cognosceret: iam enim Mutinæ vicerat Antonium.

At errauit in hoc vno? certè is maximus fuit. Romanum enim populum euertit, & in eo diutiùs perstitit: scilicet toto biennio, ac etiam ampliùs.

Sed mitte hunc errorem, vide alium non minorem. Claudius accusatur de incestu cum Pompeia Cæsaris vxore: negat Cæsar scire quicquam. Cicero cùm nullam à Clodio iniuriam passus esset, testimonium dicit in Clodium: nec sufficit testem se exhibuisse, vrget iudicium apud Senatum: quo facto, non solùm Clodium, sed Cæsarem, cuius Pompeia vxor erat, & Pompeium puellæ patrem offendit: vnde absoluto Clodio à iudicibus, ex consensu Cæsaris & Pompeij eiectus est in exilium, publicatis bonis: & non solùm euersus Cicero hoc facto, sed suscitata seditio illa, quæ ruina fuit ciuitatis Romanæ. Hæc stultitia adhuc maior est priore: quoniam omnis sine causa fuit: & non fluctuante iam Republica, sed quieta prorsus contigit. Postmodum, si omnia illius dicta factaque consideres, nec aliud quæras testimonium quàm eius Epistolas, præsertim ad Atticum, plenè stultum fateberis hominem: non semel, centiesve, sed in omnibus penè Epistolis, orationibus, factum illud suum prædicat, quasi in angulo acta res esset. Deinde vult omnes ciues nil aliud cogitare, quàm de seipso, etiam cùm rueret Respublica armis Cæsaris & Pompeij. Quàm deflet pueriliter exilium illud suum? quàm impudenter petit triumphum, cùm in acie non fuisset cumque omnia sibi licere putaret, iustè etiam à supplicatione repulsus est. Quo demiror Romanos tam amantes fuisse, vt huic seni iam deliranti tantum detulerint, vt retecto Antonio, cum quo Rempublicam stare necesse erat, ob æmulationem Octauij qui hæres erat tyrannidis, Octauium ipsum cui nihil repugnabat, ad tyrannidem occupandam extulerit. Denique quòd, cùm omnia flagrarent armis Antonij & Octauij, iam succumbente Republica, ipse cogitaret de sacello filiæ erigendo, tanquam Deæ: quam etiam ferunt (vt dixi) incestatam ab ipso patre: vt merito ira Deorum, qualescunque etiam essent, factum fit, vt viderit fratrē fratrisque filium occisum ob suam amentiam: filium in exilio, nec satis

tuto:

tuto: ipse sicarios spectaret, postulantes vt caput extra lecticam exporrigeret, amissis omnibus bonis: vt cogeretur obliuisci nefariorum sacrificiorum.

Forsan excusabis hominem ex Romanorum moribus, aut quòd Deorum cultum irrideret. Sed antea nulli Romano diuinitas collata est. Inuentum fuit Antonij & Octauij, vt homo nefarius & omni scelere coinquinatus, inter Deos numeraretur. Cicetoni autem hæc non licuerunt, qui licet suos meritò potuit contemnere Deos: aliter tamen contemnere iure non potuit, nisi quia Deum verum omnium auctorem cognouerit. At si ita est, quomodo mulieri, quod Deo debebatur, tantum honorem tribuere ausus est? Sed iam in tam absurdo proposito illius verba subscribamus pro teste: profectò illam consecrabo omni genere monimentotum, ab omnium ingeniis scriptorum, & Græcorum & Latinorum. Hoc tolerabile: illud rursus: Cogito interdum trans Tyberim hortos aliquos parare; & quidem ob hanc causam maximè, nihil enim video quod tam celebre esse possit: sed quos, cotam videbimus: ita tamen, vt hac æstate fanum absolutum sit.

Et iterum: Expectabam autem maximè de fano. Quæsiuit enixè hortos emere Silij trans Tyberim, aut Drusi. Ideo rursus? Quo plus in monimentum insumptum esset, quàm nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse: quod non magnopere moueret, nisi nescio quo modo (ἀλόγως fortasse) nollem illud nullo nomine nisi fani appellari: quod si volumus, vereor ne assequi non possimus, nisi mutato loco.

Atque item: Fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest. Sepulchri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studio, quàm vt maximè assequar ἀποθέωσιν: quod poteram, si in ipsa villa facerem: sed, vt sæpe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro vbicunque fecero, mihi videor assequi posse vt posteritas habeat religionem: hæ meæ tibi ineptiæ (fatebor enim) ferendæ sunt. Et paulò pòst: Quod me à mœstitia auocas, multum perficies, si locum fano dederis: multa mihi ἐν ἀποθεώσει in mentem veniunt: sed loco valde opus est.

Et alibi: Sed tamen auidè sum affectus de Fano: quod nisi non dico effectum fuerit, sed fieri videro.

Ac iterum, ne quid desit: De hortis ex tuis literis cognoui, & Chrysippo: in villa cuius insulsitatem bene noram, video nihil aut pauca mutata: balnearia tamen laudat: maiora de minoribus ait hyberna effici posse: tecta igitur ambulatiuncula addenda est: quam vt tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, propè dimidio minoris constabit in isto loco: ad id autem quod volumus ἀφίδρυμα nihil aptius videtur quàm lucus, quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat, nunc vt audio maximam, nihil est quod ego malim in hoc τὴν ψῆφόν μου περὶ τῶν προσφερομένων.

At saltem exemplo C. Cæsaris ductus esset: sed adhuc viuebat Cæsar, dum Cicero insaniret, licet tyrannidem occupasset: quod ex Epistola illa libri tertij decimi manifestissimorum est, cuius initium est: Hortos quoniam hodie.

Egregius igitur hic orator inuexit ἀποθέωσιν, id est, Deificationem seu consecrationem. Quid mirum est ergo, Imperatores ipsos eò deuenisse dementiæ: postquam priuatus Vir, senex, augur, Philosophus, hoc incboare ausus est. Quò fit, vt me non parua subeat admiratio, quid sit quòd hi qui sapientiam profitentur, adeò ad impietatem proni sint, alij etiam stultissima admittant: nam Cicero præter id quod non assequebatur, sed ementiretur consecrationem filiæ, quæ ad Pontifices spectabat, nec fanum, sed ridiculosè finxerit, nonne intelligebat, si nihil à morte superest, talia omnia inania, vana & puerilia esse, cùm nil ad eam pertinerent: sin autem superesset, distotqueri, si quis illi relictus esset sensus & ob amentiam patris, & quod illum summum auctorem læderet ad quem spectaret benefacere ipsi Tulliolæ, aut malefacere. Itaque non alia causa est tot errorum, nisi quod hi quos existimamus sapientes, non sunt verè sapientes, sed stulti.

Quo magis demiror de Aristotelis grauitate, qui hoc idem in concubina sua facere ausus est, & sacra Cereris irridere impio exemplo: vnde meritò Atheniensibus pœnas exilij dedit: maiores daturus, si fuga se non subtraxisset. Ergo causa omnium horum est, existimare sapientes eos qui non sunt.

Quid ergo miramur Neronem non fuisse sapientem: quem tamen constat Augusto ac Cicerone longè fuisse sapientiorem, tametsi illi valde senes & rerum experientia edocti, pro sapientissimis habiti sint? Neque enim quicquam harum nugarum tentauit, aut aggressus est, nec errores adeò magnos admisit. Dices: Fateor, nulla in causa Neronem conuictum esse: sed tamen si omnia simul conferas, impietatem, sæuitiam, luxũ, libidines, scenicos ludos, profanatam maiestatem, rapinas, prodigentiam, stultitiam, ingrata facta, turpia, fœda, abominanda, euersionem Senatus, vexationem nobilium, popinas, monstrosos concubitus, nocturna verbera, quibus grassabatur etiam vulneribus adiectis turbam illam scenicorum, perpetuam inter flagitiosos consuetudinem, veneno tot peremptos familiares, libertos: amicos, neglectam quoque administrationem ob hæc Reipublicæ & bellicæ rei, donatam Armeniam frustra Tyridati cum sumptibus illis immensis, vrbis incendium (expilationes suorum in ciues, in prouincias, educatam & ditatam Locustam, datosque ad scelus discipulos, societatem Tigillini pessimi omnium mortalium viri cum suo Cossutiano, tantum datam suspicionibus ac falsis delatoribus, crudelitatem in ætatem imbellem, in sexum innoxium: sane facile ex tam multis etiam minimis, magnum aceruum scelerum & flagitiorum conflabis. Verùm si Catoni Censorino obesse non potuit, quòd quadragies quater in Senatu sit accusatus, nec ob id deterior vlla in parte habitus est: cur obesse debet Neroni, quòd de multis accusetur criminibus, quorum partim inscius sit, partim crimina non sint: aut si sint natura huiusmodi, ratio ipsa docet necessariò admissa, & iustè?

Iam tandem oſtendimus Neronis virtutes, atque præſtantiam, præclaraque facta, & ſapienter dicta, in quibus omni laude dignus habendus eſt: quod is ſolus verè bonus, ac verè ſanctus, cum Seuero Alexandro iuſtitiam ſine diſcrimine perſonarum coluerunt: tanto potentioribus inuiſi magis, quo inuſitatum adminiſtrarionis genus ſoli ſequuti videntur. Et certè Nero turbulentioribus temporibus, minore Philoſophiæ ſtudio (cuius cauſa in Seneca fuit) & laſciuia aliqua permiſta ob ætatis fluxæ vitium, & matris Agrippinæ perſuaſionem. Cæterùm quoniam bene dicta ſiniſtrè aliquando interpretari ſolent, quaſi optimatom factionem proſecutus hoc argumento ſim: nec defuturos ſcio, qui etiam cum hoc (qnòd exitus amborum illorum principum infelix fuerit) regni ruinam me docuiſſe, dicere audebunt, quandoquidem non niſi optimatū factioni fauendo regna ſuſtineri queāt: exēplo omninm illorum, præſertim Parthorum, Galliæ, Hiſpaniæ atque Germaniæ, de quibus ſatis dictum eſt. Quibus nos breuiter reſpondemus, primum nos nihil contra optimatum, qui verè optimates ſunt: id eſt, qui tam virtute cæteros quam potentia & opibus præcellunt, factionem dixiſſe. Sed neque contra alios, niſi vt æquo iure cenſeantur, & à cauſa, non perſona, iuris formola definiatur. Quòd ſi id docui, exiſtimo etiam rectè feciſſe, atque vtilirer conſuluiſſe principibus. Primùm quòd rectè iudicando Deo placeant, à quo compenſationem ſint habituri, cui æqnalem regni diuturni commoda quantumvis magna præſtare non poſſint. Deinde quòd regna nulla æterna eſſe poſſint, imò nec valde diuturna: quod experimento perpetuo deprehenditur: & quantumvis ſit diſcriminis in diuturnitare, etiam ſi mille annorum ſir, parum admodum referat: cum mille anni ad Mundi perpetuitatem & ventura ſæcula ſint velut punctum in ampliſſimo circulo, aut prælonga linea. Sed & hæc adminiſtrationis ratio, etiamſi ad præſentem ſecuritarem, diuturnitatem atque magnitudinem imperij referatur, melior eſt: quoniam illud idem contigit in ea quòd de iuuenibus & ſenibus dici ſolet: Iuuenes citò mori poſſe: ſed ſenes diu viuere non poſſe: ita cum aliis generibus adminiſtrationum, cum factione optimatum diuturnum regnom eſſe non poteſt: cum populari ac iuſta adminiſtratione (tametſi breue eſſe poſſit poteſt etiā eſſe diuturnum, ac quantum humanæ patiuntur res perpetuū. Ergo in huiuſmodi adminiſtratione, quando ea ſola, & Turcica, perpetua eſſe poſſit: ſed illam ſæuitia plenam eſſe neceſſe eſt, vt quæ ab immitibus barbaris originem duxerit) quatuor obſeruanda ſunr. Primum, vr ius æquum omnibus ſeruetur: ſed in honoribus faueamus potentioribus, in re pecuniaria ac commodis, aliis pauperibus. Secundum, vt cùm plebs ipſa facilè ſeducatur ac deſerat defenſores ſuos, tribunos creare oportet è corpore eius annuos, viros acres & bonos: ſic enim in officio continebuntur, & facilè congregabuntur: eorumque vtilitati conſulere, & maximè annonæ abundantiæ. Tertium, tollere ſubſtitutiones omnes. Quartum, vocata feuda, quæ ſi tollere durum eſt, non reficere oportet: tempore enim diſſipantur: vt enim non conuenit euertere familias quæ bonis moribus perpetuitatem quandam ſibi pepererunt: ita nec cogere iudiciis, vt perſæpe malè partis familia in perpetuum gaudeat. Hæc ſi quis non agat, optimatum conſpirationi non par à plebe auxilium habere poterit: ſi agat, ſecuriùs viuet, & minore labore quam qui optimatibus addicti ſunt. Non defuturos etiam eſſe puto qui me accuſent, quòd in bonos omnes hac laudationis ſpecie ſim debacchatus: præſertim in Auguſtum, Ciceronem & Senecam. Sed pro Auguſto veniam non deprecabor: de Seneca quid dicam, non habeo, qui nihil rectè dicere nouit, aut facere. Barbariē intulit in ſcribendo: nouus declamator, ac nouus Rhetor, Philoſophus perditiſſimus. Vide leuitatem & turpitudinem eius in Poëmate illo in Claudium, indignam Grammatico etiam impuro: vide præcepta inter ſe pugnantia, vitam turpem & fœdam, in naturalibus rebus imperitiam: Vir nequiſſimus, qui ſuſtinuit vt inſons vxor ſecum periret, quod ad ſe attinet, non ob aliud quàm vt Neronem grauaret inuidia. Conſtat illam miſericordia hoſtis ſeruatam, quæ peribat coniugis crudelitate: nam ſi mori deſtinaſſet, non defuiſſet per tot annos qnibus ſuperuixit, via ad mortem: vt nec Portiæ Bruti vxori, cuius exemplum ſequi poterat. De Cicerone autem cauſa eſt non in me inſectationis, ſed in falſa hominum opinione admirationis de me. Cùm enim populus exiſtimet, eos qui compti ſunt in ſermone, corporis ornatu ac moribus, quoſque plures laudant atque ſequuntur eſſe ſapientes, ac etiam probos: ideo cùm Cicero maximè hoc in genere excelluerit, ſi quis maledicat de illo, eum aut ſtultum aut improbum eſſe putant. At huiuſmodi viros minus cæteris ſapientes eſſe conſtat, tum ex actionibus, & fine eorum, tum ex coniunctione cum his quorum æſtimatione ſapientes & ſtulti æſtimari debent, & à quibus omnis noſtra ſapientia huc deriuatur & ſpirat, qui nobis ſuperiores ac meliores ſunt. Quòd ſi obiicias, principes hoc noſtrum conſilium adminiſtrandi non ſeruare, nil mirum: namque difficilis eſt via ad virtutem: præponuntque homines iucunda ſecuris, & facilia diuturnis. Denique mortalium commune vitium eſt, nullis rebus tam inimicos eſſe quàm bonis propriis. Quòd ſi quis per ſingula id conſideret, inueniet ſic eſſe.

D I X I.



PODAGRÆ ENCOMIVM.

INGRATI hominis officium nedum immemoris esse existimarem si vel eorum quorum beneficio profecerim obliuiscerer, aut si beneficij memor quibusvis modis possem gratias non referrem. Nec quærendum puto in gratia compensanda quis auctor fuerit beneficij nec quo animo id contulerit in te, sed quantum per id profeceris: Et quam libenter fuerit impertitus. Nam de animo quid quæras cum vultum promptitudinē hilaritatémque dantis conspexeris? animum quidem solis Diis notum esse tam Philosophi quam Theologi constanter affirmant. Quod si coniecturis agendum sit, non nisi bono animo proficisci beneficia credendum est: atque eo magis cum qui dat in plures alios fuerit munificus: si rogatus ægrè dederit, si nemini non roganti dare voluerit, existimandum est parum liberali animo dare voluisse. Quod ad personam attinet, nemo vt dici solet bonus est omnibus nisi Deus. Cæteri quibusdam sunt boni, pluribus plerunque mali, at contra Podagra plerisque bona, paucis mala est & grauis, tum verò liberalis atque munifica sponteque accedit ad homines, quo fit vt cum nemo simpliciter dici possit bonus aut malus, sed in collatione muneris talis sit habendus, Podagra omni ratione bona dici debeat. Et cum malos eos credere soleamus qui prima fronte iucunda offerunt, tegunt quæ nocent, & hoc nomine rursus laudanda illa venit quæ sub mali specie nos aggreditur, quicquid tegit quicquid latitat sub veste bonum est atque commodum. Non eo laudare velim Podagram quo cætera solent laudari mala mortalium, tanquam his ipsis iustæ ab illis exigantur pœnæ. Sic enim & mors & morbi & tyranni laudari solent, sed non est hæc illorum laus, verum potius accusatio mortalis generis. Sint homines suo arbitrio ingrati, scelesti, impij, sæui, auari, iniusti & omnino improbi, nil ad laudem Podagræ tam turpis & abominanda causa prodesse potest. Non probabo pœnam quam odero, & quam si ego etiam immerito subire ex eorum tamen genere sum qui eam subierunt. Non est hoc argumentum paradoxum, non ostentatio facundiæ aut ingenij, quorum vnum in me minus est quam mediocre, alteri conscius sum nunquam operam nauasse. Male laudantur ea quæ iustè laudari non queunt, velut stultitia, Caluitium, Quartana, in quibus tanto plus elucet Rhetoris eloquentia eo in argumento leuitas maior deprehenditur: Oratio inanis & vndique fides ac veritas historiæ desideratur. Est Podagra quæ se ab initio ostendit ac probat, adeo vt sine verecundia prætermitti laus eius non possit; dubiumque facit an honestius ac præstantius sit de illa verba facere, an turpius & iniquius illaudatam cum tot meritis tantaque gloria sinere. Quod si nihil esset mali quod dignum laude foret, certe Podagram laudare non auderem; nunc video tot esse mala laude digna vt laudare Podagram illis omnibus multo mitiorem turpe videri non possit. Etenim menses qui fluunt mulieribus fœdi & à quibus illæ adeo conflictantur, partus, dentium ortus, veneranda canities omnia mala sunt ἐξωγενῆ καὶ ἰδιώδη & tamen quod plures ab illis bene se habent laudem merentur. Obiicies quod hi ex ordine naturæ sunt, Podagra morbus qui casu aduenit. At nec familiaria adeò exanthemata ea illa rubra, rotunda, parua, varis similia olim fuisse credo quæ à solis Arabibus sint descripta. Quæ nunc Variolas à Varis vulgus appellat ac morbillos nescio qua ratione & tamen his purgari sanguinem & meliorem fieri corporis habitum constat. Sunt timores, sunt dolores qui nos commonefaciunt vitæ melius traducendæ. Deflorata virgo dolet, hoc casu accidit, & tamen laude dignum habetur. Si nulla est imbecillitas, si nullus est dolor bonus laudandusque, non inficior Podagram non esse laudandam sed postquam tota vita nostra voluptatem habet in dolore repositam, edendi in fame, bibendi in siti, venereorum in pruritu, iam hoc credo me obtinuisse non esse toto genere Podagram illaudabilem, admittique iure posse vt partes etiam illa suas tueatur. Non inuenit ad hanc vsque diem qui illam laudauerit? an ob id laudari non meretur etiam si à nemine laudata sit? Quot res, quot viri illustres præcone caruerunt? Quot morbi mala insaniæ in contemptum bonorum laudata sunt? Nulla pestis ἐγκωμιαστοῦ suo caruit. An ideo augenda esset iniuria quia facta sit? Quanquam nec defuerit egregius laudator, & qui etiam Deos Deasque laudare consueuerit, Lucianus ille Samosathensis Vir acer magnæque eruditionis, cuius exemplo moueor non æmulatione ducor. Etenim velut in omnibus rebus egregiis nullus orator tam oculatus esse potest tam præclara arte instructus vt rei dignitatem facundia æquare possit, ita in laudando Podagram semper aliquid deesse necesse est, tum verò id magis contigit quod raro oratores aut sperant in arduis, aut studium in humilibus rebus adhibent. Neque enim vel nos hanc prouinciam aggredimur quod pares laudes pro dignitate eius,

dicere posse speremus, sed quod nostris laboribus facundiores ad hoc munus incitari debere credamus. Vnumquenque enim in certamen voco non victoriæ spe sed vt victus sæpe gloriari possim tanti certaminis, tam laudabilis operæ auctor fuisse. Vtinam reuiuiscerent illi Cicerones, Hortensij, Cottæ, Coruini, negotium pro dignitate suscepturi & splendidè illustraturi. Etenim plurimum refert in rebus etiam pulcherrimis quomodo quidque dicatur, ornetur, amplificetur, aut excidat & propriis laudibus fraudetur? Nihil est tam præstans quod vitio orationis contemptum non euadat, imo odiosum; optabat Alexander magnus Homerum laudatorem, maiorque etiam nunc gloria est Vlyssis atque Achillis qui paruis in oppidis imperarunt, qui cum tota Græcia vix decem in annis vrbe vna potiri sunt quam ipsius Alexandri qui in totidem annis solus orbem totum occupauit. Ergo si non pro magnitudine aut dignitate laudem Podagræ tractauero, merito illa doleat quæ tam siccum & frigidum laudatorem omnisque facundiæ expertem malo Fato suo nacta sit illi non imputetur, cuius voces quotidie ad astra vsque feruntur. Verum ne amplius ipsam rem differam, eius historiam narrare simpliciter decreui: Nam

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Omnes fatentur illam inter suas contribules principatum tenere, dico chiragram, arthritim, ischiam, mentagram. Vt quod ad nobilitatem attinet omnium illa sit præstantissima. Quid dicam illius affines Nephritim, colum, regiumque morbum & socios febrem, abscessus, omnium hæc dux est atque ad illam omnes referuntur. Nemo Podagricum arthritide aut chiragra aut coxendice teneri dicet, at si quis horum vno laborauerit, Podagra laborare illum dicunt. Quinimo quotquot morbi leues artus occupauerint vt nobilitentur, nomen Podagræ sibi assumunt; tametsi ab illa plurimum degenerent. Adeò nobile est atque vulgatum hoc nomen vt & ægri patiendo & Medici curando eo se nobilitari putent. Neque verò ambitioso illa nomine delectata est. Non se cephaleam aut cardialgiam vel ophtalmiam noncupauit, nec turpi etiam nomine coinquinata est quemadmodum mariscæ, fici, hæmorrhoïdes, tenesmi, à pedum nomine suum traxit humillima corporis parte, sed non sordida neque turpi aut fœda. De antiquitate nulli non nota Medico, & multo ante Hippocratem, atque vsque à Troianis temporibus nomine nobilitata suo quod adhuc è Græcia ipsa retinet non quod Latini pudeat sed quia antiquo magis gaudeat argumentum constantiæ suæ, libertatem & ingenuitatem semper professa apertè inuadit vi quæ vult obtinet, nulli insidias molitur. Et cum maximis doloribus homines premat, neminem tamen occidit aut conuellit. Quin etiam in ipsis doloribus risum mouet. Ea sola spernit Medicinam vt Poeta:

Soluere nodosam nescit Medicina podagram.

Quinimo bellum indixit Medicis, multos etiam eorum conflictauit grauiter. Vnguenta spernit, medicamenta negligit emplastris irritatur, fomentis sæuior fit nullum Medicinæ argumentum timet: recedit atque accedit cum vult melius arbitrio subiecta. Non amuletis aut præcantationibus vllis pellitur, imo ne diuorum quidem pene supplicationibus. Solus Deus eam depellere potest. Generosi animi res quæ imbellem non fatigat ætatem, nec pueros nec senes vltimos nec mulieres aut spadones, quicquid floret, quicquid robustum est aggreditur ac euertit; ossa ipsa loco mouet, debilitat robustissimos, neruos & vincula quatit, iuuenes solos prosternit, non minis terretur, non Machinis pellitur, non blandiciis delinitur. Quos inuadere proposuit inuadit, quibus infensa non est ab his perpetuo abstinet. Simili gloria cum Regibus, Cæsaribus, Pontificibus, potentibusque iuris ac sapientibus, vt vulgus existimat, pugnam init, pauperes rusticosque relinquit. Ingreditur aulas principum: Et eos qui proprias vxores filiosque fastidiunt illa rabida aggreditur, diesque ac noctes illis quantumcunque inuitis cum eis versatur. Depulsisque charissimis pignoribus veteribusque famulis,

Dormit & in pluma purpureaque thoro.

Vnguenta sentit, cantus ac citharas audit, mollia strata, puluini serici, inter aurum gemmas & pictas tabellas superba decumbit: Audit fabellas, degustat vina generosa delicatioresque cibos, afferuntur interim flores gratiosi, vestes variegatæ & quicquid ambitiosum à ciuibus vel ipsis regibus multorum spatio annorum congestum est. Quod si vera omnino sunt quæ de Telebinibus Lasciuis Dæmonibus Platonici fabulantur, quos ferunt, in hominum corpora transferri, solos eos beatos esse crediderim qui cum Podagra ipsa domicilia corporum humanorum ingrediuntur. Namque cum Venere & Baccho & delicatioribus dapibus perpetuum fœdus contraxit adeoque beata est vt qui ea detinentur, præter dolorem ipsum beatam vitam ducere cogantur, neque enim illa steriles efficit sed ad Venerem acriores reddit. Verum ad Philosophos venio, Arcesilaus ex eius fuit domesticis, tum Lycon Tharsensis aliique, vt non credas Podagram etiam non philosophari. Nostra ætate Vir magnæ eruditionis Erasmus è cubili Podagræ quicquid legimeretur exprompsit. Sanior longè in morbo quam in bona valetudine. Quot pulcherrima monumenta eruditorum virorum Podagræ debemus? Sani operam damus negotiis, & si quid exit temere effutitur, ægri studiis ac contemplationi. Et quicquid emissum tunc fuerit lucernam sapit & modestum est atque castum. Sed hæc mittamus: de potentia agamus quæ in illa maxima est, sola enim Podagra totum inuadit hominem. Primum quidem pedes aggreditur, inde manus, genua, cubitos, suras, humores, dorsum, collum, mandibulas, denique etiam dentes. Sed neque linguæ parcit. Et sunt quibus nasum inuasit atque distorsit, adeo in omnes corporis partes dominatur. Quid ergo huic simile? Febris vniuersum corpus apprehendit elephantiasisque tum hydrops atque icterus morbus, sed vniuersum dominantur? sola Podagra in singula membra imperium habet. Quid quod exossat homines, eneruat, excarnificat, contorquet crura, manusque mirum in modum,

medullas

medullas depascitur, gibbos, alios repandos efficit. Vt verè sola nostri regina corporis dici possit. Sed mirum quiddam audi de illa. Intellexerat Medicos quosdam haud gregarios scripsisse posse eam hermodactylis atque Corallio depelli. Irata statim nescio qua arte seu casu ac bona ei fortuna contigit hos inimicos hostesque suos ita eliminauit ex orbe vt sola nomina eorum nobis reliquerit. Et coronopum quidem seu corallinum audiunt omnes & hermodactylum, sed quid sint nemo docere potest. Neque illum laudarim qui cum multis cucurbitulis lāguentes in balneo beneuolentium herbarum positos excantificabat:cum plus esset in medicina incommodi quam in morbo ipso. Quid profuit Agrippæ aceti feruidi balneum quo simul leuatus est dolore ac pedum vsu? Quid Cæsari nostro medicamētum illud ficulneum ac quasi superstitiosum è nigræ capræ sero cum fictus lacte? Nonne præter id quod nihil contulit velut & reliqua omnia quæ illam arcere solent auxilia vitam effecit breuiorem, atque tenuiores omnino illius vires? Quid fontes quos seu casu seu voluntate concluseris breui mortē afferunt? Quid ligni sancti decoctio, qui sarzæ Panliæ, quique Thermarum aquis gloriantur annos numerent, quibus vel curati vitam sanam degant aut superfuere incolumes, non est depellere morbum mitem vt lethalem excipias. Quid modo de me factura sit nescio quod eam depellere me posse iactauerim, forsan enim aut contemnet aut non curabit, postquam id præsidium adeò, in paucis expertior, vt propter me ipsum solum illud inuenisse videar. Et si modo aduersum me sæuiat non iure id egerit quandoquidem eam solum relegare quæsierim; non exturbare perpetuò è domo: nec alios docuerim. Irata sanè meritò fuit Gulielmo Budeo qui cum eam publicè conatus sit docere eliminare, ipsum auctorem ita concussit vt nil integrum ei reliquerit. Sed aliud est tueri partes suas suaque commoda procurare, aliud iactantiæ causa aut spe lucri alios id vt facere possint docere. Aliud est infestum hospitem aliquandiu detinere, ne adeò frequenter nos molestia afficiat, rarius vexet; aliud omnino è domo pellere & prorsus hospitio interdicere. At fortes viros forsan aggredi non ausa est. Nil minus, vidimus ætate nostra Antonium Leuā Alphorisumq; Aualum duo belli fulmina singularis prudentia fortitudineque tot claris gestis sic ab illa obsessos vt homines intelligerent eā nihil inaccessum relinquere. Et fulminum Iouis exemplo ardua quæque petere, concutere, quassareque. Quid aliud fuisse credendum est quod Herculem domuit, licet Poëtæ vlcera fuisse dictitent, neque enim voces illas adeò iratas protulisset, si malum in carnibus non venis atque artubus fuisset. Sed omittamus dubia quandoquidem propriis ac certis laudibus podagra contenta sit. Etenim sufficiat vnum pro multis exemplum in Seuero Imperatore, qui cum fortissimus omnium fuerit orbemque occupauerit, ita ab ea victus est, vt perpetuò decumberet, & cui totus patebat orbis, is ipse podagræ seruiebat, nec illa se vinci passa, nec is victus destitit esse terribilis. Hoc tamen ob id solum dixerim quod sciam nullū eculeum nullasque fediculas tantis doloribus hominem afficere posse laminantur, trahuntur, distorquentur, punguntur, lacerantur, franguntur, eroduntur artus eorum qui podagra correpti sunt: nullum maius supplicium quod tam diuturnum ac graue sit Deos aut inferos tyrannos inferre posse crediderim; quam sint Podagræ dolores. Cessant vt grauius afficiant, intermittunt vt maiori impetu inuadant: mitigatur vt carnes quasi sanæ vberius excipiant malum, restaurantur ægri vt diutius ad pœnam sufficiant. Nec tamē quenquam perimit, ne ministra alterius scilicet mortis videatur, exiguus coli aut stomachi dolor interficit, quia hi mortis ministri sunt, vt Podagra sui iuris est sola, nec vlli paret, sed potius alij morbi obediunt ei. Etenim vbi illa fuerit omnes alios depellit morbos nec patitur corpus sibi addictum, suæ ditioni subiectum alteri parere aut quenquam admittere. Quot aliis sæuissimis morbis ad vitæ desperationem laborantes illius aduentu sanati sunt? Quid de illius pudicitia atque iustitia quæ cum vniuersum vt dixi inuadat corpus singulaq; membra, nunquam tamē adeo irata est & sui oblita pudoris vt pudenda virorum aut fœminarum aut anum aggrederetur? Abstinet & à temperatis cum à nullo alio hominum genere seu sapientibus seu fortibus, seu opulentis ne nomen temulentiæ subeat aut procacis. Simili constantia à pauperibus abstinet, ne crudelis videatur quæ victum miseris eriperet. Ergo iusta, mitis, fortis, sapiens, pudica generosa est podagra, seu contemptu eorum quos non inuadit seu dignitate illorum quos subigit. Visa etiam est mihi aliquando è genere Flaminum Dialium quibus cum ad mortuos ingredi veteri instituto non liceret, huic nec ad mortuos nec morituros. Quod si cuique infensa, perdere illum statuat, abscedit traditque febri aut orthopneæ aut attonito morbo iugulandos. Similique ratione irata quibusdam qui eam depellere tentarunt abscedens febri doloribusque ventriculi mandauit occidendos. Non illa turpis aut abominanda quemadmodum lepræ, scabies, Indicusque morbus, non contagiosa vt phthisis, pestis, ophtalmia, sed ad eam securè vt vadant amici permittit; nunquam illa nos vt cæteri morbi clanculum adoritur aut nobis nescientibus. Ea nihil etiam fœdum aut molestum secum ducit, non saniem aut vlcera aut tussim vel vomitus aut alui profluuia, tota munda est & seipsa contenta. Quin etiam vnumquemque pro mensura debita premit. Validos vehementer ac diu, imbecilles, parum ac breui tempore affligit. Forsan obiicies, vilem esse podagram quod etiam canibus, iumentis, capris auibusque plerisque in otio detentis, aut vltra modum saginatis adueniat. Vnde etiam qui eas aues edunt proniores sunt ad Podagræ morbum subeundum. Sed non est hæc podagra quæ dolores certè nullos aut perexiguos excitet cuius inditio est quod nec queruntur nec clamant. Sed simile quippiam, nam omnibus rebus egregiis natura simile quid excogitauit, homini simiam, equo hyppocampum, sunt & vuæ in vitibus & in mari vt etiam in Epigrammate Boussueti.

Vua marina semel vino permista bibenti,
Fertur magnum odium inducere posse meri.

Iam verò quantum affert commodi Podagra atque primum nobilitatis opinionem, nanque & si constet eum qui illam patitur esse rustici filium id coniectura omnes assequuntur falso creditum illius esse filium sed nobilis ac præpotentis viri spurioque genitum cõcubitu. Tum vero magis quod morbus is sit hæreditarius. Cupiatque podagra suos descendentes agnoscere. Cum verò podagrosus in aulam venit, suspicitur ab omnibus etiamsi sit nebulo. Habet enim nescio quid regium podagra, sedet cum alij stant, & equitat cum alij pedibus ambulant. Vidi Maximianum Stampam in mula ambulantem cui à pedibus erat Alfonsus Princeps, quia tum is valebat, illum podagra detinebat quod sedent huius beneficio apud principes alioquin eo prorsus indigni honore? Videas amicos qui accedunt quãta cum modestia se gerant? dicas assidere illos Cæsari aut Pontifici, quanta cum reuerentia tractent, tangant ægrotantes, & interrogentur. Quid de domesticis? non adeo leniter tonsor nouaculam ducit. Si quis tibi rusticus & agrestis inconptusque familiaris adsit podagroso adiiciatur vt seruiat, habebis per quam frugi comptisque moribus omnia tractantem belle ac leuiuscule, dicas ælurum super plumam. Cogita quæ domicilia sibi elegerit, quomodo inhabitet? non nisi alta palatia prætoriasque domos læta viuit inter amicos, & voluptates. Si quis ab amicis negligitur aut eum tanquam asperiorem refugiunt, vbi podagra inuaserit, iam omnes accurrunt. Si qui morbi eis iungantur febris, vigiliæ, dolores alij, ea omnium sibi vendicat locum. Quid habet interrogantibus? respondent, podagra laborat, adeo podagræ nomen notum omnibus est celebre atque illustre. Sed qualem hominem facit podagra? Pium, castum, continentem, prudentem, vigilem, & si quando dormit, non vt reliqui morbi turbulenta facit insomnia. Nemo tam deorũ est memor quam qui à podagræ doloribus detinetur, qui podagram patitur, obliuisci non potest, quod cæteris omnibus fere contigit, se esse mortalem à vino, carnibus, reliquisque eduliis, à crapula à Venere tantum abstinet quantum putat se posse esse securum: Auertit à principe nostri particula cerebro scilicet ac sensibus & mente omnes prauas cogitationes, vanas spes, superfluos timores, incerta studia, non permittit in vanum opes profundere, cogitque vel inuitos commode, lautè & splendide etiam viuere.

Quanta verò commoda ex huiusmodi moderatione? quin etiam cum desperent ad alios accedere posse vt hi ad ipsos accedant, fiunt mitiores, comes, blandi, mansueti, discuntque tractationem cum hominibus, nec vlli alij prudentiores podagrosis habentur. Quinimo eis committi solent Reipublicæ habenæ, habenturque consilia illorum matura, prudentia, atque tuta. Vt quorum mens nullis fluctibus agitetur, corpus à motibus quiescat, & anima superfluis cibis aut potibus minimè sit impedita. Iam verò & illius peculiaria explicemus dona (tria autem sunt præcipua) lapidem in vesica generari prohibet, & pulmonem vlcere affici, præterea eum efficit vini gustum vt nemo melius vinorum percipiat suauitatem quam podagrosus. Mortem præterea leuissimam & somno simillimam parit, si cui à podagra succedente morbo mori contingat. Quid cum remittit se quales somni, quàm dulces, qualis indolentia & pruritus circa locum, parum à venerea distans voluptate. Hæc sola nos admonet studiis incumbendum quandoquidem ea sola dulcedo dolorum interuentu abrumpi nequeat. Sed præter ipsam sociorum iucunditatem quæ in omni morbo exigi solet, peculiari natura mouet & amicos & ægros vt iocis ac salibus plus delectentur ac valeant, vt venereis claudi, dolis gibbi, fraude strabi promptitudine & consilij celeritate calui, vt ridicula sit horum conuersatio. Addamne & illud quod podagrici motus Lunæ melius Astrologis norint, temporumque mutationes certius nautis. Hæc atque alia plura ac præstantiora de podagræ laudibus verè dici possunt. Sed vide quid contra possis obiicere, quod morbus tamen sit: atq; quod melius omninò sit, vt etiã de cæteris, nõ habere quàm habere. Atq; hoc est quod plerique iactaot, pauculisq; incomptis verbis tantam gloriam interturbare atque confundere posse sperant. Sed si modo ex hoc ipso maxime ostendero illius præstantiam ac laudem haud dubito conuictos fore illos qui quovis nomine non dignam fore existimabunt. Principio damnas eam quod morbus sit, quasi non tota vita nostra morbus sit aliquãto deterior quam podagra, nam si morbum vocas solum dolorem, certè podagra morbus erit, reliquum vitæ non ita morbo laborare dici potest at si morbum dixeris animi corporisque languorem secus longè, nam nunquam minus morbo laboramus quam cum podagra nos affligit, morbus est stultitia, voluptas, obliuio conditionis nostræ, iracundia, odium, dolor, quibus nos ipsos nostrosque leui vel nulla causa euertimus. At non morbus est melancholia? & tamen hac ipsa laborasse plurésque sapientes viros atque præstantes auctor est Aristoteles? quid Poëtæ, Vates, Sibyllæ? non ne omnes morbo laborarunt? & quamdiu in pretio fuerunt eo magis conflictati sunt, quapropter & paucis ex his longa vita perfrui contigit, melancholicus fuit Virgilius, insanus Lucretius, stultus Naso, ebrius Horatius: quid tot commemorem? com omnes insanierint breuisque vitæ fuerint. Si quid est in nobis diuinum iam maximè detegitur in morbis: tunc enim futura præuidemus, prudenter negotia disponimus, atque à perturbationibus animi liberi sumus. Podagra si temperantiæ iuncta sit, sensus reddit vegetes, firmam memoriam, succulentum corpus, valetudinem synceram, vitam longam, gustum purum, somnum tranquillum, animam suauem, lætas cogitationes, promptam ad studia sapientiæ mentem: nam cum alij morbi solent illam interturbare sola podagra adauget & exacuit.

Hoc verò illa habet præcipuum & incomparabile donum quod sola animum contendat iam assuetum obniti ad versus corporis acerbissimos dolores, vnde viget illius maxima fortitudo atque constantia ac robur, quo corpus aduersus cætera incommoda omnia regat ac

ac gubernet. Nam, de illo ſolum quereris poſtquam de animi languore plus ſatis dictum eſt, at querebatur Plato, nimis ſe frui bona valetudine, niſi enim ægro iā corpore animo valere non poteſt, ſed ſit, vt dixi, contemptus animi, quærantur ſolum corporis bona, quãtum tibi adimit podagra temporis? quantum te impedit à negotiis? certe ſi temperanter viuere velis parum aut nihil exigit: labores inanes & curas graues, vt ſi ſeruiendum ſit tumultuoſæ Reipub. ſi graui principi & moroſo, ſi imprudenti amico, vnde nam melius ſumitur excuſatio quam à podagra? habet podagroſus maximam temporis partem in ſua poteſtate, nulla honeſtior excuſatio laboris quam à podagra, & ſi res tua agitur deſeruit te dolor, dicis. Sed hæc mittamus & de morbo agamus: quis eſt qui ſi in podagram non incidat deteriore morbo non laboret? ſi oculo, qualis moleſtia? quale periculum? quantum impedimenti? ſi aures, periclitabis de vita, de auditu: ſi dente, nec dormire nec edere potes: ſi tuſſi, periclitaris de ſputo ſanguinis: ſi ſcabiæ fœdus es omnes conſuetudinem tuam fugiunt: ſi febre certas de vita: ſi coli vel ventriculi dolore, præter id quod moleſtiſſima ſunt, magno in diſcrimine verſaris, nephritis acerbiſſimos habet dolores, & periculum vitæ affert, regius morbus hydropem, hydrops mortem parit. Cordis palpitatio ſimilis eſt pœnæ infernorum, coxendicis dolor podagræ doloribus non minor eſt claudóſque reddit: comitialis ad ſingula momenta horrendus & non ſine vitæ diſcrimine: hernia nunquam ſanatur, nunquam fideliter intermittit. Quid eſt ergo qood optare poſſis magis quam podagram, ſi non ſperes te perpetuò futurum incolumem? quæ ſpes quam fallax ſit intelliges facile ſi ſingulorum vitam inquiras, qui vel quadrageſimum annum exceſſerint; quotus quiſque enim ſine labe deterrima eſt? ſed latent talia præter Medicos, ob id plurimi immunes à morbi labe populi iudicio ſunt, vere autem quam pauciſſimi. Itaque cum ea conditione nati ſumus vt aliquid pati neceſſe ſit, nec morborum vllus mundior, mitior, ſecurior, facilior, animæ vires adeò augeat, mores exornet, nullis commodis afficiat vitam aut dignitatem aut opes; propterea merito encomium illi diximus, debitaſque ei laudes tribuimus. Quod ſi quis maleuolus calumniator obiciat quorſum hæc? laudare rem fœdam, abominandam; morbumque diuturnum atque inſanabilem? idque non niſi oſtentandæ facundiæ vel ingenij factum patet: quandoquidem non res vna ſit podagra, nõ Dea, non naturale quidquam, ſed è genere læſionum, dolorum, moleſtiarum, defectuũ, is ſanè decipietur: quandoquidem licet accidens ſit ac priuatio quædam, nihilominus res eſt, non ſimplex defectio, quæ cum homini aduenerit ſcire præſtat bono potius fato quam malo aduentaſſe, optimumque eſſe in humanis hiſque nocere ſolent commodè vti ſcire, ſicut peſſimum his quæ bona ſunt abuti. Eſt ſignum, eſt cauſa bonorum multorum, atque ſi ab effectu & exitu res penſandæ ſunt, talis vt comparem in humanis non habeat. Nam præter reliqua quæ iam dicta ſunt quot caſibus illa nos violentis eximit? Noper apparuit in Andrea Dauria Genuenſis Cæſareæ claſſis præfecto, quem eum per proditionem Io. Aloiſius Fliſcus conuiuio exceptum occidere decreuiſſet, podagræ doloribus ſæuientibus ad conuiuium non acceſſit, inde imminentem cædem euaſit. Quotquot annis ſuperuixit, fuere autem circiter tredecim, beneficio podagræ debentur, tum geſta eo toto tempore. At quam multis aliis mortalibus ſalus fuit podagra, vt ſe ab inſidiis atque imminentibus periculis tuerentur. Quot venena, cædes, &, ſi nullum eſſet aliud malum, crapula, vitantur dum ad conuiuia non accedunt homines. Quin quot à malis nos illa auertit cædibus, iniuriis, inſidiis, adulteriis, non ſolum quo ea detenti impediamur: ſed quod ab huiuſmodi cum ſciamus perpetuo vigilandum & contentionibus incumbendum non audemus nos periculo committere, ſed quieſcimus, paremuſque ſolum neceſſitati ac rationi, non perturbationibus à quibus fallimur, cumque ſic nos auertat ac quaſi mala diſſuadeat non prohibeat, ſi neceſſitas incumbat, nec admodum reſiſtit, nec ſi vis ei inſeratur periculum affert, multi in incendiis diſtendi accerbiſſimus doloribus podagræ fuga tanquam ſani eſſent ſe proripuerunt, nec Dauriæ prope octogenario nocte ſub initio Ianuarij obfuit & equo fugam & celoce arripuiſſe; nec ſcio quenquam qui ob podagram ab hoſtibus oppreſſus, aut qui quod ſe è manibus eorum proripuerit incommodum paſſum. Itaque cum tam inſignibus dotibos, atque exemplis, præſertim huius marini regis encomio podagræ finem faciamus. Neque curemus quod ſubſtantia non ſit, nam ſubſtantiæ è diuinorum genere ſunt, vt in Hyperchen oſtendimus.

DIXI.

MNEMO

MNEMOSYNON.

CAPVT I.

De Ordine.

1. t.Phyſ.t. ORDO eſt plurium ioxta rationem diſpoſitio : quo nullum naturale vacat. Eſt enim bonum quoddam & in immobilibus, præcipuè vbi & quies. Neque nos de omnibus memorabiiibus tractare propoſuimus velut quæ in dies mutantut, vt nec de his quæ longa indigent inquiſitione : ad ptoprios enim pertinent libros, illa plerunque vilia; vt nec de his quæ ibi ſunt, aut alias tractata. Eſt autem ordo duplex rerum & cognitionis, hic quidem à facilioribus, ille à cauſis : vterque à ſimplicibus ac magis generalibus procedere debet : cum verò ad ordines otdine opus ſit, & rerum quidem natura conſtituit ordinem à perfectione & à cauſis alias intellectus. Commune omnibus hoc (analogum vocant) Prius atque poſterios. Vt ordo terum qui eſt medius inter res & conſiderationes ſit longè facilior quàm tractationis. Verum cum de illo plura quærantur inuentio, tractatio, vſus, inuentionem caſus aut neceſſitas præſtat, diſpoſitionẽ ratio & facilitas vſom finis, neque in huiuſmodi protſus cirenlum refugimus: qui fermè neceſſatius eſt, ob noſtri intellectus imbecillitatem. Alia eſt difficultas non minor quod ordine tradi debet ordinis doctrina, vt ſit antequam ſit: Verum forſan & ſi melius tradatur, ordine poterit tamen & abſque illo, & etiam alius eſt ordinis habitus quo intelligimus, quàm qoi per doctrinam acquiritur. Ergo ad imitationem rerum conſtitui intentionum cognitiones otdine debent vt ſemper meliora præcedant nobiliora perfecta, & quæ actu ſunt ea quæ contrario modo ſe habent. In conſtitutione verò (velut in ouis & pullis) materia præcedere debet velut cauſa effectũ, ab inperfectis ergo ad petfecta tranſimus & in his quæ ſimilia ſunt generationi. Vt inuentis & his quæ diſcuntur. Ergo tam multiplicem & difficilem laborem non minor vtilitas atque voluptas ſequitur. Siquidem primum quantum ordo vtilis ſit ad inuentionem docet Geometria. Quantum ad memoriam Oratores teſtantur commentitiis imaginibus: quantum delectet, Architectorum opera: Quantum ad artes, Agricultura, & maximè ad effectus naturæ iuuandos: vt multa paruo ſpatio contineantur, nautæ norunt, vt ad ciuiles adminiſtrationes multiplicatio ex vno principio in decem, qua ſit vt quod vnus imperat X. hominom eiuſdem regionis reſciſcant in vi. horis & perficere poſſint. Ad tractandas res, & ad ſecuritatem, hic lucrum illis temporis compendium quo nil melius, cuſtodes rerum domeſticarum & diſpenſatores domus. Iodicio eſt quod fures domeſtici ſolent ab initio otdinem in ſoppellectile confundere. Adiuuant vſum eius meditatio conſuetudo, exemplum aliorum tabula ficulnea. Vnde & ſæpius ante reſcribere & tabulam tabulæ & perpartes ſeu paulatim. Quantum verò poſſit ordo conſidera vel ex ceruicalibus duto & molli: intellige quatuor differentias non duas id eſt durum ſupra molle infra, vel vtrumque durum & reliqua.

Sed nihil mirabilius amplificatione aut vtilius: aſſumptis quotvis terminis totidem ab voo ſumes numeros in continua proportione dupla vt ſi ſint octo 128. ſi nouem 256. vt vltimum terminum: doplicabis & adempto vno relinquetur oumerus cõparationũ, vt in octo fiãt 255. io nouem 511. a.

Pro numero autem coniugationum. t. compoſitarum comparationum adime ſimplices termioos vt à 255. adime 8. & à 511. 9. habebis coniugationes ſcilicet octo terminorum 247. & nouem 502. Quid ſi velis correſpõdentes ſimplicibus, adime totidem velut rurſus octo & nouẽ & habebis 239. & 493. Rurſus ſi velis ſecundam coningationem compoſitarum vt in octo vel nouem binarij & ſenarij vel ſeptenarij & ita ternarij & quinarij vel ſenatij vel quaternarij & quaternatij aut quinarij. Primum diſcas progreſſum terminorum ducẽdo numerum propoſitom in dimidium eiuſdem vno addito ita numerus maximus. 7. erit 28. 8. 36. addendo enim 1. ad 7. fit 8. duc 4. dimidiũ 8. in 7. numerum propoſitum fit 28. Et tantus eſt numerus collectus ab vno ad ſeptem vt vides, & ita 36. eſt numerus collectus 8. vt in ſecunda tabella. In tertia autem eſt numerus arggregatorum ex collectis. Com ergo vis binarios in octo vel nouem terminis iam habueras aggregata 255. & 511. & numeros ſubtrahendos pro ſimplicibus terminis vel aggregatis ſuis vno minus & ſint duplum terminorum id eſt 16. detrahendum à 255. & 18. à 511. & relinquentur vt dixi 239. & 493. à quibus detrahe vnum pro aggregato coniunctia

1	1
2	2
3	4
4	8
5	16
6	32
7	64
8	128. 255
9	256. 511

7. 28. 8. 36. 9. 45

n.	p. o.	co. l. o. Ag.
1	1	1
2	3	4
3	6	10
4	10	20
5	15	35
6	21	56
7	28	84
8	36	120

36

238
119

28
56
35

119

Iunctis ſcilicet omnibus fient 238. numerus coniugationum 8.& 492. numerus 9. Pro binario ergo in 8.terminis cape proximo minorem, detracto enim vno ab octo relinqnũtur ſeptem; hic autem eſt 28. & tot erunt cõiugationes binariæ & totidem ſenariæ in octo terminis. Ternariæ aut & quinariæ habebuntur accepto 21 pro maximo numero & congregatis omnibus inferioribus collectis habebis enim 56. & pro quaternariis accipies proximo minorem in numeris collectis & eſt 15. cui iunge numeros inferiores habebis 35. iunge ſimul 28.& 56.& 35.habes 119. cuius duplum eſt numerus quæſitus. In nouem autem terminis cõſtituimus numerum vt dixi 492. cuius dimidium eſt 246. (Neque dedignabor ob tres cauſas hac in parte eſſe longior tum quia eſt fundamentum maximæ rei i. amplificationis, & eſt res admirabilis, tum quia difficillima ob tot implexus. Tum quia eſt initium doctrinæ; in qua debemus tanquam metra vti exquiſita declaratione) capiemus pro binario 36. numerum collectum vno minus numero terminorum pro binariis & ſeptenariis totidem. Et ita in numeris collectis pro ternariis à 28. proximè minore habebimus 84. & totidem pro ſenariis. Itidem pro quaternariis qui etiam ſeruiet quinariis capiemus à 21. infra & fient 56. numeri collecti & à 15. infra & habebimus 35.& ita à 10.infra 20. à 6. infra 10.à 3.infra 4. & 1. & colligemus numerum quaternarij 126.Et hoc volumus docere. Ergo in xxi.terminis fient iuxta hoc coniugationes ii. xvi. cli. Indicant autem ſic eſſe mathematicæ & præcipuè Geometria & Arithmetica, cum tam paucis, principiis atque ſuppoſitis tam multa & procul à primis intuitibus demonſtrant. Proximæ his etiam Naturalis Philoſophia & Diuina & reliquæ Mathematicarum & Moralis tum ex artibus Medicina, Agricultura & Nautica, necnon & Logica ipſa non minus.

492	
246	
36	21
84	15
126	10
	6
246	3
	1
	56
	35
	20
	10
	4
	1

Ex his cognitis generibus ſi volumus comparare ad ſpecies ſeu differentias, propriavè aut accidẽtia, conſurget multitudo incredibilis vnde oritur ſecunda regula comparatiuorũ quam more noſtro ſimul cum exemplo explicabimus; ſint igitur genera AB. quorum ſpecies CD. & EFG. accidentia HI. Et primum ſpecies ad proprium genus comparabuntur per id quod ineſt. Et ſi CD. ineſt A. A autem non ineſt B. neque CD inerit B. quare nec EFG. ſimiliter iuxta Galeni ſentẽtiam quæremus de eo quod eſt ſemper, vt multum & rarò, & hæc magis augent numerum non tamen multum niſi adeò iam magnus per ſe eſſet. Et ſimiliter cum ad contraria comparatur aut ſimilia omnia hæc augent numerum ſed tamen parum: velut ignis non poteſt eſſe frigidus nec non calidiſſimus: ſed ſi ſit refractus mutat calidiſſimum licet non frigidum: & ſimiliter ſi ſit miſtus, fiunt ergo plures poſitiones per additionem aſſumptorum: nec ſolum in generibus atque ſubſtantiis ſed accidentibus: Velut lepus in frigida regione eſt rubicũdior in frigidiſſima cãdidus: Equi in frigidis regionib. sũt robuſtiores, in frigidiſſimis exigui, & imbecilles; ſenes melius cõcoquunt hyeme, quã mediis tẽporibus, decrepiti cõtra. Tertia cũ aſſumpſerimus res contrarias primũ accipiemus numerum coniugationum vt ſimplicem velut in quatuor erunt xv. ex prima regula. At quia quælibet coniugatio bifida redditur ad ſingulos terminos: Et rurſus coniugationes per ſe excreſcunt per binarium oportebit inuenire genera comparationum: vtpote ſimplices quæ ſunt quatuor duplicabuntur; duplices quæ ſunt ſex quadruplicabuntur & fient xxiv. At triplices cum ſint quatuor & ipſe & debeant duci per numerum ordinis fient, qui eſt 8. fient xxxij. quadruplex vna quæ cum duci debeat per numerum ordinis, fient xvj. omnes igitur lxxx.

Quarta regula cum fuerint miſtæ primum inueniemus coniugationes proprias per regulam primam, inde in ſingulis quot ſint termini qui ſint alternantes & quot coniugationes, & ſi in vna coniugatione ſit vnus terminus qui habeat contrarium numerum coniugationum doplicabimus; ſi duo termini multiplicabimus per quatuor: ſi tres per octo per tertiam regulam: & ita habebimus numerum quæſitum. Exemplum ſint quinque termini & in his duo geminati vt homo, ſanitas aut morbus; Æthiops, calidum vel frigidum, ſenex: Erunt ergo per primam regulam omnium vna coniugatio ſingula quinq; quaternariæ, quinque binariæ & ternariæ decem ac decem: Declaratum enim eſt ibi quòd inuicem reſpondent & ſunt æquales. Quia ergo in ea quę omnes complectitur ſunt ſanitas aut morbus, calidum vel frigidum, ducemus per tertiam regulam, duo in duo fient quatuor, & iterum quatuor in vnam coniugationem fient quatuor coniugationes. In quinque ſimplicibus ſunt duo duplices termini, erunt ergo duæ & duæ coniugationes ſcilicet ſanũ aut ægrum, calidum vel frigidum quæ cum tribus reſiduis ſimplicibus efficient ſeptem. Et in correſpondente quæ quatuor amplectitur terminos tres ſunt geminatæ his & duæ ſemel: ducemus ergo tria in quatuor & fient xij. & duo in duo & fiunt quatuor, fient ergo ſimul iunctæ xvj. At in binaria fiunt ſolum tres termini non geminati, ſex geminati, & vna coniugatio quæ ambos terminos geminatos complectitur. Ideò ducemus eam per quatuor: ſex per duo & ita habebimus quatuor duodecim & tria quæ iuncta efficiunt xix. In ternaria vna tantum poteſt eſſe ſimplex: & tres binos geminatos comprehendentes, velut ſint a.b. ſanum vel ægrum calidum aut frigidum, erunt tantum tres coniugationes ternariæ abc.abd.abc. quas ducemus in quatuor fient xij. & ſex reſiduæ in quibus erit vnus ſolum duplicatus & ita ducemus ſex in duo, fient rurſus vij. iunge xx. & xij. & vnum ſimplicium iam commemoratum & fient xxv. iunge ſimul, habebis coniugationes lxxj. Et ſi omnes fuiſſent congeminati, fuiſſent ccxlij. & ſi ſimplices omnes 31. Obſeruare autẽ decet in his omnibus, quæ manifeſta ſunt & oſtendi poſſunt & quomodo

&

& quę minus:& quæ parum habent efficaciæ.

4 Quoniam verò non de viu sed ratione ordinis instituta tractatio est: ratio aurem duplex, vnavt primum per genera singula rem attingamus inde ad genera quæ sub illis posita sūt,& post ad species ac differentias propria & accidentia singula deueniamus. Alia vt genere vno assumpto transeamus ad species:inde ad vltimas & differentias & propria,ac ex hoc ad aliud genus similiter singula quæ sub illo continentur prosequentes,ideò meritn quæritur, quæoam harum sit proponenda. Et certè hæc magis vulgata est & dilucidior, & ad memoriæ commendandum vtilior. At illa altior atque sublimior quam Theodorus Gaza in sua Grāmarica quatuor libris expressit: ad Aristotelis imitationem. Et Galenus tenim in sua medica arte. Habet etiam naturæ imaginem totum experimentis quod partibus & ordine & nobilitate præstat, nisi si qua sit cuius gratia totum conditum videatur vt mens. Deinde quod repetitionem omnem effugiat quæ in alia tractatione nimis frequens est. Tertio quòd in cuiusque arbitrio est totam apprehēdere disciplinam,& paucissimis & non multis & multis,& perfectè. Enimverò mihi distinguendum videtur:nam primùm si qui ingenio præstant,& in contemplatiuis & in totius artis tractatione vtilior ac memoriæ aptior est primus modus, in contrariis secundus. Vnde Galenus has omnes ob causas præterque in libro Artis Medicæ; hoc ipso vsus est. In quo maximè obseruandum, vt nec in omnibus,nec nullis omnia de omnibus explicare velit, sed vt assumpto vno aut altero ex difficilioribus & magis accommodatis, exprimat Veneris Phidiæ imaginem vt non solum nihil desit, sed neque desiderari possit. Sic ampliter doctrinæ,& breuiter labori legentium consulet, & illorū memoriam exercebit:ac ad imitandum eos faciliore via adhortabitur. Ibi erit diuisio demonstratio singulorum, explicatæ formæ argumentandi inuersio, à contrario, vsum docere, quæ obiici posse sentit diluere; in ordinem redigere. Et in imitatione si vnum tantum sequaris videbunt: si plures confundes: si nullum contemnent. Propterea duos aut tres & præcipuos nec vno modo.

Om.	1	32	32
Sing.	5	2	10
Quat.	5	16	80
Bin.	10	4	40
Ter.	10	8	80
	31	71	242

In libris præcipuè de animalibus.

5 Porrò tribus præcipuè est opus, vnum vt præferatur quod breue est & dilucidum, facilè enim intelligitur, facilius memorię commendatur quod amplificationi maximè pateant iucunda grata, quòd absoluta, quòd difficilia & ad exercitationem placent & quia rara: Et ob artificium admiranda. Et si supersint commentariorum reliqua habebuntur: si exciderit nomen manente sententia mens tua superest. Quid refert non mutato te, tibi prænomen aliud impositum esse? secundum vt discendi inueniendique modus, tum tractandi ac docendi habeas. Quorum vnus est Dilemma cum ex contrariis contraria infers quæ sub vno genere tibi aduersante continentur. Vt si faues filio meo iniustam causam habenti mihi parum amicus es, si iustam asteris, impietatis me arguis & illum contra me irritas ideò multò minus amicè facis. Cum autem pertritis vteris aut disputando aut agendo, sed iis minima quasi diuidens aliquid maius præstare videris quam alij vt qui profitearis quantitatem affectus aut incumbentium scire: & hāc vocamus doctrinam crassam. Tertius est πάχος, similis doctrinæ crassæ. Verùm explicat & animaduertit genera operandi, in quo etiam ab illa differt quæ etiam in contemplatione versatur: vt loco contemplationis assumat genera non adeò animaduersa & occasiones doceat. Hic etiam nihil omittit necessariorum vel vtilium ad intentum, vt crassa doctrina plus complectitur quàm sit, vel necessarium vel vtile. Et doctrina crassa duplex est vera & fucata, vtraque etiam imperitorum aut impeditorum, πάχος autem excellentium virorum. Quartus est amplificatio quæ propriè transit ad connexa: Genus ex eo rursus ad species differentias propria accidentia inseparabilia & causas. Vt si dicamus gonorrhæa est defluxio inuoluntaria vtilis humidi amplificatio est. Et euidentior si dicamus ideò illi conueniunt auxilia ad fluxum mensium & sanguinis narium & epaticum. Quòd si distinquamus reliqua similia à fluxu seminis præcipuè si diligenter eruunt splendores. Hi enim incrementum præbent ex externis, velut simili ortu effectu fine concausa loco à contrario sympathia, antipathia ratiocinatione, diuisione, cōpositione. Velut vinum offendit ventriculum natura & cogendo cibum sitim excitando. Iuuat spiritus ad locum trahendo ac ad illorum generationem discutiendo illuuiem pristini cibi, somnum quoque prouocando & flatus soluendo: tempora occasiones consequentia electio etiam quantitas principium, superuenientia vt dolores *orina*, imbecillitas, tristitia, extenuatio. Tertius est tractationis modus: explicare sensum, verba in examen deducere & expendere, demonstrare, limare, amplificare à quo accepit, & qui rursus ab eo exponere: diuidere, componere ad opus deducere vtilitatem adiicere, obiecta diluere, disponere, in ordinem redigere, digredi quandoque epilogum conficere.

Reliquos modos & … cclxxxvi… vide in tabula libr. Topicor.

Exemplum quidam rogatus dum accedit matrem familias (cum ipsi negocium non leue esset) iubetur expectare: excipit ille libenter, venientem læto vultu affatur, gratulatur mulier: rectè consulit filio (nam medicus erat) hoc etiam gratius illi: at ipse cura non angitur: consuescit hæc mediocria non tam ferre quam iucundè traducere: multos ob id ad se trahit clientes: fama humanitatis spargitur, lucrum crescit: inde commodis vita longè producitur, filij erudiuntur: vides vt ex vno nouem alia ad felicitatem sequuntur. Aliud naturale: exercetur senex insuetus & incalescit: feruetque sanguis, accenditur ephemera: ex qua corpus habitu repletur: qui cum exire non possit præ multitudine humores putrefacit: ex quo defluxiones fiunt liquato sanguine: inflammatio: exhinc tertium febris genus: redundant fumi ad caput sitque dolor, & ex ambobus vigiliæ: & cadit appetitus cibi & sitis instat, vnde vires fiunt imbecilliores cum calor copiam tum exigeret cibi: itaque humores cordis corrumpuntur & moritur: ex vno duodecim. 6

Ergo

Ergo cum omnia ad nos referantur, & quæ non, perinde habeantur ac si non sint: cæterus tractatio auctanda est, vt nostri causa fines quærantur & modi: Necessarium, irreparabile, promptum, facilè, vtile, iucundum, & necessarium triplex coactum, vt à Principe: Per se vt subiectum, velut vita: Et sine quo fieri non potest. Vtile etiam multiplex magnitudine multitudine diuturnitate. Inueniuntur diuisione demonstratione, deffinitione finis securitas & magnitudo: in aliis per se vt necessitas, alij comparatiui habere aut repellere. Simpliciter etiam vt vita filij, mentis & corporis sanitas, honor & opes: vel cum vnum ad aliud comparatur. Simpliciter quidem vita ob id quod cætera facilius reparantur & filij ob perpetuitatem: si tamen vita honori comparetur, persæpè præferimus honorem: & maximè iuxta Poeticum illud,

——Pulchrumque mori succurrit in armis.

Habes capita horum septem cuius causa quæ inueniendi præsidia quid præferendum? comparatiuè in se, & vt comparantur. Hæc autem assequi paucorum est & expertorum ac diligentium insuper cuiusdam bonæ fortunæ.

8 Vsus autem duarum tabularum vtilis est. Conscripta alia tabula ex commento simplicium adiectorum Dioscoridi nominibus constans vt simul rem & locum haberemus. Sit (ex more) vt inuenire velim. Cerefolium & an sit Gingidium Dioscoridis. In illius tabula est ibi ibidem ante inuenio Salicam 159. Piper 170. quæ in secunda tabula ordine secundo (nam in primo sunt nomina nouorum) & inter illa præfero quæ sunt in capite paginæ vltimo vel propè finem inuenio Cerefolium & à leua Gingidium. Non me latet quod non multo labore poterat exarari tabula nouorum nominum ordine literarum respondentibus numeris ad capita iam proposita Dioscoridis.

9 In numerorum ordinibus vtpotè si sint quatuor constitutiones, & in singulis quatuor partes. Principia autem xvi. accipiemus quatuor res vt pote ABCD & loca totidem & non sint plures res nec plura loca & ponemus casu B, & B, incidisse in I, C in G, & A in E ideò semper assumemus A, pro prima constitutione, B, pro secunda, C Tertia, D quarta, comparabimus ergo dominum constitutionis & ordinem sequentem ad sua loca, fient ergo xvj. coniugationes vtpote A, in E, & B, in I, constituunt primam constitutionem & primum principium & pari ratione B, in I, & C in G. Primum principium secundæ constitutionis. Tertia autem constitutio est C, in G, & D, in I. Ergo postponit ex te qui est locus D, in I, tertium locũ vt sit principium in Tertio loco primæ coniugationis. Quarta constitutio D, in I, & A, in E, vt in tabula secunda. Igitur principium locus primus tertiæ coniugationis, & ita nouus in ordine omnium. Vetitum tamen est per somnium exemplo duorum qui obiisse videbantur, vt de nulla re magni momenti quærerem quæ esset vltra meam meorúmque incolumitatem.

Communis.

1. Quæ de ente & vniuerso.

Mathematica.

2. Geometria.
3. Arithmetica.

Naturales.

4. De Corpore.
5. De Simplicibus.
6. De Mistione.
7. De Mistis.
8. De Animatis.

Mista ex Mathematicis, & Naturalibus.

9. Ponderum.
10. Hydrologia.
11. Geographia.
12.
13. Optica.
14. Pyrotechna.
15. Astronomia.
16. Musica.

Morales.

17. Ethica.
18. Oeconomica.
19. Politica.

Mista ex naturalibus & arte.

20. Medicina.
21. Agricultura.
22. Nautica.
23. Architectura.
24. Magia artificiosa.
25. Magia naturalis.

In Probabili Genere.

26. Astrologia.
27. Physionomia.

Diuina.

28. De Incorporeis.

De Ente secundo.

29. Dialectica.
30. Rhetorica.
31. Grammatica.

Modi ergo procedendi sunt quoniam genera, species, differentiæ, propria inesse vel non. Accidentium cum substantiis aliqua sic, aliqua imò pleraque non inter se autem eodem modo. Quæstiones difficiles & dubias ad propria relegare. Velut an vllum accidens perpetuum? nam quantitas in cœlo eiusmodi est. In causis autem Sympathia, Antipathia neutrum, comparatio eiusdem ad substantiam & qualitatem: ouis & candor cubitalis. Proprietates occultæ & instrumenta vt calidum. Generalia Circuitus rerum, occasiones: præcipuè in agendis, & Artibus, intelliguntur & incorporea. Sunt præter hæc noua argumentandi genera, nouáque principia, velut apud Archimedem & Pergæum: & in probabili & contentioso genere: Velut an fi-

lix floreat ? Et valde vtile in artibus filix, aperit obstructiones & est è genere filiculæ quæ euacuat melancholiam, ideo à melancholia factas. Item transmutatio reciproca ex speciebus ad genera inde ad reditus : ad contraria ad simplicia : & quod deficit in ar-
11 te, addas in meditatione.

Exemplum locuplex Diuinatio an vtilis?ad prouidentiam conducit hoc scire : Ad Normam, nam ab ea inchoandum. Ad cautiones, ne vel decipiaris, aut salutare auxilium negligas. Rursus diuiditur per genera & modos. Necessarium simpliciter vt mori oportere : ex suppositione, vt ex morbo lethali laborando, Numerale, vt in mille ictibus mille alearum, Probabile, verisimile, fortuitum : Hæc omnia ad vnum etiam verum vera ? Atque in his ordo vt dixi cui debebatur ? eiusmodi argumenti composita alia velut in graui lite eum iudice iracundo parum amico & qui te contra amicum coram Principe adulatores impellere volunt, laudando enim te in re contraria ei quam amicus tuus peragit adulatori assentiris, illum damnas, si contradicas damnas tuum adularorem ? talia sub quo collocanda sunt genere ? In primo exemplo sunt Qualitates, scilicet iracundus, parum amicus : subiecta res, lis potens ad personam ? lis ad introductionem, in negociis, ad normam & cautiones pertinet. Persona licet potens non tamen præpotens vt Princeps. Qualitates moderantur iudicis conuersationem aut mutandam docent quia duæ sunt vt prior nisi qui venale ius habet inueniri non queat. Et in lite ergo quoniam persona non obtinet, cautio ad tractationem, norma ad genus rei : introductio pertinet ad adhærentia in quibus est persona, transferemus ad introductionem animaduertentes quod plus potens vt Princeps quod multis modis conuenit vt introductio quod ad substantiam: in quo versatur articulus (vt dicunt) velut in extremo vel contra vim aut in iudice venali cautio, vel quod sæpius repetitur. Hæc autem in quærendo vnde auxilium sumendum sit : in dispositione autem omittitur repetitio & in quo versatur articulus, non enim de his capita nisi per exceptionem sunt instituta. Et in secunda eliges sermonem adulatorium, nam adulatio genus est : Species contra amicum Principe coram, vt te captet. Genus enim eligere debemus quod plures contineat species, cum verò de genere ad species, genus quod sub se pauciores continet species & ita in disponendo obseruabimus.

Aliud, quidam ad te venit, velut mihi sæpè contigit ignotus sed fama nominis tui se ferens accensum & sermone familiari quasi interloquendum de casu tuo te interroget, & specie miserationis damnat hæc tempora. Quæritur meritò quid agendum ? & vt hoc scias, sub quo capite sit collocandus ? patet enim interrogationem pertinere ad caput de suppositis, de ignotis quandoquidem ignores vnde ille sit, & ad caput de sermone quotidiano : nam talis esso videtur. Ad regulas etiam generales. An ergo in omnibus ? vt fiat tractatio non solum huic memoriali sed vel etiam proluxo libro incongrua, & repetitio inanis. An in nullis ? Quid ergo proderit ? hæc obseruabimus. Quod maius periculum affert, id est ne quid contra superiores loquantur, quanto minus vbi læsa est existimatio nostra. At quid agendum ergo ? rustico more ablegandus ? non sed tu interroga qui sit, cur venerit, quo tendat ? an quicquam de eo negocio ad illum pertineat ? Igitur hoc primum erit. Secundum ab eo deducitur quod generale est (illa enim præcepta sunt obseruanda) de tuis rebus cum nemine miscendi sermones, quando minus cum incognitis, & de rebus periculosis. Tertium ab alia generali, quòd neminem rusticè ablegare debemus, sed vel excusatione præposita, aut illius explorare consilium, profuit hoc pluribus : Cogitandum est etiam de duplici vsu præceptorum, vt ad te ad illum. Vnum enim licet cogitare aliud dicere. Tertium est, sub quo titulo habendus est, qui tam multipliciter peccat. Ergo sub magis periculoso & est de Principibus & magis proprio, & est ignotus idque generalius. Tertiò de maiore errore & est tractare de tua existimatione propter propositum. In sermone ergo quotidiano non collocabitur, cui tot sunt propria. Ea verò ante vt vnum alteri succedat loco, non vt includatur ne frustra fiat repetitio. Hæc igitur memorialis constituendi ratio.

Est igitur ordo loci, seu præferendorum 12
de quo hic non est sermo, collocandorum ad intelligentiam, ad memoriam ad agenda, & ad custodiam, velut in suppellectile. In his ad tria respicere oportet, necessitatem, securitatem, decorem, vtilitas partes compendium temporis, facilitas assequendi finem & perfectio, ideò non conturbari hac in causa optimum est, ad hoc facit docilitas ministrorum & præmeditari benè agenda, vt rectius collocentur. Aliquando etiam conuenit pluribus actionibus & longiori tempore breuiorem reddere principalem, vt legendo bis tervè literas malè scriptas ac alij legendas si licet promittere, aut domino aut amico rursus perlegas.

Nulla clauis furto exposita vna clauis, & ar- 13
tificiosa vtpotè obliqua & cruciata dominum efficit seruum & nihil habet tutum cùm alteri dederit & cõuenire paruis arcis non potest ac simul tuta esse pro ostiis. Permutare ordinem stultum, nam obliuiscimus & maiora affert incommoda, neque enim est vt putas quod tam facile sit aliis subripere quam tibi inuenire. Relinquitur vt preciosa sub duabus clauibus contineantur, vna artificiosa & valida, alia tenuiore. Quia verò rerum domesticarum minus prætiosarum aliæ quotidiani vsus vt panis : aliæ ad breue tempus vt mappæ, aliæ quibus rarior est vsus veluti infundibulum. Ergo prætiosa omnia sub vna claue continentur vt dictum est, quam nobiscum deferre, nec dare nisi fido ministro debemus, quæ mediocris precij vna itidem claue concludi quàm arcis pluribus satisfaciat illa arcula cũcludi sed duplicata ne pereat, vicissim sede permutata vt in arca AB. clauis in BA. Quarum vsus est quotidianus seu sit cereale seu vinum sub iisdem A B clauibus : si iidem sint ministri aliter diuisæ pro illorum numero.

ro. Appell. diuisos ministros qui addicti sunt propriè vni negocio : velut penu vinariæ, aut accipanariæ vt in domibus diuitum mos est & scias quod claues masculæ tenacula foris plerunque aperiri possint.

14 Fit etiam mistio & coitio in vnum duorum seu trium aut plurium in vnum alterius generis maximè per dictionem & hoc etiam multifariam vel propter obscuritatem vel artificium mirabile seu ad prouidentiam vel ad rem, & est finis vt habitatio, cautio in dicendo. Aut quòd ex æquo ad duo pertineat : vt si intimus potenti tuam interuerterit pecuniam & dominum alloquaris habenda est ratio quia potens & recuperandi pecuniam : Erunt ergo duo modi simplices : & ambo bimembres vt misti sint quatuor : Exemplum primi Coru. idest, concordia, opes, Religio, virtus Patriam bonam & securam reddunt, hæc igitur ne corrumpantur cauendum est. Secundi cum dixerit Dominus pro suo, dedit, numerauit, deposuit, non potuit. i. Iure non debuit. Dices scio omnia vel nimis scio, nec vlterius procedes. Idest scio quòd stultè fecit, vel quomodo : vel te mentiri, vterque modus amphibologicus obscurus & ad plura capita pertinet. Noli obscuritati adeò studere quandoquidem tempus plura per se obliteret, nisi in re periculosa, & quæ eo modo, vt sub regula generali contineatur.

15 Quæ adimere (cum ars constet in duobus vt locus verborum claritatem augeat & significata expleat) præstet. Sunt primum aliena à subiecto imò omnium quæ à demonstratis non pendent, & quæ pendent, hæc vt superflua illá vt incerta & ad locum non pertinentia dubia in demonstratiuo genere, falsa in probabili. At dices nihil addendum ergo in Apodixi? Imò multa vt cum addimus Ciuertam de qua dubium est an sit, & an hiæna. Aut quod non est statim conspicuum ex demonstratis : vt quæ à decimo libro supra in Euclide. Aut si alia Principia supponere oportet. Vt in vniuersum ad tria sunt reducenda genera. Principia subiecta & quæ non ex verbis ipsis deprehenduntur. Incredibile enim est quantum ex his adiiciatur. Quartum est ex situ vt dixi & lima verborum. Totidem ergo auferenda, nam vt antea diximus quæ oblata augent significatum & orationis splendorem. Exemplum proprium habes in quarto Commentario in librum de acutis morbis.

16 *lectione 10. super Tex. 28.* Eruendorum ratio est, vt cum quæritur an intestina vim habeant attrahendi aut retinendi ? in qua Galenum in contradictionem adducunt. Perspicuum enim est eas habere quæ sunt temperamenti, & ad propria non illas quæ sunt iuxta formationem & villos: & sunt instrumenta & comparatione contentorum in cauitate.

17 Exemplum appositum ex ordine augendi pecunias ex suo periculo, & absque flagitio : Deposita summa apud secunum trapezitam cui in præsidia ampla, ipse parcus, exige syngrapham huiusmodi sub priore qua debi-
,, tam fatetur: Ego Præn. & N. contentus sum
,, commutare prædictos. N. aureos coronatos

per nundinas, Bisantinas nomine ipsius (scilicet creditoris) Præn. & N. sub nomine nostro : separatim Præn. N. vtili & damno supradicti Præn. & creditoris. Insuper volumus esse obligati pro debitoribus quibus crediturі sumus pecunias cum pensione consueta (quæ solet esse ab $\frac{1}{3}$ ad $\frac{1}{5}$ pro centum) & dare ei (bonum computum) id est reddere rationem vt ei libuerit : & restituere ei pecunias vt supra dictum est. Opus est probo viro, & vt tu ab aliis monearis.

Sæpe ego visus sum perfecisse hunc librum, cum adhuc procul essem à fine, causa fuit quoniam vsus præcedit scientiam, nam vsus effectus rationem habet, scientia causæ, effectus autem est notior nobis quàm causa, præcipuè in ciuilibus & artibus de quibus est hic liber, & vsum docent sensus si quid deest in scientia intellectus, in vsu etiam non conquiescit animus donec peruenerit ad finem, in scientia sunt multa diuerticula, in quibus anima digreditur & conquiescit, vsus etiam est multorum qui vrgent, scientia paucorum, vnde celerius properat ad finem, quàm scientia : vsus etiam demonstratione non indiget. In vniuersum plus vsui occasio est, & modus quàm res ipsæ. 18

Propositis duobus punctis ad rectum substitues à dextra post duos primos à sinistra in dextram vsque ad nouem inde extremis sex aliis ad quindecim, vsque & duobus inferioribus sex alios vt sint triginta & vnus, Positis autem transuersis à sinistra in dextram octoginta, centum sexaginta, trecenti viginti, quincenti quadraginta : Demum à dextra in sinistram mille ducenti, bis mille quadringenti, quater mille octoginti, x M. cum tribus duntaxat punctis. Quòd si velis maiores numeros repræsentare, puncto exorerico omnia traduces ad millena, si aliud addideris ad millies mille millia. Vt sint x M. 19

CAPVT II.

Principia, Axiomata, Regulæ generales, Supposita.

IN omni humano negotio, maximè autem actionum ac consilij, quanquam multum possint meditatio, ratio, consilium multo plus tamen valet exercitatio ipsa : vt quanto magis sapientia augetur tanto subtilior reddita, eo magis experientiam firmiorem ac circunspectantem instrumentaque ad opera apta & agilia exposcat. Vsus autem multa docet: additque facilitatem, promptitudinem, decorem, iucunditatem. 2

Plurimumque prodest in plerisque opificiis & artibus tum rationibus quæ id admittunt, obseruare musicam proportionem: tum quòd in ea aliquid esse videtur humano generi accommodatum, quod ex aurium indoctarum etiam voluptate percipitur: tum quia vniuersi ordo eius particeps esse videtur & extrema illa coniungat: nam licet vnius addi- 4

tione perpetua ex septem, procedamus ad tredecim. Quid tamen tredecim, cum septem familiare aut simile, at si capiamus sex, quatuor, tres, aut sex, tres, duo, & eis superiungamus duodecim, & octodecim, constabit ratio multiplicis atque iucunditatis quamvis diuersa proportione, & ordine permutato. Ita si ad sex, quatuor, & tres, adiunxero, nouem, & duodecim, sed hoc etiam ad memoriam factorum, faciendorúmque stabilem quendam normam conducit. Quocirca ego postque huc animaduerti, quantum potui medicamenta omnia composita ad illam traduxi: visúmque est vtiliora effecisse: certè ad facilitatem & ordinem atque elegantiam non parum contulit, licet enim (& obstruo) ordine iam primo constituto sex, quatuor, tres, sobiicere duos, & vnum, vel vnum, & vnum, vt redeant ad duodecim, octo, sex, quatuor, tres, vel duodecim, octo, sex, tres, duos. Et ita in alia sex, tres, duos, excurrendo in primo & ÷ ÷ vel 1. ÷ & ∴. fient enim viginti quatuor, duodecim, octo, quatuor, tres, vel octodecim, nouem, sex, quatuor, duo. Forsan obiicies hæc aliena esse à Peripatetica grauitate: Sed prima authoritas inuentis accessit ex qualiounque rudi etiam ratione fateor meliorem esse ex subtili si modo & inprimas partes experientiæ tribuas. At dictorum quædam solidæ sunt disciplinæ, multaplusquam probabilia.

3 Verum est aliud quoddam minus celebre, minorísque longè subtilitatis, sed vtilius multo quod malè intellectum ab aliis nobis magno vsui fuit & ast. Scilicet vt cum homines vt dixi præsentia solum non tantum magnifaciant sed curent, in illis effusi prodigi atque inconsulti suot in aliis improuidi ac negligentes; quo nos obseruato duplici emolumento afficimur, vt contra, illi maximis detrimentis atque etiam occasionibus destituti: scilicet vt paululum præsentiom profusionem differamus, & futurorum maximè propinquiorum expectationi, quam constat certam futuram modo periculum nullum aliud sit, quam in tempore consulamus, ita quasi neglecta paruo obtinere licebit illa alia etiam minori precio consequemur. Non negarim tamen plus aliquanto præsentibus tribuendum, sed non tantum. Inde constat vnde gloriæ & futurorum ac virtutis contemptus; nullum enim horum præsens, nam virtutis quod est præsens, illi non percipiunt, honos autem quam qui ex opibus posterior est.

4 Ira pessimum vitium adimit consilium & sanationi suæ obstat. Deterior etiam Auaritia, Superbia, Ignauia, Gula atque libidine, quòd malè facere studeat. Duplex etiam cum sit, quæ in affectu est saluti propriæ & animo (tum enim magnos admittunt errores discruciantur) & corpori languorem & sæpe mortem vt in senibus affert. Si ergo eadem & melius absque ea facere potes cur pateris? In effectu vitio vocatur qui sæpe maxima attulit pericula, licet non semper exitium. Tres libros contra illam Seneca scripsit, nec tantum persuasit, quantum hoc vno argumento conuincitur: Deus permittit impios viuere grauius peccantes, quos vlcisci facilius honestius, & tuto posset cur ergo tantopere festinus tu vindicare nisi illo te sapientiorem existimas? At Deo ab illis nullum imminet periculum: ego volo securus viuere? Neque hoc ad iram, solum caue ne periculum augeas.

Materia repugnat quantum potest primæ causæ & æternitati nulla contenta forma ideo non paritur quicquam immortale nec aliquid quod ad æternitatem tendat inimica virtuti, & gloriæ gignit sol fauens causæ diuinæ tot insecta (quasi in opprobrium illius: quia insidiatur rebus egregiis, breuis vitæ, fœda turpia imperfecta. Vi autem magna & auxilio seminis præstantia vt *hominem*, atque elephantem, & aurum ac gemmas. Cur autem Deus voluerit hanc imperfectionem cum possit omnia? est valde obscurum, ipsa tamen perpetuò insidiatur nobis, & cuique præclaræ res, & corpora hæc sublunaria media inter Lunam & accidentia: Luna verò inter cætera cælestia, & mortalia corpora autem cælestia inter incorporea, & Lunam. Incorporea verò inter Deum benedictum & corpora cælestia, vt sint septem ordines saltem. Habet autem priuationem per quam redditur insatiabilis. Et ideò vbi prædominatur, sunt insatiabiles & tristes viuunt. Et ex his etiam cognoscuntur. Prompta est ad generationem, & corruptionem, & in hoc semper laborat. Ideò nulla eiusmodi est in cœlo. 5

Præponenda sunt in agendis ipsum non agere: minor, & rarior error, obseruanda occasio: tempus interim consiliom præbet: & sæpè easus occasionem ostendit. Personæ ratio habenda est, nec obliuiscendum res humanas non sit ad viuum resecandas, vt vtilia omnia colligere velis inutilium, nihil retinere. Primum quod nihil purum in humanis: secundum quod natura aut vtitur vt in fœtu excrementis vtiliter: aut *creat*, etiam vt in arboribus folia: Tertium quòd nostra sapientia, vbi ad culmen peruenerit, vmbratilis redditur vt cum excesserint mediocriobus in opere aut gloriæ. An quod artiom certus sit finis sapientiæ nullus? Vel quod artium tractatio sub sensibus, posita sit, scientiarum in intellecto: vel quod cognitio artium totius sit hominis, disciplinarum mentis soluis? Vel quod disciplinæ longiores, & ideo antequam homo eas adipiscatur senescit: euanescentibus autem vitibus etiam qui ab illis administrantur decidunt. An quod de intellectis sapientes, iudicant, qui valde pauci sunt: de artibus populus? vel quòd omnia in nobis ad æqualitatem certa ratione hominum conditionem retrahant? vel quoniam à Diuinis natura nostra percellatur? Vbi ob multitudinem,, rerum, ac magnitudinem retardemur: tum quia alterius 6

fiue

ſint generis ? vel quòd ſapientes dum magis cognoſcunt, etiam timeant: & ad obeunda munia reddantur. cunctatiores. Aut quòd proprium ſit humanæ imbecillitatis ſignum repleri paucis & fieri inutiles ? Demum quòd creſcat amor diſcendi creſcente ſcientia: vt qui iam diu deberent alios docere cupiant potius doceri ? vtcumque ſit talis videtur exceſſus ſapientum maximè in decrepitis: qui tamen cum coniungitur incorporeorum ordini euadit ſolidus & ſtabilior priore ſed exilior. Res vtcumque mortales exiguo diſtant interuallo, fallit motus & opinio vulgi ac obliuio temporum non præſentium. Doceat te ordo rerum villa oppidum, vrbs Metropolis, rex Monarcha: modo virtus, & robur, & fortuna adſint vt Tamberlano parum ante ætatem noſtram. Sed vide modo quid ſuperſit ex tanto regno tam magnis exercitibus & ſupra fidem factis?

7 Fac vt adeptio deſiderium ſuperet: Res deſiderium: fuge ignauiam: in bona ſpe ſed non definita viue; cum ſtultis & coniunctis negotiari grauius eſt. Illis nil placet, his plus quam conueniat: Diſpone quæ habes bene, quæ non habes non recordaberis. In potentibus mala inſpice, in egenis bona. Tria ſunt bonorum emolumenta vmbra filij, ſomnium Monumenta, ſomnium vmbræ gloria nominis. Contemptores tui vel inimicos aut prorſus ignauos improbos & importunos nequaquam admiſeris vel ad ſermonem, neque enim quicquam prodeſſe poterunt, etiam ſi viderentur quod rariſſimè contingit, aliqua in re vtiles futuri.

8 Res de quibus agit hic liber ſunt deliberationi principaliter ſubiectæ, eædem igitur erunt conſultationi opportunæ ideoque in noſtra poteſtate & alicuius momenti & vtiles aut quoquomodo neceſſariæ. Status autem hominum alij liberi alij non, liberi dicuntur qui nec ægro ſunt corpore, nec extra ordinem parere alicui tenentur, nec in carcere, & ſufficientem victum habent. Ægro non eſſe corpore dicimus eos ſolum, qui per munia conſueta & aliquanto etiam grauiora aut proxima genere illis prorſus non cogitant nec cogitare coguntur. Conſueta bifariam munera dico quæ ab hominibus generaliter aut quotidie aut per interualla ſæpe exercentur, aut illis velut vitreorum vaſorum opifices. Vnde ſenex nullus liber fermè eſt: decrepitus certè, nec magiſtratui aut muneri ſtipendiario niſi alterum ſufficere liceat, neque etiam is niſi quovis tempore: nam dum valere etiam videtur cuſtodia illi opus eſt. Sunt & medij quidam ſtatus in malè conſtituta Vrbe, vel familia ſi degas. Vel lite de magna re detentus. Nemo enim liber non eſſe dicitur qui de re ſolicitus eſt, qua amiſſa beatitudine conſueta non priuatur.

9 Vita ergo humana ſymbolica. Qui non intelligit non eſt homo, conſuetudine, fama & appetitu cuncta reguntur: ſed metus tyrannus eſt. Ex his qui Pragmaticam nouerunt ſolus Theramenes petiit, contraria autem in benefactores gratus: in diſceptando rationalis, in agendis ordinatus. Aggredere quæ poſſis obtinere, retinere fruique. Quantum differs à boue qui ad macellum ducitur ? aliquanto ſerius: ſed ille ſolo ſenſu tum infœlix, homo innumerabilibus. Quot modi errandi ? conditio ſola ſufficit: ſexus totus: Ætatum duo trientes: a fortuna reliquorum dextans forſan deunx: morboſi timidi omnes imperiti plerique ſerui etiam. Diuites auari non vtuntur, liberales ſunt miniſtri ægregium decus, felicitatis mundities. Quid demum inter tot forſan, & vtinam ? Quicquid melius eſt pretium laboris abſtinentiæ & patientiæ. Vtilius autem ſcire mala quàm bona: ſunt enim plura potentioraque. Et errores quoniam in his viuimus, ſenſibus ſermone aliorum iudicio: magis quàm ratione re noſtra. Solus viuere non potes, ſi das? non habes ſi ſpe alis? torqueris ſi relinquis? hoſti, ſi laboras ſeruus es. Si ocioſus odioſus. Qui non dat nec auferat hominum rerum ſcire res. Eligere mentem hominum & perſuadere. Vel multa ſcire; plurimum poſſe, minimum cupere. De tyrannis ſermo habendus non eſt: De Principibus caueas. Pragmatica iuſtum definitur legibus recte: Sed quæ leges ? Qui poſſunt. At non ſed optimi, ſub hoc omnia continentur, & de eo ſolo lis eſt, & internecina.

Cum petunt præcario operam tuam domini, te indigente, dicas & mirari quod præſtiteris: ſolum Deum tibi auxiliari. Sordere opus eſſe lauacro etiam ſi ſubleuauerint. Deum veriſimile eſt ex voluntate conſtanti iudicare quæ ſic nouit. Tu verò bonos & deſcendentes & benefactores & addictos & coniunctos Dei ſeruos eſſe velis: vt acceſſos qui mali eſſe volunt. Diſcerne inter neceſſarium valde commodum, commodum vtile: Quid opinatio, quantum opinio addat ? cohærentia & multa auerſaberis, plura contemnes, plurima negliges. Inſpice perſonas, formam, occaſionem, tempus, ſpes, & metus; mores. Olim non poteram edere. An non aliquando deſitura ? Deus nouit quid futurum ? *Quid manet præter purum nomen ? Aut ſi mens & incorrupta nil periit ? an tu non idem es mutata veſte ? ſi corrupta tua non eſt; quid ſolicitus es de tam paucis dubiis amiſſurus certò omnia ?* An non illis, non, tuo bono ? Qui cuncta curat, cuncta negligit. Minimam partem retine: ex ea pauculos typos declara & exorna. Tota vita ſingulis in hoc ducenda eſt, ſermo ergo medius ſit inter ea quæ ſunt ac videntur ad tuos. 10

Qui alienis non ſufficit, dum tua texere cupit laborat, inuidetur. Quod iuuare non poteſt omittas, labes magna? nulla, ſubiecta homo, res, aut coniectura, ſi non nota occaſio, comparatio, in his quantitatem diuiſionem, collectionem, tempus, inſtans, proferre: reparabile irreparabile, neceſſarium ad commoda decurſve, qualitatem perſonarum negociorum durum, molle, delibratum, humanum. Singula autem potius diurna cogitatione indigent quamque regulis cum innumeræ futuræ ſint comparatio longè difficilior. Dolores & mutationes ad alios pertinentes eadem regula tractantur, aut tam validi vt ſtatim tranſeant, aut adeò ſenſim vt non ſen- 11

tiantur. Si qua tamen expetas auxilia: Non sentire: Mutare (hoc difficilius) ratione & consuetudine pugnare ob tot pericula, difficultates & assiduam curam, Stoici omnia ad virtutis cultum deduxere, consilio aut vero, aut saltem omnibus generaliter vtiliore. Quòd si ea fuerit præclara, ac locus bonus sufficit: in aliis bono iudicio, & mediocri fortuna, aut bona fortuna & mediocri iudicio opus est. Quæ sunt à consuetudine aliena non tange, aut ad vltimum principium perueni, aliter te & alios confundes.

12 Memineris quod in omnibus humanis negociationibus, ni admodum sint dolosæ, aut atroces, sermo & actiones (sed longè minus) esse debent, & fermè sunt mistæ ex pura rerum veritate, & eo quod consuetum est hominibus. Philosophicus sermo quandoque totum excludit, estque difficilis & pro stulto habetur. Hominum autem & præcipuè imperitorum non rarò ex sola consuetudine constat, nec irridetur.

13 Quicunque autem sunt quos mala delectent (eo vsque enim progreditur humana cupiditas) si sint velut sal modicè degustata voluptatem adaugent aut exornant secus non admittenda, extra turpia periculosa temeraria, demùm impia & stulta prorsus.

14 Hoc age, ne agas. Quanto pauciora tanto plura, hoc sæpius dictum connexum est. Aliud enim perfectum aliud imperfectum quod ob breuitatem plures habet sensus, & ob id, & ob imperfectos. Amphibologium etiam est. Melius est etiam duas res bonas omittere, quàm vnam malam facere compendium magnum vitæ. Furor fit læsa sæpius patientia, iactandum suis, reminiscendum in aliis. Gaude quia lata vndique patet via lætitiæ & exultationis. Si non aliud esset in D. vt audeam dicere nil miserum esse sine stultitia modo aliquam cognitionem gratiæ. Quid ergo putant, aut non aliud esse? aut non coniunctum? aut non regi? aut sine compensatione aut æterna lege, quod optimum est. Ita ob falsum apertè bonum, aut periclitantur in verisimili. Sic proponunt multitudinem vt vnum: vnum vt nihil, atque ita opinantur non solum & viuunt, sed gloriosum sibi esse ducunt.

15 *Cap. 18. sect. 1.* Inter principia vt etiam aliàs diximus & prima debet numerari patria in qua contineri debent duo semper: optimarum legum & consuetudinum cultus. Quædam enim consueta adeò grauia & molesta sunt etiam in iustissima Republica vitam ducere pigeat, alterum aër salubris. Secundum ager fœcundus, neque enim & si miserum hominem non facit in apice montium habitare, suaserim si mitiore loco esse possis propter fortunæ casus degere, vbi semper timeas, non rarò vltra metam laborare cogaris. Sed tamen haud consulo vt peritus panificij triticum pro secala, aut castaneis, vel vinum pro Zetho: vel poma pro rapis: aut atria pro tuguriis & villarum culminibus requiras.

16 Compago, dissolutio, confusio: in concordia discordia, in discordia concordia. Pellere, cedere, generare, genita destruere. Vita & mors cohærentia: sensus, ratio, perturbatio, spes, metus, tristitia, lætitia: Regnat puer præsens, senex præteritum, & diuinum futurum negligitur: Et tamen in vtroque bonum mille præsentia continentur ob multas caussas, adeò vt nec vita longa sit præcipua. Malefacere & peius dicere: nil periculosius bonis verbis: vt cum speres, tum maximè timendum: atque omnia perpetuò & in perpetuum: angi aut vexare: nil stabile: nil syncerum. Et cum decipias velut senex, decipi vt infans. Regnant leges, pacta, consuetudines, mores, admiratio, dolus. Arma postmodum omnia subuertunt & opprimunt. Species recti & opiniones: Temulentia, furor, amor, insania, desiderium infinitum. Vires languidissimæ, vita breuissima. Subrepit Philosophia contentiosa quam solam affirmant certissimam: vide quid de aliis sperandum sit. Rhetorica malefica, Venefici Medici, Poësis stulta. Fœmineus vlulatus, puerorum ploratus Barbarici strepitus inconditi. Hic est humanis orbis. *Vide cap. sect. 4.*

Diuidere in partes in tempora, loca, sensus, colligere, Medium inuenire. Semper tamen meminisse conditionis tuæ. Quid debeas: & Principalis. Transfer ex simili, ostende similiũ differentia modo hoc, modo illud attinge. Ne quid nimis, noli malo exẽplo esse. Per generalia si ordinatim verseris, si nõ a principio magna pollicearis, tutius relinques & honestius vagaberis. Et hæc tractatin negociorum communis, aut ei similis. Ignoscendum est autem erroribus receptis velut illi præcipuè quòd homines caistimant se scire: Et multò plus credi quòd sciant. Non tamen prætereundum, multò minus assentiendum, sed neque docendi aut reprehendendi. Propter hæc iuxta consuetudinem eorum ingenium, amorem, veritatis mores, felicitatem, amicitiam, & precipuè quantum proficere posse speres ea scripsi. Et vt multa cum hoc totu existimes relicta proprie dum in singulis experiris, quæ sciri nec a te credas. Vt in eiusmodi hoc sit vltimum scire, te solum quæ sint cum oblata fuerint. 17 *Vide sup. c. 2. sect. 1. & infra cap. 13. sect. 1.* *Idest in initio huius dicendere.*

Quatuor sunt magna. Rectum & est vir importunus: nam hic solus tollit auxilia omnium malorum: obliquum & est quo omnia sperari queunt, cum inter coniuncta etiam permeet & ante iuuisse persuadeat quàm læsum te sentias: & Palumbus qui alit cuculum in perniciem suæ prolis. Ita potentes euertunt præstantes viros, & volunt à perditis euehi in aduersis. Quartum vt tribus tyrannis cuncta subiiciantur auaritiæ, ambitioni, incontinentiæ: Quos iracundia tuetur. 18

Qui laborat inuidia aut grauibus inimicitiis, occulte aut sub contrarij specie cuncta peragat. Maximè cum imbecillis fuerit ob ætatem inquilinus, aut ob inopiam aut pressus publica authoritate. Qui parum fortunati artis excellenti excellentia certent, aut saltem de puro iure. 19 *Ex Clinia Pythag.*

Breuitatis sermonis vtilitas temporis compendium: Rerum comprehensarum multitudo: quod enim additur in verbis sensum coarctat facilitas ad intelligendum obscura & sensa: vitata confusio: & suspicio captandi hominem: nec in primis membris propositorum sed in aliis, grauitas: Et locus excusandi. Voluptas audiendi, & occasio interrogandi. In scribendo 20

bendo autem maior copia & quanto procul magis fueris.

21 Vt obtineas opus est tribus scientia rei, diligentia, facultate: sub scientia comprehenduntur cognitiones & operationes: sub diligentia, industria, meditatio, patientia. Sub facultate quòd si ex eorum genere quæ sperari possint: quòd ministri boni, & iudex iustus aut tu potens: & tempus sufficiat. Quòd si *fortuna* fauerit plurimum conducit. Verum casus non sunt adeò in potestate nostra vt illa, dictum est autem de his etiam antea. Ergo non solum ad obtinendum hæc sunt vtilia, sed quod sæpius occurret ad consultandum & deliberandum. Debes etiam in hoc considerare non solum quid speres, sed quid horum loco pereat: & vt possis quamdiu retinere: Et velut si senioribus vtaris ne frustreris: ita ne pro quisquiliis maiore opera vtaris: plurifariam enim obest. Exemplum (quod generale nostris actionibus est) à scribendo sumi debet: si stylus obtusior, si calamus crassior, charta remittat: si error inciderit, vel vt eradenda sit: vna tamen manus leuitas atque dexteritas penè satisfaciunt: hæc autem scribi non possunt. Vbi ergo continere te hæc sciens & exequi consuetus liber & iuuenis quàm multa difficilium sperare potes. Plurimum tamen prodest etiam in faciendis, scire quando inuertere folium oporteat, cumque in opere etiam si spes non (adeò sperata) affulgeat: Vt in exemplo quid mora præstet, vbi eraseris vnguis modo charta vel vt ad eandem afficetur aut trahatur inde. Ergo si non nimis multa deficiant & magnus sit error incumbere debemus, nec forsan vtile minus quando abstinendum: præsertim aduersante *fortuna*. Vt cum Mare Cæsar superare vellet aduersante tempestate non profuit: in Pharo profuit. Sed & plerunque iuuat nullum suscipere negotium ante reliqua expedita: præsertim solis: Et tamen quandoque cogimur, cum temporis angustia vrget.

Vide in 1. & 25. sec. sup. huius.

22 Cum res humanæ pleræque sint inanes cauendum est, ne nimis studiosè præcipuè negotiationes puerorum more castella ex chartis construentium prosequaris: quæ vix vbi facta sunt spontè corruunt; constant floris & bullis vt diai quamplures: Et earum fines vani atque vmbratiles: Quia tamen initia admonitii obseruanda, id agendum vt in tractationibus leuibus ne labores, in finibus torquearis.

Sec. 6.

23 Est inter principia constituenda, Cœli magnitudo etiam si non esset infinitum, & si Dei nullam vellemus habere rationem iuxta illud Poëticum:

Sunt qui in fortunæ casibus omnia ponant
Et nullo credant Mundum rectore moueri
Natura vertente vices & lucis & anni.

Quis tamen non suspiciat tantam magnitudinem & pulchritudinem, suspiceturque meritò non inanem esse eum de velocitate admirari cogatur. Est semidiameter (etiamsi nihil vltra octauum Orbem supponatur illiusque stellas in sui orbis supremo omnes esse sitas) xlij. M. P. ita fiet integra lxxxiv. quare ambitus cclxiv. seu 264000000. Pulsus autem carpi in hora iv. Igitur cum in hora transeat xj. M. P. in ictu pulsus transibit ij. DCCL. M. P. Ecce velocitatem incredibilem. Quod ad magnitudinem attinet spatij totius proportio est solidi xxj. DC. Orbi terræ & aquæ, Caniculaque maior eidem a oc. xlviij. minor dimidium I. cccxxxj. Quanquam vt dixi de vno dubium non sit an sit? de altero verisimile quòd sit.

Donum est amicitiæ fomes, atque fidei pignus: Et potentiæ incrementum: dum alios euehis: conuiuium verò est donum leuius & iucunditatis exemplum. Dono rapacitas aduersatur. 24

Id tecum meditare, homo quantuncumque eximius & potens, vt homo multo minus est comparatione ad Deum quàm pediculus ad hominem, talia tamen non sunt dicenda, vt nec quicquam aliud quod possit trahi in sensum sinistrum, aut quod insuetum sit auribus nostris & mordeat eas. Et quòd vitia nullum habent opus, nec quicquam efficiunt: Ideò furtum latrocinium cedes verberare si quis rectè consideret non sunt effectus; sed solum destructiones. Quæ si quis consideret multò lentius etiam in perturbationibus ad actiones perueniet. 25

Si cui sit necesse vel in bono malè se exercere, vel in malo facultas rectè agendi non desit. Quantitatem generi & modo comparate debet. Siquidem in simplici genere difficilius est quam in duobus vbi similia sint in quantitate & genere discrimina facilius quam si dissimilia, & in duobus generis & quantitatis differentia; nam vetitum legibus Diuinis vitari omnino debet, præsertim quòd etiam naturalibus plerunque repugnat. Humanis autem legibus vetitum opulentis aut manifestum magis vitandum; quam damnosum aut turpe, idemque de damnoso turpi comparato in eisdem casibus. *Cæterum legibus humanis vetitum & omnino occultum in grandi inopia magna iactura vel dedecori pensitatò testium numero & prudentia fortunaque tua amplectendum suadeo.* Sed & sic extrema fugere oportet: Et si alterum dorum desit, exitusque alius pateat omnino postponendum. 26

Benefactoribus tuis benefacies *nisi cuncta malo animo fecerint. 1. vt te vel tuos vita aut opibus aut honore spoliarent: in his etiã seruandus est ordo: vt vxor inde filia post soror habeatur cui nubere non possit, inde puer. Cæterum & in his modus seruandus est: vt in amatoriis nonni si cum facto notum vindicetur. Et in facto etiam fraus aut publicatio fama ab illo interuenerit: nam de opibus ex illis vita pendet. Vt horum pœna sit proditorum & pessimorum.* Et hæc vbi ab initio ita sit. 27

Quam parum prosint humana consilia ad beatè viuendum ostendit exitus miser duorum sapientissimorum mortalis generis filiorum Aristotelis generis, Aristotelis & Ciceronis, qui ambos ad filios libros de moribus scripserunt & illorum vnus adolescens obiit alterum obiisse præstitisset; cum etiam stirps in illo patris extincta sit. Causa horum est quòd hominum actiones tribus determinantur, magnitudine rerum speratarum, securitate, & difficultate: Aliqui quorum vita plerumque quietior est præferunt tuta & si humilia, plerique maiora, in quibus illusio 28

Vide sup. sec. 6. & 22. præcipuè.

& errores: omnes laborem grauiter ferunt: Qui si scelera pro laboribus subiiciant semper cum astu viuunt, verum plurimis lapsus masimi accidunt. Accidunt enim præter cætera singulis hominibus velut tignis nodi quidam quibus robur totius insistit, & discerptis illis tignum frangitur, & dissipatur, ita in hominis vita quædam occasiones, & tempora quæ in posterum totam vitam dirigunt. Adeo vt pares conditione, fortuna ac etiam persæpe virtute viri exitus fortiuntur, post vitam exitui conformem valde diuersos & vnus spectetur nudus publicè in manibus carnificis, alter sedet gloriosus in sugesto filiis lætantibus & amicis gratulantibus: oportet igitur hos nodos alios apprehendere aliis si obuient obniti & minimum permittere, sed vt auulsis, quod reliquum est prudenter vitæ admioistrare licet laboriosè non valde miserè.

29 Materia est causa potentiæ: oportet enim in aliquo illam esse, & non quod iam sit: aliter non esset generatio: & potentiam sequitur naturalis appetitus vt in sensibus nostris videmus: Incorporea autem materia carent, & corporea forsan quædam, nam non est appetitus ad motum qoi perpetuo illis inest: incorporea igitur nihil appetunt, sed aliquid melius habent. Etenim & nos aliquando maiore delectatione fruimor quàm appetamus. Et tamen maximè actu superueniente.

30 Humanæ actiones aliæ absolutè definiuntur negando, aut affirmando velut colere Deum; conuertunturque vt semper cultus Dei reminisci oportet: vel nunquam obliuisci. Vel exceptione vnius aut duorum duntaxat: vt oon debet parens consentire in filij, etiam nocentissimi necem: alij damnent, nisi aliorum seruandorum causa vt in Pastore, apud Caligulam. In his nulla opus est mensora. [Cap. 121 sec. 29.] Aut cum multis exceptionibus, veluti, dicemus infra. Et tunc summum in exceptione subintelligere oportet: vt non indignari licet, neque summe iracundis de te bene merentibus, potentibus, familiaribus vel in summo animi dolore. Etsi licet tacitè prorsus: si plus admodum leuiter: si plus non grauiter: si modo etiam magis melius est renunciare consuetudini. Vt in his nulla sit adamantina lex quæ iubeat non irasci, aut quæ permittat quoniam non (vt in prioribus rarissimè & in summo) quicquam in humanis determinari potest. Propterea cogitatione opus est; Iudicio, & vt remissioni ac non agendo potius inhæreas.

31 Simplices sternunt puluinaria impiis vtque peruersis.

32 Homines plebeij qui non sunt in censu sordidi & mali: Ex his opifices ea in parte meliores quo & ars nobilior & ipsi in ea præstantiores. Post ciuiles qui honoris curam habent, iique humani præterquam in tractatione pecuniæ quod ambitione coguntur iniosti esse. Ex bis eliguntur Magistratus parte qua digniores ad diuinum quoddam aspirant. Post sunt Principes omni labe absoluti, bi si non timidi sint ab illuuie conditionis recedunt; vltra hos sunt duo contraria pseudophilosophi atque Philosophi: è regione contrarij primi nesciunt & volunt videri: opinionibus insistunr & pugnant, posteriores seiunt nec seire videri cupiunt: natura duce vtuntur, & huic verba authorum accommodant: Quo fit vt multorum & egregiorum experimentorum gnari sint. Atque hi tamen principes & nonnulli ex magistratibus si loco suo relinquatur felices sunt. E primo & sexto ordine nulli, è secundo & tertio perpauci.

Nil extremum: nil impertinens: pertinentia quæ ad causam & communia: verba non aspera, minæ minores rebus: facta maiora verbis: consulto; *Caue à mancis horum secundum rationem quibus ossa capitis in ætate molli extracta sunt.* Agendo potius abstinere, suscipiendo potius accipere: tum quia multi offerunt quod dare nollent: tum quia feruotur ad id variis perturbationibus acti, spe, timore, tum quia relinquere facilius potes. Durissimum ergo quod magnum est, & moram non dat: Et factum infectum reddi non potest. Ineptum non constituere caput rei. Et hoc est commune omnibus: pueris; & est laborare & pati; & iuuenibus, & senibus: ob quem errorem adeò multi periclitantur. Et cum omnia sint geminata & pleraque plurifariam ideò comparare onnquam oblinisearis, qood & splendoris est. Et in hoc nil melius, immò necessaria propria. Maxima res coniunctio, maxima ergo & dissolutio & violentior, sed non adeò diuturna. Vnde *seditio Dei* ira dici potest, vt dignior sit minarum nomine, nec adeò odiosa aut periculosa vt quæ ab hostibus vel Deorum metu. 33

Hacteons de communibus, aut admonendo, sed supersunt duo maximè necessaria in ciuili vita opes & amicitia, verum de opibus longa tractatio & inanis ferme labor alibique dictom sæpius, at amicitia multo nobilitare præstat & ab Aristotele certis rationibus definita & opibus vtilior, quam opes veris amicis, nec ad singula fiat comparatio velut ad existimationem in arte cum conuenerint, verum ex illorum coniectura, nisi sit necessaria. Quod videmus Aristotelem obseruasse etiam in diuisionibus primis; contentus enim fuit in ea secundum virtutem docuisse qood per se stabilis sit manentibus suppositis: In aliis dissimilibus aut inæqualibus beneficia iuxta proportionem rependendo; vnde maxime necessitas vsus nummi emicuit. Quoniam enim pacto fructibus amicitiæ secundum voluptatem vtilitate aliter satisfaciemus? Nobis verò de vtraque harum tantum sermo erit vt aliis impartiamur bonum cum non sit amicitia nostra felicis, sed ad felicitatem, nec vt amemus cum planè in nostra sit potestate sed vt amemur. Sunt autem affines amicitiæ præcipuè tres affectus Beneuolentia, Concordia & Beneficentia. Et illi proximior parum Beneuolentia, Est enim quasi initium; Amicitiæ cum aliquem amamus ob illius bonum aliquod velut etiam si erga te sponte beneficus fuerit. Sed beneuolus etiam inuisum & solus amare potest nec ad iuuandum adeò promptus est, nec de illios infortunio angitur & si doleat. Concordia verò est stabilis de eodem consensus e irea in agen- 34 [Et seq. lib. 8. & 9.] [lib. 9. cap 1. & 2.] [9. Et hic cap. 5. 6. 7.]

da.

da. Beneficentia est exuperans bene faciendi modus sine spe compensationis & vltra merita illius perseuerans. Id potest accidere multas ob causas æstimationem beneficij accepti, liberalitatem, opinionem bonam potentiam. Differt ab amicitia pauperis cum opulento quia in amicitia licet effectus sint dispares affectus tamen sunt pares. Hi quatuor etsi habitus sint non tamen in improbis coalescunt, neque etiam nisi rarissimè diu durant, solum visus est Dinocrates in gratia Agathoclis Regis perseuerasse: seu amicitia valde perfecta, seu alio ex his tribus leuiter inchoato; perfectum enim perfectione manet, & imperfectum dum negligitur non est inuisum; aut ex iteratis occasionibus quasi catena contexitur; sed etsi esse posset communitate flagitiorum cum ambo eisdem delectantur, & ad opus idonei sunt, non tamen de his sermo hic habendus cum non nisi de honestis.

CAPVT III.

De Propriis.

MEmento eius quam in opere de optimo vitæ genere protulimus æqualitatis quam excedere minimè licet. Sunt autem tria in nobis Anima, Corpus, Homo, Propria animæ bona sapientia & virtus corporis, robur & pulcbritudo Hominis, Ciuilis tractatio & quæ ad ipsum pertinent Opes, Amici vxor filij domestici. Nos dolore non debemus si sortem sapientissimorum virorum quasi huiusmodi viris debitam sumus consecuti. Ambo in exilio & capite damnati fuxere: Aristoteli mansit res libros defodere coactus est Hippocratis libri liberi euaserunt facultatibus omnibus priuatus est. At illi extrá periculum: Ego quia abest mansi volens. Illi damnati & in tuto vixere: Ego in periculo sed non damnatus, libri illorum diuersam sortem subiere vnius liberi alterius vetiti nostri vetiti sed eorum consensu leguntur, in vita singulis magna contigere & pene incredibilia. Quid ergo est quod graue videri debeat, aut cuius pigere, quod tam præclari viri non molestè tulerunt: aut sine hic esse non potuerunt. Ego diutius vixi quam Aristoteles: Hippocratem referunt ipso me vt nunc sum excessisse è vita, Aristoteli vnica hæres filia vt opibus defuerint successores: Hippocratis descendentibus: opes imò alimenta. Dices titulo consolationis vis te parem exhibere duobus oculis humani generis? Quid quòd tertius Pheludensis, imò *animus aut ratio fœlix è vita excessit? De hoc nihil comperti habeo*, sed si hi tulerunt quibus plus debuit humanum genus, cur non æquiore animo ego? non certo de paritate. At eorum gloria illis remedio fuit ad calamitates. *Si de ea quæ post mortem certi nihil nemo omnes sibi blandiuntur*: si mundus æternus est vt illi existimabant infiniti sapientiores illis duobus extiterunt quorum tamen gloria & nomen excidit: paria autem sunt modo intereat aliquando vnius diei & CM. annorum: si aliquando peritutus: & cum eo finem gloria illa habebit. Sin autem de ea quæ nunc in prætio est, haberi debeat vtrum ne gloriosius existimandum quòd rudi sæculo quæ non intelligerent vt intelligere viderentur suos probare simulasse atque placere: an tam illustri quale nostrum est quia intelligerent, nec oppugnare ob id auderent quasi non intelligerent reliquisse illos; certum est neque Mediolani neque Papiæ nec Bononiæ neque Romæ, vbi præcipuam meæ vitæ partem assumpsi, nec in Germania Galliáve aut apud Britannos per quas Prouincias transij neminem de his quæ ad Medicinam aut Philosophiam vel Mathematicam pertinerent contendere tentasse: quod quoties Galeno contigerit nullum præter ipsum requirimus testem: vt contra iam me præsente nomen nostrum in clarorum virorum libris plusquam septuaginta celebratum publicè esse. Nec quicquam magis obfuit mihi fortuitis erroribus adiectum quam hoc ipsum ad accusationem vt Hippocrati nimiam (si dici potest) miserabilis patriæ pietatem calamitati iunctam: vt Aristoteli indecentem mulieris amorem & celebrata Deæ misteria in concubinæ funere (si modo credi fas est) sed si hæc non admittas ad Palingenesim te reuoco.

Natus sum solus nunc supersunt tres descendentes mecum. Opes exiguæ sed quintuplo tamen patrimonio (si quid huiusmodi fidum esse potest, aut ad felicitatem conducere) omnium vt cæteri ignarus: multa noui: absque amicis etiam paternis computatis: at nunc honesto numero ac potentissimi: Ignotus omnibus nunc etiam Indis notus: Nullis scriptis à me libris; ac multò minus editis, nunc editis centumtrigintaduobus, edendis centum quatuordecim, non secretorum cognitio vlla, nec spes, non vitæ humanæ cursus, nunc ad V. nota & valde præclara. Et singularium administrationum particeps: non vllæ peractæ peregrinationes, at vidi Italiam, Germaniam, Galliam, & diuisos orbe Britannos. Et quòd maximum est nullum cognoueram Diuinæ Maiestatis fauorem præcipuum: Et adeò diuturnum & multiplex, vt vel hoc solo nunquam dolore de mea fortuna debeam. Vno quasi momento adeptus absque studio Latinam totam linguam. Recreatus in morte filij per annum cum dimidio contentione smaragdi quem collo suspensum gestabam in ore, ac si nunquam mihi natus fuisset: Tot admirandis prodigiis antequam detinerer, vt nihil minus scirem quam quid passurus, nihil magis quam quòd essem. Demum capto ostentum duorum ictuum, & concussionis ferreæ cratis, quæ fenestræ opponebatur: Et quibus aderat testis notæ fidei qui viuit. Adeò hæc euidentia vt vnum fidem facere posset. Adeò multa vt prodigia si fuissent; attamen non dubiè probare possent me cuidam singulari curæ Diuorum mandatum esse. Omitto modò tot alia per totam vitam ostenta, vt frequentia fidem aut admirationem minuere posse videantur.

videatur. Quid ergo finge tibi vitam hodie inchoare si sine his eovsque euadere potui, cur est cum bis vt vel magis timeam in posterum aut doleam de præterita? Dices iam senex es, Iuuenis nunc esses crederem? At ô amice hoc solum meum est septuagesimitertij anni quibus vixi, Quis mihi eripiet illos, cum *cætera in manibus volubilis ilsius & inconstantis mulieris sint*? At rursus obiicies non nunc spes agendorum superest adeò inclinante ætate? At tam multa parata, nomen, honores, amici, rerum arcanarum scientia quorum quadrante tutus esse poteram, dimidio contentus nunc integro numero aut timeam, aut querar? At aduersa & calamitates quæ interciderunt interim, difficultates, lites, inopia, labores, sed duo illa maximè, filij optimi mors adeo sæua & carcer cum pœna tam inexpectata? O amice quòd ad hæc duo attinet, quicquam ex his antequam nascerer fuit, aut meum ortum est: omnia fuere dona Dei, quid est si ex agro in quo pomarium, consitum erat pomorum corbem, aut dolium prædulcis vini Dominus repetat? Nam quod ad reliqua attinet malis superatis & à quibus euasi gaudere debeo: bonis quibus frui contigit memoria lætari? Hæc quidem tecum: ad alios vsum sequi communem, & vt in ferculis; longior fui hac in parte quòd animum consolando corpus confirmetur. At dices aliis non tot præsidia adsunt? At paucioribus etiam tot aduenere incommoda. Ergo vt omnibus consulam, tertium hoc auxilium commune subiiciam.

3 Sum senex æger inops in carcere per iniuriam detentus? Algam patior. Quid opes quas tristiore animo relicturus esset. Si per fœminas hæres queritur nomen familiæ perit: si per masculos deuenient in hostis maximi filium; cætera præter iniuriam mortem leuiorem reddunt. De iniuria præter aliàs dicta illud memineris ad sortem potius quam ad studium referri debere; si à malo nil mirum: si à bono oportet eum errare & neque iniuria esse potest. Si ab impotenti contemnenda, si à potentiore, *eocum*, vt dixi, *mala fortuna opus est*. Sit ergo inos diuidere & liberaberis à tristitia; Cogita quia finem nescis, nec qualis sit animus illius, nec cui bono? cum possis coosilia & spem ad te conuertendo multos habere fautores, cur ob nimium timorem aut stultitiam te ipsum deseris, & illa ponis in numero hostium? *In Dei qualicunque cognitione, Beatus es*, cum Deum, sine Deo cognoscere non queas. Filium amisisti? si non tam diu vixisses omnino hac molestia caruisses; si non est, nihil amisisti: nec quicquam amittere potuisti, quod non amissurus eras. Si aliquid, Papæ! A pluribus vexor sine fructu? paucis incumbere debueras. Crede mihi melius est scire, quam vt doceas. Interim ergo lætare spera, tranquillus esto, confide: Et si modo mortalitas te pungit, gaude quod illi mille modis tuo bono torqueantur. Tum quia quis vetat, ne te non solum, Regem sed Pambasilium constituas. Dixi aliàs quantum ad somnum & quietem ac tranquillitatem, Orochilia profuerit, & magis Hyperboreis, quamvis hi mille annis vitam producerent, & habeant assertores non contemnendos: Ioscphum Racenditam apud Actuarium. Et quamuis *iniuria maior sit omnibus calamitas quam si vlcisci*, propera persæpe exeidij nostri causa est: multa rubefacit & prostituit, vnicum præsidium & in hoc inuento positum est atque minus absurdum, quam qui statuam domi fabricatam, vltionis desiderio verberabat atque vulnerabat. Interim mors luctus dedecus iactura illi obrepunt vt dignus censeat hodie commiseratione, cui tu adeò irascebaris heri. In vniuersum etiam præstat obseruare euentus, bonum ex malo vt carpenti motus celer fluxionis hæmorrhoïdarum.

In lib. de op. vita genere iuxta si.

4 Sed vt tem etiam blando ac nouo celebrique exemplo, historiam dico non fabulam moueant, te nouæ Franciæ populi qui nudi & in frigissima regione habitantes solisque penè piscibus, aut sole, aut igne, vel frigore duratis: fermè perpetuò cantant vnisonum inter se aut ad Diapason, & vocem saltant, & ex qnavis lætitiæ minima clamores edunt; non illis domus sed sub inuersis cymbis dormiunt: non arma quibus se tueantur, præter arcus & sagittas, non stratum vllum, sed in nuda humo solis ferarum pellibus hyeme integuntur. Aliquid panis sed loba conficiunt, nec ligna, saxosa enim regio atque arenosa, & ipsi admodum non solum segnes sed rudes; cum in aliquam arborem magnam exciderint extirpant & perpetuò ignis attritu excauant cymbas. Vnde non ante certam magnitudinem illas demoliuntur. Tum ramis arboris ignem accendunt: alioquin neque ignem habent nisi pusillum leuem & inefficacem, quo carnes penè crudas ferarum rato auium aliquanto frequentius, Piscium persæpè edunt sine sale quem nec norunt. Excusabis vsum æqualitatem atque iustitiam: Quilibet ferre animum æquiore animo tot inuentorum potest. Inuidia planè stultitia est modo valeam, si bonus sim gaudere alicuo bono debeo quod commodum aliquod afferre potest, quam malo quod incommodum; sed peruicax natura & vsus improbus hoc efficit. At dices etiam oderunt te? Quin quòd fateor & voluisse nocere tam certum penè est, quam vt dixi iuuisse; ob id odio digni essent si potius calamitate misericordia. Quid ergo? neutro. Sed postquam vt dixi bonum nostrum nobis bonum est, illis multipliciter malum est; nos ne ingtati videamur gratias Deo Optimo Maximoque, non vulgares agere debemus. Nam qoòd illi miserũ esse putant quot nobis meliores etiam sine tam vbere fructu quæsierunt, & non solum in eo beatam vitam sed etiam gloriosam se ducere existimarunt. Et lumine diuino & naturali duce.

5 Auxilia verò à corporeis sumpta Amicus ciuilis, & qui præsentium tractationum gnarus sit: lepidus Poëta: Historia Salustiana: Admiranda nouaque inuenta: Futurorum quædam digna coniectura: Diuersorum amœnum: Alea etiam consueta studiosa non grauis: Musica excellens, præsertim lyræ

aut

aut chelis cum cantu; hæc triſtitiæ ſolaria: at quæ prohibent, & factam iam tollunt vini potentis dulcis aqua, diluti quantitas ad amentiam vſque. Et iucondè viuere ac lætari, lætitiæ habitum generat, qui non facile aboletur. Mihi in vſu fuit panis madefactus in ſucco boraginis, & tedolentium pomorum: & vſus ſeminis ac foliorum odorati, & paruifolij ozimi: Croci flos à Medicis, Helenij radicis ſuccus ab Homero laudatur Ægyptij cratenæ: flore punicei coloris, folio piſtolochiæ accedenti. Præterea ruta & pulegium; Referunt de auro hyacintho; & margaritis: coïtus quandoque præſenti auxilio: Mandragora & Meconium, quo Turcæ vtuntur. Verùm à periculoſis cauendum: Balnea dulcis aqua aſſidua, & peregrinatio. Sed & aſſuetis potus equini ſanguinis quo Scythæ vtuntur. Tartaros nunc vocant: Et forſan gallorum feruens. Cura meditationum duobus primis dexttæ manus digitis apprehende cutem tenuem quæ brachio ſiniſtro ſuperſtat poſt manus cum brachio coniunctionem & eam conſtringe, magoum enim dolorem affert.

6. Poſt animi bona ſequuntur corporea; pro ſapientia vita: Pro virtute ſanitas, pro conſtantia robur, pro hilaritate alacritas. Indicium alacritatis à ſomno velle ſurgere, geſtire. Diuiditur autem cuſtodia trifariam: In ſecuritatem ac ſupplementom deficientium auxiliotum: Incommoda & præcepta; commoda velut ex aqua colluendo renes, os, manus, ſed de hoc libellum edidimus. Chartam cœrulei coloris interponere oculis ad ignem ſtanti, ad viſum conſeruandum: Genuum concuſſio ad feces exprimendas: & dum mingis ne quid in veſica ſeruetur. Incommoda multi potus & ferculorum humidiorum ſenibus noxia tam, quam neceſſaria potus pauci vini, bene diloti vt noo excreſcat, à collutione oris frequeoti, pomorum bis coctorum ſeo incruſtatorum eſus, tollunt; vt pedes calefacias ſpiritum contine, corpus extende, & crura præcipuè, in calcaneis ſubſiſte, concute alternatim genua retto; hære camino vt expeditè ſtans plantas pedum calefacias. Iuniperi fructus maloris in horto habeto: & herbas tegias crocum, rutam, meliſſam, pulegiom, abſynthium Romanum: Medias, Sonchum Ozimum, alias Acynon nuncupatum, licet Plinio inuiſam Radiculam, lapathum medium ac minus: Exoticamque Impetatoriam & Angelicæ radices ſed non minoris: in penu antem paſſum Ptatrinom, & quæ ex eo genere. Oleum Amygdalinum dulce admodum recens quod etiam creditur iecur ac cerebrum augere. Oleum quod frigendo in ſartagine accenſum piſcibus aut carne aut linteo extingue ne aqua, ad tigna perducat. Intinctus ozymel acetum oleum ſapa Teſtudines nemoreæ ob oua & iecur: Eritius terreſtris ſuillus totos. Columbos quoqoe turritos: ſed his meliores etiam ſunt qnos vocant Alfnachat. Si iacturam paſſus es pecuniæ ſolaberis in minima diuidendo vt tempus ſarciat eam: ſi ſenſim amiſiſti contra aggredere locri magni occaſionem. Contuſum ſanorum caro in veru cocta, inde gladiis ſobacta aut trita & in patina iurulenta cocta. Multum quoque iuuat ſolum edere. Ad ſonum radicem bonorum: Orochilia Hyperborei, Inſula ſpectrorum, Vellicatio brachij cruda lecti circuitus lactuca cocta: cuſus etiam vſus hebetat impetus animi: gemmæ ſelectæ: flores herbæ & fructus. Cogitatio fixa & memoria.

7. Pro ſecuritate cum conduxiſſem domum altam in qua feneſtræ humiles. Et ferme antiquo more patulæ ac quaſi conſulto ad præcipitium paratæ videremur Imperatorum temporibus podiis vti cœperunt ac vela opponere antea imbres, ſolem, ventos, fures noctu quomodo arcerent non habebant. Ergo noſtra podia vix genua ſuperabant. Si tepagula apponerem, aut valuas ne clauderentur prohibere cngebar vel ex charta obices ne aperirentur. Itaque lignarij fabri puer excauatis lateraniis intus lapidibus repaguliſque inſertis. Et luci viam relinquit & ſecuritati incumbentiom prouidit & valuas ſopra podia conſtitutas claudi permiſit. A cibo exercitatio, aut ab exercitatione grati aut imbecilli homine aut ſeno inſueto vel cacochymo cibus multus vel vini potus aut aquæ lethalis. Auxilia antea veſtis ignis & quies in lecto. Similiter imbecillem habens ventriculum valde ſenexve aut ſanguiflua vena dioturna ceſſante ſi vigil præter conſuetudinem euaſerit; vel etiam diu vigilauerit aut plurimo cibo vtatur aut madidus, aut frigori diu expoſitus maximè dum dormit moritur aut grauiter infirmatur. Canis niger, aut varius, ad te veniens, nec tibi notus, nec blandiens, & magis ſirabit aut argutet deuitandus eſt. Homines comedunt propter ſex cauſas nec vlla booa præter primam: neque illa ſemper: ob famem naturalem, ob cibotum delectuoi, ob imbecillitatem, ob ſotietatem: Et appetitum mendoſum ſub quo plura genera continentur. Regula autem communis ſi valido parum, ſi multo imbecilli. Catapotia noſtra omnibus non planè calidis vtilia, Agarici Tridentini optimi & purgati vncia j. ſtyaris calamitte ℥. j. ſemis; Belzoi de Meoia ℈. iv. croci dragma ſemis, cum vino Pramio. Quantitas à ſcrupulo j. ad ʒ ß. Commoda verò & præcepta Puluinar ex anſeris annui pluma & quandoque oleum maſtichinum inunctum. Maxima verò vtilitas: Imò neceſſitas eſt vt aluus deiiciat ſaltem ſemel in die: & mollia figurata tamen & ſine nixo: Et ideo Auenzoat: Et concordati ſunt ſapientes, quod in habendo ventrem mollem conſeruatur ſanitas metu Dei. Hoc enim præſidio deſtituuntur ſenes ob iecoris & inteſtinorum ſiccitatem ac frigiditatem: tum quia ſi exercentur magis ſiccantur: ſi non feces non deſcendunt. Et tamen maximè indigent leuitate alui tum quia à ſiccitate etiam retinentur cætera excrementa: Et ob flatuum copiam ſunt ſubiecti doloribus. Et ſi laborent hernia inteſtinali præcipuè periculo mortis. Si enim per quinque dies retineantur pereunt: vt vrina per nouem. Auxilia ergo antiquorum fuerunt terebentina, cum ficubus pinguibus; nam aloës nimis exſiccat ſenes, etiam roſis compoſitum; mel roſaceum, aut ſimilia

lia ventriculum debilitant. Passulæ siue passæ ad vj. vncias coctæ prosunt minutæ albæ dulces terebentina, nocet ventriculo in cæteris valde commoda nam & expurgat rhenes. Pruna, etiam magis labefactant ventriculum, vt etiam casia quam vocamus fistulam. Et est magna seruitus. Ergo post terebentinam, probamus Oleum amygdalinum dulce, cum beta, aut malua, aut herba violarum. Radix quoque Polypodij viridis cum acetario sumpta admistis passis, aut gingibere, condito cum Iulebo violato. Coriandrum etiam magnum cum sacchаro, scilicet suppositum aliquibus vtile est, tamen fallax. Aquiescendum est igitur in illis tribus, sed præcipuè in medio ex beta & oleo; nitrosa etiam pleraque mouent aluum, sed leniter vt ius caulium, chamarum, & carnis Marsuini salitæ; Optima quæ pinguis & suauis quam Romæ Tarantelam vocant; Cibi boni genere caro, panis, pisces, oua, far, vinum. Partes in quadrupedibus, leues Glanduli vt etiam mammæ, pulmo, pedes, cerebrum, cutis capitis. Validæ lumbi vitulorum, & porcorum: assati. Ex auibus iecur testes etiam, & sanguis totus piscium magnorum venter: paruorum dorsa: oculi & quæ circa linguam. Præparatio iurulenta, & his meliora assata, & frixs: Sed hæc mersa pluri adipe, aut oleo prius bulliente: illa perfusa, & magnas prope flammas versata. Ius album commune cum aqua porrum, anethi semen, oleum salis modicum. Quatuor ob hominem facta: Triticum Gallina, Cyprinus equus. Antequam prodeas expurga meatus omnes à sordibus. Augusti mensem atque Septembris deuita, sed præcipuè Romæ ob plures causas. Omnia natura alba quo candidiora eo meliora, etsi cocta melius cocta. Qui rectè se circa victus rationem instituit similis est Architecto, qui solida fundamenta iecit. Fercula ex pane, vel farre, aut Oriza. Exite è domo vectum, pedibus redire. Somnum procurare esu pomorum, incrustatorum, redolentium vino dulci lactucis coctis modicè. Sistere spiritum animalem cum somnus sit illius quies. Relaxatio curarum lætitia murmur salientis aquæ, flores nuper aperti, fontes, fabularum narratio: vnguento populeon, recenti inuugere pedum dorsa & manus carpos: si non interiora cobitorum, & arterias è regione pubis magnas: si nec hoc etiam subnasum, & locum iecoris, & cordis ac tempora. Horæ iuuenum vij. consistentium ætate, ix. senum, x. decrepitorum xij. aut saltem quiescunt. Ostendit exemplum Aloysis Cornarij, qui xcvij. annis vixit ex iuuenta valetudinaria deplora & Leonicem qui & ipse resolutum ætatis anno xxij. inter studia literarum ad civ. alij cxj. dicunt. Marsilius Ficinus & ipse xcvij. annis vixit, matrem sustinuit ad cxv. vsque. Dominicus Saulus nobis cognitus xciv. Auenzoar cxxxv. atque hi omnes sola viuendi ratione. At verò ne credas quamque ita sit quemquam quicquam polliceri posse de vita sua. Duobus ante mensibus dum Palumbi viscera deuorarem sensi; quippiam pipere quadruplo acrius, dubitaui de veneno postquam vorauetam; sed exitus ostendit non fuisse quamquam neque sapor nec odor defuerit. Sed ad quid tot & tanta, facilius est longè necare hominem veneno quam pullum gallinaceum. Paucis enim post diebus apparuit ex crasculo aperto, vocant semicotulam, seu Pocillum, fructum viti magnitudine vnguis pollicis quod decies poterat me perdere si deuorassem; cum ter aut quater incautus præbibissem. Post apparuerum in scutella ex qua ferentum sumebam in sex aut septem diebus officula acutissima diuersæ longitudinis fortuito ex macello delata quorum vnum si deuorassem, actum erat cum esset hoc facillimum; erant autem acie acubus paria sed in medio solida vt rumpi non possent. Ita vt dixi *omnia in nobis sub fortuna arbitrio posita sunt.* Puto Deum noluisse latere me hoc, vt mortales discant qua conditione viuamus.

Somnus septem horarum quovis modo & vsque ad xij. aut saltem quies post vij. si nec quies minus exerceri edere bibere coctiu considerandа, pedibus iter agere quantum licet: ne obstet cibus, cruditas, lassitudo, calor, mador: si mador siccetur, lauare pedes ante cœnam: memento tamen cruditatis vigiliæ & imbecillitatis ventriculi, vitare crepuscula & nocturnum aërem: si non linteis tepidis excutere vapores: mandere: à cibo scribere malum: sed non maius quam exerceri: flatum aniso vel berberis discutere: inungere mastichino, oleo, pulsus teres pharmaco. Cibum si perperam sumpseris ructu vel vomitu quod superest eiice. Medicatio vel alimentum. Medicatio absynthium Romanum caseus mollis pinguis modicè salitus ruta vinum & parum. Cibi: Quantitas, numerus, qualitas, natura, præparatio: omnium mater consuetudo. Præparatio cruda oua piscium botargas vocant, meliores è capitonibus quàm spigolis? Haleculæ humidæ, menæ albæ siccæ, quidam ferunt coxas porcellorum salitas in furno siccatas. Dura incidi tenuissimis gladiis debent, alia teri, quorundam succus solus excipi. Solidæ carnes velut pauonum, & ceruorum & talium torrentus in patina sicca etiam ad menses incidiatur gladiis tenuissimis: succus, elegantissimus, nil melius. Crudorum loco & Mellisophyllon & bibinella & petroselinum. Ius astacorum chamarum, limaciarum pinguium ex lauri frondibus: columbi pulli & eiusmodi, vitellus oui lactes, vna passa magna saccharum rosaceum oleum vel mel cum aceto: sal dulcibus non benè iungitur: oriza. Ex auibus mollia vbicunque parum carnis rubræ est, vt sanguinea & qua facilè digitis cedunt, non plus tribus cibis vnquàm aut vno plurimùm nutriente: sed vno pauciores in prandiu & pro dimidio vel minus, totus cibus ad xv. Vncias potus tantundem in xxiv. horis nutrit multum & panis elixus manifestum est & ex his quòd non mistus nec arte coquorum coinquinatus. In cœna pulegium crocus admisceri potest cichorij radices in acetario radix Polypodij & folis calamenthi sunt medicamenta non cibi. Piper longum propius ob vsum. Si medium addas duplex malum, velut orizam cum carne & cichoriu mane sufficit colluere os vino potenti. Vide in libro de Affectionibus natura nota satis. In vniuer-

Apicius in lib.

sum

sum si gratiâ exempli mane quis deuorauerit orizam, pisces, vuas. Quantitatem & numerum obsoniorum & coctorum valde aquea acida sumat, aut euomat, vel eructet, præcordia foueat, dormiat, tardet cœnam cùm macropipere si calor non adsit: omnino sine pinguibus paucísque plus potet: ambæ commessariones duabus ex vsu sint minores. Romæ caue omnino à frigida. Ventriculi vt latrina medicatio cum purgantibus. Alia eructatione somno, nauigatione, deambulatione, solita per colles, sed non multa tamen. Allia & potus chalybenti: abige proditores; quorum species multæ infidi, contumaces, iracundi, mali animi, praui, ignaui valde ebrij, ingrati, impij, contemptores & eos qui cum tuis æmulis conuersationem habent, memento æqualitatis & ordinis. Et hæc summa totius. Ignoscere possumus jecoribus limacianum candidis & perspicuis vt etiam testudinum nemorearum, velut & ouis & iuri, habent enim proprietatem & eiusmodi.

9 Habenda igitur est prima ratio & principalis horologij exquisitissimi, vt scias quando debes surgere: hora x. perfecta non ante (si vrget necessitas) à lecti ingressu. Qua hora discedis è domo? Quando congrediendum his & illis? prandendum hyeme hora diei inæquali tertia (sic enim nouem supererunt) æstate quarta, intelligo finem temporis & actionis. Qoando studendum sine cura à prandio leui hora quarta communi sexta sed æqualibus. Quando à prandio è domo discedendum carpento sexta æquali pedibus, septima mula post tertiam. Ad lectum se conferat hora xiv. æquali ab hora qua surrexit seu xv. à solis ortu. Quantum in vnoquoque negocio temporis debeas ex constituto impartiri; quantúmque insumpseris. Quantus dies & nox? Vt socios dolosos domesticos non frugi possis coarguere. Et vnicuique rei agendæ inuenire tempus ac ex minus necessariis surripere, & ad magis vtilia conferre, vt cursum totius diei imò & ad plures diuidere. Excusare etiam te ab his qui importunè conantur? insimulare. Mille euenire occasiones possunt, quibus horologij opera esset necessaria aut valde vtilis, quas inuenire ratio vix potest, casus offert, modo xiv. hanc ex ordine adieceris cum noctu expergisceris vt scias qua hora à cœna ab ingressu lecti, vt coniectari causam liceat an non sit negligenda?


10 Primum rursus principum vitæ est calor naturalis, & eius longitudinis confirmatio eius: & illius producendæ ratio; hæc autem triplex per causam propriam, & hanc dico esse exercitationem. Per causam sine qua non. Et hæc est ratio victus; & per causam, quæ remouet impedimentum. i. excrementa. De hac agit in quarto de tuenda sanitate: de secunda in toto illo opere generaliter & in libris de Alimentis & consimilibus vt de cibis boni & mali succi, de attenuante victus ratione de medela perturbationũ animi. Et hæc sunt palam nota. Verum de primo & proprio quod dico esse exercitationem solam & maximam & propriam vt dixi. Nanque cum in secundo libro scilicet de tuenda sanitate inquirat media augendi caloris naturalis diligentissimè nec aliud proponat, & hoc ipsum adeò extollat. Neque in tot annorum circuitu inuentum sit aliud præsidium præter hoc & aëris mutationem ad loca quæ talia esse experimento inueniuntur, vt Hyperboreos & Indos intra Gangem & aureæ Chersonesi. Verba Galeni igitur breuiter expressa sunt hæc. Ex exercitatione membrorum duritia, ex attritu mutuo caloris genuini incrementum & Spiritus citatiorem motum. At ad duritiam membrorum (quæ est densitas non siccitas) robur operationũ & non lædi à laboribus. Ex calore nutrimenti validam attractionem mutationem atq; nutritionem vt singulæ corporis partes humore genuino perfundãtur, ex qua perfusione solida mollescere & humida tenuari & exiguos meatus laxari contingit, atque inde excrementa tum ex ea, tum impetu spiritus melius expelli. Itaque non aliunde expectari debere ad hoc auxilium verisimile est, nisi ex sublimatis seu destillatis aquis, quas Quintas esseorias vocant, nam hæ aëri palam proximæ: aër autem potest. *Cap. 8.*

Sed postquam difficile est mortali non errare, videndum est quomodo errantem deprehendas an in periculo sit? si igitur à credulitate & vigilia pedes doleant valde bonum: aut si ructus vel vomitus & id valde bonum: & si grauedo & destillatio valde bona. Similiter vrina multa valde bona; & eodem modo venter valde tumidus & mollis valde bonum: & lingua prorsus secundum naturam prorsus bona. Bona autem sunt non febricitare calorum æqualem in toto corpore obtinere, spuere multum: deiicere aluum, erumpere hæmorrhoidas, moderate emittere flatum superius aut inferius redeundo ad somnum quietum, restaurare vigiliam præteritam. Praua oscitatio, cordis palpitatio, pulsus inæqualis aut inordinatus, causarum magnitudo velut vini plurimi potus, aluus diu astricta multa caro vel panis prædurus, caliditas cui frigus successerit lassitudo. Pessima omnium excrementa alba, vel vrinæ imminutio. 11

Curatio vomitus motus multus cum cibo inædia longa postquam somnus, lotio pedum ex calida inunctiones nostræ iuxta ea quæ dicta sunt. Causarum ablatio velut maximè & generaliter obstructionis. Podagræ moderatæ aduentus facit ad vitam producendam, sed longè magis curatio periculosa & mala est, auertit enim materias contumaces à minimè periculosis locis ad nobiliora & vitæ necessaria, tollit suffragium ad alios morbos quibus superueniens salutaris est. Mutat temperiem in ætate in qua hoc facere maximè periculosum est: qua ex causa nó paucos periisse vidi nobilem ex Cataniis, & Marcum Antonium de Leuco à libellis Fisci. Quin etiam plerumque vt ex Galeni sententia colligitur intemperiem intemperiei supperaddit contrariã priore non sublata. Demum minus temperamentum & minus diligentem circa corporis custodiam reddit, vt sæpè conflictentur morbis aliis, & plerunque non diu post obeant certè ad eam senecturem, vnquam illos peruenire vidi ad quam quilibet antea sperabat. Post sunt vrinæ multitudo & nares atque os natura humida. Erysipelas in cruribus. 12 *3. de simpl. med. cap. 16*

Quæ posita est (villa) ad exortus æquino- 13

ctiales aptissima (est) quod æstate habet vmbram Hyemè solem. Modus loquendi est posita ad orientem Æquinoctialem. i. Quæ recipit radios à sole rectos,& tota illustratur dum oritur sub æquinoctiali vt sit Orizon F B r



Æquinoctialis B C fenestra per quam transir eam illuminans totam secundum longitudinem cubiculi ,& OEci villæ A. Et pendebit ,, radius C A minus inclinatus à B quam sit I ,, B, per demonstrata in libro de Proportionibus. Igitur cum sol accedit ad meridiem , ,, remouebitur ab illuminatione semper magis A, ,, per axioma per se notum, quia in meridie facit vmbram semper magis Borealem : Et in A non ingredietur Sol : erit enim à tergo:ergo aboriente illuminabit magis quam reliqua tota die, & in meridie erit tutum à sole. Et est primum. Et in æstate non sentiet solem quia si Oriente sole non respicit æstiuum Orientem,quod maximè boream respicit,ergo multo minus, cum erit iuxta meridiem:cum tunc magis inclinatus sit sol ab A. Et in occidente erit à tergo : igitur ex regula data quæ est : in vniformibus cum vtrumque extremum est extra aspectum nullo modo in medio aspiciet. Et hoc est secundum. In hyeme autem cum sol fuerit in E dico quòd magis aspiciet A,ac diutius illuminabit ipsum quam cum est in C circulus enim verticis erit C A B per demonstrata ibidem : Radij ergo ex E cum sint magis boreales quam ex G.meridiei E G H erunt ex K Maior igitur obliquitas ab L scilcet M quam a C scilicet D Et a C. scilicet D quã ab E siquidem K. Aliter & redit ad idem cum erit in E sol vix ingredietur A etiam si E ponatur in K. Est enim A. nimis ad austrum positum : sed sole tendente ab E in H per G semper sol fit australius ergo multis horis illuminabit (serius tamen) A quam in C ceu D. ergo cum transcendendo G efficiat radios ad A qui decussatim cadunt ,comparatione cubiculi & fenestræ A,E vel K illuminabunt A vsq; prope meridiẽ ab ortu solis incipiendo. Et hoc ostendit res ipsa. Et est tertium. Et est quod cubiculum seu fenestra posita seu villa ad Æquinoctiales exortus hyeme præbebit solem & Orientalem, magis quam alio loco seu ad aliũ aspectum posita, vsque ad magnam diei partem ante meridiem : in Meridiè & paulo antè lo ante iuxta(inclinationem) & vsque ad vesperam erit tuta à sole occidentali. Et ita erit saluberrima commodissima & temperatissima: quod est Tertium & Quartum.

14 *Sec singulu rme.* Ex hinc restat solum dicere de consolatione quæ trifariam diuiditur in res de quibus dicere esset superfluum & præter institutum, nimis enim magnum esset negotium & miraculum velle per verba mutare res & ex infelici facere beatum : Neque de auxiliis per medicamenta vel Orichiliam, hæc enim superius explicauimus : verùm vt in his collocentur felicitas quæ maximè sunt in tua potestate. Et recta ratione constant. Primum ergo in Dei contemplatione : Secundum in cognitione rerum & disciplinis. Tertium in beneficiis à Deo acceptis: Quartum in Honoribus , & ornamentis quæ non pereunt velut laurea opera edita tempus transactum. Quintum in filiis & coniunctis qui non tam facile pereunt, aut abalienantur. Sextum in opibus quas possides & redditibus & lucris firmis. Septimum in vsu earum velut carpento mula suppellectile & in his vestibus annulis stylis scriptoriis. Octauum in vsu extra ordinem : velut inuisendo villas & itineribus iuxta aquas mutatione regionum sufficitque in pluribus eorum cogitare quod potes facere atque ita imaginari. Ad hoc etiam iuuant lectiones Poëtarum fabulosorum quorum copia magna est in Italica lingua. Nonum conferre se ad solitudinem inde repente ad noua internoscenda. Et scias quod inuentio problematum cum fixo studio multum, auertit à tristitia & melancholia. Et interim non irasci sed abire si potẽriores & alieni : *Vel vlcisce si tui.* In tristitia autem præter rationem , inædia & labor leuis ac diuturnus qui delasset, non excale faciat. Vel etiam loca læta. In summa dictum est vt felicitatem *Cap.12. Sec.12.* constituas in possessione paucissimorum securorum solidorúmque bonorum. Manifestum est autem quod opes ferme ex fortunæ domis obtinent principatum : atque in his quæ iam parte sunt non in lucro : Et quæ in fundis,& in patria bene instituta. Filij autem inter corporis bona. Sunt enim , partes nostri, idque confert ad dissoluendas multiplices dubitationes quæ ex illis oriuntur. Post hæc in non viuentibus velut monumentis quam viuentibus , & viuentibus quam sentientibus, minima in hominibus fiducia ponenda est, præcipoè in alienis: minor adhuc in subditis perturbationibus, nulla prorsus in inconstantibus improbis & immodicis. Etiam si maneant A,p , vertunt, neque tui studio aliquid agunt aut manent, sed proprio aut quod peius est etiam alieno.

Porrò tamen quod ad actiones attinet ingenium & mores paulò obtusiores ad parandas opes & potentiam quæ amicis & sodalibus constat multis ex causis sunt opportuniores : sicut ad opera maximè nobilia & decora manuum & Instrumentorum subtilitas diuisio & temporis interpositio. 15

Porrò vt ad naturam nostram declarandam imo viuentium fermè omnium attinet, 16 Musica proportio , vt supra dictum est necessaria fuit quoniam immortalium Geometrica est ob velox incrementum inanimatorum. Arithmetica, quòd à magnis excessibus corrumpantur : viuentium Musica animatis propria , quæ neque breui multum excrescere possunt , nec augeri molem æqualiter corrupta omniom figura. At omnis continua proportio per demonstrata in quiuto Elementorum Musica est vt xij. vi. iij. & ix. vi. iiij. Item xij. viij. vi. At in tam breui interuallo aliæ proportiones totidem constare non possunt, aut G , inæqualitatem æqualitati coniunctam habeant , imò innumeras si vel pa-

rum

rum ab integris discedere velut xij. iv.1 $\frac{1}{1}$ & 12. 3$\frac{2}{4}$ verum quæ io integris habetur & quæ similem retioet proportionem extremorum proportioni differentiarum ea melior est. Erit prima igitur simplex in multiplicibus velut dupla tripla, & quanto propior æqualitati. Itaque sex qui altera ob hoc tripla mollior est nisi media interponatur: Et interposita media in quadrupla melior quàm diapason diapente seu tripla. Secunda est similium proportionum, quæ quanto proximiores multiplici & æqualitati eo suauiores. Et propriè in extremis. Ita colliges viij. differentias, simplices autem duæ: quarum omnes erunt decem.

17 Omnium præstantissimum est; Qui vult felicem incolumen longam traducere vitam cum honoribus & tranquillitate condirionem receptæ congruentem & similem illi quam alij ducunt & consuetudine traducat. Vnde tres difficultates emergunt, vt possis eligere & inuenire eiusmodi: vt eam assequi, & vti scias ae velis traducere. Vnde vix tolli contingit vt fas sit talem adipisei, variis rationibus, etiam quod in adipiscendo *fortuna votis foueat*. Rarissima enim, sunt vitæ genera in quibus hæc omnia congruant: & vbi adsint non inuicem repugnent: & quod homo perferre possit: vnde calamitates omnibus accidunt quantuncunque etiam in vitæ luculento genere rectè se gerant.

18 Qui natura ad negotia cum impetu feruntur, aut nimiis addicti sunt, aut variis mentem intendunt: aut fama iam sparsa est tales esse vbi negotium aliquod maximè apud ignotos aut cum improbis sociis suscipis, primum remorare impetum, totum te illi dede: singula prius dispone quam proferas: & plura interroga, non vt scias, sed vt tempus habeas. Qui enim, interrogat tempus habet otiosum & liberum. Vnde duo interrogandi genera.

19 D.Op.M. sup:Dei summi vita: Ecce quam bonum & quàm: Domine doce me I, V, Z, Q,D, M, E, I: D, H, M. Est enim 14. ex 11. & 3. Confec. Et 63. produc. ex 7. & 9. Ad v, Def. Ad Iuc. D: Ad G D. vt Dirig. M, & operibus.

20 *XI. 3. tra. 2. cap. 10.* Vires augentur vibo & vino tenui, odoribus (somno) quiete gaudio Societate amicorum, Baloeis mollibus & spe de illis, si non memoria: si nec hoc falsa de huiusmodi imagine: si neque hoc, contratiis eorum, quæ contristant quorum euentus diu abesse non potest, Moriuntur, luctu eotrentur abeunt. Morbis & litibus implicantur.

CAPVT IV.

De suis.

1 NOstros curamus vel propter illos vel filios, vel nos: vt famulos, vel vtrosque vt alumnos. Commune omnibus nulli reddere rationem, cum obsequentes reddere, vis non dociles. Quædam sunt nostri gratia quæ pro dogmate proferimus velut illud (si vis amari ama) Homo solus nullus: vt prosis tibi prosis alteri. Si vis mominari tibi impera. Docendo huiusmodi repete, inculca, vrge, increpa.

Cum tuorum quispiam quasi stupidus esse 2
videtur impera diuersa, & si perseueret malè cogitat, amanda, res enim dira est, & mali hominis. Si contumax te inscio ad sua discedat: redeuntem domestici longius remittant vbi te expectet. Quiuis è domo imperatis responsum statim reddat quod accepit. Leuia peccata grauiter castiga nam si maioribus occurres; eos pœna, diuturna expectatione diserueiabis Maxima præceptorum pars est reciproca, ob hoc. Collocaturus alumnum io domo alterius. Quære vt sit temperatus in victu gnarus fidus Dominus & contubernales vitio eareant cui non possint imperare. Et artem: cuius causa colloces docere abunde queat. Sumpturus in domo famulum, si ornatus: aut furem aut dominum: Si pannosus aut deses, aut flagitiosus. Mediocres, igitur interroga vnde discessit, si vestigium retinet fallaciæ; Non plus vltra. Inde ab illis percontare quo vitio laboret, si negant se scire, iam scis. Potes adiicere cur ergo abiit? Similiter quærere an ille abierit vltro an illi dimiserint? si dicere recusant percontare ab illo, si vestigium retinet mendacij, ne recipias: si faretur quod rarum est non recipies, aut commodiore vteris. Expetes autem fidem, equorum curam, & vt pareat. Et cum discessurus triduo antea moneat. Paciscaris non de magoo labore: sed vt occupatus sit. Pro vxore autem ducenda exige Iuramentum aut promittat. Caue ne vt dici solet (namque ad D. Hieronymum refertur) ne mus in pera, serpens in sinu, ignis in gremio, sic enim malè remunerant hospites suos.

Si furem in domo habeas, habeas cui ar- 3
cana stultè credideris: si testibus præsentibus absque teste dicas, peccasti (in spem & blandè alliciens) magis si quæsiuit, maximè si impulit, at coram illis si sine tum absque querela, at proditorum est, vt Poëta.

Scire volunt secreta domus atque inde timeri.

Ergo amandare qui difficile corriguntur, aut grauiter peccant: temerarios imprudentes perfidos, ignauos, ebriosos, stultos, iracundos, ingratos, contumaces, impuros, sordidos. Sin autem filius eiusmodi sit, prompto famulitio & obsequenti opus est, post quam ratio exempla socij boni minæ educatio extra *Vide c. 17. Sec. p.*
domum non sufficiunt si plures sint castiga exactè, ne aliis exitio sit, & securus de orbitate. Vt Princeps in Repub. ita pater familias in domo abige homines ludos voluptatem incognitos, & qui lingua versatili ditari volunt admitte parentibus obedientes arti suæ addictos: ludum permitte diebus festis, sed plus laboris quam voluptatis continentem pilæ æquorum, agitationem armorum, insiliendi in ligneum asinum, cursus, per funem ascendendi: venationis aucupij, piscandi, alceres & discum: his adde gloriam munuscula, doce plantas & earum vires ae mores. An desunt honesto voluptates remissioribus studiis Musicam canendi atque cithatizandi, natandi latruneulorum: Et quod ad mensam parandam cibos coquendos ver-

rere pauimentum, mundare vaſa, lectos aptare; vnum eſt quod omnia ornat, certo tempore è ſeruitute exire, ſeu arti initiatus ſeu militiæ mancipatus ſeu ducta vxore. Sic educatorum vis vnus è mille extra ſemitam aberrabit, quem reuocabunt natu maiores coniuncti in ſuis exhibentes exemplum. Addere matrem metu ſuſpicionis adulterij ignominioſum eſt, cum exempla non maneant ſuo loco. Quinque ſunt valida præſidia ad mutandos mores timor in ſapientibus, inædia & labor: conſuetudo & ſpes in ſtupidis, timidi præterea & ignaui ad omnia ſunt, & ſe inuicem comitantur. Iuramentum ad multa commodum eſt, & ſæpè mutauit: nam & timidos milites impellit ad mortem. Vtaris vbi emittere nec mutare licet vitiis ad commoda ignauos ſi non ſtupidi ſunt cuſtodiam. Procaces & audaces ad cuſtodiam corporis, iracundos, & duros præfice familiæ: ſtultos contumaces addice agriculturæ ſecandis lapidibus, fabuli arti. In docilibus. Sola tamen ignauia inter vitia inſanabilis eſt. Quin quod Poëta inquit, quæritur Ægiſtus cur ſit factus adulter? In promptu eſt cauſa deſidioſus erat.

In domo habere oportet virum prudentem, bonum, gnauum, tui amantem, cui tota adminiſtratio concredita ſit: hunc aut germanum aut ſanguine coniunctum aut experientia cognitum: non eruditum nec literarum ignarum, non vinoſum, & ſi fieri poteſt vt vxore ac filiis careat; ſtipendio honeſto: Cumque aliquem in domo recipis maximè puerum imitare illos qui Philomenas adultas captiuas habent, non enim contenti ſunt cauea includere, ſed in obſcuro per xv. dies retinent, exiguo cum lumine cibum præbent ac paulatim poſt admittunt lucem, cauſam huius alibi docui: Idem faciunt qui collegiis pueros mancipant non enim ſenſim ad vitam continentem traducunt, ſed ſimul in cubiculum vnum cum ſene continent vix lucem admittentes, & vt ferociores alios poſt vi. menſes, mitiores poſt xl. dies in laxiorem normam deducunt. Sic Turcæ ſuos quos vocant Giannizeros inſtruunt, nec eſt modus alius melior. Quod ſi non patiuntur, nec tu admittito.

5 Tria ſunt compendia in huiuſmodi maximè etiam in his quos emittere non decet. Plus petere vt honeſtum recipere poſſis, quandoque minus & ſenſim procedere iuxta naturam illorum rei, & tempus. Hinc & inde percellere ad animi affectus intelligendos, atque mutandos. Vnde vſque ad mortis minas procedendum. Demum ſi Dei amicus es, curam illius geris imperata facies, & mihi & virtuti amicus eris, ſi non neque ego te gryfacio, age vt lubet contumacem.

6 Vnum præceptum commendat domeſticos domino, & vtiles reddit, & dicitur fuiſſe Salamonis Ama. Explica tribus: cura res tuas (nam illum aut facile eſt aut intelligit) Explica pluribus nihil primum eripies, nihil effundes, nec permittes alium & curabis illius lucra: nec parces laboriomnemque induſtriam adhibebis vt meliorem rem ſuam facias ſeptem, ſi abſcedant compendium malum nullum niſi tua cauſa vndecimo ſexto, Cal. Februarias M. D. lxxiv. Duo ſimul & maximè grati pueri muſici diſceſſerunt. Dixi mecum ſi oderunt te lucrifeciſti ſumptum, & cares duobus perfidis & ingratis: ſi amant & meliorem conditionem nacti ſunt illorum bono gaudere debes. Si deteriorem, aut reuertentur, & firmius adhæſuri, aut non, ideò ſtulti, hoc igitur vtile. Ego opinione decipimur eoque peius cum bona pro malis accipimus, quàm cum mala pro bonis, ſi etiam recipiuntur ad aliis, vel non, nam hoc in tui commodum cedit. Idem nam vel meliore condirione, & ita iniquus es, vel non meliore, & ſi non manet ipſe bifariam ſtultus: aut manet ideoque prauus.

Exemplo maiorum & alienorum tuos & paruulos iuuat commonefacere, & viciſſim pœna in tuos iuſta amplam viam & mitem ingrederis. Quid ergo vt purges domum tuam vitiis radicem exeinde, vt Deo placeas in tuos mitis ſis, tibi vtilis. Non ſæuus, modo occupatus ſed pullulantem vel tentantem imò vmbram eradica: hic ſine labore, abſque periculo mendacium: Dubia reſponſa, ancipites voces, ſilentium, hæſitatio, mutationes, amphibologicos ſermones, imperfectas ſententias, omnes pro fraudulentis & venenatis colubris, vt etiam geſtus & nutus habeto. Plana ergo via eſt, ſi velis, ſi non habes non vis. Doctrina craſſa opus tantum eſt ſimplici, ſecura res nulla impenſa cuique facilis, modo non deſit conſtantia eſt. Hoc viderunt Perſæ olim & nunc (ô felices Scytharum Reges) ſubditi omnes erga illos (ad alios ſemper mendaces) perpetuo obſeruant. 7

Ethic. c. 5. Vide diligenter.

Iube filios vt petant conſilium ab hominibus tibi agnitis quid facere debeant cum veſte indigeant, & tu potenti ſuperbè denegaueris. Et cognito conſilio ſingulorum iubebis vt abſtineat à quibus decet; ita illum tibi obſequentem reddes: ipſe, illis, tibi rectè prouidebis. Id animaduerte puero a omnes non natura læſos ad bonam frugem reduci poſſe pædagogis probis ad pubertatem adhibitis. Eſt enim, dominus habitus conſuetudo exercitatio opus: ex aduerſo exemplum æmulatio perſuaſio pertinacia durities aſſiduitas fames labor frigus: Criminum verò ſæuitia ſine exemplo, & repentina. Et hæc præcipue in pueris. 8

Quædam facere non dicere vt in perdit: quorum ope indigemus Dnſ. in Germin. vitiis I, &, D. ad timidos & prauos N, I, H, d. in Rel. Calend. Si deciperis debes vlciſci illos grauius: ab aliis cauere interim diſcas rependere multo locupletius ob id in domeſticis licet quandoque differre vt furtum in ſumptum mutes. Cum aliquis aberrat, nec poſſunt verbera, ſpecie morbi mittendus ſanguis vſque ad animi defectionem, dandus elleborus, nutriendus ouis & cerebris gallinarum redeundumque ſæpè ad id, mutatur enim temperies maximè in pueris. Meliuſque eſt habere ſuum corpore debilem, quam mente peruerſa. 9

Quod

10 Quòd si plures coniurati vt fieri solet in domo sint, si retinueris vnum corrumpet alios nec tutus eris si simul omnes emiseris incommodum certum, & periculum forsan non leue. Igitur vide vt emittas deteriores alios castiga grauiter, vt vbi inter duxeris nouos etiam reliquos emitte vel in aliam Ciuitatem, vel ex alia elige. Discedere licet necessitate: ob vtilitatem ferendum: plus tibi vncia boni, quàm mali mei libra: amoris enim proportio maior: non tamen omnes eligunt ob odium inde terminatum: ob iram stultum vt malè sit alteri odiosum & infaustum.

11 Vbi iustitia viget aut potens sit, vel fultus tuorum societate, melius est regere tuos in virga ferrea, nam calcitrare aut vlcisci non possunt nisi extrema consilia ineant, at hoc summis suppliciis obnoxium & minima suspitio exquisitis tormentis, ideò tentare non audent, nisi vel impetu iræ, vel stultitia vel iniuria ideo cauendum. Eadem ratio & in exteris sed traducenda proportione non similitudine, hæc igitur quoniam homo animal valde malum, & dolosum atque ingratum. Domesticorum furtis arcendis. Dissimulatio expositio coniectura à personis moribus successibus: socium submittere qui furtum fateatur quod te nolente admiserit: nam si non accusat, amandandus omnino est: si accusat cum emphasi nō absoluitur, si leniter bonum. Inde tentabis artes si non perficit: si super illius pectus iures palpitabit cor. In carcere detentus hæsitat in responsis titubat taciturnus est: sed caue in, bis ne timidum pro sonte accipias. Acres demùm & repentinæ animaduersiones de minimis propriè validum sunt præsidium ad continendos furaces animos. Ita deceptorem, & furem domesticum deprehendere non est admodum necesse cum oporteat non solum esse fides sed tui amantes hoc autem facillimum ex natura, educatione & conuersatione curáque tuarum rerum aliisque indiciis. Attamen vbi studium sit cognoscendi fides à perfidis tam facile est in magnis & assiduis furtis (vt in Antigorgia dictum est) quam damnosum & adhuc magis periculosum. Igitur via compendiosa est mittere ad venditorem & queri de iniusto pretio, ille vel metu vel verecundia aut ne illum deserat illum inspiciet statim si conniuent,: adferet aliam causam si decepit: si aberrauit offeret satisfactionem, quicquid sit ea dicet per quam manifeste deprehendes de tuo œconomo qualis sit. Hoc cum facere pro arbitrio possis, in tua erit potestate scire qualis sit fides tui ministri: In pueris autem facile est; sufficitque sola elatio fidei ac prædicatio: aut enim desistent, aut statim deprehendent.

12 Neque œconomum neque illo inuito neque vbi non adest mulctabis delinquentem in re tua, efficies enim furem, sed abiges, aut verbera. Compendium rei familiaris & pecuniæ & domesticorum institutio: vt omnia emant pacto retrodandi. Quod si quidam non recipiant scis (maius emolumentum) à quibus cauendum.

13 Hic succurrit exemplum de his qui malè regendo suos, corruunt: præcipuum fuit in tam potenti Rege Alfonso Aragonum & Neapolitanorum qui cum lauare vellet manus annulos dederit cubiculario: qui simulata obliuione in proprios vsus eos verterit. Post aliquantum temporis cum Rex ipse denuò lauare manus vellet illeque se obtulisset rursus accepturus quos tum haberet annulos. Rex ad illum inquit satis est de illis. Cum de hoc mecum cogitarem desij admirari cur filij nepotésque funditus deleta Stirpe regno euersi sint: etiam maiora promeriti, qui tum singulari stupore eum, quem palo suffigere parum fuisset dimisit, nec restituta re, nec proditore diuulgato: nec tam longam iniuriæ meditationem horruit. O Regis stupidi aut improbissimi caput dignum, quem fures spoliarent proditores perderent: facinorosi ad perniciei suæ suorumque occasiones obseruarent, generosi vt ingratum fugerent: boni tanquam sceleratorum ducem, strenui contemnerent: Ergo quod Tiberij sæuitia, Augusti scelerata & prodigiosa crudelitas & parricidium immensum, tótque sequentium Imperatorum incredibilia flagitia non potuerunt hic vno actu promeruit, indicauit, traxit.

FINIS.



LIBER
DE ORTHOGRAPHIA
PROOEMIVM.



VM turpe magis sit nescire Latinè scribere quam pulchrum scire, ob id breuiter de recta scribendi ratione agere decreui, nihil omittens necessariorum, sed non necessariorum mihi adiicere decreui enim. Dici solet vitam esse breuem, artes autem longas. Esse autem Grammaticæ partem haud dubium est, cum catulum & catullum catulúmque non aliter intelligere quid significent possimus quam ex recta scribendi ratione, dicemus Q. Catulum & Poetam Catulum, & catulum leonis. At cum hæc pueris & adolescentibus principaliter scribamus, modum qui maximè ei ætati conuenit sequi oportet, non obliti tamen & fidei ac testimonij rerum traditarum, & ordinis quò clarè exponantur, & vt perpauca plura intelligantur.

REGVLA I. *de numero & forma & magnitudine litterarum & propriis idterismis.*

II. *De Prima & secunda diuisione Elementorum & Alphabeto Græcorum eiusque diuisione.*

III. *De Diphthongis in vtraque lingua & aspiratione in Græcis literis.*

IV. *De* L, & K *quòd non sint littera & de transitu literarum à Græca in Latinam linguam.*

V. *De Tertia & Quarta diuisione literarum consonantium.*

VI. *De duabus aliis literis vocalibus consonantibus & digammate.*

VII. *De duabus præcipuis causis erroris in scribendo.*

VIII. *De triplici affinitate literarum interse, & de 24. littera.*

IX. *De literis maioribus in initio ponendis, & diuisione syllabarum.*

X *De duplici difficultate circa vsum.*

XI. *De compositione dignoscenda.*

XII. *De Diphthongorum ratione.*

XIII. *De ancipitibus literis.*

XIV. *De literis quæ colliquantur*

XV. *De deriuatione*

XVI. *De litteris quæ numquam in fine dictionum inueniuntur.*

XVII. *De literis quæ se non consequuntur.*

XVIII. *De geminatione litterarunt.*

XIX. *De iudicio adhibendo,*

XX. *De compositione dignoscenda.*

XXI. *De mutationibus vocalium in compositione.*

XXII. *De consonantium mutatione,*

XXIII. *De Consonantium ad vocales comparatione.*

XXIV. *Quòd modus scribendi variat significatum.*

XXV. *De his quæ ex conuersione aliarum linguarum.*

XXVI. *De multitudine consonantium.*

XXVII. *De Pronominum compositione acque varietate.*

XXVIII. *De aspiratione.*

XXIX. *De pugnantibus scribendi causis*

XXX. *De syllabis primis, secundis & tertiis ab vsu & authoritate veterum.*

XXXI. *De accentibus ex Aldo Manutio.*

XXXII. *De diuisione Orationis.*

ORthographia est recta ratio scribendi, id enim nomen eius ostendit non vt ita proferamus quemadmodum scribimus nam scribimus Cainm & Cneum & proferimus Gaium & Cneum per g. eius autem duę sunt partes, Scriptura quæ prolationem consequitur seu sonum literarum & puncta quibus distinctè proferimus, ergo de prima parte prius dicendum erit.

Scribendi

Scribendi & proferendi quinque cum ſint rationes quæ vocem variant non omnes ad Orthographiam pertinent nam ſolum variamus propter litterarum varietatem velut tẽplus & templum Dauit Dauid, Dauidus hæc non ad Orthographiã ſed ad latinitatem pertinent; ſecunda eſt in qua multum Græci laborant, at Latinis parrum in vſu, ſcilicet accentuum obſeruatio. nam cum tres ſint accentus, grauis quo vtimur in fine dictionis, cuius vertex rendit ad ſiniſtram, acutus quo in fine vtimur ſequente enclitica, & circumflexus quo Latini ſolum in medio ad diſtinguendum ſignificatum vtuntur, vt lepore pro animali & lepôre qui eſt venuſtas dicendi, de quibus tres regulas ſubiiciemus, quoniam & hæc pars eſt rectè ſcribendi. Propria autem Orthographia conſiſtit in his quæ cum ſimilem habeant ſonum ideſt parum differentem, bifariam ſcribi poſſunt, hoc autem tribus modis contingit: vel ob litteræ vel litterarum ſimilitudinem velut dictum eſt Cneus & Gneus, parum enim, ſono differunt & ſulla, Silla, Sylla, nam ſi multum differant vt templum & remplus, vitium eſt latinitatis, erraſſe. Vel vt ſcribatur ſimplici elemento aut duplici vt religio & relligio vel vt litera quæ addit ſonum nullum habeat vt Hanibal & Annibal infscoo, inchoo incoho vel quia coliqueſcat vt ſilla & ſcilla, ſcit, ſit quorum ſignificata quantum differant ſatis apertum eſt.

Neque verù expectare oportet vt in Geometrieis demonſtrationes licet noſter Scaliger conatus ſit eorum reddere rationem, nihilominus omnes ab vſu deriuantur, nam ab eo omnia originem ſumpſerunt, non enim eſt cur magis ſcribamus omo & homen quam contraria ratione omen & homo ſiquidem nihil hæc ad ſignificatum modo vſus admitteret ſed quoniam tes plures ſunt dictiones venuſtæ paucæ coacti ſunt magiſtri Grammaticæ, imo conſenſus hominum ad hoc neceſſario deuenit vt ex quauis minima differentia proferendi inde ſcribendi variarent ſignificatum atque id non parum ſcilicet ne ob affinitatem vocum & ſenſuum frequens error accideret niſi enim plurimum differrent amo quo animi ſignificatum declaramus vt hamo quo ferrum retortum ad capiendos piſces intelligimus, facile in errorem lectores perducerentur.

Ergo hinc habet origiuem Orthographia iuxta quam tres ſunt partes eius, ratio, vſus & lingua, lingua quidem velut cum dicimus Cyrus quia ſcribitur Græce κύρος non κιρος & biancus non albus, proprium viri nomen bianco dicimus Italica lingua vnde notandum eſt quòd in tranſitu à lingua ad linguam in propriis plerumque & magis ſeruatur etymon quam in aliis cauſis. Vnde Græci aberrarunt ſcribendo Ανιβας, pro Αννιβας ideſt Annibalem ſine aſpiratione quaſi ad concionandum ineptum cum Latini cum aſpiratione proferant.

Verum à ratione dicimus quando generali regula comprehenduntur, quòd ſi ab eadem deuiare contingat vſum excuſabimus, erunt ergo quatuor partes in vniuerſum generaliſſimæ à ratione generales à linguæ origine, ſpecialis ab vſu & ab accentu, de ratione ergo primum dicendum eſt.

Ratio ergo rectè proferendi ex tribus generaliter ſumitur tanquam finibus diſtinctionem euphonia & carmine, ab ipſa verò rationis ſubſtantia differentiæ ducuntur natura literarum, declinatio, deriuatio, compoſitio & res ipſa ſignificata; ergo primum de literarum natura dicendum eſt.

REGVLA PRIMA.

De numero & forma & magnitudine literarum & propriis ilterismis.

Literæ apud Latinos ſunt viginti vna, a b c d e f g i l m n o p q r ſ t u x y z. Et hæ ſunt minores: Maiores autem totidem, & eædem ſcilicet A B C D E F G I L M N O P Q R S T V X Y Z; Sunt & maximè ſimiles magnis, ſed grandiores multo & elaboratæ duplici maximè linea, & vacuo inter eas contento: quarum vſus eſt ſolum in initiis librorum aut capitulorum, ſicut magnæ in principio ſolum dictionum ponuntur, nunquam in medio, multo minus in fine. Sed in his locis vtimur tantum paruis, verùm ſ, minore vtimur tantum io fine dictionum, in medio namque & initio earum vbi magna non opus eſt, habemus quartum genus ſ, quod mediam vocamus quæ ſimilis eſt paruæ quòd collocatur in principio ſolum cum magnam collocare non licet & quòd in medio collocatur: magnæ quòd non collocatur vnquam in fine niſi ante encliticam vt eo vſque, Porrò magnum ſ & maximum non mediæ ſed minori aſſimilantur, magna tamen formarũ plurimum differt à paruis niſi in C O P S X Y Z. Sed F L & Q non admodum differunt forma à paruis literis, I quoque cum magnum eſt ſine puncto ſcribitur atque in hoc paruum à magno ſolum differt: nam in paruo adiicitur ſupra punctum: quia aliter duplex ij, tranſiret in y aut n vel u & i ſimplex cum u vel o tranſiret in m & i cum m in duplex, n, ideò puncto

diſtinguitur

distinguitur inuenta & est ſ, media vt non adeò desormem efficeret dictionem in medio: nam seiuncta est grandior & maius occupat spacium: coniuncta quasi efficit q, formam autem d, vel b, cum l, aut p, quod vitium est etiam inter o, sequente l, vel i, vt non nunquam ambigas, sæpè etiam c, & e, ob similitudinē inter se confunduntur cum per se scribuntur vt in Geometricis demonstrationibus: propterea ego consulerem vt scriberetur e, parum retro acta linea, quòd etiam facit ad gratiam. Porrò literæ omnes ex quadrata forma detruantur minores quidem, vt b, nam tertia pars est in imo, dimidium erectum est supra, sextante pendit antrorsum, anguli tolluntur merito quia vt dixi continetur quadrata figura non tamen elementum ipsum quadratum est. Magnæ maximæque dupla ratione solum constant vt P, Q, aliæ quadratæ simpliciter vt A B C M, velut & ex paruis a c e, sed, i. longitudine caret. At de his si plura voles consulas Lucam Pacciolum, atque Vernerium. Nulla præterea consonans sonat a nec o, Q sonat u, x, sonat i, reliquæ tredecim sonante in initio vel fine.

Regvla II.

De prima & secunda diuisione Elementorum & Alphabeto Græcorum eiusque diuisione.

HArum igitur duæ vltimæ scilicet y & z Græcæ sunt non Latinæ, & quanquam omnes literæ a Græcis fluxisse credantur & ad illos ex Phœnicibus iuxta Poëtam illum.

Phœnices Græcos Græci docuere Latinos.

Vt ferunt Euander seu illius vxor eas in Italiam detulisse, alias tamen non appellamus Græcas, quòd ab ipsa origine Italicarum rerum iam ingressæ essent, atque ita, vt formam commutauerint: at hæ duæ recentes sunt & formam eandem quam habent apud Græcos ferme retinent, nam maius Y Latinum à Græco differre non videtur præterea proprietatem suam retinuit scilicet in initiis aspirationem. Sunt autem Græcorum literæ plures nostris scilicet viginti quatuor αβγδεζηθι κλμνξοπρστυφχψω. Quarum sunt septem vocales αειηουω. At apud Latinos tantum sunt sex vocales a e i o u y, ratio est quòd o nostrum æquipollet o, & ω Græcorum & e, nostrum e & η, Græcorum adeò vt cum his sex vocalibus lingua latina fit locupletior Græca ipsa vocali u, Dicuntur autem vocales quia vocem per se habent vnde etiam consonantes quòd in sono suo vocalem necessario contineant. Erunt ergo consonantes Græcorum decem & septem scilicet, βγδζθκλμνξπρστ φχψ, Latinæ quindecim hæ b c d f g l m n p q r s t x z.

Regvla III.

De Diphthongis in vtraque lingua & aspiratione in Græcis literis.

GRæca lingua habet sex diphthongos αι, αυ, ει, ευ, οι, ου, hic verò sonat u, Latinos quo diximus esse dissituros Græcos, Latini autem habent tantum quatuor æ, & œ, qui scribuntur, sed non proferuntur, efficiunt tamen syllabam longam. Et omnis genitiuus & datiuus numeri singularis, & omnis nominatiuus numeri pluralis primæ declinationis nominum diphthongum recipit ae, sed a a, & eu: reliqui diphthongi scribuntur & proferuntur, & sunt etiam ipsi longi: & in prolatione diuidi non debent, cum verò duæ literæ ex his quæ solent componere diphthongum non componunt iunctæ diphthongum; diuidi solent per duo puncta superposita, vt Poëta. Sed diphthongi Græci omnes non sunt apud Græcos longi sicut apud nos, verū habent literas semper longas loco diphthongorum, qui possunt esse breues: nam η & ω semper sunt longæ, ε & ο, semper breues, habent & Græci Diphthongos improprios vt ᾳ, ῃ, ῳ, qui sunt extra arcam: verùm habent duo genera aspirationis plenum & tenue: plenum significant circulo ad dextram conuerso, tenue ad sinistram vt ἁ ἀ, & ideò in initio distinctionis cuiuscunque a vocali incipientis, aut ἱ apponunt notam spiritus etiam si tenuis sit; ex his υ inter vocales ab initio semper aspiratur. Quatuor quoque consonantes etiam semper aspirantur θ φ χ, & ῥ si solum sit, si duo secundum reliquarum consonantium nulla aspiratur, neque denso neque tenui spiritu: vocales autem sex, reliquæ in initio non alibi modo aspirantur, modo sunt tenues.

Regvla IV.

De L, & K quòd non sint litteræ & de transitu literarum à Græca in Latinam linguam.

HOc igitur videntes Latini non aspirationem supra, sed h, loco densæ aspirationis in distinctionibus interposuerunt, aut antepofuerunt, existimantes vbi non adsit debere intelligi, vt aspiratione tenui proferatur cum ergo nulla consonans apud Latinos, aspiretur denso spiritu quandocunque inuenerimus ch, ph, th, th, in dictione aliqua aut y, aut z, intelligimus statim eam dictionem non esse Latinam, sed Græcam, vt lycia lycisca Orthographia, verum tenuius proferunt Græci tenues quæ sunt κπτ, quam Latini c p t, Sed neque in medio h, post vocales nisi raro inuenitur in principio frequenter, vt hædus, hallucinor. Aliquando ex litera fit veluti hariolus exfariolus, sed hoc antiquum, meum autem non est obsoleta sequi quando vsitatis satisfacere nequeam n, illic istic, illuc istuc, illac istac transeunt hic huc hac, literæ autem Græcæ sic ad Latinos transeunt αβγδ, a b c d e breue ζ, η, z, t, vel i, longum, θ, ι, κ, λ, μ, ν, ξ, ο, χ, ψ, th, i, o, l, m, n, x, o, breue, π, ρ, σ, τ, φ, ω, p, r, h, s, t, y, ph, ps, o longum. Præterea αι, in æ, υ, in gs, vel au ω, in ef, vel eu, oi, in i, ω, in u, ε, in a, longum, ij, in y quòd tamen tarò accidit. At R, apud Latinos litera non est, sed tamen in Kalendis, vsi sunt veteres, nec alias admittitur.

Regvla V.

REGVLA V.

De Tertia, & Quarta, & Quinta diuisione literarum consonantium.

Consonantium ergo quindecim aliæ sunt mutæ, & sunt quæ vocalem in fine sonant, & sunt b c d g p q t z, aliæ quæ vocalem ante sonant seu in initio prolationis, semiuocales & sunt f l m n r s x, sed quoniam tres sunt literæ duplices q, quæ, sonat qu, semper z c s, z verò s s, sed tenue ex semiuocalibus, sunt etiam aliæ duræ f & x, aliæ prorsus liquidæ l & r, aliæ liquidæ non tamen prorsus m & n, vna media quæ est s, liquidæ prorsus sunt quæ coniunguntur optime postpositæ aliis vt pratum, gnatus, plenus, Imolus nec scio cur m, posuerint liquidam nisi quia liquescat in fine dictionis in carmine velut apud Catullum:

Persequamur eam & reflagitemus,

Duplices nunquam duplicatæ apud Latinos nec Græcos inueniuntur, vt duplex x, aut q, aut z, neque vt vna alteram quomodo vis sequatur: cum de z, materna lingua frequentissimum sit exemplum, vt *richezze*. Sed neque q, aut z, vlla alia consonans sequitur x, tamen sæpe in compositis à propositione ex, vt expeto, extendo; aliter negant posse dici textum à texo, mistio sane scribi debet, non mixtio, sed z, aliquando in peregrinis postponitur consonanti vti Ariobarzanes: Eædem sunt literæ non antiquæ vnde veteres scribebant, locuntur pro loquuntur.

REGVLA VI.

De duabus aliis literis vocalibus consonantibus, & digammate.

IVstus & cornus literas altera i, altera u, habent alias à vocalibus, quæ scilicet sonum retinent consonantium, ita iacet vt iouis, sed ij facit duas syllabas semper, je autem in ieiuno ientaculo, & iecore, & quæ ab his non aliis, nam iens facit euntis, vado, veni, viuus volo vultum, sic seruus, ceruus, fuluus, Dauus vnam; duæ autem similes literæ in eadem syllaba esse non possunt: ideò excogitarunt Grammatici inter quos fuit Claudius Cæsar, vt loco primi n, Ϝ, pronunciaretur: ſerſus, corſus, ſurſus, Daſus, F,verſa, atque ita in vnicam syllabam, hæc coibant. At de equus quid afferre poterat: Verum hæc nihil ad rhombum, vt dici solet, quandoquidem mutato sono mutetur & litera: ob id desiit hæc curiositas inanis, & inuentorem digna suo; nemo enim nunc hoc genus scribendi sequitur. Germani tamē etiam non in digammate sæpius pro n, f pronuntiant: vt finum vini loco, vitio potius linguæ quam arte, villa. Quandoque i, vocalis remanet vocali sequente, vnde fiunt duæ syllabæ, vt hyarbas, pietas, & in u, suauis, Suetonius, Liuius.

REGVLA VII.

De duabus præcipuis causis erroris in scribendo.

REpetentes igitur omnia, ab initio docere instituimus vnde, nam contingat quòd cognita, recta ratione proferendi, nihilominus, peccemus in scribendo, nam rectam rationem pronunciationis tenere quemvis qui velit rectè, scribere iam supponimus, neque enim sine illa quisquam proficere poterit; nam pronuntiationem esse ante scripturam, & origine priorem docuit, Philosophus in libro de Enuntiatione, dicens res primo esse, inde animo concipi post proferri demum scribi. Indicant & tot gentes, quæ sero scribere didicerunt: velut Germaniæ populi quidam non ante multos annos, & Indi etiam Occidentis admirantur, hanc ipsam scribendi industriam; vicissim tamen ex malè scriptis libris, etiam pronuntiatio vitiatur. Ergo cur vitietur causam quæsisse, operæ precium est. Et inuenisse ferme necessarium non solum quoniam pulchrum sit scire ipsum, sed quoniam medela omnis circa causæ ablationem non tantum in corporeis morbis, sed etiam in vitiis quibuscumque consistit. Ergo vt dixi constituta pronūciationis, rectè scientia bifariam planè, in scribendo errare contingit: vel quia non quemadmodum scribimus, ita pronunciamus, quòd Quintilianus docet dum dicit t, in d, & c, in g, molliri. Et quanquam non vt in Græcis, tam frequenter, vt cum γ, ante aliud γ, &c., sonat ν, vt ἄγγελος Angelus non aggelus ἀγγέλω, ancylia & ἀντί pro contra, andi non anti; attamen &c, pro g, scribitur vt diximus in Cneo & Caio. Et d, pronunciamus pro t, vt quatringenti quadringenti, sed hic non solum pronuntiatio, sed scriptura mutatur: velut etiam in septingenti loco septincenti; sed forsan hoc dixit ob Græcos: vel quia non adeò perspecta est pronuntiandi ratio; vtrumque autem multifariā: & primum ergo cum aliter vt dixi scribimus quam pronunciamus, vt Gneum & Gaium pronunciamus, Gneum & Gaium curculionem scribimus: non ita accipiendum est vt Gneum, perfectè Gaium aut gurgulionem pronunciemus; quid enim vetaret quin vt pronunciamus scriberemus? Sed alterum duorum est, vel vt ab initio scriptum esset Cneius quia ita pronunciatū inde deflexa vitio pronunciatione in Gneum retenta fit scriptura prior: vel vt ab initio Gneus pronunciaretur sed paulatim deflexo verbo in Gneū, tum quid medium inter c & g, illa scriptura significatum est, vtcumque sit illud non est credendum vt simpliciter g, pronunciētur sed medium inter vtrumque, alter modus huius membri est, vt litera colliquescat in pronunciatione quod maximè contingit in c, litera, pronunciamus enim in scio sio ferme, & in scedaso sedasus, non perfecte, vt dixi sed c, litera quasi colliquescente. Tertius modus est cum mutatur in compositione velut: Eligò ex ex & lego, & accurro ex ad & curro, vel quoniam mutatur ratione declinationis vt mendax mendacis non mendaxis vel quoniam ex succedente, litera mutat sonum vt iustitia pronuntiatur iusticia. Secundi

cundi modi ratio est, ex non perfecta ratione pronunciandi quæ contingit vel quoniam quod additur litera non est, vt traho trao: neque enim litera differunt sed, sula aspiratione: vel quia est litera sed non profertur, vt in primis diphthongis, vt sæpe, vel sepe: vel quoniam similis est, quæ addenda est vt littera pro litera: nam vicissim addendo vel detrahendo vbi non oportet errare contingit, vel cum pronunciatio pendet ex accentu, vt lego & lêgo: Et rursus cum pronunciatio nõ est perfectè, nota vt inter m & n, quę natura sunt similes, vt tyrannus & tyrammus: demum cum mutatio fit ex sequente litera vt tanquam quia q, sequitur pro tamquam; vt sint in vniuersum vndecim modi: Propterea diligenter prouidendum est, vt titè assuescamus pronunciare, cum ex pronunciatione scriptura, vt dixi maxima ex parte oriatur.

Regvla VIII.

De triplici affinitate literarum inter se, & de xxiv. litera.

POrrò literæ in literas commotantur, vel ratione permutationis vel soni, vel permistionis. Permutationis maximè duabus ex causis declinationis, & compositionis. Cum enim declinatio facta sit, ob variationem oporteátque variari, plures literas, necesse est vt commutentur: maximè vltimæ sicut in compositione variantur primæ, videtur autem c, elementum triplici commutationis genere ob maximam affinitatem, quam habet cum pluribus præstare. Habet aatem primi generis affioitatem cum x, & g, secundi cum g, & t, tertij cum s, cum x, quidem ac omnia nomina quæ in x, terminantur præcedente a, vel u, genitino commutent in c, & meritò, nam dixi x, quasi esse c, cum s, nil mirum igitur si primam partem in declinatione retineat labrax ergo labracis, edax edacis, bibax bibacis, procax procacis, lanx lancis, Demonax Demonacis, fax facis, fallax fallacis, lux lucis, crux crucis, dux ducis, trux trucis, nux nucis, efficax efficacis, nox noctis, sed assumit t, Iure autem x, transit in c, sæpe, iudex iodicis, uex necis, aurifex aurificis, podex podicis, ramex ramicis, codex codicis: nonounquam io g, lex legis, rex regis in i, transit in u, quandoque nix vt niuis, sandix tamen & appendix faciunt sandicem appendicem; cum q, quis cuius cui. Quum aduerbium, & coniunctio transit in cum & tunc non solum aduerbium, & coniunctio, sed etiam præpositio esse potest. Causa huius est quòd neque Hetrusci, neque veteres Romani q, litteram habuerunt, ideò Cirinum pro Quirino pronuntiabant. Soni autem vt dixi cum g & t, sed cum t, duntaxat cum ante i, ponitur vt semper pro t, scribendum sit nisi deriuatio obstet vt facius a, facio Iudicium à iudico, dicemus ergo iusticiam, & scribemus iustitiam à iusto. Et laurentius à laurento, & litium à lis litis, & vitium à vito vitas quid vitare ipsum oporteat. Sed in permistione cum s, sequente tantum e, vel i, vel ae, diphthongo vt in sedaso, Scæuola, Scipione, scio, scena, scelus, scytha, scytala, innumerisque aliis id genus, in qoibus colliquescere c, videtur sed verius permiscetur fitque, quòd scribi nullo modo potest sonus s, c, plenioris, barbaris in vsu frequenti. & est vigesimaqnarta litera Latinorum. Quæ autem non commutant sunt velut g, & f, & r, de quibus sursum agemus cum specialiter sermo de his erit.

Regvla IX.

De literis maioribus in initio ponendis, & de diuisione syllabarum.

LIteris maioribus plurifariam in initio dictionum vtimur: nam in titulis vulgare est: Primum cum dictio est initium orationis, quæ ex anteriore non pendet licet sit idem subiectum. Scilicet vt aliud diuisionis membrum, vel materiæ, vel rationis amplectitur; vt cum multa argumenta principalia adducimus ad rem demonstrandam. Secundo cum testimonium aut verba alicuius inducimus, prima dictio notanda est litera maiore; quin etiam quidam totas dictiones; ita scribunt, quòd superfluum existimo nisi admodum paucæ sint dictiones, vt verba taburarum in libris de legibus, & Senatus consulta in orationibus, aut quoniam exponenda sint, vt Epistola M. Antonij, ad Octauium, in Philippica secunda; & verba authorum quæ cum commento seu explanatione imprimi solent, similiter & initia carminum. Sed in continua oratione quæcunque tractationis cuiusdam subiectum, quoddam esse videntur primam dictionis illius literam magnam habere debent; huiusmodi sunt aduerbia numeralia vel nomina suo loco posita scilicet quæ orationem distinguunt; velut primum sciendum ac sic deinceps. Et cum velur aliena etiam nostra referimus, vt primum diximus si ab hoc inchoet oratio; sed & nomina propria, prænomina, cognomina, agnomina tamen locorum omnium velut vrbium, villarum, artium, oppidorum, prouinciarum, montiom & gentium: sed non ab illis deriuata adiectiua velut Græcæ doctrinæ. Dignitatum tamen semper vbi vno elemento, significent S P Q R. Sed & breuitet, & perfectè scripta Respublica, Consules. Rex Dij: Senatus tamen & quòd maius est, imò maximum neque Cælum, neque solem dignantur, hoc nomine in quo nil possit esse uoo singulare, vnde etiam sol dictus est quia solus, sed nec bominem aut leonem, hoc honore dignantur, quu irum locupletatiint. Breuiter mulritudinem non putarunt hoc munete decorandam, sed id tantum quod vnum refert. At Tartara & orgia sacri genus cum umnibus eiusmodi maiore litera scribimus; lapithas Phlegiasque, Romanos Dardanios, Græcosque, hæc vltima deriuatio quæ soleat maiore nota scribi; Sed & acres c, magno scribunt. Nec male fecerit qui Mastichinum aur Rosaceum, dixerit vnguentum non mastichinum aut rosaceum. Et quæcunque digna sunt nota ob quam hominis mentem ad se trahant; nam cælum aut solem nullius facti originem fore existimarunt, nec in quæ

agere liceret at Iouem, Martem, Apollinem, Deum Italos posse esse authores alicuius egregij facti credidere Italiam verò aut Romam quæ pati tale quid posset. Hæc ratio videtur melior originis huius consilij quanquã non ad vnquem seruata. At cum non possimus in perpetuum trahere scripturam, sed regredi cogamur nec difinita ratione dictionum finem imponere, diuidenda est dictio vbi syllaba finem accipit vt distringo non districingo.

Regvla X.

De duplici difficultate circa vsum.

Diximus superius vso constare rectè scribēdi rationem vt etiam reliqua quæ ad verba pertinent vt in libro de conscribendis libris. Hoc testimonium ergo à vetustis scripturis accipere conuenit: ergo à codicibus antiquis, & marmorum inscriptionibus, atque hæc est consuetudo. Sed in his duplex, & grauis est difficultas, prima quoniam & ex librariis illis manifestè quidam imperiti erãt, imo necesse fuit omnes aliquando aberrasse seu ob celeritatem, seu fatigatos, seu imperitia ipsa, neque enim verisimile est quempiam & maximè seruorum (quorum proprie fuit hoc munus) tenuisse linguam totam tantum seu Græcam seu Latinã, quandoquidem nunc vix cum tot Lexicis, Calepinis, Cornucopiæ thesauris possimus omnia comprehendere, Multo minus in lapidibus qui opera imperitorum fabrorum inculpebantur, ob id testimonium hoc valde infirmum est, cuius inditio est tam multiplex scriptura de plerisque verbis vt illud de his (quamquam alia ratione dictum sit) intelligi possit: Grammatici certant, & ad huc sub iudice lis est.

Altera difficultas est quoniam dum quod antiqua lectio hoc vnum velit, in quo à vulgata dissentiat, num debeamus illam sequi? tum quia iam exuleuerit vsu, tum quod necesse esset tot libros mutare, sub qua ambiguitate castigationes illę eruditæ Petri Victorij super Ciceronem, & Pierij super Virgiliũ comprebenduntur. Propterea in his duobus (meo iudicio) opus est auxiliis; vno vt videamus quid magis cum regula ipsa conseotiat an antiqua lectio librorum, an vsus ipse præsentium. Atque in his etiam comprehendo libros Pandectarum qui sunt de Iurisconsultorum, & Imperatorum responsis quæ tamen sub persona Iurisconsultorum reddita sunt: quandoquidem verisimile via sit, inter tot curas, & grauia negotia imò re verius dicam, sub tanto luxu operam illos dedisse iuri; multo minus sermonis elegantiæ aut candori linguæ tam in structura quam verborum synceritate, tum verò iam obsoluerat lingua Iustiniani ætate, cum multo antea desierit esse pura, vnde querela illa Quintiliani quæ multo ante fuit Iustiniani tẽpore. Imo ne Seneca quidem purè locutus est qui sub Claudio, & Nerone Imperatoribus floruit. Et vt verè dicã angustissimos terminos synceritatis nacta est lingua Latina quæ sub Cicerone incœperit, quandoquidem, & de hoc ipse glorietur, & Sallustio quòd obsoleta in suis scriptis inseruerit vitio vertatur: desieritque cum eodem Cicerone ciuilibus primis bellis ne dicam etiam secundis Cæsare, ob gratiam Gallos in Senatum admittente: Vnde illud vulgatum de illo Bonum factum, si quis Senatori nouo curiam monstrare velit, corrupta enim cum primum est lingua Romana, sed longè magis succedentibus trium viratus temporibus in quibus extincta tam magna parte populi Romani ferme tota ciuitas cõstitit peregrino habitatore, vt tempus illud floreotis linguæ vix vigintiquinque aut triginta annos impleuerit, sed neque illud vos mouere debet quòd in pandectis antiquorum Iurisconsultorum verba contineantur, cum ad id respicere non debeamus cuius temporis, fuerint verba, sed quo tẽpore potius trãslata atq; transcripta fuerint, nam illud magis refert quo Librarius tempore, quam quo tempore floruerit Author, nam & imperiti florẽte lingua malè, & periti iam senescente bene scribere possunt. Quin etiam cum Iustinianus Græcus esset, & in Græcia habitaret qui verò conuenerunt corrigendarum legum causa, seu colligendarum non minus fuerint Barbari vt etiam nunc quam Latini vel Græci, constat hoc in argumento libro illi Pandectarum paruam fidem adhibendam esse. Alterum ergo auxilium ex Carminis lege deducitur, qua arcta ratione ac quasi constricta vinculis coguntur dictiones in ordinem quanquam haud me lateat, ipsa censura corrumpi verba, vnde multi litteras pro literas carminum causa perpetam scribunt, atque ita de multis aliis, sed tamen hoc tantùm de geminatis consonantibus.

Regvla XI.

De compositione dignoscenda.

Compositio duplex est, alia originis vt frater i. fere alter & est occulta & non dum factæ dictionis, alia duarum dictionum velut addo ex ad & do, admoneo. In hoc secundo genere litera plerunque geminatur, alias similis alias dissimilis, Oedipum à syllaba quod non ea ipso quasi equo sed ex οἰδεῖν πόδας, i. à pedum tumore. Inspice ergo abiecta prima syllaba an dictio sit à deinde cõsidera quę prepositio anteponatur: velut amẽtis nominatiuus est amens cuius postrema pars est mens detracto a, a autem præpositio est ideò dignoscimus simul & quod componitur, & quomodo scribendum, tamen sit simpliciter, sed in quibusdam est difficultas non pauca, vel ex natura dictionis vel ea magna mutatione in compositione vt in eligo, quòd componitur ex, & lego abiecto x, & mutato e in i, ex natura autem dictionis quandoque etiam accidit vt dixi licet rarò; vt in pręter quod non componitur licet præ & ter significent, & aliquando secus vt ignosco à gnosco cõponitur, sic nec prehendo nec prętet, & generaliter omnia quę composita Latinè videntur à Latina compositione sed verbo Græco eoq; simplici deriuantur? Inducias etiã ab in & duco quisque componi præsumpserit, ad id non sed nomen est per se, & nimis curiosa

curiosa est compositio Gellij inde vti iam, sed vt dixi huiusmodi rara sunt quę fugiát deprehensan; componuntur autem nomina non solum & verba cum præpositionibus qoòd frequentissimum sed & cum aduerbiis vt benefacio, & aduerbia inter se nonne nonnihil & propositiones vt præterquam, & duæ coninnctiones vt quanquam. Nolo compositum esse ex non & volo declinatio ostendit: siquidem non vis non vult, malo etiam mauis mauult vt constet ex volo, & magis abiecta tota syllaba, sed & nomina inter se etiam licet tarò, & longè tarius verba, ergo declinatio sæpe detegit natûram verbi, seu nominis.

Regvla XII.

De Diphthongorum ratione.

CVm duo sint diphthongorum genera vt dictum est ao & eu quoniam proferuntur propterea paucas habent exceptiooes, si enim vocalis sequatur auco auitus auarus auidus tueho, euinco, euoco, diphthongi non sunt quoniam u, consonans est, at si consonans seqoatur pauca sunt io quibus diphthongus non fit vt audio, aufugio quamvis fiat mutata bi in u, vnde notabile est, sed si diphthongi sint æ vel œ, præstat scire quomodo scribendi sint quando qoidem non proferantur, tamen misto sono proferri debent vt ab etymo fiunt, autem maxime in sex casibus vel ex prima declinatione nominom velut dictum est supra vel ratione præ præpositionis quæ sola cum suis compositis diphthongo constat, inter omnes præpositiones & coniunctiones dicam, & interiectiones si Papæ excipias nihilominus tot tantáque verba amplectitur, vt sola omnibus aliis æquiualeat vnde tot composita ex aduerbiis ædepol sæpe, tertius casus est ab origine vt cœlum æqualis, & quæ ab bis deriuatur ita sæculum secundum aliquos sæps præs sæuio atque ab his, quartus est à Græca lingua nam α, ι, in æ, transit ordine quodam sed & οι, in œ, vt οἰδίπους, œdipus, quintus est ex relatiuo quæ, & eædem io secunda litera aliisque similibus, sextus, ex propriis nominibus vt Æocas, œtoli, tum ergo e, natura breuis producitur diphthongo signanda est æ, quidem in parte inferiore œ, in medio sed au, & eu, noo nisi propter carmen considerantur, at Poëtarum licentia est vt collectas diuidant & diuisas colligát vnde parum refert seu Poëtæ, non sint seu sint, & abutantur hoc nomine illud solum considerandum s, interpositam impedite coniunctionem seu diphthongum non minos quam duo puncta velut ahenum, & ohe, sed & est insula ter repetito diphthógo insignis ææææ, nomine, in qua Circe habitabat de qna Homerus agit vna ex insulis
odiss ea 12. Pharmacusis nam sunt duę in sinu Megarico prope Salaminem quarum maior olim vocabatur ææææ. Alij iuxta Italię partem quę Campania dicitur vbi circeum promontoriũ vt sit Pontia insula dicta seu Pãdataria. Alia quęstio est, de felice nam magna est contentio, Despauterius cum diphthongo scribit, Aldus iunior, ex Aldi credo senioris monumentis infinita adducit testimonia quibus ostendit sine illo scribi. Robertus Stephanus à fœnore mutata n, in h, deduci putat. Est aotem longa deductio, sed Aldus senior, & Laurẽtius Valla sine diphthongo scribunt. Quin quòd maius est Io: Pierius cum singula quæque animaduertat, & corrigat in Virgilium toties fœlicem cum diphthongo scriptũ sine diphthongo ipse scribens nihil affert. Ideò vt dixi in tanta hominum eruditorum controuersia vtroque modo scribi posse puto, sed vt ad rem redeam æ, vbique inuenitur in primis mediis & vltimis syllabis, œ autem in omnibus præterquam in vltimis: omnes autem diphthongi coniuncti scribi debent, aut per notam solum additam cum non plenè proferuntur: vt æ, vel ę, aut œ, vel æ.

Regvla XIII.

De ancipitibus literis.

VOco ancipites in quibus vtramvis scribas non refert, vt sylla vel sulla, corylus vel corulus, quòd Romani refugerent Græcam literam ita quum & cum illud antiquius, non tamen antiquissimum, nam tum q, carebant. Secundum genus est in declinatione nominum, in sexto casu in i, vel e, vt contumaci vel contumace, hospite, sospite, hospiti, sospiti pauperi, vngui vel vngue, & paupere, ignis quoque igne, & igni, & in quarta declinatione nominum u, vel i, vt Senatus, Senatu vel Senatui: manus manu vel manui: quanquã hoc frequentius, ita cursu quia non maior esse debet genitiuo: sed & cursui, & in genitiuo plurali per concisionem Saturnaliorum Saturnalium, Graiugenum, & Graiugenarum. Tertium est verborum in plurali numero in tertiis personis temporis perfecti: velut amauerunt vel amauere, euphaniam in hoc iudicem habeto. Quartus in coniunctione alioqui vel alioquin in propositione aduersus vel aduersum a, & ab, idem possunt ab ante vocales & consonantes vbi non malè sonet a, sulum ante consonaotes. Quæ ratio ad vnguem seruari debet in ex & e, præpositionibus, vt ex vrbe, & ex foro, sed è foro solum. Quintus modus est cum variè legitur, quia ratio vtrinque fauet, vt in ocio otio, author & auctor. Sextus cum antiqua lectio repugnat vsoi, vtraque licet impune vti. Vltimo cum dictio Græca Latinè Græcéque variatur, vt symptoma in ablatiuo plurali symptomatibus velut a, Pægma seu pegma seu pecma, & est machioa lignea, cui statuæ affigebantur pegmatibus, sed qui dicunt symptomatis duplici ratione innituntur aut faciendo ipsum secundæ declinationis vt symptomatum, problematum, poëmatum pro symptoma, problema, poëma, ita quintam declinationem Græcam quæ assimilatur tertiæ Latinorum quæ in genitiuo crescit ad secundam perperam traducunt. Alij ad datiuum pluralem ex contractis quintæ Græcorum in οις ἀντὶ τοῦ ἀσιν: nam Græci sextum casum in omnibus numeris ignorant cuius loco datiuo vtuntur, a quoque & o, propositiones sunt & interiectiones, ideò accentu distinguendæ.

Regvla

REGVLA XIV.

De literis quæ colliquantur.

COlliquantur literæ vt dictum est, c, post ſ, vt in ſcio, ſcæna, & aliis dictis: ſed & u, non ſolum poſt q, ſemper, vt qui, quædam, quantum, quum, ſed etiam poſt g, vt in languor, à langueo: adeò vt aliqui auſi ſint ſcribere langor, & n, ante u, aliud u conſonãtem, vt exuuiæ illuuies: prima etiam diphthongi æ, vel œ, colliqueſcit ſed de hoc infra. Procedimus autem à generalibus ad ſpecialia, c, ante q, acquieſco acquiro proferuntur aquieſco, aquiro, x, ante ſ, exſequor proferimus exequor: ij duplicatum vnde etiam contrahimus in carmine pręcipuè Diis, Dis, & ſine contractione abiicio, & b, ante ſ, ſequente muta, vt abſtero & abſtergo: b, enim vix ſentiretur in prolatione. Et cum geminatur litera magna ex parte colliqueſcit, vt in addiſco: adeò vt plurimi decipiãtur adiſco ſcribentes, & agredior pro aggredior, & in Agrippina cùm eo dicta ſit quod ægrè parta ſit Plinius author Lib. 7. cap. 8 eſt, ἀχίππος enim vocabant Lacones ſylueſtrem oleam: vnde adagium Agrippo ſterilior, ad hunc ſenſum traductam Plinij etymologiam puto, quaſi quod ægrè pariat quod ſterile eſt, quia non concipit, non à difficili partu quaſi iam conceperit, neque enim ab hoc habet deriuationem, ſed & liquidæ colliqueſcunt, ſed non perfectè vt pratum, ignauus.

REGVLA XV.

De deriuatione.

DEriuatio triplex eſt, Originis vt à tero terra, & tamen vt vides variat additione conſonantis, & ita de patronymicis Æaeus Æacides. Similiter à patria Carthaginenſis à Carthagine, ab arato aratrum, ab inuolno inuolucrum. In hoc genere ſunt participia, gerundia atque ſupina: nomina quoq; verbalia, comparatiua, ſuperlatiua, diminutiua, frequentatiua, deſideratiua, vt eſurio ab edo. Alia quoque multa, ſed eſt à declinatione cuiuſmodi caſus in nominibus, & numeri: In verbis autem non ſolùm numeri, & perſonæ ſed & modi, & tempora. Quædam tamen cõmutant vt volo, nolo, malo, vnico l, in infinitiui, & ſubiunctiui præteritis imperfectis, in omnibus perſonis ac numeris, præterea in optatiui præterito non ſolúm imperfecto ſed etiam perfecto geminant eam literam. Ita pronomina plerunque e, variant à recto per genitiuum, & datiuum. Quis, cuius, hic, huius, ſed in accuſatiuo, & ablatiuo e aſu redeunt, vt hũc, hoc, & quem & à quo. Sed tertia deriuatio à compoſitione habetur, quæ fit vt dictum eſt multis modis. Tranſeunt autem plerumque vbi mutant in proximas literas de quibus dictum eſt, velut q, in e, loquor locutus, ſequor ſecutus. Oportet igitur volentem orthographiæ operam dare, rectè noſcere declinationes nominum atque verborum, & vt vno verbo dicam, callere Grammaticam vt à callo

ſicut caleo à calore: Solicitor à ſolicitudine. Sed vt ſæpe dixi, quoties prima breuis eſt duabus ſequentibus breuibus, & ipſis in carmine hexametro geminatur prima conſonantium.

REGVLA XVI.

De literis quæ nunquam in fine dictionum inueniuntur.

NVlla dictio Latina finitur in f g p q, multo minus nempe duplici ratione in y, vel z, quamvis Græcarum multæ in y, vt gry, miſy, pſory, neque in un, vnquam: neque b, poſt e vel i, neque poſt vllam vocalem in partibus quæ variantur, quæ ſunt quatuor: nomen, pronomen, verbum, & participium. Nam in indeclinabilibus habemus ſub, ab, ob. Et d, quidem habemus in pronominibus maximè relatiuis vt quid, quod, illud, iſtud. Rectus etiam nullius nominis finitur in i. neque eis. In propriis nominibus ſeruatur ratio proprietatis, nõ ſolum hominũ ſed gentium, & ciuitatum, vt Bogud apud Ciceronem, & in Græcis Amphion, Anacreon, in ἀνακρεοντ, ſed mutatur ſolum o, in u, ſæpe in his ſcribit lingua propria vt ἀγερφων, & ἀγγελίων ad Atticum, Agamedes, Aiarathes, Ariobarzanis Regis frater, ἀμφιλαφία, i. anceps anſa. Sed neque bſ, nec pſ, poſt u, excipere vt dixi debemus barbarica, quæ non ſolùm ſcribuntur vt fert ratio ſermonis eum literis quibus Latini non vtuntur, & locis prohibitis, ſed aliter quàm proferantur, vt apud Sarmatas proferunt th, ſub ſono pſ, & e, ante z, maiore ſono quam dupli- 10. lib. Epiſt. fam.
ci z, czumas, & lugra ſcribunt, proferunt lucra. Atque hic dubitatio emergit an in finibus conueniat mũtare finem dictionis vt Dauid Dauidus, Ioſeph, Ioſephus. In horum ſecundo motat Sebaſtianns Caſtellioneus in primo nequaquam. In dubium ergo meritò vertitur an in barbaris dictionibus inde in Græcis, tum verò in communibus at propriis deſinentia dictionum mutari debeat. Nam Terentius Latinè profert communes, eo verſu *Oneratas veſte atque auro: ſatrapes ſi ſiet.*

In propriis autem non laborabit vt dixi, neque enim Bogud Latina dictio eſſe poteſt, cui nomen nullum ſimile ſit. Commutat etiam in Græcis non vltimam conſonantem ſed vocalem tantum: idque in communibus, quòd ea ratione in propriis facere prohibemur vt non illum appellemus. In initiis z, non ponitur niſi in Græcis: neque y, ſint ſ, etiam in illis. Reliqua omnia elementa Latinam dictionem inchoare poſſunt, & h, etiam ſi litera non ſit.

REGVLA XVII.

De literis quæ ſe non conſequuntur.

MN, nullibi ſe conſequũtur: m, quoq; ante p, & pſ, poni debet ſed per n, profertur vbi antea enim fuit, & n, ante q, fermè ſemper ſcribi ſolent: q, non ſequitur p, neq; p ſequitur ſemiuocalium rarò ante liquidam vllam in-

uenies vt s l m x, ante l, vel r, nisi similes sint vt error, vel in compositione pedibentet durè satis permaneo molliter nā postponitur sæpe vt ars arx Arsacides vltimus ex Parthis Persarum Rex,c,cum t,conuenit non cum p, neque cum d,in principio vel in fine,est enim aprophoton.Post m quoque scribitur b,Ambrosia, & Imbubaiæ sed post n, reliquæ omnes e d f g ſ t x, vt Anchises incedo Andreas infelix ingressus institutum ante anxiusz, vt dixi rarò præter r, admittit ante se consonantem. Præterea hæc ferme generalia sunt vt ante b, nec g,ponatur b, nisi in abgrego neque ante f, nisi in deriuatis ab absum vt absui rarò ante p,vt abmitto abpatruus non ante t,nec x,l,non ante b f g n ſ z d, etiam non ante q, nisi rarò vt adquo nec ante x f, non ante b c d g, nec m n p q, neque ſ t x g,raro ante b, vt agbatana nec c, aut d, nisi paucis agdistis nec, ante f p q ſ t l, quoque non ante d f g r x, nisi raro vt calx,r, non ante f, pariter nisi vt in arferia ſ, non ante b c d f g m g, at ſ, non ante d, nisi vt Asdrubal nec f, vel g, nec g, at, t,non ante b c d f g m p, sed x,non ante b e f g m n p q r ſ t, nisi raro vt in his quæ à texo. Et generaliter vt semi vocales rarò liquidas antecedunt quia eas continere non possunt,ita mutæ rarò sequuntur mutas quoniam ab eis apprehendi oon bene queunt.

Regvla XVIII.

De geminatione litterarum.

VOcales verò geminantur vt Aaron, eædem iidem, coo exiguus at consonantes frequenter omnes præterquam, vt dixi duplices g x z, duplicantur igitur vel origine, vel declinatione, vel compositione quòd est frequentissimum; atque hæc duplex dissimilium vt accumulo, ex ad & cumulo & similium, vt addo aut ob carminis necessitatem,vt sæpe dictum est cum fuerint tres breues sequentes, vt litera littera religio relligio, vel propter anomaliam velut tera à tero, inde fit terra origo igitur triplicem habet rationem, vel à lingua Græca, vt syllogismus συλλογισμὸς,& Philippus φίλιππος: vel à natura ipsa vocabuli velut ferra bucullus: vel distinctionis causa vt ferre propter fere:Declinatione autem vt mel mellis, fel fellis, bes bessis: & vt dixi, de volo, nolo, malo, item fero in optatiuis, & subiunctiuis, & infinitiuis modis in imperfectis præteritis. Sed compositionis ratio plerunque geminat, nisi in cacophonia vt expello, malè sonaret enim epello & extimeo: peius enim audiretur ettimeo; in exsicco aliqui abiciunt ſ, sed nullus tamen adeò insanit vt scribat efficco; insanio non duplicat consonantem quia periret sensus: vbi enim significat raro mutat consonantem; præterea rarissimè n mutatur in ſ, propter magnam soni differentiam, sæpe etiam vtroque modo scribere possimus vt adfero, & adlatro pro affero & allatro: quoniam durior non redditur sonus & sensus est integer. Quoties verò manet consonans, & aliud significat geminare necesse est: vt opperior deponens, idest, inuenio, vt differet ab operior passiuo quod est contegor: Superlatiua quoque geminant r, vel ſ, vel m, vel l, vt humillimus deterrimus sapientissimus.Heteroclita non semper vt maximus, nam summus vt differat à secunda persona sum es est in plurali numero indicatiui modi geminat m; nulla littera geminatur neque in principio neque in fine: sed io medio cum fuerint tres consonantes, non geminantur nisi vltima sit l, vel z, vt attraho efflagito, e post c, nunquam geminatur, quia lex, facit legis, ideo non potest aquiri duplex et, tuela ergo à tueor repperi & reppuli etiam inueniuntur.

Regvla XIX

De iudicio adhibendo.

NOn oportet sequi malum vsum tam etsi vsus dominus loquendi, scribendique sit velut qui scribit A magnum in initio verborum communium, appello malam consuetudinem, quæ est contra regulas nec est alicuius authoris antiqui, nam hoc in casu borum authoritas,cum constans fuerit regulam frangit; dixi cum constans, quoniam, vt supra visum est,& libri & marmora viciantur.Ergo normam sequi debemus quoties, authoritas antiqui scriptoris non obstat. Antiquos definio ad tempora vsque Traiani vno Seneca duntaxat excepto: nam sub hoc numero Plinius secondus, & Tacitus, & Gellius comprehenduntur: Indicium verò adiuuat etiam in quibusdam quæ scripta non habentur; velut de solicitodine quæ vno solo l, scribitur si deducatur a solo,soliciti enim sumus cum soli sumus.Alij solicitum quod solo, citer interpretatur, sed obstat syllaba breuis: nam solus longam babet primam,solicitudo breuem. Ita etiam declinationes quasdam, vt Iupiter Iupitris, quia iu breuis est duplicat p, in carmine: & suscipit à Iouis, genitiuum Iouix: à supinis adiiciendo, tum fiunt nomina in bilis, & bile, & bundus, vt notum amatum, scitum sititum, nobilis amabilis, scibilis vel scibile, & sitibundus. Et vt sepultum simulatum, inuoluttum, sepulchrum,simulacrum, inuolucrum; solum sepulchrum à pulchro,deriuatum ſ, retinet & orchum dixere veteres. Ita eædem consonantes, cum ad easdem comparantut vocales, si nulla consonans præcedat plerumque geminantur quia præpositione cōstant,si præcedat sola est quoniam præpositio ab, & ad, & ex, & io, non habent consonantem ante. Deficio, ergo reficio dicam & officio scribam: Et afficio, ita illigo & diligo,& quæ à præ eadem ratione non duplicabunt, cum consoans nulla in præpositione vocalem contineatur. Eligo tamen & si ab ex lego, fiat simul elidit, vt hoc ipsum verbum x, mutatque e, in i. Elido tamen ab e, præpositione deducunt aliqui, & lædo mutata diphthongo in i. In vniuersum compositio cum fiat plerumque, ex præpositione vel simili quæ præcedit &, declinabili quæ variatur, nam nunquam contraria ratione fit: prima pars aut vocalis tantum est, aut in vocalem finitur, præcedente consonante aut

post

post vocalem, adest consonans, aut consonans præit, & subsequitur: sequens vero dictio vel à consonante, vel à vocali incipit; si à vocali incipit, nunquam geminat consonantem in compositione: sed vel vocales, se sequuntur vt deamo, deauro, vel vna tantum consonans, vt peramo perennis; si autem quæ præponitur in vocalem finitur, vt a pro ab, e pro ex, præ & sunt pauciores, nunquam geminatur consonans in compositis; sed vbi consonans vocalem sequitur, quod plerumque contingit in his quæ à vocali incipiunt vt ab, ex, ob, ad, in, & similibus si alterius initium sit à consonante fermè semper geminant: sicut etiam in his quæ consonantem habent, non solum post sed etiam ante, vt sub syn, con, cum & talibus: hæ enim sequente dictione à consonante incipiente, aut geminant vt altero aut manent vt in admitto b, adeo dura est vt omittatur aliquando i, obmittatur.

Regvla XX.

De compositione dignoscenda.

Tribus modis cognoscitur compositio euidentia partibus & sensu. Euidentia peramo & innato: partibus vt quæ à mitto, à lego, ac similibus vbi pars vna, saltem manet aut illi proxima, cum ex mutilis componitur vt frater, fere, alter: à sensu difficilis clarum est, quòd significatum habet compositum ex dis, & facilis; cognita compositione partes dignoscere expedit quæ in primo modo facilè habentur, inde in tertio difficilimè in secundo. Circa tertium autem animaduertere decet, quòd non omnis sensus, deriuatio compositionem parit, nam sic casus numeri, tempora modi deriuatiua, & figuræ, & participia compositione fierent. Nam compositione fiunt omnia vt Æacides, ab Æaco, & Atlantis mutato ſ, in ntis: Et amans mutato ſ, secundæ personæ in ns: Sed solum cum mutatio fit significati vt differo ex dis, fero i, in longum fero diffideo diuersum sentio quasi quòd vna sedere non possum.

Regvla XXI.

De mutationibus vocalium in compositione.

A In e, sæpe vertitur vt sequentibus o m n p r, damno condemno, aptus, ineptus, ars, inerts, annus, biennis, paciscor depeciscor; sed & in i, cano, occino, & iacio, proiicio. Quandoque abiicitur, vt in claudo, concludo. Et in i, mutatur emo, redimo, lego, colligo. Etiam in o, & citra compositionem toga, tego, & in u, tego, tigurium. Et o, in u, à gero, gerundus, vnde gerundium, i, in e, mutat vt heri here, vesperi, vesperè scribere vnde ob hanc cognationẽ scribitur Virgilius & Vergilius, i in u, libet lubet. Quandoque abiicitur vt Dis pro Diis. Muratur etiam e, in i, iu compositione vt à pœna bipennis, œ, prætetea in u, pœna punio, a u, in o longum, plaudo, complodo, & reliqua, a u, in o cau-dex codex: aurichalcum orichalchum, faux suffoco, aliquando etiam interponitur consonans vt ab aula adulor. A deriuatione ergo dicemus abij bijcio, à iaceo quasi iicio mutata a, in i.

Regvla XXII.

De consonantium mutatione.

QVæ deriuantur plerunque seruant naturam, vt iudicium à iudico: Et à misceo mistio, non mixtio: tum maxime quòd plura degenerant ex x, in alias literas, raro ex aliis in eam: sic à procax procatium. Permutatio autem fit eisdem caussis, vel facilitatis, vel ex natura declinationis, vel distinctionis, vel euphoniæ, vel vsus. Et facilitatis dupliciter aut quoniam litera, similis semper facilius profertur vt persæpe lateat adcliuis acclitus; adcumbo accumbo, & penè infinita alia, vel ex natura literarũ vt acquiesco, pro aquiesco. Diaienim familiares esse, c, literæ g q x ſ, sed diuersa ratione. Quæ in compositione commutant, sunt maximè ad, in, ob, & sub præpositiones; cõmutant autem in cæteras consonantes omnes dempta x, & z, quoniam duplices sunt & z, etiam Græca; velut adgredior aggredior. Agnatus ab adnascor. Quandoque ergo d, mutatur in ſ, vt assumo pro adsumo. Adsum tamen dicitur ob assum, ad vitandam homonymiam; ob & sub mutant b, in c f g m p, si sequantur: nam gratiam parit & euphoniam, quandoq; tamẽ manent vt obcæco obmutesco r, mutatur in l, vt intelligo legitur, & vtroque modo pellucet perlucet ſ, in f, difficilis à dis & facilis, sæpe enim cum consonans prior mutatur in posteriorem similem, vocalis posterior in vocalem mutatur priorem c, mutatur in g, in numeralibus quingenti, septingenti, contra pro vigesimus, trigesimus, vicesimus, tricesimus, ch, in f, chloris, flora, in d, istuc istud, d in ſ, duplicatum à sedendo sella, mollito nomine n, in m l r, similitudinis causa vt in, in & con vt collido n, ante q, in c, vt ecquid. Ad ferme semper mutat in sequentem c f g l m n p r ſ t, sed ante q, sæpe vertitur in c velut an quiro acquiro quicquid. Aliquando retinet: vt adplico, aliquando perit vt coeo pro coneo. Putant aliqui filium à fidius dici ob fidem. Agnosco ab ad nosco d, in g, ob liquidam sequentem, vel ab a, & gnosco vennstatis causa addito q, amittitur ob nimiã plenitudinem vt ab ad & gnatus agnatus seu mutato d, in g, ex ad & natus. Ignobilis ab in & nobilis mutatione conuersa f in b, vt fibilo à fifilo olim vetusto verbo h, in ſ, herpyllum serpyllum h, in o, hesperus vesperus m, licet ante c d f g t, transeat in n, excipiuntur tamen iamdio iamdudum, & quamquam. Am sequente vocali interponit b, vt ambio ambest amburo. Prolepsis melius quam preleusis, r, in ſ, vt arbos pro arbor nonnunquam in l, simili sequente vt pellege pro perlege elegantiæ causa non ratione ſ, in m, rursus prorsus rursum prorsum n s, perit aliquando vt trans duco traduco in tralatum, sed & translatum, ex elidit ſ, vt exsudo exsurgo exudo exurgo expes eaeco eaibilo expiro exscribo tamen

dicitur, & exſicco & quandoque exſico cum non iungitur x, ante h, d, g, l, u, r, i, conſonum eliditur ebibo educo egero z, nonnunquā tranſit in duplex ſſ: vt Patrizo patriſſo, quod ad mores pertinet b, in ſ, mutatur aſporto, abporto & in u, ſequente f, abſero abſugio auſero & auſugio.

REGVLA XXIII.

De conſonantium ad vocales comparatione,

CVm ſcribimus o, vt plurimum ſequitur n, vt condo cum n, m, vt cum, h, cum prępanitur vocali diuidit ſyllabam Hi-eroſolyma Hieronymus. Cum componitur dictio ex fine vocali & initio interponitur conſonāſ vt ſi, & vbi ſiccubi re, & eo redeo, re, & amo redamo, di, & emo dirimo, quandoq; etiam poſt conſonantē, ſed mollem velut idem, idem identidem, l, cum diligat i, facit oblæquo obliquum. Et o, trahit ſ, ante ſe, ex ob & oleo obſoleo, ſed ſub alio ſignificato componitur ab ob, & ſoleo vt verbum obſoletum. I vocalis in initiis non recipit f, neque q, neci, vt principalem nam iidem inuenitur neque u, ante f, g, q, licet Poëtis fingere propria, vt vfens apud Virgilium, vnde poſtmodum vfentina Tribus, ti, perfertur ei, niſi ſ, vel x, præcedat. Quæſtio inde nata eſt cum ambo per ei proferantur quæ per e, & quæ per t, ſcribi debeant? & primum à vocatiuis in nominibus Laurenti à ſecundis perſonis in verbis vt potiris, & à deriuatione quia r, plerumque creſcit niſi ſit x, vt clemens clemētis clemētia. Iudex iudicis iudicium, vt ſupra viſum eſt; comercium ergo à merx mercis, ſed vbi non hæc pueritia quaſi puritas auaritia pro auaritas, pudicitia pro pudicitas, & ita æquiualent. Officium à facio ergo per c, ſcribendum erit, Anhelo ac traho in medio habent aſpirationem. Anhelo ex am & halo. Habent, enim Latini aſpiratum a, & non aſpiratum vt ab eo quod eſt diſcedo quamuis compoſitum & in nominibus hamus, & hebes & hæres. Frequentius in pronominibus hic, hæc, hoc, hac huc. In medio autem aut ad roborandas voces aut hiatum vitandum, vt aheuum inchoo ah in chao prehendo veho cohortor vnde cohors: nam ſe inuicem mutuo hortabantur vaha aha ohe quæ per apocopen vha, ah, oh, pleraque tamen compoſita vt exhubero, & in fine proh, veh.

REGVLA XXIV.

Quòd modus ſcribendi variat ſignificatum

MOdus ſcribendi variat ſignificatum Quod relatiuum eſt: quòd cum accentum i, quia quæ cum diphthongo relatiuum eſt: ſine & ſoleтque ſcribi, cum z, valet, & certè verè quia habēt nomina ſimilia vt certa certæ vera veræ accentum habent in fine ideò graue, m vt videbitur, ſeu ſicut ſeu ſiue cū præpoſitio. Quum aduerbium vel coniunctio, cædo verbero cedo ſine diphthongo locū do. Quatenus aduerbium temporis vel loci ſeu ad quem finem; quatinus quia pro tenus porro tenus longè protinus temporis. Quæſtus lucrum queri lamentari, quædam enim non ſolum duplici modo ſcribuntur, ſed ſcribi poſſunt. Nixus conatum corporis declarat, niſus animi. Calx pedis, cals materia toties quoties non alioqui etiam ſæpius ſine n', Caper ait. Drachma octaua vnciæ pars; dragma manipulus vel rapina. Ex antiqua prolatione multa ex u, in o, vertuntur voltis, & voſter. Arbos fructifera eſt arbor quod lignum habet, obſcenus ex oh & cano, obſcænus ex oh & ſcæna.

REGVLA XXV.

De his, quæ ex conuerſione aliarum linguarum.

QVæ ab aliis linguis ſumuntur debent ſcribi vt ratio illius linguæ poſtulat, vt Cyrus quia Κῦρος, & tranſit ad Latinam rationem: ideò non patitur o, m, in fine. Si non tranſit retinet: vt capparis, κάππαρις, θέατρον, autem mutat in Theatrum propter linguæ proprietatem. Latina enim vox m, pro n, habet poſt o, vel u, poſt e, ſæpe lumen numen ſemen. Sic Hæbrea habet Adam cum Latina difficillimè admittat m, poſt a, minus enim Perſica habet ſatrapem ita ad Latinam venit linguam, ex Italica ſimiliter bianeum dicemus nomine proprio non candidum qui vocatur bianco, lachrymæ δάκρυον, verſo n, in y & abiecta aſpiratione nam veteres lachrumæ ſcribebant. Diphthongi autem Græci tranſeunt ad Latinos ferme vt iacent niſi quòd i, tranſit in e, Αἰνείας, Æneas οἶστρος, æſtrum ſeu æſtrus ita, αυ in an, ευ, in eu, ου, in u, longum vocales in ſimiles Δεινομένης, Dinomenes, ε, & ο, in e, & o, breues ω, in o, longum: u, in e, vel i, ſed ſemper longa, α, ι, υ, in a, i, & y ſub ratione qua Græcè pronunciantur, ει, in i, οι, in i, etiam ſæpius quam æ, Empericus ab, ἐμπειρία, θ, ρ, φ, χ, in th, rh, ph, ch, tranſeunt Thalamus Rhodus Phebus Charites, ντ, in nt, ad Latinos venit, ſed profertur nd, vt ἀντὶ ſed profertur andi γ ante γ, κ, χ, tranſit in n, Ἄγγελος Ἄγκος Μάρκιος Ἀγχίαλος, Angelus Ancus Martius Anchialus. Annibalem abſque aſpiratione Græci ſcribunt quaſi Ἀννίβας, vicus enim fertur eſſe in Theſſalonica Macedoniæ ciuitate vbi galli muti ſunt, quaſi ad concionandum, omninò ineptus fuerit. Quod ſi verum, eſt eo mirabilior quod tot annis tot gentes & feras, & barbaras, & inſolentes in obſequio, & perpetuò ſine ſeditione habuerit. Sic & Ἀδριανὸς, ſine aſpiratione Romani Hadrianum habent, vt etiam in monumentis apparet.

REGVLA

Regula XXVI.

De multitudine Consonantium.

MVtæ & ſ, & x, non finiunt ſyllabam, ſed incipere ſolent cum ſolæ fuerint, duę tamen ſi fuerint nec ſimiles eam incipiunt vt ctesiphon & abdomen nam ſic diuiditur abdomen tres conſonantes ſine liquida raro admittuntur vnde aſpiro aſpergo, non adſpiro adſpergo ſed ſunt in conſpicio quatuor cum vltima fuerit liquida vt conſtringo.

Regula XXVII.

De Pronominum compoſitione atque varietate.

EX hic & illo iſto eligis vltima, & prima fiunt illic, & iſtic quaſi illo hic & iſto hic ſic & ab huc hac hinc illuc illac illinc & iſtuc iſtac iſtinc, vnde etiam ſignificatum iſtic enim eum ad te loquor Bononiæ, tu verò Romæ fueris in iſto hic ideſt Bononiæ nam tu hic intelligere Bunoniæ cum ſis Romæ non potes.

Regula XXVIII.

De Aſpiratione.

OMnes vocales antecedere poteſt aſpiratio apud Latinos vt habeo hebes hitundo homu homus, aliquando poſt vt io proh raro pro, & veh etiam frequentius quam ne. In mediis aurem Syllabis interponitur vel vitandi hiatus cauſa & firmandas voces vt ahenum vehemens traho veho prehendo cohortor, nam ſimplex eſſe volunt, & exinde cohors, incuho, ſed plerique inchoo, vel ob compoſitionem vt anhelu dehinc exhubero prohibeo. Sed in conſonantibus apud Latinos nulla excipit poſt ſe h, præter c, vt charus, quamquam, & hoc hoc à χάειν [?], deduci poſſit quod eſt gratia. Inſpicere igitur oportet primum an à Græco deriuetur dictio & tunc an ſcribatur aſpiratis conſonantibus ſupradictis ϑ ῥ φ χ : vel ſi vocalis ſit & aſpiretur aut ſcribatur per alias conſonantes, aut vocales non aſpiratas, aut ſi Latina ſit poſt conſonantem non recipit aſpirationem: ſed ſi vocalis an dictio compoſita ſit, aut ſi ſimplex an ob firmandam vocem debeat interponi, quo in caſu vſum & deriuationem conſiderare oportet.

Regula XXIX.

De pugnantibus ſcribendi cauſis.

ET cauſæ quidem ſcribendi vt diximus ſunt ab vſu tres ſcilicet antiquiſſimo quem volunt negligi debere ne cogamur omnia in contradictionem reuocare atque confundere cum iam boni authores quibus non erant adeò antiqua illa reiecerint ab vſu. Secundus eſt recentiorum quem non debemus probare cum alienus ſit, & à ratione, & à veterum conſuetudine. Tertius eſt ab vſu antiquorum atque hîc facit fidem, & eſt prima ratio, ſecunda eſt ab authoritate veterum vt cum Seruius vel Caper vel Terẽtianus vel Priſcianus aut alius ſimilis ſic ſcribi debere contendant, tertia eſt ab etymo, quarta eſt à deriuatione, quinta ab authorum authoritate, in his omnibus ſpectare oportet numerum rationum ex vtraque parte ſequendo efficatiores & plures ſi autem ferme pares fuerint vtroque modo ſcribi poſſe videntur.

Regula XXX.

De ſyllabis primis, ſecundis & tertiis ab vſu & authoritate Veterum.

CVm hactenus de generalibus regulis rectè ſcribendi egerimus, nunc proprias proſequemur diſtinguendo ſingulas literas triſariam ex loco ſcilicet cum fuerint in principio, medio aut fine. Tres additas autem relinquemus ſuo loco ne numerum augeamus, ſed longior erit ob id in eis enarratio. Ductores autem habebimus in hoc præcipuè Petrum Victorium in Ciceronis Epiſtulas familiares, Ioann. Pierium in Virgilium, Carolum Stephanum, diligentia præcellentem Aldum Manutium eruditum virum, & iudicij ſingularis, Deſpauterium quoque ob copiam. Omittam nunc antiquos qui ab iſtis abunde ſunt obſeruati. Exemplum ab authore ducemus nam ab αὐθέντης [?] ideſt propriè deriuari volunt at ſi ab augendo auctus inde auctor dicetur. Qui hoc contendunt Chariſtium, & Feſtum ex antiquis, ex noſtræ ætatis eruditis Pierium, pro teſte adducant, ad hæc marmora & libros locupletes teſtes, adeò vt vel auctorem dicas vel authorem etiam ſi vtrumque idem non improbabo, ſulum non feram, vt vel auturem ſcribas vel aucthorem cum ſic neminem ſequaris. Aliud de otio exemplum ſeu ocio vnde negotium, placétque Donati ſententia, qui inducias ab ocio deriuauit. At qui ſequuntur & Papirium Grammaticum coguntur per t, ſcribere quòd ille dicat: In his ſyllabis ſunus literæ Z immiſtus inueniri tantum poteſt qua conſtant t, & i, & eas ſequitur vocalis quælibet vt Tatius Etius iuſtitia, & ſimilia, reſpondentque, ea ratione ſcribi poſſe indutias ob otium qua ocium ab induciis; at mihi vt dixi quod placeat magis ita perſuaſum eſt vtrumque etiam in ſimilibus ſcribi poſſe. Verùm Deſpauterius ſecutus Seruium ſcribit neutro modo, ſed ocyum ab ὠκὺς ὠκέως [?] citus vnde comparatiuum ὠκίων [?] ſeu, ὠκύτερος [?], citius ſeu celerius & ſuperlatiuum ὤκιστα [?], ſeu ὠκύτατα [?], citiſſimè, ſed hoc, vt patet ſub alio ſenſu, aliud enim ocyum eſt quod negotium ſignificat. Tertium ſit in delito nam non per y, Robertus Stephanus putat ſcribi debere ſed quaſi à lira quæ eſt recta deductio terræ ab aratro facta. Deſpauterius autem vtroque modo quaſi quod à lyra & concentu omni aberret, tutius ergo per i, Nam vbi vnus medius eſt alter partem vnam reiicit ſecurius eſt in acce-

ptam ab vtroque incumbere. Aduertendum autem circa hoc antiquos & tempore Ciceronis composita scripsisse pene omnia vt iacebant distincta illustrabit adflicta, adfeior, adfixum, conlaudare, expectatio conlega, adprobo, conlegi, adgrego, adflictus, coolocutio, ideò vtrumque modum admittunt.

Regula XXXI.

De Accentibus ex Aldo.

Dicitur accentus, quasi ad cantus, ab accino accinui accentum, ad imitationem Græcorum quibus προσῳδία, dicitur, à πρὸς, præpositione, quod est ad, & ᾠδὴ cantus, hi autem sunt qui dictionem moderantur, nec potest aliqua esse dictio, quæ vno ex ipsis careat, nam sicut nulla vox esse potest sine vocali, ita nec sine accentu, quòd sit quasi anima vocis. De ipsis igitur dictionem moderantibus sic perbreuiter dicemus, omnis dictio, aut vnius est syllabæ, aut duarum, aut plurium duabus. Quę vnius est syllabæ, si breuem vocalem habet, aut positione longam, acuitur, vt mel, mons, pix, si verò natura longam, circumflectitur, vt mos. Quæ autem duarum est syllabarum semper accentum habet supra primam syllabam: exceptis quibusdam, quæ supra vltimam, accentum habent differentiæ causa, vt mox dicemus, si prima igitur natura longa est, & vltima breuis, circumflectitur, vt mater, munus, donum, in cæteris omnibus acuitur, vt pater, homo, leges, fortis. Quæ vero plurium est duabus syllabis, si penultima est longa, semper ibi est tonus circumflexus, si natura longa, & vltima breuis, vt Romanus, acutus, si aliter, vt Romani, potentes, libertas, Catullus, Veronensis. Si verò breuis, in antepenultima, vt Dominus, Pótifex, sanctissimus, tenebræ, lugubris, muliebris, biacynthinus. Excipiuntur à facio composita, quæ in secunda, & tertia persona singulari præsentis indicatiui modi accentum habent in penultima, licet sit breuis, vt benefacis, benefacit, calefacis, calefacit, & huiusmodi benefit etiam, & satisfit, & calefit, & calefis, & alia composita à fis, & fit, acuunt vltimam, vt sua simplicia. Exerceantur igitur discipuli à Præceptoribus pronunciare dictiones, quæ penultimam vel corripiunt, vel producunt, discant etiam variare accentum ab antepenultima ad vltimam, verbi caussa, pronuncient Dominus cum accentu in antepenultima sic, Dominus, deinde cum accentu in penultima sic, Dominus: postremo cum accentu in vltima sic, Dominus, licet neque in vltima, neque in penultima esse possit. Sed fiat, vt assuescant variare vocem, quod tamen melius fiat in Græcis dictionibus, in quibus si accentus est in antepenultima, transit ad penultimam, si vltima flectendo fiat longa, vt ἄνθρωπος, ἀνθρώπου, ἀνθρώπῳ, ἀνθρώπων, ἀνθρώποις, ἀνθρώπους, nam si vltima sit longa, accentus non potest esse in antepenultima, nisi desinat in αι, vel in οι, puras diphthongos, vt ἄνθρωποι τύπτονται: nam si sequatur consonans, mutatur accentus in penultima ἀνθρώποις τύπτονται. Cum autem assuerint sic variare vocem accentibus, facilius nostra pronunciabunt. Præterea vt rectè penultima, & antepenultima proferatur, illo etiam signo admoneri poterunt, vt cum supra penultimam viderint longum accentum, in ea immorentur, vt in Iustinianus, Theodorus: cum verò breuem, intendant ante penultimam, nec vllam in penultima moram faciant, sed celeriter pertranseant, vt in adamo, perlego, mulierem.

Præterea plurimum iuuabit, si singulas penultimas dictionum supra duas syllabas, quæ ambiguitatem parere possunt, aut longo accentu, aut breui signauerimus, longo, si longa fuerit: vt Arietinus, Parietinus, clandestinus, mediastinus, adulor, ttituro, occido pro interficio, ex ob & cædo, legere à legi præterito, videris secunda præsentis indicatiui, legeris vel legere à legar futuro indicatioi, annona. Breui autem si breuis, vt centimanus, muliebris, videris, à videtim, vel video, adamantinus, ototinus, crastinus, aliquibus, in ito bello, obrutus, abscidit, occido, ex ob & cado, Porsinna, pessundatus, circundatus, & alia huiusmodi Latina, nam in Græcis, non est perpetuum, propter accentum, qui in aliquibus intendit penultimam etiam breuem, vt Symoeis, Pyroeis, Corydon, Amaryllida, Arcades, Thesea. In aliquibus autem intendit penultimam, sicet penultima producatur, cyclopas, heroas, arethusa, creusa, corinthos, & alia id genus multa.

Non seruatur autem accentus modis septem, differentia, ambiguitate, necessitate, transpositione, contextu, Idiomate, Apocope.

Differentia, vt in quando, quod interogatiuum acuitur, cum autem significat ὅτε, grauatur, quando sic vnà, penè, ferè, ponè, planè, coram, palam, falsò, eo, aliquo, illo, illa, circum, aliàs, & huiusmodi, cum sunt aduerbia. Sic ergò aduerbium circumflectitur, vt illius ergò venimus, idest causa illius, quod Græci dicunt ἐκείνου ἕνεκα. Coniunctio autem grauatur, vt ergone supremis potuit vox improba verbis iam dirè mandare nefas?

Ambiguitate, ad euitaodam amphibologiam, vt interea loci, aliquando, siquando, nequando, deinde, exinde, perinde, proinde, subinde, duntaxat, quæ antepenultimam acuūt, ne duæ partes esse putentur. In affatim etiam, quia fa breuis est, humo, tonu est prima, vt in præmodum, admodum, affabre, apprime autem, in penultima habet accentum, quia longa est, nec obstat ambiguitas.

Necessitate non seruatur accentus, cum post vocabulum aliquod, inclinatiua sequitur cōiunctio, quę Græcè ἐγκλιτικὴ dicitur, vt que, ve, ne de quibus supra suo loco diximus. Trāspositione, cum de suo loco dictio transmutatur, vt sunt præpositiones, quæ præpositæ grauantur, vt de quo genere mortis difficile dictu est. Postpositæ autem, quia mutant locum, mutant etiam accentum, & acuuntur, vt, quo de genere mortis difficile dictu est. Sic Græci περὶ ἀρετῆς, ἀρετῆς πέρι, circum autem ad differentiam nomiois, nunquam mutat accentum, vt ter circum Iliacos raptauerat Hectora mutat, & maria omnia circum.

Contextu,

Contexu, cum dictiones, quæ per se positæ acuuntur, in contextu grauantur, vt protinus Æneas celeri certare sagitta.

Idiomate, cum Græcum vocabulum, nulla nec temporis, nec literarum facta mutatione, ad nos venit, tum enim seruat accentum Græcum, vt Tegea, Nimea, Creusa, Aretusa, Amaryllis, Amarylli, Amaryllida, Corydon, Simoeis, Arcadis, Cyclopis, Penelope, Pentecoste, Aristoteles, Demosthenes, & id genus quamplurima. Quod si dixeris in quibusdam è supradictis mutari, in e, longum, respondeo antiquos Græcos sic pronunciasse ἦτα, vt nos e longum in Penelope, Grāmatice, Aristoteles, sed de hoc multa in fragmentis nostris. In Aristotelis autem, Aristoteli, Aristotelem, Aristotele accentus est in antepenultima, quia Latinè declinantur. Comędia autem, tragædia, sophia, symphonia, & similia, mutant accentum, cum corripitur vltima, Græcè enim κωμῳδία τραγῳδία σοφία συμφωνία dicitur, nos comædia, tragædia, sophia, symponia, vltima correpta.

Apocope, aut syncope, cum dictiones per apocopen, aut syncopen proferuntur. Tunc enim accentum retinent integræ dictionis, & vocatioi in i, à nominatiuis in ius vt Mercurius, Virgilius, Domitius, Ouidius, ô Mercuri, Virgili, Domiti, Ouidi, seruato accentu supra eam syllabam, in qua erat in nominatiuo, & si est breuis, vt Mercuri facunde nepos Atlantis, & nulli flebilior, quā tibi Virgili, sic nomina, & pronomina in as, vt Arpinas, Rauennas, cuias, nostras circumflectunt vltimam, quia sunt per syncopen ab his vetustis hic & hæc Arpinatis, Rauennatis, cuiatis, nostratis, quæ in penultima circumflexū habent, remota igitur ti, idem accentus remanet: longus accentus, ponitur supra syllabam, cum longam esse illam ostendere volumus, vt salumbet. Breuis autem cum breuem, vt funebris. Hyphen virgula est subincurua, quæ supponitur fini vnius dictionis, & principio alterius, cum coniungere eas volumus, vt ante malorum, anteuolans. Hypodiastole vero, est dextera pars circuli, qua supposita dictionibus, notamus eas male cohærere, ac distinguendas, vt cor, vinum lætificat, ne coruinum proprium dicere videaris, distinguo post cor ad imam literam dicto accentu, sic illud apud Græcos, quod & Fabius refert, vbi de ambiguo scribit & αὐλὴ, τρὶς ἔπεσεν, ne videaris dicere tibicina cecidit pro eo quod, aula ter ceciderit, interponatur hypodiastole inter αὐλὴ, & τρὶς. & vitabitur amphibologia, & viridique in littore conspicitur, sus, ne videatis dicere conspicit vrsus, inter conspicitur, & suis interponitur hypodiastole ad imas literas. Eodem etiam accentu vtimur, cum volumus distinguere sensum, vt in illo, ereptæ virginis, ira, ne videatur significare iram virginis ereptæ, sed ira propter ereptam virginem, post virginem, post virginis supponitur diastole. Apostrophus item est pars quædam dextera circuli, sed ad summam literam apposita, qua nota significamus vltimam ibi vocalem elisam, vt tanton' me crimine dignum duxisti? pro tantone, & Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas? pro Pyrrhine. Dasia & Phile licet non vtamur, quia vt dixi, loco ipsorum vtimur aspiratione nostra, aut ante, aut post aspirandas literas in contextu literarum, tamen si aliquando aut negligentia, aut quia nescierimus, literam aliquam aspirandam attenuarimus, Dasia suprapposita id significare poterimus, vt si scripseris omo, vmus, ymnus sine aspiratione, vel Tyrsis, Teseus t, tenui, vel eremes item tenui e, sic emenda omo' vmus ymus' Tyrsis' Teseus' eremes, & nota quas Græci προσῳδίας, dicunt, nos autem accentus, eas veteres tum notas vocum, tum moderamenta, tum tenores, tum fastigia, quòd capitibus literarum apponerentur, tum accentiunculas, tum voculationes appellasse.

·Regula XXXII.

De diuisione Orationis.

Licet negotium diuisionis in libros & capita ad librum potius de conscribendis libris pertineret quam ad rationem rectè scribendi, nihilominus etiam hic conuenit ob similitudinem, ideò Opera diuiduntur in libros vel ob subiectam materiam vt Plinij naturalis historia: aut ob modum tractandi velut libri de difficultate spirandi: aut misto modo velut libri de anima Aristotelis & de natura. In huiusmodi diuisione communia sunt initium, litera maxima, titulus, quæ omnia communia sunt diuisioni etiam in capita: sed in initio libri denuo repetitur nomen authoris, quod non fit in capitibus. Capitum autem diuisio fit quoties materiæ assumpta pars in specie variatur, velut si de cotoneo aut aureo malo agendum sit aut omnino de eodem agitur sed species modi tractandi alia est, aut misto quodam modo quemadmodum etiam de librorum diuisione diximus. At antiquis parum fuit curæ hæc diuisio vt neque apud Aristotelem aut Hippocratem aut Galenum etiā vel alium quempiam celebrem authorem huiusmodi diuisionis genus inuenire queas: sed contenti erant diuisone per capita. Plinius tamen videtur suum opus ita distinxisse, de Celso dubiū est an diuisio illa in capita ab eo excogitata fuerit, sanè diuisio in libros manifesta est in omnibus antiquorum libris. Et post hanc in sectiones in quibus partes à partibus distant & punctum firmum interponitur literaque maior, cuiusmodi in Græcis codicibus antiquorum tam Græcorum quam Latinorum cernere facile vbique est. Sed nec initium diuisio à sinistro latere nisi fortuito accipit: nec litera maxima pręponitur, neque titulus rei tractandæ superscribitur. Ideò antiquorum modus simplicior est, nostra via vtilior ad promptè inueniendum, nec debemus aspernari neglecta ab antiquis cum posteriores in melius commutauerint, nam nulla est maior iactura quam temporis. Princeps autem etiam inter libros, & capita multa alia diuisionum genera interposuit, sectiones doctrinas summas atque tractatus. Et quidem de hoc rursus dicam quid sentiam: certe cum res plures habet differentias insignes, & ordinatas velut in tertio illius libro viginti duæ enim sunt, vtilis plus est quam confusa huiusmodi distinctio in aliis seu paucæ fuerint seu

non insignes aut non ordinatæ, melius forsan fuerit ordinem docere quam scribere, quem morem, & ab Aristotele, & à Theophrasto seruatum reliquisque antiquis vt puriorem videmos.

Initium autem ducimus nec tamen per capita diuidimus cùm membrum principale tractatur cuius speciem totam aut liber, aut caput amplectitur adeò vt persæpe plus contineat huius diuisionis pars quã caput velut si caput generaliter de fructibus agat tractandu autem sit de horæis, aut nucibus aut astringentibus vniuersim hanc diuisionem interponemus quasi significantes per illam minus exactam differentiam non maiorem tractationem contra in capite minus amplam, sed magis exactam, vt pote in capite generali tractabimus de fructibus, in diuisionis membro de nucibus, in capitibus de Pontica auellana pistaciis pineis cocco amygdalis, hæc enim singula caput suum exigunt.

Maiore autem littera, & puncto & spatio etiam si initium non faciamus vti licet antiquorum more cum omnino aliquid nouum aggredimur, sed tamen superioribus coniunctum, & quod quasi, vt membrum membro apponitur velut illud in Poëtica, his absolutis deinceps dicendum qualem omnino deceat esse rerum contextum. At si separatio nulla aut exigua sit tunc debetur ei orationi quæ noua est nec tamen est de re noua, scilicet vel ratio noua, vel modus, continuata est tamen, sed cum nihil noui secunda affert sententia, & omnes orationes in vnum finem tendunt velut in syllogismo contingere solet nam vnaquæque oratio sensum retinet perfectum, & præter id in vnam coëunt sententiam tunc puncto distinguemus eas non tamen in initio maiorem literam adiiciemus, conuenit autem in huiusmodi vt prioris sententiæ memineris non ab initio, sed velut si vna esset alterius pars, velut apud Ciceronem Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua andem vrbes homines stultissimi hoc disputant, vides in hac sententia priorem contineri. Sic illud comprehensus est in templo Castoris Seruius P. Clodij quem ille ad Cneum: Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sicca de manibus, caruit foro postea Pompeius. At quæ cum maioris literæ initio coniuncta est differentia pauciora habet exempla. Vnum tamen referam in L. Pisonem: cognoscis ex particula parua scelerum, & crudelitatis tuæ genus vniuersum. Quid auaritiæ quæ criminibus infinitis, conueniunt autem plerumque his principiis etiam Gerundia. Sed sæpe etiam vtimur medio puncto i. dimidio cum subsequatur maior litera: id fit cum sequentis sententiæ tãquam exempli prior meminerit nec tamen pars illius fuerit, vt præsertim in testimoniis veterum: velut illud: De Domitio dixit versum Græcum eadem sententia qua etiam nos habemus Latinum: Pereant amici dum vna inimici intercidant: quod ille si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset, verùm non solum post punctum medium, sed & semicirculum inuersum dum alienacitas licet

Pro T. Annio Milone.

Pro/è Pisonem

Pro Deiotaro.

maiore litera in initio vti velut illud, Regum autem sunt hæc imperia; animaduerte & dicto pare: & præter rogitatum si quetare & illæ minæ si te secundo lumine hic offendero moriere. Cum verò sententia seorsum habet integrum sensum, sed tamen ad sequentem collata imperfecta est, vt potius verbo quam re ipsa indigere videatur quia careat verbo vt aiunt principali, tunc vna ab altera puncto dimidio seu duplici dirimitur, vt in oratione pro P. Sestio vbi sunt illa verba: Et pro communi libertate: nam nisi dubitatiuè prolata essent integrum clauderent sensum, & concludi deberent puncto. Sed vt dixi cum dubitatiuè proferantur duobus punctis dirimitur à sequenti parte. Punctum autem cum semicirculo auerso interponitur cum rei partes distinctionem exigunt, vel quia perfectum quendam ex contrariis sensum efficiunt: vt publica priuata, sacra profana, vel cum suspenditur sensus, vt si semicirculus apponatur parum sit, nec tamen quicquam perfecti retineat. Sed non solum verba verùm res ipsæ ad sequentia referantur, & illa trahant ad se. Demum cum verba ipsa aliquid per se significant vt apposita dici possint semicirculum interponere oportet, hoc autem cum quasi sub vno continentur genere, & in contrarias species diuiso, sed in coniunctis idque maximè in verbis, & nominibus animi affectus significantibus velut hortari, orare, mouere in nominibus vt Ira, dolore, tristitia, iræ animus marcescit, vires corporis languescant quasi sensus sit in verbis talis vt quodcumque auferas integra maneat oratio, sed in nominibus vt ex quouis coram animus marcescat vires corporis languescant, at quãtum differt ab eo sensu in quo omnia illa, vt horum vnum, aut vtrumque eueniat comprehendantur necesse sit, propterea apte in earum vltima enclitica ponitur.

Pro C. Rabirio postu.

In Principio.

Præter hæc sunt duo genera diuisionis alia quæ non leuis sunt momenti scilicet parenthesis, & interrogatio. Cùm enim oratio eiusmodi fuerit (quod sæpe contigit) vt auulsa parte aliqua integra nihilominus remaneat sententia quod auelli potest parenthesi includi solet. Nihilominus non semper claudi debet parenthesi etiam si seorsum quod relinquitur stare possit, sed solum cum breuis est oratio quæ interponitur. At si longior sit (vt dixi) vel omittenda est vel repetendus est finis pro principio quemadmodum apud Ciceronem: Alterius tribuni Pl. diuini hominis (dicam enim quod sentio, & quod mecum sentiunt omnes) diuini insigni quadam inaudita, noua magnitudine animi. Et ne fortuito hoc accidisse, aut quod deterius esset per errorem putes vide quid subiongant in Vatiniana. Denique cogitaris (est enim res eiusmodi, vt si tibi modo in mentem venit, nemo sit qui te vllo cruciatu esse dignum putet) cogitaris ne in illo tuo intolerabili non regno. Interrogationis signum apponimus non semper cum interrogamus, sed in fine orationis, vt sensum efficiat perfectum nec nimis longa est suspensio velut an tu non templa spoliasti, non ciues crudeliter occidisti? An non patriam perdidisti?

Pro P. Sestio.

disti semicirculo solum vtar. Aut si dicas an tu putas esse bonos viros qui amicitias vtilitate sua colunt, nihil ad humanitatem nihil ad honestum referunt; nec libenter ea curant quæ ego nisi curarem præter cætera me prorsus tua beneuolentia, in qua magnam felicitatis meæ partem soleo ponere indignum putarem. Quandoque in initio orationis, sed post narrationem, vt pro Q. Ligario. Quid? cum ista res nihil commouisset eius animum ad quem veneratis; languidiore credo studio in causa fuistis. Multæ quoque partes sunt, quæ vim interrogandi habent, quæ tamen sine nota interrogationis finem sortiuntur velut in initio orationis pro Celio & C. Rabirio Posthumo. Ergo vim ipsam sermonis hæc distinctio quæ est efficacissima respicit, vt animam quasi scripturæ addat.

FINIS.



LIBER



LIBER DE LVDO ALEÆ.

CAPVT PRIMVM.

De Ludorum generibus.



LVDI constant, aut agilitate corporis, velut Pila; aut robore, vt Discus, & Lucta, aut industriâ, vt Latrunculorum, aut fortunâ, vt Aleæ propriè, & Talorum; aut vtroque, vt Fritilli. Industria autem duplex, aut ludendi, aut certandi, velut in Primaria, nam & Chartarum ludus nomen subit Aleæ, quòd antiquo tempore Chartæ ignotæ essent: imò, & materia, qua conficiuntur. Indicio est, quòd scriberent in pergamenis coriis, scilicet hædorum, & papyro Ægyptia, & tabulis, & cæra & Philira. Dicitur autem Primaria, quòd primum obtineat locum inter ludos Aleæ, seu pulchritudine, seu, quòd ex quatuor constet, quasi coniugationibus primis, & ad numerum elementorum, ex quibus componimur, non autem mundi. Continet autem varietates miras.

CAPVT II.

De Ludorum conditionibus.

SVnt autem spectanda conditio Ludentis, collusoris, Ludi ipsius, pecuniæ, quibus certatur locus, & occasio; tantum autem potest hæc, vt lieuerit in epulis mortuorum ludere. Vnde titulus est apud Iurisconsultos de sumptibus funerum, & ludo Aleæ: aliàs damnatus legibus, Titia, & Cornelia. Itaque videtur in graoioribus curis, ac mœroribus non tam licere, quàm expedire. Permittitúrque vinctis, & supplicio vltimo afficiendis, & ægris, & ideò & Lex in luctu permittebat. Quòd si qua est occasio, nulla certè tam digna est excusatione. Et mihi cum putarem ex longa tabe instare mortem, non parum contulit assiduè ludere Aleâ. Impositus est tamen modus, circa pecuniæ quantitatem, aliàs certè nunquam ludere licet: quòd quam sinmunt excusationem de leniendo tædio temporis, vtilius id fiet lectioonibus lepidis, aut narrationibus fabularum, vel historiarum, vel artificiis quibusdam pulchris, nec laboriosis; inter quæ etiam lyrâ, vel cheli pulsare, aut canere, carmináque componere, vtilios fuerit, atque id ob tres causas; Prima, quòd huiusmodi intermissio seriarum actionum laudabilior est, quàm Ludi, vt quæ vel faciat aliquid, vt Pictura, vel sit secundum naturam, vt Musica, vel homo aliquid discat, vt legendo audiendove fabulas, historiasve. Secunda, quòd non sit sine labore, & ideò non inuitis nobis, plus temporis nobis eripiat, quàm par sit: Tempus autem, (vt Seneca aiebat) & rectè dum de longitudine, & breuitate vitæ loquitur, res est charissima. Tertia, quòd honestius sit otium illud, & non mali exempli, quemadmodum est ludus, & maximè apud filios, & domesticos. His accedit, quòd Ludus iram mouet, turbat mentem, & quandoque homo erumpit ad certamen pecuniæ, quòd turpissimum est, periculosum, & Legibus prohibitum. Denique soli non possumus ludere; at huiusmodi oblectamentis etiam soli delectari possumus.

CAPVT III.

Quibus, & quando magis conueniat ludere.

ITaque si persona sit prudens, senex, in Magistratu posita, & togata, aut Sacerdotio insignis, minus decet ludere, vt contrà pueros non adeò dedecet, & adolescentes, & milites. Quanto autem maior est pecunia, eò turpius, ***Vituperabatur quidam summo Sacerdotio fungens, (Cardinalem vocant)*** quod quina millia coronatorum cum Mediolanensi Regulo lusisset post cœnam; quòd vitium nunc detestabile est Principibus; nec defenditur nisi ab aulicis ipsis, & Adulatoribus, seu ob timorem, seu quia munera accipiunt, si felix cadat Alea: Interim spoliantur subditi, & paoperes auxiliis illis delegatis, & debitis fraudantur; si viucant prodigunrur pecuniæ Ludo parte si vincatur, aut ad paupertiem redigitur, si impotens fit, & alioquin probus, aut ad rapinam, si potens improbúsque, aut ad laqueum, si pauper, & improbus; collusor quoque infamis, vel humilis conditionis, & Ludo assuetus turpior, & etiam damnosior; nam si cum huiusmodi viris luseris attentius, lusor euades; sin minùs vsu, dolo, calliditatéque spoliaberis. Collusoris conditio, raritas ludendi, & breuitas, & locus, & paucitas pecuniarum, & occasio, vt in diebus festis in conuiuiis. Persona vt Rex,

Rex, aut Sacerdos nobilis virtute, coniunctus, sponsus. At fœdissimum est cum lusoribus ludere, & (vt dixi) periculosum, locus honestior est domus propria, aut apud amicum, vbi publicum non sit flagitium. Dispari conditione ludunt Iurisconsulti, ac Medici, similesque; tum quia otium suppetere videatur, tum quia si vincunt; aleatores videntur; si vincuntur non minus sapere arte, quàm hac in parte. Idem iudicium est si huiusmodi viri Musicam velint exercere.

CAPVT IV.

Vtilitas ludi, & damna.

LVdi autem bene administrati, vtilitates sunt relaxatio curarũ, & voluptas ex quibus ad seria prompti & alacriores surgimus; cognitio morum Ciuium: est enim *Eculeus* ludus, ira, auaritia, probitasque apparent in ludo, seu improbitas. Magnum indicium, & tortor est ludus si de pecunia non parua certes: Conciliatio amicitiæ, adeò vt multi emerserint ob Principum amicitiam ludo contractam: Quòd etiam Cicero significauit in Philippica collusorem tuum de Alea condemnatum. Damna verò iactura existimationis, & quanto quis grauioris est auctoritatis; amissio temporis, verba inania, conuicia aliquando in Deos, neglectus proprij officij, periculum transitus in consuetudinem, cogitatio post ludum, vt vincas, vt malè luseris recordatio, iargia, & sepe prouocatio ad iram, quâ nihil deterius: Inde enim ad certandum de multitudine pecuniarũ homo irritatur, vel ad inimicitias, & mentem non habet; adeò, vt pecunias proiiciat, & abiiciat potius, quàm ludat. Experimentum præcipuum patientiæ hominis, aut impatientiæ est ludus. Optima autem Aleæ commoditas est non ludere. Maximum autem commodum est experimentum continentiæ, ab ira à probis denique ab ipso lusu cum victus fueris.

CAPVT V.

Cur tractauerim de ludo.

DVplici antea autem causâ de Alea tractate opportunum duxi. Prima ob vtilitates illius, cùm enim vtilis sit quandoque id bonum colligere quantumcumque fuerit, & expolire, non erit inutile. Quòd etsi, tota Alea mala esset eum tamen ob ludentium multitudinem, quasi naturalis sit; ob id etiam velut de insanabilibus morbis à Medico tractandum fuit; namque in omni malo est minimum malum, in omni dedecore minimum dedecus, in omni flagitio minimum flagitium, in iactura similiter temporis, & rei, mos fuit Philosophorum etiam de vitiis agere, vt ex illis commoda capiantur, velut de ira, itaque non absurde fecerim si de Alea tractavero, non vt laudem illam, (scio enim quosdam in hoc, & frustra, & malo exemplo laborasse, legique libellos de huiusmodi argumento) sed vt commoda docerem, quæ in ea habentur, & vt quàm minime esse possit, ac damnosa doceam.

CAPVT VI.

Principale fundamentum in Alea.

ESt autem, omnium in Alea principalissimum, æqualitas, vt pote collusoris, astantium, pecuniarum, loci, fritilli, Aleæ ipsius. Et quantumcumque declinaueris ab ea æqualitate aduersum te, stultus es, & pro te iniustus. Ratione igitur collusoris si potentior sit te, aut improbus, aut is, à quo violentiam timere possis, aut talis, qui moram trahendo omnino vincere velit; querulus, litigiosus, clamosus, dolosus, vt quoquomodo animum tuum, vel timore, vel ira perturbare possit, pessimus est; & perdere est hoc pecunias non ludere. Maius est in astantibus periculum, si collusori tuo addicti sint; ideo in multitudine hominum, si ludas, vix fieri potest quin sis stultus, aut iniustus, stultus si contra te sint, iniustus si pro te. Possunt autem nocere multis modis; apertè monendo, ac docendo; quod duplex est malum, tam quòd rem suam meliorem faciunt, tum quòd te ad iram prouocant, atque perturbant; iratus autem dum est iratus, est planè amens; aliqui perturbant animum, etsi non doceant verbis inconditis; aliqui consultò de seriis negotiis te interrogant: Quidam adeo impudentes sunt, vt iurgiis te ad iram prouocent; alij irrident, vt irasearis; alij modestiores pede, vel manu docent, quod agere decæuit, non esse agendum; alij nutu, quia procul sunt, vel etiam, vt magis illi faueant, dum animum tuum suspicione implent; alij falsò aleam renuntiant; alij denuò indicio te opprimunt; ob hæc tanta, fautores quidem ad iniustè lucrandum, vt plurimum prosunt: Ita secus coram multis ludere est, prodigere pecunias, non certare: tametsi etiam nihil horum contingat, sola suspicio euertit hominẽ, & errare cogit, quapropter suspiciosus ne luserit. Idem periculum est, cum collusor adeò celeriter aleam corripit, aut tabulas ducit, vt cernere non possis, quæ agat, aut quid Alea ostenderit. Et similiter si pecunias luserit adulterinas, aut detonsâs, aut aqua comminutas; etsi locus vbi timeas, aut infami; etsi Alea adulterina sit, aut Fritillus pendeat.

CAPVT VII.

De Fritillo pendente, & Alea adulterina.

TAbulas repone in medio rotundas, si in aduersam partem labantur, pendet in oppositum; idque contra te est: similiter si ad tuam inclinetur, & dilabatur pro te: si non mouentur toto Fritillo, res æqualis est, similiter si Fritillus altera parte lucem respiciat, deterius est, quoniam perturbat mentem. Contrà melius, si ad obscurum vergat; dicunt etiam prodesse; si contrà Lunam maximè ascendentem constitutus sis. De Alea

bifariam

bifariam periculum est, vel si permittetur, omnis enim Alea, seu forma, seu alia causa, seu casu punctum habet familiarem; & ideo si commutetur magnus numerus in paruum, aut contrà, quantum referat, intelligis. Alius modus est, cum Alea adulterina est, seu forma rotundiore, seu angustiore, idque perspicuum est viso, seo quòd apprehensis angulis contrapositis in partem vnam dilatatur. Constat autem tripliciter id debere tentari, cum sint tres coniugationes oppositorum angulorum; vnde superficies superior emergit. Hæc igitur diligenter sunt consideranda. Maiora etiam sunt damna chartarum; quæ exterius notantur. In omnibus oculatum esse oportet, & cognoscere disparem illarum conditionem.

CAPVT VIII.

De conditionibus lusoris.

STultum est ludere pecuniam paucam quidem, vt vincaris, non animaduertens; aut vt totum Aleæ te dedas, vt vincas; necesse enim est, vt minus sciat, qui rarius ludit. An ergo omittenda sunt studia Artium, vt Aleâ vincas, & parum? aut vt vincaris, & indignetis, atque irridearis? At si de multa euerteris victus; nec par est victori emolumentum, qualis est iactura victo; nam ex consuetudine multa donari solent. Homo prodigit, & tempus perit: vbi postmodum semel Alea exciderit, infeliciter plus iacturæ fit, quàm fuerit lucrum in pluribus vicibus. Propterea, aut peritior illo, & exercitatior esse debes, aut ita ludere, vt nil referat, quomodocumque cedat Alea, id fiet, si de paruo certes, & cum charissimis in domo tua à prandio paululum. Quòd si modo certare de magna pecunia velis, assiduè ludas, nec cum peritiori te, nec fortunatiori, nec iniqua conditione. Plurimum enim valet etiam fortuna in his.

CAPVT IX.

De vnius Alea iactu.

TAlus habet quatuor facies, ideoque etiam puncta quatuor. Alea vero sex; in sex reuolutionibus singula puncta euenire deberent; sed quia repetuntur quædam alia, vt non eueniant, necesse est; sic repræsentatur in plano, vt est ab omni latere dorso incumbens, videri potest, inde depingi; sic in vsu noo est, sed verticilli in modum pueri ludunt, nec Aleæ formam habet; tum dimidium semper numeri est æqualitas, vt in tribus iactibus punctum eueniat; nam in sex completur reuolutio, aut tria puncta vno iactu, exemplum, tam possum proiicere vnum tria quinque, quàm duo quatuor sex. Iuxta ergo hanc æqualitatem pacta constant, si Alea sit iusta; & tanto plus, aut minus, quanto à vera æqualitate longius distiterit. Verum (vt dixi) hæc ad intelligentiam plurimum, ad vsum penè nihil conferunt.

CAPVT X.

Quòd Alea damnata sit ab Aristotele.

CÆterum cum ad ludum descendimus, & ad veram Aleam, de qua infrà dicemus, in qua præter eos, qui ob magnum animi dolorem, pecunia certant, excusatum neminem habeo, & infamis est Alea, quòd homo ab amico, sed inuito, lucratur. Luctum enim à volentibus, atque scientibus optimum est; proximum, quod à scientibus, & nolentibus. In primo quidem genere sunt Iurisconsulti, atque Medici, in secundo mercatores. Tertium genus est, quòd à scientibus, sed nolentibus, & amicis, vt ludus Aleæ. Quartò quòd à nolentibus, ac scientibus, vt dolo partum.

Quintò, quòd ab inuitis, & scientibus, non amicis, vt latrocinium. Aliam causam exponit alibi dicens: Aleatores tamen, ac fures, atque latrones, illiberales sunt; turpi enim versantur in lucro: omnia autem quæstus causa agunt, & sustinent probra. Atque fures quidem capiendi gratia, maxima pericula subeunt: Aleatores autem ab amicis, quibus dare oportet, lucrantur. Vtrique igitur lucrari volentes, vnde non oportet, turpi in lucro versantur; & omnes tales accipiendi actus, illiberales sunt; qoin quòd lusor est perjurus, & conuicia iacit in Deos, prodigus simul, & auarus, & si natura talis non sit, fit tamen iracundus, spes vanas nutrit deses, & corruptor iuuentutis. Et secunt Christiani tantam; quam antiqui damnarunt, iuràque non admittunt: Inde leuiora peccata prosequuntur. Quod à Principibus ortum habeat hoc malum, illi verò omnia sibi licere volunt: quamobrem (vt dixi) ludus Aleæ pessima res est in Republica, in graui tamen metu, & tristitia, & cum maximi animi æstibus detinentur, plus longè leuat curas ludo latrunculorum; quoniam fortunæ expectationem habet; nec indiget toto homine, vt illi. Corporei autem ludi eo tempore insalubres, & periculosi sunt. 4. Ethicorum cap. 1. in fine.

CAPVT XI.

De duarum Alearum iactu.

IN duarum Alearum iactu bina simila puncta sunt sex, dissimilia quindecim, & gemina triginta, ergo omnia triginta sex, dimidium autem cuiuslibet puncti est decem, & octo. Et paria sunt in decem octo circuitus ad æqualitatem dissimilium, ergo nouem iacere, ergo geminum punctum est in ratione decem, & octo iactuum potest, & non potest euenire; & ita bina duo, vel terna. At vnum, & duo bifariam prouenire potest, in nouem igitur ictibus est æqualitas; si frequentius, aut rarius fortunæ est. Vnius puncti casus vndecies est in circuitu, in æqualitate ergo abesse minor, & in duobus ictibus æqualitatem plusquam sextante, minus quadrante, in tribus vicibus à circuitu toto deficit, & ita vt bis eueniat ab æqualitate ferme duodecima parte. Ratio est, quoniam successio illa ex ordine

dine eſt, quòd autem fallat præter ordioem. Succeſſio autem geminara, vt booorum bis punctorum accedit ex circuitibus, inuicem ductis, videlicet tribus millibus ſexcentis ictibus, cuius æqualitas, eſt dimidium, ictus ſcilicet mille octingenti. In totidem enim poteſt contingere, & non contingere. Et non fallit totus circuitus, niſi quia in vno poteſt geminari, & bis, & ter. Hæc igitur cognitio eſt ſecundum coniecturam, & proximiorem; & non eſt ratio recta in his: Attamen contingit, quòd in multis circuitibus res ſuccedit proxima coniecturæ.

CAPVT XII.

De trium Alearum iactu.

TErna puncta ſimilia fiunt, niſi vno modo, vt in precedenti; idcóque ſunt ſex. Puncta verò bioa ſimilia, & tertium diſpar ſunt triginta; & vnumquodque contingit tribus modis, erunt nonagiota. Puncta verò ex tribus diſſimilibus ſunt viginri, & variantur ſex modis, erunt igitur cum iactu viginti, & circuitus ex omnibus ducenti ſexdecim, & æqualitas in cétum octo, & ponam ſimplices, & varios terminatos pro exemplo. Simplices, ergo ſex geminati cuius puncti quinque modis. Cum ergo ſint puncta ſex, erunt modi triginta, ſeu ictuum varietates. Proponitur, & variatio, triplex, vt ſint nonaginta. Sed viginti, qui ſunt omnes diſſimiles, cum varientur modis ſex, erunt centum, & viginti. Puncta ergo ſimilia ſunt pars centeſima octaua æqualitatis, geminata autem cum tria ſint, erunt trigeſima ſexta eiuſdem; & vt io duabus Aleis ad vnguem, eſt decima octaua. Ita hic iactus cum in decem octo numeris ſit, ad centum octo ſexta pars eſt, quare comparatus ad illum, triplo frequentius continget.

Eaque eſt geminorum lex, dicemus, aut de ratione pignoris iuxta hoc. Duo verò puncta inæqualia, vt vnum, ac duo, ſic diſtinguemus, quoniam ſi copulabitur vnum fiet tribus modis, ſi duo, totidem erunt, ergo iam ſex. Quatuor autem modis aliis contingit: At hi ſex variantur ſinguli differentiis, erunt igitur viginti quatuor; vt cum reliquis ſex triginta. At triginta quinque ad triginta ſex obtinent proportionem ad centum, & octo æqualitatis comparatæ; ad duodecim ergo ſextantis fermè, ſed non plenè. Numeri autem inæquales triplices, vt vnū, duo, quatuor; ad nomerum æqualitatis proportionem habent, quam in duabus Aleis ſimilia puncta ad vnguem. Singuli autem numeri per ſe in vna Alea proportionem habēt ſubtriplam, cum ergo tres ſint Aleæ obtioebunt proportionem æqualitatis, vt ex ducentis ſexdecim coniugationibus, ſingula puncta in centum, & octo inueniantur, & in totidem noo inueniantur, vt ſit ratio hæc ad vnguem, vt vnius puncti in duabus Aleis ad totum circuitum in tribus ictibus, vel in dimidio ad æqualitatem.

CAPVT XIII.

De Numeris compoſitis, tam vſque ad ſex, quam vltra, & tam in duabus Aleis, quàm in tribus.

IN duabus Aleis duodecim, & vndecim conſtant eadem ratione, qua bis, ſex, atque ſex, & quinque. Decem autem ex bis quinque, & ſex, & quatuor, hoc autem variatur dupliciter, erit igitur totum duodecima pars circuitus, & ſexta æqualitatis. Rurſus ex nouem, & quinqoe, & quatuor, & ſex, ac tribus, vt ſit nona pars circuitos æqualitatis duplum nonæ partis. Octo autem puncta ſunt ex bis quatuor, tribus, & quinque, ac ſex, & duobus. Totum quinque ſeptima fermè circuitus pars, & duæ ſeptimæ æqualitaris. Septem autem, ex ſex, & vno quinque, ac duobus quatuor, ac tribus. Omnia igitur puncta ſunt ſex, tertia pars æqualitatis, & ſexta circuitus. At ſex vt octo, & quinqne, vt nouem; quatuor, vt decem, tria vt vndecim, & duo, vt duodecim.

Sed in Ludo fritilli vndecim puncta, adiicere decet, quia vna Alea poteſt oſtendi erunt igitur duorum punctorum iactus duodecim, & ita bes æqualitatis, & triens circuitus. Tria autem tredecim, quatuor autem quatuordecim, quinqne quindecim, dextans æqualitatis, & à toto circuitu qnincunx. Sex autem ſexdecim, & valde propè æqualitatem.

Conſenſus ſortis in duabus Alcis.

2	12	1	3	11	2	4	10	3. Æqual.
5	9	4	6	8	5	7	8	18. Ad Frit.

Coofenſus ſortis in tribus Aleis tum Frit.

Sortis			Fritilli.		
			3	115	
3	18	1	4	125	
4	17	3	5	126	Circuitus 216.
5	16	6	6	133	Æqualitas 108.
6	15	10	7	33	
7	14	15	8	36	
8	13	21	9	37	
9	12	25	10	36	
10	11	27	11	38	
			12	26	

Vltra hunc numerum totidem quot in ſorte vt 13. 21.
14. 15.

Vnum punctum præterea habet 108.
Duo puncta habent. 111.

In tribus autem Aleis tria puncta. Septem ſuperant æqualitatem in Fritillo, in ſorte pro tribus vnis, ideſt centeſima octaua parte habentur. Quatuor in Fritillo habet centum viginti; in ſorte trigeſimam ſextam partem æqualitatis circuitos ſeptuageſimam ſecundam. Quinque ſit ex bis geminato vno, vel duobus; igitur erunt & decima octaua, in ſorte, ad æqualitatem. At in Fritillo ceotum, & vigingi ſex, ideſt ſexta parte æqualitatis plus. Sex autem in ſorte decem terna, duo ſcilicet, & bis ſingula cum quatuor, & tria duo, & vnum. In Fritillo igitur hæc eadem, & in ſuper, quæ binis coſiciunt bis tria,

vnum, & quinque, quatuor, & duo, hæc igitur quindecim, & cum decem reliquis, fiunt viginte quinque, vt fint centum triginta tres. Septem autem in sortè quindecim. In Fritillo iam desinit dimidium, seu æqualitas habebit. Ergo solum hæe eadem, & qui pet geminas Aleas, producuntur, & sunt vnum, & sex, duo, & quinque, quatuot, & tria; igitur derem, & octo. Summa triginta tres minus tertia parte æqualitatis, octo autem in sorte habet viginti vnum, punctum in fritillo est tertia pars æqualitatis, scilicet triginta sex. Nouem in sorte habet viginti quinque, in Fritillo vltrà duodecim. Itaque habebit triginta septem, decem in sorte habet viginti septem. In fritillo habere nouem plus, idest triginta sex, reliqui numeri sibi inuicem in sorte respondent, vt vides à latere. In fritillo autem vndecim habet solùm triginta tria, & duodecim viginti sex. Reliqui numeri supra duodecim æquantur his, qui sunt in sorte.



CAPVT XIV.

De punctis geminatis.

INcunda autem est ratio huiusmodi in duabus Aleis, quòd punctum habet vndecim ictus, & duo puncta pariter, & tria, & sic de singulis, vnum tamen punctum, & duo puncta non habent ictus viginti duo, sed viginti. Vnum enim habet vndecim, & duo nouem. Ita si addantur tria, non erunt viginti nouem, neque triginta vnum, sed viginti septem, & hoc accidit; quoniam se habent ictuum numeri hoc modo quemadmodum à latere vides; vt fiant ictus omnes collecti triginta sex; nam cum hic sit circuitus perfectus, necesse est, vt in omni ictu contineatur aliquod punctū, quia complent numerum circuitus. Si ergo quis dicat, vellem vnum; aut duo; aut tria puncta, tu scis, quòd sunt hæc viginti septem, & cum circuitus sit triginta sex, erunt reliqui ictus, in quibus hæc puncta non euenient, nouem erit igitur proportio tripla. In quatuor igitur ictibus ter eueniet æquata fortuna, punctum vnum, duo; aut tria, & non nisi semel sine vllo illorum; si igitur poneret ille, qui expectat punctum vnum è tribus, tres asses, alter vnum vinceret prior ter, & lucraretur tres asses: alter semel, & vinceret tres asses, igitur in circuitu quatuor ictuum semper æquantur. Igitur hæc est ratio certandi æquali conditione, si ergo alter eorum plus ponat, certabit iniqua conditione, & cum iactura, si minus cum lucro, si ergo accipiat quatuor puncta, fient triginta duo, & reliqui ictus erunt quatuor tantum. Ergo ponet pignus octuplo maius, quàm alter, quia proportio triginta duo ad quatuor octupla est, & ita de aliis, nec exigitur comparatio medij, ob id ergo dicemus idem in reliquis velut punctum, & duo puncta duos habent ictus, reliqui sunt triginta quatuor, quare proportio est decupla septupla, & ita in dispositione

20	11
27	9
32	7
35	5
36	3

vnius puncti geminati, erit, vt triginta quinque ad vnum, & ad hoc debent redigi regulæ omnes superiores; quod ex pignorum æqualitate dignoscitur. Ergo vt punctum eueniat cum sint ictus eius vndecim, erit proportio, vt viginti quinque ad vndecim aliquanto maior dupla. Eadem ratio obseruanda est in tribus Aleis, tam in simplicibus punctis, quàm compositis, & proponamus ex superioribus ictus vnius puncti centum, & octo, oportebit igitur inuenire sex termi- *Cap. 12. in fine.*
nos, quorum maximus sit centum, & octo, & reliqui æqualiter distent inter se, & ab eodem, & vt compleant ducenta sexdecim; vt à latere vides. Nam neque punctum obtinet medietatem totius circuitus, sed est proportio, vt nonaginta vnius ad centum viginti quinque, proxime conuersa viginti quinque, ad decem octo, maior ergo sesquitertia. Qui ergo posuerit, quòd non eueniet, tantum lucrabitur, vt in septem vicibus iactum habeat integrū, & si ponat quatuor, illa tria adhuc vincet. Pari modo in reliquis inire oportet rationem. Manifestum est autem, quòd in duabus Aleis æqualia sunt incrementa. In tribus autem æqualem habent excessum, vt in figura patet. Reliqua ergo subtiliter consideranda; cum etiam in Mathematicis deceptio contingat, sed alia ratione. Volui hoc non latere, quia multi non intelligentes Aristotelem, decipiuntur, & cum iactura. Vna est ergo ratio generalis, vt consideremus totum circuitum, & ictus illos, quot modis contingere possunt, eorumque numerum, & ad residuum circuitus, eum numerum comparentur, & iuxta proportionem erit commutatio pignorum, vt æquali conditione certent. Verum si fuerint duo ictus necessarij, multiplicabimus illos inuicem, & residua numerorum illorum inuicem: & si fuerint tria, vel quatuor idem faciemus, & iuxta proportionem numerorum prouenientium, erit facienda comparatio. Velut alicui necessarium est, vt iaciat vnum bis: tunc tu scis numerum eius esse nonaginta vnum, & residuum centum, & viginti quinque; ducemus ergo singulos in se, & fient viij. cxlxxxi. & xv. D.cxxv. & est proportio fermè dupla. Si ergo duplum posuerit, iniqua conditione certabit, quamuis ex quadam opinione videatur conditio melior certantis duplo pignore. In tribus ictibus continuis ergo, si necessarium sit vnum punctum erit proportio numerorum Dccliij. olxxi. & M. o. ccccliij. cxxv. & horum proportio proxima est ei, quæ est quinque ad duo, imò aliquanto maior.

91	30
61	24
37	18
19	12
7	6.
1	
2 1 6	

CAPVT XV.

De eo, qui contingit circa hoc, errore.

VIdetur autem hæc ratio falsa, etiam iuxta æqualitatem, velut tria ad tria in vno ictu æqualia sunt, essent autem iuxta hanc rationem etiam in duobus continuis, atque ideo tribus,

tribus, & quatuor, quod absurdissimum est. Neque enim si quis in duabus Aleis parem, & imparem numerum æqualiter mittere potest, ob id tribus ictibus perpetuis, equali sorte id facere potest. Sed cum primum impar, secundum, & tertium semel octo aliis modis falli potest ratione. Ducemus igitur in paribus comparationibus, velut paris cum impare numerum iactuum in se, & à producto auferemus vnum, & residui ad vnum erit proportio pignoris pro ratione deponendi. Velut in duobus ictibus perpetuis ducemus duo in se, fiẽt quatuor, detrahemus vnum, relinquentur tria; deponet ergo quis iustè tria contra vnũ; nam si pro impari certet, & mittat parem: seu postmodum parem, seu imparem mittat, vincitur, atque ita si post imparem parem. Ergo ter vincitur, semel vincit, & pro tribus iactibus continuis ducemus tria in se fient nouem, abiice vnum relinquuntur octo. Proportio octo vel vnum est in tribus iactibus continuis, & in quatuor quindecim ad vnum, & in quinque vigintiquatuor ad vnum. Et ita in centum viginti quinque ictibus solum erunt quinque suo loco, idest continuati per eundem numerum, vt vel incipiant à primo, vel sexto, vel vndecimo impare. Nam continuati aliter erunt plures vno ordine. Hæc autem ratio tota demonstrari potest ex numero locorum in vnoquóque dictorum circuituum, quamquam in multiplicatis falsa videatur. Velut siquis capiat viginti fient octo millia, vno minus ad vnũ. At vix credi potest, quod in octo millibus vno minus homo vicies possit mittere perpetuo parẽ numerum. Sed nos hoc demonstrauimus: Quia etsi in octo millibus tantum semel sumptis ratio fallere possit in infinito tamen numero iactuum id contingere proximè necesse est, magnitudo enim circuitus, est temporis longitudo quæ omnes formas ostendit.

In imparibus autem comparationibus, velut dictum est trium punctorum in duobus Aleis, quarum proportio est tripla, sumemus comparationem ab vna Alea, vt facilior fiat inuentio. Summus ergo talem habentem quatuor facies, & in vna parem numerum, & in tribus imparem, & peter quod pignus erit triplum. Imponamus nomina imparibus, a, b, c. pari autem, d, & fient quatuor ordines, vt vides in figura in comparatione sequentium. Vt primus habeat initium ab A, secundus à B, & ita copuletur secundus ictus, vt fiant sexdecim copulationes, quarum nouem erunt imparium, amborum, reliquæ septem parium, & ita si sint tantum tres, fient etiam tantum quatuor coniugationes imparium, Reliquæ quinque parium, & si sint quinque, & quatuor sint impares, fient ex viginti quinque ictibus sexdecim coniugationes impares, reliquæ nouem pares In omnibus his ducitur numerus totus in se, & similiter numerus similium in se, & comparatur ad residuum, & similiter si sint tria puncta tantum: aut duo pro nobis, ducemus numerum totum in se, & inde numerum illum in se, & hæc erit pars comparata ad residuum, vt in Alea sint pro nobis vnum, & duo, ducemus sex numerum facierum in se, & fit triginta sex, & duo in se fiẽt quatuor, erit ergo proportio, vt quatuor ad triginta duo, conuersa octupla etsi necessarij sint tres ictus, ducemus ter, vt sex in se; inde productum in se rursus, & fient ccxvj. & duo in se, & rursus in duo octo, detrahe octo, ex ducentis sexdecim, fient ducenti octo proportio ad sex, & viginti sex ad vnum, & si quatuor ictus sint necessarij, fient eadem ratione, vt à latere vides, & detracto vnum ab altero, relinquetur proportio, vt lxxx. ad vnum, & hoc in vna tantum Alea, eadem ergo ratione in duabus, & tribus Aleis, proponamus autem exemplum, satisfaciant vnum, aut duo, aut tria puncta, sed ter repetita, & (vt dixi) numerus circuitus est xxxvj. trium punctorum xxvij. ducemus, (vt à latere vides) ter xxxvj. in se, fiunt xlvj. D.clvj. Duc xxvij. in se ter, fiẽt xix. D.clxxxiij. detrahe minorem à maiore, relinquetur xxvj. Dcccclxxiij. proportio ad xix. D.clxxxiij. ratio maior sesquitertia, minor sesquialtera; scilicet residui ad minorem, & similiter dictum est, quòd in tribus Aleis vnus punctus, quivis sit per se sumptus habet rationem xij, ad ccxvj. totum circuitum, si ergo ter necessarius sit ille punctus, ducemus totum circuitum, (vt à latere vides) & residuum est ix.ccexxiv. cxxv. diuisum per minorem, scilicet D.cciv. Dlxxix. proportio pignoris deponendi fermè, quæ est paulo maior duodecupla, ex quo patet, quod ratio alia non satisfacit, sed hæc generaliter vera est.

A.	B.	C.	D.
a	a	a	a
b	b	b	b
e	c	e	c
d	d	d	d

CAPVT XVI.

De Ludo Cartharum.

SI de omnibus dicere voluero, infinitum erit, sunt autem duo genera, Prima cum actione, & sine actione. Differt ab Alea quod illa aperta sit, Ludi Cartharum fiunt ex insidiis, nam occultæ sunt. Primera est omnium nobilior. Cõstat ex quatuor chartis, iuxta diuersitatem naturæ, chartæ enim apud Gallos, Hispanos, Germanos, atque Italos sunt quatuor differentiarum; & sunt tredecim, omnes igitur quinquaginta duæ. Sunt autem ab vno ad decem, iuxta numerorum seriem. Inde Rex cum pedite, Galli Reginam, Itali equitem habent. Igitur in primera eximuntur numeri octo, nouem, decem; Rex pedes, & Regina, vel eques, decem valent singuli. A binatio ad quinque adduntur decem, vt valeant duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sex, & septẽ triplicantur, vt sex valeat decem octo, septem viginti vnum, vnum autem valet sexdecim. Ita maximus numerus constat ex septem, sex, & vno, & sunt xxj. xviij. xvj. omnes lv. sed si compleatur numerus omnium, addito quinatio, omnes eiusdem generis chartæ lxx. numerum perficiunt.

Est autem duplex Primera, quæ maiore numero potior est, qui diuersus est pro natura modorum: Et quæ minore, & parum est in vsu; quæ in chartis diuersorum generum, minimum numerum habet xx. in Primera xl. & in fluxu xlij. Modi autem iidem sunt, qui in Priore, & eundem inter se ordinem seruant.

Sunt igitur modi in vtroque genere quinque, Numerus, Primera, supremus, fluxus, & chorus. Numerus est, cum duæ aut tres chartæ sunt eiusdem generis, & minimus est xx. & fit ex duabus chartis minoribus, quas figuras vocant, quia depictam habent formam humanam, (vt dictum est) Regis, vel Reginæ, seu Equitis, & Peditis, Maximus est liv. constat tribus chartis, septenario, senario, & quinario. Secundus est Primera, cum chartæ omnes fuerint diuersorum generum, & qualiscumque sit omnem numerum vincit. Minimus numerus est (vt dixi) xl. maximus lxxxj.

Hanc superat quantacumque sit supremus idest lv. cum tres chartæ eiusdem generis fuerat septem, sex, & vnus, qui implent lv. Quarto loco est fluxus, qui constat ex quatuor chartis eiusdem generis, vincitque primeram, supremumque numerum. Et minimus numerus (vt dixi) est xlij. Maximus autem lxx. Quintus modus est ex genere primeræ, sed omnes chartas habet similes. Quatuor senarij aut septenarij, aut quatuor Reges. Neque enim tres Reges, & vna Regina chorum faciunt, licet omnes denario numero æstimentur. Hic modus vincit omnes alios præcedentes. In eo autem vincit maior numerus. Maximus numerus est lxxxiv. si sint figuræ pares, vt quatuor Reges, quatuor pedites, non Reges vincunt, quia numero non sunt superiores, sed qui propior est chartas exhibenti à latere dextro. Quod generale est in omnibus paribus numeris in paribus modis. Chartæ binæ, & binæ simul non singula exhibentur. In diuersis modis non licet addere summi pignoris, sed summus punctus pro primera haberi potest, vbi alius primeram nominauerit. Chorus etiam pro primera semper, & pro fluxu celari potest, vbi alius retexerit. Placet damnare malam consuetudinem: Nam quidam chorum ostendunt, inde chartam abiiciunt certo loco, aliasque commutationes recipiunt, voluntque manere cum choro, sed nimis contentiosa res est hæc, & fraudi multis modis locum præbet. Propterea qua fortuna venit, ea gaudendum est, nam si in commutatione chartarum fuisse voluisset, non antea se exhibuisset in casum. Non enim amittendus est hic vsus.

Quia ergo tribus modis consueuit vna charta expectari, vel in minori puncto, vt si collusor habeat xlv. tu verò xxxvj. qualicumque charta, ex duabus victor euadis. Vel si collusor habeat xl. tu verò tres chartas diuersi generis, primera solum vincere potes. Vel si ille primeram habeat, vel supremum punctum, vel etiam maiorem solum, sed ita vt tu tribus chartis minus habeas, necesseque sit fluxum perficere, vt vincas. Solent partem depositi auferre singuli, vtpotè dimidium, vel propè reliquum sorti dimittitur, vt sit victoris. Ea autem ratione in primo casu auferri debent, (nisi ex reiectis, cognitum sit plures superesse, vel pauciores distribuendas, quàm pro ratione generali; nam si superessent chartæ decem distribuendæ, & in illis adhuc quinque, aut vna tantum, aliud esset dicendum) ex æquali: in primera ex dimidio alter ex duplo: in fluxu ex tertia parte, alter ex triplo. Dicam autem quid fieri debeat, non quòd fit, cum diuersæ sint gentium consuetudines, tantum est ergo auferendum, vt ea conditione non inique certetur. In primo igitur casu, tanto præstat hæc æqualitas, quanto iam binas haberi offertur; nam in reliquis, duæ duo genera occupant: quatuor autem, sunt ita in hæc, quam illa incidere possunt. At si subtilior sit aliqua ratio, eam nunc prætermittere decet, cum in huiusmodi spectanda sit sola vtilitas. In secundo autem casu, iam manent apud vnum duo, apud alium vnum è quatuor vicibus cum tribus succumbat, vna tantum vincat vno in circuitu omnia amittet in qua igitur est conditio. Mouentur autem hac ratione quòd si duæ chartæ expectarentur, diuitio conueniret æqualis: ergo ex dimidio duorum, dimidium pignoris. Sed rationem sic inire oportet: si quatuor habeat aures tres, amittet in vno circuitu, lucrabitur vnum, igitur amittet dimidium eius, quòd habeat: oportet ergo depositi medium amittere, tantum verò lucrari collusorem: Igitur recipiet solum quartam partem illius medietatis, & collusor dodrantem. In fluxu autem, quia præter id tres chartæ deficiunt ex eo genere, in his, quæ distribuuntur, detrahere oportet quintam partem, quæ est duarum, quibus, qui tres habet, superat vnam; nam vna charta potior est primera conditione tertiæ partis, iam dictæ: Igitur accipiet solum duo, & socius nouem. Quare concludo, quod æquata lance, vt faueamus etiam his, qui fortuna iniquiore ludunt. In primera, qui illam expectat, accipiet duo, alter quinque. In fluxu autem vnum, alter quatuor, & hoc est proximius veræ rationi. Cauendum tamen est, vt non id ex arbitrio agatur, sed semper, aut nunquam; aliter iniquissima conditione ludes; nam chartam exterius poterit collusor agnoscere; itaque si tibi conueniat, aut illi non pacisceutur: At si tibi, nō illi verò conueniat, nequaquam. At si modo conditionem recipere oportet, fiat ante exactam chartam, quare inferius extrahendæ sunt, non autem supra.

CAPVT XVII.

De dolis in huiusmodi Ludis.

Commune habent enim Aleis, vt quod desideratur, dolo occupetur, estque hoc genus doli exosum, & gladio solet vindicari, secundus dolus, circa cognitionem versatur, vt in hoc genere est acerbissimum chartis adulterinis vti: ita in alio leuissimum, vt ordine suo loco collocentur, sed ordinis illius memorem esse oportet. Consueuerunt igitur, vbi cognouerint supprimere inferius illam, aliàs, quæ forte non debetur distribuendo, donec suppressam sibi arripuerint: Alij verò ex superiore parte periculosissima fraude, & mortem merita, vt & alia, sed latentior est. Qui verò solum aptando sciunt, quid sint expectaturi, non deceptores appellari solent, sed inter cautos recensentur. At qui adulterinis chartis vtuntur, alij subtus, alij superius, alij à lateribus signant. Subtus quidem satis proximis

ximis, asperis leuibus, durisve: qui supra colore, & notis tenuibus ex cultro: à lateribus autem figura, asperitate, sertis nodis, ac tuberibus, aut lima cauatis rimulis. Sunt qui speculis in annulis positis cõtemplantur formam chartæ: ommitto modo, quæ per astantes fiunt technas, atque organum, ac consensum. Certè in exigua voluptate, atque adeò inconstanti faueat votis, tot incommoda, torque impedimenta fiunt, vt nihil melius, quàm non ludere, sunt etiam qui inungant chartas sapone, vnde illæ fluunt facilè, & ab illis aliæ defluunt, quo doli genere vsus est ille Thomas Lezus Venetus patritius mecũ dum alias ludo iuuenis addictus essem. In vniuersum ludus non est nisi dolus, & numerus, & fortuna. Contra dolum valet, vt caueas vafro ingenio homines; vt enim boni non sunt deceptores, ita deceptores, boni esse non possunt. Vbi de dolo suspicaris de parua pecunia certa, adhibe speculatores, chartas intermisce non superpone, & si aliter superponat, nõ misceat, dolo agit. Chartas habeto tu, si mittunt emptum, è tuis emat. Inspice intus, extra, à lateribus in angulis tange, si asperæ nimis leues duræ inæquales, noli ludere; antequam enim cognoscas forsan te spoliabunt. Denique loco tuto nemo inspiciat chartas. Solent in primaria, quam primeram vocant à posteriori, & à superiore parte detegere, vel minimum chartas, vt super astantes non possint deprehendere, atque in hoc magna pars artis consistere videtur, & de hoc gloriantur.

Subit dubitatio non leuis in hoc cum præstigiatores adeo admiranda faciant, cur tamen plerique eorum in ludendo sint infortunati; par enim videretur, vt quemadmodum in sphærulis, & vrceolis, & nummis fallere solent, ita etiam possint in chartis, atque ita victores semper euaderent: sed damnato Hispano præceptum fuit, imo interdictum, (vt aiunt) sub pœna capitis, ne luderet; quippe qui quatuor chartas chorum efficientes ad libitum ostenderet, seu oculis furum faciendo, seu illas manuum agilitate commutando; nam in alterum horum referre prodigiosam præstigiarum artem, necesse est: At Franciscus Sorna Neapolitanus, (de quo alias loquuti sumus) ita commutabat, vt nihil posset mirabilius excogitari.

In prin. lib. 18. de subtilitate.

CAPVT XVIII.

Pacta communia in Primaria.

IN Primaria pacta quædam habentur communia: Non licet quicquam è ludo subtrahere, sed pro fraude habetur. Paulatim ergo adiicitur è priore cumulo. Si punctus simplex sit, vel etiam superior, mutant semel chartas. Si adsit Primaria vel fluxus, vbi propalauerit sortis, fit Dominus. Qui admittunt quatuor res, seu chorum, non admittunt supremum punctum, vt possit augeri sors, & qui admittunt supremum punctum, non admittunt chorum, vt liceat pignus augere. Qui primariam, aut fluxum non propalando, auxerit depositum, nisi mutandi chartas consilio, perdit depositum: Si verò non auxerit, cogitur volentibus aliis chartas mutare; si vnus habeat parum, alij plus, quilibet seorsum certant vltra id, quod est minimum. Et licet tertius ille vincit, inter eos tamen certatur de reliquo, ac si soli inter se luderent. Cum quis ponit pignus ab initio, si vnus recipit, alij absoluuntur. Si nullus vltimus ab eo, qui ponit, certare cogitur. Si plus vult ponere, quam sit prima meta, quilibet potest recipere conditionem, & abnuere, sed pro prima meta, (vt dixi) vltimus tenetur. Si nullus ponit, mutare coguntur chartas ambas, aut alteram pro arbitrio eorum. Sunt qui certent de paribus in duabus chartis, & est ludus mixtus ex Gallico Geleo, scilicet, habeo ego, & primaria. Si quis vincat ex puncto maiore, chartam aliam ostendere tenetur. Si id non agat amittit depositum, quia fluxum habere posset. Si primariam se habere profiteatur, & socius recuset augere depositum, tenetur ille primariam ostendere. Potuisset enim fallere illum sine primaria inuitando ad certamen maioris depositi. Et similiter si inuitet ex puncto, tenetur ostendere duas chartas diuersas, & vnam consimilem alteri earum, ne fluxum, aut primariam habere, quis possit suspicari.

CAPVT XIX.

De punctorum, seu numerorum diuersitate in Primaria.

SVmus punctus simplex post primum eundemque supremum est liv. minimus viginti, mediocris igitur xxxvij. sed propter supremum xxxviij. medius reputatur, at ille non potest duabus chartis fieri, igitur xxxix. medius habetur, etsi à dextra sis potior, vocabiturque potior mediocris. At in Primaria, cum nec possit vinci à supremo, nec ab alio, nisi choro lxxviij. est maximus. Simpliciter autem lxxxiv. sed minimus xl. Igitur medius simpliciter est lix. sed potior lxij. si à dextra. Nam & lxxviij. à læua simili succumbere potest; sed lxxix. vinci nullo modo potest, nisi à choro. Chorus enim vbique vincit, & supremus primariam; sed alteri eorum libertas augendi depositum aufertur: Rursus in fluxu minimus numerus est xlij. maximus lxx. medius ergo lxj. Vt ergo sumamus rectà cum ratione, quandoquidem ab initio numerus mediocris sit xxxvij. maximus xxxix. minimus xxxiv. conficiantur enim ex supremis trifariam coniugatis, & supremum punctum vnius chartæ expectatione conficere possunt. Relinquuntur ergo puncta cij. in octo chartis, igitur mediocris punctus est l. in tribus chartis. Et rursus in Primaria xxxvij. est punctus mediocris duarum chartarum, reliquarum bis xiij. fiet ergo punctus mediocris lxiij. Et rursus in fluxu idem continget, quod in Primaria; contingunt autem multæ varietates, iuxta hæc velut si prodierint maiores, aut minores, aut iuxta ea, quæ dicam.

CAPVT XX.

De fortuna in Ludo

VIdetur autem plurimum posse fortunam in huiusmodi, vt quidam etiam inexpectatis fruantur, alij iuxta eapectaris destituantur. Vnde mediocritatis illius, ratio locum non habet. Ea etiam mediocritas ex extremis conficitur, vt non sit velut in litibus, & æstimationibus, aliisque similibus. Constat sanè hunc hominem, illo, eundem ad selpsum comparatum, alia ætate, tum in ludis, tum in negotiis, & cum hoc magis, quàm cum illo, & die vna magis, quàm altera esse fortunatiorem.

Etsi quis sortem quamcumque iaciat impares plures hac in parte magis, in alia minus, & pauciores esse oportet, aut æquales semper, si æquales, ratio erit, & principium, ooo sors; si diuersitas contingit in omni aceruo, aliquid est inuenire magis, minusque dissimile; sed ex hoc nulla ratio fortunæ inueniri potest; esse tamē fortunam necessarium est. Astrologi autem, eam sibi vendicant, non tamen vidi Astrologum quemquam alea ludentem fortunatum, nec qui eorum consilio vsus sit. Et causa est, quòd etsi contingat velut in omnibus fortuitis aliquando diuinare, nihilominus si diuinauerint (nam vbi non diuinauerint, iacturam fieri necesse est) cum postmodum fallunt perperam, audentes maius damnum ex vno errore subeunt, quàm vtilitatis ex diuinatione, quater prospere succedente. Semper enim in malum pronior est lapsus, & iactura maior lucro. Vidi autem, qui collimarent Geomantia, sed eadem instabilis vanitas, & periculum, nisi quòd moderatius hi vtuntur fallace præsidio. Vnde aotem, quòd frequenter quidam diuinent, noo aliam ob causam, quàm qnod alij frequentius errant. Cum ergo necessaria sit inæqualitas, necesse est alicui maiorem partem contingere, alicui minorem. Atque hæc diei possunt verisimilia rationi. Quæ tamen mihi contigerunt anno M. D. xxvj. cum Thoma Lezio patritio Veneto, nunc subiicere decreui iudicium, cuique suum relinquens. Eaueram dignitatem regendi Scholares in Gymnasio Patauino de more iij. Augusti, iam ibamque cum Hieronymo Riuola, Scholare Bergomense nocte quadam eiusdem mensis Venetias, lusimus Ludo (Basetta vocato) vici omnes, quas habebat pecunias. Inde rogauit, vt super fidem luderem ad aureis, vsque, ni fallor, binos, aot ternos, & vici rursus, tum demum volebat rem in immensum producere, oegaui; pollicitus est, quòd debebat se intra tres dies redditurum, non venit, forte fortuna obuius fit paulo post, pollicetur die sabbati, ea erat dies Natiuitatis Virginis, se venturum redditurus pecunias: deductum ad pulchram meretricem, agebam tamen annum, ac anni finem vigesimiquinti sed frigidus eram. Recipio tamen conditionem, de Ludo ne verbum quidem. Venit constituta die; erat autem eo anno Beatæ Virginis festum die sabbati. Deducit me ad domum Thomæ Lesij; ibi nulla Phais, sed vir barbatus cum famulo adolescente. Nullæ numerantur pecuniæ, sed ludimus chartis adulterinis. Vincor ille, pecunias quas debebat, tamquam dedisset in peculio meo adnumerat, spolior omnibus, amisi aureos circiter vigintiquinque, vel etiam plus paucas quidem, qnas habebam, reliqua pro pignore datis vestibus, atque annulis. Redeo domum (vt par est) mœstus, tum maximè quòd nulla esset spes recuperandi pecunias ex domo, cum Mediolani bella, & seditiones, maximè sæuirent. Itaque (vera nunc dico, nec est, quòd mentiar) quandam mihi fingo artem, nescio nunc, recordor, qualis fuerit, elapsis iam annis trigiota octo, sed puto ex Geomantia ortam, io qua vsque ad viginti quatuor ictus, numeros tenebam omnes, quibus victurus eram, & quibus succubiturus; fortè fortuna longè etiam plures erant, quibus superior eram futurus, quàm quibus inferior, adeò, (vt ni fallor) ad septimum vsque vnus, nescio nunc, quo ordine solus aduersabatur. Cum autem viderem me non tutò posse plures numeros memoria tenere, monui famulum adolescentulum, prænomine Iacobum, vt cum videret me recuperasse vestes, & pecunias, vt me vocaret. Comminatus, si id non faceret, me illum verberaturum grauiter. Pollicetur: imus. Quid plura ludit: ictibus omnibus, quos præuideram, vici, & victus sum, vbi post tertium ictum cognoui, non fraudari, non fallere, largè ponebant pecunias, & deponentem amplectebar, ille autem gaudebat prioris diei exemplo, & ob chartas (vt diai) adulterinas, existimabatque iuuenili impetu inflammatum, sed res aliter cessit, nam cum ictibus, quibus soperiorem futurum, tanquam viderem id ipsum, non iam amplius præuiderem nullam magnitudinem respuerem pecuniarum, largeque, & ipse deponerem, reliquis, quibus sciebam illum superaturum, refutarem, si poneret, & ipse parcè deponerem, factum est, vt intrà viginti ictus recuperauerim vestes, annulos, pecunias meas, & quas etiam superaddiderat, vestes autem, & annulos, & torquem per puerum, domum singillatim remisi. Supererant è numero quatuor ictus, reponit iterum pecunias, ludo, vioco, paucis etiam ictibus, qui non in numero continebantur, victor euasi; illo iam perturbaro, & pleno admirationis, dum cerneret omnibus ictibus, quibus de magna pecunia certabamus, me superiorem euadere: his quibus vicit me paulum deposuisse, & multam deponere volentem recusasse. Ita (vt dixerit) credo Demonem aliquem te monere, aut præcaotatione aliqua præscire, quid futurum sit. Quomodo reliqua successerint, aliàs diaisse me memini. Sed nunc iam ad rem reden; si quis dicat Genium tum me monnisse, quamquam nondum videatur se detexisse non contendam: sed tamen, & Genium aliqua arte præscire id oportuit. De hoc (vt dixi) aliis relinquo indiciom. Nunc id considerarione dignum arbitror, quòd fortuna hæc videtur aliquid magis esse, quàm, quòd casu constat, cum in ea videamus initium, incrementum, statum quemdam adeò vt mirabilia quædam videantur,

tum

tum vt gemina puncta bis, cum fecus vincl non contingat, atque talia huiuſmodi: videamus tum etiam declinationem, inde perſæpe mutationem, tum verò, & omnia quædam magnæ calamitatis, aut felicitatis, quemadmodum & cæterorum, tum verò id ſtatuendum cenſuerim eſſe aliquid, licet cauſam neſciamus, quò partes cohæreant. Velut, quòd ditari debeas, aut ſpoliari: tum maximè cum ea his, aliquid maius ſequitur, vt ille, qui è ludo diſcedens, amiſſa omni pecunia, pugione imaginem beatæ Virginis vulnerauit. Vnde deprehenſus à Iudicibus, damnatus eſt pœna ſuſpendij. Quomodo autem cauſa illa felicitatis, ſeu aſtrorum concurſus ſit, ſeu factum, & ordo aliquis Vniuerſi poſſit mouere chartas, quæ ex arbitrio hominum bonæ, aut malæ cenſentur, cum per ſe nihil ſignificent, dubitatione dignum adeò eſt, vt facilius ſit huius facti cauſam inuenire ſine hoc fine, quàm cum illo, nam abſque eo ad caſum belle reduci poteſt, vt in conſtitutione nubium, & ſpargendo fabas, atque huiuſmodi.

CAPVT XXI.

De timore in iactu.

HVius cauſa dubitare contingit, cur qui cum timore iaciunt aleas, vincuntur? An mens ipſa præſaga mali; ſed oportet nos liberare homines ab erroribus, hoc enim quanquam poſſit credi verum eſſe, non tamen eo indigemus, cum cauſam habeamus manifeſtiorem. Nam vbi quis ſuccumbere cœperit, aduerſante fortuna, timide perſæpe aleas proiicere ſolet; quod ſi fortuna aduerſa perſeuerauerit, neceſſe eſt male cadere iactum, cum ergo timide proiiciat, creditur malè ob id cadere Aleam, cum tamen non ita ſit; ſed quia fortuna aduerſatur cadit male Alea, & quia cadit Alea malè, vincitur; & quia vincitur timide Aleam iacit. Propterea cum timide Aleam iacere ſit quartum in ordine, male cadere autem Aleam ſecundum quartum, non poteſt eſſe cauſa ſecundi, nec propria, nec communis, ſed potius contrà. Non ergo timidus iactus ſi Alea ſit æqualis, & non ex ſententia colluſoris arripiat Aleas cauſa eſſe poteſt infelicis numeri; ſecus autem accidere poteſt.

CAPVT XXII.

De diuiſione Ludorum gemina.

LVdorum alij conſiſtunt in Alea, id eſt, euentu rei apertæ, alij in chartis, id eſt euentu rei occultæ. Vtrumque genus diuiditur, quoniam alij fortuna tantum conſtant, vt ſancius in Alea, & primaria, ac fluxus in chartis. Alij fortunæ artem ludendi adiungunt, vt in Alea fritilli ludi in chartis, taro vleus, triumphus, & ſimilis. Cum ergo neceſſe ſit ludos conſtare fortuna tantum, vel fortuna, & arte, & vtrumque genus ex apertis, aut occultis, manifeſtum eſt, quòd ludorum, qui fortuna conſtant, & non robore, vel agilitate corporis quatuor ſunt prima genera.

CAPVT XXIII.

De ludis Chartarum, in quibus induſtriæ locus eſt.

CVm ergo in huiuſmodi exerceamus induſtriam in re incognita, neceſſe eſt, vt memoria earum, quas depoſuimus, aut teximus, aut reliquimus, aliquid poſſit, in quibuſdam autem plurimum, vt in trapola, Veneto ludo. Hoc eximuntur tria, quatuor, quinque, & ſex puncta. In quatuor generibus ſunt ſexdecim, relinquuntur triginta ſex. Dantur quinque poſt quatuor; in duobus luſoribus ſunt decem octo chartæ totidem in cumulo relinquuntur; ſi primo placent, retinet, etſi ſecundo diſplicent, mutat, & nouem primas recipit ſuperiores in cumulo; ſi placent, & ipſe ſuas retinet; ſi non commutat cum ſecundis cumulis; vides igitur quantum poſſit memoria, iudicio, ſcientia cauendi dolos, & ſecuritate debita. Plures ergo dum ſatis bene memorantur, non ſatis vitant caute dolos colluſoris, aut non prudenter ludunt, aut timidè nimis, vel quaſi iracunde. Propterea cum in Saccenſe oppidum, me contuliſſem hoc ludo mirum in modum delectabar; ex quo omnis boni initium habui. Namque induſtria effeci, vt omnium chartarum, quas depoſuiſſem, memor ſemper eſſem. Ars verò in ludendo plurimum valet. Namque vltimam chartam, qui obtinet, ſex habet puncta, ſi eadem binarius ſit, valet xxvj. ſex quoniam in vltimo: Decem quia cum ſit minima, niſi ſit ſola, non poteſt non vinci: in vltimo verò duplicatur, ideo valet viginti, cui addito ſex, valet viginti ſex; ſi bis hoc contingat, ſcilicet, vt penultima ſit binarius, & vltima, valent lij, ſcilicet ſingulæ xxvj. ſin autem tres binarij valent lxxviij. ter ſcilicet multiplicato xxvj. vt ſint vltima penultima, ante penultima omnes binarij ſunt, qui velint valere centum, & quatuor duplicato lij. ſed non eſt rectum, ſic enim oporteret, vt vltima valeret xxvj. penultima cum vltima lxxviij. & antepenultima cum reliquis duabus ccxxxiv. quod nemo admittit, iſtiuſmodi tamen conſtant conſuetudine, aut pactis, quemadmodum, & quòd binarius, ſi ſit prima, vt etiam in reliquis, nec vincatur, quoniam eo genere chartarum careat colluſor decem valet, apud aliquos tamen valet xij. Pedes valet puncta tria. Regina, vel Equus, quatuor, Rex quinque, punctum vnum vocant lunetam æque ſupremum in ſuo genere, vicitque Regem, & omnes alias chartas, valet ſex, tres lunetæ ante ludum valent xij. tres binarij x. tres Reges, aut Equi, vel Reginæ, vel Pedites ſex, nec oportet, niſi in lunetis dicere, quales ſint; ſed cum binario omnes nomine figurarum appellantur. Oportet autem tres eſſe ſimiles, & vnius generis, vt tres binarij, vel tres Reges, nec eſt neceſſe, vt lunetas, vel figuras ab initio ludi appellemus, ſed ſolum, antequam vllam ex illis tribus

detegamus, aut ludamus, vel ludendo, dum non collegerimus illarum vllam;si quis omnes chartas obtineat,cucum vocant duplicaturq; totus numerus. Hanc igitur chartarum memoriam,cum ad verbi vnius scientiam tradnxissem ex illo didici etiam multas res,hoc modo vnius verbi continere. Inde excolendo inuentum totam vnam lectionem, & quæ in ea continerentur, Post etiam illa inueniri & ex autoribus deriuare. Vnde modos ille ex temporanee profitendi. Sed reuertor ad chartarum lusum, nam hoc genus ludi est artificiosissimum, cum in certa re, & vi naturæ consistetot,omisi exercitationem illius diuinationis multis ex causis. Primum enim me statim contuli Patauium, inde in Saccense oppidum, atque ita occasio sublata illius ludi; nam ea sors non habet locum, vbi ludo industria commiscetur. Deinde quòd timerem, ne nimis fidendo me euerterer. Præterea dicebam si ex Demone est fallax, est & contra legem, si fortuita stultum est illi fidere. Abhorrebam etiam à ludi genere damnato legibus. Præterea stultum existimaui,cum possem locupletiore conditione,securiore scilicet, & ex naturali ratione pendente certare velle tam absurdè inniti.

CAPVT XXIV.

De differentia ludi Chartarum à ludo Aleæ.

DIffetunt ludi Chartarum à ludis Aleę, in quibus industria locũ habet, quòd Alea de futuro iudicium fert,& magis licet de alieno successu, tamen etiam de proprio. Chartarum autem ludi de præsentibus, & alienis solum iudicium requirunt. At de præsentibus coniectari,prudentis est magis viri,& humana sapientis; de futuris antem quamquam sit alia ratio coniecturæ, non quod futura sint, sed cui potius iure innitendum sit, est tamen diuini potius hominis,aut insani,nam melancolici diuinare solent. Etenim in Alea nil habes certum signum, sed omnia planè in pura fortuna reposita sunt, si alea æqualis sit. Qoicquid autem est in ea præter leuem coniecturam, & rationes superius dictas ad temeritatem referri debet. At in chartis, quas posuit vultus chartarum à tergo agnitio, milleque aliæ agnitiones naturales, & dignæ, prudenti viro habentur. Vnde inter omnes lodos subtilitate præcedit, is, qui latrunculus fit. Sed fortunæ arbitrio parum, ant nihil subiacet, vtilitate armorum, salubritate pilæ: lepore: trapolæ: pulchritudine inoenti,& modorum primaria, pecuniarum magnitudine sanctius, concertatione assiduæ, quæ parum fatigat fritillus, extractiooe temporis tarochi: Dignitate Cricones, prudentia, & vitæ humanæ imitatione triumphi. Decet igitur sapientem chartis ludere, quàm alea,& triumphis potiùs, quàm aliis ludis, constat ergo, (sed in vsu non est) quòd medius quidam est modus ludendi chartis apertis,proximior ferme latrunculorũ ludo. Et finem habet, cũ nil amplius expectet;sed qoilibet ludus sibi finem facit. Atque is, est qui fit nouem cum chartis, (nam hic est numerus satis idoneus) ac mediocris inter magnum,& paruum adludendum,detectis,inde certare,vt solent cum occultis. Demiror autem cum hic sit ingeniosissimus,solum neglectum à tot gentibus esse.

CAPVT XXV.

De ludis Chartarum.

LVdi igitur Chartarum, nõ in expectatione futurorum sunt nisi cum commutantur. Suntque earum plura genera, sed numerare non licet: Nam quòd dixit Horatius de verbis,idem de ludis dicere conuenit:satis erit eos distinguere generibus suis, ac speciebus, tum simplicibus,tum compositis. Prima igitur genera sunt lusus arbitrio solius fortunæ, & cum industria. Fortunæ solius sunt primaria flnxus, qui fit cum tribus chartis:Gallicus est pulcherrimus,nam vnum cum figura,vel cum binario efficit xxi. qui summus est punctus apud reliquas, plerasque gentes. Sed apud Gallos,si adsit aliud vnum fiunt viginti vnum cum dimidio. Sed tria puncta superant etiam fluxum, & est supremum, & pro fluxu, & puncto haberi potest. Viginti etiam com vno puncto, alia in charta efficit viginti cum dimidio,& ita habent viginti, viginti cum dimidio, viginti vnum, & viginti vnum cum dimidio, & viginti duo, qui (vt dixi) superior est flnxui. Post est fluxada:filerium, idest,ego habeo,quadriginta,& triginta vnum, Baseta ludos desperatorum, Cricones, fortunæ,& industria,triumphi,triumferi, sequẽtiæ,sequentinum tarochi, centum, trapola, Romfa, scaltara, tum alij multi. Alia diuisio est penè differentias proprias, quoniam ludi quidam tetinent æstimationem chartarum, alij non retinent, sed mutant. Alij numerò chartarum,alij æstimatione,alij consequentibus,alij certa ratione loci,seu ordinis,aut proprietate conficiunt numerum,quò superiores, aut inferiores euadunt:

CAPVT XXVI.

An iidem doceant, & sciant.

FOrsan meritò quis rogare posset,an iidem, qui has rationes norunt,bene ludant, an non? Videtur enim alia res scire, atque exequi, pluresque,qui optimè ludont, esse maximè infortunati.Sed & in aliis tractationibus, eadem quæstio manet. Vtrum-ne Medicus idem sciens, & expertus? At in his, quibus tempus consilio datur, idem est sciens, atque bene fortunatus; vt in Mathematicis, Iurisprudentia,& Medicina.Rarissimè enim æger non dat moras. At in his, in quibus tempus non datur, & dolus præualet, aliud est scire, aliud feliciter exercere;vt in ludo,in bello, in monomachia, in mercatura. Dolus enim,etsi arte cõstet,& exercitatione,plus tamen potest exercitatio, & experientia, quàm scientia. Corporea etiam quædam cognitio plus valet in his, in quibus,ea opus est scientia ipsa.Velut in gemmarum æstimatione,pictura, cognitione

gnitione monetæ adulterinæ, vel sinceræ. Tria ergo sunt in causa, quòd non idem possint, & tamen corporea natura, dolus, & angustia temporis. Propterea iuremerito irridebat Annibal. Philosophum, qui numquàm acies viderat, de bello differentem. Ergo Ludi omnes, qui in arbitrio sunt fortunæ, seu solius, seu cum industria coniunctæ cum, & tempus non debet ad bene cogitandum, sed vrgeant. Cum corporei, ideóque subiecti agilitati manuum, acumini oculorum, cum dolis obnoxij, nihil mirum si aliud sit scire, aliud exercere, rectéque exercere. In quibusdam autem, vt in militia exercitationi iuncta scientia multum iuuat, non scientiæ exercitatio, nam quod est principale in vnoquoque præcedere debet, & maius esse.

CAPVT XXVII.

An sit aliquid ad artem extra artem.

CÆterum postquàm opus est præter exercitationem, quæ nobis præbet cognitionem doli, agilitatem, celeritatem, sensuumque notitiam, scientiam quoque, & methodum habere, dubitatione dignum relinquitur, an sit aliquid præter hæc omnia, quòd ad victoriam in ludis conferat? dico autem vbi cuncta longo etiam consilio præuiderit: Nam illud est præcipuum, iudiciumque, quòd ex illo consurgit. Vide sanè, qui ridiculè nodum eius, qui laqueo fuerat suspensus, detulerunt alios alia habentes: lapides esse, qui augeant gestari prudentiam, & smaragdum esse scio: similiter & alios lapides, qui audaciam, vt vocatos Nicolos, & de his sanè non est quæstio, sicut neque de aliis huiusmodi. At de fortuna (vt diximus) oportet aliquam constituere. Velut ergo personarum, ætatum, annorum, mensium, dierum, & horarum mutatio, fortunam variat; ita etiam in omni eo, quod mutat, aliquid est necesse, cum constiterit esse tamquàm mutatum sit, velut si crastina vincendus sum perendiè victoriam consecuturus, oportet aliquid esse eiusmodi, veluti cras, & perendie, forsan aliquis præter tempus negabit aliquid esse, quod mutet, aut motare posset fortunam, neque enim absurda ratio est eum temporis varietas à fato pendeat, reliqua non ita. Si igitur futurum est, aut non quomodo per amuleta mutari poterit? Quæ eadem ratio ostenderet, neque medicum, neque tonsorem, neque ducem belli, aut melius mederi, aut tondere debere, aut rem bellicam administrare, quàm si fine his sint. Quod etsi verum esset cum iam id tam absurdum sit, & contra humanam opinionem, ac rationem, nescio cur sit admittendum.

Videamus ergo quid sit hæc fortuna, & è quo principio pendeat; mihi sanè videtur apta, vel aduersa dispositio rerum voluntati, & cogitationi hominis; vt vel quomodocumque egeris, res bene, vel malè cedat, aut quæ congruit humanis consiliis, aut non congruit. Duplex ergo est felicitas, velut, & in rebus humanis, vis, & dolus violenta, & congruens consilio nostro, aut deceptrix. Si enim mansero domi, aut non mansero, vel malè esse potest; sin autem vtroque modo, vt à Principe vis immineat est, ita, & in ludis; ergo congruentium, & non congruentium duo sunt modi, vnus quidem absolutus, alter ad consilium, & iudicium relatus. Verum hæc in libris de fato tractata sunt. Quod autem ad rem hanc attinet, hic sufficiat dixisse, fortunam mutari aliqua ratione, quoniam consilium mutatur, in aliquibus quidem euidenter, vt si iuero ad bellum, alia fortuna vtar, quàm si hic peregrinationem, aut domi mansero, occultè autem velut in Alea, nam si plus agitauero, vel minus, si alio impetu alius punctus eueniat. Ergo bifariam fortuna occultè, aut consilio mutando, ex quo actio prouenit, aut fortuito casu ad comparationem eius, quod iam est. Velut inimicum habeo, hoc iam consilij mei est, quòd verò ei potentia accrescat ex filiæ connubio, hoc ad fortunam absque consilio pertinet. Primi autem etsi non perspicua ratio sit, attamen haud dubia est. Existimandum est autem vtriusque esse modum aliquem, & beari quidem posse, aut infortunatum reddi, velut qui ebrij ludunt, qui irati, qui cum timore, vel suspicione, quæ omnia nota sunt cuique. Alterius autem modi, etiam rationem aliquam occultam esse. Ad hæc igitur amuleta & fascino, & huiusmodi, & velut in singulis cuicumque (vt diei solet) gladio sua conuenit vagina, & pedi calceus, & hora, & dies, & Annus, & locus conueniunt; ita & beatum hoc facier in eo genere, quòd miserum aliom reddet. Videtur autem summom, quòd longum præbet consilium, & iudicium, & prouidentiam. Nam alia ad communem tractationem pertinent, scilicet, quæ euidentia sunt, & ad vnum ictum, aut etiam duos extenduntur.

CAPVT XXVIII.

De longo consilio, & iudicio, procedentiaque.

MAximum autem in ludo Aleæ præcipuè est prouidentia, & iudicium ad multos iactus, vt in alueare tabulæ sic disponantur, vt cum duplex sit via ad finem, vna, vt celerius progrediamur, altera, vt colluforem retardemus: celerius progredimur occupando meliora loca, ac citius, vt contra retardamus, vel vt deteriora loca habeat, & pauciora, vel vt lentius ingrediatur vltimam sedem. Cum ergo dictæ viæ sint vtraque quantum licet progredimur. Sed cogitandum est, illi magis, nnn illi soli insistere debeamus, hoc enim vix fieri potest; at vt celerius agas, cauendum est, vt tutus sis ab incursionibus collusoris; & vt illum impedias: Duæ rursus intentiones insurgunt, an debeas, vel vt agas, si deliberaueris, altera, vt sis in insidiis. Quatuor igitur iam habes scopos, vt facilè progrediaris in optima loca, & vt obnoxius non sis impedimento, & vt impedias illum, & sis in insidiis certis, si occasio detur illum impediendi. Vt verò impedias, duplex est via, vel vt locum, & transitum præcludas, vel vt eiicias tabulas illius, vt cogantur ad primam sedem reuerti.

Scis enim quatuor esse sedes in Alueari, quarum singulæ sex domos continent. Sed & impedimentum illud possemus præstolari ante, vt sint sex intentiones. Impedimentum quoque vel in pluribus, vel in præcipuis locis

cis esse debet. Præcipua loca sunt è regione, & vbi aliter transponere cogitur, quam ei vtile sit. Hæc autē præuidere, & multo antea, cuiusdam est sapientiæ, quam nulla ars fermè docere potest. Imò planè docere potest, sed nemo tanti iudicij esse queat, vt assequatur.

Primum ergo vno exemplo id docebo, vt ad omnia facilior sit aditus. Finge te desperare victoriam, quòd inferior sis, gratia exempli quarta parte iactuum; semper enim ad id, quòd residuum est referre rem oportet. Et licet proportio eadem sit; quanto tamen propior est fini ludus, tanto plus refert. Considerandum est ergo si deficiat panim, & ex mutatione fortunæ reparari possit, non est euertendus Ludus. Rursus si propior sis fini, quanquàm possis, & debeas euertere, non euertes. Et iterum si sis remotior à fine, sed tabulæ iam processerint comparatione suarum, non debes tantam agitare rem. Vbi ergo inferior longè sis spe illo, & ludus non multum processerit, nec tabulæ tuæ eo loco non peruenerint, vnde nulla arte retrahi possint: neque etiam anteriores sint suis, tunc deliberare de retrocessu, & occupatione viæ oportet. Facta deliberatione, modum inuenire conuenit, vt totus ei negotio insistas, mitarisque reducere tabulas, quæ processerint, retrò. Id autem aliquando, & violenter, quod & fallax est, & periculosum, aliquando verò quasi furtim certè sensim, quòd vt maioris artis est opus, ita tutius, & certius. Initis rationibus generalibus ad speciales descendere oportet, & videre vsque quò oporteat perseuerare. Ideò oculatum in huiusmodi esse oportet, & maximè in deliberatione, an agendum, an non, etsi sit, an apertè: Hoc iudicium, consiliumque, hæc prouidentia, tum in singulis, tum in generali, altioris est consilij, quam sit humana natura. Et est vt prospectus cæli, & rei infinitæ. Generaliter tamen numerosiores puncti solent intercipi vtilitate maiore, ne procedant, sed mediocres, vt quas vocant domos, dissoluantur.

CAPVT XXIX.

De moribus ludentium.

SVnt etiam in malis rebus suæ leges; velut, & latronum, & piratarum. Sunt quidam, qui multis verbis, & alios, & se deturbant è proprio sensu. Omitto de his dicere, qui conuicia in Deos iaciant, tanquàm insanientibus. Quidam sunt contentiosi, qui homines ad iram prouocant, vt omnium obliuiscantur: Demum sunt, qui scommata iaciunt in collusores, alij sunt taciti, quod optimum esset, si ipsi non idem à suis collusoribus exigerent. Est modus in rebus, sic ludat, vt non obliuiscatur ludi primum, & eorum, quæ ad victoriam faciunt, non irascatur, non prouocet ad iram, non timeat, non loquatur verba inania, non vexet socium, maximè succumbentem. Meminerit personæ suæ, collusoris, astantium, loci. Si collusor non sit huiusmodi, præstat non ludere. Vt enim fellis exiguum in multo melle, & res putrida pauca multa iucundè mixta longè plus potest ad vomitum commouendum, quàm totum illud ad gratiam. Ita vitiosus collusor omnem voluptatem ludi, quasi vibrata funda, & suauitatem illam, quæ ex eo percipitur longius excutit. Ita taciturnitas ille silentio propior, nimis dura est, & seuera, quandoquidem maior sit voluptas loqui, & non ludere, quàm ludere, & non loqui.

CAPVT XXX.

De Ludo Aleæ Antiquorum.

ANtiqui Ludum habebant Aleæ, quem Tesserarum appellabant. Cum Alea commune nomen euaserit omnium ludorum, quibus fortuna dominatur. Inuentor (vt dicunt) Palamedes, dum Troianum bellum vigeret. Consederunt enim omnium testimonio circa eam vrbem annis decem, vt ad leuandum tædium excogitatus fuerit. Tesseræ propriæ dictæ sunt, quas cubos etiam alij dicunt sex faciebus, totidemque punctorum ordinibus. Vetitus fuit Romanorum ætate nisi Saturnalibus, diebus, vnde Martialis.

Nec timet ædilē modo spectare Fritillo Quum videat gelidos tam propè verna lacus Lib. 5. in Proœ.

Videtur tamen aliquo modo differre cubus, à Tessera dicente Vitruuio. Cubus est corpus ex sex lateribus æquali latitudine planiciерum per quadratum. Is cum est iactus, quam in partem incubuit, dum est intactus, solidam habet stationem: vti sunt etiam tesseræ, quas in Alueo ludentes iaciunt. Lapsus seu iactus appellantur apud Græcos, vt auctor est En-Eustatius, ex Cælio Calcagnino, ex quo hoc caput cum sequenti exceрimus. Constat autem eos esse sex iuxta Planorum numerum, quibus tessera constat. Idem Eustatius docuit oportere, vt in tessera singula puncta opposita conficiant eundem numerum, scilicet septenarium, velut vni, sex, & duobus, quinque opponuntur, & tribus quatuor. Hoc autem ea ratione factum est, vt facilius deprehendatur fucus, si quis adulterinam confecerit Tesseram, puncto vno geminato, alio autem deficiente. Quod maximum esset flagitium, maximè si inter ludendum tesseræ ipsæ manuum agilitate, vel collusore aliud agente commutarentur. Itaque nostrum fuit addere hoc caput recensendi, non tam antiqui moris gratia, quam illius causa reddendi, qua intellecta aliquid vtilius ad rem ipsam inueniretur. Nam vt hoc ad tollendam fraudem maximam excogitatum est, ita ad aliam minorem additum præbet. Nam qui manuum agilitate puncta, quæ volunt iaciunt, trifariam id agunt, aut vt Alea Aleam superequitet, aut vna duas si tres sint, atque is modus optimus est, vocatúrque equitare vulgari sermone, & generali Aleam mutare. Secundus fallacior est, vt Alea vni hæreat à latere, vel duobus, vocaturque vulgari nomine, spuntonum; tertius est parum tutus, imò fallacissimus cum Alea mittitur eo numero punctorum supra exposito, rectа via, tali impetu, vt verisimile sit punctum, quem volumus superiorem euadere. In omnibus his plurimum iuuat, vt sciat deceptor certo loco iacere punctum. Neque enim solum iuuat scire, quòd vni sex opponantur, reliqua puncta sint in circuitu. Sed etiam qua parte, velut quòd bini, & quini sunt in capitibus, seni, & vnus à lateribus, idque necesse est. Ita contra has omnes fallaciam orcam excogitarunt ab eius In sig. cap. 9.

pisсis

piſcis ſimilitudine. Videtur enim deuorare teſſeras, vt orca alios piſces minores. Perſius :
Sat. 3.

Anguſta collo non fallier orca.

Pomponius Poëta Bononienſis.

Dum contemplor orcam taxillos perdidi.

Sed in orcam pueri noces iactando intrudebant, vt ſit alia aleatoria, quam ille nominat, licet ei ſimilis. Pyrgum appellat hanc pyxidem ; Græco nomine, Horatius dicens.
2. Sermon. Sat. 7.

Mitteret in Pyrgum talos.

Neque enim ſolum teſſeras, ſed, & talos illuc mittebant, Bononiæ perpetuo in vſu eſt, Mediolani non : Martialis, turricolam vocat. Vnde in Apophoretis in turricula.

Quæris cõpoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit ; nil niſi vota facit.

Accommodatus eſt hic ludus teſſerarum cum fritillo, (neque enim hic pyrgus eſt, ſed Alueus luſorius;) etſi ſit non contendo de verbis : dicas cum alueo (ſi placet) perſimilis vitæ humanæ, & quaſi exemplum illius accommodatum, vt illud dicas Terentij in Adelphis.
Adel. 4. Scen. 7.

Ita vita eſt hominũ, quaſi cum ludas teſſeris,
Si illud, quod eſt maximè opus iactũ nõ cadit,
Illud, quod cecidit fortè, id arte, vt corrigas.

Ludebant autem duabus, & tribus teſſeris, de duabus eſt illud Martialis in Apophoretis.

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncta.

De tribus autem illud prouerbium Græcum indicat, vel tres ſenarij, vel tres vni; ſed etiam noſtra ætate celebriores ludi Aluei fiunt tribus Aleis ; ſperaïnum, ſperaia, & ſperaïonum, Vnde Alueum ipſum ſperaïnum etiam vocant; vulgari tamen lingua Sbaraïnum appellant Sbaraïam & Sbaraïonũ, ſic & Alueolum Sbaraïnum. Calcagninus tamen ſperaïnum à ſperando deduci putat ; ſed lingua noſtra Sbaraiare idẽ eſt, quod ſpargere. Et Sbaraïnum, quod ſpargat. Vtrumque ſit omnes hi ludi tribus teſſeris exercentur ; ſed diuerſo modo vtimur in Sbaraïno teſſeris duabus, tertiam ſupponimus cum ſenario ſemper. At Sbaraïam cum tribus teſſeris Sbaraïonum, & ipſum cum tribus teſſeris, ſed quilibet congeminat ictus. Eſt autem Principum ludus, & ſine cura : ingenioſa Sbaraïa: Sbarainum medium locum obtinet : Eſtque magis in vſu, quod Sbaraïa ſit longior, Sbaraïonum autem maximè conſiſtat in fortuna. Celebriores alij tres ſunt cum duabus teſſeris tocadiglium, quod duplex eſt, paruum, quod in fortuna cõſiſtit, & magnũ iudicij longioris. Eſt & canis Martius, & totæ tabulæ induſtria mediocri; nã canis Martius præſtanti ingenio indiget.

123456 123456

Alue us

123456 123456

In totis tabulis quinque tabulæ ponuntur in vltima ſede colluſoris à dextra tua, & duæ in prima à ſiniſtra tua ; tres in ſecunda tua à dextra, & quinque in ſexta tua à ſiniſtra, colluſor itidem totidem in locis, è regione oppoſitis collocat. Præcipua ratio eſt impediendi tranſitum, & excutiendi tabulas aduerſarij. Eſt & alius ludus, quem Minoretum vocant, atque hic duplex, vt tocadiglium. Maior, & Minor, in hoc cum tabula excuſſa non poteſt ingredi, ludus amittitur, ſicut in tocadiglio cum excutitur. Sed in maiore tocadiglio, vbi vicerit, arbitrij tamen ſui eſt perſeuerare in illo. Cum ergo teſſerarum ludus numerum trium non excederet, talorum autem quatuor, vt infra videbitur. Ideò Martialis inquit in Apophoretis.

Non ſim talorum numero par teſſera, dum ſit.
Maior quàm talis Alea ſæpe mihi.

Ouidius autem docuit ebore teſſeras conſtare, cum noſtra ætate ex quouis oſſe fiant.

Seu ludet, numeroſque manu iactabit eburnos.

Noſtra ætate vidi è cryſtallo factas cum aureis punctis ; teſſeras, noſtri Datos appellant, quòd antiquo tempore datatim ludere dicere ſolerent. Vnde Plautus in Curculione; tum iſti qui ludunt ſerui ſcurrarum datatim in via. Et Põponius ; cum datatim in lecto tecum luſi; & videtur Quintilianus quoque, vt idem Calcagninus recitat dixiſſe: quo dato erraſſet recordatus rediit ad eum qui cum luſerat ; ſed cum loquatur de luſu duodecim ſcruporum videtur Datum ad ludum tranſtuliſſe quidem, non tamen ad Aleam. Cubum quoque (vt dixi Monadem vocabant, & eandem aliquando Aſinum. Midas autem iactus felix, vnde in Prouerbio.

Midas, qui in teſſeris conſultor optimus.

Non niſi in vno ludi genere, valde frequenti, & vſitato, vt in iacina apud nos tres ſenarij; omnibus enim numeris hic potior eſt, quia tribus ex ſimilibus, maximiſque conſtat. ex ludis autem pulchris, qui non ſunt in vſu, 2. de arte
eſt ſperaïnum, ſeu ſbaraïnum cum duabus amand.
Aleis ſolum ſine ſenario.

CAPVT XXXI.

De Ludo talorum.

TAli quoque ex ebore fiebant, Martialis in Apophoretis.

Senio nec noſtrum, cum Cane quaſſat ebur.

Hoc volui dixiſſe, quoniam etſi talus pars ſit cruris, poſterioris animalis, corni geri maximè, non tamen qui in vſu erant, tali naturales erant, ſed ex ebore autem etiam alio eſſe ad illorum ſimilitudinem, & minores efficiebantur, vt & ipſi quemadmodum & teſſeræ Pyrgo includerentur, atque eiicerentur, vt non compoſiti caderent ad votum ; talos, & Aſtragalos, Græcè idem eſſe conſtat ; Lyſander dicere ſolebat, pueros Aſtragalis viros iureiurando falli oportere. Verbum Lacedemonio, id eſt peſſimo homine dignum, nihil enim impurius ea Republica, quam etiam auerſatus eſt Ariſtoteles, qui eam pertulit, ſcilicet Atbenienſium, in qua innumera erant incommoda ; inuenitur talis in iunctura cornigerorum, qua tibia pedi iungitur ſex ſuperficiebus, vt reliqua omnia corpora, quæ non ſunt rotunda ob triplicem diſtantiam, cum in vnaquaque ſint duo termini ; ſed duæ illarum adeò anguſtæ, vt quatuor tantum habere videatur gibbam vnam, cum incuruus ſit, & ex oppo-

fito

ſito cauam à lateribus vtrinque ſingulas quaſi quadratas, ſed io anguſtum deſinentes, in his monas, & ſenarius ex aduerſo, tum ternarius, & quaternarius, quatuor quæ talis ludebatur. Monadem Chium ſenionem Coum vocabant, & cum Monas ad ſenionem comparabatur, infelix illa hic auſpicatas habebatur. At cum ad Venerem, vtrique infelices. Vnde Suetonius ex Auguſti Epiſtola; talis enim iactatis, vt quiſque canem, aut ſenionem miſerat in ſingulos talos, ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat vniuerſos, qui Venerem iecerat. Canem igitur conſtat Monadem fuiſſe, tum quòd ſenioni eam oppoſuit, tum propter illa verba in ſingulos talos. Nunc ergo de compoſitis agamus. Cum quatuor ſint ſimiles, velut quaternæ Monades, aut ternarij totidem duodecim, item ternis punctis ſimilibus, velut tres Monades, & ternarius, vel quaternarius, vel ſenio. Et ita tres ſeniones cum Monade ternario quaternariove. Decem octo autem binarij conſtet omnes iactus talorum eſſe trigintaquinque. Inter hos nobiliſſimus eſt Venus, qui conſtat ex talis naturalem ſedem numerorum, referentibus vno, ſcilicet, tribus, quatuor, ac ſex, quod vnicus ſit in talis. Verum ſi ad circuitum comparetur viginti quatuor modis, fieri poteſt, vt ſimiles non poſſunt eſſe, niſi quatuor frequentius. Igitur ſexcuplo hic ſolus, quem Venerem vocamus, aduenıet quam vnus ex his ſimilibus; ternarij autem habent quadraginta octo; ex ſex autem binariis geminatis, cum ſex modis variari poſſint, fiunt triginta ſex iactus. Reliqui duodecim modis variantur: fient ergo iactus centum quadraginta quatuor, omnes ducenti quinquagita ſex, cuius numeri ſimilium numerus, id eſt quatuor ſexageſimaquarta pars eſt. Venus autem id eſt vigintiquatuor ferme vndecima pars, id eſt aliquid plus ſæpe igitur Venerē iacere contingebat. Poſthunc ſteſichorius erat in pretio octonum numerum comprehendens, quòd ex duplici Monade, & duplici ternário conſtaret. Conſtabat autem ſex circuitibus tantum, ſeu modis, quare inter rariſſimos habebatur. Erat & Euripideus, quaſi abſolutus quadruplici quaternario licet falsò quadraginta continere, quidam dixerint, quod ad eam ſummam peruenire non poſſit; ergo Venerium iactum talem fuiſſe conſtat potiſſimè ex Martiali.

Diſſimilis vnus.	
Similes quatuor	
Ternarij	Duodecim
Binarij	Decemocto.
Sūma trigintaquinque.	

4
24
36
48
144
256

Cum ſteterit nullus vultu tibi talus eodem.
Munera me dicet, magna dediſſe tibi.

Hoc ſolum in ludo pecuniarū, ſed etiā pro ſorte talis vtebātur, & Venus fauſta habebatur Canes autē admodū aduerſi vnde Propertius,

Me quoq; per talos Venerē quærente ſecundos.
Semper damnoſi ſubſilıere Canes.

Sic & in eligendo Rege in conuiuils iuxta illud Horatianum,

Nec regna vini ſortiere talis. Tum illud, *Quem Venus arbitrum dicit bibendi.*

Erat & alius modus puerilis ludendi talis, non præfinito numero, quemadmodum nunc orbieulis plumbeis, vt non de pecunia certarent, ſed e talis ipſis. Velut fingunt de cupedine, qui talos omnes vicit Ganymedi, notæ ſunt fabulæ, ſed Græcè leuitatis; ſunt & alia nomina iactuum, vt Voltorius, & Baſilicus, Plautus in Curculione.

—Innocat Planeſium,
—Iacit voltorios quatuor.

Talos arripio: inuoco almam meam nutricem Herem. Iacto Baſilicum.

Hic optimum proponit, vno excepto. Voltorij quatuor, id eſt qoaternarios: ſunt enim longi, & tenues, nigrique, interſtıoicti albo, hic optimus erat punctus; ſed Paraſitus baſilicum iecit, qui poteſt idem eſſe cum venere: ſed ea tum ratione, poto quatuor fuiſſe ſeniones, nam de ſummo puncto certabant, non de venere, & canibus; vel ſi vis, vt baſilicus ſi venus, Voltorij erunt ſeniones. Dices nonne tres ſenarij ſuperiores erant quatuor Voltoriis? Reſpondeo non, quoniam ſimiles non erant, vt etiā in ludis teſſerarum de iacina dixi. Plurimas hic referre quàm in teſſeris licerer, cum circuitus ſit cclvj. trium teſſerarum ccxvj. licet varietas in teſſeris ſit maior ſcilicet lvj. in talis autē (vt dictum eſt) ſolu xxxvj.

CAPVT XXXII.

Concluſio Operis.

GEneraliter autem obſeruandum eſt tam in teſſeris, quàm talis, quod ſicut ex his vnus vnave in totidem iactibus, quot ſunt plana, vt teſſera in ſex, talus in quatuor, circuitum perficit, ita in eiſdem ictibus, quotquot fuerint teſſeræ, ſeu tali, etiam ſi centum eſſent, circuitum totum perficiunt. Vnde diuiſo numero contento per numerorum facierum, ſeu planorum, exit numerus mediocris.

Velut in ſex aleis, quarum vna habet ſolum vnum punctum in vna ſuperficie, & alia duo, atque ſic deinceps, vſque ad ſex, collectus numerus eſt xxj. qui diuiſus per ſex numerum facierum erit tres cum dimidio numerus vni iactui. Non tamen generalis eſt imò in pluribus minor euadet etiam tribus propter exceſſus maiorum numerorum, qui computari debent; in talis verò, vt ſcias numerum mediocrem iunge minimum cum maximo, id eſt quatuor cum vigiuti quatuor, fient viginti octo, dimidium eſt quatuordecim numerus mediocris. Vbi ergo plus vna Monade fuerit, dicitur iactus ille Canum, quia qualeſcunque fuerint alij tali non poſſunt excedere numerum mediocrem, à tali ergo poteſtate impediendi dicuntur iactus omnes, vbi ſunt pluſquam vna monas Canis. Eadem verò ratio de mediocri numero, inueniendo etiam in teſſeris; maximus enim cum ſit decem octo, minimus tria, collecti, fiunt viginti, vnus dimidium, cuius eſt decem cum dimidio numerus mediocris. His oblectamentis licet vel in æſtibus animi, vel dum leuiter laboramus, vel à magna contentione animi, vel impedimento temporis ludis relaxare animum. Cuius teſtis locuples eſt Cicero dicens, Homines labori aſſiduo, & quotidiano aſſueti, cum tēpeſtatis cauſa opera prohibētur, ad pilā ſe, aut talos, aut ad teſſeras cōferunt aut etiam nouum ſibi ipſi aliquem excogitant in otio ludom. 2. de Oratore.

LIBER



LIBER
DE VNO.


N V M, bonum est: plura verò, malum. Si enim bonum perfectum est, nihil extra se relinquit: cùm verò plura sunt, vnũ est non in alio, ideoque illius nõ est bonitas absoluta: quoniam enim & ipsum vnum est, bonum est. Indicio est, quòd omnia, dum ad vnitatem rediguntur, perficiuntur: & quæcunque sunt, ad vnum tendũt. Multitudo hæc hominum innumera, per seipsam mortalis est in singulis: cùm ad hominem quasi vnum redigitur, æterna fit. Quæcunque immortalia beata sunt, vnum sunt: species rerum quatenus succedunt singula singulis, beata esse non possunt: vt verò perpetuò manent, vnum sunt. Amici præterea, amasiæ & amantes, & quæcunque generant, eo beata fiunt, quòd in vnum animo aut corpore aut vtrisq; coëunt: vt vita viri cum vxore honesta. Quid est amor, nisi desiderium coniunctionis in vnum? Quid discordia & odium, nisi immensa cupido diuisionis, & ad vnitatem omnimoda repugnantia?

Vnum præterea multorum causa est: multa autem vnius nunquam: nam Sol & Luna, animalium causæ sunt: animalia Cœli, aut Solis, aut Lunæ nunquam. Est autem vnum, quod diminutione fit quasi mutilata multitudo: velut vnus homo, cùm plures obierint: sic serpẽtes pauciores sunt, multis in generibus, hominibus & leonibus: nec tamen sunt perfectiores: sunt enim plures natura, quòd plures generent hominibus, & breuiori tempore, & celeriùs adolescant. Verum fiunt pauciores ob id, quòd imperfecta licet sint, pluribus tamen indigent ad conseruationem? Quæ verò paucis indigent, vt muscæ & formicæ, quæ sub quocunque cœlo viuunt, & pamphagæ sunt, & parùm edunt, multitudine sua produnt imperfectionem suam: sunt tamen perfectiores his quæ casu pauca sunt, licet naturâ plura sint. Deus itaque cùm non solùm bonus sit, sed etiam optimus, vnus necessariò est. Et mentes & vitæ & substantiæ primæ, cùm non vt homines ex pluribus partibus maximè dissimilibus constent, perfectiores sunt hominibus ipsis, qui anima & corpore constantur. Generatio quoque, cùm sit coitio multorum in vnum, bona est: corruptio verò: quia dissolutio vnius in plura, mala. Vnus homo, & vna musca, bona sunt: multitudo autem non bona: plures autem homines & plures muscæ, plura sunt bona, non tamen melius aliquid quàm homo vnus: sunt enim bona, vt singula, non quia multa, nisi ad vnum referantur. Omnibus igitur hominibus homo melior est inde plures homines, plura bona, inde singuli: quamobrem & gens & ciuitates & collegia meliora sunt non solùm vno homine, sed etiã hominum multitudine: quia ad vnum referuntur: & quicunque ad huiusmodi continendas societates aut congregandas apti, meliores. Vnde etiam melior est rex & regnum, aristocratia: & aristocratia, republica: magis enim illa ad vnum tendunt. Contra democratia pessima est, inde oligarchia, minus autem tyrannis: nisi in tyrannide vigeat oligarchia, aut popularis status: cùm non solùm vnus est qui iniustè regit, sed etiam per se ministris licet quicquid libet, tunc enim & dissolutio est in tyrannide illa, & iniusticia. Immortalia rursus bona sunt: quoniam vnum sunt: quæ autem mortalia, cùm desinant omninò esse, aut saltem vnum, abrupta in medio quasi bona non sunt: omnia tamen bona sunt eatenus, quatenus vnum sunt. Quapropter & quæ diuidi nõ possunt, vt cœlũ, meliora sunt his quæ diuidi non possunt, vt cœlũ, meliora sunt his quæ diuidi possunt, vt terra: & quæ nec imaginari possunt diuisa, vt mentes, meliora sunt quàm quæ diuisa possumus imaginari, vt cœlum & illius astra. Et quæ diuisa iam sunt, vt glebæ, his quæ diuidi possunt, non tamen diuisa sunt adhuc, vt terra. Et quæ diuidi possunt in infinitum, minus bona sunt, adeò vt ad potentiam solam redeant. Actus enim bonus est, potentia autem duplex: vna, quæ secludit actum, vt materia prima, atque hæc extremè mala est: alia est pendenda ad hunc actum, & quatenus ad actum tendit, bona est aliquantulum: infinitum igitur numero cùm maximè vnitati repugnet, malum est, & insociabile: ordo autem & fatum quia sunt vnum, & sunt ad vnum, ideo bona sunt: inordinata autem & fortuna, mala: non enim ad vnum tendunt.

Rursus illud idem videmus in sensilibus. Quæ consonant, bona sunt, & auditui grata: quia in vnum coëunt: vt diapason, quæ omninò dissident, absona, & auditui ingrata: quæ autem aliquo modo coëunt, non perfectè grata, non tamen adeò suauia: vt diapente: quæ autem dissident, nec in vnum coëunt nisi parum, parum etiam suauia, vt diatriton & diaecton.

Similiter in his quæ videntur, columnæ paribus spaciis distinctæ: quia interuallum vnum est, iucundum efficiunt spectaculum: & quæ ita collocata sunt vt vnum efficere videantur, vt ad imitationem collium, vel ve-

preti vel fontis,omnia iucunda sunt:quoniam ad vnum referuntur. Quineriam vnius elaborata manu artificis, quanquam minus egregij, pulchriora videntur quàm quæ plurium inuicem collata,tametsi egregiorum. Apparet igitur,& actum & pulchrum ad vnum pertinere:vt turpe atque potentiam actui contrariam,ad multa : vnum enim quatenus per se consideratur, bonum est : vt sensui comparatum,pulchrum : nam & odores & sapores & consonantiæ pulchræ diei possunt, cùm sensum delectant. Quòd si nomen non placet, iucundum appelletur. Similiter vnum cùm adesse refertur,actus est. Erunt igitur vnum, bonum,pulchrum,atque actus,quasi idem:item. que contà,pluta,mala,turpia,& quæ potentia solum sunt. Potentia autem maximè huiusmodi sunt prætetita. Ideò præterisse bona, malum est:exuerunt enim actum suum,quo vnum & bonum singula dicuntur.

Atque hactenus de vno generaliter dictum sit:nunc autem propriè magis eius natura est inquirenda. Cōstat enim homiois partes, pedes ac manus,plures esse : ipsum autem hominem vnum,nō solùm ex tot diuersis partibus compositum,scilicet primo corporeis, deinde anima & corpore,rursus ex substantia & accidentibus,tum verò facultatibus & functionibus:& tamen totus vnus. Dicunt,est vnus numero:id autem nihil est : etiam mille, vnum mille sunt : acervus vnus frumenti & hordei. Vnum numero dico, quòd dimidium est duorum:cumque numerus res sit quàm mens fingit,atque illius principiom vnum, erit etiam voū numero res ab anima ficta. Ego aotē quęro rationem,qua vnum,vnū & dicitur,& est. Valeat igitur vnū hoc qnod est numeri principium:quædam verò vnum sunt vt aqua, in quo tamen partes diuersas fingere possumus. Et ideò natura hæc vnius obscura valde est,& à nemine declarata. Quæramus ergo,quot modis vnum dicitur. Est autem omne vnum indiuiduum,aut indiuiduum, quatenus vnum : continuum enim indiuiduum est, quatenus vnum:qoatenus continuum,nō est indiuiduū. Quæramus ergo quot sunr genera vniusex rebus ipsis:notior est enim ratio in re, quàm in se. Et proponamus, quòd Deus vnus est, ex nullis partibus constat : & orbis totus vnus, sicut & homo, & paries alio modo vnus : & albitudo in eo, & animal & homo vt species est,& cumulus etiam. Quæcunque igitur candem formam habent, vnum dicuntur genere aut specie aut accidente:velut animal, homo, albitudo. Differt autem albitudinis vnitas ab hominis vnitate:quoniam albitudo quantitatem habet diuiduam : homo autem non habet. Cumulus autem contiguas habet partes : paries autem etiam continuas, vterque dissimiles:sed lac vnum est, & partes similes habet:homo autem & orbis, præter continuitatem,aliud habent:quoniam anima non est cōtinua,nec pars aut terminos continui. Constat autem experimento,hominem non minus esse vnum,quàm parierem cumulum:imò etiam lac:nam lactis pars si afficiatur, totum nunquam ob id afficietur : at hominis pars si afficiatur,plerunque totum affici necesse est. At orbem magis esse vnum homine,credendum est : quatenus enim homo est,est & equus : at quatenus equus vnum est, orbis magis vnus est : est enim primùm Dei artificium, magis igitur orbis vnus est quàm homo : inde sympathia,antipathia, aliaque huiusmodi. Octo igitur modi sunt vnius,adnumerato Deo : hic enim vnus est nobiliore modo,quàm hęc omnia:neq; enim constat diuersis partibus vt cumulus,paries,lac:nec in diuersa distribuitur,vt genus,speciesve : nec natura sola vnum alteri adhærens, vt albitudo : nec compatatione ad vnum, vt homo,cùm diuersa non contineat: igitur simplieiter vnum dici debet. Dubitabis autem forsan,quoniā & lac & albitudo vnum eodem modo dici poterunt:quia continua sunt hæc, & etiam natura vna : sed non est ita:albitudo enim vna cùm sit, quasi infinitas sub se continet albitudines:lac autem non ita:albitudo etiam cogi potest,cum color extrahitur è lignis,substantia autem non. Denique id factum est,vt substantiæ & accidentis diserimen indicaretur.

Quoniam ergo vnum est alicuius rei, & hoc ipsum erunt vnum & aliquid,& res idem: iam verò & bonum,& pulchrum, & actus : actus autem existit : existir autem ens, ideò omnia hæc fermè eadem sunt. Vnitatem verò dilexisse naturam, exemplum alarum papilionum atque piscium & auium docet : plerunque enim depicta pariter in vtraque parte conspiciuntur,quòd eorum omnium sit principium.

Tentandum igitur dicere de homine & orbe,quomodo vnum sint : sic enim & Ordo & Fatum dignoscentur:quanquam alia sit ratio Fati,alia hominis,alia etiam ordinis:cùm ordo tempus non exigat, Fatum exigat : ita vt iam decem genera vnitatis habeantur. Hominis igitur vnitas, vnitas est principij:nam homo idem vnus ac indiuiduus est, qui intelligit,sentit,concoquit, ambulat, vt verè vnum sit:quocirca videtur ipsius corporis structura: cum difficile sit immortalem animum tot in se complecti, & maximè viliora naturæ munera,vt excrementa:& retinere,vt commoda: & propellere,vt grauitate sua molesta.

Verùm altera ex parte cùm in indiuiduam substantiam hæc omnia referantur, videtur immortale principium eadem vi, qoa etiam vtitur corpore, illod idem fabricasse. Imperat enim primò anima solidis, diffuso ex corde calore:inde spiritibus,per quos membra monet: vi autem membrorum propria humores ducit, atque excrementa, dum nondum coiêre: cùm verò coierunt,per membra ipsa,non vim eorum:velut cum vesica vrinam exprimit:videtur autem absurdū,nec esse posse, vt totum corpus omnia in vnū cōferat, nisi ex vno receperit:vnū igitur illud principiū est:& velut limax nō solùm est animal quod cōtinetur in cortice,sed & cortex, quamvis agatur & non agat:ita vnū est homo ex anima & corpore, nō sola anima,quamvis corpus ab ea agatur. Vnum igitur est continuitate, contiguitate, ordine & principio : nam principium vnum est, quod omnia percipit. At cur nutriri nos non percipimus, aut concoquere,cum principium sit vnum ? An forsan principium hoc, qua parte coniunctum est, non percipit : qua parte autē separatur, percipit? At si indiuiduum est principium, quomodo partes habent ? videtur

detur autem ſentire,ac intelligere, & imaginari:atq; hæc omnia indiuidua licet ſint,plura tamen ſunt,verùm vt partibus corporis diuerſis diuerſo modo annectitur, diuerſa eſt ratio actionum:vt Solis radiorum in ſpeculis cauis, planis,aqua,luto, cera. Sic ergo anima nutricibus partibus innexa ſenſu caret , quòd illæ partes ſenſus inſtrumento vt decent non ſunt connexæ:nam nec nerui cum nutriuntur, ſentiunt. Eſt autem animæ & mentis natura , vt vna ſit,nec vllibi ſit. Eadem ratio in orbe eſt. Nos verò & muſcæ,vt aſcarides , in humanis corporibus. Palàm ergo , quòd omnia vnius gratia,alia verò alterius gratia: velut ventriculus ob iecur,iecur ob cor,gula ob ventriculum,os ob gulam,dentes ob os, labia ob dentes. Iam ergo rectè vides ſeptem ordines,omnia autem propter hominem : quanto plura igitur , & quanto plures ordines in mundo ipſo, omnia tamen vnius gratia:inter ſe autẽ non omnia ordinata. Vnde miramur muſcas non propter nos factas eſſe,nec miramur manus factas non eſſe propter pedes , nec anum propter veſicam. Cum igitur non omnia propter omnia , ſed omnia propter vnum facta ſint:videndum eſt quomodo vnum eſſe poſſit, in quod plures ordines finiantur , ipſi inter ſe diuerſi? Facilius autem eſt,vt dixi, hoc in homine quàm in vniuerſo contemplari. Pedes propter ambulationem facti ſunt,manus propter tractationem:manus autem non propter pedes , neque pedes ob manus : indicant hæc non eſſe animam diffuſam per corpus:nam pedibus ſentientibus ſi anima per corpus diffuſa eſſet,manus ſentirent:etenim anima tota ſentiret ſentimus autem manibus pedibuſve,non tamen pedes ſentiunt manibus ſentientibus. Quare anima principium eſt vnum, non continuum,non contiguum,ſed per ſe,nec in loco,nec tempore. Si enim non eſt in manu,nec in pede,neque in corde erit : abſurdum enim eſt exiſtimare , etiamſi cor ſit primum quod vitam recipit,animam eſſe in corde,quæ nullibi eſt. Vita autem diffunditur,per quam operamur omnia quæ agimus , aut quæ pariendo nos perficiunt. Principium autem non eſt vita: vita enim eſt in corporis parte vnaquaque , anima autem non eſt. Si igitur multa in vnũ tenderent,fortuitum eſſet,& aliquando aberrarent,non ergo tendunt in vnum,ſed ab vno procedunt:ſic enim non poſſunt aberrare: ab anima igitur ſunt omnia:ſed anima ſi eſſet extenſa,haberet aut partem in parte, & ſic non totus homo ſentiret aut videret aut partem in toto,quare vna parte ſentiente altera ſentiret. Neceſſe eſt igitur aut animam nullibi eſſe,vt indiuiduam:aut cor eſſe animæ ſedem, ipſamq; exiguam in eo eſſe:at ſi anima eſt in corde,dum homo ad mortem febricitat aut ſeneſcit, omnes operationes habebit ex æquo fermè imbecilles:at non habet:non eſt igitur anima in corde. Præterea eſt anima in nobis vt in mundo : at anima in mundo nullibi eſt, ſed perpetua eſt & immortalis : talis igitur in nobis. Ergo conſenſus eſt omnium partium qualis in nobis,& ſympathia & antipathia,vt dictum eſt:cumque in nobis vna anima ſit,facultates autẽ plures, & functiones:neq; enim alia eſt anima in corde , alia in hepate, vna in manu,alia in pede:quare nec in mundo. Quomodo ergo aër aſcẽdit,terra deſcendit? Interrogabo & ego te vnum:quomodo iecur pellit vrinas,renes trahunt? iecur trahit à ventriculo,& trãſmittit ad cor:num ob id plures ſunt animæ? Anima vna eſt , facultates autem trahendi,impellendi:vtque graue deorſum, ſurſum moueatur quod leue eſt in his verò quæ ordine cõſtant,vt ſpeciebus animalium , cùm nõ ſit neceſſe vt vnum propter aliud ſit ſemper : quoniam ad ordinem ſolum referuntur, nõ ad vnum principium , non eſt neceſſe vt ex his vnum fiat : quæcunque verò ad vnum tendũt, vnum etiam ad illud comparata efficiuntur. Cùm ergo mentes & vitæ ad vnum referantur, ſcilicet Deum:quoniam ordo perfectus eſt, ideoque ad vnum efficiunt ordine. Itaque fieri poteſt vt equus & canis propter hominem ſint. Et quæcunque ſunt veluti alimẽtum aliis. Ordo igitur vnus eſt verè , cum ad vnum tẽdit, aliter nõ. Quæcunque igitur in mundo ſunt,vnius mũdi cauſa ſunt,& operationum illius : quemadmodum & in homine, præterea quæ corrupta ſunt : ſunt enim veluti aſcarides in hominibus : at in mundo cùm omnia contineat,nihil eſt alterius cauſa vt in homine. Neſcimus autem hoc in mundo:quia operationes illius vniuerſas nõ cognoſcimus, & quemadmodum in vnum ordinãtur , velut in homine, qui ergo principales mundi operationes & ordinem earum intelligeret , & vniuerſas partes quorum cauſa factæ eſſent ? palàm enim eſt,quòd in homine omnes intelliguntur,& propter quid. Quæ verò Fato ordinata ſunt,vt ad ſucceſſionem tendũt, etiam vnum ſunt. At quoniam de hoc diffusè dictũ eſt in libris de Fato , propterea de his ſatis. Reliquum eſt , vt rurſus altiùs rem ab initio repetẽtes, videamus dubitationes quæ aduerſus ea quæ dicta ſunt, faciunt : primumque, quoniam diximus vnum bonum eſſe , plura verò mala:nam ſi plura bona ſint , erunt non plura mala, ſed bona : plures enim principes mali ob id ſunt:quoniam inter ſe nõ conueniunt. At de Diis primùm non eſt id periculi: cõueniẽt enim inter ſe,eruntq; meliores vno. Quin etiam lex noſtra & Philoſophia plures eos faciunt:licet lex nõ plures eſſe deos velit: quoniam in vna cõueniunt eſſentia , cùm tamen priorem facit poteſtatẽ ſapientia,& vtrã.que amore, nõ obſcurè diſtinguit perſonas:at nos,vt diximus, in votis conuenire volumus: Philoſophi verò,qui non tam procul ſenſibus peruenerunt,tres deos cõſtituunt : non igitur multitudo mala. Idem etiam in Repub. bene inſtituta,& Ariſtocratia:quoniam melius ſub illa populi reguntur : quia æqualem referunt Regi iuſticiam,& pauciores errores admittũt: multoq; pauciora ſubterfugiunt acta quæ non corrigantur,quàm in regno, vbi vnus tot negociis proſpicere non poteſt , fallique magis neceſſe eſt,periculumque eſt ne etiamſi rectè ſe gerat, miniſtri mali multa euertant. Quod tam ſæpe contingit ſub bonis principibus,vt nolim ita eſſe.

Quòd ſi dicas te cupere bonos etiam eſſe miniſtros : igitur bonum id non ex vno proficiſcitur , ſed pluribus , ac iuuatur multitudine. Præterea ſidera ſtellati cœli,quæ ſplendidiora ſunt multo errantibus , ſaltem Marte & Saturno,& maiora & candidiora,ac ſupremo or-

namento propiora, meliora sunt quibusdam errantibus,vt dixi, & per se,& ad nos comparatione habita:& tamen plura sunt, & è pluribus. Ornamentum etiam,& pulchritudo, & decor,& iucunditas,non ex vno sunt, sed ex pluribus inuicem comparatis: vel si in vno sunt, multarum partium ratione illi conueniunt:velut faciei ob oculos,frontem,nasum, os:& in harmonia,ob plures voces: vt vnum omnino nihil horum efficere possit. Præterea si vnum per se adeò bonum est, quorsum tot facta sunt?quòd si necessariò facta sunt,necessitas illa à bono proficiscitur tanquam autore,& in bonum tendit velut finem:multitudo ergo bona. Hyle etiam quæ vna est,tamē mala est,si quid in naturalibus malū dici meretur.

Multitudo etiam hæc quid erit,si malum? bonū enim cū ente idem est:erit igitur multitudo nihil? Asini etiā & elephantes pauciores sunt hominibus, & pauciores etiam generant: rariùs enim duos, & nunquam tres elephantes natos,aut asinos vidimus, aut audiuimus, legimusúe:at homines sæpe geminos pariunt, tres nonnunquam: & ego tres vidi viros simul vno partu natos, legiturque de Horatiis ac Curiatiis qui inuicem pugnauerunt. In Ægypto etiam referunt nonnunquam nasci simul quinque vitales:non tamen asini aut elephantes hominibus sunt perfectiores:vt si nihil aliud desit illis, ratio saltem ipsa deest. Quædam etiam genera serpentum, vt reguli, rara sunt: & vnus vix multis seculis generatur: quoniam multa adeò ad illius generationem sunt necessaria, vt non possint multi generari:vel igitur homine deteriora sunt. Quot sum ergo genita, vt homines se meliores occidant,atque etiam vnum multis melius non erit? Si autem meliora: erit rationis expers habente mentem melius? namque & quo ad orbem & simpliciter, melius nunc intelligi volumus. Plures etiam habere filios,agros fœcundos,pecuniasque, melius est quàm filium, agrum, nummum vnum. Hæc igitur atque huiusmodi sunt, de quibus dicere nunc oportet:namque & sine his decepti videbimur,nō persuasi:& cum his securiùs quæ tradita sunt, credemus, & meliùs intelligemus. Quapropter initium facientes à primo, quod etiam difficillimum est inter reliqua, demonstrabimus primùm cur non potuerint esse plura principia,neque plura bona esse possint. Veræ autem demonstrationis proprium est, vt omnes dubitationes de te demonstrant, ex ea dissoluatur:vt rectè inquit Auerroës. Igitur si plura potuissent esse bona, collata in vnum perfectum aliquid effecissent:at præstat vnum perfectum esse bonum, quàm plura imperfecta:plura igitur bona prima esse non poterāt. Quòd si plura ac vnum idem posse fingas, erunt illa bona frustra:cùm idem possint:frustra enim fit per plura,quod per pauciora fieri potest. Rursus si vnum tantùm fuisset bonum, defuisset decor,pulchritudo, & boni species: est enim pulchritudo boni imago: fuissetque bonum illud auarum, aut inuidum:multa igitur bona esse necesse fuit, imò quotquot esse possent quæ sibi inuicem non repugnarent. Plura ergo bona prima, aut non prima: sed inordinata esse non potuerunt plura, & ordinata: & quotquot esse potuerunt,esse necesse fuit. Quibus cognitis, Dij hi seu personæ etsi plures sint, cùm alter ex altero pendeat, in vnum coëunt,& ordinati sunt:summæ autem artis primi opificis fuit,estque bona hæc procreare,& nihil imminui:nam si imminueretur non esset nec infinitum, nec perfectum primum bonum. Nullum autem simile hic exemplum exactè habemus, innumera autem non exacta: nam & ignis qui propior exemplo ignem generat,& homo hominem, & artifex calceum facit,& nihil imminuitur,sed ex materia tamen permutando ea efficiunt: vt non tàm effecisse dici possint quàm eduxisse, aut inuenisse,vel perfecisse. At nostrum hoc summum bonum omitto, quod in corporeis dici possit habuisse propositam sibi materiam in sapientia,in amore,in mentibus ac vitis generandis, quid habuisse ex quo facere potuerit dici potest? Et tamē non plus in illis quàm in corporeis gignendo ei deperit. Est igitur hoc boni primi singulare priuilegium. Quomodo autem id fiat, non est præsentis argumenti docere.

Igitur vt ad propositum reuertar, plures non possunt esse,nisi ab vno per ordinem deriuentur. In Aristocratia licet plures plura videant quàm vnus Rex:ille tamē plures habebit bonos:quia ipse bonus est:nec erūt plures, quoniam in vnum tendunt, & ab vno pendent:erunt ergo eadem bona in regno, quæ in Aristocratia:& præterea id plus quod in vnū conuenient,nec adeò facile corrūpi poterunt.

Regis tamen optimi exemplum Deo simillimum est, cùm sui boni efficiuntur illius imitatione & amore,nec quicquam tamen ex illo deperit. Differt in hoc, quod ministri regiæ iam sunt,antequam boni efficiantur: sed efficere quicquam,potestatem non est imminuere, verùm exercere. Ergo multitudo ordinata bona est:quia in vnum tendit,& ab vno proficiscitur. Stellæ autem quæ in orbe stellato sunt, ordinem habent ad vniuersum, scilicet vitas, vt membra in homine ad facultates & functiones inter se habere non est necessariū: non autem multitudo illa similis est hominū multitudini,quæ ob necessitatē est. Sunt ergo velut mēbra in animali. Ideò totum perfectius est erraticæ quouis cœlo, quamuis de Sole sit dubitatio:nam astrorū omnium cursus ad ipsam rationem habet. Eodem modo nil prohibet plures esse stellas erraticis nobiliores:quoniam,vt dixi,ordinatæ sunt:& non ordinatæ, quia multæ, sed mutæ, quia ordinatæ. Multitudo non est decoris,ornamenti,nec pulchritudinis causa: sed ordo qui est vnum in pluribus,sicut vnum est, tale simpliciter.

At ordo non potest esse nisi inter plura:decor igitur & pulchritudo in pluribus contingit: quoniam in ordine consistit. Sic de harmonia:indicio est,ordinem esse causam,quòd vox vna dulcis & suauis melior est pluribus in vnisono:in Diapason autem & Diapente, non ita. Quin etiam interpositæ Diatessaron & Diatriton & Diaectōn bene consonant:ordo igitur harmoniæ causa est, non multitudo.

Plura autem esse necesse, cur dictum est prius? erat enim multitudo ordinata effigies diuinæ pietatis, bonitatis ac sapientiæ. Nonne præclarius aget architectus, qui speciosum aliquod construat ædificium,quàm si nullum? Hyle bonum est,sed bonorum vltimum: quia

quia non vna est, cùm potentia sit: non enim substantiam habet, nec actum, quibus bona sunt: immista autem aliis bonitatem minuit, non quia mala, sed quia minus bona: vt tepida aqua ferventi atque calidioribus mista.

Dices: Cur ergo facta, si non bona? aut si per se fuit, non est causa omnium Deus? Oportebat diuinum bonum, quo ad poterat, impartiri: sed iam singula perfecta erant.

Oportuit igitur etiam imperfecta fieri: at non poterant sine multitudine, conseruari: multitudine igitur opus fuit: at vt multitudo esset, materia facta fuit. Sed nec multitudo ipsa est ens, sed ab intellectu fingitur: ipsa autem multa bona sunt singula: signum tamen imbecillitatis ac defectus & mali. Itaque & de elephantis & asinis, si natura multitudinem producit, ob periculum ne deficiat species: non enim voluit vnum hominem tantùm gignere perfectum, scilicet sapientissimum, robustissimum, atque longæuæ vitæ, velut de Adam primo parente scriptura refert. Eorum animalium maiorem numerum procreauit, de quorum interitu maximum fuit periculum: quod bifariam magnum est in his quæ imbecillia sunt, & quæ maximè mundo sunt necessaria: homo igitur tametsi imbecillis non esset, erat tamen mundo maximè necessarius: non itidem elephas & asinus, qui cùm robustum habeant vitæ principium, ideò plures homines generat natura quàm elephantos, asinos-ve. In serpentibus autem cùm principium esset imbecille, non tamen periculum ne desinerent, magnum erat: tum maximè, quòd eorum multitudo cæterorum meliorum animantium securitati obstabat: ob id pauci facti sunt serpentes. Et licet muscarum & cimicum, culicum, pulicum, pediculorum, formicarum, crabronum, scarabeorum multitudo non videatur mundo tam necessaria, quorundam tamen aliorum causa necessaria est, aut saltem periculosa non est vt serpentum: cumque imbecillis sit vita horum omnium, natura de multitudine prouidit. Quæ ergo perpetua esse non poterant, frustra in vnum omnem perfectionem illorum natura congessisset: multa ergo procreare necesse fuit. Si ergo necessaria maximè ad perfectionem vniuersi futura erant, & imbecillia, nec valdè noxia, vt muscæ & papiliones, horum maximam multitudinem procreauit. Sin autem necessaria, sed noxia, licet imbecillia, pauca: vt exitialium serpentum, quorum etiam generationem in deserta relegauit: quæ vtilia & firmo robore, non tamen adeò necessaria, & mediocriter, vt elephantorum, asinorum ac apum. Quædam etiam humanæ curæ reliquisse videtur, vt bombices: quanquam generatio illorum fœcunda sit, vt ex vno plusquàm centum generentur. De formicarum multitudine cum viuaces esse ferantur, magna est quæstio. Porrò de filiis, agris, pecuniis, multitudo certè ab indigentia oritur. Nam vnus ager omnia necessaria ferre nequit: vnus filius, si pereat, stirps interit: vno nummo cuncta emere non licet. Quòd si vno eadem fieri possent quæ pluribus, pluribus opus non esset, sed his omnibus illud vnum esset melius. Indicio est, quòd Deo vnicus est filius: quoniam illum amittere non metuit, nec vt discedat: at nostri filij cum calamitatibus innumeris subiiciantur, si multi sint, securiores degimus. Non ergo multitudo mala, sed mali argumentum est, atque indicium certum, si ordinata non sit: sæpe etiam mala est, quatenus multitudo: sed quatenus non vnum imperfectum, bona, vt in nummis & filiis. Est enim hoc vnum numero, de quo (vt dixi) præsens non est, institutus sermo.

His sic constitutis, in omnibus ad illud quod bonum est, per se properandum est: est autem, vt dixi, ordo. Conandum est igitur, vt omnia ad ordinem ipsum redigantur, atq; ad vnum principium: velut membra in homine, & partes ad ipsum hominem. Cumque morimur, ad vnum redigimur: ideo bene dixit Plotinus: Ad vnum id quod est in me redigere conor. Sic & operationes omnes in suos fines, pluresque fines in vnum, qui est felicitas. Similiter, & quę scimus, in vnum omnia: sic enim omnia facile memoria continebimus. Idq; accedet commodi, vt cuncta verè sciamus, cum in vnam causam redigere illa nouerimus. Sic in Republica & domo non ritè agere licebit, nisi vt omnia suis ordinibus contineantur: neque bonum est vt omnes vni sine intermedio pareant: sed sint coniunctissimi, vt vxor, filij fratres beneuolentissimi: sic enim domus, sic ciuitas optimè regetur. Vni quoq; omnẽ gratiam referre decet, autori omniũ. Ita verò omnia tractanda, vt etiam supellectilem ad ordinem redigamus.

Porrò ordo, si vnus sit, facilis est: cum verò plures sint, maximè si dispares non sint, difficile est persæpe eligere magis vtilem. Oporter ergo ordines ipsos in vnum ordinem trãsferre: vt verò ordo simplex sit, curare, atque in numerum redigere. Sunt autem effectus trium generum: alij quidem arte, vt lectus: alij natura, vt animalis generatio: alij casu, vt ictus lapidis, & quæcunque ab animalium cupiditate oriuntur. Ortus autem hominis, & cuniculi, partim natura, partim casu contingit: quoniã principium casu est. Artium igitur initium est finis, & ordo à fine ipso: quoniam ille mouet varias causas, non vnius generis, quę aliter ordinari nequeunt. Etenim non tanta est perfectio in artibus, vt quæ efficiunt aut materiæ per se ordinem constituant: neque enim dolabra in fabro per se est causa efficiens, sed instrumentum: nec claui, lignum & cementum in vnum ordinem redigi possunt.

Naturalium autem causæ duplices sunt, generales & propriæ. Generales sunt ab astris: astrorum autem principia alia quidem ratione finis, & efficientis, & materiæ per se ordinata, ac tradita à Ptolemæo: alia autem ad nos referuntur, quæ propriam quandam exigerent tractationem, imò duas, vnam, enarratã in libris de Astrorũ iudiciis: aliã verò, in libris de Fato.

Causæ autem naturales, propriæ, efficientes ac materiæ, notiores sunt nobis fine: quoniam finis est notior opifici: opifex autẽ naturæ dominus: hæc propter finẽ omnia fiunt: finis semper opifici notior, aliis autem efficiens & materia. Redigere autem oportet omnia in primas causas: cum verò reducuntur, videntur plures causæ esse vnius effectus: non igitur reducentur ad vnum, nec in primam causam, vt de fine, sed in plures: verùm primum principium est vnum in efficientibus, vt

homo hominis, cuniculus cuniculi:nō igitur anima aliquid eſt extra hominem. Propterea Auerroës dixit vnam eſſe animam in omnibus hominibus. Cæterùm ille non intellexit quid vnum eſſet:aliud enim vnum eſt, aliud eſt conditiones vnius habere:quales ſunt, materia, quantitas, figura, locus, qualitates primæ & ſecundæ, tempus:incoporea enim ſingula vnum per ſe ſunt omnibus, tamen vnius corporei conditionibus carent. Quocirca anima & mens ſingulis vna eſt, quod in nobis deprehendimus: & quæcunque patiuntur: nam foris multa ab vno illuſtrari nihil prohibet. Si igitur ſingulis vna eſt anima, non omnium hominum vna eſſe poteſt. Similiter & vniuerſale nullum eſt ſingulis commune: dico neque hominem, neque equum, neque animal: ſed vnum, velut & Socratem: verùm carent omnia loco, motu, tempore, magnitudine, numero, diuiſione: ſubſtantiæ quidem primæ, mentes ae incorporea: quia ante hæc omnia ſunt:ſpecies autem & genera:quia nil aliud ſunt quàm indiuidua ipſa ſubiecta, & ſingulis eadem, ſed iiſdem conditionibus à mente noſtra, ſpoliata. Quàm igitur abſurde vniuerſalia vocata ſint ab his noſtris Philoſophis, quæ nihil habent niſi maximè indiuiduum & vnum, & à multitudine remotum facilè eſt intelligere. Eſt & alius cognitionis modus, velut cùm miſtum ex elementis generatur. Sed non contingit:neque enim vermis aut muſca ex elementis conflatur: ſed ex verme, aut muſca, ant miſto huiuſmodi quod poteſtate tale eſt:quæ verò fiunt ea pluribus, vt cœnum, & ex cœno herba, adhuc ad pauca rediguntur:quoniam hæc eſt naturalis miſtorũ generatio. Multa autem miſta, elementa autem duo terra & aqua, aut ad ſummum tria, aëre addito. Elementa verò, vt ſidera, ad vnum rediguntur: perfectione enim non ſpecie differunt:neque enim ſunt calida & frigida, vt nugantur:eſſent enim plurima principia non ordinata. Demonſtrauimus autem eſſe non poſſe, ſed velut in numèris omnia ordinata vnius reſpectu: quapropter & vno in ordine contenta, qui ad primum principium terminatur, ſic autem non eſſent. Quæ autem caſu conſtant, ad fatum redigi debent:dictum autem eſt de eo aliàs. Quæ autem ad memoriam pertinent, vt libri, cùm & ratione argumenti, & nominis, & prænominis diſponi poſſint, effugere decet ordinis varietatem: melius eſt igitur vnum in alio includere: velut diuidere per argumenta, & argumenta per prænominarea enim ſimilitudinem magis pariunt prę. nominibus. Aſſueſcendum eſt autem contra conſuetudinem, vt ſeruemus hoc. Præponenda autem argumenta, iuxta doctrinæ ordinem, aut alphabeti. Miſti generis autem in vno ordine ſunt collocandi, vt etiam alienæ linguæ: & iuxta nomina illa: hi autem iuxta argumenta ſunt diſtribuendi.

Sympathia ergo & Antipathia ex his etiam originem ducunt. Quæcunque enim eiuſdem ſunt naturæ, & vt imperfectum ad perfectum comparantur, & ad idem magis propriè, ſympathiam primùm habent: vt homo ad equum, ad hominem, ad puerum, ad patruelem & filium. Et quæcunque hoſtilia ſunt, antipathiam: vt lupus & ouis. Et quæ in eadem ſpecie corrupta ad integra, vt homo cũ cadauere. Et quæcunq; ad primum ſtatum referuntur, vt Herculeus lapis ad ſitum naturalem, cuius vis eſt ad orientem, à borea diſtans quinque partibus, cùm alij dicant nouem. Cùm enim quaſi maſcula terrà ſit, motum habet ad ſitum immobilem, id eſt terræ centrum & axem inter polos, vt ſic planè quieſcat. Cùm verò vni corpori duo motus conueniunt, alterum imperfectum eſſe neceſſe eſt, poſitus ergo in æquilibrio ad terræ centrum deſcendere nititur, & ad axem conuerti, vt cœli motum deuitet:at non aſſequitur hũc perfectum ab oriente ad meridiei circulum, ideò ſubſiſtit ab eadem parte aliqua circuli totius portione. Fabuloſum autem eſt dicere, quod ad montes illos qui nullibi ſub polo modò ſunt, conuertatur. Sed demonſtratione idem oſtendatur. Proponatur meridiei linea a b e, ſicut punctus a in terra ſit in vna linea cum centro eiuſdem & polo cœli, & ſit d mõs ille lapidis herculei, & ponatur herculeus lapis in linea a d e, vt in e, erit ergo linea circuli meridiei & herculei lapidis vna at in b demonſtrant:ergo in tota linea b e variabitur angulus a b d, quod repugnat experimento: manet enim idem vbique, ſaltem citra æquinoctialem.



Dictum autem eſt ſatis de echeneide ſeu remora:at etiam de cauſis cur pulli milunm exhorream:habitus enim eſt in deſcendentibus, cõtractus à parentibus atque maioribus: quemadmodum & de tonitru: pauorem enim gignunt abſonæ formæ, & cum non in eadem ſpecie, ſed in eodem genere: nimia enim propinquitas & diſtantia antipathiam tollunt. Quo enim propinquiora ſunt, maiore ſui parte ſentiuntur, ideoque magis mouent: quanquam & vocibus matris admoneantur. Sic inter braſſicam & rutam in antipathia eſt, & inter cucumim & oleum: quòd contraria natura ſint. Eſt autem ſenſus ille poteſtatis licet non proprius, conuenientis & noxij. Quid ergo mirum? nam extenuari poſſunt propinquitate, etiamſi non ſentiant. At cucumim inflecti in contrariam partem affirmat Matthiolus Senenſis: nec magis mirum, quàm ſi ſalia aut populus radices ad aquam exporrigat:vbi enim conuenientis ſenſus, ibi & contrarij. Pari ratione terremur tonitru & tenebris:quoniam ſenſus & vis qua imaginamur, habet quod delectet & horreat, amplectatur & timeat.

In ſonis magis mirum, nec vniſonis tantùm, ſed etiam (vt refert Ariſtoteles) nete, quæ acutiſſima eſt, pulſata, bypate ſola reſonat, quæ eſt grauiſſima. Sonus quidem actionis propriæ principium eſſe non poteſt, ſed tantùm imaginis & ſpeciei, velut in ſenſibus (hoc autem modò quærere debuerant, & non ex cõmunibus quibuſdam) quid ergo eſt quod ſonum efficit, & mouet fides? non ſonus, ſed aër. Cur ergo conuenientem magis quàm pro-

pinquam

pinquam seu loco seu vi:videtur autem distẽtio par, aut illi proportione respondẽs. Quare motus aër ab vna quasi Echo, reddit in consimilibus: est enim in Echo absque dubio reflexio aëris secũdum eandem figuram: aliter tàm alienas quàm primam vocem reddere posset. At motus secundum eandem formam etiam agitat, vt primam ictam fidem: quamvis enim aliæ propiores sint, aliæ molliores: plus tamen facit contortus aër in prioris fidis consonantis figuram, quàm vis approbante experimento non solùm aëris, sed etiam manuum. Vnde Fracastoreus recitat, fuisse imaginem ceream in ambitu templi, quæ sonitu nolæ sola è multis tremeret. Quæ verò attrahuntur ab adamãte & succino, causam manifestam habent, & longè diuersam ab Herculeo lapide: illa enim trahunt leuia, hoc graue: & certum genus & trahit & trahitur, atque etiam propellit: quorum nullum est in adamante vel electro: ea enim trahunt rarefacto aëre intermediu velociter: sicut cum aqua per canalem tracto embolo masculo ascendit, distento nimium aëre, vt pars partem sequatur ob materiæ continuitatem. Diuerso autem modo trahunt adamas & electrum: electrum enim per se calefacit & attenuat, sed magis si confricetur, proximum aërem: adamas autem nisi confricetur, non calefacit: at herculeus lapis masculi vicem gerit, ferrum autem fœminæ: seruaturque herculeus lapis in ferri scrobe. Quare fiẽt quatuor modi attrahendi, & quatuor propellendi: ex his primus trahentium est proprius: masculus enim & validior trahit fœminam imbecilliorem. Pòst secundus: cùm enim masculus no potest trahere fœminam ad se, vt etiam in animalibus, accedit ad illam. Sed tertius etiam contingit, quod nos vidimus, validiore imbecilliorem trahente.

Trahit
Magnes ferrum
Ferrum magnetem
Magnes magnetem
Ferrum ferrum.
Propellit
Magnes ferrum
Ferrum magnetem
Magnes magnetem
Ferrum ferrum.

Quartus autem non: quoniam vterque fœmina est. Ex secundo autem ordine sunt qui negant, magnetem propellere ferrum: sed propellit ferrum magnete tactum, tanquam masculum, vt syncerum ferrum trahat. Eadem ratione ferrum ferrũ propellet, vt trahat ferrum magnete delibutum, ex secundo modo primi ordinis fiet quartus secundi ordinis. Magnes quoque propellet ferrũ: quoniam magnes ille cum ferreus sit, magis appetit ferrum magnete delibutum, quàm syncerum, vt in tertio modo primi ordinis. Relinquentur igitur duo modi inutiles, quartus primi ordinis, & secundus secundi. Quare vt aliàs dictũ est, herculei lapidis pars vna est velut caput & purus magnes: altera ex aduerso, vt ferrũ magneti mistum: vtraque pars ferrũ delibutum à se trahit: sed si delibutum ex diuersa parte purũ dum trahit ferrum libentius, delibutum ex aduersa parte repellit. Hoc idem nos de Austro & Borea diximus. Generalis autem causa omnium horum similitudo est, cùm actus iam potentiæ iungitur. Nam herculeus lapis vt masculus, rapit ad se ferrum vt fœminam. Contrà vicissim si ferrum magnum sit, exiguum frustum lapidis, trahetur lapis à ferro: quod si ferrum sit imbutum altera parte, cum adsit similitudo, & potentia, trahetur ab eadem parte lapidis: ab aduersa autem repelletur, vt pars ferri syncera trahatur. Quod verò affirmant ferrum ferrum trahere, falsum est, nisi imbutum herculeo lapide. Pars tamen herculei lapidis quæ ferri multum habet, magnetem trahit, ferrum non ita: & syncera ferrum vehementer, obscurè magnetem: ex æquo mista vtrumque: plurimum enim demonstrant quæ actuae potentia, & quæ iuxta perfectum imperfectumque: hæc enim mutuò se appetunt: at vt potentia simile: quoniam iam potentia ipsa demonstrant: velut magnes trahit ferrũ, quod potentia est delibutum magnete tali, quali ipse est: specie autem contrarium: quia quia actus deesset, & potentia. Magnes ergo ferrum, & ferrum magnetem, & magnes perfectus ferrum, & ferrum sub magnetis specie magnetem trahit. Sed in delibutis simili à simili trahitur: quoniam ferrum loco potentiæ est. Sed magnes etiam argentum trahit, cum argento mistum fuerit ferrum, aut magnes argẽto: quare etiam ferrum argentum trahet: eiusdem autem ordinis sunt hæc omnia. Quoniam verò eadem ad eadem antipathiam ostendunt, & sympathiam: vt puluis aquam non trahit, quia siccus: calx autem & pannus, quamvis sicca trahunt; id ad naturales causas est referendum, non sympathiam aut antipathiam: quæ enim calci cum aqua sympathia? Sed quæ calida sunt, trahunt aquam: quæ autem non, respuunt: vt puluis, adiantum, & pluma indicio est sic esse: nam cinis admittit. Calx enim calidior est quam siccior: quia crassarum partium: contrà puluis. De leone & gallo primùm expediret scire, in his an ita sit. Sed si sit, cum nullum animal cristatum sit præter gallum, nisi ex serpentum genere: leo autem deserta incolat, nouitate ac similitudine terreri verisimile est. De his verò quæ percipiuntur sensibus, iam diximus, in cognitione esse pulchritudinem: cognitio autem est commensuratorum. Et quæ grata sunt, efficiunt etiam vt membra dilatentur & turgeant voluptate.

Sed hæc, vt dixi, ad præsens argumentum non spectant. Sicut nec illud, cur vinum oleo magis aqua misceatur: ipsum autem aquæ adhuc longè magis? Constat naturale esse quæsitum: quoniam oleum densum est, aqua crassa, vinum subtilius: ideo oleum penetrat, & aquam multo magis.

Porrò vt ad rem redeam, videntur cuncta ad vnum spectare, scilicet conseruationem: ea autem triplex est: nobilioris partis, & totius, & suiipsius. Indicium habemus in pullis: eo enim metu abdunt se sub latibulis, fugiuntque periculum: & remota torporem inducit, vt illa capiantur, ipsa vescatur. Quæ verò ex consensu naturæ sunt, alia quidem similia, alia dissimilia: similia, vt mictio, oscitatio: dissimilia, vt stupor dentium, dum alius acerbos fructus comedit: ex serra secante horror dorsi, & risus & misericordia. Fit autem risus ex admiratione & lætitia: misericordia ex admiratione & tristitia: horum omnium causa est, quod vnum sumus substantiæ similitudine, & ad vnum. Cur verò mali, non carinæ nauium, à fulmine tanguntur, scriptum est in libro de Fulguribus Io. Baptistæ filij mei. Hæc igitur de Vno satis dicta sint.



HYPERCHEN.

ESs'e nos vel hoc ipsum declarat quod vel esse, vel non esse existimamus. Quòd si sumus sunt, & alia omnia, & cum sumus necessario sumus: ita æterna cum semper sint. Velut potentia necessario semper sunt, atque ideò neque futurum in his est neque præteritum. Velut enim illi qui extra rotam est, tota est præsens, qui intra pars absconditur, pars noua exoritur, ita & æternis vnum est, idem semper esse necessarium. Aut ergo nil esse aut ipsum esse necesse fuit, nam si non fuisset, per quid potuisset restitui? Quid ergo in causa fuit vt necessario esset, non autem non esset? nam videtur hoc axioma habere causam quodcunque est saltem coniunctam. Causa est igitur quoniam non esse non est, sed solum id imaginatur mens: est enim esse vbique: & omnia iam sunt. At si non est non esse, palam est vbique esse & semper: & hoc infinitum tum quod est corporeum quam quod incorporeum. Nec est vt mente nostra regamur, cogitantibus an moueatur in instanti, quoniam infinitum circuit in tempore: vnde definierunt frustra magnitudinem. Nihil enim omnino non est. Sed supponatur, non esse aliquid, veluti later qui nunc non est, pridie autem fuit, & Socrates. Videtur igitur non esse aliquid. At non ita est, sed omnis quidem substantia manet & ad idem redit ac reuoluitur, & accidentia etiam. Quod ergo est non esse, est quod esse non habet continuum habet tamen sempiternum. Quædam enim esse perfectum habent, & sempiternum immobile, velut Dij: quædam sempiternum, sed non immobile, velut cœlum: quædam sempiternum inæquale, velut homo: quædam non continuum, velut albitudo. Quid ergo est non esse quod non inuenitur? sed hoc est minus est certe in vno quam in alio.

2 Sed cur non omnia vnum & idem habent esse, vt sufficiat vnus Deus? Verum videtur vnum in alio esse, velut in ouo candidum luteumque, & in vtroque elementa, & in illis materia; forma, & rursus in his candor, quantitas; calor, proprietatesque, & multa forsan alia quæ nos latent. Vt non sit hoc ipsum sine illo, nec pars eius sed productum. Si enim extenderetur quod est incorporeum fierent, multa infinita, quæ esse nequeunt. At extensionem esse necessarium erat, quamobrem alia à Deo proficisci necessarium fuit, donec ad infima veniretur.

3 At si ab infinito ad infima descendendum erat cur tam paucis gradibus, circumscribitur hic descensus? An quoniam vbi ad corporeum ventum est iam est in vltimo esse, propterea minimum illud in multas partes diuidi non potuit. Quærendum est quot gradibus recedat vltimum à primo, nam si infinitis infinita erunt, & quod proximum erit Deo & illi atque illi semper infinitum, sin autem numerus quidam est, omnino nihil erit proximus? Existimandum est ergo non per spatia diuidi, sed quemadmodum singuli cœli æterni sunt, non tamen incorporei, ita pluribus infinitis ac perfectis constat ordo. Velut terra æterna est, sed per partes corrumpitur, cœlum rursus totum cum suis partibus æternum est, sed non incorporeum. Rursus incorporea multa æterna sunt, sed non præsentia, verum explicatam habent vt cœlum æternitatem atque eo magis si vicissitudines quædam habent vt homines: quædam non vt dæmones, & rursus quædam intelligunt, quædam aliquid melius: Et quædam per se aliæ autem ex aliis. Honorabile autem est ac gloriosum, hæc intelligere magis quam prouinciis præesse atque iuuenem esse.

4 Dubitabit autem quispiam, si Deus infinitus est quomodo potest aliquid esse imperfectum? tum maximè quod non esse nullum illi contrarium est. Determinant autem quidam mortem, & non esse ipsum, & minimum esse tanquam sensim delabendo potentiam, & quam vocant Hylem seu materiam primam. Sed cur hæc materia prima? quis eam fecit? & cur non expleri potest perfectione quandoquidem ipsa per se vniformis sit nec perfectionem recuset, vt in humana forma? Dulce quidem sapere nec admirari, aut dolere debemus etiam si quædam non omnino cognoscerentur, sufficiat enim in huiusmodi verisimilia dixisse. Verum, vt dixi, in quantitate omnia sunt, infinita voco quantitatem substantiam quæ tota vna est, seu incorporea seu corporea, tota infinita, & in tempore: nihil enim corrumpitur, sed omnia sunt immortalia, in ordine autem est, infinitum quod omnem habet perfectionem, nihil enim ei deficit. At quæ ipsum consequuntur omnia infinita sunt, sed non omnia perfecta. Velut humana anima perpetua est, sed vicissitudine non caret, bonis autem etiam expers scientiæ, plantæ autem sensus, cœlum quoque corporeum, solus Deus exactè perfectus est. Ideoque stultè dubitat, qui an infinitas sit quærit? quandoquidem omnia sint infinita. Dico terram, & non solum terram, sed hanc terram quæ eadem reuertetur? & later & statua, sed non vt artificio conflantur. Hyle ergo & ipsa infinita est, sed cum sub ordine contineatur, cótigit vt esset extrema entium. Diximus enim melius esse vt essent plura quam vnum, & extenderetur, bonitas Dei: at plura infinita iuxta eandem rationem scilicet perfecta esse non poterant, igitur ordo necessa-

rius

rius erat:atque vltimum autem Hyle:Hylem ergo Deus fecit, & complet iuxta naturam infiniti, non autem in ordine, quoniam oon esset ordo si omnia æqualiter perfecta essent.

5 His igitur sic se habentibus velut astra perpetuò exoriuntur, & occidunt, nec vlla vnquam esse desinunt, ita etiam animantia, & homines omnes ad vnum idemque reuertuntur. Modo hac in parte emicant, modo in illa deflectentes ad aliam cœli regionem, vt semper maneant, non vt semper videantur. Cum enim non esse nullum sit, non potest fieri vt desinant. Philosophi non multo minus mira dicunt quam leges, vt qui nouam fieri animam in singulos dies credant: illæ mundum ex nulla materia præcedente. Sed non minus est fieri mentem quam corpus quantumvis magnum: prætermitto modo quod noo vnam animam, sed innumeras oriri affirment. Quòd si non è nihilo sed ex materia priore fieri, affirment, velut ex elementis lapidis aut plancæ formam, liquet si inanimata & velut lateris quadrata, aut rubra hoc nihil esse cum maximè prope non esse fit. Si autem substantia fit iam hoc est, quod dicimus manere, scilicet animam illam nec mutari, vt æternorum aliorum nullum. Nam neque lux Solis mutatur, & si non luceat mihi, eadem enim est, prorsus & omnino immutabilis. At quanto nobilior est, humana anima Solis luce? propterea diuinum quiddam est homo etiã præter cætera corporea, nullum tamen vt dixi interit. Ipsa verò contemplatio atque scientia horum, diuinum quippiam ac illustre quod nobis, in hac vita contingit maius regno ac victoriis. Verum sensibus, & inertia demum desperatione.

6 Neque illi fit iniuria, nam quod futurum non est (quandoquidem vt dixi corporea omnia quodammodo infinita sunt magnitudine, quodammodo circumscripta mensura) non est aliquid. Non est autem non esse, non igitur iniuria fit illi: Hoc enim quod non est arbitramur autem tanquam esse possit, vt filius Platonis, solum figmentum est nostrum. Vt igitur huic nulla infertur iniutia, ita si quod sunt non esse possent, aut si aliqua denuo fierent, quandoquidem transitus esset ex eo quod non est ad id quod est, eisque non fierent iniuriam inferret, & rursus quomodo ex eo quæ non est, quandoquidem nullum est non esse, transitus fiet ad id quod est: Est enim ac si quis diceret, è Thebis venio. Quod si hoc absurdum est quoniam Thebæ nullæ sunt quantumvis fuerint, & ipse iam sit, quanto absurdius est dicere quenquam fieri, aut aliqoid omnino fieri, ob hoc non male dixit Diogenes Apolloniates antiquissimus Philosophus, nihil ex eo quod non sit fieri aut resolui in id. & propterea infinitos esse existimauit Mundos quam sententiam confirmauit, trecentis viginti ferme post annis Seucippus Abdenter dicens, omnia esse infinita, & in seipsa commutari. Sed & Anaximander multo ante Seucippum tamen Diogene posterior mundos astruxit infinitos. At quanto clarius Melissus cum Parmenide, ille dicebat vniuersum hoc vnum atque infinitum esse, & ob id immutabile totum atque immobile. Quocunque enim tempore sumpto cum infinitum sit etiam si mutari incipiat, nunquam totum permutabitur, sed minima portio mutata erit, quare melius est, totum immutabile dicere: tum præsertim quod constet cœlos maximam orbis partem non mutari prorsus. Sunt igitur omnia nec vllum est, non esse verum. Nam non esse Grammaticum aut asinum, aut asinum nõ intelligere, non est non esse, ad comparationem enim dicuntur. Et omnia præter Deum aliquo destituuntur, & non sunt, sed neque quod non sunt esse possunt, habent enim esse quod habere possunt nec oon esse dicuntur. Nec est id non esse cum in alio sit. Homo enim non esse non dicitur quia vita non sit, sed quod habet totum, est esse enim ad essentiam, refertur. Ob id pulchrum est esse, gaudentque merito Christiani cum oritur filius, etiam si non superuiuat, est enim iam, ideò amplius non esse non potest. Quod autem moriatur parum refert, nam resurrecturus est, satis est quod compositum hoc est. Itaque hoc ipsum prope accedit ad supernaturale lumen quod ex naturali cognitum est. Lætamur ergo in his tanquam è multis muneribus propositis distribuendis digni facti simus, vt vnum accipiamus, tam etsi danti reddere illico cogamur, dignos tamen hoc munere censuit, nam vel omnino aliàs restituere oporter.

7 Quod idem de motu dico, neque enim moueri potest, infinitum cum nunquam ad finem sit peruenturum, natura autem finem non quærit quem assequi non possit. Parmenides verò & ipse, vt habetur primo Physicorum, dicebat: si Mundus est: vnum est, at quod vnum est plura non est, Mundus igitur plura non est. At vbi plura non sunt, ibi neque motus neque mutatio est, Mundus autem vnus est: non igitur mutatur, neque mouetur. Vitiosam hanc rationem esse Aristoteles dicit: at non ita est, imò eam vitiosè redarguit in alium sensum trahens: Qualis est hic: sub vno plura continentur, vtpote sub homine Socrates, & Plato: plura quoque in eo continentur, vt altitudo corpus magnitudo, igitur multa sunt. Sed quæ Parmenides dicit, sub vno quidem perfecto, plura contineri non posse: Mundus autem perfectus, vt qni idem æterno tempore maneat, quare fieri non potest: vt sub vno multa contineantur. Sed neque in illo, partes enim potestate sunt, quod autem potestate est, actum non habet necessarium, partes igitur Mundi non sunt. Videamus hoc in homine aliquo qui vnus dici possit, an non vnus est, quia pedes habeat, & manus ac viscera, insuper animã, & corpus, & affectus, & accidentia? omnia tamen in vnum conspirant. Et sicut idem homo manet, partes antem motantur, illæ enim actu non habent perfectum neque esse, homo antem comparatione habet, ita Mundus esse habet corporeum perfectum, estque vnus immutabilis: cætera potestate sunt, mutanturque & mouentur, vt perfectionem acquirant & esse.

8 Porrò dubitatum est superiùs, cur si Deus infinitus est non complet, in materia perfectionem summam, velut humanam vel aliam, si qua est melior? At ratio est quoniam vasculum etiamsi à mari recipiat non potest plus capere, & palea etiam si à fulgure moueatur, non potest maiorem ictum facere.

sed

sed potius dissoluitur: ita materia non potest recipere, nisi iuxta præparationes, vt forma formæ accedat, confractis elementis. At dices cur non hæc omnia subito, ab agente infinito? Quoniam instrumentum non potest agere: est enim materialium, & ideò vis determinata, velut dixi in vasculo. Plura intelligo possunt replicari sed omnibus responsio ex iisdem parata, tum maxime ob ea quæ mox dicemus, nec hæc ad finem hunc.

9 Cur rursus si potestas est infinita, non subito mouent, vitæ voluntariæ quidem mouent, ideò non in instanti cum etiam id repugnet; esset enim motum & non motum atque in vtroque loco simul. At æqualitas motus potestatem declarat infinitam. Quo circa nullum horum inferiorum æqualiter diu moueri potest. Estque signum immensi roboris æqualiter moueri, quando hoc solo non velocitate ipsa quanquam magnitudinem significet assimiletur, vitæ infinitam potestatem habentibus. Non ergo vltimam exercent vim dum mouent vitæ, fatigarentur enim. Sed ob id sic mouent quia primo motori hac ratione placent. Est autem primus motor, non Deus, quippe Deum necesse est, ab omni comparatione ad corpus absolutum esse.

10 Quid ergo est quod hoc perfectum aliud imperfectum. Quærantur asini & oues, & mures, & plantæ, non iure: nam habent esse in ordine suo, & secum coniunctam necessitatem, quia idem est, esse & quod est: est igitur ac si quis diceret, cur nunc sum? quia necessarium hoc ipsum nunc esse, atque quæ in illo cuncta. Et aqua si queratur in vasculo cur maior non sit. Cum in illo sit contingit hic error quoniam nos putamus, nosmetipsos esse priores conditione nostra, at sumus quia conditio nostra est.

11 Quæruntur ergo infelices & miseri; alij dicunt, quænam igitur bonis expectatio melior? cum enim potestate sint: habeantque in rerum ordine imperfectum esse, alia quidem consequuntur necessitatem constitotionis, pro quibus inane est, quem alia subsequuntur perturbationes, & errores nostros de quibus etiam conqueri non licet: alia fortuitos euentus qui, & rari sunt, & ob id non magna indigent cura. Sed si modo necessaria est, in restitutione habetur. Bonis enim bonus animus, atque ideò à perturbatione alienus, & expectatio vndequaque melior, cuius extrema pars est, non esse vt illis optima, & interim vita perturbatione plena, & postmodum etiam ab obitu anxia, finge æqualem conditionem in vtroque, an non duplo beatior est, vita probi? Quandoqoidem æqualis est, etiam si probo omnia aduersa, improbo ex voto succedant. Sed manet & recompensatur: Non est autem opportunum, vt demonstratiuis sermonibus dubios admisceamus. An dobitas Syllam, & Marium cuncta ad ambitionem, & auaritiam trahentes, non fuisse infeliciores, quieto plebeio nil cogitante, & oues lupis? illæ semel pereunt, raro timent: illi sæpius & cruciantur, & obeunt.

12 Quomodo autem facta sit multitudo dubitatum est, à plerisque dicentibus, quoniam ex vno non nisi vnum fieri potest. Et si ita, nonne videmus genito circulo bifariam statim in contrarias partes verti posse. Si ergo sphæra seu orbis gignatur, & iuxta circulum vnum moueatur, bifariam moueri poterit: atque in vtroque mota duo puncta quiescent, per quæ deducto rursus circulo fient duo alij motus, igitur ex circulo duo, ex sphæra quatuor motus fient. Si ergo corpora recta iuxta singulos motus disponantur, fient quatuor comparationes, ergo pluralitas oritur. Velut si ex A, fiat B, ex B, autem C, ex AB, D, ex C, autem E, ex BC, F, ex AC, G, ex ABC, H. Et rursus ex D, I. Et ex CD, K, ex BD, E, atque ita statim in tertia productione fient duodecim.

Vel sic

A	B
B	C
AB	D
C	E
BC	F
AC	G
ABC	H
D	I
CD	K
BD	L
AD	M
ABD	N
ACD	O
BCD	P
ABCD	Q

13 Reuertamur ergo denuo ad primum institutum scilicet, quoniam nihil omnino interit, quod etiam arbitratur Hippocrates, sed composita dissoluuntur, atque alia quidem in ea quæ mutari possunt (neque enim nos cum illo aliena dicimus, à sensu sed omnes illi qui veritatem non intellexerunt) alia quæ mutari non possunt, nam corpora mutantur, incorporea mutari non possunt. An igitur parest, & melius dicere animam esse ex corpore, an corpus per animam regi. Etenim pariter in cœlo dicemus illud regi, à vita non vitam è cœlo proficisci: In materia enim nihil, vt dictum est, nobile aut perfectum, aut quod sit esse potest. Quicquid habet enim forma habet. Est autem forma materia licét æterna, semper in materia, vt anima vegetatrix. Duplicem autem habet actum perfectum, vt in ceruo imperfectum, vt in cerui semine. Sed forma eorum quæ non semper sunt, si modo talia inueniuntur, interim necesse est, esse tanquam in semine aliquo, aliter autem esse non potest, forma verò partium in toto, velut carnis, & ossis similiter. Quod si quis obiiciat illam generari in semine negamus: sed aduenit animæ aut formæ, vt materia noua adiiciatur, quod vt dicemus, si continuata essent nihil mirum: at est fallente sensu. Mens autem in materia non est qua parte simplex est, sed iuncta tamen illi. Vnde idem homo omnia agit, & patitur. Non reminiscitur ergo post mortem instrumento illo corrupto, sed alia nouit. Non corrumpi autem formam liquet, quoniam subiectum totum vnum est, ideoque vna tota, & simplex, quæ si interiret non maneret species. Videtur ergo forma aut ex infinito, prodire ordine quodam, non retrocedere ex materia quæ perfectionis est expers: quanto igitur magis anima.

14 Anima igitur in materiam inducitur palam, sed dubium videtur an reflectatur ex prioribus, vt dicunt, formis, an recta inducatur, quasi ex primo agente & materia, vt in pariete Iris ex Sole, & vrceo aqua plano. Atque hæc est summa dubitationum. Etenim si anima quidem compositum, ex immortalibus, & incorporeis, dissoluitur profecto atque ex vna plures animæ fient, sin autem simplex, manebit ipsa. Porrò simplicem esse

naturam,

naturam; haud dubium est, & videmus in nobis: quandoquidem nec dissoluitur, dum corpus eadem viuit, nec sufficit ad plura simul munia, velut corpus: & nos experiamur, dum illam exercemus, in vnumquodque eorum quasi commutari. Sed enim si reflectatur, compositaque sit ea multis facultatibus, corporeis inuicem collisis, formamque vnam concipientibus: veluti caro ex elementis (quod vnum tantum dici potest) fieri necesse est, vt aliquæ vires ex his corporeæ sint, atque ita etiam intelligere: nec erit vis illa diuina, sed peruertetur ordo vniuersi. Sed si corporea sit veluti forma & adeo, omnes enim vt dixi infinitæ sunt, & ab eo proficiscuntur: quid est quod nouit. Nam in hoc differunt corporeæ formæ ab incorporeis quòd non cognoscunt, quid agant sed ab alio quod cognoscit diriguntur.

15 Porrò singula quæque ob mistionem facta sunt: sufficiebat enim mundo si mista non fuissent, cum Cœlis Terra, Aqua, & Aër. At vt essent instrumenta animarum, & media inter incorporea, & corpus oportuit mista esse. At mista non poterant manere perpetuò, generationem ideo & multitudinem introducere necessarium fuit. Generatio igitur ob interitum.

16 Summa ergo dubitationis est, quid interim à nobis? an commigrandum an manendum, postquam perpetua est vita? Et nos quidem his sordibus quibus lex nostra non satisfaciat, eos enim reducere, oportet qui inutiles sunt, non retrahere bonos, vt qui nec fide nec pietate persuadent, scire cogantur, animos nostros esse æternos. Quæ ergo æterna sunt alia vicissitudinem patiuntur, velut anima, alia non, velut Dij. Vitæ vero Cœlorum non ex Cœlis, sed Cœlis præficiuntur: nihil enim nobilius, ab ignobiliori. An verò in eadem? certe non, sed velut astra semper in diuerso loco exoriuntur, & occidunt.

17 Interim verò cum elementa sint, plantis alimentum, animalibus plantæ, hominibus animalia, erunt & homines aliis. Non autem Diis, nimis enim remota est, eorum natura à nostra, quapropter dæmonibus. Quòd si corporei sunt, vel cum corpore etiam secundum corpus, alimentum præbebunt; qui sermo communis est, in his qui dæmone correpti sunt. Idque etiam Platonici affirmant: quare in sanguine erunt, & ex eo nutrientur, fœdum, vt nobis videtur, alimentum. Sed & nos cruenta vulnera animalium comedimus, quod Porphyrius reprehendit, & abominatur, tabes enim quædam est. Et quæ aliis abominanda viderentur, vsus obtinuit vt cuperemus. At si incorporei omnino sint? Spiritus est eis alimentum. Versantur autem nobiscum, vt nos cum canibus, plus nos docentes quam nos illos. Verumtamen qui sint, quamdiu versari cum eis non agnoscimus, sed aliquid esse intelligimus. Similitudinem autem habent, non ad alimentum, sed ad necessitatem, alimentum enim corporibus conuenit, quadamtenus ergo vt puer sapienti, & dormienti dum somniat, & præuider vigilans. At mortuis viuentia non alimentum sunt, nec aliquid huiusmodi, non igitur Genij mortuorum animæ. Vnde Antonius Genios ab anima distinxit.

18 Ergo si incorporei sunt Dæmones nec quantitatem habent, nec numerum nisi iuxta nostram cogitationem. Si corporei, numerosi erunt. Videntur autem hoc magis cum vitis cœlestibus sint, inferiores. Videntur autem esse non vnius modi, sed si vitæ plurimum inter se differunt, homines multum, & tamen longè minus, plus longè Genij inter se different. Cum verò natura eorum nobilis sit, & ambitiosa, pauci dignantur hominum consuetudinem. Inter homines vero rursus pauci natura familiares, vt canis hominibus, ipsis Geniis: multi auersantur eorum consuetudinem, quidam prorsus abhorrent, non secus ac serpentes, & pisces ipsos homines, his de causis pauci homines geniis sunt familiares. Neque ipsi ad nos accedunt nisi, velut pueri morituris belluis, scilicet ex his ignobiliores, ad interitum vrgentes, oportet autem non carere, eos vitio quandoquidem mortales sunt (si non cœlestes sunt) & corporei. At perturbationes illorum, vehementes sed exiles, & quæ proximæ sint, virtutibus quales diuitum, fœlicium cum æstu animi laborant; & languent. Carent ratione, & sermone cum sint alterius generis ab homine, atque ab illo plus distent, quam quivis homo ab ignobilissimo verme, attamen quidam ex his à quibusdam hominibus superantur: Velut hominum quidam vermibus propiores, aut apris quàm humanitati. Sed velut omnis homo ratione tamen præcellit, cuncta animalia atque ea in parte excellentior, etiam si sit stultus, & obesi ingenij, ita Genius omnis μεγαλόψυχον, cuncta solet atque ideò intima rerum, vt quisque eorum toti humano generi præferatur. Eadem ratione, & iuxta naturam propriam vnus alius illuminat. Ergo & rebus quas norunt (facta siquidem præter cætera) & rerum originem essentiamque tum proprietates) & modo cognoscendi mirum in modum, nos antecellunt. Discere tamen contingit quod cœlestes non sunt. Atque hæc est opinio, Stoïcorum demonstratis propior quam cæteræ Philosophorum aliorum.

19 Natura vero nostra dum à corpore anima aliquanto abscedit, seu per somnum matutinum, seu per ecstasim, seu dum morti appropinquat tum verò, & per abstinentiam, & vanitatem perturbationum, & etiam per vigiliam commotis imaginibus, sensilibus spectra videt, & futura cognoscit, & admiranda contemplatur, & à dæmonibus adiuuantur, qui per figuras, & Ænigmata docent, quoniam non est, vt dixi, sermo idem nec reliqua per quæ scimus. Indicio est quòd plura, & mirabilia circa hæc contingunt, & his qui fama maximè noti sunt, nam aliis vtique contingerent, si ex naturalibus causis ortum haberent, natura enim æqua est, puerosque videmus mendicantium nulla ex parte regum filiis dissimiles.

20 Prudentia verò quippiam est in nobis ex mente, & sensili parte, interiore conflata, nec belluis quæ mente carent, nec Diis qui sensibus, communis: vocaturque. Intellectus Practicus. Itaque qui eo valent opinionem habent, non autem scientiam. Et opinionis

alia

alia est vera, alia falsa, ergo in scientiis turpe est, inniti opinioni, vt ait Hippocrates. Quamobrem nemo ob sensus, & materiam immunis est à peccato, & errore: tum maximè tam longè à diuinis recedentibus. Etenim liquet hominem primum esse in ordine intelligentium.

21 Quæ autem extra cœlum? si nil: nil est, & non esse: at hoc demonstratum est, esse non posse. Si incorporea, quid illa, nam vacuum esse videtur, nec par est, secundum continuitatem incorporea corporibus iungi, quæ nihil addunt: adiectio autem auget si corpora mobilia, cœlum infinitum erit, & infinita mouebitur velocitate. Sin autem immobilia, frustra erunt, corpora enim frustra sunt, quæ quiescunt. Hæc autem difficillima quæstionom. At quodcunque ponatur hoc quod est, penè nihil erit, si reliquum est infinitum, nisi nomero rem augeamus, vt mundos infinitos existimemus, quemadmodum Apolloniates, Diogenes primus, post Epicurus, & medius (Alexandri ætate ob quem ingemuit, quòd nec vnius esset Dominus) Anaxarchus, ex authoritate Democriti præceptoris sui. (Nam quod Origenes per successionem constituerit, infinitos in ἀεὶ ἀρχῶν, tam absurdum quam non necessarium ideoque falsom) vt equidem in magna rerum elatitate, scilicet eius quod est, semperque fuerit, velut oculis bubonum, & noctuarum hallucinemur. Itaque infinitum est, in quo est, non autem spatium vllom, siquidem, vt dixi, nullum est quod sit, non esse, vel inane, vel huiusmodi, quoniam hæc non sunt. Atque ea est causa, vt potius tota Orbis machina dissoluatur quàm vt inanie sit, aut admittatur: non ob rationes Aristotelis, sed hanc ob ipsam, quod admitterentur infinita absurda, quę omnia supra explicata sunt. Non ergo est, in spatio mundus, sed in mundo spatiom, factum autem esse mundom, & si æternum, palam est. Et si enim aliquando factus esset, æternum est, in quovis instanti: ideò semper fit, vt vestigium pedis in arena à pede qui sit in illa.

22 Æquauit autem sic omnia: in mortalibus, vt quantum cognoscerent, dolerent ac lætarentur: limarum parum lætatur parum etiam dolet homo contra. Parque ratio etiam singulorum, in eadem specie. Et longa vt consueta minus afficiunt in vtroque. Immortalia vt quantum essent, beata tantom communicarent inferiotibus. Quæ Lex ab ipso Deo proficiscitur. Mortalia immortalibus, vt in nobis ex vicissitudine voluptas geminaretur. Vnde immortalibus nulla nouitas, & perpetua securitas, vt omnis doloris est expers, ita hoc ipso minus iucunda quod reditum, ex dolore non sentit. Sed hoc tamen ad imperfectionem pertinet: nam hæc voluptas vt maxima est, ita sordida. Sic felicissimi viti æquata iucunditas paruo tempore cum æterna vltimæ vitæ. Aliarum autem nulla est comparatio, sed sunt sublimes.

23 Quæritur à quibusdam, cur Deo contigetit vt esset primus, perfectus, & hoc demonstrato cur Deum esse contigerit. Sed frustra, nam ipsi necessitati conuenit, vt sola esset perfecta, & absoluta, & esse ipsum, & infinitum, & primum, & optimum. Nam si oportuit talem esse, non si per necessitatem, ipsa ergo necessitas prima omnium, & absolnta, quapropter hæc est ipse Deus. Non ergo Deus est infinitus, aut necessitas, aut primum, & principale, sed necessitas principalis, & prima, & absoluta, ac reliqua est, quam Deum appellamus. At dicis cur huic conuenit, vt esset necessitas Deum ostendendo? si modo ostendi potest? Dico hoc est, quærere cur hæc necessitas, quæ necessitas ipsa est, (oportet enim esse ex ipsa rerum constitutione quæ ipsa necessitas) sit necessitas? hoc autem cum in aliis sit perabsurdum, vt cur veritas, aut albitudo sint veritas, aut albitodo, quanto magis de necessitate ipsa, quæ est esse ipsum, & omnia complectitur. Hæc enim quæstio est, quoniam falsa mentis ratione imaginamur aliquid aliud esse, præter necessitatem, at non est, sed ipsa necessitas omnia complectitur.

24 Ea verò, vt habet potestatem, & sapientiam, & amorem, legem indixit, in omnibus quæ ab ipsa producuntur, ipse verò est, ipsa lex vt simile sibi generent. Pater quidem in hoc subministrat potestatem, filius scientiam similitudinis, amor autem delectationem, & hæc est operatio, ideò operatio omnis propter formam, non autem forma (miror de Aristotele) propter operationem.

25 Apparet igitur quomodo rectè dictum est, à Philosophis, & Theologis, Deum cuncta esse. Et rursus, duos esse fines producendi formas. (Quod cum latuerit Aristotelem causa fuit maximorum errorum) vnum, vt causa seu forma prior opus ipsum absolueret, in quo, vt dixi, est summa delectatio. Non enim in eo quod producitur, qoia non cognoscit, sed in eo producit, cum quo est cognitio, voluptas est. Atque finem alterum formæ scilicet operationem esse, vt ipsa delectetur. Sic vt comparatio ad priorem formam sit, vt delectet, vt ad posteriorem, vt delectetur; ideò parentes necessariò diligunt filios, filij non nisi ex lege proposita parentes. Patet etiam quod maximè naturale est cunctis generare sibi simile. Adeò vt nitrum etiam generet nitrum, & plumbum plumbum. Omnibus præterea rebus inesse delectationem, quanquam in terra obscurissimam.

26 Vltima ergo operationũ quæ in imperfectissimis etiam est, est sibi simile generare, ob id quoniam actu non possunt, ab initio, potestate generant, vt semen quod & in plantam, aut hominem euadit, quædam non perficiuntur vt muscarum forsan vermis, nam hos pariunt; hoc autem non aliud est, quàm extremæ imperfectionis argumentum. Quidam tamen perficiuntur. Sed quid nunc mirum est, cum plus semen ab homine differat, quàm à musca vermis. Eadem autem ratione delectatio maxima in venere, omnis enim operatio huiusmodi, & propter opus, & propter operantis voluptatem. Tria ergo cum sint in homine, corporea forma, & voluptas est, sibi simile generare, sensus sentire, intellectus intelligere. Hæ autem operationes sunt, ob formas, velut videre, vt oculis delectetur: oculus autem propter animal.

27 Formæ quoque aliæ incorporeæ, ve-
luti

luci Deus, aliæ ad corpora æterna, velut vitæ, aliæ ad mortalia, velut animæ, aliæ corpore, velut carnis mortui animalis forma omnium, vt dixi, communis est propagatio. Incorporeæ generant, perfectissimum ideóque similium actu: vitæ verò cœlos potestate similes, actu autem idem efficientes longè meliùs, atque exquisitius quam anima cum corpore, siquidem ambo immortalia, & simplicia, at hic vnum immortale, & simplex, alterum compositum mistúmque ac mortale. Animæ autem à vitis, forma verò materiæ generat primum potestate simile, inde actum perficiunt. Commune est autem omnibus quæ sunt in materia, vt animalibus, & formis corporeis, quoniam exui materia timent, vt quærant propagationem in illa bifariam, & tuendo eam quam possident, & aliam occupando. Atque hic mos est ingenitus cunctis secundum naturam, equus & vermis tuentur se, & alios generare appetunt, & generando delectantur quia forma vtraque incorporea corporeáque extendi maximè appetunt, quod in se constrictæ sint.

28 Esse autem in singulis vtrasque clarum est, nam vel vna est tantum, vel duæ pluresve, & si duæ aut ambæ, incorporeæ vel ambæ corporeæ, vel vna corporea altera incorporea. Duas incorporeas nullam corpoream dicere absurdum sensu repugnante, duabus corporeis ratio: nam videmus cum vna forma inducitur, aliam interire, eodem modo, & quantitate qua illa inducitur. At non esse vnam formam carnis, & animæ qua viuit ostendit experimentum, quod arbore mortua lignum perinde manet, vt diu dubitemus an etiam viuat. Vna igitur est forma corporea alterea incorporea.

29 Quo circa dubitandum, cum sensus anima in homine atque intellectus adsint simul, an vna eadémque sint? Aristoteles variè locutus est, vt qui demonstrationem huius non haberet. Videtur autem vna esse cum illo, non autem antecedere, nam cum illo deteguntur facultates non adueniunt: id ei contigit, vt Platoni aduersaretur. Optimè enim ille censuit corpora esse propter animas, non ex illis. Experimur enim nostram simplicitatem, nec aliud esse multiplex, in nobis præter corpus. Hoc autem quod intelligit, vt dixi, vnum est, & omnia.

30 Cuius ergo causa homines non magis cognitionis Deorum, quam rustici cognitionis regum? at multo plus Dij præstant hominibus, quàm reges rusticis. Neque vt hæc inferiora regant: cum destruant, omnia potius quam seruent, pauca è multis, vt boues, sues & gallinas educant, sed quam miserabili illorum animalium sorte, vt melius esset agrestia omnia esse. Finis ergo est perfectio agentis, vt dictum est. Hominis autem animæ, vt in materia explicetur, & plura regat, & pluribus imperet. Eius autem causa tres illi operationes, totidémque voluptatum genera concessa, sibi simile generare, percipere, intelligere. Vt etiã ad principiũ regrederetur.

31 Sed an animalia hominis gratia? idem est quærere, an anates aquilarum? & iis enim illæ vescuntur? Non, sed id accidit, vt quemadmodum vitæ, vitis subiiciuntur, ita corpora harum animarum illis animalibus. Neque enim vllum animal certo genere solum vescitur. Ex genere enim alimenti, viliorum animalium corpora, sunt nobiliorum, propter quæ illa persequuntur: non ergo anima equi propter hominem, sed corpus, & illius opera.

32 Vt igitur esse possent ac diu manere, vnaquaque anima sibi fabricauit corpus, instrumenta, & functiones instrumentis, & corpori necessarias; & materiam ex qua aleretur præsupposuit, cum vt dixi omnem numerum perfectionis, in illa absoluisset, numeris certis quasi species distinguendo. Verè autem continua serie à summo ad infimum ob latitudinem temperamenti atque perfectionis.

33 Quorsum ergo materiæ hæ? vt animæ explicarentur, & delectarentur, propriis operationibus quas præter corpora non habent, quoniam operatio maior est, quam facultas; & obiectum etiam circa corpora versatur: velut videre, quatenus est cognoscere corporeæ formæ, conuenire non potuit, quatenus ad accidens, & superficiaria non poterit, esse solius animæ. Vinculum autem animæ cum corpore vita est mortalium. Et vitæ quidem diuersæ sunt, ob materiæ primæ diuersitatem ad quam fit animæ comparatio quam adiuuant? varietas formarum corporearum, & accidentium, & temporis, & parentum atque similium.

34 Formæ autem materiariæ extenduntur, iuxta materiam, ideò diuiduæ. Animæ verò omnes indiuiduæ, sed alia ratione. Vegetatrix, inquam, quoniam in salice, & surculo qui satus est, plantæ magnæ satisfacit exteosa: Diuidi tameo potest, & seorsum vitam diu producere. In testudine autem anguilla, & verme quadraginta quatuor pedum alia ratione, & cum illa, & inter se diuidua est, superuiuunt enim diuisa, sad non generare possunt. Sic & lacertæ, caudáque præcisa sentit, si pungatur. Extenduntur ergo, sed sine quantitate esse dicuot, quia nullam sibi definiunt. Humana verò tum quia in solo corde est quoniam semper mouetur, vt cœlum, quapropter & hominum sensus alterius sunt generis quam cuiusuis animalis. Indiuidua ergo est mens, vt & vitæ. At vitæ in toto orbe sunt, nec quantitatis expertes, nec numeri, nam mouent, igitur vi sola, aut essentia? si sola vi? vnum non est, quod mouetur, si in vna parte esset, vt in humano corpore pars mouens, & mota. Recedit autem à corde cum mouere non potest: mouit autem calore, calor autem à spiritu, quo deficiente seipsam colligit. An verò vehiculum ei coniunctum sit, inquirere forsan non est necessarium. Sed reuertor ad formam. Et dico quod forma ligni acquiritur secundum magnitudinem, pars ante partem, non tamen incerta parte fit augmentum, sed forma illa extenditur, maiorem occupans materiam. Non sic cum paries dealbatur, aut ferrum ignitur: nam pars ab vno latere prius dealbatur, aut ignitur. Veruntamen quia in corruptione etiam viuentis plantæ, aut animalis pars ante partem corrumpitur, non est dicendum, quemadmodum de anima, quòd sic

indiuidua ad illum sensum. Sed dices, si pars plantæ viuentis desinat, per ignem accensa esse animata, quamuis tota planta reliqua sit animata, nonne anima illa corrumpetur pro parte? Quia si incisione, non contrahitur, ad reliquam partem, igitur non habet hanc vim, quare nec in aliis, vtpote exustione, corrumpetur igitur anima? Hic igitur duo sunt, obseruanda ne in errorem incidamus: Primum quòd posset euanescere, & non corrumpi, vt etiam elementa, sed illa postmodum corrumpuntur, quia ea natura sunt: non ita anima vegetatrix quæ est, vehiculum cœleste. Aliud quòd posset aliquis dicere: illam animam esse extra plantam, sed vitam solam cum facultatibus, & functionibus ibi esse, quod cum de animalibus defendi possit, quantomagis de anima plantarum? Vt anima sit sicut Sol, & quod est in plantis, vt eius lumen. At non sic de homine cum cognoscat, se esse qui cognoscat, ideo principium illud est in ipso. Et si opponatur, quod etiam in illo potest corrumpi brachij sensus, & vita, & substantia, dico, vt supra, quòd illius anima est in corde: ideò nulla pars eius potest, nec corrumpi quia immortalis: nec abigi, aut separari quia toto discedit, & ita erit indiuidua.

35 Quid igitur tandem homini post mortem an vnus an multi? cum vt dixi, anima partim indiuidua sit, partim diuidua, atque alia ratione, vt in plantis, nunc autem de humana sola quæstio est, cum sit natura media, & extensa partim vna est, partim numero diuisa, refertur enim ad vnum principium, sed est propria cuiusque etiam natura. Verum vt forma est, aperit coniungi corpori, vt exempla aliarum facultatem quàm intellectus opera. Ibi enim intelligit, & perfectius sed non tot quot hic, nam sensilia per sensum cognita etiam intelligit, velut rationes colorum, & musicæ rationem. Ibi verò alterius longè excellentioris.

36 Concludo igitur quod nil interit: Nam non cœlestia quæ etiam mutatione carent, nec mortalia cum materiæ, & formæ maneant. Tametsi enim caro cerui corrumpi videatur: post illius mortem, dupliciter nos fallit sensus: Nam existimamus eam separatam esse, à carne aliorum ceruorū, cum vna sit, sed locus partes diuidit. Quod si in ceruo vno caro cruris pereat, non dicimus formam carnis in ceruo periisse, nam de tota perspicuum est: de parte autem quod verisimilius videtur, neque id, quoniam ab initio tota in vno quasi puncto concreta fuerat, & tamen tum nil periisse poteramus suspicari. Extensa ergo non aucta, & nunc contracta non corrupta illa. Sic etiam fallimur cum carnem mortui nuper cerui carnem esse putamus. Quamuis enim sensu parum differat: à priore, intelligimus tamen magnum esse discrimen, quod non sentit nec nutritur, vt illa. Non corrumpitur ergo forma, sed manet: cum materiâ nobilior sit quæ manet, & æterna est, sed in potentia, forma verò in actu etiam. Solum eo priuatur actu quem habet, ad materiam hanc. Hæcque est compositi corruptio quoniam perfectum esse non habet. Sed nec illud corrumpitur, sed desinit in potentiam quæ similis est actui quem compositum habebat. Cum enim ego interiero, remanebo actu in forma humana potestate in hac materia. quæ cum iterum iungentur, idem ero. Neque enim infiniti possunt esse homines, sed infiniti eorum circuitus. Perabsurdum enim est, in materia finem habente, velle substantiam temporis beneficio, in infinitum augere, atque extendere. Verum eadem manet & circuitu, quemadmodum cœlum dies noctésque, est enim accidens repetitum infinito. Sed seu vita sit in nobis, & corrumpatur, animus autem extra, vt lux, seu intra, & velut lumen solis, omnino nihil quod est corrumpitur, sed ipsa in quibus sunt. Caro autem mortua non est aliquid præter elementa, non enim vllas habet vires actiuas præterquam elementorum, passiuas autem plures, vnde medicina. Itaque corrumpitur quia esse nullum habet, sed solam mistionem.

37 At intelligo quæ mihi obiici possint. Primum quod videamus sensim generari multa, vt puerum in vtero, aut ergo generatur ex semine, aut semen iam genitum. Nam in sterilibus, non generatur, igitur generatio est. Præterea aut moriendo corrumpitur forma: & sic habetur intentum, aut manetur. Si igitur manet nec est materia, est separata & materiā, quod esse non potest. Si prorsus materiaria nihil ex nobis superest à morte, & redimus ad Auerrois opinionem. Rursus operationes sensim desinunt numero, & robore antequàm corrumpantur, igitur animæ substantia paulatim ab sumitur, & corrumpitur tota denique. Est etiam mutatio in qualitate, quātitate ac loco, igitur etiam in substantia, igitur corruptio. Quæ etiam relinquuntur proprietates ab animæ separatione, vt rhabarbaro, & Pæonia non sunt, ex sola mistione, cum multa alia calidiora, sicciora, tenuiora neque appensa comitialem morbum prohibeant, neque epota bilem expurgent. Demum potentia est, in materia ad omnes formas, sed superueniente agente vniuersali scilicet, calore solis, non est necessaria tertia causa, quia essent duæ in eodem ordine, igitur anima nulla præest. Ad hæc dico quod semen generatur, non aliquid ex semine. Vel dic, quòd tam semen quam animal habet animam extra, & vitam in se, & est substantia alia à misto ex elementis per animam illi coniunctam medio vitæ. Ad aliud dico quod forma in animalibus est, in materia omnium, & ideo non intelligunt quid agant, quoniam obruitur ab illa: in homine autem est separata etiam dum viuit, & multo magis post mortem. Et est eius operatio sicut de semetipso considerantis dum viuit. Ad id de operationibus desinunt sensim ratione instrumenti, non substantiæ animæ, quod patet in his qui à morbis resurgunt, in quibus tota operatio quasi statim restituitur, & memoriæ præcipue, potius quasi subducto velamine quam restituta. De mutatione est in illis quia in accidentibus, quia vt dixi, non habent esse perfectum. De proprietatibus sunt, mistorum sub eadem non solum elementorum, & quantitatum mensura sed etiam fractura. Et hæc est causa quòd multa alia temperamento eidem proxima sunt, expertia harum

harum virium. Et hoc demonstrauimus in libro de venenis. Habent enim antipathiam, vt per calorem naturalem ad actum deducuntur. Hæc enim duo ab animæ separatione supersunt, & ad illam introducendam seu vitam potius sunt necessaria, tum calor, sed ille semper cum vita perit. Et quanquàm perit etiam mensura tum elementorum tum fracturæ, hoc tamen non est, necessarium. Ad id de potentia dico non sufficere quia oportet primo, vt ad sit agens proprium: non enim mulier, & sol generant hominem, sed necessarium est agens etiam proprium. Proponamus ergo mentem Peripateticorum quæ est, quòd vis solis præparet materiam, & inducat animam quia omnes illæ formæ sunt, in anima solis. Et generetur mus ex putredine quia in talibus est magis manifestum. Et postquàm non est aliquod agens proprium, oporter vt accidens scilicet calor solis sit causa substantiæ scilicet animæ illius. Et anima solis illa vilescit continens formam muris, & scarabei. Et etiam quomodo erit vna in specie si mus, & scarabeus sunt diuersæ species? Præterea intendet primum quæ sunt ad finem ante finem ipsum, scilicet membra opportuna operationibus animæ quæ nondum genita est. At quanto remotior est ab omni absurditate nostra, & facilis demonstratio: quia animæ illæ omnes sunt, per ordinem constitutæ in mundo incorporeo cum suis operationibus, & licet careant semine, sunt tamen in actu, & cum occurrit materia idonea vni illarum, format auxilio caloris solis qui materiam disponit, vt recipiat formam animæ, velut figulus per ignem componit materiam myrrhini vasis ex pluribus materiis componendo, attenuando, miscendo qualitates, frangendo, vt possit recipere formam vasis: ita illa fabricat membra sibi idonea ad operationes, quia est in actu perfecto in aliis partibus materiæ, & semper eas exercet: hic verò est iam actu imperfecto ad vltimas, sed tamen per vitam coniuncta operationes. Et Aristoteles non reliquit istam opinionem nisi, vt contradiceret Platoni, sperans vulgum sibi assensurum, quoniam est magis secundum sensum. Sed vt dixi, sensus decipitur in huiusmodi.

58 At opus suum quod, vt dixi, omnibus commune est, scilicet generare sibi simile corpori iuncta facit. Et vt amicus amicum, aliam ad corpus animam trahit. Separatu verò contristatur, vt terra extra locum proprium. Ita naturæ hæ mediæ, & ad corpus pronæ nec vt separatæ, simile perfectione producere possunt: nec vt vitæ alterius generis animas ad materiam ponas: nec vt cum sunt materiæ coniunctæ totam quiddam simile: sed velut eunuchi inani desiderio interim torquentur, cum vero redeunt, eundem producunt hominem vere ac magis si eidem materiæ iunguntur. Quod si similibus cum reliquis etiam omnino per similem. Hæc igitur quæ de anima post mortem dicta sunt, minimum sunt eorum quæ dici possunt. Videntur autem genij id efficere, vt vlterius multa esse credamus. De quibus haud dubito, sed de his abunde in Theonosto.

59 Demiror satis hominum pertinaciam atque stultitiam qui partim falsæ Philosophiæ principiis imbuti nihil de rerum origine cogitant, partim religionem simulantes Epicuream vitam viuunt, existimantque id summum esse humanæ vitæ commodum perpetuis deliciis frui. Quanquam nec in hoc quem profitentur, sequantur, miserrima enim est vita velle omnes haurire pompas, ludos, iocos, denique tam priuatis quam publicis impleri voluptatibus, cum primum idem tempus non possit seruire duobus: deinde corpus eneruetur, tempus ita diffluat vt non sentiatur mors quæ ortui est coniuncta. Et quæ, nam voluptas esse potest vbi nullus est fructus operæ: nec adest desiderium, & indigentia, sed quasi nausea affluentium voluptatum. At contra si quis secundum virtutem viuat, studiis sapientiæ incumbat, & cogitet quali sit deductus origine, incolumi cum vita longius beatéque viuet: nec fortunæ inconstantis casibus subiicietur, & immensam sentiet voluptatem, quippe incorporea, & diuina non quemadmodum mortales illecebræ obtundunt sensus, & implent vasculum animæ. Ergo mortales resipiscite, & breuiratem huius vitæ cogitantes originem vestram quærite. Deum, virtutem, sapientiam colite atque amate, mementote æternæ vestræ originis perpetuæque vitæ. Nam nec moriendo desinimus nec viuendo sumus præstantiores, sed ex pleniore vita in nitidiorem quasi reuiuiscentes. Et rursus ex quietiore in turbulentam exercitationem commigantes lætum bonis nuncium, improbis autem suspitione plenum referunt.

40 Cæterum finis ille alius est, vt tot sensilium cognitio pulchra in quibus dignoscendis incorpoream mentium vilesceret operatio non interiret, velut calidi, frigidi, sicci, humidi, duri, mollis, grauis, leuis, asperi, lenis. Saporum quoque atque odorum, tum harmoniæ ad similitudinem cœlestis tripudij constitutæ, tum verò calorum, atque lucis pulchritudinisque cœli, variarúmque formarum, nemorum, syluarum, pratorum, tórque plantarum, & animalium quadrupedium, auium, piscium, serpentium, artificiorúmque præcipuè, domuum, vrbium, humanorum ornamentorum, simúlque voluptatum quæ ex his percipiuntur, quas tanti referunt mortales, nec non cogitationum, rationúmque nostrarum, atque eorum quæ imaginamur quæque intelligimus aut fingimus: velut numerorum, & passionum, magnitudinum, vt de his ad mentes referetur cognoscerentúrque simul actiones nostræ per cognitionem eorum à quibus procedunt. Nec necesse fuit vt numero seorsum destinguerentur animæ nostræ, sicut neque digiti neque cœli partes, nam infinitæ essent, quia maius atque minus accipere licet ac diuidere: quanquam vna non sit alia, & quodam modo suum esse habeant, sed in vnum omnes conueniunt.

Nec mirari oportet si de his absolutam omnino cognitionem habere non possimus, quandoquidem non solum in his sed etiam in corporeis immortalibus multa sint nobis dubia, aut non perfecte cognita: cometarum visio, Lunæ tum macularum vmbra,

vnde deliquum, debuerat enim quæ necessarium habent esse ab ipsa necessitate quæ, vt dixi, infinita est non relinqui aliqua ex parte. Similiter & superficies indiuiduæ quæ vnam efficiunt superficiem, quomodo in diuersa moueri possunt? Et si vnum actu sunt, potentia verò plures quomodo diuersis motibus actu agi possunt? Et substantia ipsa cœlorum quæ multo tenuior aëre esse videtur adeò concrescere, vt sydus solarem lucem, velut speculum eam integrè reflectat, denique in quo reuoluitur extrema illa vltimi orbis superficies? Hæc atque talia huiusmodi. Sed quid mirum de his, cum etiam in mortalibus quædam non sint abunde perspicua, velut illud: cur herculeus lapis ad orientem deflectat à boreali polo, ferrum quod eo intingitur nonem partibus, idest quadragesima parte totius orbis. Sed hoc forsan immortalibus proximum. At verò de anima dubitatio maior erat, ne non corporea censeatur, cùm eo nobilior sit quo magis vna, nobilissima humana, & elephantis, inde auium quarum colla aliquamdiu abscisa viuunt, & anguilla, & Polypus terrestris cuius partes in diuersa mouentur, & salicis, nam cum nobiliores maiore in vnum consensu sint, corporeæ esse videntur, & ex corporum facultatibus conflatæ: quæ quanto magis in vnum consenserint præstantiores euadant, iuxta quinque ordines dictos. Forsan velut lux quamquàm immortalis, vt densior eo validior. Aut quod verisimilius est hoc ex recipientis natura accidit, vt in corporibus his spargatur, in illis colligatur: velut in cauis speculis. At hoc ipsum argumentum est, immortalitatis eius, quanquam appareat quod extra sit, aden rem paruam esse immortalitatem, & exiguam illius speciem concessam his quæ cognoscuntur, velut cœlum, lux, atque animæ, omnium enim vna ratio.

FINIS.



DIALEC



DIALECTICA.



VONIAM omnium eorum quæ sunt, quæque imaginamur, vnum videmus esse principium, velut Deum & vnitatem, ita & eorum quæ his quæ sunt respondent, quæque scire dicimur, esse commune. Hoc autem in Dialectica est, scire an quod dicitur, ex his quæ dicta sunt sequatur, aut repugnet, aut non. Eiusdem enim artis est cognoscere quæ non sunt ex arte, cuius est scire quæ sunt. Quæcunque autem quæ accipiuntur, aut sunt principia, aut cognita ex sensu, aut ex aliis deriuata, aut ficta in vnaquaque disciplina: quare horum veritatem ex propriis scire necesse est: generaliter autem ex Dialectica. Veluti quòd homo sit animal, quoniam sentit, Philosophiæ proprium est; quod sit illius genus, Dialecticæ. Cum verò natura nostra actu quidem finita sit, potestate autem infinita, conueniet animæ nostræ potestate, non autem actu. Oportet autem si infinitum in paucis contineri debet, artem potestate esse, non actu: Propterea qui ad singula explicanda deuenire conati sunt, præter id quòd in immensum opus ipsum auxerunt, dum infinita necessariò omiserunt, & minimè perfectam tradidere doctrinam, & difficiliorem reddidere. Cum non facile esset percipere, cur hæc magis quàm alia amplexi fuerint, & vmbram erroris inuexere, dum quædam deriuantes, plura prætermittentes, quæ prætermiserunt, illis non conuenire falsò creditum est. Sunt igitur huius muneris primæ partes, cognoscere quid ex quibus sequatur, repugnet aut non: & in quæsitis inuentio multiplex medij. Post exercitatio iã falsis suppositionibus: propria quædam particula. Ex his tractatio disciplinarum, & cognitio eorum quæ tractata sunt: inde inuentio necessariorum in partibus subiecti: Post hæc interpretatio ab aliis inuentorum. Demum amplificatio, vnde profitendi extemporaneè modus. Hæc autem ex his accipere conuenit auctoribus, quos maximè in huiusmodi præstitisse animaduertimus, quorum primus est Aristoteles, secundus Hippocrates, tertius Galenus, quartus Euclides, quintus Ptolemæus. Aristotelis quidem formula non adeò ad inuentionem vtilis, sed generalissima & omnibus aliis maximè necessaria. Sunt autem inuentionis quinque genera: perfectum, & fit syllogismo; inuentio, & fit ex his quæ à sensu accipiuntur; euidens, quod ratione propositæ orationis dum dissecat transmutatve, ortum habet: rationale, quod multis modis fit, contorquendo, reflectendo, diuidendo subiecti partes, colligendo: & imperfectum, cùm non absoluitur syllogismus. Verum cùm omnia hæc ex orationibus, orationes autem ex dictionibus constent, de dictionibus ipsis primò dicemus.

Sunt autem orationis duæ partes propriæ, nomen, ac verbum: nam præpositiones atque aduerbia modum, non rem significant. Est autem duplex oratio, perfecta & imperfecta: perfecta, quæ tribus constat partibus, ea de qua dicitur, & verbo, & eo quod dicitur: vt homo est animal, homo est de quo dicitur animal quod dicitur verbum est: duplex autem verbum substantiuum quod vnum est, scilicet sum, es, est, & quæ ab eo: & adiectiuum, vt doceo, quod resoluitur in verbum substantiuum, vt homo habet albedinem, id est, homo est albus. Imperfecta autem oratio est, cùm deest quod dicitur, vt homo est, & æquiualet ei, homo est ens.

Nomina autem quædam sunt modi dicendi, alia generalia, alia communia, alia dicuntur iuxta significandi rationem. Iuxta significandi rationem, Homonyma, cùm res quæ nullo modo inter se conueniunt, vnâ voce significantur, vt canis: Synonyma, cùm quæ significantur, vnâ ratione significantur, vt homo: Paronyma, cùm quæ significantur, non eiusdem sunt rationis seu ordinis, vt salubre, de medicamento enim & concoctione dicitur, vt causa & vt signo. Sunt autem in his quæ sunt occulta, vt ens quod de substantia principaliter dicitur, sed non vt salubre, in quo aperta est ratio ordinis, cùm in nullo conueniant corpus, & vrina, & balneum. Infinita, vt cùm negandi aduerbium præponitur dictioni, vt non homo, id est, aliquid quod aliud est ab homine. Communia autem sunt sex, & omnia Paronyma: Ens, Vnum, Bonum, Verum, Aliquid, Res. Generalissima autem sub his continentur, & sunt decem: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatiua, Locus, Tempus, Accubatio, Actio, Patiendi, & Habendi actus. Modi verò dicendi sex: Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, & vnum seu quodvis, vel vnusquisque seu proprium.

Ex his orationes iuxta tria differentiarum genera, aut modi significandi, aut comparatione ad res significatas, aut rerum significatarum. Modi significandi sunt duæ species: Vna earum quæ affirmat vel negat, vbi proponitur nota negandi: Alia diuiditur in proprias & insuetas. Propriarum sunt quatuor species. Vniuersalis, omnis homo est animal. Specialis, aliquis homo est animal. Simplex, homo est animal. Propria, vt Socrates est animal. Insuetarum duæ sunt species, cùm aliquid vnum dicitur de alio, vt animal est Socrates: vel cùm nota vniuersalis ei quod dicitur adiungitur, vt homo est animal; fit enim incongrua oratio.

Comparatione ad res significatas duæ constituuntur differentiæ, vera & falsa, simplex & euidens: vera dicitur quæ significat vt est, falsa quæ secus quàm sit. Euidens cuius veritas aut falsitas perspecta est. Simplex cùm non cognita est aut non omnino certa, velut, an Phœnix sit.

Rationes rerum significatarum sunt fortuitæ, & necessariæ, vt Deus est. Necessarium autem quadrifariam dicitur, simpliciter, & est quicquid ad Deum refertur, vt Deus est, vel Deus est bonus, & naturâ, vt cœlum mouetur: necesse enim est vtrumque, & cœlum esse, & moueri: coniunctione, vt triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales, non enim est necesse esse, triangulus sed si sit, necesse est ita esse. Vt etiamsi huius trianguli duo latera sint æqualia, necesse est angulos supra basim æquales esse, ex suppositione. Omne quod præteritum est, aut iam præsens, tum est necessarium, vt ego natus sum. Quomodocumque autem necessariæ non sunt, fortuitæ sunt.

Miscentur igitur veræ & falsæ necessariis, & quæ veræ sunt retinuerunt nomen suum, vocantúrque necessariæ; quæ verò falsa est, & de necessariis est, vocatur ἀδύνατον, seu impossibilis, vt sint quatuor genera, vera necessaria, vera fortuita, falsa necessaria seu impossibilis, & falsa tantùm: & vnaquæque istarum erit simpliciter talis, aut euidens, fient igitur octo modi. Rursus singulæ vel affirmant, vel negant, erunt igitur sexdecim. Et harum quælibet erit vniuersalis, specialis, simplex aut de quotis seu aliquo, erunt igitur quatuor in sexdecim ductis, orationum species sexaginta quatuor: Exceptis incongruis, & differentiis, quæ ex necessariorum modis sumuntur. Harum partes possunt esse Synonyma, Paronyma, & Infinita vocata: Nam Homonymorum in disciplinis nullus est vsus.

Negantium autem orationum, quæcunque negandi aduerbium aut nomen ante id de quo dicitur, præpositum habent, generales efficiuntur, vt non homo est lapis, seu, nullus homo est lapis: at hic modus solùm est consuetus. Sed si ante verbum præponatur, fit oratio simplex aut specialis, vt homo non est grammaticus: aliquis homo non est grammaticus. Si autem ante id quod dicitur, fit infinita, vt homo est non grammaticus. Prȩstat autem, quantũlicet, clara oratione vti, postquã tanta ex rebus est difficultas.

Quoties communia de aliis dicuntur, fiunt orationes veræ & necessariæ coniunctione, vt musica est bonum. Palam verò est quòd si hæc necessaria est, quòd quæ id negat, erit impossibilis seu absurda. Cùm verò generalissima dicuntur in eodem genere de inferioribus, aut differentiæ, aut quod propriæ in est illis, vel omnino quod ipsius causa est, fit oratio necessaria & per se. Velut homo est animal. Primus modus: homo est rationalis. Secundus modus, Homo ridere aptus est, aut coruus niger. Tertius modus, Iugulatus mortuus est. Quartus modus, quia enim iugulatus est, mortuus est, & quicunque iugulatus est mortuus est: ob id iugulatum esse mortuum necessarium est, & per se est, & generale. Accidens autem si aliquod non separari potest, per se omnino est, vt proprium: sin autem, non. Quæcunque tamen huiusmodi orationes habentur, ad scientiam humanam vtiles sunt, vt coruus est niger: nam rara est scientia humana, quæ exacta sit, & maximè de rebus, vt Philosophia vtraque: & ad disciplinas vtilis, vt medicinam & architecturam: quarum præstantia ex consecutione finis habetur. Quæ verò in diuersis generibus dicuntur, aut sub eodem, sed contrariis differentiis, impossibiles. Vt homo est asinus, aut albedo, aut sensus. Quæ enim per verbum est dicuntur, si falsa sint, sunt etiam absurda; si vera, necessaria. At quæ dicuntur per adiectiua verba de diuersis generalissimis, omnia fortuita, Græci euidentiùs ἐνδεχόμενα voant, vt homo est albus, homo sedet, id est, homo habet albedinem, homo est sedens, id est, habet eum accubandi modum. At si dicat albedo est sedens, aut homo habet substantiam, pariter vtraque adiectiuo verbo conflata, absurda est, & etiam insueta. At cùm inferius de superiore dicitur, vt animal est homo, vera est, media autem inter necessariam & non necessariam, quoniam incongrua est. Euidens autem est vel sensu vel ratione ipsa. Simplex cum neutro, & velut falsum necessarium, ἄτοπον est, ita falsum euidenter παράδοξον, seu incredibile. Verùm euidens siue sit, siue non, ad scientiam multum haud refert. In rebus autem ipsis sunt, verum necessarium, & fortuitum; mens fingit falsum & absurdum, nihil enim tale est in vniuerso. Euidens & obscurum, seu simplex, mens rursus facit, sed originem ducit à rebus. Orationum autem duo sunt genera, simplex & compositum. Composita est vel per coniunctionem, vt homo est animal, & homo est corpus: Per disiunctionem vt homo est animal, vel, aut homo est corpus, per coniunctionem si: vt si est homo, est animal. Coniuncta verò dicit vtramque partem veram esse: Disiuncta alteram: quæ conditione constat neutram, sed vt ex priore posterior sequatur. Vt si asinus volat, habet alas, vera est: & hæc falsa, si homo est animal, homo rationalis est. Quædam veræ quæ falsæ esse creduntur: vt si trigonus habet tres angulos duobus rectis æquales, exterior est æqualis duobus interioribus sibi oppositis.

Axiomata autem quædam sunt generalia, quædam propria. Generalia sunt de quolibet dici, esse vel non esse, de nullo hæc ambo dici: si aliquid alicui idem sit, id cui idem est, eidem quod idem ei fuit, idem erit: vt si a sit b, erit b, idem a. Propria, velut totum esse maius parte in quantitatibus, numerum in infinitum procedere: quæ originem habent in naturalibus, ab aliqua causa vel causis ortum habere. Sunt & in hoc genere quasi diffinitiones constructionis natura, vt in Parabole.

Verum igitur ex vero considerari haud dubium est: cur autem non ex vero falsum ex falso verum nonnunquam sequi necesse sit, nunc ostendere oportet. Si falsum ex vero considerari posset, cum verum sit, & falsum esse necesse esset. At diximus falsum non esse, quoniam

quoniam eſt ſolius mentis opus. Et ſi eſſet non eſſet falſum, ſed verum. At ex falſo ſequitur falſum, velut, ſi homo eſt aſinus ratione caret. At ex hac, vt viſum eſt, ſequitur disiuncta, homo ratione caret, vel non caret: at ex his ſequitur commune, ſcilicet animal, gratiâ exempli: ſi enim aliquid eſt rationale animal, vel non rationale animal, eſt neceſſariò animal: quia animal comprehendit vtrunque: at ſi eſt animal, hoc verum eſt: quia ſequitur ex hac, homo eſt rationale, quæ vera eſt: igitur ex primo, homo eſt aſinus, poteſt ſequi homo eſt animal: quod verum eſt.

Quæ autem conſiderantur, vno è tribus modis conſiderari neceſſe eſt. Aut enim ex coniunctis, vt natura orationum, inuentione, collocatione, conuerſione: Aut ex alienis, Syllogiſmo ſiquidem: aut ex contrariis: ſuis ſcilicet, aut illis quæ ſequuntur.

Collocantur igitur in figura orationes quadrifatiam. Speciales ſub generalibus ſuis ordinatæ, aliis verò repugnantes. Generales inter ſe aduerſæ. Speciales inter ſe aduerſis contrariæ.

Aduerſæ

Omne a eſt b. Nullum a eſt b.

Ordinatæ — Repugnantes — Repugnantes — Ordinatæ

Aliquod a eſt b. Aliquod a non eſt b.

Aduerſis contrariæ.

Sequelæ igitur euidentis tria ſunt genera: primum ex collocatione: nam in repugnantibus ſi vna vera eſt, alia eſt falſa: ſi vna falſa, alia vera eſt. In ordinatis, ſi vniuerſalis vera eſt, ſpecialis eſt vera: & ſi ſpecialis eſt falſa, generalis falſa eſt: non tamen ſi generalis falſa eſt, ſpecialem falſam eſſe neceſſe eſt: nec ſi ſpecialis vera eſt, generalis vera erit neceſſariò. In aduerſis autem ſi vna vera eſt, reliqua eſt falſa: non tamen ſi vna falſa eſt, reliquam veram eſſe neceſſe eſt. In contrariis autem aduerſis, contrario modo etiam ſe habent; nam ſi vna eſt falſa reliquam veram eſſe neceſſe eſt: non tamen ſi vna eſt vera, reliqua neceſſariò eſt falſa. Secundum genus ex conuerſione pendet, vt quæ ſpecialis eſt conuertatur in ſpecialem, & ſimplex in ſimplicem. Sit aliquod a idem cum b, erit aliquod b, a, idem quod a, nam ſi quod a, eſt b, ſit igitur hoc a huic b idem: quare ex tertio axiomate generali erit hoc b, idem huic a, igitur aliquod b, idem alicui a. Et ſi nullum a, ſit b, nullum b, erit a, aliter ex repugnantibus ſit aliquod b, idem quod a, igitur per præcedentem erit aliquod a, idem quod b, igitur ex repugnantibus falſa fuit, nullum a, eſt b. Quod ſi omne a, eſt b, erit aliquod b, idem quod a: nam ex ordinatis ſi omne a, eſt b, aliquod a, eſt b, igitur ex deriuato primo modo aliquod b, erit a. Et in naturalibus ac Mathematicis in tertio modo dicendi per ſe valet ſpeciali ad generalem in qua dicit de ſuperlatiuo. Vt pituita acida eſt frigidiſſima, igitur omnis pituita frigidiſſima eſt acida. Et hoc quia ex oratione per ſe tertij modi ſequitur ſuperlatiua. Cúmque ſuperlatiua ſit de proprio & indiuiduo & maximè in naturalibus, & Mathematicis, hæc autem ex ſimili in ſimilem, patet propoſitum. Tertium genus eſt ex natura orationum, quæ vel æquiualent vel à toto ad partem, vel à parte ad totum, vel ipſa propria qualitate. Æquiualent ſubiuncta & generalis: Si homo eſt, animal eſt, igitur omnis homo eſt animal. Et ſi omnis homo eſt animal, ſi homo eſt, animal eſt. Hoc quidem cùm ſunt, non in cauſis intelligitur: vt ſi aſtra ſunt, cœlum eſt, ergo aſtra ſunt cœlum, verum non eſt. Et ſpecialis æquiualet ſimplici, & ſimplex ſpeciali. Et quæ de aliquo eſt ſpeciali, Socrates eſt ſapiens, ergo aliquis homo eſt ſapiens. Et generalis, quæ tam in his de quibus dicitur, quam in verbo ſunt oppoſitæ. Vt omnis homo ſentit, nullus homo non ſentit, & in his quæ dicuntur nullus homo eſt non animal, omnis homo eſt animal. Ex propria qualitate ſubiuncta ſi verum ſit quod ſupponitur verum eſt quod ſequitur: ſi homo eſt, animal eſt: ſed homo eſt ergo animal eſt. Ex parte ad totum in disiuncta: à toto ad partem in coniuncta. Item à perfecta ad imperfectam, homo eſt animal, igitur homo eſt. Et à ſimplici & ſpeciali vel de proprio ſeu aliquo nominatim ad generalem in neceſſariis valet argumentum. Vt hæc ſtella, lucet, igitur omnis ſtella, ſed talium rarus vſus in ſcientiis. Inuentionis autem quatuor ſunt genera; ad vniuerſale, ad proprium, ad cauſam, & ad effectum. Ad vniuerſale quidem ex ſingulis ſub illo contentis. Verum ſingula aſſumere non licet, infinita enim ſunt: adiecta ergo generali ratione tranſit in generalem. Hoc autem lumine quodam naturali, & axiomate certo conſtat, velut hoc trigonum habet tres angulos duobus rectis æquales quia angulus exterior duobus oppoſitis interioribus eſt æqualis: igitur cum ratio ipſa generalis ſit in omnibus, omne trigonum tres angulos habebit duobus rectis æquales. Vnde natura noſtra infinita dignoſcitur quæ ex vno infinita poteſtate comprehendit. Alius facilior modus deſiderandi: ſumpta ſpeciali quæ repugnat generali & ea falſa demonſtrata ſequitur generalem propoſitam eſſe veram. Velut dico omne triangulum eſſe huiuſmodi: ſi non repugnans, ergo erit vera aliquod triangulum non eſt huiuſmodi. Sit igitur illud a, confeſtim adduco demonſtrationem quæ oſtendit hoc eſſe huiuſmodi, falſa igitur fuit repugnans tua & vera quæ propoſita eſt. Et ita vides quomodo artificiosè ex hac ſpeciali hoc triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis, tranſeo ad id de omni triangulo. In his autem quæ ſenſu percipiuntur velut quod homo ſit rationabilis trifariam conſiſtit. vis vniuerſalis, & quoniam nullus alius inuenitur: ſed id non adeò firmum, & obſeruationibus aliorum ac teſtimoniis veterum indiget. Vnde bene dixit Ariſtoteles quod ex multis experimentis experientia fit, & ex experientiis pluribus ars. Sed & ratio qua homo talis eſt: animam enim habere diuinam & mentem vel ex vno homine dignoſcitur. Ex his

tribus concludimus omnem hominem esse rationabilem. At non velut in Mathematicis causa perspecta est, ideò naturales omnes orationes dubitationis aliquid continent, nec securam generant scientiam. sed qualis apud mortales haberi potest. Habetur autem vt in plutibus, atque diuturnitate temporis confirmatur, quod in Mathematicis non contingit. In mediis autem velut Astrologia aliquo modo: sicut quoniam huiusmodi est processus, mensura autem non, ob id temporum successu errores corriguntur. Linea enim æqualis motus Solis media est inter Lineam æqualis motus Lunæ & eius apogei, atque id exquisitè, ipse autem motus horum haud exquisitus. Verum & horum & naturalium genij scientiam habent: an verò dæmones, alibi dicetur. Id satis nunc animam nostram vt ad hanc artem comparatur immortalem videri, quoniam infinita & ad Mathematica etiam, sed minus: minimè autem ad ea quæ natura constant: materia enim materiæ comprehensionem impedit.

Ad proprium autem ex vniuersali cum vniuersales omnes differentias constituerimus easque nec plures sub illo comprehendi desiderauerimus vnaque ratione tunc licebit trifariam considerare, vel de singulis vel de vno cum reliqua membra exceperimus, vel de ipso vniuersali. Velut in vigesima quarta primi elementorum Euclidis, seu linea quæ subducitur æquicruriis cum æquali angulo superiore cadat supra basim prioris trianguli, seu infra, seu in eandem, idem sequitur. At de vno, vt cum membrum principale consideramus esse cor, quoniam reliqua non sunt, non enim confestim bis sublatis moritur animal. Videtur autem vtilissimus in bis quæ non adeò firma consideratione constant. De ipso autem vniuersali ex his quæ sub eo continentur, velut in xxxv. tertij elementorum, dum per singulas species diuisionis duarum linearum intra circulum se intersecantium generalis oratio demonstratur. Generaliter autem specialis & simplex oratio parum vtiles sunt ad demonstrationes: seu vniuersalem propositum sit demonstrare, seu propriam siue de aliquo nominatim.

Ab effectu supra causam, velut Eclipsis est, igitur terra interponitur inter Solem & Lunam. Huiusmodi autem est frequens in naturalibus. Vnde illud, ob admirationem cœperunt philosophari.

A causa supra effectum, inuenta causa Eclipsis, quæ est interpositio terræ inter Solem & Lunam, dum cognoscimus terram interponi, cognoscimus etiam Lunam Eclipsim pati. Perfectus autem demonstrandi modus ex duabus orationibus constat quæ tres continent dictiones quas terminos vocamus. Cum verò maior fides non possit esse in conclusione quàm in duabus assumptis orationibus si altera assumptarum falsa fuerit, veram esse conclusionem non est necessarium. Si altera probabilis fiet conclusio probabilis syllogismusque [illegible] vocatur, si vtraque necessaria [illegible], seu demonstratio de qua præcipuè est consideratio. Est autem ex primis ac notioribus ac definitione quæ optima est definitio aut ex genere & ex equali differentia. Si materia orationum negligatur erit solum [illegible], sic enim vocatur constructio illa trium orationum ordinata. Quod si non ex assumptis conclusio dicitur Elencticus, Hypoteticus: vt si tu es homo tu es animal, sed tu es homo, igitur tu es animal, qui vt dixi pars est primi modi ex euidentibus. Cornutus autem seu Chrysippeus est cum ex vtraque repugnantium idem deducitur, vt in septima primi Elementorum Euclidis, seu enim se secent lineæ seu non secent, ex vtroque sequitur partem esse maiorem toto. Verùm & hic demonstratiuus esse potest, vt Hypotheticus, & qui ad absurdum deducit. Erunt ergo genera syllogismorum octo & quatuor differentiæ. Prima à substantia bonus & corruptus elencticus. Bonus autem diuiditur ex assumptis in simplicem Hypotheticum & Cornutum. Ex forma directus & reflexus qui ad absurdum primo tendit à materia vel nulla & tum vocatur Syllogismus, vel probabilis vel necessaria vel falsa, cuius vsus est ad exercitationem falsarum suppositionum. De bono igitur & simplici primo agendum est. Ratio ergo quæ ex duabus conflatur orationibus eo fit quoniam in prima terminus vnus qui & maior, iungitur medio: In secunda autem idem medium alteri termino qui & dicitur minor iungitur, quo fit vt eo medio quasi vinculo iuncti termini in conclusione maior terminus de minore dicatur. At verò vt hoc rectè cedat quatuor sunt necessaria, Primum vt altera orationum assumptarum saltem generalis sit: Secundum vt earundem etiam altera affirmet, tametsi non sit necesse vt eadem quæ generalis sit affirmet: Tertium vt verbo substantiuo constent: Quartum vt quod dicitur & de quo dicitur, ambo in recto sint nominandi casu. Palam autem est quod tametsi hæc sufficiant ad concludendum, quia tamen verum nonnisi ex vero necessario, & generaliter deducitur, quod oportet ambas orationes quæ præmittuntur veras esse, si veram esse conclusionem considerare voluerimus. Sed hic non de materia agitur, sed de forma tantum. Quintum ergo commune est quod conclusio semper imbecillorem orationem ex præmissis sequitur: est autem specialis imbecillior generali & quæ negat ea quæ affirmat. Quocirca si inter præcedentes duas orationes vna fuerit negans & vna specialis erit conclusio ipsa specialis negans: Sextum quod maior fides non potest esse in conclusione quam in præmissis. Oportet igitur si conclusio verisimilis debeat esse vt vtraque præmissarum verisimilis sit aut verisimili melior, id est, vera: & si conclusio vera esse debet vt orationes ambæ quæ præmittuntur veræ sint aut veris meliores, id est, euidentes & necessariæ. Et si debeat esse euidens vt sint ambæ orationes quæ præmittuntur euidentes vel meliores, id est, necessariæ. Et si necessaria ambæ necessariæ. Atque id assumptarum solum ratione, nam aliis ex causis nil prohibet conclusionem esse euidentiorem assumptis. Oportet autem terminos non solum non esse Homonymos, sed neque Paronymos. Et orationes non esse disiunctas.

Figuræ igitur quatuor sunt necessario (quoniam

(quoniam in omnibus commune est vt maior terminus de minore dicatur in conclusione) in prima maior terminus & medius de minore in præmissis: in secunda autem minor terminus de medio & medius de maiore. Vnde Aristoteles cum constituat maiorem terminum qui de medio dicitur coactus solum tres figuras ponere, secundam omittendo illiusque modos ad primam figuram transfert sed conuersos, quoniam à præmissis maiorem terminum definit. Galenus autem maiorem terminum generali magis ratione accipit & stabili qui conclusione dicitur minorem de quo dicitur (vt hoc discrimen inter illos solo nomine constet) manifestum est constitutis ex conclusione maiore semper termino qui dicitur & minore de quo dicitur statim subsilire quatuor figuras: Primam in qua medium subiicitur maiori termino & dicitur de minore: Secundam in qua medius terminus subiicitur minori & dicitur de maiore: Tertiam in qua medius terminus de maiore & minore dicitur: Quartam in qua medius terminus maiori & minori subiicitur. Maior oratio dicitur iam qua maior terminus: minor oratio in qua minor terminus medioco pulantur quomodouis. Ex quo patet quod nihil refert quænam antepooatur ex præmissis:non enim maior est oratio quæ anteponitur, sed in qua quod in conclusione dicitur medio termino copulatur. Et scias quod medius terminus nunquàm potest, remoueri ab vtroque extremo: ideò qui est remotus ab vtroque extremo in syllogismo ex veris non potest esse medius.

Primæ igitur figuræ propria sunt, maiorem vt dixi terminum dici de medio, medium de minore. Maiorem orationem non posse esse specialem. Tertium minorem non posse esse negantem. Quartum generalem affirmatiuam posse io ea concludi. Primæ & secundæ figuræ commune est nec maiorem nec minorem posse esse specialem negantem. Primæ & tertiæ posse concludi generalem negantem. Secundæ autem, vt dixi, in præmissis minorem terminum de medio, medium dici de maiore. Secundum quod in ea concluduntur tria genera orationum, quod nulli alij contingit quia in prima omne genus, in tertia duo genera negantium, in quarta duo genera specialium: ergo secunda est quasi composita ex tertia & quarta. Tertiæ figuræ proprium est medium terminum dici tam de maiore quam de minore, conclusionem semper esse negantem: tertium maiorem semper esse generalem. Quartæ medium terminum subiici maiori & minori, non concludi nisi specialem, minorem semper affirmare.

Quod si quis dicat, quoniam maior & minor terminus non dignoscuntur ex eo quod dicuntur neque ante conclusionem quomodo ex præmissis cognoscam conclusionem & figuram? Respondeo quod io quarta figura cognoscam: quia quæ affirmat erit minor, si ergo alia neget cum semper maior terminos dicatur de minore terminos in ea quàm affirmat qui de medio dicitur is erit de quo dicetur in conclusione is qui de medio in negante. Sed si secunda affirmet licebit quam velis constituere pro maiore, & ita poterunt concludi duæ orationes speciales quæ affirmabunt. In tertia figura generalis semper est maior: si ergo alia sit specialis de eo de quo dicitur medius terminus in secunda oratione, dicetur terminus in prima qui subiicitur. Si autem secunda oratio sit & ipsa generalis, licentur vtrouis modo termini qui subiiciuntur & poterunt concludi duæ orationes generales quæ negabunt. In secunda autem & prima figura quia connectuntur si ambæ orationes affirmant generaliter, si velis concludere quod dicitur, de eo de quo dicitur, poteris generaliter concludere & fiet prima figura: si de quo dicitur de eo quod dicitur: fiet conclusio specialis, & in secunda figura. Si vna fuerit generalis negās, alia generalis quæ affirmet, tunc in negante si medius terminus subiicitur poterit fieri syllogismus in prima figura per conclusionem generalem negantem in qua terminus qui dicitur de medio in negante, dicetur de minore in ea quæ affirmat, vel in secunda figura contrario modo. Sed si in negante medius terminus dicatur de reliquo non fiet syllogismus nisi in secunda figura & concludetur specialis negans. Idem dico si secunda oratio quæ affirmat esset specialis, concluditur solum in secunda figura quia io prima noo potest minor esse negans nec maior specialis. Ideo syllogismus quem vocant Frisesomorum dupliciter repugnat primæ figuræ & ratione maioris specialis, & minoris negantis. Quod si ambæ orationes affirment & vna sit generalis & alia specialis simili modo si in generali medius terminos subiiciatur, poterit fieri syllogismus tam in prima quam in secunda figura, sed conclusiones erunt conuersæ. Sunt ergo in prima figura quatuor modi, quinque in secunda, quatuor rursus in tertia, sex in quarta. Et comprehenduntur his quatuor carminibus.

1. *Barbara Celarent Darij Ferio*
2. *Baralipton Celantes Dabitis Fapesmo Frisesomorum.*
3. *Cesare Camestres Festino Baroxo*
4. *Darapti Felapton Disamis Datisi Broxardo Ferison.*

In his quatuor carminibus sunt tres ordines literarum primus est, A. E. I. O. Secundus, B. C. D. F. Tertius est, S. P. M. X. Primi ordinis A Generalem quæ affirmat: E Generalem quæ negat: I Specialem quæ affirmat: O Specialem quæ negat. Sunt ergo tres vocales in vnaquaque dictione, præter quàm io Frisesomorum vbi orum abundat, & ton in Baralipton: in cæteris primæ duæ secundum ordinem vocales ostendunt duas præmissas: tertia conclusionem secundi ordinis significat quod debet reduci ad modum primæ figuræ eiusdem literæ vt Fapesmo ad Ferio & Baroxo & Broxardo ad Barbara. Nam licet omnes syllogismi concludant, non tamen sunt euidentes nisi qui sunt primæ figuræ. Et ideò oportet reducere alios quindecim ad illos deductione necessaria. Sequitur ergo quod si deducuntur necessario, & hi ad quos deducuntur concludunt, quod etiam illi qui sunt deducti. Tertius verò declarat modum deducendi. In his ergo S. Significat conuersio

conuersionem simplicem, id est, generalis negantis in generalem negantem & specialis quæ affirmat io sui consimilem. P. ostendit conuersionem generalis in contrariam specialem: vt deriuatum est supra in ordinatis. Et similiter generalis negans, simpliciter conuertitur & ex generali negante sequitur specialis, igitur generalis negans conuertitur in specialem quæ negat. M significat transponendas orationes loco, vt ex cooclusione fiat maior aut ex maiore minor oratio. X autem declarat quod debemus accipere repugnantem conclusioni, & cum reliqua oratione, concludemus repugnantem suppositæ alteri orationi.

Exemplum in Baralipton si assumantur eædem orationes, concluditur in Barbara quod omnis homo est corpus: sed ex hac omnis homo est corpus sequitur, vt dictum est, aliquis homo est corpus: & ex hac rursus aliquod corpus est homo: igitur Baralipton ex Barbara consideratur per P.

Baralipton Barbara.

Omne animal est corpus
Omnis homo est animal
Ergo aliquod corpus est homo.
Omne animal est corpus
Omnis animal est animal
Ergo omnis homo est corpus.

In Fapesmo post maiorem est P. igitur accipiemus loco omne animal est corpus, aliquod corpus est animal, conuertitur & loco huius, nulla planta est animal, propter S. accipiemus conuersam simpliciter, nullum animal est planta & ptopter M. faciemus ex minore maiorem & coofestim sequitur in Ferio eadem conclusio, scilicet aliquod corpus non est planta. Ergo ex assumptis in Fapesmo sequiotur orationes ex quibus in Ferio sequitur intenta conclusio.

Aliquod corpus non est planta.



Aliquod corpus est animal, Nullum ánimal est planta, omne animal est corpus. Nulla planta est animal, vt facilior esset intellectus huius reductionis, & exposita res pateret ante oculos iconem huiusmodi exposui. Ex præmissis enim præmissæ sequuntur, ex illis conclusio.

In Baroxo ob x. accipiemus repugnantem conclusioni scilicet omne corpus est homo, & sequitur cum maiore repugnans minori orationi. Si igitur conclusio vera non fuit oportuit repugnantem esse veram quæ cum maior: conclusit repugnantem minori: minor igitur falsa fuit & non vera vt dictum erat. Similiter & in Broxardo accipiemus repugnantem conclusioni & cum minore in Barbara ostendemus repugnantem maiori, igitur assumpta non fuit vera.

Baroxo Barbara.

Omnis homo est animal
Aliquod corpus non est animal
Ergo aliquod corpus non est homo.
Omnis homo est animal.
Omne corpus est homo
Ergo omne corpus est animal.

Broxardo Barbara.

Aliquod animal non est asinus.
Omne animal est corpus
Ergo aliquod corpus non est asinus.
Omne animal est corpus
Omne corpus est asinus
Ergo omne animal est asinus.

Pro his deductionibus leguntur hæc duo carminal.

Simpliciter verti vult S.P. vero per acci.
M. vult transponi, X. per impossibile duci:

Harum figurarum prima nobilissima est, maximè enim facit scire, vt inquit Aristoteles, & in ea præcipuè primus modus.

Contingunt tamen captiones pluribus modis si quis non sit oculatus. In Hypotheticis quidem omnis homo vel asinus est asinus, Socrates est homo vel asinus igitur Socrates est asinus. Vtraque assumptarum vera est: quoniam vtraque disiuncta cuius vna pars est vera. Sed suot disiunctæ, nec constituunt syllogismum. Rursus ex simplicibus orationibus in celarent: Nulla glacies est calidior lapide, omnis ignis est calidior glacie, igitur oullus ignis est calidior lapide. Deest quarta conditio: & in eodem nullus rudens differt ab asino, omnis homo differt à rudente, igitur nullus homo differt ab asino. Deest tertia conditio. Infinitus autem terminus non vitiat syllogismum. Omnis homo est animal, non asinus est homo, igitur non asinus est animal. Sed locum obtinet eius orationis quæ affirmat: & similiter cum oratio vna sensum habet simplicem alia iuxta esse. Vt omne immortale viuens: quod est hic iotelligitur, nullus intellectus est immortale viuens quod est bic: Igitur in Fapesmo aliquid quod intelligit non est intellectus, vera enim est si sub duobus sensibus, accipiatur: id est. Aliquid quod potest intelligere non est intellectus quia non est. Tertius demonstrandi modus cum deducimus eum qui nobis contradicit ad absurdum. Contingit autem boc quadrupliciter: vel ad contraria principiis, vel demonstrantis iam, vel suppositis, aut his quæ ex eis sequuntur. At absurdum vel falsum simpliciter demonstrari oon posse superius docuimus, cum falsum etiam ex veris sequi necessariu possit, idque etiam in primo modo primæ figuræ. Verum tripliciter hoc contingit vel quia verum demonstratur ei autem repugnans falsum est: demonstramus igitur falsum falsum esse. Sed hoc proposito non conducit: qui volumus per id falsum quod falsum esse constat veram docere esse repugnantem. Secundus modus vt si maior ex toto falsa sit minor autem vera, semper io duobus primis modis falsa conclusio sequetur. Nam si falsa sit omnino a, est b, ve a, erit nullum a, est b, ei aduersa: si igitur subiicitur vera omne c, est a, erit vera omne c, non est b: falsa igitur omne c, est b, igitur falsum concluditur. Et si falsa est omnino nullum a, est b, vera erit aduersa omne a, est b, si igitur subiiciatur ei

ei, omne e, est a, sequetur nullum e, est b, vera, falsa igitur erit nullum c, est b: quæ sequebatur ex maiore falsa & minore vera. Sed si maior non sit ex toto falsa in neutro sequetur: vt si dicamus omne animal est asinus, supposita minore vera non sequetur necessario conclusio falsa. Vt nec si maior sit vera & minor falsa quamuis ex toto nihil sequetur necessariu necesse verum nec falsum. Sed cum oratio in qua generale dicitur de aliquo æquiualeat vniuersali, vt Socrates est homo vel hic est homo, æquiualent eis, omnis Socrates est homo, & omnis hic est homo: igitur proposita maiore ex toto falsa, & minore vera, & ambabus vniuersalibus, vel de aliquo, seu de hoc vno, seu altera vno modo, reliqua alio modo, ex his sequitur conclusio falsa. Exemplum autem cum maior non est ex tota falsa sed in parte, est: velut nullum intelligens est immortale, anima omnis humana est intelligens, igitur nulla anima humana est immortalis: hæc igitur falsa est, quoniam maior est de toto & falsa. Sed eandem patitur difficultatem: cum non sit maior de toto. Tertius modus est cum maior est vera, atque ita vt vel conuertatur generaliter in Barbara, vel Darij, vbi vtraque est generalis quæ affirmat: vel in quibuscunque variatur, de quo dicitur variatur, & quod dicitur, tunc minor si sit falsa, in eo genere in quo accidit, illa varietas, conclusio erit falsa necessario. Velut sit de quo dicitur in maiore a, b, c: & repugnantes partibus d, e, f: & dicatur de a, b, c, g, h, singillatim, quibus repugnent K, l, & ex quibusuis duobus a, b, c, cum repugnante tertio sequantur K, l, & affirmatur vt minor terminus, de quo a, b, c, falso dicatur secundum vnum illorum tantum: dico quod conclusio erit falsa. Dicatur ergo a, b, c, de m, falsu, quia c, non dicitur de m, igitur dicetur a, b, f, de m: sed de a, b, f, omni, dicuntur; K, l, igitur K, l, vere dicuntur de m: at g, h, repugnant K, l, igitur per secundum axioma g, h, falso dicuntur de m, sed g, h, dicuntur de m; supposito quod a, b, c, dicantur de m, igitur supposita minore falsa, erit conclusio falsa. Atque hic est modus quo Geometræ vtuntur demonstratione ad absurdum. Velut in quarta primi Elementorum, trigoni, qui habent vnum angulum vni angulo æqualem, & duo latera æquales angulos continentia æqualia; habent singulos angulos supra basim, & bases & ipsi adinuicem æquales. Etsi vel angulus inter duo latera æqualia, vel latus vnum continens angulum æqualem, cum latera æquali fuerit inæquale; erunt trianguli bases, & anguli supra illas inæquales: igitur proposito triangulo habente duo e, tribus æqualia, & tertium inæquale, si illud supponatur æquale sequetur triangula bases, & angulos supra eas inter se æqualia falso esse. Sed si plura assumantur inæqualia, non sequitur falsum, quia reliqua non est necesse esse inæqualia. Ex duabus autem falsis non est necessarium sequi nec verum nec falsum: vt huic: nullum animal est planta, si subiciatur omnis quercus est animal, & omnis lapis est animal, sequetur verum & falsum.

Si igitur volumus falsum ostendere, necesse est vnam tantum veram alteram falsam assumere, nam ex veris falsum non potest deduci: ex duabus falsis falsum necessario, vt nuper ostendi, deduci non potest, & tunc si maiorem constituerimus falsam, oportebit vt syllogismus sit in Barbara vel Celarent, & sit illa in toto falsa, scilicet vt aduersa sit vera. Si verò maiorem veram constituerimus, oportebit vt sit in Barbara vel Darij, quia in Celarent accepta aduersa, vel repugnante minori quæ falsa supponitur, fierent ambæ præmissæ negantes, ideò nihil concluderet syllogismus: & ita quod minor ea in parte falsa sit in qua necesse esset vt maior esset huiusmodi, si vera esse deberet. Vt si dicam, omnis homo est animal, aliqua planta est homo: nam hæc est falsa in eo quod planta est insensibilis, homo autem est animal, si sensibile auferatur ab homine, falsa est.

Causa autem cur euidentior sit falsitas in conclusione quam in præmissis, & repugnantia, manifesta est, quod cum conclusio non possit præmissis esse euidentior vt dictum est, necesse est vt si conuertantur iuxta data præcepta vt ex hoc axiomate quod nunc proponetur, detegatur absurditas.

Est autem axioma, si plura de pluribus, singula de singulis dicantur, & totum quod ea continet de toto, atque versa vice: aut idem sit dicentur & illa conuerso modo. Velut rationale de homine omni dicitur, & irrationale de non homine omni, & ambo sub animali continentur, rationale & irrationale, & homo & non homo, animal igitur homo dicetur de omni rationali, & non homo de omni irrationali. Et similiter apud Euclidem in primo Elementorum: si quod triangulum habet latera æqualia habet & angulos, & si maius latus, angulus oppositus maior erit, & si minus minor. Et omnis trianguli laterum vnum est æquale alteri maius aut minus, & angulus similiter æqualis maior aut minor; igitur omnis trianguli æqualia latera opponuntur æqualibus angulis: & maius latus maiori angulo, & minus minori. Et quanquam fit cum negatione: velut in sexta primi Elementorum Euclidis; Ducitur enim linea à puncto lateris resecti ad angulum oppositum lateri, fiétque angulus ille pars prioris, igitur minor eo quare & reliquo supra basim qui fuit toti æqualis; ex quarta autem proportione probatur quod oportet eos esse æquales, igitur detegitur repugnantia ex priore negociatione. Hoc ergo non est mirum aliunde sumpto principio detegi absurditatem. Reliquum est, vt ostendamus quare facilius demonstremus absurditatem oppositi axiomatis propositi quam illius necessitatem.

Propositione 18. & 19.

Est autem aliud axioma per se clarum, quæcunque sunt eodem etiam dicuntur, verè vnum de altero, de omni si in omni, & de parte, si in parte. Et quæcunque dicuntur verè eodem modo etiam sunt, aliter non verè dicerentur. Si igitur rationale dicitur de omni homine & irrationale de omni animali non homine, & ponatur quod homo non dicatur de omni rationali, & sit illud de quo non dicitur chimera, ergo chimera non est homo, cum ergo sit animal erit non homo: non homo igitur aliquod est chimera, ergo non homo

homo aliquod est rationale, quia chimera erat ratione: igitur non homo aliquod non est irrationale, ex secundo principio, igitur irrationale non dicitur de omni eo animali quod est non homo, quod est contrasuppositum, Iam vides rationem repugnantiæ, sed nondum liquet cur facilius hoc sic desideratur quàm rectè, liquebit ergo si demonstrauerimus rectè sic, omnis homo est rationalis & omne non homo est irrationale: igitur ex secundo principio, nullus homo est irrationalis, & nullum non homo est rationale: igitur conuertendo nullum irrationale est homo & nullum rationale est non homo. Si igitur nullum ratione est non homo ex primo principio, omne rationale est homo, quia vt dictum est, continentur pariter omnia sub animali: & pariter, si nullum irrationale est homo, omne irrationale est non homo, ex eodem primo principio. Ergo quæ demonstrari possunt, deducendo ad absurdum sine negociatione quibusdam suppositis axiomatibus etiā simpliciter demonstrari possunt, sed longiore circuitu. Sit ergo demonstratum in triangulo a,b,c, quod si latus a,b, sit æquale lateri a, c, quod angulus c, est æqualis angulo b, & si maius maior, & si minus minor, dico quod si angulus c, erit æqualis angulo b, quod latus a, b, erit æquale lateri a, c, etsi maius maior & si minor minus. Proponam æquale & inæquale primo quia ergo si a, b est æquale a c, c, est æqualis b, igitur si a,b, est æquale a c,c, non est inæqualis b, & ideò cum b, est inæqualis c, a,b, non est æquale a, c, igitur sunt inæqualiā. Inde proposito b, maiore c, dicemus si a, c, est maius a, b, h, est maior c, ergo neque æqualis



neque minor. Cum igitur b, non est æqualis neque minor c, non est a, c, minor nec æquale a, b, igitur erit maius. Si igitur b, est maius c, a, c, est maius a, b, quod erat demonstrādum. Sed si negociatio sit necessariā & sint b, & c, æquales, vt in sexta primi elementorum Euclidis non licebit abesse inæquale a, c, nam ex quocunque puncto ducatur b,d, fiet angulus d,b,c, minor a,b,c, quare a, c, b, cum ergo si duo anguli b, & c, sint æquales & b, c, communis si b,a, posset esse æquale c, d, anguli d, c, b, & d, b, c, essent æquales, at non possunt esse æquales, igitur a, c, non potest esse maius nec minus a, b, igitur est illi æqualis. Hoc autem constat ex negante consequens ad negantem antecedens, quod paulò post demonstrabimus deducere ad syllogismum perfectum.

Sed si vellemus deducere syllogismum ad impossibile ad syllogismum simplicem seu rectum, accipiemus oppositum conclusionis & præmissam veram, & formabimus syllogismum, ex quo sequetur opposita præmissæ falsæ. Iam verò diximus quomodo demonstratur Barbara, & Celarent cum maiore falsa & minore vera, sed Barbara, & Darij cum maiore vera & minore falsa, igitur in primis modis accipiemus minorem. Veluti omne b, est c, omne a, est b, igitur omne a, est c. Sumemus aliquod a, non est c, omne a, est b, igitur in Bocardo aliquod b, non est c, repugnans maiori. Et similiter si falsa sit aliquod a est b, sumemus oppositum conclusionis scilicet nullum a, est c, quod erit verum & ei adiiciemus omne b, est c, maiorem scilicet, & concludemus in camestres nullum a, est b.

At ex ambobus repugnantibus præmissis eius syllogismi qui concludit, nunquam fit syllogismus necessario. Ex vna tantum non fit nec in prima nec in tertia figura. In prima quidem fiet specialis si repugnet maiori, & negans si minori, at isto nihil concluditur in eadem figura: sed in secunda nil prohibet vt in Frisesomorum. In tertia verò nec in ea nec alibi, quoniam vel fient ambæ negantes, quę nullibi efficiunt syllogismum, vel ambæ affirmabunt, quæ in ea figura non efficiunt syllogismum, in alia autem non sunt ordinatæ; in aliis potest. Imperfecta verò demonstrandi ratio fit vocato Enthymemate, cum altera præmissarum subticetur. Dignoscitur ex conclusione & præmissa quæ adducta est: an suppressa sit Maior, Minor, Generalis, Specialis, quæ affirmet aut neget, & in qua figura ac modo: Terminos enim in præmissa qui in conclusione non inuenitur medius est, quem iunges alteri qui in conclusione est, non in præmissa, habebisque alteram præmissam. Quartus modus fit cum negando consequens eius quæ est sub conditione, quæ affirmat, sequitur negans de antecedente. Velut si esset sapiens esset bonus, sed non est bonus, ergo non est sapiens. Et similiter, si non est bonus, non est sapiens, sed est sapiens, ergo etiam bonus. Demonstremus autem hoc. Nullus bonus est homo, nam nullus homo est bonus: omnis sapiens est bonus: æquiualet enim igitur nullus sapiens est homo, igitur nullus homo est sapiens. Quod autem dixi de omni homine, palam docuimus de orationibus intelligi debere, in quibus id de quo dicitur, est vnum aliquid.

Captiones autem secundum Aristotelem tredecim sunt, septem in re, sex in verbis. In re, per accidens vt si differo à te, tu medicus es, differo à medico. Simpliciter & non simpliciter: mali norunt decipere, igitur mali sunt sapientes. Ignorantia Elenchi est autem Elenchus comprehensio, sed accipitur pro reprehensione. Velut Galenus fuit bonus expositor Epidemiorum, & malus Aphorismorum, igitur fuit bonus, & malus expositor. Consequentis fallacia: quod factum est habet principium, mundus non est factus, igitur mundus non habet principium. Petitio principij: quod seipsum mouet est immortale, anima seipsam mouet: igitur anima est immortalis. Causa quæ causa non est erroris, cum admittimus falsam orationem & veram negamus. Et cum plures fiunt simul interrogationes: vt intellectus, an expertes materiæ? quidam enim sic quidam non. In verbo, Homonymia, accentu, compositione, diuisione, ambiguitate, significatio totius orationis, ac specie significandi, velut ius carnis decoctum & quod iustè debetur. Apponam autem aliqua exempla præcipua, vita per animam consistit, vita in mortem transire non potest, nec igitur anima

Platonis

Platonis est. Aliud eiusdem, mors est contraria ortoi & vitæ, igitur ortus & vita vnum sunt, animus non est vita, ergo animus non oritur. Illud etiam Heitisberi famnsum: Falsum dico; sic dissoluitur, æquiualet huic: falsum dico, cum falsum dicere me dico. At primum falsum est, quia nihil antea dixerat, inde totum verum: quoniam tota oratio sic veta est, cuins prima pars falsa erat.

Sit vt quadrilatera a, b, c, d, & a, e, f, g, sint coniuncta & circa eandem diametrum erunt similia: & si ducta æqoidistante alteri diametro constituantur quadrilatera, erunt etiam similia. ex quibus colligemus quadrilatera similia, bifatiam esse similia: quod tamen ex huiusmodi duobus assumptis, licet videatut sequi, non tamen sequitur. Est igitur captio hæc quod ductæ f, c, & f, g, æquidistantes, fiunt quadtilatera dicta similia, sed non constat ex his e, g, æquidistare b, d. Et si



diametri b, d, & e, g, æquidistent, & ducantur e, f, & g, f, æquidistantes, non constat quod concurrant in linea a, c, & si f, g, æquidistet c, d, & ducatur f, e, non constat eam æquidistare b, c. Sunt igitur tria: similitudo quadrangulorum æquidistantes diametri, esse circa eandem diametrum quorum duo posse iungi facile demonstrari, nmnia simul, difficile & ex aliis suppositionibus, igitur etiam in Geometricis accidunt captiones. Atistoteles autem negat, quoniam fiunt non secundum demonstrationem.

Medij autem inuentio sic per ea quæ pet se dicuntur de subiecto, & quæ ei inhærent, aut sempet, aut plerunque, aut soli.

His visis de positionibus atque implicantibus repugnantiam, quæ oecessaria sunt, adiiciamus, veluti admodum his, qui ex vinculis detenri intettogantus, vtilibus. Proponemns igitut, me occidisse bominem nocte quadam: oppositum mihi opponit iudex, scilicet ea nocte me nec adfuisse, nec occidisse hominem, conatut autem ad repugnantia me deducere: oam eo facto in suspicionem incido. Ptoponit etgo an ea nocte domi cœnauerim, si negem, oportebit postmodum ostendere quomodo domum redierim. Si fatear, quærit, quomodo rescinerim, illum fuisse occisum. Id ego negare debeo; qoandoquidem proponuntur tanquam admissa ac maoifesta, quæ positioni meæ, quam tueri me oportet, incipiunt repugnare. Tom ille cut ergo, si nesciebas, in ianua domus armatus stetisti? id forsan ex testibus compertum illi fuerit: Solitus sum sic facere: nonne illum odetas? tametsi par forsan odisse depræhensa causa, ego tamen non odi: alicuius communis amici recitato nominé. Sed quo te à ianua contulisti? paululum excessi viam meam, non sum egtessus: nil enim longius progredienti vtile contingere posse existimaui. Attamen refugientem viderunt, aliqui? Audito strepitu, nil, nisi timete, potetam; ob id in ipso statim initio strepitus, domom me contuli. In vniuersum quanto latius potes te explica, modò limites suspicionis, aut eorum quæ obiici certo tibi posse sentis, non attingas. Eadam in tormentis persta, ac vide vt magis aduersum vnum testem, quàm plures perstes: tametsi quod vnus obiicir leuius sit, quàm qood à duobus probari potest, modo mortis peticulum non incurias. Melius est partem delicti sponte fateri cum secutitatis vitæ spe, quàm omnia negando in peticulum incidere. Melius tamen est etiam in his ignorantiæ aut obliuionis simulatione eludere, iudicis interrogationes, qoàm apertè vel fatendo, vel negando, mortis aut diuturniorum tormentotum, subire periculum. Quocirca medius sempet ioter ea quæ probari possunt, & quæ vitæ disctimen afferunt, incedes. Vt positio ma non sit, quod tutum omnino est, nec id, cuius repugnans, per testes, probari nequit: sed quod medium est inter hæc aut vtgentes testes aut periculosam confessionem: etiam si necessarium sit sub hoc medio, quod ab vno quovis teste tantum reptobati potest, comptæhendere: non vt in positionibus, totum effugiendo, nec qoicquam concedendo, quod in suspicione sit. Melius est aduersus vnum testem tormenta sustinere; quàm vitæ causam dubiam facere.

Nam in positione siquis dicat, pono te non esse? admitto: respondebo. Tum ille, admisisti? nequaqnam. Ergo non admisisti? nec illud. Quid ergo respondes? non respondeo. Rursus positionem admittis? non: igitur non admittis? nec illud: non tu tespondes? qui respondeam; qoi non sim; hoc etgo fateris te non esse? minimè: nec fateor, nec nego. Cur ergo tanta & quam diffetentiam, inter has responsiones facis? nullas responsiones audio? vis vt te à positione liberem? non teneor vlla positione, vt qui non sim. Sed quæ hæ varietates? & vnde? mentis tuæ; reuoluentis tecum, quid responsuros essem, si esset nihil quod pro me respondetet, sed tu illius, qui non esset, loco responderes. Soluo te ab obligatione: recipio & liber sum. In omnibus bis, maximè, vbi serio agitur, quàm maximè potes, breuiloquus, homonvma vetba, & multiplices sensus, effugies obscura: tamen & ancipites orationes sequetis, vt cogitando, in quem velis conuenientem magis tibi sensum vertere, possis & vanas iudicis spes fallere. Quæ eadem in litigiosis disputationibus diurnis obseruauabis, vbi oon de rerum veritate concertatio est.

In concertationibus autem memoria, per syllabas, & literas, & ad vnum ptincipium, vteris. Mediis vetò generis differentias accidentium inseparabilinm, causam effectuum diuisione. Ptoponemus validiora argumenta, sed secundum validissimum ne deficete videamur. Ptimis tribus babeas plurima parata media, inter medium terminum & maiorem, & inter medium & minorem syllogismi fotma exacta sir: aut si coarguere velis potestate solum. Per contrarium vt in Topicis ait Aristoteles, dissolutio omniom difficultatum sit per interemptionem, aut diuisionem, id est, distinguendo.

Hactenus Aristotelica & vulgata: Nunc celebriorum authorum, propriaque disciplinarum, & circa inuentionem medij, pri-

mumque Hippocratis, & circa medicinam. Inoiticur autem quatuor tegulis: Prima à ſingulari effectu ad cauſam procedit, inde generalem conſtitui doctrinam; velut: qui bono ſunt habitu, repentinas non ſoſtinent motationes: periculoſæ. Secunda à cauſa ſupra effectom demonſtrando ſimpliciter, inde a b, effectum ad cauſam, quod ſit. Velut ſi muci in coxa ſoperueniant, coxa excidit, & claudicant: ergo ſi coxa exciderit, muci ſuperuenere, & claudicabit niſi vratur. Tertia cum inuenta cauſa plutes effectus ex ea deducit, vt ſi mammæ turſus dureſcant, non abortit, ſed dolores in eis, vel oculis, aut coxis, aut genubus fiunt. Quarta cum ad id, de quo dicitur, ſequitur quod dicitut, & ad oppoſitum oppoſitum, & ea de quibus dicuntur, repugnant, repugnabunt & ea quæ dicuntur. Sequantor ex a, b, & ex c, d, & ſint a, & c, tepugnantia: dico b, & d, tepugnate. Si enim b, non eſt a, non eſt ex tegula imperfectorum: igitur c, eſt ex Primo axiomate, quare d, ex ſuppoſito. Igitur ſi b, non eſt d: eſt & iam b, & d, fuete oppoſita, vt ſuppone: igitur b, & d, repugnant. Porrò inueotio medij ab Hippocrate triplex eſt conſtituta, cognitionis & operationis, & cognitionis in comparationem, ideſt, ſi liceat operari, vel non: circa enim ſtatim morituros, nihil debemus operari, & quoſdam morbos ſolum mitigate conuenit. De operatione tanquam ſimpliciore dicamus. Morbi fiunt ex mutatione naturæ, in conttatium affectum. Igitur primum, curatio cum ſit reditus ad naturalem ſtatum, fiet contrario motu, & qualitate, quæ tamen viget. Et quia factus eſt morbus ab aliqna cauſa, & illa plerunque fit à ſimili, quia ſimile à ſimili generatur, igitur cauſa illa eſt naturæ contrariæ, cum ſit ſimilis morbo. Et cum fiat curatio per ablationem cauſæ: igitur fiet per contrarium cauſæ: per ſe Et quoniam cauſa aliqua fit à conttario ſui, vt calor ex refrigeratione, dum corpus non reſpirat, & curatio eſt contraria genetationi cauſæ: igitur cum cauſa fuerit facta à contrario pet accidens, ſoluetur à ſimili per accidens, vt calor à balneo. Rurſus quia curatio fit à natora, & natura iuuatur à ſimilibus, igitur curatio fiet per ſimilia natoræ. Habemus igitur, quod curatio ſemper fit per contraria generali modo ipſi morbo, id eſt, aoferendo morbum, vt ſi ſit frigiditas calefaciendo, & per contraria per ſe cauſæ, & per ſimilia cauſæ, per accidens, & per ſimilia naturæ per ſe. Secunda regula ſumitur ex ſimilitudine, ſimilibus morbis, vt ſimili ſunt, conueniunt eadem auxilia, & eidem morbo rurſus ſimilia auxilia, & ſimilibus ſimilia. Tertia contrariis morbis, contraria auxilia. Quarta regula: mediis morbis, media auxilia conuenient. Quinta complicatis morbis, diuerſa auxilia, vel ſimul vel alternando. Circa comparationem cognitionis, ad operationem oriuntut ſigna prognoſtica, quæ omnia in ſimilitudine, & diſſimilitudine fundata ſunt. Quanto magis remora ſunt à naturali ſtatu, eo morbum & cauſam deteriorem ſignificant. Aduerſæ naturæ ſunt morbus, qui eſt principalior quo ad periculum, inde cauſa, quæ principalior eſt, quod ad ſanationem pertinet & ſymptomata. Et quartum eſt naturalis habitus. Quo igitur ea quæ ſunt præter oaturalem maiora fuerint, & differentia à naturali habitu, eo periculoſior, & difficilior affectus; maiora autem quadrifariam dicuntur: vel quia in neceſſariis vitæ, vel quia eſſentia maiora, vel dioturnitate vel qualitate affectus, vt vleus, intemperie. Dignorionis autem ab effectibus, vt languor morbi: à cauſis, vt fuit in Sole, igitur dolor eſt à calore: à ſignis, vt ſtridor dentium, concluſionis. Signa autem à concauſis, à congenitis, à contrariis, à ſimilibus, ab ordine, à tranſpoſitione, à toto, à parte, à tariocinatione, ab experientia cognitis, & à συνδρομῆ. Exponam autem vnnm exemplum à ſimili & contrario. Infantia plenas & exiguas habet venas, adoleſcentia ſecernit & excernit; pueritia plenas habet venas, quia contermina infantiæ; non paruas, quia contetmioa adoleſcentiæ; ſecernit, quia contermina adoleſcentiæ; non excernit, quia contermina infantiæ: igitur illi conuenient morbi plenitudinis ſummæ cum ſecretione, quæ fit agitaris humoribus, & ſopercalefactis ob motum, nihil exercente natura. Inde qui morbi oriri poſſint ex hac cauſarum complicatione conſiderauit, & eos quos experimentum confirmauit propoſuit.

Galenus autem verſatus eſt citca inuentionem artium, cætera quæ de demonſtratione iactat ridicula ſuot: nam nec Hippocratis Dialecticam aſſecutos eſt, nedum vt ei aliquid adiecerit. In artibus igitor & diſciplinis inuentio fit à notione finis, inde ingrediendo ſenſim ad ea, quæ ſunt ad finem, multiplicantur membrà ſubiecti, vt apparet pulcberrimo exemplo ex diffinitione Medicinæ. Sic apud Enclidem proponitur finis, conſtructio qninque corporum, quæ tegularia vocant: inde conſiderantur neceſſaria propinqua, & illa ſunt plura, & his rurſus neceſſaria, quæ etiam ſunt multo plura: atque adhuc neceſſaria his, quæ etiam ſunt plura illis, donec deueniamus ad prima. Sic nil deerit neceſſatiorum ad artem conſtituendam, nec qoicquam abundabit ad finem ioutile. Secundum eſt vt demonſtremos, omnes has partes eſſe neceſſarias huic fini, vel ſi ſint contenti, ſub ſubiecto contineri, nec plures eſſe poſſe. Tertium vt oſtendamus, quæ de illis pattibus poſſint demonſtrari, & quod neque plura neque paociora, quæ ad artem pertineant. Quattum vt id agatur in omnibus ſcilicet, vt affectiones de ſingulis partibus ſubiecti quam breuiſſimè demonſtrentur: vocatur autem prima reſolutio, ſecunda collectio, tertia inquiſitio, quarta demonſtratio. Demonſtrationom autem genera ſunt ſeptem, primum & nobiliſſimum, per cauſam, cùm rem ſimul eſſe oſtendimos. Velut cum cras defecturam Lunam oſtenderimus, ob tetræ inter Solem & eam, interpoſitionem. Illam verò adeò celebrem Ariſtorelis, ex primis, veris, principiis, tot cum conditionibus neſcio quorſum, Ariſtoteles adduxerit, cuius nullom apud homines exemplom poteſt inueniri. Sed & multo minus apud Deos vel dæmones, qui demonſtrationibus non vtuntur, ſed Dij quidem omnia ſimplici intuitu cognoſcunt,

dæmones

dæmones dum [illegible]. Secundum est ab effectu supra causam. Tertium à causa super effectum, sic vt causam illam esse ostendamus. Quartum vt dixi quod ex his componitur, nobilitatis ordine secundum. Quintum quod ad absurdom deducit. Sextum quod non est per proprias causas, sed alienas & æternas. Exemplum huius habetur apud Archimedem dum de Parabole demonstrat per æquiponderantia. Comprehendit autem hoc inuentionem causarum varij generis velut perfectæ vt ignea caliditas ruboris sanguinis, est enim causa ruboris instrumenti, & operationis. Velut si quis lyram fabricet & pulset, erit causa perfecta soni. Et plenæ velut cor est causa caloris sanguinis, id est, feruoris prima & tepidi per iecur in quo conseruar: vt ingenitam quam influxit. Et cum non possunt esse nisi duæ causæ & vnum dicitur: generaliter, aliud non quod generale est per se est causa. Vt omnis humor niger est cum timore, non omnis humor frigidus & siccus est cum timore: igitur nigrities non temperies est causa timoris. Etsi quæ sunt maxima singillatim possunt esse sine illo, coniuncta non sont causa per se vt bilis siccissima, & pituita frigidissima possunt esse sine timore, ergo frigiditas, & siccitas, non sunt causa timoris per se. Septimum quod ex confutatione, opinionum aliorum oritur. Estque tum demonstratio solum aduersus illos. Atque hæc omnia re ac vi, inter se differunt. Quæ vero demonstrationes non ex principiis deducuntur, sed ex demonstratis, modo nil aliud obstet, perfectæ & ipsæ sunt demonstrationes. Continuò enim contextu cum illis coniunctæ sunt. Imò sic necesse est procedere vsque ad remotissima sensibus nostris.

Tradi autem ars quinque partibus debet velut Medicina præceptis quæ solus Galenus in Methodo absoluit: consiliatio est auctorum: & distinctione rerum quam partem soli nos perfecimus: doctrinis vt publicè profitendo eam ego cum pluribus aggressus sum, expositione primorum authorum quam & Galenus & nos expleuimus. Vitruuius non indignus Tractatione: estque modus exequendi præcepta specialis quem nec Galenus nec nos attingimus vocant practicam sed alij multi scripsere.

Sic verò vt ex resolutione à fine ad prima principia deuenire debemus: ita in conuincendo aduersarium ex primis principiis ordiemur, conuerso ordine quasi aliud agentes donec incautum & nil tale meditantem oppresserimus. Velut si velim probare quod virtute carere est summa infelicitas: Nam resoluitur sic optimom animi bonum est virtus: quoniam est per proprium vt voluptas corporis: & propria animi bona sunt præstantiora, quam corporis quia animus corpori præstat: quia agit illud, vt aoriga quadrigam & equos. Ille autem palam nobilior est. Igitur hoc probatis vt primo per tres alias rationes conuerso ordine ostendemus qood virtute carere est summa ea felicitas, vocatur autem insidiæ.

Sic igitur construendorum librorum ratio habetur. Tom verò & dignoscendorum quinam perfecti sint qui deficiant, & imperfectorum (qui plerique sunt) qui minus sint imperfecti. Nam eorum qui sunt in disciplinis quatuor sunt illæ rationes recta resolutio, collectio, inquisitio & demonstratio. Aliorum tres primæ. Multum autem interest quæ partes deficiant, velut in historia tractationes causæ, secreta hæc enim sunt præcipua, vnde solum quatuor historiæ apud nos sunt. Xenophontis Ascensus Cyri, Catilinarium & Iugurtinum bellum Salustij, Philippi Argentoni de gestis Ludouici vndecimi Gallorum Regis omnium præstantissima. Nam Commentaria Cæsaris cum iussu illius scripta sint, & nil tyrannidem redoleant, non habent acta secreta. Omnia enim illa nil nisi vim & frandes & rapinas ac corruptiones per munera ac pecunias continebant. Itaque dum vetat illa inseri historiæ eam inanem & vacuam reddidit. Sic exanimes sunt omnes aliæ: & quæ maximè celebrantur Thucididis ac Titi Liuij sunt sordidissimæ. Vbi loco horum quæ sunt tanquam historiæ, animæ videas orationes ducum fictas ad ostentationem ingenij, & facundiæ auctoris non ad rei veritatem intelligendam vtiles. Simile est de Epistolis nullas habemus præter Ciceronis ad Atticũ & eas satis obscuras & plenas Græcis adagiis, sed pleniores etiam glorioso milite ad fastidium vsque: deinde etiam mutilatas cum plus biennio desideretur: & tamen vel sic dignas solas quę legantur. Et maximè cum Scholiis Pauli Manutij.

Inde ex his etiam intellectus difficillimorum auctorum, velut Hippocratis, Aristotelis, Plotini, Archimedis, & Apollonij. Primum quidem statuemus quid docere debuerit, antequam quid doceat, si ordinatus fuerit. In omnibus autem diuidemus eorum dicta in periodos certos vbi perpetuò de iisdem sermonem habeat. Considerabimus etiam an sit simplex tota narratio an connexa, vt demonstratio, & ad demonstrationem partes transpositis hinc inde quæ necessaria videbuntur. Vltimo rationem habemus propriorum modorum demonstrandi. Iuuat & vidisse expositorum aliorum si qui præfuerint mentem, & eiosdem etiam authoris dicta inuicem contulisse. Videtur autem & alius tradendi modus, quo vsus est Aristoteles & manifestè Theodorus Gaza in sua Græca Grammatica, cum ab vniuersalibus ad specialia procedimus. Velut enim sensu corpus prius quàm animal & hoc quàm hominem procul deprehendimus: ita & confusa quædam cognitio est omnium prius deinde & propria & specialium ac partium subiecti. Vnde & illud demonstrandi genus quod ab vniuersalibus ad specialia procedit. Principaliter autem præsupponere oportet neque contradicere neque repetere nec leue quicquam aut absurdum dicere nisi ratione euidenti compulsum: neque obiter nec diffidens ab aliis nisi rursus causa addita, neque vt incertum reddat.

Hinc orta est ratio profitendi ex temporanea etiam si oporteat. Exemplum autem sumemus in Hippocrate qui præcipuè ob claritatem & profunditatem sensuum dignus est legi primum. Ergo sensum illius simpli-

cem, & vniuersalem exponemus. Deinde distinguemus singulas dictiones tum maximè obscuriores properantes ad eum sensum in quo eb auctore propositæ sunt, ne nugas agere videamur. Post quæremus rationem, dicti quam facilè inueniemus cum ille nihil sine ea protulerit neque non consentiens experimento: ea etiam promptè se offeret ex modis quibus vtitur auctor, eruta vt in Hippocrate seu vna quattor demonstrandi norma seu ex vodecim medij inueniendi. Qua inuenta, diuidere, componere, amplificare, sæpe excipere, raro dubitare, per causarum quatuor genera rem examinare, applicare quæ ad id pertinent vel quæ ex illo deduci possunt: contraria contrariis comparare, aut eadem, vt cum dicimus, rara corpora, lassitudinibus non corripi, carnium esum ferre, & si sint imbecillia signa. Aliorum exponens tum etiam opiniones quæ sententiæ illi aduersantur confutare licebit. Demum traducere etiam ad opus. Ac vltimo per viam epilogi colligere.

Hoc munus sæpè nos non solum rectè sed non parua eum admiratione præstitimus. Poteris & ex hoc transire ad ornatas disceptationes non tam authoritate magni viri fultus, quam etiam multiplici & profunda ratione instructus. Quorum omnium consoetudine etiam ad opus ipsum non parum proficiemus, quandoquidem eorundem sit rectè sapere & bene opus tractare.

Geomettarum autem consideratio inter quos præcellunt Euclides & Archimedes in demonstrandi inuentione, Apollonius autem in ipsis demonstrationibus circa quatuordecim versatur: quantitates ipsas generaliter, Lineas, Aogulos, Soperficies, Sphæram, Corpora quinque vniformia, lineas, in superficie sphæræ, superficiem sphæræ, cum partibus eius, Cylindrum, Conum, Coni sectiones quattor, Conoydalia corpora, atque oualia. Lineas Elicas & quæ sunt huiusmodi generis. De his omnibus demonstrantur quatuor non singula tamen de omnibus Æqualitas, Maius vel minus, Proportio & Commensum, vel Asymetrum. Proportionis præcipua, Continuitas, Æqualitas, Productio, Compositio, & Reflexa. Principalissimum omnium & in omnibus est æqualitas quæ & quantitatibus, & proportionibus inuenitur. Maius autem & minus propter æqualitatem. Nobilior autem proportio æqualis aut continua Commenso, Commensum, Asymetro. Sed & Asymetrum per se consideratur: opponitur tamen commenso ob id non duo genera statuere oportet. Reflexa autem. Species est vna æqualis proportionis. Productio & compositio, & ipsæ ad æqualitatem referuntur, Æquale omnibus notius ratione, sensu autem maius aut minus. Cum autem necesse sit in omnibus, vt dictum est, præmissas conclusione esse notiores, necesse est in omnibus demonstrationibus perfectis assumi æquale vel commensum. Nam proportio potius ad partes subiecti pertinet quàm quod sit affectio. Perfectam dico demonstrationem in qua sistitur. Quædam enim propter se solom demonstrantur, vt quæ de Sphæra & corporibus vniformibus: quædam propter se & alia, vt quod latus recto oppositum, tantum possit quantum reliqua pariter accepta. Et quod maius latus maiori angulo opponitur. Quædam propter alia tantum vt in vigesimoquinto Theoremate quinti Elementorum. Et generaliter, vbi nihil supponitur, æquale nec commensum, non fit demonstratio quæsiti propter se. Porro septem modis demonstrationes primi ordinis fiunt, aut ex æqualibus inæqualia vt in xvj. primi Elementorum. Vel ex inæqualibus inæqualia: vt in xviij. vel ex æqualibus æqualia, demonstratione ad absurdum ducente, vt in xxvj. vel ex æqualibus æqualia demonstretione absoluta, vt in xxxij. eiosdem, vel ex inæqualibus æqualia, vt cum demonstramus circuli superficiem fieri, ex dimidio dimetientis in dimidium periferiæ: vel cum ex inæqualibus actu æqualia potestate vt in xlvij. primi Elementorum: vel cum ex æqualibus actu, æqualia potestate vt in sexto Elementorum cum demonstramus similes superficies, super bases æquales, esse æquales. Sunt & alij modi, in his tribus differentiis absolutæ demonstrationis absurdæ, æqualis inæqualis, actus & potestate: sed hi quos diximus principaliores. Videntur ergo fines demonstrationum perfecti consistere in probando æqualitatem quantitatum aut proportionum aut cognitionum proportionum ipsarum, quæ sunt genera quædam æqualitatum, & commensum. Nam ex eo habentur, genera quantitatum qualia sint. Omnes commensę vt Euclides demonstrat in eodem sunt genere. Ex commensis eutem nobilissimum æquale, inde multiplex inde quod continet partem certam & ex his quam notissimam, vt sesquialteram & duplam magis quam triplam & sesquitertiam. Et idem in pluribus partibus.

Propriorum autem quæ in Geometricis præcipuè quæruntur ad inuentionem vtilium tria sunt genera, Axioma, Modus & Medium. Inueniũtor autem in singulis quæ opportuna soot resolutiua methodo deducto versus principia problemate. Cuiusmodi exempla non pauca habet apud Theonem in Commentariis super Euclidem.

Primum igitur est Axiomatum quæ principaliter sunt septem: soperpositio, & est à sensu coniunctio ex æqualibus: æqualis differentia ab æqualibus aut vtrunque: comparatio ad idem mutua proportio, licet hæc demonstretur, habet tamen rationem principij quod generale sit. Et mutuus excessos; atque hæc omnia cum sois conuersis. Et vnumquodque habet rationem medij vt in xli. & xlij. primi Elementorum Euclidis.

Modi autem argumentandi nobiliores & præter axiomata sunt quatuor, commutatio propotionũ inquatuor quantitabus, & habet octo Species: Conuersam, Permutatum, Coniuoctam, disiunctam, Æquam, Euersam, & assumptionem æquæ multiplicium primæ, & tertiæ atque secundæ & quartæ. Et assumptio duorum, ac duorum multiplicium ad primum & secundum, si necessario, sunt maiora, aut minora, aut æqualia, multiplicia vnius & alterios, illæ quantitates erunt æquales. Commutatio proportionum in sex quantitatibus, cum vna proportio ex duabus

duabus reliquis componitur cum conuersa. Reductio earundem proportionum in duas æquales, & ex sex quantitatibus in quatuor cum conuersa, cum duæ quædam ex his æquales fuerint: Et comparatio fit in mutuis excessibus. Eius autem apponam sex exempla: primum cum fuerit, excessus primi ad secundum, vt tertij ad quartum, erunt primum & quartum æqualia secundo & tertio. Et rursus cum fuerint tres quantitates, aggregatum quarumlibet duarum æquale est, aggregato ex reliqua, & quavis earum differentia eiusdem non assumptæ in primo aggregato ab ea quæ non est assumpta, in secundo aggregato. Et etiam differentiæ singularum ab aggregato reliquarum iunctæ conficiunt aggregatum ex omnibus. Quælibet etiam illarum cum differentia reliquarum iuncta est æqualis differentiæ minoris illarum duarum ab aggregato reliquarum. Et si fuerint quatuor quantitates aggregatum, ex differentia primæ & secundæ, item tertiæ & quartæ, æquale est aggregato. primæ & tertiæ, & secundæ & quartæ. Et in eiusdem aggregatum, differentiarum primæ & secundæ; item tertiæ & quartæ æquale est differentiæ aggregatorum primæ & secundæ, ab aggregato tertiæ & quartæ.

Media autem legitima, æqualitatis tredecima pponam, & vnum inæqualitatis aliudq; coniecturale. Primumque sumitur ex natura quantitatum generali; quod commune est toti secundo libro Elementorum Euclidis, licet ipse eo non vtatur, sed demonstrat per figuras descriptas.

Secundum est ex natura propria: vt reliqua tria quæ sequuntur ab ambitu: vt in octaua primi elementorum Euclidis. Nam ex æqualitate omnium laterum in triangulo demonstrat æqualitaté superficierū & angulorū.

Tertium ex figura, velut cum ex angulorum æqualitate laterum proportio demonstratur; vt in quarta, sexti Elementorum.

Quartum cum ex ambitus & figuræ parte demonstramus, & proponam quinque exempla. Primum cum duo latera, duobus lateribus, & anguli contenti sunt æqualia: vt in quarta, primi Elementorum. Secundum cum duo anguli, duobus angulis æquales sunt, & latus vnum vni lateri, vt in vigesima sexta eiusdem. Tertium cum angulus angulo fuerit æqualis, & latera continentia mutua, vt in quintadecima sexti Elementorum. Quartum cum anguli fuerint æquales, & latera continentia, in eadem proportione. Tunc trianguli erunt, similes vt in sexta eiusdem. Quintum cum fuerit proportio aggregati laterum, ad aggregatum laterum mutua proportioni, producti trium differentiarum vniuscuiusque scilicet lateris à dimidio aggregati, eorundem inuicem ad simile productum, vt si vnius latera sint xiij. xij. v. alterius vnum latus sit: vj. reliqua singula quadratum latus, cix. Et hæc demonstrantur à nobis in Elementis Geometricis.

Quintum est cum altitudines, & bases fuerint in mutua proportione. Hoc autem à nobis ibidem demonstratur, manifestum est autem quod in eo includitur, etiam si sint æquales.

Sextum cum ex origine ipsius figuræ, vt Archimedes in Elicis.

Septimum est à diuisione seu in similia, seu in dissimilia, vt in xlvij. primi elementorum Euclidis.

Octauum cum à compositione, deinde detractione argumentamur: vt in quinta eiusdem.

Nonum cum ab vtroque vt in secunda parte demonstrationis trigesimæ, quintæ eius.

Decimum ex negotiatione. Velut cum ego demonstraui, proportionem reflexam.

Vndecimum est Myrielecticum, habetque tres modos, primus cum diuisa quantitate, in infinitum sub certa ratione aliqua illarum ad omnium aggregatum certam seruat comparationem, demonstrata tali diuisione sequitur quod proposuimus de comparatione. Et hoc est præcipuum quo Archimedes demonstrat quantitatem Paraboles & Sphæræ; secundus modus est cum assumuntur, quotlibet quantitates in duobus ordinibus sub certa proportione, & comparantur inuicem. Et tertius similiter sub certo excessu inde demonstrata proportione vel excessu, sequitur vt sit ratio comparationis proposita. Et his etiam vtitur Archimedes.

Duodecimum est cum æquale æquali superponitur, sed non tota figura toti figuræ, vt in primo nostro. De Elementis super xxxvij. primi Euclidis, cum latus lateri æquali superponimus, non triangulum triangulo. In quo genere sunt nouæ circulorum descriptiones, rectarumque æquidistantium ad perpendiculum: tum maximè cum extrema illarum coniunguntur.

Tertiumdecimum est cum figuræ similes aut dissimiles miscentur, vt si duo circuli in Sphæra quomodolibet se secuerint, & ex communi sectione argumentamur, ex xxxv. tertij Euclidis. Velut in inuentione duarum mediarum tradita à nobis ex Archita Tarentino, nobilissimum.

Medium autem pro inæqualitate demonstranda est, velut cum quantitates in aliquo genere perueniunt ad maximum quoddam aut minimum, licet diuersum tanquam finem, licebit inuenire quantitatem æqualem propositæ minori, & ita demonstrabitur inæqualitas. Et ex hac rursus & extrema alia media, & ita demonstrabitur ordo à posteriori. Exemplum sit circulus a b c d, & sint a c, & a d, æquales aut proximiores æqualitati b c, & b d, & sit portio a c d, minor semicirculo dico quod quadrata b c, & b d, sunt maiora quadrati a c, & a d, quia enim angulus a, est maior recto, erit quadratū c d, maius quadratis a c, & a d. Sit igitur vt in superficie e, & sit lineæ f, quadratum æquale quadratis a c, a d, igitur f, minor est, d e, inducta, igitur in portione ex puncto d, & ducta, f e, erunt quadrata f e, & f d, maiora quadratis b c, & b d, & ita structur ordo inæqualitatis. Fietque axioma quasi pul-



f

chrum : & demonstratio similis Chrysippeo syllogismo.


Medium autem coniecturale est cum exempla omnia videntur appropinquare certæ rationi : Et licet non concludat eam rationem obseruandam , cum tamen sit signum necessitatis erit via ad demonstrationem.

Hæc igitur sunt exempla & modi , cum plures sint & præcipuè qui ex generalibus regulis habentur. Velut ex cornuto syllogismo cum demonstramus, lineas rectas in punctum coëuntes ex portione periferiæ circuli maiores esse illa portione. Vt in elementis nostris. Et modi inueniendi non demonstrandi cum caso multa sic euenire comperimus. Atque hoc medio & præcedenti maximè artem magnam inueni inde etiam demonstrationes inuestigaui : nihil enim vtilius ad inuentionem quam scire posse inueniri. Nihil ad demonstrationem quam iam rem ipsam inuentam esse. Extenduntur autem multi horum modorum , etiam ad Arithmeticas considerationes. Sed & ad alias artes, tū maximè cum etiam , vt dixi demonstrationes ex non propriis principiis artis cōstruere voluerimus.

Sciendum est autem quod licet Aristoteles adeò extulerit demonstrationes , Mathematicas, fermè tamen tota Geometria ex demonstratione ad absurdum ducente originem ducit atque in his habet fundamentum : nam quod anguli trigoni æquales sint duobus rectis, quam semper habet in ore , demonstratur ex eo quod in æquidistantibus lineis coalterni anguli sint æquales. Sed hoc cum demonstretur in xxix. primi elementorum quæ ex xxvij. demonstratur. At hæc procedit per confutationem , quare & xxxij. Ostensum est enim non posse maiorem esse fidem atque auctoritatem in conclusione quàm in præmissis , quod & ipse Aristoteles fatetur. Constat ergo eam propositionem per confutationem demonstrari , quod manifestè apparebit si demonstrationem ipsius trigesimæ secundæ vsque ad prima principia deducere volueris atque resoluere. Ineides enim in hoc quod angulus exterior opposito interiori sit æqualis , quod xvj. primi Elementorum repugnat per eadem & xlvij. primi Elementorum. Pythagoræ vt referunt inuentum ad xlj. Deueniet ex hac in xxxiv. ex qua in xxvj. quæ per confutationem demonstratur , resoluetur , itaque & illa. Voco autem per confutationem eam quæ ad absurdum deducit quoniam ex fine illo ad principium admissum confutando redimus.

Quædam verò sunt demonstrationes quæ mediæ sunt inter absolutas, & confutationem , velut si quis loco xxvij. primi Elementorum demonstret primum quod si linea recta super duas paralellas ceciderit erunt duo anguli ex vna parte , duobus rectis æquales: nam si sint minores concurrerent , ex eadem parte : si maiores ex altera per xiij. primi Elementorum : igitur necessario ex vtraque parte æquales sunt duobus rectis. Sed Euclides maluit ad absurdum dedocere ne præsupponeret, paralellas esse quas nondum deducere docuerat.

Ex his etiam ad interrogationes deuenimus in quibus proponitur an aliquid sit verum ? etsi verum an demonstrari possit , & quomodo. Videntur autem iidem modi atque ratio eadem , quæ in inueniendis atque tradendis artibus. Verum exemplo quodam quod mihi propositum fuit : à Francisco Sambo Rauenate , id declarare decreui , nam illud admiratione dignum adiectum est , quod cum duobus annis frustra in eo laborassem , conscripta Dialectica in quarta horæ parte quod hic subiicitur , id totum expressi. Quæsitum fuit huiusmodi. Descripsi circulum a b c d , & extra circulum duxi rectam , e f g , quomodolibet , a b e , a c f, a d g, secantes circuli periferiam , & inueni quod id quod fit ex ea in a b , cum eo quod fit ex g a , in a d , duplum ei quod fit ex f a , in a c. Dicam ergo postquam non se astringit quo transeat ac figitur erunt duo illa rectangula dupla semper ei quod fit ex f a , in a c : quocunque loco ponatur f , igitur omnia rectangula ex f a , in a c , erunt inuicem æqualia , igitur ex fa , in a c , quantum ex ea in a b, quare quod ea in a b, æquale




ei quod ex g a , in a d. Ergo pari ratione ducta h l , erit quod ex h a , in a b , æquale ei quod ex l a , in a d , hoc autem maius quam quod ex g a, in a d, igitur ex h a , in a b, maius quàm quod ex g a , in a d , ideoque etiam quàm id quod ex ea in a b, igitur h a, maior ea , quod est absurdum. Rursus si præsupponat, a f, transire per centrum a e, autem & a g, altrinsecus esse positas, tunc non sequitur confestim quod ex e a , in a b , fit æquale esse ei quod ex g a , in ad. Sed bene quod ex eadem parte lineæ æqualia facient rectangula. Vt pote ex parte si quod fit ex g a , in a d , cum eo quod fit ex e a , in a b, vel f a, in a e, duplum est rectangulo ex tota transeunte per centrum in dimetientem, igitur quod fit ex f a, in a c, æquale est ei quod fit ex e a , in a b, hoc autem falsum in inclinata h l, quoniam vbi minima est, quæ intercipitur à recta & circumferentia ea etiam minor est interiore parte quavis interiore intercepta inter ipsam & eam quæ transit per centrum.

Relinquitur tandem vt intelligendum sit cum dimetiens cadit supra rectam exteriorem ad perpendiculum : vt in secunda figura. Quia ergo quod fit ex e a, in a b , cum eo quod fit ex g a, in ad, vel l a, in a k. Duplum est ei fit ax fa, in ac, erit quod fit ex l a, in a k, æquale ei quod fit ex g a, in a d. Igitur cum l a, quā pro

traxi

traxi sit æqualis e a erit quod fit ex e a in a b, vel g a, in a d, æquale ei quod fit ex f a, in a c.



Ergo veritas huius cum problemate assignato conuertitur. Hoc autem esse verum liquet protracta c d, recta: nam ex xxxi. Elementorum erit d, rectus quare ex iv. Sexti eiusdem ratio f a, ad a d, qualis g a, ad a c, ergo per xvi. Eiusdem patet propositum. Vides igitur quam certa arte venati simus veritatem huius quæsiti in qua plures in vanum vel multos annos consumpsissent, quoniam quæsitum erat generaliter propositum, & dicebat se mensura verum inuenisse, cum tantum hoc in casu, vt demonstrauerimus, verum fit. Manifestum est autem quod generale euadit problema ex hoc quod l k, in a k. semper est dimidium, e a in a b, & g a, in ad.

Ptolemei vero Dialectica quatuor constat regulis. Prima vt ex duabus quæ affirmant orationibus syllogismum in tertia figura construat. Hanc Auerroes, non intelligens damnat ipse committens fallaciam non causæ, vt causa. Nam Ptolemeus demonstrat genera exempli, motum Solis sit seruari supposito orbe eccentrico. Cum hac ratione demonstrat quod nulla alia ratione is motus potest seruari ad vnguem neque cum aliis eccentricis neque paruis circulis oeq; homocentricis quotvis sumptis. Ista enim à me declarata sunt in Libris de Rerum Varietate, & operis perfecti, & facilè cuiuis hono Mathematico perspicua sunt. Quare melius fuisset Auerroi: vt dixisset, tu non ad vnguem seruas hos motus, & maximè quia Ptolemæus ipse dicit posse loco eccentrici cum paruo circulo seruari motum Solis. Quod vt dixi verum non est, nisi de maximis differentiis, non de toto decursu in singulis partibus ad vnguem. Ergo Ptolemæi regula stat, & est demonstratiua in ea figura, ex duabus quæ affirmant modo congruat, vniuersa ratio partium motus. Secunda regula est, quod omnes motus congruunt, cū motibus Solis coniuncta ratione, vt in nouo magnæ compositionis in illis verbis. Si ergo in singulis stellis restitutionum tempus in dies resoluerimus, & multitudinem inæqualitatum in gradus per singulos circulos trecentos, & sexaginta multiplicauerimus, habebimus motum inæqualitatis. Nam in omnibus stellis, quibus Sol velocior est, tot semper circulos ipse Sol in tempore restitutionis stellæ pertransiuit, quot sunt reuolutiones stellæ secundum longitudinem, & restitutiones inæqualitatis simul compositæ. Manifestum est, quod hæ æqualitates sunt inæquales, & ideò perpetuò permutantur, quia paruus circulus est, in loco eccentrici, quia eccentricus non perficit integram reuolutionem. His duabus regulis magnam perfecit compositionem, licet hæc secunda alio modo sumatur in Luna, & aliis inferioribus. Tertia regula vocatur participationis, cuius vi, construxit pulcherrimos libros Musicæ, & Geographiam: capit enim medium inter extrema ex principiis, & ipsum coaptat extremis per proportionē notam, & simplicem: in Musica per quidem sexquioctogesimam de qua in Arithmeticis diffusè à nobis tractatum est: in Geographia autem Sphæricam accommodat, plano extendens centrum partibus triginta quatuor, vltra terminos habitabilis, id est, viginti quinque vltra polum, vt in prima figura, vel partibus septuaginta quinque cum dimidia, & tertia vltra polum, sed eadem ratione deducit ad septuaginta quatuor, vt distet à Thyle partibus centum & vna. Vt in secunda figura, constituto enim medio, inter duos terminos quicquid adimitur vni alteri adiicitur, vt decus fit ad vtrunque interuallum. Quarta regula vocatur successionis qua vtitur, in libris de Iudiciis. Cum enim videret totum cœlum cōcurrere in omnibus, quæ producuntur primas partes, secundas & tertias atque ita deinceps assignauit, donec ad eas perueniret quæ effectum non variarent. Vsus alternatione, vt primum in die constitueret, secundum in nocte, & contraria: inde vbi primo generalem tribuisset vim haberetque rationem horoscopi, secundò dedit specialem, vt significaret de vita ac cæteris, postmodum tertium locum assignauit, dominis dictorum principalium qui naturam rei significarent, velut si de filiis agebatur an futuri essent boni, vel mali, stulti vel prudentes, amici inter se vel inimici. Quartum locum dedit iis qui supra dominos illos eleuarentur, qui fortunam, & exitum talium significatorum, & qualitatum declarent, in omnibus vbi primus impeditus sit, velut sub Sole regimen ad secundum transfert, verum non sunt eo in casu tam perfecta, & exacta decretariis ergo quatuor regulis quatuor illa pulcherrima opera fabricauit nullis aliis indigens præsidiis nisi communibus.

In cæteris quoque artibus idem præstat auxilium, dico Mechanicis, Architectura, & Pictura, atque aliis. Cum aliquando cuperem videre naturaliter quæ præter naturam erant, dixi mecum: num quæ videntur, & audiuntur per somnum verè sentiuntur, & non solum ea imaginamur? quando inter imaginari plurimum intersit, & eum sensum qui solum in hoc differt, ab eo qui fit præsentibus rebus quod verus non sit. Cæterum quod ad efficatiam sentiendi nulla ex parte minor est, cum imaginemur absque metu maxima mala, non autem per somnium, sed plurimum afficitur anima nostra.

Quid igitur prohibet ne huiusmod etiam vigilantes videamus? Sublata igitur, per vigiliam causa huius discriminis, sic effeci vt videam magna, & miranda ac supra fidem non secus, ac contingat dormientibus. Videamque verè & per longum spatium temporis, non

tamen quæ volo, sed caso oblata, & maximè in quibus versor magna cum animi intentione. Sed audire quicquàm hoc modo hucusque mihi non contigit Ita & in aliis artibus multa inueni, præclara secreta, vnde etiam librum Secretorum conscripsi. Plura inuenturus longè, nisi id obstaret quod cui inueniam nescio, nũc enim iam sexagenarius sum. Et quàmvis locrosa multa sint, nec inuentis vti gratum est, nedum vt alia Tantalea poma quæram, quæ inuenta mihi nulli vsui aut saltem voluptati futura sint, nec eoi relinquam iucundè, habeam. Solum quod facile fuit, Hippocratis libros, & aliorum grauiorum authorum intelligere curaui, tom maximè ob commentaria quæ in Hippocratem totum scribere institueram tum alia.

Liquet igitur ab hoc libro neque pauciora neque minus insignia responsa petere licere, quam à præstanti, vt fetunt, aliquo demone. At dices non propria, vt Dęmon hæc affert responsa, imò penè eadem. Nam homines ex sensibus speciebus cognoscunt Dæmones ex concursu generalium effectuum, vt quod hoc tempore, loco, conditione, qualitate, ætate, temperatura, moribus, horum insectatione, hæc contingent, quæ nulli alij euenire poterunt, vnde fœcunda eorum cognito. Sic & ex hac arte ad speciales substantias, & indiuiduas vocatas, tum affectus, & euentus descendere licebit. Porrò Geniorum scientia est de his per concursum causarum, vt dæmonum effectuum. Dei autem non est aliena spectantis, vt horum cuiuslibet, sed totum facientis.

In probabilibus autem rationibus eundem ordinem seruabimus, vt quo ad formam ac naturam simillima sunt, demonstratiuis. Peculiare autem est multitudo argumentorum atque coniecturarum. Et vt ex concessis procedamus aut verisimillimis, audientibus aut omnibus, aut sapientibus. Vnde etiam authoritate eorum vtemur. Refellemus autem rationes oppositas, vel quoniam obiectæ sint, vel quia plenè eleuare earum fidem posse confidimus. Aliter prætermisisse satius fuerit, ideò perpetua oratione absque contradictione, in his debemus vti in quibus omnibus omnino persuadere propositum est. Vel si quæ obiici possunt nonédum nota sint aut illi minus eruditi, vel si tempus non plene suppetat aut rationes non adeò firmæ, apud illos futuræ videbuntur fidem puriorem & simplici oratione, & argumentis demonstratiuis quàm contradicendo faciemus. Memineris autem trecentorum, & sex locorum Aristotelis in hoc genere.

Coniectum verò dicemus respondentem, cum vel obmutescit vel ad propositum nihil, vel ad confutata redit, aut fatetur incredibilia, vel repugnantia iis quæ prius ante dixerat. Verum in huiusmodi causa, vt antea diximus, parum vtilitatis est, cum ad scientiam non dirigatur, in hoc enim solum studium est adhibendum, vt confutetur respondens cum quæ dixerit maxime inter ea quæ vere dicuntur, sunt verisimilia. Exemplum autem confutationis, & in quo apparet demonstratio vtilis documenti. Sit propositum demonstrare quod omnis diuisio bona in duo tantum subiecta procedere debeat. Id tu neges, & sit vt A diuidi possit primum in BCDE, & sit ratio B, propria F, omne igitur, B, est F, & omne F, est B, igitur omne CDE, est A, & nullum continetur, sub F, non F, igitur contenta sub A, est ratio communis CDE, ea igitur vocetur G: igitur G, dicetur de omni CDE, & omne C DE, de G, igitur F, & G, dicuntur de totis BC DE, & illa de F, & G, at A, dicitur de BCDE, & BCDE, de toto A, igitur FG, & A, conuertuntur, per quartam regulam Dialecticæ, Hippocratis superius demonstratam. Quare A, primum diuideretur, in F, & G, rationes oppositas. Et ita non solum apparet confutatio, sed rei ipsius demonstratio, & modus etiam inuentionis. Miseret autem me adolescentum, quos quidam tanquam aliquid magnum docturi admouent, vtramque partem posse sustineri, ex quo etiam tam absurdo dicto glorian- tur: cum quicquid temporis ei negotiationi impenderint protsus perierit. Nam nullo labore (si sic scire, scire dici potest) omnia te scire momento doceam: omne enim quod est, huiusmodi est aut non est. Tam paruo interuallo mera ignorantia à nostra scientia intercepta est.

FINIS.

CONTRADIC

CONTRADICTIONES LOGICÆ.

CONTRADICTIO PRIMA.

Conclusio potest esse dissimilis Præmissis.

T.19.1.priorum. Cap. 3. NECESSE est semper aliquam Præmissarum similem esse conclusioni, non solùm in affirmatione & negatione, sed in modo: Idem supra T.17. oppositum T. 19. & 20. & alibi pluries quantum ad primam partem vbi habetur in 19. quod ex duabus negatiuis de contingenti, concluditur affirmatiua, quantum ad secundam in T.20. & alibi pluries, vbi habetur quod ex contingenti minore & maiore de inesse fit conclusio necessaria & similiter minori contingenti & maiori necessaria fit conclusio de inesse. Soluitur quod loquitur de perfectis Syllogismis, contra ergo de Syllogismis tantum primæ figuræ quoniam cæteri sunt imperfecti 1. priorum T. 9. & 11. Respondetur quod dupliciter dicitur Syllogismus perfectus, vel quia immediate reguletur per dici de omni, & sic solum Syllogismi primæ figuræ sunt perfecti, aut quia aliquomodo possint regulari, & si non immediatè, & sic Sillogismi secundæ & tertiæ Figuræ sunt perfecti, & illi mixti imperfecti, quia solum probari possunt per impossibile, & hoc dicit Auerroës c. 20. supra allegato, cótra ergo quartus secundæ figuræ & qointus tertiæ sunt omnimodo imperfecti, contra patet 1. priorum 24. enm solum per impossibile reducantur. Respondetur quod illi non sunt imperfecti solum ex reductione, sed quia non concludunt in omnibus materiis, contra quia tales dimittit Syllogismos non concludentes in omnibus materiis cap.20. in priocipio. Respondeo non terminatos omnino dimittit non cos qui possunt regulari.

CONTRADICTIO II.

Probanda conclusionis terminum vnum necesse est esse totum, alium partem.

Cap. 4. IN eodem T. Conclusionis probandæ necesse est vnum terminum esse tanquam totum, alium tanquam partem, oppositum supra T. 15. negatur ista propositio & adducitur ibi ratio contra Albumazarem. Respondeo quod loquitur hic de parte communiter sumpta provt se extendit ad partem in negatiuis & affirmatiuis, in illo Comento loquitur solum de toto & parte in affirmatiuis.

CONTRADICTIO III.

Fapesmo & Frisesomorum communes sunt omnibus figuris.

IN eodem per viam triom figurarum probantur solùm Syllogismi, oppositum supra T. 12. Vbi dicitur quod Fapesmo & Frisesom communes sunt omnibus figuris. Respondetur quod illi Syllogismi non sunt naturales, etsi sint necessarij, vnde inueniuntur tria in Syllogismo, perfectio, naturalitas & necessitas, quæ conueniunt solum primæ figuræ, prima non conuenit secundæ, neque tertiæ secunda, conditio non conuenit Syllogismis artificialibus, secunda & tertia non conueniunt Syllogismis mixtis, concludentibus tantum in quadam materia. Cap. 5.

CONTRADICTIO IV.

Demonstratio est in Conuertibilibus.

IN eodem T. dicitur quod non est Syllogizandum in coouertibilibus; oppositum 1. posteriorum T. 11. Soluitur dupliciter 1. quod hic loquatur non accipiendo Proposiriones de Prædicato vniuersali, sed hec non consonat bene; iterùm aliter dico quod non negat posse fieri, sed difficilius esse. Cap. 6.

CONTRADICTIO V.

Ex negatiuis nihil concluditur.

IN eodem T. dicitur quod ex negatiuis nil concluditur; oppositum supra T.19. soluitur vt prima. Cap. 5.

CONTRADICTIO VI.

Manifestum est per se quod Mundus non est antiquus.

IN Commento dicit Exemplificans quod manifestum est per se quod non est antiquus Mundus; oppositum habetur 1. Cœli 22. & 8. Physicorum. Soluitur quod exemplorum non requiritur verificatio, sed manifestatio

festatiu est de anima 67. Sed hoc non sufficit, quia dicit quod est manifestum, non enim ponendum est exemplum falsum pro manifesto, ideo dico quod melius est dicere quod ponit ipsum cum dictione conditionali, & fortè est error in Traductione.

CONTRADICTIO VII.

Frisessom non ponitur communis nisi duabus figuris.

IN T.12 dicitur quod Fapesmo & Frisesô ponuntur vniuersales tribus figuris, oppositum in Commento quoniam ponitur Frisesom solùm conueniens primæ & secundæ. Respondetur quod in veritate aliquid deficit in commento, vel quod virtualiter continetur in illo secundum regulam, si de quo minus.

CONTRADICTIO VIII.

Syllogismus in prima non valet, minori existente negatiua.

Cap. 2. IN T.3. dicitur quod si medium prædicetur, terminus & ab alio abnegetur quod est prima figura & iterum si aliquid abnegetur & aliud prædicetur est tertia figura; ergo vult per hoc, prædicetur ipsum, quod medium subiiciatur, ergo Syllogismus in prima figura erit minori existente negatiua; oppositum supra in T. 7. Respondeo quod verba sunt corrupta & sensus est, ipsum quidem prædicetur & aliud ab illo abnegetur.

CONTRADICTIO IX.

Enthymema est verè Syllogismus.

Cap. 2. IN eodem T. dicitur quod Enthymema non est Syllogismus; oppositum 1. Posteriorum, Enthymema est vere Syllogismus. Soluitur quod est verè Syllogismus, quoad necessitatem non quoad formam, colligitur solutio in T. præsenti.

CONTRADICTIO X.

Omnes Syllogismi possunt in vniuersales prima figura reduci.

IN eodem dicitur quod iste Syllogismus est bonus omnem Aristomenem intelligibilem semper esse, Aristomenem intelligibilem, ergo Aristomenem semper esse, ergo Syllogismus constat ex singularibus; oppositum patet quia in cap. 13. suprà posuit omnes Syllogismos posse reduci ad vniuersales: tales nequeunt 2. quia supra cap. 7. connumerans Propositiones Syllogisticas non enumerat singularem, 3. quia commento 2. dicit contingens in paucioribus non est pars Syllogismi, quoniam de eo non est scientia, igitur nec propositio singularis. Soluitur dupliciter est cōsideratio de Syllogismo in quantum scientificus, vt dixit ibi alia in quantum valet de forma, vt dixit ibidem eum posuit maiorem de inesse falsam ad primam reducitur, per impossibile ad secundam, accipit Syllogisticas penes primam considerationes Syllogismi.

CONTRADICTIO XI.

Nomina transposita idem significant.

IN T. 31. dicit quod hæc est falsa nulli homini contingit sanitatem inesse, & hæc vera contingit nulli homini sanitas; oppositum 2. Priorum c. 1. Nomina transposita idem significant. Soluitur ex exemplo, verum est in nominibus tantum & categorematicis, vnde inuenitur negatio de dicto Tantum, & de modo & de dicto colligitur distinctio hæc supra commento 21. & 4. & 18. & alibi solutio 7. & cap. 43. huius. Cap. 1.

CONTRADICTIO XII.

Particularis negatiua de inesse, non conuertitur in terminis.

IN commento 16. Conuertitur particularis negatiua de inesse, oppositū supra T. 2. Soluitur, aliquando est particularis per naturam & tunc æquiualet contingenti, quare conuertitur 1. Priorum 4. Solutio est in commento 16. distinctio habetur commento 7.

CONTRADICTIO XIII.

Exemplificat in literis ne putetur Syllogismum valere propter materiam.

IN Commento 2. dicit quod exemplicat in literis ne putetur quod Syllogismus valeat propter materiam, idem 1. Posteriorum commento 98. oppositum facit considerando materias in 20. & 21. & alibi. Soluitur, materiam vniuersalem considerat, non particularem.

CONTRADICTIO XIV.

Exemplificatio in literis est propter facilitatem.

IN Commento 40. dicit quod exemplificatio in literis est propter facilitatem; oppositum Commento 2. Soluitur, quod vtrumque complectitur, sed est quasi Commentatorem reprehendere, ideo melius dico facilius propter sublatam materiarum ambiguitatem, ideo hæc pars continetur in illa.

CONTRADICTIO XV.

Syllogismi ad impossibile reducuntur ad tres Figuras.

IN T.41. dicit quod Syllogismi ad impossibile nō reducuntur; oppositum supra T. 28. & 29.

19 & auersus in hoc Commento soluitur, reducuntur ad figuras non soluitur, & est intellectus auersus in vltima parte Commenti, non soluitur Syllogismus conditionalis nisi soluatur prædicatiuus ex quo componitur, & originem accipit, & intendit per prędicatiuum categoricum, nam omnis hypotheticus est priuatiuus, Commento & T. 29. supra.

CONTRADICTIO XVI.

Syllogismi tertia figura omnes reducuntur in primam.

IN 42. dicit quod non omnes Syllogismi tertię reducuntur in primam, oppositum in 28. T. Soluitur, differentia est per reductionem & resolutionem: per primam intendit & ostensiue & per impossibile; per secundam solùm ostensiue vt hic.

CONTRADICTIO XVII.

Solus quintus tertia figura non reducitur ad primam.

IN eodem T. dicitur quod solus quintus tertiæ non reducitur ad primam; oppositum conor in commento dicens. sed negatiua particularis conclusa in secunda & tertia, non redit aliquid ex ea ad figuram primam, solutio clara est consideranti sequentia verba, quoniam excipit illos qui concludunt non per positionem, id est qui non habent aliquam præmissarum permutabilem non resoluuntur.

CONTRADICTIO XVIII.

Intentio Arist. est solum loqui de Syllogismis per naturam.

IN Commento 12. & T. ponit modos non per naturam; oppositum commento 6. Intētio Arist. est solùm loqui de Syllogismis per naturam. Soluitur, tractat de his vt sunt reducibiles ad omnes figuras, ne cogatur promere quartam figuram, & ita verbum Commenti 6. intelligitur quoad loqui scientificè, in eo verò loquitur solum quoad quod est nominis & quod est inuentionis.

CONTRADICTIO XIX.

Non esse inuentum, est genus contingentis.

T. 19. 1 priorum 2 & 19. IN Commento, & T. 19. dicitur quod contingens de quo determinatū est quod est, & potest non esse: aut nō est, & potest esse, simile in 22. Oppositum Commento 18. contra Albumazarem, non esse inuentum, est genus contingentia; & ideo excluditur contingens quod est, soluitur non ponendo contingens alrum Alberti; quod hoc contingens 18. cap. est contingens propriissime dictum; aliud verò de quo in 19. & 22. est contingens duplex; ita quod contingere sumitur tribus modis de quibus T. cap. 4. dicit contingens; ergo diffinitum est contingens. Tertio modo pro hoc est T. 14. Sed contingens commune ad necessarium, & quod solùm impossibile excludit, est de quo in T. & c. 20. & appellat ipsum Auerroës contingens commune: contingens verò de quo fit Syllogismus, est quod commune est ad esse, & non esse cum possibilitate oppositi; contingens quod conuertitur est eiusmodi. Illud verò quod est contingens secundi modi, & tale æquiualet absoluto, & ideo melior est expositio commentatoris in hoc si bene intelligatur; est enim idem cum 22. & de se proprium contingens non est, & quando significatur non esse, est. Et ideo quando diuiditur ens 2. de generatione 51. Intelligitur contingens propriè secundum considerationem quam cum cogitatur esse, habet quandam necessitatem iuxta illud 1. priorum c. 6. quod est, quando est necesse est esse, & quod non est necesse est non esse. Illa ergo entia comparantur ad possibilitatem simpliciter. Eo modo, secundo priorum 48. intellexit contingentis naturam non mutari in necessariam; hoc est ergo contingens quod possibili æquiualet, & vt declarauimus in secundo Periermenias.

CONTRADICTIO XX.

Ista æquiualent, Socrates est non albus, & Socrates non est albus.

IN commento 43. hæ propositiones non æquiualent, Socrates est non albus, & Socrates non est albus; oppositum secundo Periermenias cap. 1. ad medium soluitur; hic loquitur ratione formę quia considerat eas prout possunt esse conclusiones, aut præmissæ syllogisticæ; & hoc modo non æquiualent: ibi verò loquitur ex appropriatione propositionis singularis. T. 20. Prior cap. 1.

CONTRADICTIO XXI.

Vni contingenti duo contradictoria assignantur.

IN eiusdem textu assignat vnum contrarium tantum vni similiter & 1. periher. & 10. mechanicæ 14. vnum vni est contrarium; oppositum superius T. & cap. 22. Propositioni contingenti assignat duas contradictorias, soluitur collectiuè non diuisiuè, & est sensus commento 22. contradictoria huius contingit nullum hominem canescere; hoc totum necesse est, aliquem hominem canescere, vel non canescere. T. 22. & com. 1. Prior.

CONTRA

Contradictio XXII.

Demonstratio est ex necessariis tantùm.

IN commento 5. dicitur quod Syllogismus qui non est demonstratio, est quando figura concludit, & propositiones non sunt veræ, oppositum est 1.poster:7.Demonstratio est ex necessariis tantùm;soluitur quod hic est translatio mala, tamen possumus dicere verè; id est, semper verè.

Contradictio XXIII.

In definitione Syllogismi non ponitur semper.

IN commento 6. dicitur quod semper & ex necessitate accepta sunt in diffinitione syllogismi, oppositum supra T. 1. vbi non ponitur semper. Soluitur in necessariis includitur semper primo:poster.7.& 6.Ethic.4.

Contradictio XXIV.

Necessario & semper sunt conditiones Syllogismi demonstratiui.

IN eodem commento 7. primi poster.dicitur quod semper & necessario sunt conditiones syllogismi demōstratiui;hic dicitur quod syllogismi simpliciter,soluitur quod non tantum syllogismi demonstratiui conuertuntur, quia per hoc probat (hoc quia necesse est conclusionem esse necessariam; ideo dico quod in syllogismo est duplex necessitas sequelæ, & hæc est syllogismi simpliciter est propositionum, & hæc conuenit demonstrationi tantùm & ideo necessitas syllogismi est ex positione.

Contrrdictio XXV.

Particularis negatiua de necessario non contingenti in terminis.

IN commento 21.facit hanc consequentiam, impossibile est quod b, sit in quodam g, ergo impossibile est quod g, sit in quodam b, ergo particularis negatiua de necessario conuertitur; oppositum supra T. c. 3. forte dicitur quod est vniuersalis negatiua,sed hoc est falsum quia probata est ex particulari affirmatiua,& vniuersali negatiua,in 2. figura, in qua nil plus per hæc concluditur quàm particularis negatiua æquiualentia propositionum, sumitur suprà commento 18. & primo Periermenias,c.primo. Error est in commento.

Contradictio XXVI.

Affirmatiue necessaria contradicit negatiua de inesse.

IN eodem commento cum necessaria affirmatiua fuerit falsa, sua contradictoria,quæ est negatiua, inuenta erit vera; oppositum dixit superius vbi dixit quod oportet, vt sit contradictoria, quod sit opposita in modo. Soluitur,nisi sit error in scriptura,quod coniunctum ex negatiua de contingenti, & de inesse contradicit pro qualibet parte affirmatiuæ & ideo valet necessario a, est b, ergo non contingit, a esse b, vel non est a non b: & sic contingit a non esse b, aut a non est b, ergo non necessariò a est b.

Contradictio XXVII.

Diuiditur propositio in tres partes demonstratiuas.

IN primo T. diuidit propositionem in tres; oppositum in primo Periermenias c. 9. Soluitur in 43.

Contradictio XXVIII.

Propositio duplex quoad materiam, necessaria & probabilis.

IN primo commento dicit quod propositio duplex; demonstratiua & dialectica; oppositum in T.primo 1.topicorum, tria genera ponit propositionum.Soluitur, considerat hic propositiones in ordine ad syllogismum.

Contradictio XXIX.

Propositio est in actu sine verbo.

IN eodem dicitur quod propositio est propositio in actu absque verbo; idem primo Periermenias c. 4. oppositum e. de verbo vbi dicit; & eorum quæ de altero prædicantur semper nota (hoc) non referri potest ad verbum; quia semper verbum esset in propositione, ergo si semper refertur ad *. & sic necessarius est in propositione. Et T.4.eiusdem necesse est omnem enunciatiuam esse ex verbo vel casu verbi, & commentator in commento subiungit & hoc autem in actu. Soluitur clarè dicit ibi in commento 4. quod in aliis linguis ab Arabica requiritur in actu;in Arabica verò lingua solum requiritur in potentia; & ideo in hoc commento, & si aliter videatur, loquitur secundum consuetudinem Arabicæ linguæ, & ideo tollitur alia difficultas,quod in binariis solum subintellecto verbo sufficit quod omnino negaret Aristoteles.

Contra

CONTRADICTIO XXX.

Propositio negatiua est in qua prædicatum remouetur à subiecto.

IN fine commenti vltimi dicit quod subiectum negatiuè est idem prædicato affirmatiuè, & quod prædicatum negatiuè prædicatur affirmatiuè de subiecto; quod est contra diffinitionem propositionis datam primo Periermenias c. 4. Soluitur; litera est corrupta; sensus est, quoniam negatio non est pars prædicati, ideo subiectum & prædicatum affirmatiuè sunt idem subiecto & prædicato negatiuè.

CONTRADICTIO XXXI.

Tantum sunt duo modi syllogismi hypothetici coniuncti.

IN Commento 29. dicit quod solùm sunt duo modi syllogismi hypothetici coniuncti, & enumerando dimittit à negatione antecedentis ad negationem consequentis; Oppositum primo de Anima 13. Soluitur, in conuertibilibus & possibilibus 5. Physicor. 22.

CONTRADICTIO XXXII.

Exemplificatio in litteris est manifestior.

IN commento 4. dicit quod exempla in litteris sunt faciliora, idem 6. Physic. c. 16. Oppositum 4. Physicor. 71. T. vbi dicitur quod Exemplificatio per materias est manifestior. Respondeo, manifestatio exempli est facilior in materiis; sed manifestatio certitudinis est in litteris; illa auctoritas præsupponit exemplificationem in litteris.

CONTRADICTIO XXXIII.

In secunda figura non valet syllogismus ex puris affirmatiuis.

IN commento 9. dicit quod in 2. figura non est syllogismus bonus ex affirmatiuis tantùm; Oppositum 4. Physicor. 33. & 42. & 2. eiusdem 23. & 2. Cœli 23. Soluitur à Commentatore, vbi terminus medius cum maiori extremitate conuertatur, in locis allegatis, & 2. prior. 2. & 2. poster. 92. & 122.

CONTRADICTIO XXXIV.

Dictum de omni, est quando omne dispositum per subiectum conuertitur sub prædicato.

IN commento primo dicit quod in dicto de omni, omne quod disponitur per subiectum continetur sub prædicato; & in hoc differt a propositione vniuersali; Oppositum 1. priorum 20. & 15. Vbi vult quòd solùm de actualiter existentibus sub subiecto verificetur prædicatum. Respondeo, dictum de omni prioristicum est, vt prædicetur prædicatum de omni quod habet contineri sub subiecto, siue sint actu siue potentia; quando tamen illa potentia reducitur actum, vt cum dico nix est alba, & hoc appellat disponi per subiectum. Vniuersalis verò propositio diuiditur in verám, & falsam; & cum dicit quod prædicatur solùm de actu existentibus, non notat modum prædicandi, sed contenta sub prædicato ad differentiam necessariæ; & ideo tale dictum de omni est verum.

CONTRADICTIO XXXV.

Dictum de omni est verum.

ALia contradictio in hoc quod dictum de omni sit verum, nam secundo prior. c. 2. probat syllogismos ex falsis per dictum de omni. Ergo tale dictum inuenitur in præpositionibus falsis. Primus in magnis commentariis: reprehendit Auerroës Alpharabium de hoc. Respondeo, ad primam vtitur dicto de omni Aristoteles, impropriè ibi est propositio vniuersalis. Ad secundam, illud quod facit formam syllogisticam bonam non est dictum de omni prioristicum, quod putabat Alpharabius.

CONTRADICTIO XXXVI.

In conuersione seruatur qualitas.

IN commento 2. dicit quod in conuersione seruatur qualitas; Oppositum de conuersione per contrapositionem 4. Physic. 119. & T. 9. eiusdem 2. & 1. prior. 30. & 2. de anima 128. & vltimo in Epitomate de locis oppositorum. Soluitur, tantum conuersio posita in hoc casu cum syllogismo ad impossibile satisfacit reductioni omnium syllogismorum, 2. prior. c. 13. & 28. Sed iam non considerat has conuersiones nisi propter reductionem, vt patet in toto processu. Ergo de conuersione per contrapositionem non habuit pretractare. Ex hoc apparet error Terministarum reducentium aliter syllogismos quàm per conuersiones hic positas.

CONTRADICTIO XXXVII.

Homo est prior animali, sicut præmissa conclusione.

1. Prior. IN commento 4.2. priorum dicit, quod homo est prior animali, sicut præmissæ conclusione; Oppositum in prædicamentis cap. de priore, vbi dicit quod vnum est prius duobus, quia inuenitur vnum sine dualitate, non è conuerso; sic animal sine homine, non homo sine animali. Idem 5. Metaphysic. 16. Soluitur, quod homo est prior animali tertio modo prioritatis. Solutio est ibidem Commentatoris.

CONTRADICTIO XXXVIII.

Circulo non contingit demonstrare.

1. Poster. IN commento 5. dicit quod circulo contingit demonstrare: Oppositum 1. posterior. 6. Soluitur quod in conuersibilibus contingit syllogizare, non vt sit demonstratio à notiori, quia hoc est impossibile, sed ratio syllogismi est concludens. Solutio colligitur in 1. T.

CONTRADICTIO XXXIX.

Quædam est in conuersione veritas propositionis.

IN commento sexto, facit istam conuersionem, omne in quo est a, non est in eo b, ergo omne in quo non est b, est in ipso a, Oppositum habetur primo priorum 2. vbi dicitur quod seruanda est veritas propositionis; nam in commento nono dicit quod est bona, vbi ex prima sequitur; ergo omne quod non est a, est b.

CONTRADICTIO XL.

Ex negatiuis sequitur affirmatiua.

1. Prior. IN commento eodem dicitur in principio, quod ex negatiuis non sequitur affirmatiua. Oppositum in commento 5. Respondetur in illo casu superius dicto tantùm.

CONTRADICTIO XLI.

Particularis affirmatiua particulari negatiuæ est contraria.

T. 8. 1. Prior. IN T. 8. & commento 9. dicit particularem negatiuam particulari contrariam affirmatiuæ, Oppositum secundo Periermenias c. 5. tales vocantur subcontrariæ; Respondeo, hic largè sumitur contrarium, quia non est intentio apud Græcos significans subcontrarium; quare talem oppositionem Aristoteles dimisit innominatam; Commentator verò in commento suppleuit.

CONTRADICTIO XLII.

Syllogismi propositionum non conuertibilium non recipiunt ostensionem per viam contrarij.

1. Prior. IN commento 11. dicit quod omnes syllogismi propositionum conuertibilium recipiunt ostensionem conclusionis per viam contrarij; Ex hoc innuere videtur quod cæteri non recipiunt; Oppositum dicitur 1. huius c. 14. vbi dimittit illos syllogismos, quia non possunt reduci per impossibile, quia nondum demonstratum est de mixtione necessarij & contingentes. Respondeo, syllogismi qui adducunt oppositum præmissarum ex opposito conclusionis, quidam dicuntur syllogismi conuersiui, quidam contrarij; conuersiui requirunt possibilitatem conuersionis in præmissis, contrarij non, sed sunt ex assumptis; propter hoc dixit hic commentator quod syllogismus contrarij est generalior conuersiuo; Ideo dico quod in 14. loquitur non de conuersiuo, sed de contrario, quia generalior: ideo illi duo modi ostensiuè probantur, quia non possunt per syllogismum contrarij probari, ibi, sic et alibi nullo tamen modo per conuersiuum; quod vero hic dicit, est, quod tales omnes syllogismi conuersiui recipiunt reductionem per viam contrarij, non quod tantùm sit in illis.

CONTRADICTIO XLIII.

Quodcunque per syllogismum rectum demonstratur, per syllogismum etiam potest contrarij demonstrari.

1. Prior. IN eodem dicitur, quod, quicquid per syllogismum prædicatiuum demonstratur, id est, rectum; probatur per syllogismum contrarij; Oppositum dicit inferiùs in eodem commento, quod vniuersalis affirmatiua in prima figura non probatur in aliis figuris; non enim dicit quòd in eadem figura; & ratio horum est quod in prima figura oportet cum contradictorio conclusionis inferre contradictorium maioris; sed contradictorium vniuersalis affirmatiuæ est particularis negatiua, quæ non potest esse præmissa; in 2. figura. igitur per ipsam nihil potest concludi. Est ergo diuersitas inter rectum & contrarij & conuersiui. Rectus enim est solùm vnus categoricus syllogismus: conuersiuus accipit primam intentam conclusionem, & oppositū eius cum vna propositione

propositione syllogismi, & inducitur opposi-tum contradicens maiori vel minori illius syl-logismi recti sed syllogismus contrarij accipit contradictorium intentę ostensionis cum pro-positione vera, & concluditur propositio ma-nifestæ impossibilitatis; & ideo omnis syllo-gismus conuersiuus potest esse syllogismus contrarij.

Contradictio XLIV.

Syllogismus contrarij in plus se habet quàm syllogismus conuersionis.

1. Prior. IN eodem dicit quòd syllogismus contrarij in plus se habet quàm syllogismus conuer-sionis; Oppositum dicit in commento 14. in fine 3. capitis cum dicit, reditus syllogismi recti ad contrarium est idem syllogismo qui vocatur conuersiuus; & iam dixerat quod om-nes recti sunt contrariis reducibiles, sequitur ergo quod sunt æquales. Respondeo, Con-trarij sunt plures quàm recti; tamen poten-tiâ æquales, quia vniuersalis affirmatiua est demonstrabilis tantùm vno modo, 2. hoius c. 7. 29. Sed in 14. declaratur; qualitas po-test demonstrati 5. modis. Tamen non sunt irreducibiles ad primam figuram & rectum syllogismum, ergo reductio talis cùm sit se-cundùm numerum syllogismi recti, quia ip-sum supponit esse. Conuersiuus enim differt à contrario, ergo conuersiuus io minos se ha-bebit quàm syllogismus contrarij in actu, sed potentiâ omnes erunt æquales.

Contradictio XLV.

Omnis syllogismus est per tres terminos.

T. 14. 1. Prior. DIcit quod omnis syllogismus est per tres terminos: oppositum 2. Prior. 15. At syllogismo ex oppositis. Soluitur, Au-ctoritas præsens iotelligitur actu vel poten-tiâ, vt fiant duæ propositiones.

Contradictio XLVI.

Neque propter quod contingit falsum syllogizare.

T. 1. 1. Prior. IN commento dicitur quod ex falsis non concluditur verum in prima figura, tan-tùm maiori existente ex toto vera, & mino-ri ex toto falsa; Oppositum in T. vbi dicitur quod neque propter quod contingit ex falsis verum syllogizare. Respondeo, in tribus, ca-sibus non contingit ex falsis sequi verum in demonstratione simplicite; primo est in ma-iori tota falsa & minori tota vera in prima figura; secundo & tertio in syllogismo com-positio ex oppositis; prima exceptio in T. 2. Secunda vero in T. & cap. eodem. Tertia in commento 16. 2. Prior. Ad dictum Commen-tatoris, loquitur exceptando solum modos syllogismorum non penes materias.

Contradictio XLVII.

Sunt modi non concludentis syllogismi.

ASsignat quatuor modos non concluden-tis syllogismi, & ponit primum quod penitus non concludat, secundum quod ex ignotioribus tertium: quòd ex æqualiter igno-tis: quartum quod per posteriora. Oppositum Commeotator io præsenti commeoto, vbi conuenerahs quatuor modos dimittit. Con-clodat syllogismus aliud ab eo quod in-tenditur: Oppositum etiam 8. topicorum parte 2. cap. 4. Vbi assignantor quin-que modi. Respondeo, quod Commenta-tor hic subdiuisit primum, & prætermisit tertium, non quia non necessarius, sed quia per se manifestus. Et quod hoc verum sit pa-tet, qoia probare ex minùs notis appellat se-cundum modum: quod si potuisset probare aliud in miraculo fuisset tertius modus. Ad aliam contradictionem dico, quod Aristote-les in 8. Topicorum coosiderat defectum in tantum ex parte syllogismi, sed facientis etiam syllogismum, vnde plures quàm qua-tuor sunt increpationes. T. 17. 1. Prior.

Contradictio XLVIII.

Syllogismus concludens extremum de extremo per medium quod est conclusio, non probat.

IN comment 18. dicit quod syllogismus concludens extremum de extremo per me-dium quod est conclusio, non probat: Oppo-situm, habetur 4. 8. & 11. Respondeo, vult impossibilitatem esse in alio à prima coclu-sione. 1. Prior.

Contradictio XLIX.

Scire tripliciter dicitur.

DIcit quod scire dicitur tripliciter: Com-mentator aliter dicit in commento 4. Soluitur, tertium membrum diuidit Com-mentator in actu scire, vel potentiâ. T. 40. 2. Prior.

CONTRADICTIO L.

Possumus scire quòd hic trigonus habet tres angulos æquales duobus rectis, ignorato si est.

T. cap. 5. 1. Posterior. Dicit quod possumus scire quod hic trigonus simpliciter habet tres æquales duobus rectis, ignorato si est; Oppositum in 2. vbi dicitur, quod de quocunque demonstrabili oportet de subiecto præcognoscere quia est. Soluitur, cognoscitur quia est subiecti in demonstratione non scire demonstrationem.

CONTRADICTIO LI.

Oportet addiscentem præcognoscere quod est.

T. 5. 1. Post. Dicit quod non est necessarium quemlibet addiscentem scire diffinitionem; Oppositum in T. 2. Soluitur, quod necesse est hoc non ex parte qua definitio est, sed quatenus huius diffinitio.

CONTRADICTIO LII.

Diffinitio non significat esse vel non esse.

T. eodem. 1. Poster. Dicit quod propositio aut affirmatiua est aut negatiua; hanc diuidit in positionem, & dignitatem; & positionem in diffinitionem, quæ non significat esse vel non esse; Ergo cum ipsa sit propositio, Significat esse vel non esse, & ita diffinitio significat esse vel non esse & non significat, pro vt diffinitio est. Soluitur diuersimodè, sed à Commentatore dicitur, quod diffinitio pro vt est diffinitio, non significat esse, vel non esse, sed vt aliter consideratur, videlicet pro vt est diffiniti diffinitio. Sic dicit esse & est propositio, vt verò est verè diffinitio non est pars subiectiua propositionis.

CONTRADICTIO LIII.

Propositio significat esse vel non esse, & dicitur positio.

T. eodem. 1. Posterior. Dicitur quod positio significans esse vel non esse est propositio: à Commentatore oppositum in T. vbi dicit quod est suppositio. Respondeo, pro propositione intelligit propositionem strictè sumptam: Vnde sciendum quod 2. dicitur esse vel non esse aut significari, & hoc conuenit diffinitioni aut affirmare actu esse vel non esse determinatè, & hoc non conuenit diffinitioni nec omni propositioni, sed soli suppositioni.

CONTRADICTIO LIV.

Inductio non facit scire, sed probat.

Dicitur in commento quod inductio facit non scire, sed probat. In 2. Physicor. 82. Dicitur quod inductio demonstratiua probat & non accipit omnia singularia, non probat nisi cognita fuerit essentialis prædicatio. 8. verò Topicor. c. 5. loco 89. Dicitur quod inductio petit principium; Et loco 26. at in 2. priorum 23. Dicitur quod si assumuntur omnia particularia, requiritur vniuersalis necessario: Si verò non, non sequitur. Propter hoc dixit cap. 25. quod vniuersale quod habet infinita singularia, non potest probari inductiuè, & reprehēditur ibi Geometra antiquus: & hoc repugnat dictis in 2. Physicor. & dictum 21. Physicor. contradicit dicto poster. & dictum 81. Physicor. & 8. Topicorum repugnat dicto 2. Physicor. & primo posteriorum, & 2. priorum. Soluitur: Inductio quadam est in qua est essentialis prædicatio, & quædam in qua accidentalis. Prima probat, & demonstrat demonstrationem signi. Patet quia procedit à minus vniuersalibus ad vniuersalia magis, est quia probat ratione prædicationis, non assumptorum singularium; ideò non est necesse vt omnia singularia assumantur; Er quando dicitur quod ideo probat quia non assumpsit omnia singularia 2. Physicor. Intellige non quod illud sit causa quod probet, sed causa cognoscendi, quod prædicatio est essentialis, ex quo infertur quod probat, & de hoc intellexit Commentator in præsenti commento & in 2. & 8. Physic. & inductio in qua non est essentialis prædicatio quæ dicitur topica, est triplex. Aut in ea assumuntur omnia singularia verè, aut secundùm famositatem, aut tantùm quædam: Si primum probat ratione formæ syllogisticæ, & de hac loquitur Aristoteles 8. Topicorum, & secundo priorum, quando dicit, quod potest reduci ad formam syllogisticam, non tamen est demonstratiua ratione non essentialitatis, & in tali propriè concluditur maior extremitas de medio termino, & differt à syllogismo esse in modo concludendi, & differt ab eo quia præcedit ipsum, & illa in qua assumuntur omnia secundùm famositatem quæ verò non accipit omnia singularia, aliquo modo non est essentialis prædicatio; committit fallaciam consequentis, & est propria arti sophisticæ, & de hac propriè loquitur 2. priorum, commento 25. in fine. T. 6. 1. Post.

* *

CONTRA

CONTRADICTIO LV.

Demonstratio circularis quatuor eget conditionibus.

IN eodem dicitur, quod non contingit circulariter demonstrare, & quod solum in prima figura. Et Commentator in commento dicit quod indiget quatuor conditionibus, & solùm tres enumerat: & sunt quod vnaquaque propositionum sit conuersibilis, & quod conclusio sit affirmatiua; alia particula est in T. etiam quod sit in prima figura. Oppositum primi dicti est in 2. priorum c. 5. vbi dicit quod contingit demonstrare seruatis duabus conditionibus. Oppositum etiam quia aliter tolleretur regressus, de quo 6. Physic. & alibi. Oppositum secundi 2. priorum 6. & 7. Oppositum quarti dicti 2. eiusdem 5. 6. & 7. & Oppositum tertij dicti c. 5. eiusdem vbi agit de sex propositionibus.

CONTRADICTIO LVI.

Conclusio necessaria ex præmissis tantùm sequitur necessariis.

1. Poster. IN commento 7. dicit Commentator assignans rationem quare necessarium sit præmissas esse necessarias, quod est quia conclusio necessaria non sequitur nisi ex necessariis præmissis; Oppositum 1. priorum. 2. ex maiori de inesse & minori de contingenti, forma syllogistica sequitur aliquando conclusio necessaria. Soluitur in 2. priorum c. 2. per similitudinem sic, propter quod non potest ex contingenti sequitur necessarium, sed quia ad 5. contra: Respondet Themistius quod intelligitur quod non est necesse vt perspiciatur à discipulo, ita quod sufficit quod habeat ipsam à magistro, non sic de dignitate: tamen necesse est, positio perspiciatur ante demonstrationem.

CONTRADICTIO LVII.

A negatiua finita ad affirmatiuam infinitam non valet consequentia.

1. Prior. IN commento 3. primo priorum facit hanc consequentiam, per destructionem non substantiæ, non destruitur substantia; Ergo quod destruitur destructione substantiæ est substantia, Ergo à negatiua infinita ad affirmatiuam finitam valet consequentia. Oppositum 2. Periermenias 1. Vnde si consideretur vis illius argumenti, nil plus probat quàm in prima figura hanc conclusionem, partes substantiæ non sunt substantia, ergo partes substantiæ esse substantias, non sequitur ex illis.

Respondeo, valet 2. Periermenias supposito quod sint, sed cum dico partes substantiæ suppono esse: aliter dico quod valet ex prima, Ergo si substantia destruitur, destruitur destructione substantiæ, ergo quod est substantia destruitur destructione substantiæ tantùm: ergo esse quo destructo substantia destruitur est substantia; & est intricatio magna.

CONTRADICTIO LVIII.

Nullus auctor exposuit ad literam ante ipsum.

IN commento magno in procemio dicit, quod nullus auctor exposuit ad literam ante eum hunc librum. Oppositum apparet de Themistio & aliis expositoribus Græcis: primo magnorum commentariorum primo. Soluitur, id est, bene secundùm sensum Aristotelis.

CONTRADICTIO LIX.

In diffinitione non sunt partes vt materia & vt forma.

IN eodem dicit quod in diffinitione non sunt partes vt materia, & forma. Oppositum 7. mechanicæ 43. Soluitur, partes in diffinitione se habent solùm vt materia & forma respectu extrinseco, non autem in quantum est diffinitio.

CONTRADICTIO LX.

Quando clausura additur prædicato, enunciatio est falsa vel superflua.

DIcitur quod omnes causæ sunt omnes quæstiones, vbi clausura additur subiecto & prædicato. Oppositum in 10. Periermenias. 5. Soluitur quod dictum 1. Periermenias intelligitur si non collectiuè teneatur. 2. Poster. 2.

CONTRADICTIO LXI.

Intentio est tractare de materia demonstrationis.

IN eodem procemio magno, in intentione dicit, quod est tractare de materia syllogismorum; sed oppositum subdit in narratione 2. causæ ordinis, quod tractet de vniuersali dispositione respectu subiecti non vniuersalis: Ergo tractat de forma syllogistica. Respondeo, primum intelligitur de subiecto contracto, secundum verò de passione probabili de ipso. In procemio magnorum.

Contradictio LXII.

Propositio est tanquam finis aliarum partium.

IN eodem dicit, quod propositio est tanquam finis respectu aliarum partium Logicę; & quod aliæ partes sunt ante finem. Oppositum dixit superius, quod proponitur topicè. Respondeo dictum de antecedente refertur ad librum priorum; quod verò aliter partes subministrent ei, intelligitur per complementum non per processionem; quod verò hic liber sit tanquam finis, refertur quoad perfectionem.

Contradictio LXIII.

Propositio significat esse, vel non esse, & dicitur positio.

IN hoc proœmio dicit quod proponēda sunt more interpretum intentio, partes, ordo, & iuuamen: post dicit de proportione, & nomine. At in proœmio plura connumerauit physicorum. Respondeo, loco dinisionis ponit partes; locum vero nominis, libri, & auctoris dixit esse, in proœmio libri priorum de via doctrinæ dimisit, quoniam nondum declaratæ sunt partes ipsius quæ sunt tria genera demonstrationem ad id quod supra additur. Loquitur exemplificatiuè tantùm.

Contradictio LXIV.

Traductio non facit scire, sed probat.

1. Posterior. IN commento primo magno dicit, quod mutus & surdus possunt addiscere artes, & similiter animantia sine præexistenti cognitione. Oppositum, dixit 9. Metaphysicæ 14. Respondeo, loquitur ibi de arte propriè, non de effectu factibili ab artifice, vnde à consuetudine possumus operari illud quod fit est ab arte: & talis consuetudo potest addisci sine præcedente cognitione, ideo magis reprehendit id quod sonant verba Themistij quàm sensum.

Contradictio LXV.

Per se est idem quod primò.

1. Posterior. IN commento 11. dicit, quod per se est idem quod primò. Oppositum, commento 36. magno, vbi dicit, quod omne primum est per se, non è conuerso Solutur, quia dupliciter accipitur; per se videlicet communiter: & sic est superius ad primum; & pro primo modo in quo non est remotum, & sic est differentia vel diffinitio, & sic conuertitur, solutio Auerroïs in commento magno.

Contradictio LXVI.

Qui scit esse, scit quid nomen significet.

IN commento secundo dicit, quod qui scit esse, scit quid significet nomen. Oppositum, dicit in commento secundo magno; quod possumus scire, esse rei, absque eo quod sciamus diffinitionem nominis? Respondeo, quod in paraphrasi vult quod scientia sit de quæsito, & non conuertitur; sed in commento magno vult quod sit de præmissa demonstrationis. 1. Posterior.

Contradictio LXVII.

Primo vniuersalium commento diffinitio constat ex genere & differentia.

IN principio primo vniuersalium, & alibi pluries, diffinitio ex genere & differentia constat. Oppositum 4. topicorum cap. 2. vbi dicit, primum dicendum est de genere & proprio, sunt autem hæc diffinitionum elementa. Soluitur, per proprium, intellige differentiam de qua in fine 2. cap. vnde Auerroës in paraphrasi ponit eodem libro ob paucitatem locorum differentiæ: per hoc soluitur quæstio cur non fecit librum de differentia; sed contra, quia si hæc ratio esset bona, sequeretur quod nec de proprio debuit esse quantus liber, cum Auerroës dicat ibi quod loca proprij sunt pauca. Soluitur, loca differentiæ, proprij, & diffinitionis sunt pauca respectu locorum generis, tamen loca differentię dicuntur etiam pauca respectu locorum proprij; & hoc est cum pars diffinitionis sit differentia, oportuit ipsam propriè sumi, non proprium, cum multis modis accipiatur in paraphrasi 5. topicorum.

Contradictio LXVIII.

Vniuersale in prædicando est notius apud naturam.

IN commento 6. dicit vniuersale in prædicando esse notius apud naturam; sed in commento 12. magno dicit quod tale vniuersale est solùm notius apud nos. Et ideo Aristoteles intendit per vniuersale quod est tale in essendo. Soluitur, quod loquitur ibi de notitia simplici quod ad naturam; quod per talem primam notitiam ipsum est notius: in comparatione verò est notius quo ad nos; 1. Posterior.

Et

Et ita distingue de cognitione distincta, & confusa. Vel sic, & melius, & est Auerroës in commento magno allegato, vniuersale est plus apud nos cognitum, quàm apud naturam, magis tamen cognitum apud naturam, quàm singulare & minus quàm vniuersale in essendo.

CONTRADICTIO LXIX.

A priuatione ad habitum non est regressus.

IN post prædicamentis differentia septima oppositorum, à priuatione ad habitum non est regressus. Oppositum 1. Physicor. 70. & 74. & 5. Physicor. 7. & alibi. Soluitur dupliciter, priuatio quædam quæ est negatia tantùm, & illa est principium rerum naturalium: vnde 1. Physicor. 43. omne quod fit, fit ex non tali, sed quando priuatio dicitur de opposito formæ innatæ inesse tali subiecto, inde non est transmutatio, quia omnia completè sont eiusdem principia: talis distinctio est Commentatoris.

CONTRADICTIO LXX.

Non est necessarium cùm vnum contrariorum inuenitur in natura, inuenitri reliquum.

Ibidem. IN eodem loco differentia 10. non est necessarium cum vnom contrariorum est in natura, vt inueniatur reliquum. Oppositum 2. Cœli 10. & 4. Cœli 26. & 3. Cœli & alibi. Soluitur, quidam dicentes quod possibilitate Logica potest vnum esse oontrarium siue reliquo non naturali; contra, ergo formabuntur propositiones in Logica impossibiles pro veris, & tunc cessabit vtilitas tertia Logicæ de qua 1. Physicor. 34. Primus Aristoteles primo priorum à 15. ad 27. docet sumere propositiones necessarias penes materias, & contingentes, quod non esset verum si daretur ista duplex possibilitas; Et est mirum qood Aristoti 2. Perihermenias nullam de hac possibilitate mentionem fecerit; ideo dico quod contraria in quantum contraria non necessariò sunt in natura, sed in qoantum talia contraria quæ sunt cum motu, vnde non est necesse quod albo existente in natura sit nigrum sed bene calido aut frigido, vt res naturales conseruentur. Vnde nunquam vniuersaliter inuenietor propositio dicens, si vnum contrariorum est in natura, & est reliquum.

* * *

CONTRADICTIO LXXI.

Commune est omni substantia non suscipere contrarium, neque magis aut minus.

IN 12. particula prædicamenti Substantiæ dicit commune esse omni substantiæ non suscipere sibi contrarium, in 13. neque magis, neque minus; Oppositum, 2. patet de Elementis 1. de generatione 22. Oppositum 1. 2. eiusdem & T. 24. Soluitur, declarauit Aristoteles merito priorum qualitatum ista Elementis contingere, quoniam in quibus latent differentiæ, ponuntur actiones loco illarum; 3. 1. Cœli 26. ideo talis substantia suscipiet magis & minus, in quantum copulata primis qoalit-tibus: & contrarium, non in quantùm sustantia. Et ideo dixit bene commentator c. de ad aliquid differentia 6. qood Aristoteles loquitur ibi, secundum famositatem.

CONTRADICTIO LXXII.

Aliquod genus relationis non suscipit magis neque minus.

IN prædicamento ad aliquid, tertiâ differentiâ, dicit aliquod genus relationis non suscipere magis, nec minus; quare etiam esse indiuisibile. Idem in cap. de qualitate, differentia 9. Oppositum, 1. Physicor. 11. Soluitur, quod solùm animalia generabilia & corruptibilia sunt in prædicamento, cap. de specie. Commentator supra Porphyrium & 2. Cœli 49. Si igitur tales habitus considerantur meritò phantasmatum, sunt diuisibiles, quanquam sine eis esse non possunt, Tertiò de anima 30. & 39. si verò in se sunt iodiuisibiles. Colligitur distinctio 3. de anima 4. in solotione propriæ quæstionis, sed ista solutio non est Auerroës, nam in prædicamento Qualitatis dicit in differentia superius dicta, qood res est in se indiuisibilis, secundum illud Auicennæ 6. principiorum forte est indiuisibili essentiâ consistens, sed vt denominat subiectum, suscipit magis & minus, & est diuisibilis; Ergo habitus tales sunt in prædicamento cum suscipiant magis, & minus; qoare etiam diuisibilitate per accidens non per se: ipse verò negabat tales habitus esse in prædicamento.

In commento & T. 29. 1. priorum solùm assignat duos modos syllogismi hypothetici compositi. Oppositum colligitur prima disputatione, dubio 10. & 5. Physicor. 22. & 7. Physicor. 16. & primò de anima 13. dictum est superius in 31. contradictione, non tamen diffusè. Solutio constat in exceptione, quòd quando est in conuersibilibus, tunc valet à negatione antecedentis supra consequentis negationem, 70. Physicor. 16. primùm quando *Vide in Epitomate conditionali.*

quando ſyllogiſmus eſt de contingenti vt in prædicato de ineſſe vero in ſubiecto. Tunc valet primo de anima ex relatione Commentator à Themiſtio, vt ſi Dion nauigat poſſibile eſt ipſum bene nauigare: ſed non nauigat, ergo impoſſibile eſt ipſum bene nauigare. Sed cùm multa ſunt; primùm eſt de exemplo animalis, & hominis, quia hæc non eſt contingens, animal eſt homo, quia eius conuerſa eſſet contingens; primùm iſta conſequentia non valet, Dion ſi nauigat, poteſt bene nauigare, ſed non nauigat, ergo impoſſibile eſt ipſum bene nauigare. Primùm iſta conſequentia non valet, ſi eſt hoc, poſſibile eſt quod ſit albus, ſed non eſt homo, ergo impoſſibile eſt quod ſit albus. Item Socrates procreandus ſi eſt animal, poſſibile eſt quod ſit homo, ſed non eſt animal, igitur impoſſibile eſt quod ſit homo. Item dubitat circa exemplum commentatoris, quia ſic videtur contingens, animal eſt homo, ergo eſt eius conuerſa, homo eſt animal. Vltimò dubitatur circa annexum Themiſtij, in quo dicit quod in talibus non valet à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis: nam ſic iſta ſtarent ſimul, non contingit Dionem bene nauigare & Dion nauigat, quare & contingit ipſum bene nauigare; propter hoc intelligantur verba Themiſtrij, & non egebunt gloſà; & ſunt quod oportet conſequens eſſe partem antecedentis: propter hoc igitur verificatur argumentum tertium non valere. Secundò oportet intelligere ex verbis Themiſtij, quod illa contingentia eſt in illatione, vt ſenſus ſit, non contigit Dionem bene nauigare. 1. quando non nauigat, in eo quod non nauigat, neque bene neque malè poteſt nauigare. Propter hoc ſoluitur ſecundum, neque 4. & 5. neque primum procedunt ex hoc ad primum; tamen & 5. dico quod hoc animal eſt homo, eſt neceſſaria; non tamen hoc animal eſt homo, neque huius conuerſa. Ad vltimum dico ex ſecunda conditione, ſi intelligitur quod non contingit de facto, Dionem bene nauigare, quod poteſt cum hoc ſtare, contingere Dionem bene nauigare. Sed circa hoc contingit dubitatio cur poſuit in contingentibus principales regulas, non autem in ſyllogiſmis ſecundæ figuræ, quomodo enim dixit quod maiori de ineſſe & minori contingenti ſequitur concluſio aliquando contingens, aliquando neceſſaria cap. 20. & 21. Primo priorum dixit, quòd maiori neceſſariâ exiſtente eſt concluſio contingens aut de vero; Si de vero cum in hac materia poſuit ſpeciales regulas quæ non ſunt ad ſcientiam ſi de non vero non verificatur. Reſpondeo contingens verum eſſe dupliciter; quoddam in maiori parte, & quoddam infinitum, aut in minori 1. priorum 18. & id quod eſt in maiori parte eſt vtile ad ſcientiam, non id quod eſt infinitum; propterea eiuſdem 19. Commento reprehenditur Themiſtius, qui poſuit quod non eſſet vtile; & ſic aliquod vnum totum genus contingentis eſt vtile, & de eo debent tradi regulæ tanquam de vniuerſali, non eſt autem ſic de concludentibus in ſecunda figura, in quibus non eſt vna regula generalis, ex parte autem ſumpta, ſed

Vnde 2. poſteriorum. T. & commẽto 180. de contingentibus, Totum ad literam dicitur, vide 1. 4. contradictionẽ pro homine.

ex parte modi; ſed non videtur contingens in pluribus poſſe ſciri; nam 6. Ethicorum 4. & primo poſteriorum 5. ſcientia eſt impoſſibilium aliter ſe habere; Sic & 21. eiuſdem. Reſpondeo, tale comparatum ſuis cauſis eſt neceſſarium, igitur eſt de omni contingenti eſt ſcientia pari ratione. Reſpondeo contingens natum vel in pluribus cauſas habet limitatas ſui eſſe, quarum reſpectu poteſt ſciri, ſed reſpectu aliarum cauſarum eſt de eo opinio. Contingens vero infinitum non habet cauſas limitatas, ideo non ſcitur: Et ob hanc rationem in libro priorum tractatur de contingenti nato, non de aliis.

Contradictio LXXIII.

De proprietate ſubiecti eſt, vt ſit appoſitum, non ſuppoſitum; prædicatum, non ſubiectum.

PRimo Perihermeneias, dicitur in capite de Verbo, quòd de proprietate eius eſt vt ſit appoſitum, non ſuppoſitum, prædicatum non ſubiectum. Ex quo videtur, quod ſit pars prædicati. Oppoſitum in primo priorum primo, in expoſitione illius particulæ. Terminus eſt in quem reſoluitur propoſitio; ſoluitur à Commentatore in quæſito de diffinitione termini; copula intelligitur quando eſt compoſitio, & ſic in ipſum non reſoluitur propoſitio: quia non poteſt per ſe ſtare: ſed prout intelligitur per ſe ſtare, ſic ſe tenet ex parte prædicati; ideo ab Ariſtotele dicitur adprædicari; nec habet rationem copulæ, & eſt prædicatum, & in ipſum reſoluitur propoſitio; ſubiectum verò & prædicatum per ſe poſſunt eſſe ſine alio formaliter. Ergo eſt pars prædicati, formaliter verò non, ſed eſt vnio quædam; Ergo dicitur quod reſoluitur propoſitio in illa, ex quibus proponitur; Limitatur ab Auerroë in quæſito, hoc modo, ex quibus per ſe componitur; ex his verò per ſe componitur quæ per ſe poſſunt eſſe: Ideo ſubiectum omnino eſt relatiuum.

In commento magno.

Contradictio LXXIV.

In media figura non fit categoricus ſyllogiſmus.

IN media figura non fit categoricus ſyllogiſmus, Oppoſitum habetur 2. priorum 29. Categoricus in tres figuras diſtinguitur. Solutio; Accipit Ariſtoteles categoricum non pro vt Nominales dicunt, diſiunctum ab hypothetico, ſed affirmatiuum ſignificans. Per hæc, innumera Ariſtotelis loca intelliges ſic; categoricus ſyllogiſmus accipitur aliquando

1 Poſter. 32. Et in magnis commẽtariis quæſito 1. de noſtificatione Cæli. Diuiditur ſyllogiſmus in categoricum & hypotheticum.

quando prout distinguitur ab Auerroë quasi impossibile, vt 1. Posterior. 175. & sic ter dicitur.

CONTRADICTIO LXXV.

Ens solo nomine est commune.

Cap. 3. Vniuersalium.

PORPHYRIOS in capite de speciebus, & Commentator in commento, ens solo nomine est commune decem prædicamentis; imò omnia si quis appellet, æquiuocè noncupabit; Oppositum 4. Metaphysicæ 7. Metaphys. 15. & alibi pluries. Soluitur, apud Auerroëm inueniuntur vniuocatio, analogia, & æquiuocatio. Et analogia est triplex, 1. Ethicorum 7. Ens est analogum proportione; Ita quod omnia sunt entia propter substantiam; sicut sana omnia dicuntur ad sanitatem in corpore; quando ergo dicitur quod est conuenientia solo nomine, intelligitur ratione naturæ participatæ, non ratione termini prædicabilis.

1. Posterior. 3. impossibile est quod demonstratio ostendat diffinitionem.

CONTRADICTIO LXXVI.

Diffinitio non potest demonstrari.

IN primo Posterior. 5. cap. 2. Dicitur diffinitionem non posse demonstrari. Oppositum duplex; diffinitio formalis quæ non potest demonstrari, & materialis quæ demonstratur; vide pro hoc Auerroëm 1. Posteriorum in commento primo magno; & 71. ait, quæsita duplicia quædam accidentia, quædam diffinitiones aut earum partes, quæ demonstrantur de subiectis. Idem commento 45.

CONTRADICTIO LXXVII.

Ars communis est, quæ speculatur Ens in quantum Ens.

AVerroës in 59. commento magno dicit, quod ars communis est quæ speculatur ens in quantum ens, Ergo vult Metaphysicum esse de ente tanquam ens. Oppositum primo Physicorum vltimo, & secundo Physico. 22. & alibi, ponitur substantia abstracta subiectum. Respondeo per Auerroëm, ibidem duplex Metaphysica, communis, & Theologia; prima est de qua hic; secunda de qua in Philosophicis 9. quia neque talis Metaphysica speculatur ens in quantum eos, 4. Metaphysic. 2. Respondeo, duplex est illius subiectum; primum primitate adæquationis & participationis; vel distingue de tertio subiecto.

CONTRADICTIO LXXVIII.

Æquiuoca sunt quorum solùm nomen est commune, & ratio subiecti est diuersa.

CAp. 2. in antepræ dicamentis. Æquiuoca sunt quorum nomen est commune, ratio substantiæ est diuersa, in Antepræ dicamentis cap. 1. Oppositum 7. Physicorum 26. Vbi dicitur æquiuoca vera distingui ratione, & nomine. Soluitur, ibi ponitur æquiuocatum corporabile duplex, quoddam ambiguum, & est quod habet diffinitionem æquiuocam & nomen æquiuocum, vt duplum, & dimidium quoddam quod est verè æquiuocum, quod penitus habet diffinitionem eo conueniat in nomine; Ergo in vtroque est conuenientia ex parte nominis, & diuersitas ex parte rationis; Sed in vero est manifesta diuersitas in ambiguo: non diuiditur verò verum æquiuocum in à consilio, & caso: pro hoc vide 7. Physicorum 31. & 28. & 6. topicorum cap. 4. & in commento magno, libro 6. topicorum, & sermone de locis diffinitionum communibus 10. prædimentis loco 7. in prædicamentis cap. de substantia, circa medium.

CONTRADICTIO LXXIX.

Album solam qualitatem significat.

IN prædicamento de Substantia. Et fortius 5. posteriorum 136. idem est dicere. Album solam qualitatem significat, ex quo sumitur quod denominatiua sola significet qualitatem. Oppositum 2. de anima 8. vbi in artificialibus vult primo importari materias, & primo priorum cap. 51. & 8. Metaphysic. 7. & 5. Metaphysic. 14. & 7. Metaphysic. 18. Soluitur, quod denominatiua quædam sunt significantia artificialia, quædam naturalia: illa quæ artificia prius materiam, quia per ea ea sunt in actu significant 8. Metaphysic. 7. Et eorum quæ naturalia important, quædam sunt denominatiua, & illa habent duplex significatum; aut solùm accidente, & primus modus est ei proprius syllogismus. Solutio, Auerroës in commentario magno in Epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus in fine; cum vero intelligitur primum significatum sic debet accipi, solum accidens significat; in comparatione tamen ad subiectum Aristoteles in prædicamentis accepit hoc modo, in primo

Homo est albus, & homo est homo albus.

mo priorum secundo modo. Sed de his quæ non sunt denominatiua, significantia tamen res naturales, verificatur dictum 2. de anima, quod semper priùs formas quàm materias significant, quia per eas sunt in actu, 2. de anima 2. & 7. Metaphysic. 7.

CONTRADICTIO LXXX.

Suppositio non est demonstrabilis.

In 1. Poster. 5. c. 2. IN primo posteriorum 5. cap. 2. Suppositio non est demonstrabilis. Oppositum T. 25. Vbi dicit, quæcunque ergo demonstrabilia, ipse non demonstrando accipit, hæc siquidem veluti addiscenti visa sumat supponitur. Soluitur ex verbis sequentibus immediatè, & est non simplex quidem, sed ad illum suppositio, id est duplex suppositio, & est indemonstrabilis, & ad hominem, & est demonstrabilis licet illi non demonstretur.

CONTRADICTIO LXXXI.

Species prædicatorum de pluribus differentibus numero solùm.

Cap. 5. vniuersalium. PORphyrius cap. 5. Species prædicatorum de pluribus differentibus solùm numero, cùm ergo diffinitio competat in primo modo dicendi per se primo posteriorum 9. ergo erit vt species per se de indiuiduis prædicetur. Oppositum habetur tertio Metaphysicor. 47. & primo posteriorum 21. & colligitur etiam esse ex nouo T. quia indiuiduorum non est prædicatio per se primo, quia non haberent diffinitionem. Soluitur, de indiuiduis per se, non de vno assignato.

CONTRADICTIO LXXXII.

Tantùm sunt duo modi syllogismi hypothetici conditionalis compositi.

1. Prior. TAntùm sunt duo modi syllogismi hypothetici compositi. Oppositum, In quæsito de conditionali, an per ipsum ostendatur quæsitum primum ignotum. In commento magno vbi ponuntur 5. Species huiusmodi syllogismi. Solutio, syllogismus hypotheticus duplex est, quidam habet duos terminos tantùm, quidam tres. Primus est per naturam, & de illo dixit Auerroes in præsenti commento, quòd sunt duæ species compositi, & quatuor diuisi: ille verò qui non communicat in terminis est verè hypotheticus: vt, si sol est ortus, dies est. At syllogismi compositi communicantes in terminis & trium terminorum, sunt in quarta differentia: aut subiectum antecedentis est subiectum consequentis: aut prædicatum consequentis aut prædicatum antecedentis est subiectum vel prædicatum consequentis. Et primus modus est duplex à positione antecedentis ad positionem consequentis, & à negatione consequentis ad negationem antecedentis. Primus habet vim syllogismi categorici primæ figuræ; secundus verò vim argumenti ducentis ad impossibile, & vocatur syllogismus conuersiuus, secundo priorum 8. & ad impossibile secundo eiusdem. 11. & potest etiam habere rationem syllogismi categorici in prima figura: vt dicas, si est homo est animal, sed non est animal, ergo non est homo. Primò omnis homo animal est, & hoc non est animal, ergo non est homo. Illi verò quarti modi sunt aut conditionales, quia solùm habent duos terminos; vt si homo est, animal est, æquiualet omnis homo animal est: si verò prædicatum sit aliud à copula, vis huius est vis exempli. Species verò tertia habet vim figuræ tertiæ, ideo per ipsum sola particularis concluditur; species vero secunda habet vim secundæ figuræ, & ideo vel negatiua concluditur, vel vna propositionum est conuersibilis. Et in his tribus vltimis speciebus est aliquando verus syllogismus hypotheticus, quando termini sunt tantùm duo in potentia, licet plures in actu. Diuisiuus vero omnis est naturalis; Ideo per compositum terminorum communicantium ostendi potest quæsitum primum.

CONTRADICTIO LXXIII.

De omni comprehendit tres conditiones.

IN T. octauo dicit, quod de omni comprehendit duas conditiones, & in 11. Dicitur quod vniuersale est de omni. Oppositum primo posteriorum in commento magno 71. Supra Titulum 24. Vbi dicit quod dictum de omni comprehendit tria: vniuersale per se & primum vltra veritatem; Soluitur, de omni quod est forma quasi demonstrationis comprehendit ista tria vt potissima sicut de omni diffinitum in octauo est quasi forma demonstrationis communis, & de omni diffinitum primo priorum forma syllogismi. *1. Magno commento.*

* *

CONTRADICTIO LXXXIV.

Vtitur Aristoteles nomine æquiuoco.

1.Poster.46. Dicit vocabulum κύων, quod est æquiuocum, Domine; & propriè, ergo in demonstratiuis vtitur terminis æquiuocis non conuenientibus in omnibus intentionibus, cuius oppositum videtur tertio de anima secundo. Respondeo, vtitur etiam in alio casu, quando contrahuntur ex significato manifesto; vt si dicatur canis latrat; clarum est quod intelligitur de terrestri, & hoc est vsitatum primo Physicorum commento primo, quando dixit Auerroës quod Aristoteles modicam sollicitudinem habet de æquiuocis; & per hoc sic tollitur, quod non est fallacia æquiuocationis, neque deceptio.

CONTRADICTIO LXXXV.

Datur demonstratio negatiua.

PRimo posteriorum vigesimosexto. In commento 73. dicit commonstrationem esse quod passio insit subiecto, aut non insit alicui res contentæ specie aliqua talium subiectorum. Idem in paraphrasi commento vigesimosexto, datur demonstratio negatiua: idem octuagesimoquinto primo posteriorum secundo, cap. tertio in fine, & promo posteriorum commento 91. non est differentia inter demonstrationem contingentem, & destruentem. Oppositum in commento magno, demonstratio negatiua non est demonstratio. Soluitur ex eius principiis commento 159. datur gradus in demonstrationibus, quia demonstratio dicitur de illis analogicè.

CONTRADICTIO LXXXVI.

Vnius rei tantùm est vna demonstratio.

SExto magnorum commentariorum 44. Vnius rei tantum est vna demonstratio, quia & vna tantùm diffinitio. Oppositum secundo posteriorum octauo quo ad secundam partem & decimo oppositum primo, secundo eiusdem T. cap. vndecimn. Respondeo, demonstratio potissima est vna tantùm, quam virtualiter omnia genera categoriarum ingrediuntur; & eusdem est diffinitio vna, de quà quarto Physicorum 31. dicitur, quod debet comprehendere omne genus causæ; sed sicut dantur diffinitiones per vnum tantùm genus causæ, ita & demonstrationes.

CONTRADICTIO LXXXVII.

Demonstratio ex causis remotis non est demonstratio, nisi æquiuocè.

IN commento nonagesimoquinto contra Auicennam vult demonstrationem significare veram demonstrationem, sed in commento decimo magno vult quòd demonstratio per causas remotas non sit demonstratio nisi æquiuocè. Solutio, vel comparantur istæ demonstrationes ad communem demonstrationem & sic analogicè continentur sub illa: vel ex parte finis ad demonstrationem simpliciter, & sic æquiuocè, æquiuocatione non excludente analogiam. In commento vigesimo quarto dicitur quod de dignitatibus non præcognoscitur quod est nominis. Oppositum in commento magno septuagesimoquarto, super titulum vigesimumquintum, primi posteriorum. Soluta est superius. Sed tamen etiam ibi colligitur quod quædam sunt manifestæ, de quibus non opus hoc præcognoscere, quædam vero non, & vide ibi. 1.Magnor. comm. 10.

CONTRADICTIO LXXXVIII.

Distinguitur positio in suppositionem & definitionem.

PRimo posteriorum quinto, in commento quinto, distinguit positionem in suppositionem & definitionem. Oppositum, In commento magno primi posteriorum 78. vbi dicit suppositionem distingui in subiectionem, petitionem, & diffinitionem; dicitur quod per suppositiones ibi intelligit positionem, vt per subiectionem ac petitionem ipsam suppositionem; ita quod suppositio hic descripta diuiditur in petitionem & subiectionem: vnde in 79. dicit quod differentia inter diffinitionem & petitionem, & subiectionem, est quod diffinitio non ponit veritatem neque falsitatem, sed cæteræ ponuntur, & appellantur à Commentatore in commento 25. dignitas. Propositio, nota per naturam, Petitio. Prologus de quo secundo priorum 17. subiectio, radix posita: solùm conueniunt in diffinitione nominis. Sed ibi in 79. vult dicere sic positurum differentiam inter dignitates & diffinitiones, quod facit in sequentibus. Considera, In 26. dictum est quod cõtingit per omnia genera causarum demõstrare. Oppositum in

in primo posteriorum commento 35. magno, vbi per hoc probat quartum modum dicendi per se non ingredi demonstrationem, soluta est in 86.

Pro dicto per se, vide secundo de anima 67. Pro diffinitione secundo de anima 12. & quæ ibi.

CONTRADICTIO LXXXIX.

Demonstratio à causa remota ad effectum est demonstratio quia.

PRimo posteriorum 30. in commmento 35. primo de Cœlo dicitur quod demonstratio à causa ignota ad effectum est demonstratio propter quod, & ab effectu ad causam est, quia in commento 95. primo posteriorum dicitur quod à causa remota ad effectum est demonstratio essendi. Omnis autem demonstratio propter quod est causa propinqua. Idem in commento 3. in Paraphrasi, & Aristoteles in T. Alia contradictio, qua ibi dicit quod in demonstratione causę procedimus à nobis ignoto ad notum, in primo Physicorum secundo, & secundo de anima 12. & 23. & vbi citatur, dicitur quod in demonstrationibus imus de notioribus nobis semper ad ignotiora. In primo posteriorum 96. vult hoc expressè, quod causa sit notior effectu in demonstratione, propter quod. Soluitur, Auerroës secundo Cœli 35. loquitur communiter de demonstratione dante esse, non distinguendo eam in suas species, & attendit ibi solùm medij ad extrema comparationem, non certitudinem; Ad secundam in 97. & 97. vult causam esse notam esse, & similiter effectum: sed ignotum fore causam talem illius effectus effectus esse causam ante demonstrationem.

CONTRADICTIO XC.

Necesse est de subiecto præcognosci quia est.

IN primo posteriorum secundo. Necesse est de subiecto præcognosci quia est. Oppositum in commento 111. primo posteriorum, vbi dicit quod Mathematicus non considerat formas in materia, neque ipsas esse; Et aute ibidem, Mathematicus non considerat an hæ sint res quæ sint. Soluitur, quod supponit ipsas esse quo ad essentiam, non quo ad esse existentiæ; & licèt esse essentiæ ex parte rei non differat ab esse existentiæ, tamen differt ex parte considerationis. Tale igitur quia est, est esse essentiæ. Sed contrà, quia probatur dari quadratum 45. propositione primi Euclidis, & iterum hexagonum 15. quarto Respondeo secundo de Anima Commento 27. artifex non potest probare subiectum, neque species sui subiecti esse idem, primo Physicorum vltimo & duodecimo. Metaphysicorum tertio, & sexto Metaphysicor. primo & secundo Physicorum 26. Ampliatur propositio, neque à priori, neque à posteriori, & de principiis dicitur primo posteriorum 23. idem. Sed oppono. quarto Cœli communiter dicitur 32. & de subiecto libri Elenchorum. Soluitur à quibusdam hoc modo; scientiæ quædam tanquam notissima despiciunt sua subiecta, vt videtur primo posteriorum T. cap. 25. & quædam sunt parum ignota, vt egeant syllogismo hypothetico: auctoritate Auerroïs quarto Cœli 22. & Themistij secundo posteriorum 11. Confirmatur aliqua subiecta inductione indigere, de partibus verò subiectiuis conceditur demonstrationem, *Quia*, posse demonstrari, vt de sensu communi secundo de anima 146. & de intellectu agente & possibili tertio de anima 4. & 5. & 17. & 18. Vnde secundo de anima 29. artifex ponit subiecta manifesta per se, & dimittit alia quæ non sunt manifesta, & ideo dixit Commentator secundo Physicorum de subiecti principiis, asserens ea à posteriori declarari posse, si subiecti causæ lateurint. Quod dicitur de libro Elenchorum, negatur probari demonstratiuè, sed iam principia non posse probari in scientia à priori, clarè demonstrauit Auerroës; quod vero à posteriori, si intelligitur de principiis demonstrationis, falsum est; cum ea indemonstrabilia sint, & notissima; si virò de causis subiecti conceditur. De libro Elenchorum dicimus, quod non probat; imo Auerroës in primo capite paraphrasis Elenchorum vult quod sit per se notum paralogismum dari; conditiones verò subiecti communis a prioristico accipit, sed specificas passiones ipse declarat; quod vero dicitur de partibus subiectiuis, dicimus quod probari potest quod subiectum tali subiecto continetur; non tamen possont probari esse: quod autem dicitur de intellectu agente negamus, sed solùm probatur, quod intellectus est agens, & possibilis, & quod virtus sensitiua est communis; sic dictum Auerroïs 4. Cœli, quod illud sit rarò est de probatione partium subiectiuarum, quod continentur sub subiecto, & haberet rationem passionum; Vnde exemplum de trigono primo posteriorum secundo & 9. Soluatur pro passione de quadrato & hexagono: probat passionem, licet doceat inuentionem, & ideo multæ species sub genere rationem habent passionis, prout probatur, sicut etiam passio de subiecto.

* *

CONTRA

CONTRADICTIO XCI.

Assignantur modi concludentes ex negatiua vniuersali, & affirmatiua particulari.

T.8.1.Prior. Assignantur modi concludentes ex negatiua vniuersali & affirmatiua particulari: Oppositum 1.posterior. 103. non concluditur in prima figura, nisi altera præmissarum sit vniuersalis affirmatiua, & propter hoc probat syllogismos omnes secundæ figuræ; indigere primâ si sint mediati. Respondeo, intelligitur dictum mediatè velim mediatè, quia si vniuersalis negatiua fuit conclusa, ergo quia vniuersalis est, ista fuit conclusa in prima, vel in secunda figuras; si primum, habetur intentum; si secundum, ergo necesse fuit, alteram præmissarum esse affirmatiuam vniuersalem, quæ non concluditur, nisi in prima figura, t. prior.29. cap.5. Contra ex hoc non habetur vniuersaliter omnem conclusionem secundæ figuræ mediatam indigere primâ. Respondeo quod sic, saltem mediatè, stante supposito quòd nil concluditur in secunda figura ex immediatis: Contra, ergo petit principium. Respondeo non, quia intendit probare, quod assumptio est in prima, necessariò, non quòd tantum sit necessaria.

CONTRADICTIO XCII.

Diffinitio neque vniuersalis neque particularis.

PRimò posteriorum à 5. In commento 5 t. paraphrasis, & 103. magnor. primo posteriorum, conclusiones & diffinitiones sunt vniuersales. Oppositum superiùs in T.25. diffinitio neque vniuersalis, neque particularis. Solutur in commento, & commento 81. sunt vniuersales diffinitiones in potentia non actu, id est, Vniuersaliter de definito verificabiles; aliatum non esset medium in demonstratione: in actu verò non vniuersales; licet per vniuersalem intelligat Commentator in commento 81. idem quod non singulare sicut 1. Pheriermenias c.5. ideo bene causa assignatur in commento 79. quare non dicitur actu, neque verè affirmatiuè, neque negatiuè, neque vniuersales, aut particulares, neque vniuersaliter propositiones, quia sunt quasi simplices dictiones, habentes tantùm complexionem conditionis, & connexionis, non enuntiationis: ideo non sunt neque veræ, neque falsæ; & hæc potest esse solutio ad dubitationem primo Posteriorum T.cap.5. de diffinitione facta.

CONTRADICTIO XCIII.

Principia sunt in vnoquoque genere, quæ quod sint non contingit demonstrare.

PRimo posterior. T.24. Dicit principia in vnoquoque genere esse, quæ quod sint non contingit demonstrare. Oppositum inferius in eodem T. principiorum quædam demonstrabilia, quædam non. Soluitur, contingit demonstrare quod sint 1. posterior. 92. & 122. vbi vide quod non est legendus liber posteriorum: nisi ab eo qui legerit librum priorum: & commento 36. & 151. in demonstratione simplici medium est causa maioris extremi.

CONTRADICTIO XCIV.

Maior negatiua non habet conditionem totius & partis.

IN primo priorum 15. Negatur conditio totius, & partis in maiore propositione, eò quod negatiua esse potest. Oppositum in commento magno, quæsito primo, de illatione mixtorum, vbi ponitur maiorem continere minorem & vt totum partem. Soluitur; ex verbis eius loquitur de extremitatibus, ibi verò de propositionibus.

CONTRADICTIO VCV.

Maiori de inesse existente, & minori de possibili, non tenet syllogismus per dictum de omni.

PRimo posteriorum 10. In commento 10. eiusdem dicitur; quod maiori existente de inesse ex minori possibili non concludit syllogismus per dictum de omni, & sic in vigesimoprimo maiori existente necessaria. Oppositum; In quæsito sexto de illatione mixtorum ex tribus modis, vbi dicitur quod tenent ex dicto de omni. Soluitur: Ibi loquitur de dicto de omni communiter sumpto, prout intelligitur actu, aut virtute; hic de omni, prout actu probat syllogismum: de hoc in 72.

Contradictio XCVI.

Album per acc d ns prædicatur.

IN ptimo posteriorum 34. album per accid ns prædicatut de homine. Oppositum in T. 9. Soluitur in T. 34. Intelligit per accidens. 1. Indirectè: quod pater ex sequentibus verbis; vnde commento 150. 3. diciturprædicatio non essentialis prima, quæ est accidentis immediati de suo subiecto, quod ponitur in diffinitione illius, & hæc non rennitur in hoc libro. Secundò, si prædicatum de subiecto dicitur, fit proptet aliquod accidens. Tertiò, si prædicatur innatum subiici, hæc renuitur; & vocatur vltima perfectionalis.

In commento 136. pertractatur quæ prædicatio sit naturalis, quæ contra: nam quod liber Magnorom Contrariorum non sit Auerroïs pluribus suadetur mediis. Primò quia textus ejus est diuersus à textu paraphrasis; ergo dimisit verum, & exposuit alium. Secundo, q: multoties quod ponitur in Textu cõmenti magni vt, in 15. T. magno, respectu paraphrasis T. 5. apparet, & T. 54. eiusdem 1. posteriorum respectu commenti 19. paraphrasis. Tertio, quia T. est nimis diffusus, & commentum nimis explicans verba; quod non videmus in aliis operibus Philosophiæ vbi & est commentatio magna. Quarto, quia nimis laudar Deum, contra suum morem, & ipsum asserit particularia intelligere; cuius oppositum sentit 12. Metaphysicæ commeotn 51. Quinto, quia adsunt multę contradictiones inferius adducendæ inter hæc, & alibi dicta. Sextò, quia nimis ordinatè progreditur, vt in commento 133. apparet de sensibus, & in quæsito dę inesse & necessario, & in quæsito de conditionali, & in infinitis locis; & non dimittit aliquod verbum vnquam inexpositum. Septimo, quia teperit dicta in aliis locis, quod sui moris non est. Pro 6. vide commento 150. priorum, vide etiam commento 78. & contradictione 101. Respondeo supponendo commentum & 2. eiusdem 35. & 34. & 37. & 2. de anima 24. & in libello de somno & vigilia, & 5. Colliget in fine, & 10. Oeconomicorum, & in libro de bona fortuna; & tamen hos libros non negamus veros esse: sed in libro Cœli videtur maior conformitas esse: quia factus fuit in iuuentute, vt colligitur 10. Metaphysicæ 45. ad quintum apparet hoc in aliis operibus; idem edidit in primum Cœli, oon in alia opera: ad Primum negatur antecedens, nam inueniuntur in Physicis repetiones. Magnum pius fuisse pataphrasi: ad primum non habebat titulum paraphrasis, nec nos habemus: ideo paraphrasis non fuit ita dubia. Ad secundum, in paraphrasi posuit quod putauit esse in titulo; & fortè fuit in titulo paraphrasis. Ad tertium fecit in iuuentute; ad quartum est additio translatoris aut nondum viderat rationes Physicas; & hoc apparet in consimili 1. Cœli 2. vnde Metaphysicæ commento 4. dicitur, & intendit per Logicam hic considerationem, quæ fit ex propositionibus nonconuenientib.

Contradictio XCVII.

Logica duobus modis vsitatur.

IN commento 151. Magnor. comment. Logica duobus modis vsitatur, vno modo vt instrumentũ, alio modo, vt est vna scientiarum, & suę cõclusiones sunt principia in aliis scientiis. Idem 1. Physic. 39. Sed superadditur quod non est ille modus proprius alicui arti nisi primæ Philosophiæ: Et 8. Physic. commen. 70. intendit per dialecticam sermones veros qui ex accidentibus vniuersalibus componuntur; Ad 4. Physicor. commento 87. dicit quod sermones logici sunt extranei in Philosophia: in commento verò 70. primi Cœli, idem est quod: In 8. Physicor. & 7. Metaphys. 2, idem dicitur, sed additur quod est entis simpliciter, secus diffinitiones & descriptiones. Idem secundo eiusdem commento 14. & primo Ethicorum c. 3. Sed sic sunt plures contradictiones, quia primo posterior. 16. tales sermones sunt falsi, 2. quia appropriantur vnicuique scientiæ, sic sunt extranei. Tertio Logica est duplex; vtens, vt instrumentum: & docens, quæ docet per propositiones dialecticas: vnde primo Topicorum a. dicitor habere instrumentum ad omnium methodorum principia & vimas & primo Physicot. 8. declaratur quomodo ad ipsam vt ad primam Philosophiam spectat cunctis particularibus scientiis probare principia: vnde 4. Metaphysicæ 5. circa idem versantur Philosophus Dialecticus & Sophista. Eandem de dialectico scientiam scribit, tertio Metaphys. 2. & primo posteriorum 17. Dialectica est de omnibus communibus, sed differt à prima Philosophia in certitudine, & in assumendo propositiones, & ideo iuuamen Logicæ vtentis est, quòd assumantur propositiones vniuersales eius ante sermones demonstratiuos: vnde tertio Metaphys. primo intendit in boc tractatu inducere sermones disputatiuos, qui affirmant & demonstrant idem in omnibus quæstionibus huius scientiæ: Et ista est consuetudo Aristotelis in omnibus scientiis, scilicet in quæstionibus difficilibus: & idem 4. Physic. 3. & 51. Propter hoc dixit Auerroës primo Topicorum c. 1. causam huius; in primo iuuamine artis Topicæ ad scientias theoricas, & est quum secernitur per quæstioner oppositas, illud quod est per se ab eo quod est per accidens; quia illud quod est per se, non habet prædicatum oppositum; sed illud quod est per accidens, Propter hoc soluitur contradictio primo Cœli 2. & primo de anima 65. Bene ex dictis primo Cœli 85. dupliciter vsitantur tales sermones Topici ad exercitandum, & dubitandum, & tunc debent præcedere: aut ad confirmandum, & tunc debent sequi; & malè intelligunt illud verbum exercitandum, quia non vult dicere quòd sit exercitium disputandi vt fiat syllogismus

logiſmus Topicus aut Elenchus, ſed vt ſecernantur prædicata per ſe, vt dictum eſt ſuperius à prædicatis per accidens. Secundum iuuamen ibidem eſt, vt vtatur docens Logica poſitiua, quæ ſolùm vſitatur ad cognitionem propoſitionum & dictionum. Tertius eſt, vt docens iuuetur prædicatis, præmiſſis & ſyllogiſmis. Quartus, vt docens primo inſtruat addiſcentem de concluſione deducta ad faciliorem rationem, putà probabilem. Quintus, vt repellantur Sophiſtæ negantes principia ſcientiarum. Sextus eſt, ad confirmandum illud quod negatur demonſtratum per aſſumptiones famoſarum propoſitionum. Ex his colligitur diuiſio Dialecticæ in conſiderationem propriam, & eſt ſcientia, vt bene Scotus prima quæſtione vniuerſalium determinauit; Si verò vt vtens, hoc duobus modis, aut vt proprium inſtrumentum, aut vt commune: Si primum, duplicitet, aut per primam, vel ſecundam aut per tertiam operationem intellectus; & ſic iuuamur per librum Prædicamentorum, Prædicabilium & Periermenias. Si ſecundum, aut determinatè aut imperfectè. Primum eſt iuuamentum libri 1. priorum; ſecundum libri poſteriorum. Si verò ſit iuuamentum commune, tunc vel ſit ad præexercitamentum, aut ad confirmandum, aut ad docendum, aut ad repellendum falſam opionem; & hoc vltimum eſt opus Sophiſtico & Topico commune: Quod verò ſit ad præexercitamentum, aſſumit vtramque partem contradictionis, quod ad docendum vel confirmandum vulgo conceſſas aſſumit propoſitiones. Ad primam ergo contradictionem loquitur de ea quæ ſit ad docendum, quæ ſæpe eſt ex falſis; & ca quæ ad præexercitamentum, non tamen ex toto, ſed in parte. Ad ſecundam repulſini & alij ſunt extranei, non quando eſt proprium inſtrumentum. Ad tertiam loquitur ſolùm de vtente; vnde Auerroës non dicit, Logica eſt duplex; ſed dupliciter vſitatur; aut ſermones Logici vſitantur dupliciter. Propter hæc bona in proœmio poſteriorum Auerroës negat conſequentiam illam Auicennæ: Vſitatio communis præcedit Topicæ vſitationem propriam demonſtratiuè; Ergo regulæ Topicæ, regulas demonſtratiuas duabus de cauſis, tum quia aſſumpta eſt vera ſolùm in præexercitamento, aut docendo, non in confirmando; ſecundò quia ponitur talis ordo regulæ demonſtratiuæ & regolæ probabilis, vſus regularum probabilium, & vſus proprius demonſtrationis: & ideo non valet, Proprius vſus demonſtratiuæ doctrinæ eſt poſterior communi regularum Topicarum, Ergo & regula demonſtratiua regulâ Topicâ; nam inter proprium vſum Topicæ & regulam Topicam mediat vſus communis Topicæ, præcedens vſum proprium Topicæ.

* * *

Contradictio XCVIII.

Quicquid prædicatur per ſe de prædicato, prædicatur per ſe de ſubiecto.

IN Antepræ dicamentis, c. 3. Quicquid prædicatur per ſe de prædicato, prædicatur per ſe de ſubiecto. Oppoſitum primò poſteriorum 162. quando vnum prædicatum, prædicatur de aliquo vniuerſali, prædicatur & de illis quæ ſub illo ſunt: Illud ineſt vniuerſali per ſe, & eius ſuppoſitis per accidens: Soluitur, Regula illa intelligitur à commentatore, ibidem commento 3. de prædicatione ſubſtantiali, non de per ſe. Primos hic loquitur de ſingularium prædicatione, vnde 159. intendit per particularem ipſam ſingularem, non ſignatam clauſura particulari. Tertio dico quòd vniuerſalia non de ſingularibus per ſe prædicantur; regula verò tunc habet intelligi in per ſe prædicatis.

Contradictio XCIX.

Enthymema eſt ſyllogiſmus, & Exemplum Inductio.

PRimo poſteriorum. Enthymema eſt Syllogiſmus, & Exemplum eſt Inductio. Oppoſitum, appatet primo Rhetoricorum ſecundo, vbi ponuntur quatuor inſtrumenta diuerſa; & ſecundo priorum 23. & 24. & 25. & primo eiuſdem 29. & clarum eſt ratione; quia ſyllogiſmus conſtat ex duabus præmiſſis; enthymema tantùm vnâ. Sanctus Doctor dicit quod enthymema eſt ſyllogiſmus detruncatus, ſicut exemplum eſt inductio: & hoc eſt, quia nequeunt propter materiæ probabilitatem aſſumi propoſitiones vniuerſales; primò contra, quia non eſt verum quòd in materia probabili non ſit aſſumere propoſitiones vniuerſales, quia ſic Topicus nunquam ſyllogizaret: Secundo quia Rhetorica non eſt circa ſingulares actus hominum ſingularium, quia tales ſunt infiniti & nullius conſiderationis, pari ratione etenim de Medico dicendum eſſet, quod non poſſet aſſumere propoſitiones vniuerſales; Tertio quia ſyllogiſmus detruncatus ſuo modo amplius non habet formam ſyllogiſmi, Ergo amittit nomen & diffinitionem 42. de anima 9. Antecedens primo priorum 6. eſt euidens 4. Alia eſt proportio ſecundo priorum 24. ex 1. ad inductionem quàm enthymematis ad ſyllogiſmum. Quinto ſic omne enthymema eſſet ſyllogiſmus, & omnis inductio exemplum. Linconienſis aliter dicit, referendo exemplum, & inductionem, & enthymema, ad ſyllogiſmum; & dicit hæc in veritate eſſe eſſentialia ſyllogyſmi: quia ſic verè prædicaretur de ſyllogiſmo; nullus ponit ex littera exemplum eſſe ſyllogiſmum, ſed inductionem. Aliter exponit Philoponus, quod hoc eſt, quia tantùm vim ha-

bet enthymema io Rhetoricis quantum syllogismus in demonstratiuis; sic & de exemplo; sed in Epitomate ponitur Rhetorica demonstratiua; non igitur est verum dictum Philoponi vniuersaliter. Secundo impossibile est quod quis naturaliter tantum credat demonstrationi quantum exemplo, aut inductioni. Primum non redditur causa sufficiens; non enim valet, sunt æqualia in potentia, igitur vnum est aliud. Themistius per Rhetores exprimit Sophistas, & per enthymema commentationes; & eandem vult cum Philopo exponere causam identitatis. Commentator in commento magno, deficiente particula ista in textu Arabico exposuit affirmatiuè, primo exemplo, aut inductione, sic enthymemate vel syllogismo in paraphrasi videtur ponere identitatem inter syllogismum, & enthymema, non autem inter inductionem, & exemplum:quia diait in commento primo; quia omnis verificatio per sermonem erit per syllogismum, aut inductionem, & exemplum. Dico igitur aliter secundum Commentatorem primo Rhetoricorum c. 2. in fine,quod Aristoteles non dicit syllogismum esse enthymema, aut exemplum inductionem; sed diait, Exemplum in Rhetoricis est inductio, & syllogismus enthymema; hoc verò non dicit per æquiualentia, vt putant Philoponus, & Themistius, nec absolutè vt Græci, sed sic diait in Rhetoricis, cum finis sit persuadere oportet hypotheses esse probabiles, sed propositiones vniuersales in materia probabili, non sunt laudabiles,igitur in syllogismo Rhetorico, semper maior debet taceri, & subintelligi vt non propaletur, & sic est verus syllogismus, subintellecta maiori. hæc eadem causa militat in inductione, quòd debet accipi exemplum loco eius: & est alia causa, quia sic fieret repetitio & petitio principij; patet secundo priorum 17. igitur oportet vt id quod est vera inductio apud Rhetorem, apud Iudicem sit exemplum; & id quod est syllogismus sit enthymema. Ideo bene diait Auerroës ibidem, quod Rhetor vtitur tantum exemplo, & enthymemate: & ideo adhuc quod litera esset vt antiqua, cum si verè adhuc posset, stare. Et est sensus, quod enthymema est apud auditorem, vel exemplum est syllogismus verus apud proferentem, aut inductio. Tertia causa est breuitas, quæ in Rhetore esse debet, quæ non sit in syllogismo aut inductione. Ad Auerroem in paraphrasi dico, quod ex prædictis patet quod non est tanta identitas inter inductionem & exemplum, quanta inter syllogismum, & enthymema.

Contradictio C.

Omnis demonstratio est ex principiis.

PRimo posteriorum magnor. comment. to. T. 24. Demonstratio duplex, composita, quæ ex præmissis demonstrabilibus; quædam simplex, quæ ex demonstrabilibus, primo posteriorum 172. & oppositum superius commento 10. magno, & in T. 24. Omnis demonstratio ex principiis est, principiis autem dico, quæ quod sint non contingit demonstrare. & Linconiensis videtur soluere, quod omnis demonstratio subalternantis est de principiis propriis, id est, non communibus. Sed hoc est contra Aristotelem, qui vult quod sit vniuersalis omnis demonstratio. Simpliciter dico igitur, vt superius, quod duplex æquiuocatio, analogica,quæ est in demonstratione ex tantùm simplicibus, & demonstrabilibus; & sic saluatur Commentator in vtroque loco. Ad Aristotelem dico, quod vult in omni demonstratione quædam esse prima,non tamen omnia ita quod omnis cadit supra demonstrationem. Vide in 87. contradictione.

Contradictio CI.

Petitio est propositio dubia, vel contrariè credita.

PRimo posteriorum T. 25. Dicitur quod propositio apparens addiscenti vel probabilis, est suppositio illa quæ est dubia, vel quæ videtur falsa, est petitio. Oppositum in eodem commento, vbi dicit quod dubia est suppositio, sed ea quæ videtur falsa est petitio, & ita contradicit Aristoteles omittendo probabilem, & ponendo dubiam pro suppositione quæ ab Aristotele ponitur petitio. Auerroës in commento magno ponit sicut hic T. 5. & exponit, quod suppositio quam ibi appellat subiectionem, & in paraphrasi radicem positam, quod sit illa quæ recipitur apud discipulum, non secundum se, id est, quod sit apud addiscentem opinio quædam. Textus verò Arabicus facit pro Commentatore in paraphrasi, & sic textus vnius concordat cum commento alterius, & commentum 78. cum textu 24. paraphrasis. Textus autem vetus clariùs sonat contradictionem, dicit enim postulationem esse, quod est contrarium opinioni discentis, aut quod est demonstrabile, & ipso vtitur nondum demonstrato; suppositio verò si ita discenti videatur. Sanctus Thomas ponit tria esse propter corruptionem sui. T. dicit enim, si appareat probabilis, est suppositio; si dubia, petitio; si contraria, quæstio. Sed istud à vero textu dissonat, vt etiam Ferrariensis exponit, & omnes cæteri. Linconiensis vult idem quod Diuus Thomas, sed addit quod petitio dupliciter accipi potest, & sic tollitur contradictio, & hoc apparet expressè in textu Arabico, strictè est idem quod propositio omnino dubia, sed largè est communis ad omnem propositionem demonstrabilem quæ non demonstratur, vel sit probabilis, vel dubia, vel videatur falsa, sed in primo dicto erranit, vt dictum est; dicemus igitur quod dupliciter sumitur petitio, largè vt dictum est, & strictè: & est quæ falsa

videtur addiscenti, aut omnino ignota. Si verò sit dubia, sic est suppositio, vel cum hoc sit probabilis, ita quod Commentator exponatur dubia, id est, aliquo modo cognita est: suppositio, id est propositio non per se nota: demonstrabilis quæ aliquo modo intelligitur; & suppositio quæ nullo modo intellitur; aut modo contrario, est petitio, sed omnis talis est petitio largè sumpta, sed hoc nobis dat intelligere duo; primum quod Textus quem habemus paraphrasis non commentatoris, secundum quod commentum magnum aiit non est commentatoris, aut posterius est paraphrasi.

CONTRADICTIO CII.

Diffinitio est semper vniuersalis.

PRimo posteriorum commento 25. Contradictio prima inter Textum 25. vbi probat diffinitionem non esse petitionem, aut suppositionem, quia diffinitio neque vniuersalis est, neque particularis, & Commentatorem in commento eodem, dicentem, quod diffinitio semper est vniuersalis, suppositio verò vel petitio non semper. In 92. soluimus hanc dubitationem: sed aliter dicere possumus, quòd diffinitio dupliciter habet considerari; vel penès id quod diffinitur, & sic non est nisi naturæ communis vt hic, & primo priorum 32. aut penès id pro quo diffinitur, & sic est semper vniuersalis, & huic sententiæ concordare pro vna parte videtur Sanctus Thomas.

CONTRADICTIO CIII.

Demonstratio est supra naturam vniuersalem infusam multis rebus.

PRimo posteriorum commento 25. In eodem commento dicit quòd demonstratio est supra naturam vniuersalem infusam rebus multis. Ad quod T. videtur sonare, in fine dicens, vnum, & idem in pluribus non æquiuocè. Non dixit de pluribus. Pro hoc facit T. 81. Arabicus, vbi dicit expressè demonstrationem egere natura communi ambiente multitudinem; pro hoc expressè facit commentum 81. vbi dicitur: sed indiget demonstratio natura vna ambiente ipsa singularia; & parum inferius, Et quo non ponamus ipsam naturam separatam, sed existentem in ipsis sensatis, hoc est quod sit indiuisibilis per se & vna, & si partietur per accidens. Ex hoc apparet Commentatorem ponere naturam communem de qua Scotus tantum disceptauit. Oppositum tamen primo de anima vult aut nihil esse, aut posterius esse. Et ibidem Aristoteles non opinatur quod diffinitiones generum, & specierum sint vniuersalium existentium extra animam, sed sint diffinitiones rerum particularium, sed intellectus est qui in iis facit vniuersalitatem & 14. Metaphysicæ 27. vniuersalia non habent esse extra animam: & ideo commento 4. eiusdem, & in commento 11. & in commento 14. eiusdem, dicit, formæ enim omnes in quibus vniuersalia inueniuntur sunt in potentia; Et in commento 28. solum particulare est ens in rei veritate. Idem 2. de generatione 59. & idem 10. Metaphys. 6. & posteriorum commento 26. nam specialis nullum habet esse nisi secundùm quod est in intellectu. Et commento 27. vniuersale non habet esse nisi secundùm quod est scientia, id est, secundùm quod est in anima. Et declaratur idem in eodem commento 6. & 3. Metaphys. 20. substantia non est vniuersale sed singulare: & secundo de anima 60. Idem fecit per insinuationem, cuius modum vide tertio de anima 18. & 70. Metaphysicæ 57. nullum commune aut vniuersale est substantia. Tamen oppositum videtur 7. eiusdem 46. vbi dicitur, diffinitiones vniuersalium habebunt aliquam dispositionem substantiarum existentium extra animam, & qualitatem accidentem eis; & tertio eiusdem secundo vniuersalia sunt communia quia in pluribus. Respondetur, quod in pluribus significare habent plura, suum tamen esse est in intellectu. Contra est ratio Auerrois primo magnorum commentariorum, nam exiens à singularibus impossibile est quod notificet eorum essentiam: demonstratio est ex notificantibus particularium essentiam per diffinitiones, Ergo impossibile est quod diffinitiones sint de natura communi extra singularia; & ratio tantùm contradicit ponentibus vniuersalia in intellectu, quantum ponentibus ideas. Si verò dicas quod sufficit quod repræsentet, respondebo tibi quod ideæ licet sint extra sensibilia tamen ea repræsentant: dico igitur quod vniuersalia repræseptantur duplici modo, aut penès opus collatiuum, aut penès opus simplex: primo modo sunt secundæ intentiones obiectiuæ & subiectiuæ in intellectu. Secundo modo considerantur prout sunt actu vel potentiâ: si potentia, sic sunt in singularibus, vnde Auerroës naturam communem actualem negauit, non potentialem. Si verò prout sunt actu, considerari possunt subiectiuè & terminatiuè: si primum, sic sunt in intellectu; aliter vel ponendæ essent ideæ Platonis; vel vnus homo essent plures homines: si terminatiuè, sic sunt in esse & penès tale esse sumitur prædicatio; ideo non de intellectu sed de ipsis singularibus vniuersale prædicatur. Ideo Auerroës non concludit de esse potentiali, & terminatiuo ipsius vniuersalis, non de actuali subiectiuo. Ideo quando dicitur secundo Cœli, forma est vniuersalis, intelligas poten-

tiâ non actu, vel in esse cognito, non in esse reali.

Contradictio CIV.

Demonstratio omnis est ex necessariis.

PRimo posteriorum 16. Primo magnorum commentariorum T. & commento 180. & in paraphrasi T. commento 43. cap. primo, scientia duplex, quædam necessariorum, quædam contingentiom in pluribus, sic & demonstratio tanquam ex his, & de his. Oppositum primo posteriorum 5. & 7. & 16. & 17. & 21. & 6. & in quarto scientia est de necessariis & ex necessariis sempiternis, & impossibilibus aliter se habere. Linconiensis supra hoc dicit, scientiam propriam esse incorruptibilium; sed communiter dictam eorum quæ sunt frequenter; sed contra, quia in expositione T. 4. dicit scientiam propriè dictam esse eorum quæ semper aut frequentiùs sont: communiter antem dicitur etraticorum, hoc est contingentis infiniti. Respondeo secundum superius dicta à Linconiense, aliter accipitur, communiter & propriè, in vno loco & in alio: nam primo modo distinguitur scientia in communem & propriam, & communis in propriam & communiter dictam; sed propria in propriam magis, & propriissimè dictam. Nec obstat quod omnis in propriam dinidatur, quandoquidem alitet nomen proprij & communis hic & inde sumatur. Per propriam ergo intelligit propriissimam in commento 111. & per communem, scientiam propriè dictam; dimittit autem communiter communem & propriam magis propriè dictam.

Contradictio CV.

Præcognitio dicitur non esse terminorum quod significent.

IN commento primo Magnorum Commentariorum reprehendit Auerroës Themistium, dicentem, præcognitionem præexistentiam esse terminorum, exemplo ædificationis; sed hæc expositio vsurpatur à Commentatore 6. Ethicorum cap. 4. vbi allegans dictum hoc exponit doctrinam, & disciplinam fieri ex perexistenti cognitione, hoc est nominum incomplexorum interpretatione. Soluitur, Non reprehendit Themistium in hoc tantùm, sed quoniam voluit ampliari propositionem & doctrinam, pro vt extenditur ad artificium, & hoc modo malè dixit eam fieri necessariò ex cognitione incomplexorum terminornm, sed de intellectiua doctrina, vt sexto Ethicorum exponitur, non reprehendit eam.

Contradictio CVI.

Duo contradictoria simul aguntur supra falsitatem.

PRimo posteriorum 26. In commento 26. paraphrasis, dicitur quoniam duo contradictoria simul aguntur supra falsitatem, igitur duo contradictoria possunt esse simul falsa. Oppositum. In postprædicamentis cap. de Oppositis differentia octaua, & primo cap. 5. & 4. Metaphysicæ 9. Respondeo in hoc commento deficit negatio, vt sic legatur, quoniam duo contradictoria non simul aguntur supra falsitatem.

Contradictio CVII.

Non omnis syllogismus est ex necessariis aut veris pro maiori parte.

PRimo posteriorum 29. In commento 180. omnis syllogismus est ex propositionibus necessariis, aut præmissis quæ pro maiori parte procedunt. Oppositum primo priorum 17. & primo Elenchorum. Respondeo intelligit per syllogismum demonstrationem non potissimam, sed communem ad illam: sic in paraphrasi T. c.21.& 17. primi posteriorum primum oppositum intelligitur, syllogismus loco demonstrationis aliquando, vt in T.13. eiusdem.

Contradictio CVIII.

Augentur demonstrationes in infinitum in post assumendo.

IN T. 29. paraphrasis, augentur demonstrationes in postassumendo in infinitum. Oppositum sexto & 34. & 35. eiusdem. Soluitur, per infinitum intelligit indeterminatum.

* *

Contra

CONTRADICTIO. CIX.

Debet omitti figura tertia, quia in ea tantùm concluditur particularis.

PRimo posteriorum 32. Contradicit sibi Aristoteles, & Auerroës T. 39. & 32. nam dicit debere in demonstratiua & affirmatiua omitti figura tertia, quia concluditur particularis, non tamen in 34. omittitur, in quo concludi non posse negatiuam in tertia figura ostendit. Ibidem committitur petitio principij, nam in probatione secundæ figuræ supponit de tertia figura vniuersaliter esse conclusum superiùs: Et ita in probatione tertiæ supponit de tertia vniuersaliter esse probatum.

CONTRADICTIO CX.

A simplicibus ad composita ponitur resolutio.

SExto Metaphysicæ 23. à compositis ad simplicia est resolutio, & ad vniuersalia. Oppositum 2. Metaphys. 11. ab vniuersalibus ad particularia est resolutio. Soluitur ex contextu; intelligit ibi per resolutionem diuisionem, medianie quà venamur diffinitionem.

CONTRADICTIO CXI.

Liber Posteriorum ordine doctrinæ præcedit librum Topicorum.

IN procœmio Magnorum Commentariorum dicitur librum posteriorum ordine doctrinæ præcedere librum Topicorum. Oppositum in Epitomate in cap. cuius titulis est, sermo de regulis quibus fiunt argumenta quæ loca vocantur. Soluitur ex dictis ibidem patum inferiùs, loca illa sunt regulæ generales, tam Topicè quàm demonstratiuè, & de illis non loquitur Auerroës in procœmio, & traduntur secundo priorum: vide in Epitomate.

CONTRADICTIO CXII.

Primo ponuntur sex partes Logicæ.

PRimo Magnorum Commentariorum: Primo capite Epitomatis, & primo Rethor. ponuntur 5. artes vel partes Logicæ. Oppositum in procœmio de proportione libri posteriorum ad alios dicit ad alias quinque artes Logicæ, aut ad partes: idem in Epitomate, in sermone de regulis quibus fiunt argumenta, quæ loca vocantur. Igitur sunt sex. Soluitur, quod ponit librum posteriorum esse partem partis, & ita sunt tantùm 5. partes.

CONTRADICTIO CXIII.

Vniuersale est nobilius particulari, quia perpetuum.

PRimo posteriorum 39. In solutione secundi argumenti, quòd vniuersale nobilius est ens, quia perpetuum, particulari. Oppositum primo Ethicorum septimo, albedo longi temporis non est perfectior albedine pauci temporis. Solutio colligitur in textu allegato primo posteriorum, non perfectius quantum ad esse, sed quantum ad cognosci.

CONTRADICTIO CXIV.

Demonstrationes augentur in latus.

SEcundo posteriorum T. 29. Dicitur quod demonstrationes augentur in latus. Oppositum T. 38. vbi dicitur, In demonstratiuis quidem igitur syllogismis, eius quod est nil cadit extrà. Soluitur, In 38. loquitur solùm de auctione in comparatione ad extrema: vbi clàrum est demonstrationem augeri non posse per ea quæ sunt extra extrema; potest tamen augeri in latus, per medium existens extra medium; ita quòd auctio in latus datur respectu medij, non extremorum. Ita Aristoteles primo posteriorum T. 43. c. primo.

CONTRADICTIO CXV.

Triangulus habet tres æquales duobus rectis, quia figura rectilinea.

PRimo posteriorum 39. primo priorum 31. c. 2. triangulus non in quantum aliud sed secundùm se habet duos rectos. Oppositum, primo posteriorum 39. triangulos habet duos rectos, quia figura rectil nea. Soluitur, prima est immediatè quoad syllogismum ex esse, sed secunda est immediata omni immediatione, videlicet quoad Esse & intelligi. Solutio habetur à Commentatore in primo posterior. 53. Commento Magno.

CONTRADICTIO CXVI.

Propositio affirmatiua præcedit negatiuam.

PRimo Periermenias 4. & primo posteriorum quarto, affirmatiua propositio præcedit negatiuam tempore aut naturâ oppositum. ***

CONTRADICTIO CXVII.

Vniuersale est finitum, particulare infinitum.

PRimo posteriorum 39. Vniuersale habet naturam finiti, particulare infiniti. In Epitomate libro primo Oppositum: Soluitur, in posterior. dicitur comparando ad esse vniuersalia sunt finita, particularia infinita propter mundi perpetuitatem; hic verò loquitur comparando ad virtutes sensus, non autem intellectus: & est ac si diceret, si intellectus cognosceret proprietates cognoscibiles, à sensu, comprehendendo vniuersale comprehenderet singularia infinita.

CONTRADICTIO CXVIII.

Quod est per accidens non est necessarium.

PRimo posterior. 18. Omne necessarium est per se; vel, Nullum per accidens est necessarium, primo Metaphysicæ 8. quod accidentaliter inuenitur, rarò inuenitur: & primo posterior. 18. & 2. Physicor. 48. & 8. eiusdem 36. & 46 Oppositum primo Physicor. 66. & 4. eiusdem 20. Vbi accidens in necessarium diuidit, & non necessarium. Solutio: Accidens duplex, quod habet causam propriam in subiecto, aliud quod non habet: Primum est necessarium; secundum, non hæc sunt in quæstione de sensu agente; quum nec primum, nec secundum, diuiditur, igitur est: nam quod habet causam in subiecto, non est contingens; primùm, istud esset dicere idem per idem; ideo dico secundùm Auerroëm in Epitomate in principio, vbi de communi & speciali, secundùm duo significata accidens dicitur, vt distinguitur contra substantiam,& sic diuiditur in necessarium & non necessariom: sed aliud significatur, quod per se opponitur non est necessarium posterius sed necessarium quod dicitur inseparabile, pro indiuiduis subiecto speciei competens. Aristoteles consueuit semper præponere maiorem minori, præterquam primo priorum 4. & alibi; sed Auerroës oppositum facit; propterquam primo Physicor. 35. & 3. de partibus animalium c. de corde, bis, & alibi etiam.

CONTRADICTIO CXIX.

Solutio illa fuit ad primam dubitationem.

PRimo posterio. 4. Dicitur quod solutio illorum etat ad primam dubitationem; sed in commento quinto magno eiusdem dicit, quòd sint ad Platonis dubium. Soluitur, quod, vt Themistius tenet, solutio illorum ad vnumquodque fuit dubium.

CONTRADICTIO CXX.

Illa dubitatio fuit Platonis.

PRimo posterior. 4. Ponitur illa dubitatio Platonis 9. Metaphysicæ 14. Memnonis Philosophi. Soluitur, Dubitatio fuit Memnonis Philosophi, diuolgata à Platone.

CONTRADICTIO CXXI.

Opinio Platonis tantùm destruit discere de nouo.

IN eodem dicit, quòd discere tantùm destruit; sed nouo Metaphysicæ pr mo & in commento

commento 5. 1. magnorum dicit, contra Themistium, quod destruit scire, atque discere. Soluitur, si per scire certitudo quædam intelligatur: nulli dubium est, quod scire non destruebat Plato; si verò cognitionem conclusionis ex præmissis in illo ordine destruebat. primo modo loquutus est Auerroës in paraphrasi cum Themistio, secundo modo in commento magno, & Metaphysicæ: distinctio est Linconiensis primo posteriorum 7. & Scoti 3.

CONTRADICTIO CXXII.

Vniuersalia præcedunt singularia.

PRimo posterior. 5. Vniuersalia præcedunt singularia; Oppositum primo de anima 8. vniuersale aut nihil est aut posterius. Soluitur, vniuersale magis si comparetur vniuersali minus, prius est secundum actum in intellectu, atque secundum potentiam, id est, secundùm naturam iuuentam in singularibus abstrahibilem; Si verò singulari comparentur vnicam obtinet prioritatem, præcedens ipsum vt in actu, non vt in potentia. Hæc dicta sunt obiter, aliàs melius dicemus.

Nota quod in Epitomate de locis oppositorum scribitur, Omnia loca secundi Topicorum sunt probabilia, non demonstratiua, propter locum ab excessu.

CONTRADICTIO CXXIII.

In demonstratione absoluta necessariò medium est causa maioris extremi.

PRimo posteriorum 19. Clarissimè secundo posteriorum 25. in fine commenti primo Magnorum Commentariorum 96. & 151. in demonstratione simpliciter necesse est medium esse causam maioris extremi. Oppositum in Epitomate, vbi dicitur quod aliquando necesse in demonstratione simpliciter medium esse causam maioris, aliquando minoris, aliquando vtrinsque, Et vlterius in prima specie in modo secundo dicit, quod hæc est simpliciter demonstratio, omnis homo est animal, omne animal est corpus nutribile: & ex hoc sequitur, igitur omnis homo est corpus nutribile: vbi dicitur, & est verum, quod medium est solùm causa minoris extremitatis: sic etiam in tertio modo; idem in tota tertia specie, vbi dicitur, ex hac parte possibile est quod in hac specie concludatur vna species demonstrationis simpliciter, quæ est in qua medius terminus est causa minoris solùm, idem in tota quarta specie, idem in quinta. Tota solutio vera meo iudicio est valde difficilis, maximè propter verba secundi posteriorum: verba autem primi possent faciliter glossari, hoc tamen intelligas, quòd secundùm opinionem Auerroïs, aliquando diffinitio subiecti, aliquando passionis, aliquando vtrinsque, est medium in demonstratione; & propter hoc soluitur difficultas.

CONTRADICTIO CXXIV.

In demonstratione absoluta notior est causa quàm effectus.

PRimo posteriorum 5. Demonstratio est ex notioribus causis: vnde secundo Cœli 34. cùm notior fuerit causa quàm esse rei, erit demonstratio simpliciter: Si verò latentior, erit demonstratio *propter quid*: Si verò notius, esse rei erit demonstratio *quia*. Oppositum in Epitomate de demonstratione, vbi dicitur si latentior fuerit causa quàm esse, erit demonstratio *quia*. In demonstratione verò simpliciter, simul causa & esse sunt ignota; nec potest dici quod difformiter loquatur cum de demonstratione, quia vniformiter loquatur hic & ibi; Ergo vult hic & secundo Cœli, quod ante demonstrationem causa sit notior; sed in Epitomate vtrumque simul æqualiter ignotũ. Pro hoc adducitur ratio hic & ibi: hic quidem demonstratio est semper ex notioribus, sed demonstratio simpliciter est ex causa supra effectum, per Aristotelem in textu: igitur causa est notior effectu. In Epitomate adducitur talis: demonstratio ratio simpliciter largitur nobis causam & esse, sed nil largitur quod priùs haberetur: igitur sicut esse erat ignotum ante demonstrationem, ergo & causa, cum æqualiter vtrumque largiatur. Dicitur quòd causa est notior quoad esse, non quod sit causa quoad ipsum esse effectus. Pro quo intelligendum est, tria esse in demonstratione, Esse causæ, Esse causam, & Esse effectus; Esse autem effectum causæ non demonstratur ab Esse causam effectus, nisi ratione; tunc dico quod demonstratio quia largitur tantùm esse causæ, non effectus, vt multi putant, cum iam illud sit notum ante demonstrationem, & sic post talem demonstrationem habeo Esse effectus & Esse causæ, non tamen eum esse causam, quia non fit per adæquatas propositiones, quia per Esse causam, intelligo Esse causam propriam immediatam, & adæquatã. Demonstratio

monſtratio propter quid ex Eſſe cauſæ & Eſſe effectos, largitur Eſſe cauſam, & eſt ignobilior demonſtratione ſimpliciter. Tamen quia dat ſolùm nobis vnum, & demonſtratio ſimpliciter duo: Secundo quia præſupponit duo Eſſe: ergo demonſtratio ſimpliciter tantùm vnum, demonſtratio ſimpliciter largitur ex Eſſe cauſæ duo. Vnum Eſſe cauſam & Eſſe effectus. In Epitemate ergo bene dixit Auerroës, quòd & eſſe cauſam, & eſſe effectus oportebat ſimul ignota eſſe ante demonſtrationem, qoia acquirebant ex ipſa. Bene etiam dixit, & ſibi concorditer, hic & ſecundo Cœli, quòd ante demonſtrationem notius eſt Eſſe cauſæ quàm Effectus, quia omnis demonſtratio fit ex præcognitis; ſed Eſſe effectus, aut Eſſe cauſæ non ſunt præcognita, quia illa acquiruntur ex demõſtratione, Ergo oportuit Eſſe cauſæ priùs fuiſſe cognitum. Secundùm Commentatorem, Eſſe cauſæ duabus demonſtrationibus habetur, abſoluta, & propter quod: ſed Eſſe cauſæ tantùm vna, & eſt demonſtratio; quia Eſſe effectus tantùm demonſtratione ſimpliciter. Et hæc eſt reſolutio omnium difficultatum contingentium ferè in hac materia.

Contradictio CXXV.

Ponuntur tres ſpecies ſyllogiſmorum.

PRimo Topicorum, 1. Ponuntur tres ſpecies ſyllogiſmorum, & primo Magnorum commentariorum, primo, tantùm duæ: verùm in procemio, & primo Elenchorum ſecundo ponuntur quatuor, & ibidem ante in paraphraſi. Niſi eſſet, quod ibi loquitur tantùm de modis reſpectu arguentis in orationibus; & 10. Topicorum ex parte meræ ſyllogiſticæ; & ſic diuiditur in tria ſyllogiſmus: ſed Topicus eſt ex propoſitionibus famoſis, quæ ſi ſolùm conſiderentur vt conceſſæ à reſpondente, dicetur tentatiuus. Sic dico de Sophiſtico. Sed contra; quia Auerroës primo Elenchorum, ſecundo exponit pro tentatiuo ſyllogiſmum rhetoricum. Reſpondeo igitur, quod tentatiuus aliter accipitur hic, & primo Topicorum: nam ibi accipitur, vt dixi: ſed hic accepitur penès diſtinctionem in materia: nam facit diuiſionem noo ſyllogiſmorum, ſed orationum; qua de re fit vt tentatiuus ſit medius inter Sophiſticum & probabilem; eſt enim ex propoſitionibus quæ primo affato verè apparent, vt dixit ibidem Commentator in procemio Magnorum Commentariorum: diuidit ſyllogiſmum non quidem in communi, ſed perfectum: quia quidem eſt communis tantùm demonſtratio & probabili.

Contradictio CXXVI.

Demonſtratio eſt ex propriis.

PRimo poſteriorum 50. Demonſtratio eſt ex propriis, vbi omnes exponunt conuertibilibus. Oppoſitum ab Auerroë in Epitomate de demonſtratione, vbi ponit quandoque medium in demonſtratione, eſſe genus ſubiecti, qood non eſt conuertibile. Reſpondeo quòd in Epitomate enumerat demonſtrationes omnes à priori, non tamen potiſſimas de quibus infra in commento 11. Magnorum Commentariorum.

Contradictio CXXVII.

Demonſtrationes ex mediatis æquiuoce dicuntur demonſtrationes.

PRimo Magnorum Commentariorum demonſtrationes ex mediatis æquiuocè dicuntur demonſtratio. Oppoſitum. In eodem commẽto 99. & expreſsè in epitomate de demonſtratione. Solutio eſt, Auerroës in commento 10. & interpretes. Duplex demonſtratio eſt, ſimplex, quæ ſolùm eſt ex mediatis; & compoſita, quæ plures continet demonſtrationes, & ratione primæ dicitur demonſtratio verè, & eſt ex mediatis. Dictum Auerroïs in præſenti parte eſt intelligendum de ſecunda demonſtratione, quam poſuit ſine prima, quæ tantùm eſt ex mediatis.

Contradictio CXXVIII.

Præmiſſæ præcognoſcuntur non ſolùm Quoad quid eſt, ſed Quoad ſi eſt.

PRimo poſteriorum 5. Præmiſſæ præcognoſcuntur non ſolùm Quoad quid eſt, ſed Quoad ſi eſt. Oppoſitum in textu 2. Non poſuit ibi niſi vnicam præcognitionem. Reſpondet Philoſophus quod in a. T. apparebat neceſſitas prima ex ſecunda, ideo prætermiſit. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, nam pari ratione dicam de Textu 5. quod oportuit ſolùm eam *quæ ſi eſt* cognoſcere: Ideo dico quòd loquitur in textu ſecundo de præcognitionibus ſimplicibus tantùm, non de compoſitis: hic verò è conuerſo. Cur verò in ſecundo non poſuit dignitatis præcognitionem, quod ſic viſum contradictione 87.

CONTRADICTIO CXXIX.

Enunciatio diffinitur ab Aristotele.

IN principio commenti 15. Magni 1. posteriorum, dicit Auerroes, quod Aristoteles, in textu diffinit Enuntiationem: In fine dicit quod Aristoteles neque diffinit, neque describit Enuntiationem. Soluitur; quando dixit Aristoteles Enunciario est contradictionis vtraque pars, non est diffinitio, nec descriptio, quia est sermo incompletus. Hoc modo dixit ipse, quòd non diffinitur: sed si consideretur cum diffinitione propositionis simul sic diffinitur Enuntiatio, & est sensus illius diffinitionis, Enuntiatio comprehendit vtramque partem contradictionis, quemadmodum propositio vnam determinate; & sic est diffinitio completa; & hoc modo loquitus est in principio commenti: &c.

CONTRADICTIO CXXX.

Dialectica accipit vtramque partem contradictionis.

PRimo posterior. 5. Dialectica propositio est vtriusque partis contradictionis: Idem 1. priorum 1. Sed oppositum 2. Periermenias 3. Dialectica Interrogatio est alterius partis contradictionis; Solutio, vtriusque partis in potentia, non in actu; nam respondenti licet partem non interrogatam accipere: exemplum, Estne omnis mater filios diligens? Ita est, & ita dicunt, &c.

CONTRADICTIO CXXXI.

Differentia est, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus.

IN prædicabilibus Porphyrij, Differentia est quæ de pluribus differentibus specie, prædicatur, in eo quod quale, quod Porphyrius c. de Differentia. Oppositum 6. Tupico. c. 7. loco 32. Respondetur differentia quæ pluribus specie differentibus conuenit; Respondeo, non est specificè diffinitio, contra Porphyrius exemplificat de rationali textu hominis. Respondeo, loquitur secundùm Platonicos, qui ponebant Angelos animalia rationalia.

CONTRADICTIO CXXXII.

Vni affirmatiuæ contingenti vniuersali duæ opponuntur.

IN primo priorum 22. Ponit duo contradictoria proponi vniuersali contingenti affirmatiuæ; sed in 21. in principio, in probatione illius syllogismi primi ex inductione & contingenti assignat tantùm vnum; & si dicas quòd non assignauit, vtrumque, sequitur quòd non valet probatio illa, & peccat per fallaciam consequentis. Solutio est, quòd ex Auerroe 1. priorum, contradictio perfecta est in qua est diuersitas in modo & quantitate, & qualitate. Ideo hoc modo, tali contingenti solùm contradicit particularis negatiua necessaria, alia verò solùm contradicit & per accidens in quantum tale contingens conuertitur in oppositam qualitatem, in 22. textu; igitur Philosophus dicit de contradictoriis, quibus lex contradictionis competit, & sumuntur largè: sed in 21. propriè loquitur de contradictoriis quorum conditiones assignauit Auerroës.

CONTRADICTIO CXXXIII.

Vniuersalis negatiua non conuertitur in terminis.

NEgatiua de contingenti vniuersalis non conuertitur in terminis. Oppositum in eodem textu 23. Ibi (similiter autem & 51. ad c. ... ponatur priuatiua) & fuit mota ab Alexandro. Soluitur ab eodem, conclusionem non esse veri contingentis; dixit sed contingentis dimidij. Auerroës tamen in commento cùm ponat eam esse de contingenti æquiuoca, maiorem habet difficultatem: de quibus aliàs dicemus Deo dante.

CONTRADICTIO CXXXIV.

Proponit se probaturum, in omni syllogismo affirmatiuam esse propositionem.

PRimo prior. 28. proponit, se probaturum, omnem syllogismū constare altera vniuersali, & altera affirmatiua. Oppositum facit, non enim probat quod ex affirmatiua constet quicunque syllogismus. Soluitur, ex primo sequitur secundum, nam licèt dicatur vniuersale extra syllogismū negatiuum absque affirmatiua, non tamen dicitur vniuersale in syllogismo sine affirmatiua; nam dicit vniuersale præsupponere de omni, vt probatur in 1. magnorum commentariorum, & in paraphrasi Poster. 11.

CONTRA

Contradictio CXXXV.

In coniugationibus syllogismorum communissima accipi debent.

PRimo priorum vigesimonono, capit. septimo. Vult quod in coniugationibus syllogismorum accipiantur ea quæ sequuntur consequentia:sed superiùs dixit in eodem Textu cap. sexto, ibi (syllogismus enim est vnius cuiusque conclusio) quod quæ sunt omnibus communia, non eligenda sunt. Ad hoc ponuntur tres solutiones, sed illas Leui Gersonis videtur melior, videlicet quod Philosophus intendit declarare in præsenti parte, qualiter vniuersalia sunt eligenda inter alia prædicata: sed superiùs loquitur de electione medij. Vt tamen clarior sit sententia, Dico ego, quod in sexto capite declarat qualiter sumendum sit medium inter extremitates: Et tunc dicit quod non est sumendum vniuersalius vtroque extremo, quia tum non posset fieri nisi secunda figura: Et cùm prædicetur tale medium de extremis, erunt ambæ affirmatiuæ; & sic nihil potest concludi, cùm in secunda figura nihil concludatur ex puris affirmatiuis; hic verò probat qualiter vno supposito extremo tantùm debeamus eligere medium, & tunc quidem quanto vniuersalissimum, tanto conuenientius est.

Contradictio CXXXVI.

Omne quod per impossibile deducitur, ostensiuè probari potest.

PRimo priorum vigesimonono, capit. nono. Omne quod per impossibile deducitur ostensiue probari potest per eosdem terminos vt ait ibi, in verbis (quare conuersa hac propositione) Oppositum superius in textu decimoquarto probat primo de Baroco, & Brocardo. Soluitur à Philopono & Alexandro, quod intelligitur dictum in vigesimonono, de simplici deductione problemati:dictum verò in decimoquarto de reductione syllogistica: hic enim fit comparatio syllogismi recti ad syllogismum Impossibilis: ibi verò syllogismi conuersiui contrarij ad syllogismum conuersiuum ostensiuum.

Contradictio CXXXVII.

Dicere album, & non album, simile est dicere potest ambulare, & potest non ambulare.

PRimo priorum T. 43. (dicere album, & non album, est simile dicere, potest ambulare, & potest non ambulare; quæ cum sint simul veræ innuit has simul veras posse esse, Esse album, & Esse non album. Oppositum in eodem cap. ibi (quoniam autem non possunt) probans, quod non possunt simul esse veræ. Relictis aliorum solutionibus ex Hugolino respondeo; non vult in principio notare nisi similitudinem in affirmatione; quasi dicat, omnes sunt affirmatiuæ sicut illæ, non quod sumat similitudinem in veritate vel falsitate.

Contradictio CXXXVIII.

Disputauit non esse vtendum syllogismo per impossibile.

IN octauo Topicor. parte prima, cap septimo, loco 55. Disputauit non esse vtendum syllogismo Impossibilis. Oppositum in eodem, parte secunda, cap. primo, loco 48. Arguentis officium est respondentem ad improbabilissima ducere: Hoc non fit nisi syllogismo Contrarij. Et Auerroës in octaui Topicorum paraphrasi, parte Respondentis, dicit quod officium est ipsius arguentis cogere respondentem negare concessa & diuulgata. Solutio clara est: primo, Aristoteles in cap. septimo non loquitur vniuersaliter, sed in casu in quo ostensiuè illud probari possit, quia ostensiua firmior est; Ideo licet arguenti syllogismo ad impossibile vti ibi ostensiuus non suppetat. Secundo dico quod etiam syllogismo ostensiuo ad probabilia ducere possumus; sed iam fit syllogismus impossibilis: quare teneas primam solutionem.

Contradictio CXXXIX.

Quod per impossibile deducitur, ostensiuè probari potest.

PRimo priorum, vigesimonono, cap. 9. Dicitur quod per impossibile deducitur, ostensiuè

oftensiue probari potest; Idem secunda priorum T. 14. cap. secundo cum conuersa. Oppositum ab Auerroë in commento magno primo posterio. 175. in fine, vbi dicitur, Nullæ sunt Mathematicorum demonstrationes Impossibilis, quas impossibile est demonstrare in categoricis syllogismis, id est, ostensiuis. Respondeo, quod differentia est inter monstrare, & demonstrare. Nam verum est, quod quodcunque monstratur per impossibile, potest ostensiuè monstrari; non tamen quicquid demonstratur per impossibile, potest & ostensiuè demonstrari. Huius ratio; quoniam in demonstratione requiritur ordo priùs, & magis cogniti, non autem in syllogismo vt syllogismus est. Sicut etiam concedimus dari syllogismum circularem, non autem demonstrationem, in libro ergo Priorum dixit monstrare, id est, syllogizare, in libro verò Posteriorum dixit demonstrare. Sed contrà Auerroës ibidem subiungit. (Et quod natura syllogismi, in quantum syllogismus est, sit hoc largiri) Ergo non vult quod hoc conueniat demonstrationi vt demonstratio est. Respondeo litera ibi est corrupta cum eo quod sequitur, & debet sic legi (& quod naturæ syllogismi, in quantum syllogismus est, sit hoc largiri. Hoc itaque est quod forsitam magis inferius perscrutabor.) Et ita illa particula dubitatiua est.

Contradictio CXL.

In deductione ad impossibile non præsupponitur contrarium.

1. Prim. 11. IN deductione ad impossibile non præsupponitur contrarium, sed contradictorium ibi manifestum: ergo quum non contrarium, in fine. Oppositum primo posteriorum 41. syllogismus contrarij fit vel per acceptionem contrarij, vel contradictorij. Soluitur 1. primo, quum contrarium in necessariis æquiualet contradictorio, vt dicitur primo Magnorum commentariorum commento 13. Idem demonstratio ad impossibile: sic contrario assumpto, non autem syllogismus. 2. Respondeo, quod per syllogismum contrarij primo Posteriorum intelligit syllogismum Auerroës communem contrario & conuersiuo.

Contradictio CXLI.

In fine dicitur, primam dignitatem esse probabilem.

1. Prior. 11. IN fine 11. T. 21. priorum dicit Aristoteles primam dignitatatem esse probabilem, in 4. Metaphisicæ 9. T. dixit eam esse necessariam. Respondeo, Boëtius in primo de Differentiis topicis vult duplex probabile, necessarium & contingens natum. Dicuntur autem probabilia ex apparentia, non ex existentia. Et ita hic probabile communiter capitur.

Contradictio CXLII.

Instantiam particularem contingit esse.

IN principio instantiam contingit particularem esse. Oppositum in Posteriorum libro, necesse est instantiam esse vel in pluribus vel in omnibus. Solutio, Dictum in libro Posteriorum est speciale sustantiæ demonstratiuæ; Illud verò secundo Priorum est commune omni instantiæ, & verificatur in probabilibus. In 2. Priorum 26.

Contradictio CXLIII.

Syllogismus ad impossibile non præsupponit Categoricum.

IN secundo priorum 11. In principio syllogismus ad impossibile differt à conuersiuo, quia non præsupponit syllogismum categoricum, sed fit nullo ipsius assumpto syllogismo. Oppositum, In compendio Auerroës super librum priorum in cap. de syllogismo ad impossibile, vbi dicitur (proprium autem varius syllogismi conditionalis, est non posse ostendere conclusionem absque syllogismo prædicatiuo) Soluitur ex libris sequentibus, (verba sunt hæc, corpus est enim si ex ipsis conclusio prouenire debeat, vt reducantur ad syllogismum prædicatiuum) non ergo intendit quod præsupponant sicut conuersiui alium syllogismum; sed quod eorum virtus constat in reductione eorum ad syllogismum conuersiuum. Et hoc concordat dicto secundo, priorum 14. cap. secundo quod omnes syllogismi ad impossibile, possunt reduci ad conuersiuos in eisdem terminis. Memineris autem, propter alias auctoritates, aliquando nomen syllogismi contrarij latius, prout conuenit conuersiuo syllogismo; aliquando pressius, vt quando ab ipso distinguitur capite, &c.

CONTRADICTIO CXLIV.

Æquiuoca non comparantur.

PRiorum 10. Metaphysicæ 14. Comparatio non est eorum quæ genere & formâ diuersantur, 10. Metaphysicæ 14. Oppositum in commento 27. secundùm id in quo sunt æquiuoca, non autem in eo quòd vniuoca. Contra in eodem commento 31. Omnino æquiuocorum species quædam sunt, quæ similia sunt genere, vel comparatione. Intellige de his quæ non sunt analoga. Contra de veris æquiuocis, 26.71. Physicorum. Respondeo, sunt æquiuoca ambigua; & illorum comparatio non est vna secundùm partes.

FINIS.



NORMA



NORMA VITÆ CONSARCINATA;
SACRA VOCATA.
PRIMA PARS.

1. D eos qui te iniuſtè premunt, verbis odioſis commemorantes aduerſa, & deprimentes, deſines ire; aut ſi non adeo tutum, frequentiſſime itabis: nam diſſoluitur læſio vſu, aut non læderis. In vtroque tamen contra ſubeſt periculum à ſubdolo, eundo ne captet, non eundo ne putet ſe contemni.

2. Cum aliquid ſignificaturus es per literas quæ intercipi poſſint, velut abduxit te quia amabat, & rectè elegit: Mea tamen intereſt vt ſolus relictus, quo conſilia aliorum forſan ſpectarunt, cautius nimirum, hic vides, quot ablata & ſubintellecta.

3. Quidam eò ſpectat vt te perdat, titulo benefaciendi amico. Id primum bifariam poteſt interpretari, vel vt ſimul te & illum perdere velit, vel vt ſolum te; ſed auaritia vrgente illius iactutæ & offenſæ obliuiſcitur. Primum quærere debes in quo ſenſu accipienda ſint illius verba: nam ſi vt vtrumque, admonere debes.

4. Niſi adeò coniuncti ſint vt tuus illius opera indigeat, vel per Principis authoritatem illi iungatur, tunc alia via ferenda eſt inter illos inimicitia: explica te negocio, & pecuniâ occaſionem obſerua. Hoc exiſtimare debes ſi antea alias te intrudere voluit? Si deſertus à ſuis, ſi ſuorum quenquam in fine perdidit? ſi tuis tantùm inhiat? Occaſio vt dixi expectanda.

5. Si quis hoc agit, cum omnia agere ſui cauſa videatur, vt iactas timet, nón amat nec tui miſeret. Primum memineris ſenſim porcum pro oſſa (vt dici ſolet) auferat; omnia enim in vita contingunt. Hoc ergo ad te. Quod ſi etiam quaſi improuidus hoc agit, non ſyncerus tamen eſt, aut ſapiens: ergo deſere illum: ſed ita vti non magis ab eo in poſterum tibi timendum ſit.

6. Cum maior te inuadit, noli iacere. Diuerſis modis occurrendum eſt: præcipuæ autem duæ cauſæ, iniuria & animi morbus ex corpore: aut miſer, quod difficillimum eſt, non tamen defenſio deſerenda eſt. Vino abſtineas, aut dulci plurimo vti; ſed hoc periculoſum. Vltio: ira aperta ſi tuta eſt, mutatio regionis, ſomnum prouocantia, delitiæ, Venus, ratio, flagella, alia: Crocus, Helenium, meliſſa, ozimum odoratum, ſuccus boraginis, hyacinthus. Sanguis equi, galli, canis, columbi, calidus hauſtus. Margaritæ, Chryſolitus geſtatus, acetum ſcilliticum. Ad timores adamas, teſtitudinis marinæ oua: vituli marini cerebrum, Theodoricum maius, & Muſcatum, zelemite magnum Auic. Triferæ, & præcipuè Perſica: Radix autem ellebori nigri & vitis albæ, ſenſus & intellectum exacuunt, lapis lazuli & Alchermes lætitiam afferunt, Rhinocerotis cornu, lætificans antidotum Almanſoris; Noſtrum, *Aliud Hali, aliud Meſue.* ſapphiri, ſmaragdi, hyacinthi, berillorum, ſardonij, margaritarum, granatorum orientalium & pellucidorum, lapidis lazuli, chryſoliti, corallorum rubrorum valde, ſuccini callaidis, foliorum auri & argenti, opij recentis electi, Croci orientalis, ſucci apij, meliſſæ, ozimi odorati valde, & microfolij, ſtyracis optimæ, thuris, ſerici ex purpura ſi licet tincti & ſiccati, ana pars, id eſt, omnia præter ſericum & lapides ac margaritas macerentur, & excepto ſuccino ac opio in ſuccis pomorum redolentium, boraginis, & bibinellæ per xxiv. horas bulliendo in duplici vaſe, & ſi poteſt addi addatur folium Indum inde, ambræ, Moſchi orientalis, ana pars, fiat puluis & ſeruetur in auro, laudatur etiam in hoc ſena, Diaſena, eſſe maximum Philoſophorum, & ſotira. Eſt enim prima ratio cuſtodiende vitæ, mentis ac incolumitatis. Referunt Androdamantem multum prodeſſe animi affectibus.

Nuper MDLXXVj. April. M. in Xenodochio ſancti Spiritus Romæ erant duo, Troilus & Dominicus, hic ab altero vexabatur & premebatur: incidit in febrem ex qua tandem euaſit. Cum autem ſurrexiſ- 7.

ſet ſiti fatigatus incidit in hydropem, ex qua intra menſem peruenit ad mortem: vij. hora cum laboraret in extremis inquit (duobus aſtantibus Hiſpanis) audite qui adeſtis, Frater Troilus adeo vexauit me & oppreſſit, vt malè affectus ex hoc peream. Ideò coram vobis illum ad Tribunal Dei moriens cito, vt eorum quæ contra me iniuſte egit rationem reddat; non multo poſt expiradit. Die ſequenti aduenit nuncius à Troilo, qui in Corneto degebat (id eſt Romæ, procul paucis Mil.) quod ægrotaret? interrogatur à Medicis quota hora? reſpontunt vij. decubuit pauculis diebus: non fauſto Æſculapio, non tamen prorſus deploratus. Inde quadam nocte paulo poſt, & rurſus hora vij. ceciditculmen conopæi, & hora ſimili qua prior expirauerat, obiit.

8. Magnum auxilium eſt ſumere vtilitatem ex aduerſis, quia ſunt longè plura ſecundis, & tum magis indigemus: vt in condendo teſtamento dum omnes reliquerunt. Occaſiones enim multas nanciſceris recte collimandi.

9. Velut & cum negocia difficilia tractas vbi ratio non præeſt, per partes etiam minimas mutando procedes, vt diſcas tractare minore periculo.

10. Cum tractandum eſt aliquid cum aliquo qui in domo ſit minus amici tui, ſed tanto potentioris, differ autem & deuita negocium, ne tuum amicum euertas: occaſio autem poteſt offerri.

11. Caue ne cum miourim aliquid multis collegeris, omnia ſimul vno verbo parum conſiderato effutito omnia perdas: quod pluribus accidit iniuria oppreſſis, & natura impatientibus.

12. Connexio in negociis plurimum poteſt (ſed & in artibus, verùm longè facilior) deducitur enim res faciliùs ad finem, ſed & natura illius meliùs percipitur.

13. Simplicia cum faciliora eſſent, etiam miraculo declarata, velut Q. Claudiæ ſumma caſtitas: at quod vſui maxime foret & nos à magnis difficultatibus liberaſſet; cum declaratus eſſet Naſica Scipio vir optimus à Senatu, in Deam Veſtam lotam Almonis fluuij aqua contubernio excipere meruerit, donec illi templum erigeretur, cum tam multa complecteretur. Quare nemo auſus eſt dicere inter tot teſtes rei ac facti. Num ad totum humanum genus, an ad bonos tantum, an ad Romanos & patriam, vt alij non homines ſed belluæ potius cenſerentur: an ad miſeros & calamitoſos, an ad iuſtitiam, an beneficia vel miſericordiam tantum referendum foret. Nam ad fortes neque ſapientes non puto: obſtat enim perſonæ conditio. Idem etiam ciuem & nobilem Gracchum occidit. Operæ pretium ergo feciſſent.

14. Proculdubio quod nos tam grauiter ferimus plebs vniuerſa ſocordes, imperiti, ſexus totus fœmineus, ætas vſque ad adoleſcentiam exactam non ſolum obliuione oblitterat, ſed omnino nihili facit, & animoſa eodem modo in publicum prodit, nec ab aliis notatur aut deuitatur. Nihil ergo reſtat vltra, niſi animi mali odium. At quot modis compenſatur primum caſibus & occaſionibus tam multis? gaudio in eorum erratis, atque aduerſis? Odio proprio & his quæ ſequuntur: in ſermonibus commiſerationes, recta ratione malorum omnium, quæ calamitates non tam efficiunt, quam ſunt. Si ad Deum Optimum Maximumque referas & ad acta tua & aliis iniuſtè illata, inuenies debere adhuc plurimum, non promereri. Quæ ergo inſania te vrget fruſtra, niſi ſcientiam horum omnium & modum euadendi ac compenſandi quæ accepiſti inter mala & damnatam ſtulte reponas.

O, dices, non propter præterita doleo, ſed ob futura impedimenta & pericula afficior ac timeo. Primum plus nocet vmbra mali, quam quod non adeo moleſte ferres ſi eueniret ipſum malum. Futura omnino incerta ſunt: cogita quot aliis maioribus & tu & alij ſubiiciuntur, vt morti inter cætera: & tamen vis quotidie mœrere, quòd moriturus ſis. Plus prodeſt prouidentia (atque id experimentum frequens docet) quam incautis ac non læſis opinio falſa ſecuritatis. Et ob dici ſolet & verum eſt, maximam exitij expectandi anſam fore perpetuæ felicitatis incrementa. Adde quod calamitas calamitati viam perſæpe præcidit, vt Boccatius in fabula. Læto igitur eſto animo, quoniam miſerrimum eſt ſolum ſuppliciis dignum ſibi eſſe videri: poſt iniuſte ſolum pati: inde optimum nec dignum videri. Idque bifariam (fateor vera) meliorem eſſe conditionem eius qui nec admiſit nec paſſus eſt: Tertio ergo loco es ſi condigna admiſſis pateris.

Vt leuigat maculas illitus redundans à ὕδρω ἰχὼρ contactu, ita ſumptus aufert quantum vitæ adeſt. 15.

Quid ergo agendum poſt? recentis quæ habes, illud Pauli. Maxime autem à lateribus ipſis conuellendum: abeundum, commutandum, factio ſuſcitanda eſt, vt illi negocium præbeas, licita enim omnia vt iuſtum finem aſſequaris, omnia in omnes quod Deus permiſit, armauit, docuit, ſecundum leges conſtituit: exitu etiam confirmauit. Dubium ſolum de mediis. An licet qui vel ſe inſinuarunt vel fouent vel tueotur aut probant? non his qui vi & ipſi ſeruiunt.

Cuidam Principi aulicus erat, Paſchus nomine; cui à graui podagra occupato, ob officia & miſericordiam menſtruam penſionem ſtatuit. Eo vigente dū adhuc ſe tueri poſſet, gauiſus eſt liberalitate regis: ſed rege mortuo, & morbo deſæuiente, æmuli ſolutionem impediebant; donec coactus eſt dimittere famulum, remanſitque cum ſola ancilla anu: & victus ei deerat, oppignorata ſuppellectile. Interim nouo rege ſciſcitante quid ageret Paſchus, quidam reſpondit, iacet in lecto, morbo maximo laborans. Ergo, inquit rex, qui tum prandebat, à prandio eamus viſuri ipſum, daturi hoc ſeruitutis miſericordiæ, & officiorum ſuorum memoriæ; aſſenſere omnes: à prandio ituri, erat autem hora tarda, accedunt primum, ſentiunt eiulantem ac flentem: ingreſſi ſolam vident (ancilla enim abierat, mutuo quæſitura quo 16.

ſe &

se & dominum aleret.) Annitentem vestes induere ; Hic Princeps , Quid agis? cum tam graui morbo surgere nolens, & tot modis impeditus? cui Paschus; surgere malo, quam fame certò perire: solus? cum famulus abierit, quod non haberem quo illi satisfacerem. Tum Rex pauca de morbo sciscitatus; iterum rogat cur conetur surgere? hic Paschus, iam dixi, vt prandium quæram; & induere vestes proposui ob frigus; & ne prorsus insanire videar. Hic Princeps hortatus ad meliora, & spem habere suadens, ne de pensione quidem verbum, nec pro illo quisquam meminit: cogitantes, vt reor, si dare non decreuit offendimus Principem: si decreuit, nos ipsos. Paschus ego sum: Podagra, accusatio cum sententia. Aulici, Præfecti Consilij: Regis prioris mors, cum captus sum, spoliatus, nemo restituit statum: nemo reuocat acta: nullus honorarium, neque munus profitendi reddit. Licet Regibus & magistratibus condere leges nouas, ampliare potestatem, publici boni causa cui inuigilant: sed non licet obiicere quenquã his legibus nouis iniuriæ priuatorum hominum: quinimò tum atrocius quadruplo puniendi qui horum quenquam læsitint, dicendo, cur illum iniuria affecisti? nos damnauimos vt publico commodo & securitati consuleremus: non tuæ petulantiæ aut iræ in illum. Neque licet quod ante legem promulgatum est eisdem nouis legibus punire: si enim lex reum facit, quomodo quod ante legem factum est, debet esse obnoxium legi? Nec publicè quenquam pœna inemendabili afficere, nisi facti probationes fuerint ipsa luce (vt dici solet) clariores.

17. Noper excessit è vita, vt audio, Archiepiscopus Toletaous, maximo humanarum rerum exemplo. Ab initio in priuata vita sacerdos: post ab exomologesi Caroli Quintj Cæsaris, ex eo Archiepiscopus Toletanus. Quid est cur non cœlum digito (vt dici solet) tangeret? Quam breui Carolus excedit è vita, Archiepiscopus coniicitur in vincula; ex cclxx. aureis redituum relinquuntur xviij. manet in custodia xviij. annis, tandem iudicatur: res redit ad xij. pro sumptibus: poterant nimis satis videri, si non autem fuissent longè maiores. Damnatur ad custodiam paucis annis (secus enim pauci supererant quod nimis diu vixisset) intra xx. dies ex suppressione vrinæ moritur orta ob libertatis illius speciem, dum conceditur vt septem Ecclesias in Romę ambitu positas inuisat. Ecce quis non videt malũ ex bonum ortum? in carcere erat: sententia magis displicuit: licuit circumagere: ecce mors successit. in morte quid pessimum, non nisi quod optimum putauerat, & pro quibus tam pertinaciter pugnauerat: scilicet, vt emineret, vt ditissimus esset, vt suspiceretur? hæc omnia & ante mortem laboriosa & tædiosa: in morte relinquenti grauia & dolorosa: post mortem non nisi malum ex administratione & cogitationibus afferre poterant. Namque dum moriebatur puto indoluisse, quod carcerem, custodias, labores, vigilias, malamque famam (tametsi, vt querebatur falso conflatam) ieiunia, habitum illum humilem, quod relinqueret.

18. Res parua magno commodo cedit. Quidam fatigabar perperam epistolis patrem: respondit illi, persolue literas tuas, ego meas: statim filius ab importunitate cessauit; Et in aliis moderatius se gessit. Quandoque cogeris deuorare primam: sapiens ab illa incipit esse. 19.

Tria sunt difficilia inter cætera, in iniusta damnatione exorare iniquos iudices: si queraris irascuntur, insurgunt contra: si patienter feras, si præteteas, onerant maioribus ponderib. exigunt tibi omnino perniciosa: diffamant defensũ iuribus tuis. Exorare, vt Deos fatigare precibus, beneficia in se vel alios connumerare, si non sit priuatum odium neque emolumentum agere iuribus, rationibus, misericordia, per amicos intimos, donis, promissionib.

Aliud quod multitudinem pro vno, vt principes hunc vnum pro nullo, quamuis refragante Homero: 20.

χρηστὸς γὰρ εἷς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hoc vno errore duo mala faciunt: dum enim singulos spernunt, vniuersos contemnunt: & præditos virtute negligunt, & sapientiam ac bonas disciplinas: admittunt adulatores, & omnia pessum eunt.

Tertium quòd verba præponunt factis: & 21. ex hoc magis decipiuntur, nam quanto magis effitiunt in colloquiis istis domesticis, inaniores euadunt; vnde locupletiores vulgus illos existimat. Velle nunc has consuetudines tot firmatas potentibus & vulgi vocibus amentis, prorsus est resistere furiosis: pati, damnosum & turpe. aut ergo Ducem qui virtute euectus sit sequi oportet: aut se subducere. Quod si ætas aut alia obstent, quasi contemnere, tacere, adhærere factioni.

Si multitudo calamitatum, miseriarum, de- 22. decorum, iniuriarum, te premat, vt nobis accidit; An vt Aristoteli, imò & Theophrasto, sufficiet in exilium voluntarium se contulisse? vt & Q. Metello Numidico? certè non: nam illi ante iniuriam & detrimentum. Ergóne latebræ quærendæ? nam & secus obnoxius, & occidere stultum? An ratio, vbi illa sufficiat, semper præponenda est, cum iniuriam omnem ἄμυναν tollat, differ tempus. Ergo detrimenti sola ratio habenda est? hoc duplex, accepti, & periculi, ne aliud ingeratur. Ergò in omnibus quod sponte obiicitur (adeò vt quanquã etiam, sed rarò, tamen si via in posterum accipiendis præcludi videatur) non sit reluctandum aut reiiciendum vel etiam differendum. Minus enim restat, & facilior ad reliqua paratur aditus: & honorificum est, & odia hebetescunt. Quod secundo loco ponitur. vt enim in crustis tollendis ad vnguem, vel repente, vel omnino sensim indolentiam seu ἀναίσθησιν affert, medium sæuius est: ita & in his resarciendis; similis etiam est finis repentini actus periculum lacerationis, sensim omnino si agas ne patientia te destituat. Porrò tria sunt curanda, soboles, honos, res. Auxilia coniuncti, potentia, Princeps bonus, exilium longinquum, factio, prudentia, religio, mortis contemptus, modi, opes, amici, similibus inniti. Quod honores, attinet fugacium ratio nulla habenda est; librorum plus quam necesse sit superest: nec gloria consistit in eorum multitudine: sæpius in libro memoratur Flaccus acuto: Et Virgilius Persiusque, quam Naso in tot voluminibus. Et de sobole læsa non est, cum libris multum accesserit. Est iniuria, metus, damnum; plus facit cautio quam

profit secuitas. Scd & multa alia tum essent consideranda. De opibus nil certi, vt si confundas aut distinguas, nihil aut omnino parum intersit. Et tãtum absu:t à periculo qui iaculum vngue vitauit, quantum qui milliari. Leuem rem solum consuetudo exacuit: apud Malabares si cui olla figulina in ianua constringatur, ea ignominia nullo aoxilio in perpetuum tolli potest.

23. Com in vna congregatione quartus aliquid vtile proposuetit, à quo alij non dissideant, quintus cui non consentiant sed aduersentur: sextus ad quem concludere pertinet aliis contradieat, communem opinionem faciunt quecumque eriam à quarto solo ptoposita, cui non contradictum est: quinti opioionem rationibus quibus coneidit adiectis suppresso nomine recitabis vt solitariam, nee etiam eo non præsente nominabis illum, patiret de sexto, addens non fuisse communem, sed tamen posse rentari si succedat. Alios mone vt apertiùs quid sentiant pruferant. His quorum cura est salus ægri dices, te exposuisse singula pro viribus: qui superfunt, cęteros, qui quanto iuniores tãto sunt perspicaciores, explicaturos atque expedituros. Contra importunos aut prauos interrogare licet quoauthore impresso: si non, nolle expiriri in Principe, aut amico, vel tanto periculo; sed & quo exemplo, adducat vitũ quem sic saoauetit ex tali moibo.

24. Quoniam vesperi duplum assumere eibi consueui, & ieiunij tempore in cœna oua, & non nisi duo ob ætatem, & loco eorum quatuor vitellos, melius enim nutriunt, & non indurantur, sed solum concrescunt, vt inquit Aristoteles: solum ergo cum plus quaruor sumere licet paucitati non est definitio, nemini autem è familia plus numero: non enim par est, sed quantitare, vt iuuenibus & laborãribus. Constitue igitur eurum maximum numerum ducto numero personarum M j. in quatuor maiotẽ numerum, conflabitur maior numetus ouorum: qui si adsit, sufficit dare Domino quatuor vitellos, & detrahere duo, ex illo numero eodem, residuum diuidere per numerum petsonarum мj. exibit numerus ouorum conuiuarum. Exemplum, sunt septem conuiuæ, duco sex in quatuot fiunt xxiv. detraho ij. relinquuntut xxij. oua pro famulis: diuido xxij. pet vj. exeunt iij. & ∸ & si essent duo domini, detraherem his duo pro illis, superessent xx. oua, diuidenda per v. & prodirent quatuor. Possumus etiam ducere v. numerum famulorum pet iv. fit xx. detrahe à xx. bis duo remanebunt xvj. diuide per quinque, exeunt tria, $\frac{1}{2}$ & tot habebunt oua singuli familiares. Sed si non explicatur numerus ouorum maximus, & institutio super eis facienda sit, triplex constituitur regula: Prima quæ est similis priori, vt si sint personæ vij. cum vno domino aut duobus, & oua xvij. detrahe à numero ouorum duo si sit vnus dominus, vel bis duo si duo domini, relinquentur xv. aut xiij. diuide xv. pet vj. aot xiij. per v. exeunt ij. ÷ ferme in vtroque, & hic etit numerus ouorum minor. Tertia regula est media: iunge minores numeros, puta in duobus dominis xx. & xiij. fiunt xxxiij. diuide per x. duplum famulorum, exeunt iij. ∸ numerus ouorum. Alia quæ vocatur regula minor simplicitet. Sint oua sex, personæ quatnor, vnus dominus: vj. per numerum qoi possit diuidi per iv. numerum personatum (& tunc fit dominus vnus familiaribus) exit iij. diuide 1 ∸ & hic est numerus ouorum singulorum, diuide 1 ∸ per ij. exit ∸ .lutri, & tantum vssum & dominus: & ∸ albuminis: quod diuides per numerum personarum exibit ∸ addendum ouis familiarum, habeturus singuli oua 1 ∸ & quartus ≡ vt omnes habeaur vj. Ergo si sint personæ iv. & oua vj. igitur singuli ouum numerum ∸ & ideo dominus $\frac{v}{viii}$ oui integri seu $\frac{v}{iv}$ lusi vnius, diuide $\frac{v}{viii}$ per iij. exit $\frac{v}{xxiv}$ adde ad 1 ∸ habebunt ouom 1. [illegible] & ita famuli eres habetur oua iv [illegible] & dominus $\frac{v}{vii}$ seu $\frac{xv}{xxiv}$.

Vbi in controuersia fueris cum aliis medicis sufficit seorsum dicere quod settuias, absque causæ aut prædictionis adiectione, solum tum, cum hic fuerit dominus tuus, & amicus, & plurimum in te confidat. Quòd si visus fueris antea assentiri, modo mutare sententiam, aut magnæ authoritatis virum tibi opponant: ne oppugnes dictum, sed queraris illi falso adscribi. Quod si etiam dixisset, liberum esse dissentiri, & maximè pro domini salute: Admitte etiam, quia nescis respondere his quæ obiiciuntur: ita calamitatem malignam à re depelles, adde aliqua quæ pro re sint, ab illo, vel obiter ptolata, vel in alienum sensum. Vel tu mutaueris: testatus amici salutem pluris tibi esse quam regnum. Postremùm si durus, protestare de salute ægri disputandum: non ferendas discordias & sediriones. Neque officia ciuilitatis, traducenda in malum vsum, aut & contemtum, vel ptobro danda. 25.

Ne dixeris quicquã in aliũ quod contorqueri in audientem possit, nec cui quod sciti nolis. 26.

Noli esse malus nisi in extremo: idem vt tutò fareti possis, nam hoc quandoqne iuuit. Bifariam autem in extremo malus, magnitudine, vel semper. 27.

Regnum duabus viis diu contineri potest; Armis primò, pòst iustitia, ac legibus sanctis & illibatis. Populare autem neque tam diu nec tranquilliter retineri potest: sed ex pluribus vnum conflatur sæuis exemplis, horridum. 28.

Olim Bello, nunc torculari præstant, vi tone, nunc arte. 29.

Cùm in disceptationibos non idem sentiunt omnes, nec in morbo conueniunt: æger malè obsequens, aut inconstans: qui decernit alternet: aut distinguat sub condirione: statuat scopum simplicem, aut ei subiungat vnum tantum: De quantitate & numero apettè declaret, non hæsitanter, sed tamen deliberet quid agendum tempore, quousque: numero quoties: Quantitate seu mensura, tum eum oportet dicar: Et si sociorum fidei non fidit, seorsum notet, ægro & astantibus nihil. Vbi mutandum admoneat nil esse mutatum. Intentiones curandi claras & dubias exponat: communia ptoponat: callidè modo licear, & vtilitet quasi prætermissa amplectatur; probata reuocet in dubium: hoc est vnicuique suam partem tribuere, suam retinere: sed si non recipit aliquis, fuge tyrannum. 30.

In dominationibus æquo feras animo. 31.

Lenitor,

Leniter, & merito quicquid patiare ferendũ est.

Si quid in ea iniostum est, aut adiectum, aut ex mala administatione accidit, modo superstes sis tot modis occurrere, atque acta emendare, tollere, muta licet, vt etiam persæpe rem in meliore statu colloces; mors, occasio, dissidia, pecunia, coniunctiones, defensores, omnia iuncta pro te sunt: illi obliuione, casibus, studiis refrigescensibus, propriorum odio aut inuidia torpent; tu, tuique rem propriam agitis, vt nihil non sperandum. Ferme omnes historiæ huic exemplo fauent. Hoc dimidium penè continet renim humanarum, quæ sponte sic fluunt, vt quæ placuere magis, aut displicuere, in contrarium mutentur: alioquin etiam per se casuræ & obliterandæ. Quid etiam si in tuis acres relinquantur defensores, vix est vt dicam aliud, aut saltem maximũ putato, impatientia, humano generi multiplex atque lethale venenum. Experiris in scribendo. Interpone tẽpus: occasionem agnosce: illi sedulus incumbas.

32. Quid quereris, aut cur, quòd quis tibi fratrem occiderit? filium veneno sustulerit? oderis? persequeris? Deum adoras, à quo vel nullo alio conscio omnia mala pateris? Aut igitur in hoc erras, vel in illo falleris: præsertim quod homo peccat ira, ignorantia, stultitia, metu; quorum nulli, est obnoxius Deus. Ergo vt animaduerti in meipso, plurima nobis mala eueniunt nostrâ quadam infelicitate, quam inferentium malitia: indicio est quòd simul à multis satis differentibus: ideoque nostra culpa pleraque: alia ordine causarum, vt nato à phthisicis, aut parentibus pauperibus.

33. Fuge nimis sapientes, aut stultos: nam si ego sapiens, tantundem stoltus: ergo sapiens irridebit, & volet dominari: stultus non conuenit: nam erimus duo. Contumaces, perfidos, inconstantes ac ægros: Alienos à natura humana: velut sordidos & eos qui superabundanti vitio laborant.

34. Interroganti cur adeò infelix in filiis? & inter sapientiæ amatores calamitosus? Respondi primo, quia ego non adeo sapiens vt illi stulti. Secundu, duos fuisse mercatores, qui ad nundinas ibant, singuli pyxidem gerebant gemmis ingentis pretij plenam: Iuuenis in diuersoriis vbique monilia sua ostentabat: hunc obseruantes lattones quidam occulti, interfecerunt ac spoliarunt. Alter cum sciret non posse celari pyxidem, dicebat se gerere plenam falsis gemmis, & erat pannosus. cum ad forum venisset Mercatoribus ostendebat: è quibus quidam minoris pretij gemmas emerunt: aliorum nonnulli adiuuabant senem ad vendendum, diuites adhortantes: donec omnes, pauculis nimis pretiosis exceptis, quas Principi dono dedit: remuneratur ab eo, distributis & his qui illum iuuerant donis ornatis, ipse cum maiore comitatu reuersus est senex in patriam suam. Cunctus ego gemmas falsas ostentare, vitaui periculum iuuenis mercatoris, nunc perueni ad nundinas; in eos qui nostræ negociationi fauebunt gratus: si quis officio compensationem superabit nostram, is à Bonorum Principe, & nundinarum domino gratiam & munera recipiet.

35. Si rectè procederent, nec vllus ederet vel vita, vel doctrina suspectus: libri catalogo confirmarẽtur, nec addere liceret. Si quis ederet inconsultò, aut retractaret, aut exureretur publicè. Ita labor & confusio tolleretur. Pari ratione silentio multa ac molta obliterantur. Qui plus verbis agit, similis est ei qui muro integro portas addit, tanquam ex pluribus locis conspecturus insidiatores: cum tutissimum sit vnum ostium in sublimibus muris.

Credis te peruenisse ad Rum. 1. percurrisse totum alphabetum, & nondum peruenisti ad B. 1. vt scias Bonum quid sit, vel bellum. 1. pulchrum: quasi dicas, sed hæres in ipso A, id est non solum prima nota, sed in ipso A Admirantis, exclamantis, atque docentis. 36.

Distantia terræ à syderibus facta est, & illorum magnitudo, vt videatur, sitque tanta in comparatione humanorum corporum vt cœlum non pro paruitate turpe & res ridicula videatur, nec nostra corpora ab superuentu illorum terreantur aut dissoluantur. 37.

Pueris, pisces, caseus, vinum, $\frac{1}{11}$ pars aquæ, & aqua parce: Caro, vitelli ouorum, Pramnium passum, (zibebum vocant) crocus pro c. Mediocriter Coriandri ex saccharu, multo, Mastix: Oleum plurimum, sal duntaxat vt excitet: sunt enim elementa mistorum. Absconditum vis ignis in ferro, aqua per se. Emolumenta paucorum sobrietas, facilitas concoquendi mandere diligentius, corporis alimentum, & ipsa substantia æqualis, delectus, Præparatio commoda: cibi veri: nulla peregrina impressio, natura non mancipata auxilio: atque ideò per se solicita: cautio maior ac diligentior in omnibus: Ambra. 38.

Vt scribas super deletas literas, nec opus habeas iuniperi lachryma, aut post quam scripseris arena, dele leuiter latu gladio, frica charta crassa, molli premendu: acie pennæ scribe atramento denso, nigro, pauco admodum tenuissimu, repete sæpius. Caue ergo ne radendo frangas neruum, ne latitudinem habeat: melius vt pennam scribendo exhaurias. Expertum. Charta autem tenuis & dura Reali longè melior est: vocant Gallicam. 39.

Ex ouo duro exime vitellum, album imple chalcantho in pollinem redacto, comprime, ob calorem aqua exibit: expone soli, patum scribe in interualiis alia vita palea & vino (alij salicis carbonibus, quæ sponte decident: vt chirographa aboleantur) vino si affricentur palearis desinet, chalcantea videbitur. 40.

In his falluntur homines, quòd ex experimentis rationes deducunt, & statuunt regulas falsis dogmatibus & experimentis: at contra qui ratione inueniunt inde succedente experimento minime, non enim idem sunt, lata, enim via est ab effectu ad causas: at illæ plures sunt, per rationes autem quæsita experimenta coeundu contrahuntur. Velut si ex A, procedamus in b, c, d, e, f, non possibile est errare: at ex illis ad postmodum non cõcludit. Sed qui quærit ratione assumptis simul omnibus aut pluribus vbi conuenerint, statuit principium: at non possunt plusquam duæ conuenire nisi in a, igitur A, est inuentum, & principium, & experimentum. 41.



42. Deus non punit peccata voto hominum: quoniam non indiget auxilio ex materia ipsa, nec occasione, sed vt expedit voluntati dominantis. Tunc enim opportunè ideò homines existimāt non punire: quare omnia casu & fortuna regi. Et ideò sustulerunt prouidentiam, ad quod iuuat magnitudo pœnæ, cum sontes non se putant, & puniantur: & non perturbatur ordo vniuersi.

43. Primus honos debetur Mathematicis: quòd plus de illis sciamus, & certiùs, & meliores sint Reipub. Secundus Theologis, ob subiecti nobilitatē. Tertius Magis, quòd Naturæ arcana nouerint, & futura, & experimenta. Quartus Morali Philosophiæ, quoniam exornas ciuitatem & singulos, & est Reipub. vtilis ac necessaria. Quintus Dialecticæ, ob vsum in cunctis disciplinis adipiscendis, & exercendis: Sextus debetur Iurisprudentiæ, vt Ducibus militū Septimus militibus, vt Iurisconsultis. Octauus Medicis, ob commoda & partem Philosophiæ quā amplectitur, & opera præclara. Poësis autē & Rhetorica & Grammatica nō sunt ex hoc numero, sed ornamenta. Anatomia, & simplicium cognitio, sunt Philosophiæ pars. Architectura, pictura, plastica, sculptura, habent similitudinem. Agricultura quoque. Hydragoga, & ponderum ars, hæc quidem Mathematicæ pars: illa & eius & Magiæ.

44. Cum modi conscribendorum librorum rectè sint tres, Primus (de quo alias) vt farrago paulatim sed prope perfecta, ad ordinem per libros & fila traducatur, ad ordinē generum & specierum: item effectuum & causarum, tum continuitatis partium, postmodum adornetur & cōnectatur. Secundus est vt paulatim per partes scribatur, perficiatur, adornetur, relictis spaciis magnis, amplisque ac numerosis, vt qui imperfectus maxime videtur ei nihil desit, præterquā vt rescribendo densetur. Oportet tamen in hoc quendam ordinem constituere, quem sequamur: sed vt perfectio in hoc leuior est, ita tantum ab vltima perfectione distabit, nec de eo dici poterit,

Victurus genium debet habere liber.

Satisfacies tamen plebi in quibusdam non adeò arduis: vt in historia rudi, & acephalis, & Artibus, Pictura, & Architectura. Tertius modus est, vt scribatur farrago, & instituatur modo priore, nisi quòd tota series habeat iconem similem, & communem toti ac singulis partib. Quòd si interim errores accidant delendo, addendo, demum constringendo partes suis principiis atque partib. adiiciantur ac in vnum coeant. Quòd si spes est reficiendi illud, in tabula prius experiemur, deinde in autographo: sin minùs, aut iam lituræ abundent, ac litura lituræ superponenda vel admiscenda sit, experimentū docuit (Quod sic pensitandum est, vt in plurib. ac longis licere non semper, neque verum sit quandoque, sed vt farrago farragini cōparetur & massæ) esse totum exterius scribēdum iuxta ordinem ab initio constitutum atq; propositū, obstructis his vt superflua deleantur in libro, alia addantur in exemplari. Deinde vbi hoc exegerimus singula capita autographi requiramus in exemplari. Hic modus licet implexus videatur, leuior est, & ab errore tutior indiget repetitione.

45. Diffidentium (contraria concordantibus) primū si affert scriptum, vt absque pecunia legas: si intente periclitaris ne tantùm laboris frustra suscipias: læditur existimatio, doles ob iniuriam, vt nullo modo pati debeas, est vel ob sumptum vel ob pudorem persolututum: recipies periculo exponere. Ergo non leges.

Si aquam coxeris, pauca non sufficit, multa impedit coctionem, ergo ius aliquod vt omnes sumant: nam si paratam, periclitaris de dolo, ergo modicum vini, nec valde potentis, cum iure modice dilutum erit pro vigesima.

Si in transcribendo aut scribendo aberraueris, deterrimum cum cogeris ex folio 6. aliqoid depromere vt corruptum quod ad octauū vsq; pertingat: tunc sextū fac vt solum non vitiata cōprehendat; sufficiet ergo septimū & octauum permutandis erratis: & vnius additione folij tātum indiges. Cum ergo deficit aqua, exempli causa, assuescent paulatim acceptum ire, & ita detinebis occupatos & in labore, ergo sensim ad hoc traduces. Itaque sensim & blandis impera vt dominus, liberalitate vteris vt bonis.

In controuersiis silentio transige: A nam B, causam existimabis silentij B C D quam probat ipse C, idem & D, omnes igitur pro ipsis dixisse existimabunt, ac tacuisse: quare si boni sint & amicum & prudentem existimabunt: si mali, licèt silentij causam malè in A interpretentur, tamen neque damnare, neque accusare poterunt. Quod si quis vrget pro quo dicturus es, & poteris, scias hoc esse vltimum malorum. 46.

Si ergo improbitatis causa id agit, omnia potius patienda existima: si ambitionis, stulto stultitiam adde, ne pericliteris, communia in immensum attollens.

Non est amici officium (imò inimici) ea petere quæ si ab inimico requirantur pericliteris, cum non constiterit illum tibi amicum esse, velut si te occupato velit inuisere domum. 47.

Tertia declarant finē, velut in formis capita, humeri, femora, pedes, numero pari aut imparitatem singulæ eodem modo collectæ, & ex his iudiciū habetur. Quare ordine mutato facilius formę ipse singillatim expensæ numerus parib. aut imparib. inde transuersim inde coniunctæ iudicium pariunt, velut in forma generali P, M, S, Q, habent sic N, & L, ex quibus splendor seu Z. 48.

Ex signis non negligēdis pro salute propria, est vt homo manè hæc expendat (maximè decrepitus aut morbosus) os & saliuam & halitū quendam: halitus à ventriculo, saliua à glandulis, siccitas quędam palati à cerebro, communis totius oris quadam dispositio à faucibus: quæ cōmunicant cerebro, pulmoni, ventriculo. Quod si lingua cum hoc inficiatur, & cur est considerandum. Et an consuetum, quod pessimum est; an insuetum, quod malum: an medio modo, quod minus malum est. 49.

Humanæ res exiguis constant: indicio est sic & non; repetitione crescunt in immensum: nam additio æqualis fit Arithmeticè, & incrementum Geometricè. Ad tollendam aspritudinem duo auxilia, Musica proportio pro Geometrica, & consuetudo; hoc totum est fundamentum humanarum actionum; modus, translatio per verba seu prolata seu scripta. Auxilium & impedim. ntum 50.

tum

tum, tempus, & occasio; vita ergo nostra, vt alias, recte.

51. Cum in maxime aduersis circa tamen corporis iacturam, cogamur aliquando vti humano consilio, medico, iucundo & Diuino: vel vt à Diuino incipiamus eundem ordinem sequentes meliorem primum obscurauí cum populus & post puer inde deliniæ tum rursus puer adueneris, licet enim neque in arte nec diuino præsidio spem & auxilium, collocandum declararet, illud tamen non defuturum ostendit, Prudens in fine: Quasi dicat non timere procedendum, vt à diuino inchoemus, sed vt merito patientes omnibus viis consulere sperantes in Deo & illius misericordia, non defuturum siquidem ex bona pro septem tantum. Et ideo in arduia difficultatibus vbi aliqua subsit spes omnia tentanda docet, eo ordine non tanquam per se meliore sed peccanti magia conuenienti; & humiliter supplicanti ac ratione & consilio se tuenti: vt doctus simul sint modum & exemplo atque exitum negocij huius & ordinem generaliter ac specialiter. Oportet autem assumere totidem libros proprios huic proposito, in quo illud obseruaui vt honestā voluptatem sequerer: assumpsique pro illa Gentilem, cum Iacobo de Partibus, & pro arte Dioscoridem: literarum secundum pro humana sapientia: Clementem Alexandrinum pro diuina. Et hoc est quod iam diu quæsiui obtulitque casus: aut vt reor aliquid longè melius.

52. Cuicunque igitur meminisse præstat: sed in aduersis longè magis. Et tum pila vento plena ludere: sistereque motus maxime nouos, aut extrema vi niti: Retinere viro minus malos socios ae domesticos, tum ob necessitatem, & vt relictis inuidiam moueas: Et opportuno tempore gratiam quam merentur & illis & aliis reddas, timore si vlcisceris, inuidia si benefeceris, iniuria in contemptis & improbis si casus se offerat. Inuidia enim morte minor; non est timor, si perseueret deterior est. Præterea in litibus exige à Procuratore, vt ostendat in scriptis quid egerit: Opportuna capies consilia: ille non audebit tibi dare verba, & integra causa licebit permutare Aduocatum.

53. Tuarum verum ne causam reddas nisi in commutationibus. Et rerum quæ precium exigunt non contemnendum rationem in scriptis habeto, vt scias antequam lædaria grauiter.

54. De quæsitis ergo si velimus quæ ad vitam, & salubritatem corporis attinent, à medicis inchoabimus, vt Dioscoride, & in Elementis vltima, & extra acta copulabimus, Ta, Vb, Xc, ZD, inane tanquam, non vt relinquenres. & in secundo similiter: ad tertium verò voluptatis gratia, & id honestè, vt ex simili: secus ad Plotinum, ad Historicum, ad Poëtam, atque ita congruentem quæsito generi, & iocunditati parem: etiam si ad fabulas pertineat, sed has minus: ne fabulosum quicquam admisceatur; demum ad diuinum, ex Clement. Alexand. viro graui, honesto, forti: quem verisimile est fuisse Deo non ingratum. Et quod potes ratione assequi, noli sub sorte collocare: velut primo loco vinum leuiusculum, meru, mediocriter: secundo potens, sed parum, & purum. Tertio quod quasi ad voluptatem pertinet, potens, dilutum plurimum: aut variare pro opportunitate, si geminata occurrat: aut li, cum vocali remittendo ab, a, ad u. Quarto loco aquam coctam cum odoratia, at potius pinguibus. Atque in hoc similiter distinguere expedit, vt pro geminata tam varietas quam pingue intelligatur in tertio aut quarto: vbi duplex dubitatio proponitur. Atque in his potiora præponuntur, primum secundo, & ita vsque ad quartum, nisi quòd primum ita comparabitur quarto, vt simpliciter melius sit: occulta autem ratione & diuina quasi vt in fine quartum primo. De aliis media palam est, quòd extremis seruire debent; verisimiliter & quæ succedunt respicere oportet, at ad quod Iudicium ex coniectura inclinet; nam ad quartum vsque nihil pertinet: vt sint duo consideranda in huiusmodi locis, & vt ad potiorem pertinet ordine vi & probitate & consequentia: in quarto vero occulta quædam etiam via: & quanto superat ac superari videtur expendere ac sequi simul, & quomodo conducat magis rebus tuis. In cæteris vix impedimentum inuenias: sublatis his quæ de more & aliàs difficultatem afferebant. Sed & in aliis eodem modo. Quatuor quæsitorum princi- Sur. 55:
palium & ex ordine suo superius explicatorum, vt de vino nunc docuimus. Memor vt in his quæ bono animo fiunt, sperandum esse cuncta cooperari ad bonum. Est etiam id præter ordinem hunc ex naturali dispositione ad negocia tractanda vtile: simul docens quali ordine, & in quibus & quæ quærenda: & quid sperandum, ac etiam quid agendum, magnisque viris ac prudentibus, & in amplissimis negociis vsui fuerunt & auxilio: seu rei inuentæ causa, seu diuino auxilio, seu excitata mente subtilius & efficacius: nam in singula ex his referri potest: aut etiam in plura, nec vt dixi mirandum his qui humanarum rerum statum imbecillem, inanem, & varium quam sit intelligunt: In cunctis tamen vt diximus, memento, consuetorum modorum tractandi res ipsas, vt sit apodixis, aut sarcinarius, non pars.

Vide quanti nostra & verbulum. Secan- 56:
dus erat lapis ferreus ac valde durus, crassitudine duobus digitis iunctis, minore X. Paulis, seu aliquanto aureo minori precio; sed ego si cariosus inueniretur nolebam teneri: ipse non contentus lapide tam exigui precij: Ego obtuli conditionem, vt si cariosus euasisset teneretur complanare: annuit: neque enim precium perire illi poterat, & labor contigisset vltra debitum, si modo, perexiguus: mihi verò seruabatur votum, & vsus: & ipse adhibiturus summam diligentiam ne laborem conduplicaret: similiter requirenti operam meam, bis pro dimidio coronati potius in quatuor diebus recipito, quam in duobus in vno; negos: nam in quatuor fit iactura lucri in eadē die, salutis & probitatis, & cum his commodi tria. Syderites smiride tenuissimo secatur, in partes nitidas arenoso frangitur: ideò alia eadem ratione molietis.

Ne

57. * Ne timeas quod tibi recte ſentienti aliquid perear aut ſubducatur : primum enim eſt , & tuum eſt quod vere ſciuiſti ; illis autem , & ſi falſn adſcripſerint , longitudine temporis omnia peribunt. Præterea illud recte dictum eſt de omnibus quæ vera ſunt, omnia ſunt ſcripta in Libro Vitæ. Demum *Sciam* manet in mundo incorporeo , imo tota noſtra cognitio eſtne tantillum, & ſcintilla incorporeorum. Tuum ergo hoc totum fuit dum hic feſtinares : ſi ergo non manet, & immortalis manes , ne tuis dono acceptis frauderis ; quin potius alia accepturus multo plura , & potiora bis?

58 Si cum curaueris quempiam ille meliora optat , perſuaſus offer medicamina : quærens ad bona interrogata quem morbum velit curare : ſi alium , ex profeſſo non conuenire reſpondeas : ſi eundem , dicas neque id. Sit A , morbus verè , vt C exiſtimat , exiſtimet autem D , eſſe B, contrarium igitur B , E , & A, F : non ergo E , poteſt conuenire cum F , aliter B , conueniret cum A : ſit ergo A , contrarium F , & H. At non ſunt , & vnum igitur nec F , & A. Hoc autem conſtat ea interrogationibus ; exiguum enim diſcrimen in A , tanquam centrum efficit vt F , & H , non conueniant, ſed multum diſtent, vt in Peripheria : Quod ſi pergat experiri , Dicas tentare poteſtis , ſi petat de alio. Quidam proceres , vt audiui ego , reſpondebant , ſcir aliquid , mihi ſatisfacit , & eſt honeſtius ſcitur. Vocatus ab initio multa ordina : in ſequentibus diebus ſufficit ordinata moderari: numquam deficlet nouitas ad decem annos vſque ; grata ægro , medico decora ; audientibus admiranda, plena ſpei , & dexteritatis. Poſtulantibus redde cauſam , non requirentibus ne addas. Quærentibus de incertis , per generalia reſponde , quæ communicent , diſſideant , conueniant , diſparata ſint: velut laboranti aſthmate cum febre , incertus inflammationis : Duo morbi magni , febris , & ſpirandi difficultas ; nullus enim occupat reliquum , frigidis actum, & calidis indigenti : vterque lenitate pectoris , & humectantibus indiget : ſectione venæ indiget vnus, & inedia : alter neutro, cum animalem facultatem ſeruare neceſſe ſit , explicaſti multiplices difficultates ; ſi inſtant , vterit primi morbi exitus. 59

A	B
C	D
E	F
H	H


Vt præda aurea non expers honoris potiaris, Doce tria eſſe neceſſaria , ſcientiam, diligentiam , felicem exitum. In primo & patem , & ſuperiores te non negare inuenturos : in ſecundo eaperiantur , neque enim te credere habituros potiorem : in tertio, eſſe in Dei arbitrio , nihil defuturum , vt qui animum & laborem norit. Ergo hæc in vniuerſum eſt priuatæ vitæ humanæ felicitas , quam vt potero duobus exemplis eaponam ; ordinis , ac vitæ ; nam vt diai negocium non alia via eſt peragendum ; quam cum fuerint ſupra vires , quomodolibet , ſeu ob ætatem , locum , inopiam , ſolitudinem , errata , conſuetudines , rei magnitudinem , æmulos , inuidos , inimicos, occaſiones ; vt illa diuidas , atque in ordinem redigere ſtudeas; tunc enim fient vnum numero , & tractatione : vt diuiſione parua exemplum mihi contingit ; cum tabulam alphabeticam cclxaxvij. ſuccidaneorum ſuper cclxxxiv. prioris , & fortuitæ exaraſſem : intelligeremque ſecundam tribus prima eſſe maiorem , poſt multa mutata digeſſi hoc ordine in xxviij. loca vt ,

i	ai	xx i	xxxi	xli	li	lxi	lxxi	lxxxi	ci
x	xx	xxx	xl	l	lx	lxx	laaa	xc	cx

Et ita de ſuccedentibus , & vnicuique loco repoſui ſuos numeros ſeriatim , facileque deprehendi errorem , aliter ea tabula prima obiter facta iuxta ſeriem numerorũ alphabeticam cooſtabis, numeris primæ adiectis, inde numeros primæ ſolos eodem ordine ſeribes in decem , aut viginti tabellas diuiſos pro tertia. Amanuenſis nomina ſecundæ tabulæ cum ſuis numeris leges , tu videbis an tua prima reſpondeat , & ſi ſic punctum numeros tertiæ tabulæ perfice ſi occurrat vt duobus nominibus idem numerus ex ſecunda tabula eueniat ex prima legitimum puncto ſignabis : alterius nominis numero : nil id detrahes ſi nullus ſit adiectus numerus nomini ſecundæ tabulæ aut non congruens ea prima , loca illa omnia relinquens : Quæ quia non multa eſſe poſſunt, ſi rectè ſatis ſecundam ex prima tabula excerpſiſti, loca eadem in prima inuenies , atque ideo & nomina. Cum ergo per ordinẽ alphabeti nomina in ſecunda tabula inueneris & eorum numerum ex prima patet inuentum.

At circa vitam contentus fui duabus arculis , vna in qua quæ nulla nullo artificio indigebant continebantur. Pineæ , vbi ventriculus crudis eneruaretur. Vuæ paſſæ pingues , vbi icinnus laborare cogeret: coriandri cum ſaccharo multo, vbi vtraque ſuſpitione preſſus eſſem , cappa-rens ex ſale : nam hi mitiores quam ex aceto , præcipuè ſenibus , vbi præcordia grauarentur , totidemque pyxides , & ita magnitudine congruentes ne mora corrumperentur ; aut diuturnitate deficerent. Alia arca maior in qua panis, pulegium , caro ex patina ſicca : oua recentia ſemicocta , parara haberentur : & duo lebetes cuprei , minor, quo carnem cinerem cum iure ſi neceſſitas ingrueret , & maior pro iure albo , aut aqua decocta paranda, ſcutellæ , croci aliquid , oua piſcium , vocant botargas, panis, vini aliquid ſuauioris , vnguenta , & ſuffitus , origanum ; hæc omnia cum ſuis pyxidus , & gladiis, Mappæ, mantilia , nec non deterſoria , ex hippuri , patria liugua ſprellam appellant , loco nobiliore vaſa quædam pulcra , & commoda , pretioſioraque, lapides à Græcis vocati : item imagines , librique : & ſi libet , depicti ad laaandum animum : & theca ſcriptoria , & quæcunque dulces ſomnos conciliare poſſunt. Inter reliqua vnguentaria duo vaſcula ea Chalcedonio aut Porcellana , quam myrrhinam antiquorum

antiquorum putabant : vnum ex adipe vrſino puro, aliud populeonis vnguento florentis, ac ſuauiter ſpirante, quorum altervtro liceat inungere xvij. illa loca aliàs dicta. Sed hæc omnia parum aut nihil proſunt, ſi ad id comparentur quod vocant indifferens: vt neque diſcrucieris bonis alienis, nec propriis malis : ſed ſi modo aliquid poſſit in nos fortuna, potius malorum quam bonorum habenda eſt ratio. Aliud maius, quod cum diſſolueris immenſum illud bonum æternum potentiſſimum, ſapientiſſimum percipies: cum ſecuritate perfecta, ſpacio infinito, claritate diuina, iucunditate ea, cuius imaginem exprimunt fides, lyræ ac chelis cum demulcent nimio amore reſoluto. Nam quid præſtare poteſt memoria præteritorum bonorum ? aut lætitia leuium præſentium, aut incerta futurorum ſpes ? Quare ad Principum vanas expectationes, & falſam ludibriis fortunæ vitam tranſeamus.





SECVNDA PARS.

MERITO & admirantur, & torquent Grammaticos verba Tiberij, in Epistola ad Senatum. Quid scribam vobis, Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dij me Deæque pœnis perdant, quin quotidie perire sentio, si scio. Sensus est obscurus etiamsi vt antea legatur. Id est, non habeo quod scribam, neque quomodo: nec par est non vobis scribere: cur autem non habeam, nec modum, est, quoniam tot opprimor miserijs: ob id quia nescio quid ex his potius eligam. Cum addit iuramentum: si scio Dij me perduint: quoniam omnino id agunt. Sensus duplicatus ad grauitatem in eisdem verbis, & in his supponit quod planum est, debet princeps curam gerere populi: Ergo paucorum, & potentissimorum, vt Senatus, Ducum exercitus, & aliorum Principum: aliter non potest regere multitudinem: At Reges me contemnunt, & odio habent: Duces exercitus suspecti, & vos, vt innuit, parum amici. Igitur exitium mihi imminet, & vita penè odiosa. Principes ergo curam habent Principum, factionumque, quia factio res perpetua est. Senatus, collegia, & magistratus: & quoniam Deus eodē modo conseruat mūdum. Sunt igitur duo, princeps, & factionum duces, vnus ergo in pluribus, & plures in vnum: sic humana species regitur. Anguntur autem Principes. ob hoc, his omnibus quibus priuati, quæ nuper dixi: præterea à factionibus & aliis Principibus. At à propriis minus longè timere coguntur, scilicet ab inopia, & iniuria. Communia sunt morbi: & casus, vt visum est in Francisco Gallorum Rege primo eius nominis: In obitu autem magis timent, & dolent, relicturi tot commoda. Si igitur prudentes sint, & gnaui, & fidos habeant ministros, paria sunt commoda incommodis; tanto enim magis insidiis, & in bellis magnitudine negotiorum opprimuntur, Priuatis, quanto priuati minoribus etiam causis subiiciuntur. Clemens tamen VII. cum multis suorum Consiliariorum erroribus iactatus sit, Nepotem Principem Hetruriæ, neptim Galliæ reginam reliquit, quorum adhuc progenies imperat. Præter ergo titulos, leues res, & introductionē, historiam, simulationem, ac dolos; Dissimulationem, acumen, adhortationes, minas, odia, inuidiam, iram, & superbiam, licentiam, atque auaritiam, xiv. hæc; reliqua exigui fructus sunt, scommata, figuræ, conuersiones, & talia omnia, vt sint ad dirigendos affectus pro notis blanditiis, aut metu, dolis, ac ratione. Affectus mouentur, vel vt generentur aut deleantur, augeantur aut minuantur, vel mutentur iuxta illos, aut in ea quæ sunt ad hæc, & apertà occultève, vt sint lxxx. præter titulos, introductionem, historiam, consilium seu deliberationem. Ergo modi vniuersi clxiij. consilio enim dubio duplicantur. In his ergo pulchrum est videre affectus, casus, actiones, successus, & maxime in Principalibus viris, ac mulieribus, & dependentibus, spes, metus inanes: inde Gnathones. Hi nil efficiunt, reges imperant: ministri agunt. Vt autem ad regulam numeri deducantur, sint ordines vt vides, & quidam sint specierum separatarum, velut animalium, aliæ inhærentium e, f, g, h, i, singula singulis vt color in pariete quo nullus potest carere omni, nec plures habere. Tertius sit contrariorum, calidi frigidi sicci humidi, mollis duri lenis asperi, leuis, grauis, k, l, m, n, o, p, alius non competentium, vt poto q, r, s, competentium vt, t, v, x, alius contrariorum, y, & z, alius quibus diuersimode vt quasi propria hæc singillatim examinabimus: & sint x: gratia exempli iungemus cum a, b, c, d, fient septem t, v, x, cum secundo ordine, & fient octo: & y, z, cum tertio ordine fient octo, & hos conduplicabimus, fiet xvj. ducemus inuicem, fient DCCCXCVJ. quibus addemus decem seruaros, habebimus DCCCCVJ. Si qui autem videbuntur incompositi, seu singillatim, seu per plagas, eximentur ante multiplicationem, vt ad numerum vtilem redigantur. Ergo hic primus ordo totius desideratur. Modò de aliis videamus. Sunt ergo ex ordine primo substantiarum loco affectus vj. in secundo sex, qui duplicati efficiunt xij. ducti in vj. efficiunt lxxij.

A	E	K	Q	8
B	F	L	R	9
C	G	M	S	RS
D	H	N	T	3
4	I	O	V	
	5	P	X	
		6	Y	
			Z	
			7	

Ordo primus.	*Ordo secundus.*
Tollere,	Clarè, obscurè.
Augere,	Verè, simulatè.
Minuere,	Deliberare, consilium petere.
Ad actum ducere,	Apertè, occultè.
Confirmare,	Blanditiis, metu.
Mutare,	Dolis ratione.

Præter hos quæ ad illa, & quæ extra, vt ioci; historiæ, introductio tituli. Hos igitur contra addiscere oportet. Sed

sunt

sunt pauca, literæ non erubescunt & congressibus sunt meliores cum potentibus & vel iratundis: contra in iudicio in causis litigiosis & de re periculosiores. Tituli generales excellentia & quę ab eo: Potentia etiam & magnitudo vt Baiazetes ad Pontificem Patrem etiam appellat. Regibus serenissimus Princeps (hoc enim diuini & puri) Don quasi Dominus: Rex ac serenitas. Vt Carolus V. Imperator Regi Anglorum, Cardinalibus in frontispitio Reuerendissimis: Episcopis quam vocant Signoria in subscriptione Reuerendissimis, & Illustrissimis: Legato autem in vtroque loco Reuerendissimum & Illustrissimum. Principibus minoribus Rege in frontispicio Illustriss. Quandoque etiam admittitur: io fine Excellentia contenti sunt. Inter scribendum sunt etiam hoc nomine vestræ excellentiæ, quod etiam proregibus conuenit. Fol. 7. & 2. T. & 3. & 4.

Res humanę per se vt dictum est sunt difficiles, natura, loco, tempore, auaritia, erroribus, & quia qui in re pecuniaria multum possunt humanitatem exuerunt. In principibus autem & aliis post sub ratione spea, & metus, extra Inuidia, & ira, in tractatione imperitia, & stultitia: In actione auaritia, & segnities. Parcitate aduersa euenerunt consilio prospecta consecutus, nam dum æquas portiones permutat cum duobus regibus illi in eodem statu mansere ipse duplicauit potentiam. Hoc solum interfuit, quod paniam pro dote filiæ Cæsaris subiecit, non tam vt suis acquireret, quam vtà maiore malo liberarentur, & ne in mutatione prorsus perirent: quod ei successit. At dum in fœdera trabere nititur Anglorum regem, pecunias, & dono, & mutuo petit: quibus & impotentiam detegit, & Regi iniuriam facit. Quo in errore etiam cum Gallorum rege versatus est. Neque negocia ipsa exitum habebant. Quod in Italica lingua exprimitur (in effectu) Potentes vt incitentur periculi magnitudine, aut maiorum exemplo mouentur, ac mouent (vt Heluetij domitores principum, conseruatores fidei, religionis defensores) vt non deflorare famam, tot laboribus partam, sequétia opinio virtutis dignitas ab amicorum præceptis, licere putāt qood exitum bonum habet: aut excusari potest, aut negari, aut ab exemplo, & vbi periculum sit altrinsecus tutiorem viam amplectuntur, & si in alios culpam reiicere possint, atque ob id melius cum noi potes eorum arbitrio liberè se committere quam leuibus aliorum promissis inniti.

Fœdorum coniunctio fit cum promissis & sumptuum tabula longè liberaliore quam sint pacta secreta: cæteri metu spe, aliisque causis accedunt, conditione mercatorum qui societati aliorum se adiungunt minori vtilitate periculo pari, alias contra exiguum est quod pollicentur, vt Clemens in eo fœdere quod cum Gallorum rege ac Venetis pepigit: duas tantum triremes & mille pedites pollicitus vbi occasio emersisset, quasi liberalitate inuitati multo plus cogebantur, & incautum opprimere tentabant, nam fœdera ad tutelam non inferendum bellum videbātur. Quintum genus doli est quod vrgent nouos, ipsi subsistunt, nec planum faciunt de portionibus.

Atque hęc est præcipua causa quod diffidant, illum autem accusant rupti fœderis quòd nō tulerit iniuriam damnum & periculum. Sextum genus est cum spoliare nituntur complices aduersarij hinc sumpta occasione belli apertè seu defenderis, seu non in periculo es: Estque in arbitrio vt abstineant Rex armorum qui victa Principis vrbes depoposcit.

In mittendis litteris per media celerius ordinata, & geminatis: & non aliis ex causis: si deprehendantur symbolieæ vel etiam studiosè emittea alias vt in illorum manus decidant atque sic illos incautè oppresseris, illi tuas literas, nunquam neque etiam firmata pace, multo minus dum tractatur exarmabis tua: sed cautius duplici compendio. Detecta coniuratione in Duce, solet respondeti non possumus prohibere vt quisquam non iactet, non illis esse amicos. Si tuus ob errorem, aut bono animo, vel tua mutata voluntate damnetur, dicas te deceptum tarditate literarum. Vsus patitur inter parum amicos Principes el. vij. & cv. Gaudeo (id supponendo) cor simile literis vestris, & animum scripturæ. Tacitæ obiectioni non occurres cum admones facti: & cum non longè superior est excusatio accusationi.

Sunt literæ postmodum fidelitatis, vt intercipi nequeāt, & ad præsentem occasionem satisfacere possint. Quæ promissa, facta ratificatione vt vocant, rata sunt. Aliæ duplices cū nomine Principis amicis aut potentibus minari aut eos iniuriis vexare cogimur. Quæ plerumque etiam iocis mistæ sunt. Aliæ exemplares, cum vnum exemplum paucis mutatis mutandis pluribus ministris satisfacit. Pro pecuniis redimendis à principibus opus est procuratore assiduo vt mos est. Populi tumultus si non promptè adiuuentur hebetescunt: adeò vt ipsi dent pœnas, aut transeant ad hostes, modus sedandi seditionem ortam pulcher, & exitu felici, verbis adulatoris sed modestè vti licet cum acceperis beneficium vnde nō sperares. Minæ potentioris ne recipiat inferior pecunias ab hoste. Subditi regum promptius conspirant pro Rege, quam subditi Reipub. aut fœderati procomplicibus: vtūtur & Principea seommatibus sed cui vsoi? Reg. enim Anglorum appellarunt iudicem appellationum: & qui vellet tympanum pullare, non esse in chorda, forsan inter complices licet. Fol. 13. D. fol. epistola rum Princ. Fol. 136. Fol. 163. Fol. 155.

Conuenit etiam pro ministris in castris summittere exploratores de distributione pecuniarum: hora mutata destituis negotium tacite. Purpurati interim petunt à confœderatis commoda non stultè si rem humanam contemplamur, sed ex more probato quidam minantur se deserturos fœdera ob negligentiam sociorum occasione captata. Res turpes minuuntur lenocinio, verborum hinc inde diminutis lateribus. Rex Gallorum ablegauit exules Mediolanensium per castrametatores sublatis hospitiis, ne haberetur ratio eorum. Vrget præsentia Turni. Cura annonæ in bello est principalis, sed non digna principalibus, scomma non defuit lingua, sed aures aliud: Pontifex prius bibet syrupum, post videbimus de medicamento pro Cæsare. Induciæ solum prosunt impigris. Hostes euertant primum quos facilius est. Melius est pugnare associa-

tos, quam desertos ruere, & tum coniunctorum est operam præstare. Melius in rem agere cum hostibus quam malis amicis. In bello publicæ personæ charæ, multitudini, non sine periculo ab officio remouentur. In pensionibus extraordinem prima solet ante tempus numerari. Miserorum querelæ malis plerunque maiores: miserum tamen est eas audite. Cum fœderati exercitum augerent Gallorum Rex dixit non aliud agere quam vt maiore pecunia dedecus emerent. Auxilium S. Hermi: vbi periculo finito succurritur. Dixit Rex Gallorum amicis Cæsaris ne arctius conatetur cōstringere, quam leges Salicæ permittetent, neque enim seruaturum. Galli habent innatam in negociis tarditatem etiamsi de Regis vita periclitentur: & rem cogitatam vt factam. Et plus eos mouet persona suadentis, quam rationes. Defensio pauperum iurgia pati facit à dominis. Quo loco debemus si in amicitiam referatur extorquere obligationem. In castrensibus flagitiis Duces exploratores submittant qui moneant: si etiam obliti sint honoris suis dominos non laturos. Militū numerus & qualitas ad timorem potius quam terrorem parata. Fictum animum cognoscimus cum pertinaciter contradicont, tristi oculo audiunt, si ægrè aut per alios exequantur. In continuo enim decursu minutim perscrutando deprehendimus. Aldimarum vt exploratorem subiecit Vitellium Ducem exercitus monet vt nec sibi fidat. Id vt fidos vbique habeat in exercitu exploratores ad momenta, & ad momenta illos examinare. Ironicæ epistolæ exemplum, alterius Pontificis ad Caponem Reipub. amatorem cuius sensum quem vides vt distorqueat, & sumit fundamentum à ratione, voluntate, & exitu, summa rei quod Respub casura essent in seruitutem: cauisse vt non rueret & excinderetur. Fol. 101.

Deinde quod dissimulationibus etiam læsa authoritate legati Triulij processit ad coniūctionem cum Cæsare, sed mirum: quod Gibertum à consiliis intimum delegarit ad Cæsarem quo nil optabilius illi contingere poterat. Simile illud captis duobus centuriotibus, hostium in bello voluit abuti his ad habenda arcana illorum non habita ratione militiæ cum multa obstarent: In hoc postmodum deplora conditionem miserorum nunciorum: qui si non pareant occiduntur, aut mutilātur: si pareant deprehensi suspenduntur, si failant filij & coniuncti dant pœnas scelere nullo, præmio exiguo, ô mortales! Cum datus esset quidam pro obside Germanis rogabat ob illorum atrocitatem, vt Hispanis: non adeò consentiunt mores & probitas quæ à pluribus persæpe posthabetur.

Portaui præfectus imo Dux classis Turcicæ præuidit exitum illius & prædiait, sed & ibi pulchra verba præposita fuere securitati exercitus & Principis vtilitati. Tantum possunt ista mentita officia; & vide ex quo tam ingens victoria contigerit: Quidam captiuus aufugit à Turcis Illyricus, & forte fortuna, viderat Hali vluchi discedentem ex classe cum lxxx. triremibus nunciauitque Christianis, qui cum existimarent illum adhuc abesse cum rediisset sequenti nocte, audacter congressi sunt, & receperunt pugnæ conditionem, & ita victores ex errore euasere iuxta Curzolarias nunc Betalias appellatas à Pyrata eius nominis, olim Echinadas & prope Acheloum fluuium qui diuidit Arcananiam ab Ætolia: vbi nota ordinem classium, vt etiam exercituum in terra, sinuantur enim in arcum cum cornibus & media acie quam vocant (batagliam Italicè) vt inuadendo pugnando fug endo seruetur idem ordo: & omnia aperte conspici possint.



TERTIA PARS.

Postquam ergo nec in vita priuatorum nec Principum est vllum vestigium felicitatis. Quærere quam possumus vt habeamus diligentius oportet, & primum vt diximus ad hoc vt aliquis, & cum sois feliciter viuere possit, vt quod alias diximus sciat metas conditionis humanæ tum proprias, hoc autem antea expofuimus, quibus cognitis, ac inoicem comparatis omnem custodiat diligentiam, atque laborem in hoc ponar, & artem quam ratione exemplis ac experimentis didicit in hoc absumat. Quid enim faciet tonsor cum nouacula acutissima acie & vasis, & cote, ac linteis foculo iam, ministroque, sed non expertus, aut qui nollam diligentiam adhibeat, sed raptim tondeat? an non melius à minùs perito, & qui non tor habeat nouaculas nec instrumenta, sed assiduus sit in opere, & diligentia summa opus exerceat tondeberis? ergo primum de patria, & loco dicendum est.

De Patria, & loco eligendo.

Si iuuenis es patriām elige in qua iustitia perpetua cosuetudine obseruetur: tum mores penè iidem, & vbi homines diu viuāt, & iumenta: pecudes carnes & viscera rubra habeant, adipemque candidissimum. Ædes non minores familia, nec maiores his que ex vsu sunt. Respiciant orientalem boream: cubiculum pro æstate maiusculum ab ortu solis: dum tu abes ad iv. diei horam pateat fenestris orientalibus, ac borealibus irrigetur: vertatur odoribus è floribus suauibus Hilare sit: Hyeme in eodem tabulatum è larice conclusum, mundum, lecti pensiles, aut omnino tuti à cimicibus culicibus pulicibus muscis vermibus pediculis, alternis diebus pateat & expurgetur. Eadem ratio ineunda si filij boni adsint. Caue autem ne mutationem in senecta aggrediaris cuius fructum diu percipere non possis, tunc ergo accommodato re, nisi iniustitia dominētur, ne Deum aut temetipsum offendere cogeris. Cap. 59. In 1. parte in lib de optimo vitæ genere, & in memoriali 1.1.

De his quæ ab aere, & de custodia vitæ.

Summa diligentia est præstanda ad multa, primum aëri, post potui, inde cibis, post somno, item exercitationi, & euacuationi, sed præter reliqua vt mêre valeas: corpus nostrum absque anima quid: oblæsum in facultatibus? deterius ergo: ab his primo incipiendum est. Quædam sunt continentiæ vicaria fructus grauedo

grauedo, pruritus, & externa, vt balnea sphygmotica, item vomitus menstruus aliquibus confert. Fontes sunt magis præter naturam: multitudo vrioæ pro pluribus ex his constat, sed non est arbitrij nostri, & prouocare in senibus vitam breuiat: sufficit ergo refrigerare renes, aqua nuper è fonte sumpta, vestes madidæ malæ, item pondetosæ ac multiplices: & mutatio caloris, & frigoris semper peticulosa, & plerunque mala præcipnè refrigeratio, per ætates autem Ptimo senio incipiente à prauis cibis à multitudine & varietate abstinere opottet. Sub fine à crudis ab exuberante potu. In secundo adimere panis dimidium & obsonio dimidium addere: a lxxv. anno dimidium rursus panis detrahere & sextantem obsonij addete: ita si par sit obsonium pani semper in omnibus ætatibus quantitas eadem erit vtrorumque, vt si panis & obsonij sint xij. partes Decrepitus sumet panis partes tres, obsonij xxj. Animaduertendum est etiam quod robustiores & dentes firmos habentes somere poterunt in initio ptimi senij olera cruda mollia tenuia: Idque in cæteris ætatibus iuxta rationem: nam hæc facilius concoquuntur & suauiora atque robustiora Paois ergo summa hæc est, Hyeme diei eiusdem', in æstate non vltra xij. horam in bracteas tenuissimas diuisus optimus & optimè præpatatus.

De Vitiis animi & his que ab illis.

OPortet eum qui vult suas res habere accommodatas Prudentem esse, diligentem, peritum negotij, gnauum, & non destitui à suis. Quod ad prudentiam attinet, vitia facultatum rectricum vitiant prudentiam, illæ autem sunt tres, memoria, ratio, & phantasia, simplices ergo læsiones in vna facultate fiunt, & sunt tres: totidem in duabus simul, & vna in omnibus. Vitia verò sunt diminutio, & corruptio: his ergo erunt xiv. læsiones simplices iuxra subiecta, & genus læsionis, velut si diminuta sit ratio vel memoria, aut phantasia, aut duæ, aut tres simul, vt sint septem à diminurione, & totidem à corruptione ergo xiv. quæ non sunt geminatæ: & Geminatæ in quibus est vtroque læsio, velut si vna, vel duæ facultates, aut omnes, lædantur corruptæ simul, ac diminutæ. Quod si vtroque modo lęsæ sint cũsint septem modi diminutionis, & quilibet illorum necessatio possit subici corruptioni, idque variari septem modis: ergo geminatarum læsionum erunt xlix modi: ductis vij. in vij. quilibet enim cuilibet copulari potest, postquam simul esse possunt, læsiones inquam lxiij. scilicet xiv. non geminatæ xlix. geminatæ. Non geminatæ vi. simplices, sex compositæ, duæ decompositæ. Geminatarum autem. lxiij.

Abolitarum autem sunt tres modi simplices, neque enim in eodem subiecto abolita potest esse cum diminuta aut cum corrupta, sed cum aliis corruptis ant diminutis, fingamus ergo abolitã esse vnam, aut duas, aut tres fient vij. modi iterum, è quibus omnium non potest esse nisi per se, & simplex, sin antẽ duarum poterit copulari cum tertia corrupta vel diminuta, cum ergo sint tres compositæ fient sex ob geminatas, & rursus si sit abolita vna tantum poterit esse simplex, & erunt iij. aut copulata, & tunc geminatæ septem modis simplicibus, vt de aliis, & item Geminatę nõ possunt copulari nisi vni diminutæ aut corruptę, & ita erunt vj. & vna abolita quæ poterit comparari vni, aut duobus x. modis, & ita erunt xxx. iunge xxxvij. vj. & lxiij habebis omnes modos corruptionum cvj.

Speciales autem, & proprij sunt, timere, odisse, sperare, diligere solitudinem, & societatem, taciturniras verborũ multitudo, vigilia, sõnus, fletus, risus, secum loqui (alquesque ab arabibus) clamare, mitẽ esse, verberare, & est ferinum mutasse mores, & retinere, & quæ cũ motu sunt à caliditate, & tacita quieta à frigiditate, & sunt qui nolunt comedere, & qui vocant, & est, vel à temperatura in cerebro, vel cum materia ibi genita, aut delata per vapores: & fit à cogitatione, & soluitur ab ea maxime cum somno, & fit à corde ob metum verum fixum.

Ergo curatio fit cum euacuatione materiæ, & cum diuersione, & cum temperamento. Et sic non est locus. Quod autem quærit homo in hoc est vt tollat symptomata, vt stultitiam, timorem, tristitiã, hebetudinem, amorem, furorem, spem inanem, & symptomata symptomatũ, vt vigilias & negociorum cõtemptum.

Ergo venenis familiare nostrum, R. Zedoariæ rutæ anethi ana, m. croci odorati ℈ij. olei rosacei, & violacei ana lib. ij. coquantur in balneo Marię, inde sub ortum canis ponatur xl. diebus in sole, si 'vis addere pulegium licet. Sed hortor vt medullam ceruinam saltem ʒ.x. adiicias sphygmoticum: quidam addunt Angelicam aut scorzoneram vel vincetoxicum.

Pro potu vt iuues iecur & ventriculum, primum est Agallochum: secundum spica celtica, Tertium iuncus odoratus, quartum lac humanum, & facit ad producendam vitam, tutius quam ad sanationem. Ideo vtendũ, proximum illi est vaccioum. Quintum thaponticum, sextum palma elate, & est proportione respondens primis ficubus, quamvis palma elate minor sit dactylis, ficus maior. Sed vt res aduenit solum exterius, ad hoc laudetur, septimum cato limaciarum, & ius earum. Regiis ergo membris, cordi muscum, cerebro ambra: iecori, & ventriculo Agallochum: pulmoni crocus.

Purg. atrum H. Eleb. Al. Niger Palma chr. Absyothium, vitis Al. rad ocimum odor lap: Armenus vel cœrul.

Parum purg: Smaragdus Flos cotulæ F. Sena Pulegium Cuscuta.

Quæ lætificant proprie vinum dul. pot. crocus verbena Melilot. Cyclamen Heclenium odor Margaritæ Dorag. Mandragoræ rad: at Po: Pipinella styrax solanum maniarum. Hyosciamus.

Lætificant & somnos Pro: Adamas chysolitus brachio sinistro alligata inter Amul.

Quæ vt cibus vtrum ʒ. temperant Testudo marina, vituli marini cerebrum, & aqoa carnis, item Iecur pulmo lien siccata & sumpta cum vino aut super aspersa cibis.

Qoæ cor roborant & fœtum ossa cordium cerui, elephantis, lupi: Monocerotis corou, ebur: Mali medici sem.

Contra phantaſmata, Annulus ex vngue dextri pedis anterioris aſini, Oleum de ſemine ocimi ad ſphygmoticum.

Quæ cerebrum prorſus turbant, opium, Radix ficutæ, Ad gaudium, Seta cruda, coccus.

Contra hebetudinem, Harmel, Gallia muſcata, Apium, Piperis radix, ſanguis viuus agni aut columbi vel gallorom.

Ad confirmandum vires & ſenſus & letitiam ſimplicia.

Conditum ex xyloaloë, conditum ex radice iridis, conditum ex mirabolanis nigris. Item chebulis, item carnem citoniorum, & quod melius eſt aliis Rhaponticum viride.

Compoſita ad eadem, Telemirem magnum Hieta ſecunda Hippocratis P.
Theodoricum muſcatum P.

Memento quod in omnibus talibus atque aliis iuuat paucitas: & tutior & melius diſtribuitur.

Ideo paratam habebimus orixam pro veſpere, ſemel in ſeptimana borago cum beta, reliquis diebus ius carnis.

Pro tutela catulus & ælurus tibi aſſideant, & deguſtent de cibariis tuis.

In cura exercenda, maxime nobilium, vide geneſim, & ſi ſit breuis vitæ maxime in die morbi concordi cum geneſi, & tempore quo ingraueſcit, vt in Gaſpare Creſcẽtio nato die xix. Iulij M. D.LXIV. & ægrotauit die xij. Februarij M. D.LXXVJ. circa horam veſpertinam, & in geneſi fuerunt loca planetarum vt vides: & die qua cecidit virtus ſubito xxv. Iulij cum adhuc videretur ſatis commode ſe habere, & non erat auxilium, niſi ſi quis ab initio curationis traduxiſſet ad lactationem: poterat enim ſupereſſe per aliquot dies, vt vnum menſem, aut duos: ortus enim tempore ſol fuit in eadem parte cum ſaturno infelici: Et hoc eſt corrumpẽte Primum Aphetam: & Mercurius dominus aſcendentis combuſtus, & Iuppiter dominus octaui loci prope illum, & Luna ſub terra, & Geneſis à coniunctione & locus eius in xij. die qua ægrotauit, nam initium fuit ab illo, fuit Luna iuncta Ioui, vt dixi D. octaui loci, & hora caſus virium Iuppiter redierat prope locum ſuum, & ſimiliter facta eſt coniunctio luminarium in loco exitiali, & ab ortu, & reliquis. Hæc igitur ſupputatio naturalis eſt, & poteſt demonſtrari: & habetur ex ſententia Ariſtotelis.

Secundo de Generatione, & quarto de Generatione animalium, vita & mors animantium conſtat circuitibus aſtrorum & partibus eorum: & ita obſeruabis, & pronunciabis ſicut in Agricultura, & nauigandi arte.

Nat. M D LXIV.	Init. mor.	Caſus vir.
Iul. XXI. hor.	M D LXXVI.	M D LXXVI.
4. ante meridiem.	Feb. XIII.	Iul. XXV.
☊ ♉ 27	⚹ 4	♌ 21
Aſc. ♍ 3	♊ 29	♍ 5
☉ ♈ 5 48	♓ 3 37	♏ 11 49
☾ ♏ ♐ 9 24	♌ 21 44	♏ 7 0
♄ ♌ 6 39	♑ 1 2	♐ 25 18
♃ ♏ 16 9	♌ 4 43	♏ 20 56
♂ ♍ 1. 1	♐ 11 40	♑ 16 36
♀ ♍ 20 38	♑ 18 41	♋ 24 18
☿ ♏ 13 21	♃ ♒ 25 53	♍ 31 31
♌ ♐ 26 33	♉ 12 51	♉ 4 11
♊ ♑ 7 20		

In reliquis autem omnibus quæ ad conſilium aut caſum ſpectant, abſtineto: nam magnis erroribus inuolueris; & erubeſces, ſi non aliud mali contigerit, nam res conſtant quodam ordine, & ſucceſſibus non vi ſyderum, etiam ſi nil aliud obſtaret. Iecora cerebra pulmones columbrorum, è piſcibus magnis iecora lactes oua.

Piſces lucij fluuiorum & petroſi & genere paſſerum atque ſimilium, cyprini viſcera.

——*O terque quaterque beati,*
Queis ante ora patrum Troia ſub mœnibus altis Contigit oppetere.

Et Horatius clarius.

——*Hos vtinam inter Heroas natum tellus me prima tuliſſet.*.

Nunquid ergo aliquid intereſt vixiſſe his vel illis temporibus? vt cum ſub pace & florentibus Philoſophiæ ſtudiis homines tranquillam vitam ducebant: & certè non videtur dubium aliquid tum diſcriminis. At erat, & nunc fuit, dicere licet (omitto alia) ſi nunc nihil intereſt nec poteſt quomodo definiti? nãque res nõ eſt: Remanent in memoria, in fama, in opinione hominom: ſed quid aliud, quam vt vincere latrunculis? Reliquum nihil eſt niſi prorſus reducamus ad ſtirpis propagationem. Sed iuuat memoria tamen felicium temporum, maximè cum virtute, & ſapientia hominibuſque Philoſophis.

Dicendum quod illud quod eſt vndequaque bonum, nec poteſt deficere niſi ratione ſubiecti, nec poteſt commutari, neque melius eſſe: ita vt, quacunque occaſione, & in vniuerſo quod eſt perpetuum remanet bonum, tale eſt per ſe bonum, vt lumen ſolis, quare optabile.

Quam multa neglecta manſura, diligentia, aſſiduoq; labore bene ceſſura cadũt. Sed Deus humanum genus turdorum inſtar ac fabrorũ, qui ſibi compedes ſtruunt, fabricauit. Ipſi nos reges & principes elegimus, à quibus aut ſuppliciis aut illorum metu miſeriorem vitam ducimus quã capreoli in ſyluis. At nunc volo narrare breuiter morbum qui incœpit anno M D XLIV. Papiam profitendi cauſa cum me cõtuliſſem ibi mutatione aëris omiſſione exercitationis medendi conſueta, ac ſtudiis torquebar, eo vſque enim credere me tentatum veneno temporaneo tandem ſpõte excreui crudi humoris mucilaginoſi ad oui quantitatem, & ita repente ſanus euaſi: rediit alias morbus, non curaui illum, ſed poſt cum Bononiam naui è Papia conductus eſſem, deueni in perfectam ἀπνίαν, & pro mortuo me habui: poſt v. dies cœpi chamarũ ius deguſtare, illas nequaquam ſuſpicatus adiui venenum: ſed ſimili excretione cum liberatus eſſem, anno M D LXIJ. poſt Romę anno M D LXXV. eodem morbo tentatus ſum, neque tamen cauſam conſiderare poteram, additum enim erat ſymptoma, vt panem omnem terram eſſe arbitrarer, & abominarer. Tum liberatus quod alios cibos non odiſſem veſcebar, & ita euaſi adhuc cauſam ignorans. Hoc anno menſe Iulij toto cum manus ſuper modum incaleſcerent, & nil concoquerem, nec aluus quicquam demitteret nec ſitirem, denuo in ciborum odium deueni: vnde tum intellexi & præſentiũ, & præteritorum vnam eſſe cauſam, Deſtillationem

Vide 2. ſuy 3. Cum repetuunt.

inquam

inquam mucilaginoſi, ac frigidi hůmoris in ventriculum, nec prodeuntem lentoris multitudiné, ob ventriculi imbecillitatem, & pylori naturalem paruitatem. Curationem per detergentia, & incidentia mane ex rapulis cum ſale, & modico vino potẽti: exerceri ante pandium: vesperi cœnare auiculas, & radiculum vino diluto, & oxymelite, quieſcere, diutius dormire: ita ex pluribus morbis ignotis vnus factus eſt: & notus poſt xxxij. Annos iv. N. Auguſti.

Pendacius, Cardanus, Dialogus.

QVid eſt Cardane quòd à paucis diebus citra minus hilarem te vidzo? an nunquam tempeſtas illa defecit, an calamitas aliqua adhuc emerſit? Car. ô Pendaſi neque adeſt, neque ſi adeſſet me torqueret. Pend: Mira hæc, à calamitate ooo torqueri, ſine illa triſtiorem fore. Sed quomodo ſine lucro, & artis exercitatione? Intelligo enim paucos tibi eſſe ægros, ſed pauci omnino ſunt in vrbe. Card. Omittamus hæc, & de aliis agamus. Pend: De qoibus? an bello, non credo te militem eſſe: De Principibus quorſum? Car. At mihi moleſtum eſt, & nauſeor cum de illis cogito, ne dum audio. Pend: At virum fortem talia verba non decent. Card: Agatur tibi mos: modo ſcias Rhodum à Turcis toties liberatam tamen aliquando illorũ pertinaciæ ſuccubuiſſe Pend. Quid hoc ad Cardanum? Card. Plurimum, vt intelligas me miſeriis omnibus circũuentum tot impedimentis vndique detineri, vt exitum neque inueniam neque ſperare auſim. Nihil in patrimonio, Pecuniæ in manibus Pontificij trapetitę, filius improbus, ac ſtultus: Domeſtici contumaces; vix vnus puer Calaber omnibus negociis peragendis ſubſidio futurus relictus eſt. Libros quanto ſomptu ſed maiore labore expleri: ſed vide cui vſui? cogitatur ter, ac quater oſtẽdere miniſtris, qui & ſi ſint probi, & ſimiles Iudicibus, non potes tamen eſſe ſecurus quin exempta medulla corticem tibi relinquant. lxxv. annum expleui, dentes amiſi, totus vlceribus ſcateo: vocor ad ægros conclamatos, & non niſi ſtatim morituros, & etiam in vltimo præſidio adminiſtrationem ſibi arrogant, vt ſi fortuna euaderet non à me ſeruatus dici poſſit. Si moritur tanquam me duce ad ſepulturam trahatur. Ego ſimplicitate ductus quanquam non ſperarem arcana referebã aliis profutura quibus tum illi omiſſis ad alios caſus vtebantur, tanquam propriis. Precium autem tot laborum conſultationis erat aureo octaua parte minus. O ſecula Creteis peiora! Quis ergo tot laqueis circundato modus ad liberam vitam? audi exemplum, nudius tertius venit ad me nobilis, vt ferebat, ſed qualis, vt operulam ei impertiar: ea erat, legerem faſciculum xx. pene chartarum à diuerſis conſultationum conſcriptarum. Inſtat quaſi exigeret: de pecunia nihil: imo, cum ego dixiſſem me implicitum rem laborioſam intus quaſi deberem, abiit: talia penè ſingulis menſibus ſe offerunt lucra perdita: Pendas: ſed quid vis à me? Cardan: conſiliũ auxilium ſi potes? Pendas. In eadẽ naui quod ad filios, & perſecutiones attinet nauigauimus emerſi, ſed vt dici ſolet præciſa cauda. Quod ad conſolationis officium illud ego potius à te poſtularem. De contemptu eruditorum, noo eſt vt dicam, res notiſſima. Quod ad pecunias attinet breui ſi voles collocabis. Nepotem ablega honeſto titulo: domeſticos ſtatim è domo exige, ne permittas confirmari ſpem veniæ: ne alios corrumpant iratus emitte: parta ſerua, alia adiice pro ſenectute & morbis. Medice cura te ipſum. Oportet autem quędam præter hæc obſeruare, primum vt congreſſum illorum qui te contemnere videntur deuites, premia pro laboribus honeſta petas non poſt initos immodici illius ſtudij erga librorum compoſitionem particularem curam omitte, vnum moneo ne te tam acrẽ, ac vt ita ita dicam ruſticum, in cõuerſatione exhibeas. Catoniana coim illa ſeueritas atque integritas ad gloriam laudem admirationem vtilis eſt, & pulchra: ad ciuilem autem potentiam inutilis & parens odij æmulationis atque inuidiæ. In reliquis modus vnus, ſermo vnus, cõſtans, efficax, modeſtus, vnum auelle ramulum ex faſciculo: Inde pugna acriter de morbo cauſis ſymptomatibus, auxilia ſi proponuntur adde tu modum, nunquam de illo feceris mentionem: ſcommata, & ſupercilium in cauſas errorum commiſſorum refer, finge obliuionem propoſitorum, vt tacite damnes, quæ non probas. Si moriturus eſt æger optima auxilia acrius damna, non illa magis exequi volet. Videtur res difficilis, præſertim probo viro cupienti ſeruare mandata diuina, imo illi tanto facilius quanto veritatem quærenti errores.

Quis ſimulat verbis, nec corde eſt fidus amicus?
Tu quoque fac ſimile, ſic ars deluditur arte.

Reliquum eſt ob vltimam additiooem(nam 64
abſque illa omnia æqualia) vt definienda ſit electio ſi conſtantis ſtatus iam comminantur ab obitu direpturos vide, ſimul & exuũt alios ſenſim longa difficilis prouincia vno ſuſtentata hypomochlio. Vnde ad G. nam preciũ fort impenſam. Sed odioſa infamis omni fide rupta præſertim ob prodigium acre leuior peregrinatio ad loca ſancta, & tutior. Sed quorſum iactus in incertum? Declaratoriæ ioniti decet, nam quinque aut ſex exemplaribus qood fiet precio minore xx. coronatis & aliis etiam ſimul, res eſt in tuto.

Secunda circa victus rationem mane acris rapunculi tenuiſſimas partes cum ſale lapideo & etiam acriore, vt deſtillatione, vel ex fece collecto oleo inde ſuperhibere modicum vini Græci: veſperi oua & ius ex piſcibus, vel piſces cum oxalide omphacio prunis pane indito, bibere vinum leue paruum album aqua dilutum, cotoneorum carnem conditam ſaccharo ſumere. Ratio & ſymptomata ſic conſtant, multa pituita mucilaginoſa è capite in ventriculum deſluit, ideò non ſitio: eſt autem tenax & pylorus paruus, tollit appetitum, vitiat coctionem, non poteſt chylus concoqui in bonum ſangoinem, ideò tranſit in ſanguinem qui conſeruatur in caua iecoris, ipſo incalente valde donec non potens ferre per hæmorrhoidas ſe exonerat, propter caliditatem conſtringuntur feces. Ergo vbi expertectus ſumma cura adhibenda, expurganda vndequaque cerebrum: inde alui flatus explodendus, deambulandum, à cibo quieſcendum. Cum ergo nec à fluore alui nec hæmorrhoidarum, nec

fluxu succedente non sequitur appetitus, sed nausea incitatur iam tumore, conuenit vltimo præsidio: quia circa stomachum, noxa est, quod si non appetit deterius est si perseuerat: nam statim, mirum non est, neque enim reuertitur appetitus in his casibus vel ob nimiam agitationem homorum corruptorum, vel quoniam iam coaluit intemperies in ore ventricnli, vel quia adbuc manet agitatio in humoribus latens nos non naturam, vel quod remansit crudus humor putridus in stomacho, vel quoniam facta est defluxio noua, cui occurrere longo studio oportet: vel quoniã ob multam sanguinis euacuationem plus dominantur humores praui, & hoc est frequentius vel ob malum regimen sub quo continetur venenum, & scias quod in potu olei Amygdalini dulcis est spes, & plerunque vt mihi ounc contigit, vt non soluatur morbus nisi cum vomitu: ideo detergendus ventriculus sępius cum aqua lactis, & saccharo, & aperienda sibi appetentia nimis abstinendo quam quærendo. Quod si homo bene se habere videtur, & assumpto cibo vel potu sentit malum saporem, aut odorem, aut nauseam, ventriculus non est mundus, ille morbus proprie est insanabilis, cui vomitus non confert etiam si atra excernat; morbus quidem malus sed, & plura si diligenter occurratur vtilis, & nota quod quandoque io extrema senectute conuertitur in vomitum sanguinis concreti, & atri cum symptomatibus lethalibus, & durat etiam aliquot annis post, de felicitate autem humana constat vno verbo, vt plures labeatis
Satyri 6. libri 1. familia, potentia, emolumẽtis, hoc autem declaratur ab Horatio lepidissime duobus exemplis non sunt duæ, nec est quod addam.

65 In causa propria ætatis, & fluxionis, & tot conttaindicantium vrsum imitabimur cum canibus pugnantem, totam radicem extirpare conabimur, nec metu, nec blandientis naturæ stimulis, nec rerum aspectu, nec appetitu etiam acri iocitati vsque dum tutus non fueris, & quia res agitur intermediis, quando vires fuerint debiles & appetitus excitatus, tantum solum assumes cibi, vt assumptum placeat, cupiasque plus dari non sitim, non saporem, nec odorem malum gignat abstineto tamẽ. Quod si siccitas in ore à somno relinquatur saliua tamẽ bona, nõ sitis non sapor malus, aut odor recrea pulmonẽ, & cerebrum frigido absque potu: & cura omnis huiusmodi debet etiam cum moribus & consuetis, ad confirmandum plurimum valet vinum, quale oportet, & caseus antiquus solitus pinguis in vita ducenda cum transacta est res difficilis nil melius inuentum est quam super tophum loco ossis imitando naturam, regenerare carnem, & incumbere illi vt solido fundamento, nulla prorsus de eo mentione addita, hoc indifferens quod ante non tutum, quod ante illud innocentia, vt duobus terminis potentibus consuetudine, & iustitia tuearis. Aduersus fascinameta sphygmotica vterque helleborus, Ruta, Mandragora, Leontopodion, phyterema Antirrhinum vtraque catanance: menses muliebres cotyledon scilla ciclamen Narcissus tapsia drioteris.

Quod ad propria attinet sine fine sunt repugnantia inuicem, vt omnino videantur facta velot Gordij nodus solius perplextatis, & erroris causa ad irridendum alios, & nihil quęsitum videatur quam confusio, quævis enim stirps breui casura est, optimum est igitur insertas esse Gracilem truncum crasso proptium cõmuni per se subsistenti mutuo, separatis studiis collegiorum. & persouarum, vt liceat in tranquillitate viuere, & inter mortales in summa veneratione religinsos, vt par est haberi. Quod propria vero scis non plures esse amicos, qua olim par in ccc. Annis. Ideo nil sperandum, nec vt reducas oon magis quam ex nigro album, cum aliis multitudine, & poteotia multa sperare mediocria potes, maximè cum æmulatione de benefaciendo, certam, & veros amicos laudaberis, & cum illis versaberis nihil plus, nisi quantum dubitas in nassam posse incidere, vel pudor sit prorsus deficere. De tuis autem cum securus es de perfecta arte nil inutile admitte, summam existimatioocm retine, noli contendere de pecuoia, nam si bene merenti gratiam reddis, si non, & putunt reiice, si offerunt nugas puta, dic tibi esse negotium, cum verba serunt, emitte, triplex malum exigere sine precio eripere tempus, & irridere, Rursus si offerant medio amici, aut primi sint ostende eis quanta difficultas si petunt, an possint sanari, hoc est punctũ, sed adiice oon esse, nisi duas, aut tres vias: si quærunt quæ? dic longum esset docere, insinuare non nisi facto potest: si volunt miscere socios, perlibenter dic, sed periculum sit apud illos, si petant cur? responde vltra fidem, etiam peritiam, quas illi non deesse credo, multa requiruntur, diligentia, & solertia. Tu vero cauebis ab illo quod multum mibi nocuit, ne in tuis responsis quicquam euaries, neque leue neque inconditum proferas, & si clam obscure dictum, & breuiter, ne videaris diuersis negociis intentus, sed illi soli, & genere, & specie. Hæc est summa rerum humanarum, omnibus his tamen sic se babentibus plurimi Dei causa se abstinent, multi legunt metu, nobiles plerique designantur ad hæc descendere, multi quoque alij abhorrent hæc agere, adeò ab omni humanitate remota.

FINIS.

PROXEN

PROXENETA, SEV DE PRVDENTIA CIVILI, LIBER.

CAPVT PRIMVM.

Causa scribendi hoc opus, & nominis, tum generalia præcepta.



QVVM homo animal sit natura gregarium, (appellamus id in illo ciuile) non solum aliorum obsequio potentiam suam auget, verum opus habet. Solus enim vel ab ipso ortu (vt Aristoteles inquit) alieno auxilio indiget, quia sibi non sufficit. Cum alia animalia gregaria societate iuuentur, atque gaudeant; ipse homo ægrè solus, etiam viribus & ætate floreos, vitam ducit: vt societate opus habeat. Cum ergo solus, propemodom nullus sit, tantum valet & potest, quantum aliorum auxilio fretus atque munitus est. Ea autem potestas multis modis paratur: hereditario iure, lege, vi quadam, coniuratione, societate, consanguineis, amicis, sociis, opibus, atque potentia, opinione hominum vulgari vel probitatis vel sapientiæ vel religionis, tum clientibus, & pattocinio, multisqoe aliis causis, quas enumerare longum esset. Atque in his plutimom posse dicimus, eos qoi plurimos habent fautores, atque potentes; & qui diligunt eum valdè: ipse verò sapiens, ac prudeos, & vtique efficax, nec adeo vehemens hostis. Persæpe eoim, cum omnia alia adsint, hostis potens cuncta euertit. Porto omoia hæc aot nobis adsunt, aut comparantur. Et quibus adsunt, indigent solùm vt vti eis norit; aliis necesse est, vt parent, & vt vti didicerint. Duplex labor. Ea igitur actione & parantur & exercentur. Cum vero corporis perfectio forma sit, formæ autem operatio; harum duarum partium vis tota io operatione, atque ea erga homines, consistet. Oporet ergo diuidere totam hanc rationem; in ea quæ supponuntur, vt sunt regnum, potentia, consanguinei, sonticus morbus; & quæ parantur, vt amici, opes, autooritas: quæ etsi habeantur persæpe, plurimum tamen sont in arbitrio casus, & omnium horum vsota. Iam vero, vt omnia facilius intelligantur, finem ipsum proponere oportet. Hic finis est bene beatéque viuere. Quod si illum adipisci sine opibus, amicis, poteotia atque huiusmodi liceret, vtique oon solum melius esset, quam cum his, sed prope diuinum; namque hoc ipso cælestea præferuntur longe nobis, quod oullis indigeat ad bene beatéque viuendum. At conditio nostra etsi huiusmodi sit, vt in adipiscendo hæc, & io eorum vsu, multa incommoda patiatur, multo tamen minus malum est, finem cum his consequi, quam sine illo, ioertem & sordidam vitam ducere. At Philosophi, maxime Stoïci, conati sunt quod Diis conueniebat, hominibus tribuere. Qua in parte dum admirabiles videri se putant; & falsi, quod ipsi alio more viuant, quam doceant; & inanes, quod facta verbis non respondeant; & impij, quod ea quæ Deorum sunt, mortalibus adscribant, deprehenduntur. Propositum igitur est, bene beatéque viuere secundū conditionem & actionem, vt his quæ habemos, recte vtamur; & eorum quæ non habemus, & tamen haberi possunt, partem illam, si ea opus esse duxerimus, adipiscamur. Iam ergo finis vnus est, genere, specie; at valde differens: quippe regis, pauperis, iuuenis, valde senis, sani & morbosi. Multa vero circa hæc contingunt dubia: veluti primum, an præstet parare, aut non parare? secundum, an necessaria sit affectuum immunitio, postquam felicitas, etiam iusta Epicurum, est reposita in indolentia. Hanc ergo libenter in indolentia non solum præsentium reposuerim, sed etiam præteritorum, & futurorum. Vt feliciter viuere, sit, nullis indigere, nec memoria præteritorum torqueri, & securè viuere. An ergo valde vtilis sit quædam durities animi, aduersus calamitates? Videtur autem necessarium id omnibus miseris, vt postquam non possunt quod velint, velint quod possint. Tertium, ao oblæsis, veluti senibus, felicitas contingere possit? Quartum vero erit circa rerum diuisionem: Quintum circa ordinem. Est & vnum Caput valde necessarium in hac tractatione, scire quid sit omittendum aut cognoscendum. Multitudo enim conclusionem parit; paucitas impedit, ne omnia apprehendamus. Porro de huiusmodi partibus, scilicet de animo confirmando, de parandis opibus, de miserorū conditione, alibi tractarū est: vt abunde sit, ACT TONAS HOMINVM hic docuisse, VT AD CIVILEM PERTINANT CONVERSATIONEM: scilicet

ſcilicet vt potentiam, gloriam, laudem, amicos, ſecuritatemque comparemus; & vt fruamur his, quæ nobis fortuna dederit. Cæterùm vt in his quæ diximus, recte verſemur, adhibenda eſt ratio ex parte conditionis noſtræ, & illorum cum quibus negotium eſt; tum temporis, loci, quantitatis, modi, & reliquorum omnium quorum menſura eſt decor & honeſtum. Etenim meta neceſſariorum eſt, ad vitam honeſte ducendam. Hæc autem omnia conſtituta ſunt in ſolidis bonis; ſapientia, incolumitate, filiis, ætate, opibus, honoribus, amicis, potentia, ſecuritate, vt contra, inania, importuna vltio, alea, ſcorta, luxus, & talia; quæ numerum certum non habent, quum bona ſint definita. Eſt autem exuberans felicitas, quum quis abunde bonis fruitur; & imperfecta, quum quantum ſatis eſt; & pro conditione, velut ſenis, cæci, ſerui, procul à patria, inter barbaros degentis. Harum omnium vna ratio eſt. Duarum reliquarum (ſunt enim omnes quinque) altera ſub eiſdem regulis propemodum continetur, ſed abſurda & deteſtabilis eſt; velut aleatorum, lenonum, paraſitorum; deteſtabilior, ſiccatiorum: altera etiam ab his præceptis eſt aliena, qualis Philoſophorum. Rurſus quum vſus ipſe omnium in duobus conſiſtat, ſcilicet; ſcientia & executione; SCIENTIA omnis ad duo capita reducitur: EST, NON EST. Vnde diuinare in ſingulis non arduum eſſet, niſi obſtaret multitudo quæſitorum ad finem neceſſariorum. Velut, an obſidenda vrbs? Primum, an ſuſcipiendæ inimicitiæ? &, ſi ſuſcipiendæ, an ſimul bellum gerendum? & ſi bellum gerendum, an per incurſiones, an toto cum exercitu? &, ſi toto cum exercitu, an expectandus hoſtis, an regionem ingredi melius ſit? atque mille huiuſmodi. Peccatur ergo, vel quia non omnia aſſumimus ad diuiſionem, vel non colligimus omnia poſt diuiſionem, aut in deliberãdo in aliquo erramus: & maxime circa tempus, locum, modum, atq; menſuram. Contra ille optimè egerit, qui rem ad pauca redegerit, ſimulque cuncta collegerit, & circa ſingula rectè deliberauerit. At verò, alterum caput eſt EXECVTIO: quæ iuxta conditionem eorum cum quibus agendum eſt, variatur. Principum nempe, nobilium, ſacerdotum, populi, ſenum, iuuenum, legum, conſuetudinum, & (quod maximum eſt) inimicorum, & eorum qui non perſuadentur, aut opinione, aut feritate, aut odio: vt neſcias vnde rationem inuenire debeas, aut inchoare ſermonem. Omnino vero abſurdum fuerit, credere artem eſſe conſeruandæ ſanitatis, & depellendi morbi, & nauigandi, (quæ certum non habent exitum, & quaſi ſunt in Fortunæ arbitrio, aut Naturæ;) & vbi conſilio res agitur, faciendæ veſtis ad amuſſim corpori conuenientis; non eſſe vero artem bene viuendi & ciuiliter, cum ipſa ciuitas tota ratione atque conſilio gubernetur; Eam itaque rationem & artem quum alterius auxilio melius exercere & adiuuare liceat; eumque qui id poſſit [illegible] appellare ſoleant, merito huic libro nomen PROXENETÆ impoſuimus. Nam etſi huiuſmodi hominem variis nominibus vocari in vſu ſit, in via itineris ducem, vbi nihil agat, ſed ſolum doceat: conſultorem in magnis rebus; qui ſine pretio nos iuuat, amicum; in turpibus cauſis, lenonem; Proxenetam tamen dicimus, quod eum, qui id proprie agit, & pluribus in cauſis hoc officio fungitur, ſic vocemus. Quantum vero proſit hoc ſtudium, ex eo conÿcere licet, quod in omnibus negotiis pari viri fortuna conditioneque, alij feliciſſimi & glorioſi euadunt; alij obſcuriſſimi, ſordidi atque infeliciſſimi. Conſtat igitur, in horum cogitationibus atque vi agendi repoſitam fuiſſe vtramque ſortem, & bonam & malam, (ſeu vtrumque ſtatum, altum & imum) altiorem, & mediocrem. Plurimum tamen poteſt in huiuſmodi, natura, etiamſi ad artem comparetur. Sed velut in Muſica & Medicina plus poteſt abſoluta ars cum mediocri natura; quàm excellens natura cum mediocri arte. Eſt enim natura potentiæ ſimilis, ars vero actui. Quapropter quantauis breuitas, ſtudio & promptitudine adiuta, propter occaſiones, vtilior eſt ad actiones abſoluta tractatione. Quam tamen vt legas, & in ea exercearis, laudo. Porro, vt dixi, principium tractationis atque cognitionis eſt ordo. Ordo autem ex ſeparatione oritur. Separatio igitur principium eſt operationis, cognitionis atque ſcientiæ morum vniuſcuiuſque. Qui quærit confuſionem, omnino malus eſt, aut ſtultus. Qui quærit diſtinctionem, veritatis amator eſt. Non eſt autem prorſus probitatis ſignum, veritatis amor; (nam & latrones cupiunt ſcire, an capti pecunias habeant) ſed ſimplicior veritatis amor. Recte inuexit Anaxagoras (neſcio an ad hunc finem) mentem illam quæ perpetuo ſegregat ac ſeparat. Hoc ipſo probos ab improbis dignoſcere licet. Peruerſe occiditur, quiſquis multis de cauſis non vna occiditur. Sed multæ cauſæ animum malum oſtendere poſſunt: factum non debet ita diſtorqueri. Propterea ſapiens hoc ipſo ſigno peruerſitatem hominum deprehendet: item in diſputationibus & in libris, confuſio argumentum ſemper eſt improbitatia, maxime vbi de vtili tractatur; aut imperitia, vbi indiffens eſt argumentum. Porro confuſionis multi ſunt modi: permutatio, obſcuritas, inſinuatio, exclamatio, iracundia, ſimulatio, prætextus Reipublicæ periculi: non conuenientium, non verorum commutatio, loquacitas: impedire reſpondentem, deterrere defenſores, aduerſus religionem inanis ſuſpicio: plurimorum teſtium vel improborum vel non ad rem facientium exhibitio, inſtantiæ iudicij: ſed nihil manifeſtius, quam cum ex pluribus calumniis diuerſorum generum conantur vnum efficere crimen exitiale. Confuſio denique ad quinque capita redigitur: tractationem aut verba maiora re ipſa; defenſionis perturbationem, qualiſcunque ſit; corrupta teſtimonia, & ſimulationem ſuſpiriis, gemitu, lugubri amictu, occlamationibus. Memineris quoque conditionis noſtræ, quæ vndique anguſtis concluſa eſt ſpatiis. Si felicitatem requiris, cohæret miſeriæ; ſi ſpatia vitæ, mors, non ſolum ſenecta, infantiæ iungitur; ſi ſtatum, humilior es & infirmior cæteris animalibus, imo plantis. Propterea velis quæ poſſis; & moderare cupiditatem, & aduerſa fer. Nullus mortalium ſenectutem ſine magnis incommodis tulit. Valeat Cato Senior: nonne & is filium amiſit iuuenem?

vt

vt infantem superstitem solum reliquerit? Ita esse, non esse, velle, nolle, inuicem iunguntur. Quid assequi posse speras, aut qua ratione, quum nescis quid tractes? Etsi nil aliud esset incommodi, exiguo bono quam magna mala permutas, imo accersis! Singula ætas tot experimenta adfert, vt non opus sit exemplo. Vt ergo non confundaris, etiam absque dolo confusio irrepit, ignorantia, celeritate, negotiorum multitudine: vbi ordo non nisi industria habetur. Omnia itaque non solum apud ministros, sed etiam apud te ipsum ad consuetudinem sunt redigenda; velut vestes, claues, supellex, certis semper locis collocandæ. Negotia horis (hoc vulgatum est) imo statis diebus perpetuo exequenda: Si quid omittatur ex consuetudine, literis mandandum, ne vel obliuiscaris, vel impeditum detineas animum: quem perpetuo purum, ad maiora & non expectata, maxime ob sycophantas, habere oportet: Scire etiam quid maxime deuitare oporteat: eiusmodi est mors, non solum præsens, sed quæcunque vitam breuiorem efficiunt. Quid enim interest seu vitam præscindas cum parum iam superest, seu multo ante: nisi quod in hoc latet te iactura; quæ quanto magis ignota est, eo grauius & inconsideratius peccare soles. Atque hoc in iuuene: in sene autem descendentium vita & salus potior est vtcunque; quo magis posteritati consulere possis. Proxima huic iactura temporis est: quandoquidem id solum viuimus, quo operamur: Nam perpetuo dormienti quid interest seu post diē, seu post mille annos pereas? Tertio loco habenda est libertas, cum vita & virtus in opere ipso constet. Duorum vero quæ sequuntur, incolumitatis scilicet atque virtutis, non vna est certa ratio: sed illud præponendum, quod, si pereat, longius affert detrimentum: velut Virtuti surditatem, claudicationem, imperitiam magis fugiendam dico. Post sunt opes & gloria; de quibus suo loco dicendum erit; est enim longa dissertatio. Vltimo loco sunt amici etiam viris etiam propriæ saluti præpositi. Sed nos trita sequimur, non imaginata solum. Conandum est autem, vt non solum, quemadmodum diximus, omnia ad duo cogitatione deducas; sed vt ita expedias, vt ad contrariorum seu oppositorum necessitatem perducas, & verbo noueris explicare. Solet enim breuitas sermonis multa commoda afferre; & maxime quum negotium est cum prudentibus aut peritis negotij vel vsu: nam ad seruos, & ancillas, & stupidos, forsan cōcisa breuitas in vtilis erit: ad eos autem qui intelligere possunt, multis sensibus, paucis verbis coactis, maiore impetu animum percellit, lucem affert, nec obliuione prima euanescere paritur, & fastidium non parit, auctoritatemque dicentis dum auget, auget & in audiente voluntatem gratificandi: vnde in Laconibus tantum in honore habita. Quantum vero possit hæc vna ars, apparet vel in pila lusoria, quæ leuiter icta non offendit; eadem à viro robustissimo impulsa nocet non parum; multum abest tamen à mortis periculo: eadem impulsu bellici tormenti transfuerberat hominem totum, vt illico intereat. Ergo si homo eandem vim habeat, cur non idem faciat? Non ergo in rebus ipsis defectus aut vis, sed in agentibus. Anima ergo quum immortalis ac infinita sit, & mens: neque in ipsa, neque in rebus, sed in scientia atque vsu defectus erit, vt non solum ad incredibilia, sed ad omnia etiam inspertata peruenire possit. Grauiter ergo amplecti conuenit hæc præcepta, atque exequi non dubia spe aut mente. Namque tes hominum, & actiones, & vitæ, metam habent; vt persæpe quæ omnino assequi non confidis, facile obtineas. Signum autem malæ negotiationis est, vt inquit Aristoteles, quod falsa bona in temporis processu in vera vertuntur mala. Ideo etiam fictas voluptates refugere oportet, & vetis insistere. Neque enim illæ beatum faciunt, nec simul cum his esse possunt: Vt alea, meretrices, ocium, societas adolescentium & nepotum, crapula, Poësis vulgata, assiduum Musicæ studium, pernoctationes, piscatio, & venatio, spatiari, imitari mimos, ludis & spectaculis adesse, Chymiæ operam dare, adfabulari, cum suis vitam velle ducere. Maximum enim axioma statuere oportet; Improbum, stultum esse, vnde id, Sapientem, bonum esse. Nam seu iudex furetur, tapiat, cruciet, congreget multa; seu imperitus in arte, in vsu sit, celebretur, tu autem penitus contemnaris, manet propositum. Feliciter ei cedant omnia. Primum est periculum legum, inde conscientia sceleris, & metus ab his quæ feruntur post mortem: Procliuis lapsus, vt necessario impingas, velut impunita sit improbitas, dilapsis opibus seu vitiis propriis, seu aliena vi, fraude, aut casu, vt nihil tibi supersit præter infamiā, consceleratum pectus, vel infortunium, vt partis postmodum vti non possis. Nil horum. Sed sit. Quid si filius non adsit? parasti inimicis. Et si aliquando desinat stirps, inanis opera omnis fuerit tibi; non nisi peccata relinquuntur. Supersit, vt sit æterna, & opibus abundans; nihil plus tibi, vel illis, quam insidiæ. Quæris vxorem castam? plus habet custodiæ opulentus, quam pauper. Sed vide quid ex aduerso? adulteros potentiores & cautiores, custodum perfidia; vt in eis malum sit: Lasciuia maior in opulenta femina; maiorque peccandi securitas; Occasio ex te maior, meretrix, cinædus; vt nulla magis ex re irritetur mulier. An non hæc quinque possunt plus vno? Delicatius viuitur: nihil est quod melius obsonet fame. Sed scis vbi error latet? Quod arbitraris, eos qui boni dicuntur, esse sapientes; vel stultos esse malos. Id quum arbitraris, certe magna omnium confusio oritur. Vt vero intelligas quantum ameris à tuis, vel his qui possunt; hi amant, qui tibi etiam metuunt; oderunt, qui metuenda finguut non credere, vel non credunt; hoc minus est: vel etiam rident, quod natura medium est. Illius præterea memineris Cæsarei.

Nam si violandum est ius, Imperij gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Quod si nec hoc verum est, aut iustum, aut honestum, vel etiam vtile: quāto minus in friuolis rebus, in quibus non repositum est quod optimum est; vtilitatis vero & securitatis maxima pars deest, nec ab vllo defendi, nedum probari vel excusari potest? In vniuersum, quum sint tria genera actionū: vtile, honestū, quod circa sapientiam, virtutem cultumque Dei

Dei versatur; & iucundum, quod circa voluptates;nec potis sit mortalium quisquam omnia assequi, præcipue senex, & qui domum non bene constitutam ex suis babeat, quum primum ad vitam sit necessarium, secundum, gloriosum, & finis ipsius hominis, sine quo nec hominem esset præstet:oportet, qui volet beate viuere,id est,sine molestia, voluptatem sponte abdicare,& eam in præcedentium possessione,constituere.

CAPVT II.

Ordo libri, de Ordine multa.

ORdine autem exquisitissimo vti, etiam in singulis,haud arduum est:at in pluribus ordinibus, quique etiam se complicent, non facile.Exquisitissimus ordo est,qui ad vnũ omnia deducit: & in quo nec repetere, nec omittere quicquam cogimur. Vnde illa consequuntur quæ optimo ordini sunt propria:summa breuitas, claritas, vt memoria facillime omnia contineri possint, & quæ fira se statim offerant. Quod vero difficillimum esse in hoc videtur,(vt dixi)est complexio generum inuicem: velut Aulicus ad Principem & æmulos refertur: & rursus æmulorum insectio apud Principem & Populum: Porro quem in ordinibus à prioribus semper incipere conueniat: priora autem alia natura, vt Substantia Accidentibus; alia ordine, vt causæ effectibus,& simplicia compositis;& cognitione:Ea autem duplex; sensus, quæ ad tradendam doctrinam opportuna non est;& mentis,in qua generalissima præcedere necesse est: tum quia simplicia, (hæc autem compositis ordine priora;) tum quia idem sæpius reperemus: velut si dicamus.Quid est Homo,&,Quid est Equus:dicimus in vtroque.Quod est Animal:at si Animal in Hominem & Equum diuiserimus,non ita. In simplicibus quoque & causis; quamquam in naturalibus non eadem priora sunt; in his autem non mutatur ratio,vt tam à causis & simplicibus, quam generalissimis sit inchoandum. Ergo à substantiis primum, inde generalissimis ac simplicibus inchoandum erit. Quæcunque autem in pauciora deducuntur,generaliora manent: vt Animal in perfectum & imperfectum;quod in bipes, quadrupes,apes, & multipes.Iuxta hoc ergo primum dicemus de iis quæ in extra cõparãtur.Deinde diuidemus ea quæ extra se comparantur,in actiones,verba,gestus & res:Tertio res ipsas in domus apparatum, substantiam; amicos,inimicos,dominos, & consuetudinem. Vt vero babeamus, finis duplex; possidendi, & vtendi rãtũm.Hæc autem vel ex nobis,vel alterius ope atque consilio. Cæterum quum duo sint habendi modi,emtio & transmutatio,de transmutatione hic proprie agendum est. Hæc autem triplex: rei, verborum, & actionis, tum quæ ex his componuntur. Rei in actionem;vt qui aduocatum conducit: Verborum cum rebus; vt qui puellam abducit à matre pollicitationibus. Præparamur autem ad huiusmodi transmutationes cognitione rei,& morum,& potentiæ illius cum quo agimus,& occasione, & prouidentia,& simulatione dissimulationeque. Executionis autem pars vna est generalis ipsum scilicet exequi:species autem,persuasio, dolus, & vis: causæ vero duæ fortuitæ quasi, scilicet natura ac temps. Sunt enim bi modi habendi,sed non in nobis.

In tractando autem viam ab Hippocrate traditam, quam obiter in libris De dentibus seruauimus,imitabimur.Constituto enim vno tamquam exemplo tam in omnibus,quam in specie, absolutissimam illius faciemus tractationem,reliquosque ad eam normam reducemus.Et quum de illius æmulis loquamur apud Principem, eadem de æmulis apud Populum, cum etiam de existimatione apud vtrumque: & quæ de æmulis, eadem de his qui frigide nos iuuãt,addita(dicẽda)& intelligenda etiam: in quibusdam euidentioribus discriminibus plura dicturi. Erit autem, vt reor, Medici exemplum satis accommodatum: quod ars ipsa inter operarios sit nobilissima; artifex vero inter plebeiorum humilitatem, & patritiorum spiritus quasi medius:disciplina,maxima solertia indiget: Medicus cum pluribus versatur, verba rebus commutare solitus. Vtriusque Fortunæ casus, & doli parem difficultatem faciant,& mihi bellè ex æquo nota, opera atque operatius. Iuxta hæc igitur septem seruabimus ordines: quorum primus erit institutionis totius operis, in octo partes principales diuisi,ad Aristotelis imitationem: quod pulchre Theodorus Gaza in sua Grammatica expressit.Dicemusque in eo ordine primum de necessitate, vtilitateque ac ordine huius libri;tum his, quibus non conuenit huiusmodi lectio: & quæ præter hæc plurimum possunt,velut Fortuna; & quæ ad intelligentiam præmittere oportet. In secunda autem de his, quibus patum vtilis est lectio huius libri. In tertia vero de generalibus præceptis seruandis,vt qui ex hoc opere fructum habere velint, præponant. In quarta de singulorum tractatione generali. In quinta de vniuersalium tractatione. In sexta de singulorum speciali consideratione,atque executione: estque pars ob id merito longissima.In septima de dubiis. In octaua de his quæ sunt supra institutum. Hicque ordo primus libri totius.

Quod ad tractationem autem ipsam attinet, secundus ordo est ipsorum ordinum,vt priores sequentibus anteponantur. Tertius, vt generalia specialibus; donec ad vltima perma peruenerim. Quartus, vt quæ dicenda sunt de singulis, dicantur. Quintus, vt & in bis quæ de singulis dicuntur, ratio ordinis eiusdem habeatur. Sextus, vt omnia hæc & quod ad speciem attinet, & quoad ea quæ de illis dicuntur,ad illud exẽplum referantur, & limitatione & conditionibus adiectis, in quibus differunt. Septimus ordo est, vt quartum & septimum ordinem eximamus,quoniam in species non deducuntur. Sed de quarto sufficit scire, quod alia quæruntur possidendi causa, alia visus solum. De septimo, quod etiam diximus, transmutationes esse de tribus, re, verbis,& actionibus: & quod aliæ sunt simplices, aliæ compositæ. Rursus in hoc eodem ordine est, quod generalia primorum trium ordinum duplicem habent tractationem; & propriam, vt diducuntur in sua membra, describunturque in suis locis; & generalem,vt in quacunque alia tractatione subintelligi solent. Est tertia

tia pars etiam huius ordinis, quod quæ solum habent vsum, suam habent tractationem, vbi de executione agitur; aliorum vsus cum ipsa re parāda explicatur. Quo etiam fit, vt membra hæc diuersimode deducantur in Capita, non solum ob magnitudinem ipsorum, sed capitum quæ sub his continentur, multitudinem; ex quo orta est compositio Tabulæ, vt tractationem ordinatam facilius construeremus; & in illa, tanquam in speculo, reluceret tota Operis series; &, si quid opus esset inuenire, facilius quærenti occurreret. Tanta fuit diligentioris ordinis necessitas in hoc opere, quoniam natura ipsa nullus erat ordo, à quo soleot ioqui qui de Naturalibus aut Mathematicis scribunt. Quamobrem & hic omnibus generaliter vtilis erit. Sed præter ordinem quædam adiicere, & ante necessarium fuit: quamquam & in primo ordine ex his septem, de horum vno diximus; scilicet non vtilem esse hunc librum omnibus; & quinam sint illi; hoc enim extra ordinem est. Deinde quod quædam videantur sub multis ordinibus etiam reposita: vt domus apparatus, sub tertio, & quarto, & sexto ordine; ita & amici & substātia: quod & verum est. Attamen, vt dixi, huiusmodi sub tertio ordine collocabuntur, quod res illa quæratur, non vsus tantum. Et vt domos apparatus, hereditate nobis relictus, triplicem habet vsum; & vt eo alia paremus, ad tertiumque ordinem pertinet; & vt paretur, si non habeatur, sicque ad sextum; & vt in ordinem redigatur, & vt fruamur: quoniam hæc omnia disiungi non poterant, & vsus cum re coniungebatur, necessarium esse censui, vt ea pars ibi tractaretur, vbi primum de illius necessitate agendum esset. Simili ratione etiam, parare domum, & ad tertium, & ad sextum, & septimum & nonum ordinem referri poterant. Sed nos, vt diximus, quæcunque pro mediis essent necessaria, ad tertium retolimus ordinem; quæ vero nobiliora, ad sextum & octauū: Vsum autem & executionem (quod ea esset pars nobilissima) ad vltimum; ne in vnum plura, quā par esset, congereremus. Iam vero in re adeo difficili, exemplo vtamur. Calumnia & casus & ab inimicis & æmulis spargitur, & apud Principē, aut Populum, vel Socios: queritur merito ob id, ad quem referri debeat? Ad rem causamve, aut apud quem? Videntur res pauciora habere capita, & facilius distingui; velut Calumnia ab inimicis, æmulis; casus ad Principem, Populum, Socios: At inimicorum tractatio plura habet capita, quam res atque hominum ordines. E diuerso, accidentia substantiis distinguuntur; non substantiæ accidentibus. Calorem diuidimus, igne, sole, motu: quoniam quod diuiditur, rectius diuiditur accidens per substantiam; & quod vnius est rationis, per causas suas. Hoc est quod difficultatē facit. Melius igitur est, vt, quod proprium est tamquam diuidentes, ad quod maioris est energiæ transferamus. Ita singulis tractatio sua reddetur, & tractationes æquabuntur. Nam vbi plura erunt capita, ibi erit breuior tractatio; velut de Calumnia generaliter suo loco agemus: post vero de Calumnia ab inimicis, vbi de inimicis tractabitur; id tantum superaddentes quod ad inimicos attinet: demum vbi de Principibus agitur, & de Calumnia apud illus & ab inimicis conflata specialiter agetur. Recurrere in huiusmodi semper ad generales rerum tractationes conuenit; vt in illis ad speciales similes.

CAPVT III.

Opus hoc propter quos factum.

EGo fallendi artem, & non sanctè viam obtinendi, nun ea ratione defendam, quod Rhetores doceant; quamquam & perniciosiorem, vt quæ iniuste sæpe agere doceat: verum cum Aristotele dicam potius:

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ξενοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν.

(Turpe est tacere, Xenocratē autē sinere loqui.)

Quanto turpius, indoctam plebem improbam, sapientibus ac bonis illudere? Equidem fallere bonos haud decet, recordātibus nobis, quam odiosa sit etiam sine metu scelerum memoria; & quam breuis vita nostra, & hæc elementatis regio, Cæli comparatione, parua: cuius quod incolunt homines nullam habet prorsus quantitatem, sed instar superficiei est; cuius etiam priuatæ conditionis est, qui partem notatu dignam possidet; sed vel tantillum. Casusque quoque mortalium, & instabilem Fortunam, & factorum obliuionem animaduertere decet; quam minimi momenti sint hæc omnia nostra; quæ tamen, quæ circa nos sunt velut spectatures (beatam ipsi agentes vitam) videant; vt & pudere & vereri malefecta debeamus. Verū, quia multi improbi sunt, & licet ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα (vulpinari cum alia vulpe) vt apud Virgilium:

Olli; sensit enim simulata mente locutam;
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens Abnuat?

Non expectandum est, vt fallaris, aut lædaris; sed huiusmodi viros præuenire oportet; quos fallere non tam vtile est, quam est gloriosum: at si eodem expectes, vt par solum pari referas, sæpius succumbas.

CAPVT IV.

Dubitationes quædam: & an Diuinatio vtilis?

MErito igitur dubitatum est, an liceat male agere? Consulto nequaquam. Sed tamen natura male agimus: inquit enim Dauid: *Quia iustus nemo in conspectu tuo esse potest; si à nobis exiges rationem actionū nostrarum.* Adeo prona est mortalium natura ad malum, oppugnantibus nos sensibus, tum mundi illecebris, necessitatibus, incōmodis, atque occasionibus. Vitanda præsertim odiosa Deo ἀχαριστία (*ingratitudo,*) sæuitia in innoxios ac miseros, rapinaque in pauperes, impietas, & ambitio nimia. Quod si in aliis errare oporteat, erremus minus quam possumus. Ad Deum legesque attendere debemus, & minimo periculo nostro rem peragere; atque ita ne frustremur; vt sit etiam in malo quædam recti species; & in vitio, virtutis imago. Similiter & à vi potius, quam dolo, abstinendum; veluti à dolo potius, quam persuasione. Est enim persuasio, dolus amicus. Vis enim eripit ab inuito; sed iniuriam addit. Dolus difficilius euitatur,

equitatur, ſed vltioni locum relinquit. Et generaliter, quum ad eoſdem referuntur, vis deterior eſt dolo. Dolus tamen erga amicos, vis in inimicos deterior habetur. Numquid autem veniat dolus quandoque excuſandus, quum in vtilitatem vtriuſque cedit, aut vnius voluptatem, alterius vtilitatem, velut in comœdiis, dubitatione dignum eſt. Et certe ſi finis bonus eſt, ne periculum ſit, vt parentes ob dolorem prius periclitentur, ſeu quod ſtupidioris ingenij, ſeu quod multos habeant filios, aut quia intelligant eſſe in maleficio beneficij partem, vel quod iam mortui ſint, excuſari poteſt & dolus & vis. Quocirca etiam aliqui tentarunt iniuriam pecunia in huiuſmodi ſarcire. Verum ſatisfacere quovis modo omnino melius eſt, quam non ſatisfacere: nec damnatur quod bonum eſt, modo coniunctum non ſit cum confidentia prioris ſceleris, aut futuri. Perſuaſio etiam quum violenta fuerit, dolum apertum ſapit; & tamen admittitur. Verum ſi non meliore ille conditione vſus erat, dolus non dici poteſt. Eme quanti poteris: vendere cuique licet minore pretio quam iuſto. Multum refert cum quo liciteris. Fraus enim in imperitos, miſeros, ſimplices, viduas, pueros, ruſticos, numquam admittenda: ſed nec cum filiis familias, & qui corio ſuo erroris pœnas dominis luere coguntur, neque vltra dimidium iuſti precij: nam infra & in cæteris. Quamquam perſuaſio doli pars ſit, permiſerunt leges, ne tot contractus irriti fierent; leuius malum ferendu, non probando. Quæ vero ſit ratio bene agendi in flagitio? vt mitius, honeſtius, occultius admittatur, quam fieri poteſt: in ipſo reluceant virtutis partes magnæ; & virtutibus admiſtum ſit, vt oliua ſali. Rarius committatur: nec loquaris de illo; damnare enim ſtulti; gloriari pene impij, ſane inſolentis. Ornetur liberalitate, magnifico apparatu, diſciplinarum liberalium exercitatione, prudentia, fortitudine, exemploque virtutis, gloriæ imagine, pietate, gratia: Medicos egregios imitatus, qui multa præclara pharmaca, paucis miſcentes venenis, generoſam efficiunt Antidotum, velut Theriacam: & qui aromatibus ac melle condiunt Aranciorum cortices, diu maceratos & coctos. Verum hæc tota ratio tribus abſoluitur: vt adipiſcaris, ſecure, atqueININglorioſe. Quanto igitur magis legibus talia ſunt obnoxia, eo occultius tractanda, ac rarius; quo turpiora, gratioſius; quo difficiliora, diligentius. Conſtat igitur, & male agendi quandam eſſe rectam rationem, quemadmodum dictum eſt. Dubitari etiam ſolet an præter hanc, ad prouidentiam, & rectam agibilium rationem, ſit aliud ſolertiæ genus; velut ex Aſtrologia, omnibus aut ſortibus ſumptum? Equidem diuina ego prætulerim ſemper; hoc enim demonſtratum: deinde quod noſtra ſapientia & tenuis admodum ſit; & ex illa pendeat; nec finis ipſe humanæ negotiationis certus ſit, ſed, iuxta Satyricum,

Euertere domos totas, optantibus ipſis, Dij ſuperi.

Scio quod optem, non quid vtile mihi ſit: &, ſi etiam vtile eſſet, neſcio an conſequi poſſim. Eadem ratione ſomniorum monita noſtræ huic ſolertiæ, quum contigerint, præferenda duco, quod iis nonnullis maxima contigere. Cæſar orbem occupauit; Galenus clariſſimus medicorum factus eſt: Nos immortalitatem ex ſcriptis conſecuti. Quæ humana prouidentia maiora ſunt. Dicam autem quid mihi contigerit nuper; vt intelligas quam minimis Deus ſeruet aut perdat quem velit: (omnia enim ſic ſe habere exiſtimandum eſt; licet Deus non det, niſi ad exemplum, quibus vult, vt hæc intelligant.) Exciderat tertio ante die quam ex Mediolano diſcedere Bononiam verſus decreuiſſem, altera cuſpis ſeu clauus ligulæ laneæ thoracis: ea tamen, quod anterior eſſet, vſus ſum, licet incommode, per totam eam ac ſequentem diem: tertia, quum diſcedendū eſſet, quaſi fatigatus hoc tædio, ſocordiam meam reprehendens, & quod ligulas ſeruarem in arca, ex earum genere, quas Bononiam deferri putarem; quaſi auaritia tam exiguæ rei motus, ad arcam accedo; quæ non facile aperiebatur: eaque aperta, ſtatim occurrunt ſeptem libri Commentariorum in Hippocratis Aphoriſmos; duodecim Contradicentium medicorum; ſex Theognoſti: & in vniuerſum præclara tota illa mentis ſupellex, propter quam Bononiam ire decreueram. Et ſi omiſiſſem tunc, quum nulla relinquerentur Papiam vſque memoriæ ſemina: nec poſt recuperandi, niſi ferme toto emenſo itinere, facultas; palam eſt, perditum iri. Videtur ergo in his, quorum eſt aliqua certa diuinandi ratio, (etſi non plane diuina exiſtimetur,) modo miraculi ſpeciem præbeat, non ex artis imbecillitate error proficiſci, ſed potius ob imperitiam noſtram Quandoquidem quum actio ipſa, velut in ſementibus, ſole, & terræ auxilio, ac cultu ipſo prodeat, obſeruationem (putarim) nec impedire curſum rei, nec eſſe eiuſdem rei: nec ſine illa perſæpe abſolui poſſe quod quærimus; ſeu naturalis ſit, ſeu ex medioximis auxiliantibus proficiſcatur. At fidere ſortibus & vanis coniecturis, leuibuſque omnibus, tam ſtultum eſſe reor, quam iuuari ab huiuſmodi (ſcio enim qui Virgilianis ſortibus aſſidue addicti, ad ſummos euecti ſunt honores) eorum eſſe, qui quaſi ludentem Fortunam in gremio habent. Atque de diuinis ſortibus alibi dictum eſt: de Somniis etiam integro vno volumine: quid vero mihi euenerit ex obſeruatione euidentis miraculi, in Paralipomenis, (lib. 7.) Laudo etiam, vt diuinam ſupplicationem efficacem ac perbreuem, ad numerum compoſitam, quæ te dirigat, feras. Nam vel fide continentiam & animi lucem augebit.

CAPVT V.

Fortunam in humanis rebus plurimum poſſe.

VNum hoc ſat eſt, Fortunam plurimum poſſe, ſeu aliquid diuinius. Sed poterat forſan hoc totum prætermitti: Verum veritati dum ſtudemus, & illud commodi accedit, vt integre rem aſſequamur. Conſtat enim, etſi grauiter rem geramus, nulla induſtria effici poſſe, vt feliciter res cedant: imo vt exiſtimationem retineamus. Sed ſufficit tunc

exitium

exitium fugere, ac vitare extremas calamitates: in quas exarmati virtute, impelluntur; fortes & prudentes tandem peruincunt (etsi ægre) & elabuntur: soli beati, euadunt: qui cum Fortunæ beneficio, & fauentis Genij successo, virtute atque industria exornant quicquid quasi rude Dij obtulerint, aut fabricauerint. Equidem quum in Fortuna maior sit vis, non tamen adeo præstat in fois blandimentis; neque potest quæ præstiterit exornate. Illud verò cauendum in aduersa Fortuna: *Tu ne cede malis: sed contra audentior ito.* Ne temperperam interpreteris: nam bifariam peccari solet: vel in virtutis certamine, vt in bello, aut scientia, aut integritate cedendo: aut in ciuilibus contentionibus, vel contra Principum odia certando. Sed imitare optimos naucleros, qui in magnis procellis, anchoras mittunt; aut etiam contra quam ferebantur, ferri se patiuntur, temporique cedunt. Illud aduertendum, quod quasi diuinitus accidit animis torpor quidam, ac quasi desperatio omnium, exitio proxima, vel signo, vel causæ: Et si non occurras, certe si occurras etiam, magno periculo. Est autem cacodæmonis quasi indicium, vrgentis, quum ante calamitatem alacer est homo, & quasi incautum opprimere volentis, post calamitatem decidente animo, ne se recolligat. Quandoque tamen, (quum his omnibus præfinitum tempus est,) vnicum præsidium est in Deo confidere, & virtute pugnare, nec se deserere; non solum ob spem quod finem habitura sint hæc mala; sed quod nemo nolentem infelicem facere potest; nec quisquam felicem. Idem vtraque animi dispositio, velut & Fortunæ, debet esse suspecta.

CAPVT VI.

Hominis natura, ac mores: & de causis nostrarum ciuilium calamitatum.

Cognoscere autem antea oportet humanæ naturæ conditionem: atque id præcipuè. Sufficit autem Dei Prouidentia atque benignitas, vt intelligamus, vel singulis hominibus, vel vniuersis vtilius nihil esse. Nam secus, numquam potui intelligere, cur melius fuerit nobis nasci; quum cæteris animalibus hominum genus graue sit, & sibi ipsi maiorum calamitatum etiam causa. Sed non est hic locus ea potius consideranda, quæ ad institutionem nostram pertinent: quale id primum, quod cuiuscunque hominis corpus, quantumcumque formosum sit, & per ætatem vel sexum commendatum, totum odiosum est. Sub cute enim fœdum & inuisum & quilibet sarcinam magnam stercoris atque vermium secum defert. Vt si quis rectè consideret, ne mulierem quidem vllam corpori suo propinquam habere sustineat, nedum vt amare possit. Quum vero ad animos respicimus, cogita tanto magis patuum esse vnomquemque, quanto magis sapit; vt bonum sperare non possis, nisi qui vitio naturæ, vel ætatis, aut sexus, aut alia quauis causa stupidior sit. Quum verò dicunt, hos homines illis esse meliores, ne crediderís. Ex æquo enim omnes sunt pessimi: verum alij alio modo. Etenim differunt homines inter se, præcipuè ætate, atque id maximum discrimen est; inde educatione; post gentium natura; demum familiis, ac sexu. Vitia vero maxima sunt, sæuitia, auaritia, atque ambitio. Atque in his erga alienos, pares ferme sunt: nisi quod qui culti magis sunt, nec nomen Barbarorum habent, hæc omnia modestius agunt, blandiotibusque verbis vtuntur; minoribusque causis ab incepto desistunt; non quia meliores sunt, sed quonim magis timent, & arctioribus legibus continentur, & verecundiæ capaciores sunt. In suos autem discrimen non leue est: nec id negauerim. quandoquidem Afri, fratres & filios vendant; Anthropophagi vero & comedant. Ergo beneficium ac fides, quæ duo sunt bona in humano genere, his fundamentis innituntur, amori, gloriæ, cupiditati, vtilitati, simplicitati, metui, & sapientiæ. Amori quidem, vt in cognatis, & his cum quibus voloptatem Veneris, aut conuiuiorum, aut aleæ, vel venationis capimus. Gloriæ vero cupiditate, Reges boni videntur: atque eo magis, quod illa minima eis videntur, quæ nobis magna appatent. Simplicitate, pueri, mulieres, vulgique maior pars. Metû vero fidem seruamus potentioribus, vel ob leges. Vtilitati quæ fides est inter mercatores? Nisi enim hoc vinculum custodiretur communi quodam consensu, omnium res periret, Demiror autem, quod, quum amicitia tam vtile esset bonum mortalibus, & multo melius, quam mercatorum consuetudo, & res nullius sumptus, tam pauci tamen eam excoluerint: vt à Menedemi & Asclepiadis ætate, tot iam sæculis interceptis, innumerarumque gentium multitudine, nullum exemplum inueniatur integræ amicitiæ. Sed nec illud Menedemi & Asclepiadis, suspicione assidui stupri caruit: quod si adfuit, nolim eiusmodi amicitia gaudere. Nam quos de quibusdam refert Valerius Maximus Romanis amicis, non tam amicitiæ, quam cuiusdam iracundiæ exempla docet, quum alter alteri, vnico illo actu superesse nollet: quod etiam mulieribus multis commune est. At verò aliod est, cum alio perpetuo multis annis sine querela viuere; sic, vt quod vnus velit nolitve, alter item velit nolitque; perpetuaque fides vigeat inter illos. Multi enim ex his, qui eo impetu morti se dederunt, querelas, morositatem, fastidiáque longæ conuersationis ferre nequirent. At forsan dices, Nóne frater, aut filius, amici officio fungitur; atque id frequens est? Fateor: atque id aliquid est, si cui beate contigerit. Sed nec tantam autoritatem habet, nec adeo solida est amicitia; vt quæ ex dissimilibus firmiter non coaluerit. Sed si alter in alterius morte mori velit, desperatione æternitatis, aut impotentia amoris accidit. At tantum abest, vt hæc impatientia amicitiæ indicium sit, vt qui impatienter amant, amici esse non possint. Forsan amicitiæ exemplo propiores fuere Diocletianus & Maximianus: de quibus, quum Principes fuerint, non habeo quod dicam. Vnum mihi videtur, vix fieri posse, vt amicitia sit inter alios, quam inter sapientes, quos Philosophos dicimus. Hi enim, cognita mortalium rerum vtilitate, tum vero omnium

instabilitate, ac breuitate æui; intelligéntésque quam Deo proprium sit, bene agere omniumque diuinorum in vnum consensum; facile amicitiam integre colere possunt. At sunt qui Cratem ac Polemonem Athenienses, velut par alterum, subiungere audeant. Et hæc de generali hominum statu. Specialiter autem homo, qui Ciuilibus negotiis operam dare vult, consideret humanæ vitæ breuitatem, instabilitatem hominum: Quantaque interponat Fortuna inter initia atque fines negociorum: Quemque sui boni causa facere: Non omnium mentes adeo esse perspicaces, vt quæ tu vides, videant; contra, plures videre, quæ tu non videas: Illorum consilia, & eorum quibus credunt: Perturbationes quoque, & impetus, & quæ placeot mane tibi, non placitura forsan vesperi, aut minus: Quodque, dum viuere cupis vel melius, vel gloriosius, ipsum iam quod viuis, amittas: Insidiis plena, quæ offeruntur, bona; quæ quæruntur, impedimentis, difficultatibus, & laboribus: Similitudinem vitæ carere iucunditate: noua esse incerta, & periculosa: Magna difficulter haberi; parua non satisfacere: Vtrum mala sint discessura, incertum nobis esse, donec opprimant nos: Sine malorum experientia, nihi esse dulce homini: Gloriam tempus eripere; senios nos reddere: abiectum viuere, & in contemtu, nec tutum, nec suaue: Hominum blanditias esse suspectas: Iram timotis plenam: Ab incognitis nihil esse commodi: Amicitias potentiorum graues esse, pauperum damnosas: Fidem cuiusque fragilem, aut suspectam: quam si tu serues, in periculo verseris, ne decipiaris; si frangas, infamiæ & legibus obnoxius es; si testes requitas, ne irascantur, periculum subis: Denique, quod maximum est, plures esse, quorum votum ac voluptas non alia sint, quam etiam precatio lædendi & malefaciendi; in quos incidere, maximum certe est infortunium: Vt tandem intelligas, nihil haberi posse, nisi mera vi. Est enim vis, quum dolo, aut potentia, aut spe illi proposita, aut nimio affectu, aut nimia eius verecundia, aliquid extorques. Omnia tamquam in tabula depicta, quouis momento præsentia habere te oportet, si velis huius libri fructum vberem capere. Existimo autem hoc factum: vt esset vita beata, solius sapientiæ præmium; & vt sic ad cultum sapientiæ homines incitarentur: ex quo ad Dei cognitionem & venerationem peruenirent: vt tota perfectio humana tandem in vnum & idem redigeretur. Causa autem cur homines adeo blandiri sint assueti, non est quod sic prudentes decipere posse sperent; (nota enim est techna:) sed quoniam adolescentes, pueri, mulieres non principales, homines rudes, vt rustici, atque operarij, & qui natura simpliciores sunt, tum qui beneficiis eos affecerint; hoc dolo decipiuntur: inde ex consuetudine etiam viros prudentes aggrediuntur; quos tibi & suspectos ob id, & inimicos faciunt. Haud enim obscurum est, huiusmodi pessimum genus hominum esse, quod miseros quoque affligit; ibi suam exercens nequitiam, vbi misericordia & benignitate opus esset. Quapropter & in hoc postmodum falluntur, quum eisdem blanditiis vtuntur erga prudentes; vnde non aliud quam odium promerentur. Difficile autem est, mutare pro occasione mores. Mercatores autem, & opifices, præcipuè qui ad diuitias & existimationem cursu quodam continuo blandientis Fortunæ peruenerunt, tum etiam plerique nobiles, tempori seruiunt. Quocirca & hanc esse viam ad ea perueniendi, existimandum est. Et huiusmodi homines omnes absque affectu erga te vllo esse credas; Itaque & tu erga illos talis eris. Quos tamen si læseris, quam grauiter iniuriam exceperint, intelliges: Sunt enim inexorabiles, nisi commodi proprij causa: atqui secus violenti sunt. Ex his pauci ad felicem statum perueniunt. Sunt autem omnes ad opprimendum alios, quam ad euehendum (vt recte inquit Dion) paratiores: nisi quam mutuam sibi præstent operam. Nam secus, ira, odio, æmulatione ad perdendum mouentur: qui affectus magis vrgent, quam amicitia, qua solemus promouere. Sed & facilius est euertere, quam euehere: eoque potius inclinamur. Ducimur & ad hoc consuetudine; & qood nobis atque aliis omnibus ferme prosumus, quum quempiam euertimus; aut ne euehatur, obstamus. Quod nisi obstaret infamia, & metus eadem patiendi, vix cuiquam pateret via ad honores: ob id etiam occultè in his aduersari consueuerunt: neque periclitantibus iam; cui bono enim? Ob hæc etiam, iuxta perturbationes plus vel minus controuersantur: Nobiles de honoribus, ob ambitionem & iram; pauperes ob rem: sunt enim magis auari; leues, perfidi, lattones, & milites sæui: Libido omnibus communis est, Verum potentiores, qui de Deo bene senserint, longe meliores sunt plebeiis, ob naturæ substantiam. Sed tamen plerique, maxime qui administrationibus præsunt, mentem opinantur esse superstructionem principiis atque animæ per ea intelligenti; vt, quæ sequuntur, quasi in alimentum transeant: Et vt homo per calorem concoquit, ita animo per insita principia vnum fit cum ipsis intellectis; quæ (vt dixi) nutrimentum fiunt animæ substantiæ: adeo parum differunt ab anima humana, quæ tenuissima est. Generaliter autem ciuiles homines metam iusti & honesti, leges statuunt: vt quicquid per eam licet, honestum esse contendant, etiamsi sit horribile, & infandum: Velut filium coram parente vtroque innocente, sed iudicio damnatum, occidere: Seruum crudeliter mori sinere: Permittere iniuriam inferri ei, quem occulte oderis: atque huiusmodi. Sed & circa leges peccant: dum quæ secrete peragunt contra illos (quia probari nequeunt) testibus secundum leges peracta volunt. Vt illud, secundum leges fieri, interpretentur, quod iudicio legum damnari non potest; non quod contra legem non sit. Ita executionem legis pro lege ducunt. Contra, aliquid melius aliqui peragunt, vt honoris causam tueantur: hique præstantiores habentur: & rursus qui ex fide cum suis factiosis agunt; quamquam id etiam lattonibus commune sit. Hæc sunt illa duo, in quibus supra legem homines habentur meliores: illud vnum, quod frequentius euenit

vtroque

vtroque horum, & in quo magis peccant, quam ex aliis duobus laudem mereantur, in quo sunt deteriores. Atque hæc communis opinio est eorum qui boni habentur: & nunc apud omnes gentes, & olim, vsque à tempore Socratis (qui eius autor fuit) in hanc diem propagata. Cogita modo, quales sint & esse debeant hi, quos malos solemus appellare! Vnde ad hæc intentus, & oculos semper habens, cum hominibus versaberis, negociaque exercebis. Causæ autem omnium malorum nostrorum, atque difficultatum, sunt tres præcipuè: sinistra opinio de animæ immortalitate: leges prauæ, atque consuetudines: & præsentium securitas, tamquam neque mors, neque aliud quicquam malum futurum sit. Vnde homines pro præsentibus commodis ita pugnant, ac si perpetuo victuri essent: Ob idque bonis & egregiis viris & moderatis facessunt negotium, summis viribus decertantes. Qui si cogitarent quam prope sit mors, plurimi (si non omnes) mitius agerent: cæteris vero commodior conditio viuendi relinqueretur. Et leges quidem emendare liceret: Obliuio autem conditionis nostræ, cum affectu vehementi præsentium, non nisi antea ætate cessare aut desinere potest: Expectatio quoque eorum quæ post mortem consequuntur, solum ab his intelligitur, quibus Deus id apertum esse vult: qui optimi vel eo indicio censeri possunt. Maximum autem, & quod cunctis bonis opponitur (dico pietati, religioni, iustitiæ, amicitiæ, decori, studiis, sapientum præceptis, virtutique omni, atque humanitati, & propter quod tot præcepta huius libri frustra conscripta videntur, licet falso) est hemistichion illud Satyrici.

Quid enim saluus infamia nummis?

Ob id, quum aliquando periclitemur in eligendo, spectare oportet præcipue generis nobilitatem, ordinem & actiones illius: quæ si non conueniant, melius est tuto agere, quam verecunde.

CAPVT VII.

Qui finem quærunt quem habere non possunt.

VErum nec præsentis libri instituta omnibus vtilia erunt: oportet enim ob difficultatem iudicio præditos esse: aliis non. Nã his qui adeo stupidi sunt, vt quærant quod protsus illis denegatum est, quid conferent? & quamuis excusent se quæsisse negociationem, non rem, excitationis solum causa, nil dicis. Neque enim quæsisti quod habere non posses, sed quod facile. Hujusmodi conuenit, quum per se negociatio ipsa iucunda est, aut gloriosa, vel vtilis, qualis est litigantium, & Romæ olim qui accusabant & defendebant: aut si per illam ad maiora promoueris. Hæc omnia certe licent: modo in negotiatione ipsa non turpe sit excidisse. Sed tunc non quæsisti quod habere non possis, vt dixi; sed quod facile adeptus es.

CAPVT VIII.

Qui finem quærunt, quem habere nolunt.

SEd neque his qui frui nolent, nescio qua ratione ducti, quærunt: credo hoc argumento decepti, quoniam eo quod obtinent fruituri sint, si non habeant quod velint. Hos sic refelles: Si enim obtinueris, habes quod habere nolis: tum maxime, quum quod obtinere vis, cum eo quod iam habes, esse non potest, vt si profitearis Papiæ, & Bononiam eas: Si non obtinueris, victum te credent homines, nec non voluisse, quod tam aperte sequi visus es. Equidem hoc malum consilium est, in quorum altero turpitudo, in altero miseria est. Solum his licet, quibus nec magnum est dedecus vinci, etsi gloriosa res sit, nec magna calamitas, vbi obtinueris: sed rerum euentum Fortunæ libenter permittunt, quoniam incerti sint præsentis status, tum vero futurorum commodorum: aut si hæc agendo ab incommodis præsentibus non paucis se liberent tum etiam, quum diuersa ratione (atque hæc præcipua causa) aliis atque aliis consulitur: velut si in patria manendo, tranquillitati & studiis vacas, extra patriam migrando, opibus, honoribus, & filiis; tum vero & quædam commoda expectas; quæ quanta sint, nisi expertus, scire posse non speras: præcipue autem, quom ad priorem conditionem tuto reuerti licet: demum, si in ipsa mutatione sit iucunditas.

CAPVT IX.

Qui rem noxiam, aut omnino turpem, quærunt.

SImiliter si noxiam rem, & turpem, & cum periculo quæras, velut alienam vxorem. Victoria enim hæc atque industria nulli vsui esse dici potest. Quinimo si iam processisti, iam magna es in spe, abrumpe quæ egeris: Melius est partem periclitari, quam totum. Infausta est illa sapientia, quæ te ad exitium ducit. Quomodo vtilia tibi dicere potes esse præcepta, per quæ periclitaris? Imaginare mala, quæ sequantur, non vt nunc, quum optas, sed quum potitus fueris, ac inutili voto satiatus; & iam execraberis, quod nunc adeo probas. Tales sunt vxores inconsulto ductæ; atque omnes prouinciæ negotiaque supra vires nostras susceptæ; & quanto diuturniores. In quo genere etiam sunt amores immodici rerum vetitarum, inconstantium, vilium, turpium; damnosi, atque labore pleni, iacturaque. Noli cogitare, quantum ames, sed quantum ameris. Vbi tua te deseruerint; irrideberis, odiumque declarabunt. Ob id meliore es in conditione quod malum tuum non intelligis. Quod etsi amaueris, vide quid ames. Sarcina stercoris est puella formosa, puerque: abducito cuticulam, plane sepulchrum est, & fœdius etiam olet, & horribilius est. Cogita quot fœdis viris ac sordidis se submiserit; quæ & qualia passa sit, osculando, & illuuiem corruptam recipiendo. Si te solum amat, quod

vix fieri poteſt, ſi præcipue te, quod rarò euenit. Sit puer, ſi caſtus, non plus aliis omnibus pateris, ſi non poſſideas: ſi proſtitutus, quis ſanæ mentis ad hoc facinus impelli poterit, quantumuis ille ſit Muſicus, iucundus, ſcitulus; At quot millia hominum non potiuntur! nemone beatus ob hoc non eſt? Quam breuis, quam caduca, quam fragilis condicio eius formæ, atque gratiæ! quæ tamen tota fucata eſt, & inconſtanti ingenio, ob ætatem, ſita. Tu illum amas perditè: at ille quidnis aliud potius cogitat. Vnde & apud Virgilium:

Te Corydon, ô Alexi?

Dixerat enim ante de ſtudiis puerilibus, venatione, capreolis, auibus, quibus denique omnes cupiditates explentur. In vniuerſum plus quam oportuit, dictum eſt, ſi mens medelam aliquam recipere poteſt. Nam manifeſtum eſt, breui omnes tales euadere, vt, quod agere cupis, ſi quis agere te cogat, pro ſupplicio ſit. Tum vero vtilis hic liber erit, quum non exitiale malum eſt in vitio, vel clauus clauum pellit, &c. vt deſerere [amicum] eſt pernicioſiſſimum. At ſi res odioſa, non mala; amplecti occaſionem decet, non quærere: vt ſi latroni cor viuenti (prætoris iuſſu) eximatur, rogabimus ante, vt eo exemplo ſignificet, an cognoſcat: nam ſi rite operatio ea perficiatur, aliquamdiu ſuperuiuet, etiam vocis compos: ſimiliter an capite præciſo aliqoid videat (vel ſentiat.) Hæ enim Indorum ſunt contemplationes admirandæ; in quibus occaſione vtemur, ad definiendum quæſtionem, de membrorum principatu, & animi immortalitate: non tamen curabimus odioſom factum. Et in vniuerſum terminus rei, tum modus, eſt honeſtum & tutum. Quidam enim adeo deſipiunt, vt ſapientes ſeipſos exiſtiment, quod (pietate & pudore poſthabito) fallant ſuos, & benemerentes, aut etiam interpoſita fide: adeo vt, tamquam de pulchro facto, etiam glorientur: quos aſpernari decet, nam ſi ſic, finis nullus huic diſciplinæ impoſitus eſſet, ſed eo ventum foret, vt quiſque hoc ſapientior haberetur, quo deterior & impudentior. At humana res non his conſtat; ſed vt probari poſſet, & vtilis eſſe: vtilis aut honeſta eſſe non poteſt, quum limites conuerſationis exceſſerit.

CAPVT X.

Qui aliena à profeſſione quærunt.

QVibuſcunque etiam alieoa à profeſſione ſua quærentibus, quum ea nobilis fuerit, non eſt vſui hic liber: quippe qui & gloriam artis euertant, & tempus (rerum omnium pretioſiſſimum) ſuffurentur, & minus ſiant ad artis opera diligentes.

CAPVT XI.

Qui ea quærunt quæ retinere non poſſunt.

QVi vero ea quærunt quæ retinere non poſſunt, his non iuuantur præceptis. Stultum enim eſt tot præceptis quærere, vt & in quærendo perdas operam, tempus, pecunias & poſtquam fueris adeptus, cogaris relinquere, cum maxime, quod id raro accidit, vt ſine dolore, iactura, dedecoreque finiri poſſit. Ac quam multi in huiuſmodi decipiuntur? quoniam pauciſſimi rectè (quod ſapiens ille præcipiebat) finem negotiorum inſpiciant. Quædam enim ſunt in mortalibus, quæ facilius comparantur, quam retineantur: ea ſunt, quæ natura nobilia ſunt, & cum pluribus coniuncta, vt amicitia, tum Principum maxime, & conſuetudo cum exteris. At contra, quædam, etſi difficulter parentur, ſemper noſtra ſunt: à quibus primum eſt Virtus ipſa, deinde Opes. Vnde ſapientes his maxime duobus incubuere. Quædam varie ſe habent, vt filij.

CAPVT XII.

De ineptis hominibus, & actionibus.

INepti impatientes, inefficaces, pertinaces. Impatientes fiunt, vel quia calidi nimis natura ſunt, vel quia ferre moram nequeunt, aut quoniam iudicio carent. Inepta actio eſt, non poſſe carere his quæ oſcis. Aſpice quid detrimenti afferat, non canere, quum inepte id agas, ſi omnino abſtineas, quam liber fieri non poſcis riſus, contemptus, odium, tædium aliorum, iacturam pecuniæ. Inefficaces, minus periculoſi. Infeliciores, tum deteriores ſunt, qui verboſi ſunt. Similiter ex impatientibus pertinacium mala conditio, qui nolunt doceri: & quum vita humana tota plena ſit diuerticulis, & obliquis callibus, dum in eodem propoſito perſeuerantes progrediuntur, neceſſe eſt vt impingant & collidantur. Nam de ſtultis quid eſt, vt dicam, quod inepti ſint, quandoquidem nulli rei apti ſint? In vniuerſum, præceptis his non iuuantur vel generè inepti, ſtupidi, ſtulti, ſegnes, rudes rerum, & inexperti; vel viriis immodicis laborantes, aleatores, ſcortatores, auari, tardi, gulones, ebrij, perſuaſibiles, pueriles: vel etiam laudabilibus nimis incumbentes; vt ſtudioſi, iuſti, fideles, miſericordes, honeſti, pij, contemplantes. Velut ergo, quamuis deprehendiſſem ſubtili via domeſticum furem, dum per amorem & miſericordiam differo miſſionem, ducentos coronatos ille clauibus adulterinis eiſdem mihi ſuſtulit, & aufugit. Sic impediuntur nimis timidi. Et iracundis etiam in irritum res cedit: Loquacibus occaſio ſubtrahitur. Vt præſtent impigri & experti, ſine tot præceptis, & etiam ſecus, multis vitiis laborantes, ſi ſolertes ſint.

CAPVT XIII.

Neceſſarium eſſe, vt ſciamus finem, quem volumus.

MAnifeſtum igitur, quod ei qui optime viuere velit, & minore cum incommodo, primum ſcire ſit neceſſarium qoid velit: atque id tam generaliter in toto curſu vitæ, quam ſpecialiter pro ſingulis occaſionibus. Et, ſi id promptum eſſet deliberare, plurimum prodeſſet. Attamen, ex his quæ dicta ſunt de multiplici fine malo, & ex coniectura eorum

eorum quæ sequuntur, tum longo vsu atque experientia, (vnde sapientes solent existimari senes, etiam in ceterorum animalium generibus) persæpe collimamus.

CAPVT XIV.

De duplici fine in hac vita.

HActenus de his quæ in nobis, dictum sit: quæ quamquam etiam exterius diffundantur; ea tamen non nisi generaliter attigimus. Alia est comitas, aliique mores; quos habere decet vnumquemque, alij quibus vti oportet. Sed quorsum nisi hunc ipsum (finem,) quod est in humanis atque eatranos summum bonum, cognouerimus. Nempe finem duplicem in nobis constituere oportet alterum (de quo in Theonosto,) qui est secundum virtutem; qnique vere optimus est, & totus in potestate nostra: eo magis recordantibus nobis (quod & in Paralipomenis, lib.6. sect. s. dictum,) vitæ nostræ cursum feruenti in lebete aquæ assimilari: quæ quantumuis intumescat, vbi magis processerit, semper minor fit, & siccatur. Quamobrem optima vita esset, sibi ipsi viuere, conscientiæ, virtuti, ac sapientiæ, beate ac feliciter. Atque id est ad summum sapientiæ ac bonitatis peruenire, vt Genios imitemur, nullia indigendo; & quibus delectamur, abundare. Volgari autem ratione magis dictum fit: Finis noster quadruplex est: Dei cultus, prolis procreatio, (aut fraternæ educatio,) atque inuenire aliquid, quod mandatum literis humano generi vtile sit: vltimum est, aliquem alumnum relinquere, qui excellentis alieuius peritiæ sit. Qui nihil borum fecerit, siquidem virtute caruerit, tamquam cespes diei natus est: sin autem insigni virtute præditus, sicut flos, qui mane oritur, vesperi euanescit. Porro cultor Dei eximius, vt suæ pietaris exempla relinquat, necesse est. Illud sane grauissimum in hac vita est, vt val perturbationibus animi torquearis à te ipso; vel si cares eis, ab aliis: nam quietos, inquieti maxime aggrediuntur.

CAPVT XV.

De summo bono in ciuili vita.

ALterum est multitudini iucundius, ciuili vita viuere, & beatum esse: cuius (vt dixi) finis est multitudo potentium amicorum, & cum illis arcta coniunctio. Quod &, si ad hæc accedat veneratio quædam in illum, & vt arbitrentur sine eo non bene esse posse, tunc ad fastigium felicitatis & fastus humani is homo peruenit. Magna vero pars huius in sanguinis cognatione, & maxime in affinitatibus, reposita est. Est enim regnum humanum hoc animaliũ dominatione pulchrius, diuino simile quodamtenus, verum longe vilius & infirmius. At optimum bonum in regno, regnare. Regnare igitur apud homines summum etiam bonum erit. At regnare boc ipsum, est omnibus aliis posse imperare, atque ab illis colicid fieri non potest, nisi cum illis vinculo quodam coniuncti simus, nosque reuereantur. Vt vero hoc fiat, necesse ast vt val vnius causa vel plurium id agant. Metu quidem vnius tot contineri non possunt, tum maxime quod sui sunt reges gentibus; nec nos reges instituimus, non enim illi hoc libro indigent; plurimæque Ciuitates sine regibus sunt, nec si omnes quorumdam metu id agant, poterunt & illi vnius metu agere. Reliquum est igitur, vt summum bonum constet in amicitia (vt diximus) multorum, atque potentiorum, arctaque, & cum veneratione conluncta. Huiusmodi enim regnum in amicitia, & metu, ac honoris exhibitione constabit. Quocirca necesse est, vt, vbi non vnus est rex, ibi plurimos esse reges; imo (vt ingenue fateamur) tyrannos. Quanto quisque ergo ab hoc summo bono humano remotior est, eo infelicior atque abiectior, & contemtior. Quicunque vero sine bis, atque excellenti virtute, tum sumptu vllo, hoc bonum adepti sunt; hos admirari decet, tamquam homines, qui hac in parte multum profecerunt. Videntur ergo ad hanc felicitatis viam quatuor modi procedendi esse: opes, virtus digna, sanguinis coniunctiones, & ipsa ars; quæ omnibus præstat; quum reliqua, huius præsidio destituta, iacent. At vero non in hoc summum in humanis bonum, sed ad illud (vt dixi) via, hoc enim ipso etiam in inuitos potentia comparatur; & opes, atque earum vsus, & quæcunque in arbitrio hominum relicta sunt. Studere igitur huic oportet. Verum de opibus, virtute, sanguinis coniunctione, quoniam non leue negotium est, parare, & parta habere oportet, atque de ea virtute, qua hominum animi conciliantur, multiplex & longa erit disputatio; quoniam, quum nullo auxilio indigeat, ad hanc pertinet tractationem; reliquum est, vt de arte disseramus. Præsunt homines hominibus hereditario iure, vt Principes, legibus tam diuinis quam humanis, religione, vi, seu bellica arte, & necessitate, vt medici. Quum igitur regnum in nostra potestate non sit, imperium medici non fit in integros viros, sed languentes solum: in vna è tribus præstare oportet, militari, religione, vel iuris prudentia. Sed militaris sola, reges è priuatis facit. Videntur autem plures satis commode (vt sæpius apud Afros) bellicam artem religioni coniunaisse. Nam bellica ars sola actu imperium tenet: quare sine illa nemo dominari potest. At iuris prudentia non commouet populos, neque reditus subministrat, neque ea parte, quæ communis est illi cum religione, autoritate par ei est, sed longe inferior: quare necessario Fortuna in horum duorum coniunctione reposita est: cuius facti infinita sunt exempla, etiam apud nostros. Porro quidam vtuntur, quidam abutuntur, seditione introducta: quorum omnium finis plerumque malus est, seu Deo inuisa origine, seu causis ad hoc non obscuris. At militaris fortitudo vt mundior est, & præclarior, ita etiam honestiores plerumque exitus habet, & finem stabiliorem; maxime si à tyrannica sæuitia non fœdetur. Nostra tamen tempestate, propter tormenta, & machinas igneas, quanto plus

plus in Fortuna, tanto minus in virtute repositum est. Tametsi autem hæc sit summa felicitatis humanæ memineris tamen sine prima nihil esse:ea enim etsi non perfecta sit; sine illa tamen nec perfecta, nec esse omnino potest. In vniuersum porro, summum bonum in hac vita ex tribus præcipuis originem ducit, inuentis nouis, secretis, atque cautionum præceptis. Noua enim inuenta, contemplationis fructus sunt præcipue; secreta, operantium, cautiones, agentium. Vniuersa autem vita hominum in hæc tria distribuitur, vt plerique omnibus, sed diuerso tempore, participent. Quumque in nobis omnia ex animo,in corpus & fortunam proficiscantur, manifestum est quod ea his perfecta felicitas nobis aduenit. Aut igitur nullum in humanis bonum, (quod multi existimant, ob tantas turbationes, vitæ breuitatem, inanitatem ipsorum bonorum, ac constantiam, vt securitas omnis explodatur) aut ab his tribus pendet. Et quamquam in plerisque aliis aliud sit hoc esse ab hoc esse, ab his tamen est felicitas, atque in his felicitatis est perfectio. Est vero & aliud potentiæ ciuilis genus quasi nothum, quod nullis pene innititur bonis, sed conuiuiis, alea, blanditiis, pompis, denique omni luxuria atque libidine refertum est; [ideoque indignum] bono viro; atque etiam periculosum, & solicitudine ac anxietate plenum. Fundamentum habere solet à magistratu, isque cum eo facilius est potentiam comparare: sed & sine illo visi sunt aliqui obtinuisse rempublicam. Constat maxime tribus præceptis: annonæ abundantia, & lodis, propter plebem, luxu & alea, ob potentiores, sed iuuenes, calliditate, consilioque, tum audacia, ob eos qui rempublicam administrant. Adeo vero hoc serpit malum, vt in quibusdam Italiæ ciuitatibus etiam per adulteria vxorum, coniugum (præsertim seniorum) vota adipiscantur:quum potius in contrarium res cedere deberet; & sola suspicio iniuriæ irritate animos illorum. Id accidit; quod lasciuæ vxores magis demulcent virorum animos, vt in nullius magis sint, quam adulteri potestate. Propterea amicitiam mulierum obtinere, est in plerisque ciuitatibus, dimidium earum possidere. Dicemus autem plura de huiusmodi præceptis suo loco. (sectione 47.)

CAPVT XVI.

Animum esse virtute instruendum.

ANimum igitur primum instruemus virtute summa, & ex virtutibus quam maxime necessariis: patientia, consilio, quod est prudentia patiens, & efficacia. Nulli infeliciores sunt in humanis, impatientibus, quod passim, velut indumentis sentes, quæ animum vellicent, sese offerant: quæ si persequi studeas, non aliter quam laquei sturnos, ad exitium te perducant:multi, alioqui inclyti, dum nimis studiosi sunt horum, perdidere seipsos. Ob id tam laudata moderatio: quæ patientiæ species est, à iudicio profecta. Aliqui tamen (eodum corrupti sunt hominum mores)etiam impatientes, fortunati sunt, quod plus præsidij in efficacia & solertia, quam iacturæ in impatientia esset. Videtur enim naturâ quomodo efficacia patientiæ esse contraria. Tales, dum iuuenes sunt, superatis periculis, felices sunt; in senectute, quum vitium maneat, languescat virtus, non ita. At si solertia aberrauerit, in grandes decidunt calamitates. Verum nec hi omnino patientia caruere: sed quod vni plus concedunt domino, ab aliorum conuersatione eripiunt. Tyrannicos habent plerumque spiritus huiusmodi viri:nam quod cariꝰ vendiderunt, ab aliis precario exigunt. Quamobrem fugere illorum conuersationem maxime oportet. Humanitas quoque & ciuilitas necessaria sunt valde: altera, vt conditionis nostræ meminerimus, reliqua, vt pro dignitate viuamus. Virtutes (hæ) sunt, quamuis animum indignum illorum intelligas:nam boni per se (&c. virtutis) causa exercentur. Necesse etiam est, fortem esse: nam timidus multis occasionibus (nullo suo commodo) priuatur: Tum vero etiam audaciam in bis quæ digna sunt, præferre decet: Si quid occurrat, prudenter obuiam ito:Si obsistere non potes, nihil (mali) cogitato: his duobus fretus; quod optimum est cuique quod Dei voluntate euenit; (omnia autem sic eueniunt;) & quod breui etiam omnia in idem redeunt. In reliquis, si licet, virtute viuendum est, velut liberaliter, magnificè: sin minus, ostentare: quod si nec hoc, saltem cauere, ne laborare deprehendaris in his vitiis, quæ conuersationem grauem efficiunt. Non parum etiam facit ad mores non solum ratio ipsa, & consuetudo, ac sodales, sed etiam libri quos legeris, quid enim familiarius, qui diu noctuque tecum sint? Ob id impia quæque ablegabis, etiam fabulosa, vt Apollonij vitam; & improba, vt Machiauelli meditationes, & insulsa quæque, velut pleraque scripta nunc Italica lingua. Omnes enim ineptias suas in publicum magno malo produnt:eo sibi sapientiores se existimantes, quo sunt imperitiores.

CAPVT XVII.

De Temporis compendio.

QVum verò omnium actionum vita causa sit; vita autem tempore constet: maximum ad præclara negotia peragenda adiumentum, tempus est. Iouat igitur temporis habere rationem: quæ constat vitæ longitudine; & vt quod supereft, vtilibus tantum præclarisque negociis, aut necessariis impendatur. Porro de vitæ longitudine suis locis actum est; munusque præterea Dei videtur. At tempus colligere, magis nostrum est: non tamen ita, vt prorsus nostrum diei possit: nam esse neque id, neque aliud quicquam vel cuiquam alij potest. Colligitur ergo tempus triplici ratione (atque in hoc demiror Senecam, quum pulcre de hoc argumento luculenterque scripserit, in tanta copia ieiunum fuisse:) vt primum nihil temporis à studiis vel cogitatione vacuum transfigatur: secundum, vt quicquid per alios fieri possit quouis pecunia etiam id facias: tertium, vt in singulis industria, inuentisque, tum auxilis, quod facere instituisti, id possis quam celerrime absoluere.

Ergo

Ergo & edendo, & aluum exonerando, & antequam dormias, & quum expergisceris, & dum lauaris, dum fricaris, dum spaciaris, dum locaris, dum alea ludis, meditare aliquid generosum, aut legendo, si potes, aut audiendo anagnostam: qui mos fuit antiquis, & nunc Phratrij obseruant in mensa: aut si decor aut commodum non ferat, cogitatione solum id ages. Relinquitur vnicus locus dubitationi, quum iter agitur, aut per ciuitatem itur: Idque tantum temporis liberum operi, ob periculum, relinquere vellem; aliud nullum. Si consilium petat nobilis, mendicus, aut ab vtili amico transmissus; da: In reliquis exige historiam scriptam, aut lotium: Si causatur, aut producit, amanda. Si iam habet in historia, se prodet: in lotio, ad breue tempus consule; nam statim detegetur. Vnicum est, obseruare affectum. Et scias quod, vt temporis compendium, plurimum facit ad res præstantes, & virtutem assequendam: ita ad reliqua, velut opes, ornamenta domus, filios etiam, & amicos, iactura (vt ita dicam) illius est necessaria. Vt qui voluerit sequi Senecæ præcepta (quæ ille tradidit vere, sed non ipse seruauit) necesse sit aut carere multis commodis; aut illa habere, sed imperfecta, manca & incompta. Ob hoc ministri, qui ob voluptates, & vt desidiæ tempus habeant, præpropere mandata peragunt: prorsus sunt inutiles. Male enim cuncta absoluunt; & compendium temporis in eis nihilominus perit.

CAPVT XVIII.

Locum tutum ad habitandum, eligendum esse.

ANimo instructo, elige habitationem, vbi tutus sis à vitæ periculo: nam vbi timueris, etiamsi timor ille sit inanis, necesse est tamen ob id plures perire bonas occasiones, totamque vitæ rationem confundi, & cum dedecore viuere, aut saltem sine debitis honoribus. Quum vero quinque sint maximè homini expetenda; maximumque borum, quamquam non magnum, (quid enim homini magnum?) procreatio filiorum, & vt illis insit amor generandæ sobolis: nam ex his duobus (si succedat) & Regna & Imperia necessario in stirpem suam concedent: quod & Moses vidit, & natura ipsa docet: Vnde libera vt sit procreandæ soboli via, oportet, quodque ad dulcissimam vitam pertinet, si temperate agatur, Christum vero intus gerere; quod & melius longe est, quam extra, vt nostris temporibus, quom summe miseri sumus. Tertium, vt opes parentur. Quartum, vt vitæ ac robori consulatur. Extremum, vt bene instituantur: quod quale sit infra docebimus. Hominibus autem singulis non eadem; sed diuersa homini erudito, aut in arte præstanti, aut qui in vitæ discrimine non leui versetur, tutior est locus, vbi Princeps, & magnus, habitat, præsertim sapiens & bonus: nam tales ibi plures esse necesse est: post sub paucorum potentia, aut prope Principem: inde Republica multorum aut misto genere. Magni Principes fauent quibuscunque præstantissimis, norunt enim, ab his solis bona sperari posse, & gloriam: neque etiam ibi adeo valent consuetudines prauæ; cum quibus viuere, qui recte sentit, non potest; nec euertere: Nam vnum vincere, etiam potentiorem, artificij est: cõsuetudinem euertere velle, est populum vincere, præsertim si aduena sis: periculosum autem, si senex. Impotens enim, etsi voto potiatur, fructu frui nequit. Consuetudines autem quæ à Principibus ortum non ducunt, omnes malæ sunt, quoniam ab imperitis & improbis nascuntur: qui simplicibus dolis & assidua opera imponentes: omnes vel vi in suam trahunt sententiam quos plebeij admirantes, ob opes & existimationem imitantur, & in Republica (ob factiones) habent defensores; sed apud principes veritatis conscios plectuntur.

CAPVT XIX.

Ferenda esse multa in hac vita.

ILlud etiam tibi proponas, vbicunque, & quomodocunque vixeris, ferenda esse multa in mortalium genere. Propterea multi In graues incidunt errores, dum insolita sibi pati videntur. Etenim homines, dum infanda se pati putant, quandoque ex leuibus incommodis in periculosas calamitates se ipso protrudunt. Vt summum certe bonum sit in sapientia, non solum quod per illam quæ ad felicitatem conueniunt, parentur, & lenimenta dolorum offerantur, sed multo magis, quod per eam intelligamus, & esse ita, & necesse esse vt statuamus finem nostrum in his quæ sunt extra Fortunæ arbitrium: quod etsi noluerimus facere, cogimur, ob breuissimum tempus, in quo res mortalium singulas consistere cernimus: adeo vt ferme omnia sint momentanea. Optimum autem est, non solum ex aduersis, sed & ex erratis fructum colligere: atque eum triplicem maxime: Vt ex malo bonum elicias, quemadmodum in libris huic argumento dicatis docui: Vt in posterum constanter abstineas, edoctus, ipsa non solum ab eo genere erroris aut occasionis, sed etiam cuiuscunque similis (orta esse:) Vt noxæ, quam passus es, ita occurras, vt eam multiplici numero sarcias. Veluti si hospitem importune susceperis, per quem & res perierit, & non bene dormieris, non sufficiat rem reparasse, & somnum, sed duplum eorum quæ amisisti, reliquis inutilibus non solum tunc speciatim contemptis, sed in posterum generaliter. Qui sic p̃duerit, magna ex parte ab aduersis alleuabitur. Quæ sarciri non possunt, nec etiam in posterum vitari, æquo animo ferenda sunt, vt dixi.

CAPVT XX.

Actionum & Verborum diuisio.

COnsidera postmodum, quod quum actionum nostrarum quædam sint honestæ, aliæ turpes, turpium vero aliæ aduersus leges, quædam neglectæ, quæ aduersus leges, aliæ pœna graui mulctantur, aliæ leui, aliæ

nulla: liber hic non de his est quæ graui pœna à legibus puniuntur, sed aliis omnibus. Quocirca etiam nec omnibus communis esse debet: quibusdam enim pro fica, aliis pro veneno esset: verum bonis bonis bona sunt omnia, quum animus æquus est. Eique rum diligenter intendendum est studio & opere, quanta eum industria conscriptus est. Actionum quoque atque verborum aliæ bonæ, aliæ malæ: & vtræque ad rem spectant, aut ad honorem, aut ad gratiam, vel ad fidem. Vnaquæque rursus trium vltimarum est vel temere vel composito: nam quæ ad rem pertinet, etiam diuiditur: & in ea spectare oportet non solum animum, sed & magnitudinem. Non autem ad iniuriam extenditur, quum proprij census causa fiat; non ad iniuriam aut contemptum: nisi velut in vastatione. Aliorum pessima est, quæ cum mala fide est, & consulto; at post illam, quæ cum contemptu: & deterior, quæ in exemplum transire potest. Eadem distinctio in verbis adhibenda est. Est & alia diuisio borum: de qua posterios dicemus: [12. Axiom.]

CAPVT XXI.

De Virtutibus extra nos.

Virtutes autem in nobis omnes sunt: operationes non ita. Sed aliæ quidem quasi extra feruntur. Atque earum aliæ sunt prorsus in nobis; velut patientia in aduersis; ex qua nullus alius, præter te, iuuatur, nisi exemplo; item fortitudo, pietas erga Deum. Quædam prorsus erga alios: liberalitas præcipue, & iustitia, & misericordia: Et liberalitas in amicos; misericordia in pauperes; iustitia in omnes, gratia in benefactores. Quædam ex æquo nobis prosunt & aliis, vt tranquillitas. Sed aliquæ tamen quum extra feruntur, nobis prosunt præcipue; veluti prudentia, solertia, & artium peritia; quæ ad voluptatem sunt, vt scultura, & pictura, & musica: ad alios enim referuntur, vtiles tamen sunt nobis, non aliis. Et quamquam virtutes omnes vtiliores sint possessoribus, quam aliis, (est enim virtus, quæ habentem perficit, & opus bonum reddit) nihilominus non nunc de ea vtilitate nobis sermo est, quæ nobis ipsis intus conuenit; sed quæ etiamsi nostra esset, ad alios tamen refertur. Veluti tranquillitatis quum sint duæ partes: vna quidem extra nos: quæ vtilis quum sit his qui cum nobis versantur, at eo ipso etiam nobis amicos conciliat benefaciendo: altera est in bonis, qua quieti viuimus: non ab hoc tamen his digna est consideratione, verum quatenus cæteris sumus admirationi: Vt ex hoc non exiguum fructum capiamus & existimatione, & lucro, atque potentia. Hanc tamen quum vocamus virtutem extra nos, quæ in nobis fit, [hoc facimus] ad alterius partis differentiam; tum & aliarum virtutum, quæ & fine & consequentibus ad ipsum exterius diffunduntur.

CAPVT XXII.

De Solertia.

Virtutum igitur, quæ extra nos sunt, ornamentum maximum est. Summopere vero ob id in illis exercere se oportet. Inter quas est prudentiæ genus illud, virtuti perquam simile, atque huic negotio accommodatum, (ob importunam actionum nostrarum celeritatem; in qua nec agendi tempus suppetit necessarium;) quod Solertiam vocamus. Nec tota sub prudentia continetur, quum etiam ad malum finem tendat: & est extemporaneum consilium recte agendi. Et quamquam etiam solertia longa meditatione quandoque opus habeat, ob rei difficultatem, promptus tamen semper est solers. Quot periere, quamuis prudentes, quod solertes non essent! alij, ob occasionem quæ auxilium inuenire non finebat: alij, quod minus essent exercitati: alij, quod quæ agere oporteret, minus essent honesta. Atque his tribus à prudenti solers differt. Differt & solers ab eodem, quod tutiorem viam eligit; ille honestiorem: & quod solers quædam habet circa modos; prudens autem finem solum, & quæ sunt ad finem, spectat, non vltra rimatur. Salutij Princeps secretum quoddam propalauerat. Præfecto, & familiari suo, dum simul adessent: Audiuit paullo post recitatum id esse in mensa à Mediolanensium Regulo. Questus est cum famiari illo (quod Præfectus extra omnem suspicionem esset) detectum esse arcanum suum: rogabatque eum, quisnam prodidisset? quasi illum malæ fidei insimularet; quandoquidem constaret, nullum esse reliquum, in quem conferri culpa posset. Cui familiaris. Tu ipse, inquit. Obstupuit Princeps: rogauitque, Quomodo? tum ille. Tu ipse, non alius, hoc propalauit, nam si non dixisses, nemo sciret. Ita se liberauit à suspicione: nec Præfectum vel tacite insimulauit, sed Dominum potius stultitiæ. Neque enim obscurum erat, perinde fuisse, ac si dixisset: Vt nobis perperam aperuisti hoc; ita & aliis. Nos quum illos, qui sint nesciamus, & roges; te ipsum prodimus, quem solum agnoscimus autorem. Ergo prudentia in hoc non satisfecisset. Si enim hoc solum dixisset, Nescio; ad tormenta adactus esset, si criminibus Præfectum insimulasset, nec innocentiæ suæ fidem fecisset, & exitium sibi ab illo comparasset. Quendam de inimico meo maledicentem, taceri iussi; admonens Collegium medicorum abblandiri ei, & Senatum fauere. Ita nec visus sum nugis his operam dare; & vnum dedecoris, alterum etiam grauius insimulaui. Duæ autem sunt virtutes præcipuæ homini ad felicitatem: prudentia apud potentes in pretio: & fortitudo, apud plebem & imperitos; est enim potentibus metui, & apud sapientes eo minus admirationi, quod proxima sit stultitiæ, Porro solertia quum ad malum vertitur, versutum hominem reddit. Vnde Polybius de Agathocle: Neque aulica industria, nec versuria singulari. Quamuis non admittant hoc verbum vt latinum. Deinde ex versutis, quum

quum ad extremum deuenerint, vafri appellantur.

CAPVT XXIII.

De moribus.

PORRO quum alia de rebus ipsis scribantur; atque in his diffuse & clare scribere iucundum sit; alia de cogitationibus ipsis, cuiusmodi quæ de moribus, & ex his quæ sciuntur, quasi superflua videantur, (iisque) qui nesciunt, onerosa: ob id ordinate breuiterque scribere oportet; &, vt visui tantarum rerum breuis oratio satisfaciat, etiam præcise. Videntur autem mores, animæ virtutum, ac vitiorum imagines. Sed exterius feruntur aliter, quam intra sint: & quædam tam virtuti proxima, vt inter virtutes adnumerentur; velut comitas & existimatio. Plurimum autem interest in his, qualis natura sit, ceu in lignis statuarum: venosa enim difficile celari possunt. Vsus tamen cuncta domat. Quapropter qui mediocres natura sunt, nec nimis concitati, aut remissi, hi ad motum institutionem apti sunt. At si qui nimium in alterutro peccent, difficillime superantur: & quamuis bene instituantur, multos tamen admittunt errores. Decet igitur primum animum instituere, velut equum freno, vt quaquauersum pro opportunitate facile circum agatur. Præfetat pietatem, & veritatis studium, nam & cultus ipse nos Deo gratos reddit, & hominibus venerabiles, iam vero plurimum absunt à legum metu, & criminum suspicione: ob idque, etiamsi peccent, tato deprehenduntur. Quibusdam etiam suæ sortis oblitis, ad fallendum via, &c. Nam vt pietas optima est, & illius simulatio his qui non tam sunt quam se putant sapientes, ad homines fallendos ansa grauis; ita inhumanum, & prorsus infelix, contemptus Dei. At veritatis cultus facit, vt melius mentiti scias, & mentienti magis credatur: velot è diuerso mendaci veritas fidem non habet. Etenim nemo tam belle & apposite mentiri sciet, quam qui mendacium veritati assimulare nouerit. Vnde illud in Attici vita: *Mendacium neque dicebat, neque pati poterat.* Magis etiam circa gestus peccatur; quia homo facilius in eis labitur, & facilius deprehenditur, vt qui visui sint expositi. Quamobrem diligenter cauendum, ne incompti sint, aut præter regionis consuetudinem: aut enim rudem nimis, aut durum, aut stultum te existimabunt. Itaque ab omni extremo remoti vt sint, facias oportet. Cum regibus etiam ab intimis eos condisces. Præter reliqua, nec multum distorquere corpus oportet, nec inclinare, nec mimorum more celeriter mouere, aut traducere: modice flectere, decens est; & significationem, &c. habet, & in potentiorum regum aulis familiare. Reliqua quoque à venustate non absint, motusque continui, & tardi, vt etiamsi à consuetudine alteri sint, laudem tamen mereantur. Sermones quoque non præcipites (sint, sed) accommodati loco & tempori, vt in quibus potius aliquid desideres, quam sit quod abundet. Difficile est scribere semper quod satis est, tum maximè in huiusmodi argumento. Alij enim culpant ordinem, alij rem, alij modum, alij elocutionem, alij indicium, quidam intempestiuam festinationem. Hic vero nemo non conqueritur: vel quoniam superflua non indigentibus, vel his qui indigent, & sapiunt, numquam satis. Subtilis admodum est hæc ratio: nec quisquam tantum illi credat inesse subtilitatis, timo etiam structuram exigit absolutissimam, difficillimamque: quoniam de his est, quæ non sunt. Media autem est ratio historiarum, atque huiusmodi quæ non sunt, fuerunt tamen. Has delectat legere, prout de rebus magicis aut artificiosis fuere; minus tamen ab hominibus requiruntur: minusque delectant, quam, quæ de his quæ sunt, scilicet artibus, tractant. Ob hoc (quod ad subiectam attinet materiam) tractatio de moribus humilis est atque despecta; quod ad finem, non ita. Videndum est igitur, vt mores sint graues, benigni, æquales, compti, iucundi, mansueti. Tantum enim possunt, vt illud iam in proverbium cesserit; *Sui cuique mores fortunam fingunt:* quod in Attico apparuit. Ad benignitatem in vniuersum declinare oportet: improbitas enim, non, quod multi putant, ob bonum est habendum, sed ob aliorum supplicium. *Dij enim* (vt Hippocrates inquit) *maxime humanum genus odere*, &c. Verum quum nil tam salutare homini sit, quam recta animi institutio, & patientia quædam, & virtutis ac veritatis, & pietatis syncerus quidam amor, quibus Deo & viris, &c. (aut viris sanctis) conciliamur; quieti mente viuimus, aduersa æquo animo toleramus, non commouemur inepte neque intempestiue, neque supra modum: multaque ridemus, quæ feceus acerbe essemus vendicaturi: famam nobis bonam comparamus, & ad agenda liberi atque muniti accedimus; quam etiam multos ex hoc nobis amicos paremus; & multi sint, qui nobis fidem tribuant, & sponte se subiiciant; tam lenibus etiam verbis ac moribus demulceantur; tractarique se permittant. Id maxime consequemur lectione eorum librorum in quibus talia exempla continentur; velut præcipue in literis sacerdotum B. Pauli ex India transmissis nos magis mouent, quod nostri temporis sint: & ex antiquis Martyrum vitæ, & patientia: & Patrum in Eremo conuersatio.

CAPVT XXIV.

De Comitate.

EOrum autem quæ extra sunt, optimum est comitatem in omnibus (existimatione illæsa) præferre. Est autem comitas, mansuetudo quædam compta, atque iucunda, exhibita iuxta rationem personarum, loci, temporis, legum, consuetudinis, atque cæterorum necessariorum, ad quæ respicere oportet. Tantum vero potest vna ipsa comitas, vt ea sola (modo in aliis non pecces) plures amicos tibi sis comparaturus; quam si, ea ipsa carens (etiamsi non delinquas circa illa) optimis alioquin moribus sis institutus. At bonos amicos non ita paraueris, sed opinione, quod potens

potens sis, & officiosus, His ego tribus, modo vitio careas) constat tota hæc ratio bumani fastigij adipiscendi, sed illa extra propositum, nunc de comitate tantum agentibus. Constat igitur comitas in agendo, oegando, exoipiendo. Infimum ergo leuiter salutabis; nobilibus præsentibus: nil tamen vetat, ne eum seductum, comiter excipias: alium monebis, vt tum discedat, si quid habet negotij, redeat, constituens diem horamque. Præter omnia caue, ne postquam expectauerit, excuses: est enim maleuolentis animi. Quosdam recipies, sub conditione, si breue sit negotium, aliter, vt tedeant, boram noo constitues: plus enim iusto tribues ei, quam cæteris, nisi sit amicus, aut illi debeas. Similiter & in petitionibus aut da, aut facultatem ostende statim: nam negare promte, nisi amicis aut prudentibus noo debes: animum enim tuum malum esse putabunt, qui tam prompte uegaueris. Sed & quod das libenter, non tamen statim dabis: minuit enim rei hoc existimationem: Et quod negas, ita negabis vt inuitum te id agere credat. Constat præterea comitas vultu, verbis, gestu, conuiuio domestico, exiguis donis: non solum si des, sed, si recipias, denique salutatione illius, atque suorum. Æquales, velut digniores, excipies: honore illos afficies. Est & Principibus comitas; quæ in quadam iucunditate, & officiorum promititudine consistit: & si te minime indignabundum deprehenderit.

CAPVT XXV.

De existimatione retinenda.

POrro existimationem terinebis, si tuæ conditionis in conuersatione memineris; & seueritatis, in comitate; & in grauitate, facilitatis. Vnde illud de Attico, qui ea ætate fuit exemplar ciuilis prudentiæ: *Vt difficile esset intellectu, vtrum eum amici magis vererentur, an amarent.* Fac etiam, vt postquam per comitatem cogeris plus aliis tribuere, quã debeatur, tum in consuetudine, tum in affabilitate & honoribus, vt bomines intelligant, magnam tibi cum illo iotercedere amicitiam: nam hoc & illi fauet, & iucundum erit, & lenitatem tuam excusat. Cæterum non nisi tamen cum æqualibus, aut potentioribus versaberis: aot, si non potes te explicare, è tuis quempiam illi adiunge. Tum vero equis, famulis, vestibus, ornatu cuiusuis generis, moderatione, grauitate talem te exhibe, vt plus ab his, si tales essent apud alios, quales apud te sunt, distare videantur, qoam vere disteot: vt dici rursus de te queat, quod ille de Attico suo: *Hic sic se gerebat, vt communis infimus, par Principibus videretur.* Atque inter reliqua actionum tationem habebis, vt siot generosæ, & à cooditione tua non alienæ: oam quum omnia ad ornatum faciant existimationis illius, tamen nobilitas & magnitudo tota ex operatione pendet. Dictum enim Philosophi est, quod operatio est causa cognitionis formæ. Ad existimationem autem pertinet non parum, ne dicas aut scribas quod optime exercere non noueris, velut in musica & arte militari. Vnde etiam illud scite ab Hannibale dictum celebratur aduersos Philosophum de bello agendo differentem. Similiter vt ne (quod oiulti faciuot, existimaores, fidei, autoritatis atque amoris opinionem augere) ptoponas lucra, aut honores incertos. Delusus enim plus vanitatis in te, qoã si successerit, gratiæ, consequetis. Tametsi enim amoris tui erga illum magnitudinem testari videaris, plus tamen consequeris grauitatis opinione, etsi mediocriter amari se putet, quã si eximie, cum leuitatis aut fuci, quorum alterum in te esse oecesse est, existimatione. Nec solum autoritatem, sed & cauti atque periti opinionem retinere decet: vt dissimulare tantum conueniat cum his, quorum fidei summã rerum committere oportebat, vt minore iactura maximum periculum redimas, vel si in minimis occulte facias experimentum de bis quos amouere licet. In cæteris, etiam principalibus, non solum priuatis, retinere existimationem, uonmodo expedit, sed etiam exemplo Scipionis & Sertorij, augere. Quoniam decipi vel contemni, damna affert, quæ corrigi non possunt: quæ etsi vlciscaris, non tamen adeo deterret vltionis exemplum, quantum audaciæ præbet aliorum temeritas: neque eorum damna iacturam tuam resarcire possunt. Itaque vt incauti est, non dissimulare prudentiam; ita in bis quæ summam quandam refetunt calliditatem, & in quibus à communi consuetudine deuiandum est, qualiscunque excessus ad vitium pertinet, noxiusque est.

CAPVT XXVI.

Quæ vitanda.

POrro nibil tam hoic causæ necessarium est, quam vt nolla in re delinquas. Primum igitur; vbi principatum quasi adeptus fueri, aliqua in re, eam noo io dubium reuocabis, sed in alieno negotio contendes: velut si professor sis, & medieus, omnes autem io profitendo tibi cesserint, certabis in medendo. Nam quicquid in eootentionem ptoponitur, oon nisi incrementum rebus tuis afferre potest. Caue tamen, ne tam dispari conditione pugnes, vt stulti opinionem subeas. Vt enim prudentis opinioni omnia peruia sunt; ita stultis omnia excidunt: nec quicquam est tam firmum in humanis, quod à stultitiæ opinione sit tutum. Quamobrẽ etiam & illi maximè errant, qui excellentẽ aliquem virum in communibus causis oppugnant; quum id per quod excellunt, intactum relinquant: neque enim vnquam plos excellere quacunque in re aliquem posse puta, quam quum mediocriter excellueris, & te illi non contuleris. Omnis enim comparatio discrimen minuit inter eos, quorum vel vous mediocriter excellit, vel alter iam opinionem clarissimi viri in aliã parte eiusdem artis adeptus est. Atque hic primus error. Secundus est illorum qui libros intempestiuius edunt: ipsi enim te exarmant, & ansam maledicendi æmulis præbent. Sed etsi retineas, maiora æstimabuntur. Quodcunque enim incompertum est, maius semper fingitur; quoniam in infinitum tendit animus, & voluntas, & spes etiam: At vires bumanæ

paululum

paululum progrediuntur. Vt tamen non solum intelligere, sed & sperare hominibus liceat, aliquid edendum esse, quod absolutissimum sit vndequaque; dico argumento, multitudine sententiarum, grauitate, acumine, ordine, breuitate sermonis; denique non solum elegantia, sed & splendore. Verum his omnibus nihil habes, si iudicium desideretur. De tertio errore, qui sit circa epistolas nuncupatorias, diceinus suo loco [101.] Nunc autem intentum prosequamur. Quartus error in omnium ordine, est circa laudationem præsentium: nam multa subis pericula: alij enim adulatorem: alij se irrideri, aut eos qui audiunt ira credere, existimabunt: &, si mali sint, malum est malos laudare: Deterior est malo, qui malum laudat; quod malus solus peccat, & perturbationis causa: laudator autem, nulla perturbatione, in exemplum omnium. Inde si peccet quis à te laudatus, non potes amplius, circa vanitatis suspicionem, illum accusare: & ille licentior erga te, securitate fretus, euadit; tu inimicum pro Mecenate comparas. Societatem quoque infamium deuitare oportet, tum ingratorum leuium, atque petacium. Vbi Fortuna te euexerit, magis cauendum est, quam antea: nam si cecideris, ægrius relcuaberis. Propterea quum offertur quid, quod suspectum habes, antequam refutes id, considera an toto genere melius carere sit? forsan enim minima pars totum trahet: vt mihi contingit, quum curam Episcopi Bononiensis reieci. Affectus præterea nimios, maxime turpium aut leuium reum, inconsulta verba atque actiones, nescio quid magis damnem, aut in quo maius credideim esse periculum aut dedecus. Ne cuiusquam vitij, quod consuetudini noceat, velut auaritiæ, inuidiæ, perfidiæ, maledicentiæ, stultitiæ suspicionem subeas. Vultum habeas in omnem fortunæ euentum ita compositum, ne affectus animi prodat. Semper illud in mente versato, Cui bono? A dicteriis abstineto: quæ plurimum obesse solent, iuuare parum possunt. Quædam tamen grauitatis & salis plena, sunt quasi necessaria: quorum vno tamquam familiari vti potes, exemplo veterum, eoque perbreui, nec nisi ad calumniam refellendam. Quare de hoc, loco suo dicetur. Quum res peracta est, melius est silere. Quid enim prodesse possunt conatus? Imitare bonos medicos: qui lethalibus morbis manum non admouent; intelligentes, eos citius morituros; eamque tractationem dedecori futuram autori. Caue etiam ne dum nimium times, inimicis aperias nocendi modum; aut in quo maxime vel animos illi addas. Destinato igitur primum in singulis, an quod quæris, è re tua sit? inde, an consequi possis? post, an retinere? demum quomodo consequi & retinere possis; ac qualiter vti debeas? Summa autem omnium ad adipiscendum est, vt placeat, etiamsi per fascinationem liceret. In hoc summum præsidium, ac firmum. Quum vero actionum aliæ sensim fiant, vt atrium lucra; aliæ per præparationem, ac potentiam, vt qui magistratum quærunt, quique arcana scrutantur, qui literis operam dant, qui sacerdotium Principis gratia aucupantur; Atque in eadem actione diuersitas hæc: vt qui præmium accipiunt ab omnibus, & qui non accipiunt, sed expectant, maius, minus: & qui nec illud accipiunt, sed amicitia eorum ad magna negotia vtuntur: Quidam non patiuntur moram, natura vel consuetudine, vt artifices sedentarij. Neque pigebit quemquam tam multiplicis studij in huiusmodi negotiatione, quum meminerit structuræ admirabilis corporum nostrorum, quam Deus ob multiplices vsus nobis tribuit. Itaque non minus de salute nostra debemus esse solliciti, tanto exemplo. Præterea cauendum est (in quo omnes errant) vt quum omnia minima sint ab initio, ne perturbatione aliqua maiora fiant. Quinimo melius est aliquando cedere, aut dissimulare, aut diluere. Itaque hoc solo præcepto maxima pars infortuniorum & contentionum exitialium dirimitur: vt contemtu omnia, &c. repleta sint litibus, inimicitiis, ac inde calamitatibus variis. Pro mensura autem statuendum, tam actionum quam sermonis, illud in quo maxime falluntur adolescentes & stulti, risus scilicet astantium. Nam hi, quo magis se placere putant, &c. pergunt, non animaduertentes, non bene canendo, aut pulsando aut pugnando, aut tacendo, aut recte dissetendo excitari risum, sed male, aut importune, aut non pro dignitate. Quod si æmuli sint, aut Inimici, etiam parum profeceris, quamnis rideant non causa tua. Solum id cogimur, quum interrumpentes munus publicum, mittuntur risu nos à cœpto deterrere, tamquam fatuos. Id ergo etiam plane argumentum est, risum esse contemnentium, non laudantium, aut probantium. Conueniet mulieribus, quas amamus, stulta enim res ad stulte agendum oportuna est. Ob id cum fortis maxime huiusmodi conueniunt; cum vllis aliis nequaquam, nisi sit narratio historiæ, in qua prælucet in narrante sapientia, in argumento insana hominum facta. Generaliter autem in omnibus, qui studet vtilitati, caueat diligenter, ne quicquam non vtile dicat, aut faciat. Nam & quæ nunc vtilia non sunt, aliquando prodesse poterunt. Maximum autem malorum est, ea agere non cautissime, quibus detectis fias inuisus omnibus & inutilis, adeo vt viuere pigeat. Talia sunt scelera metum significantia, vt, venenum propinare. Melius est ergo, omnino absistere.

CAPVT XXVII.

Mala occultanda.

Verum vt ad singula deueniam, quæ cauere oportet, illud primum est, ne mala tua detegas. Vtpote vitia animi (quis adeo stultus?) aduersus leges, existimationem[anne] vt te refugiant homines? Corporis? cui bono? Maius enim malum est in contemptu, quam spes in misericordia. Semper mala animum addunt inimicis, & æmulis. At ostentare vitia, etiam flagitiosis odiosum est. Amant plerique flagitiorum præmia, flagitia damnant: Præcipue quod huiusmodi exemplo offenditur respublica, vt videaris eam contemnere, aut tibi similem esse putare. Et qui publice peccat, bis peccare videtur, & iudicio potius, quam

quam natura: vt etiam bifariam minus venia dignus habeatur. Quinimo ostentare bonas actiones, non laudare, bonum est, & ad publicum pertinet exemplum; iuxta illud: *Et facite vt opera vestra luceant coram hominibus.* Conuenit etiam dissimulare dolores in casibus aduersis, & vultum præferre lætum atque serenum: magisque etiam iudices hoc flectit ad misericordiam; & amicos ad ferendum auxilium hortatur; quam si demissum & flentem videant. Plus enim potest recordatio dignitatis, & virtutis opinio, ad misericordiam, quam calamitatis magnitudo. Tu interim existimationi consulis: & si in extremis non sis, abiecisse spem non putabunt. Certum est gloriam lucri facere; secus abiicere spe exigua & inani. Mala solum ea deteganda sunt alteri, si occurrat, quum pristinum statum restitui possis; tunc amici metu magis quàm voluntate auxilium ferunt: tum his qui sint coniunctissimi, quorum iuuare possunt. Plerumque iudices pro coniunctissimis repræsentatione doloris ad misericordiam flexisse iuuit; & pro temetipso: vt re potius ac habitu calamitatem tuam, quam voce vlla testeris. Quamobrem Græci (quorum in his summum studium fuit) squalidi, prolixa barba, depexis capillis, obsoleta veste, lugubres & taciti stabant. Horum quidam flentes, quidam siccis oculis, hoc virile; illud potius muliebre. Sed & in his multum refert, apud quos homines sis, & vbi mala occultare licet, faciendum est: exigua enim merces detegenti proposita; plurima pericula atque damna. Quod si omnino detegi præstet, commodius per alios est id agere. Vbi vero publica est calamitas, & nemini ignota, stultum est conari eam tegere: nam maiorem illam esse etiam, quam sit, existimabunt. Multo stultius est, illam narrare: nam scientibus quorsum? vt de ea glorieris? ignorantibus si dixeris, nil tam certum esse scias cuiquam de tuis rebus, quam quod tu dixeris. At si cogaris, excusationis causa, semper melius est proferre speciem, quam rem; & genus, quam speciem. Velut si herniosus sis, dicas, impedimentum pati in ambulando: vel etiam, si dicas, male valere, longe melius; &, si potes, parum adde. Sed neque bona ostentare decet: (est enim inuidiam sibi frustra comparare, dum ostendis magis antecellere te velle videri, quam antecellere:) verum consuetis iniri ac mediocribus tutis potius, quam speciosis.

CAPVT XXVIII.

Mala verbis mollienda.

QVod si de malis loqui aut scribere cogeris, ita sententiæ ac verba mollienda sunt, vt nec autori decori, nec ei qui intelligit, malo sint exemplo, imo recte viuere volenti locus quo proficiat relinquatur. Res est parua: sed quam præstare magnum sit. Ita enim rem è re exoriri; sententiam sententiæ inseri oportet, vt nouum recipiat sensum; mitescatque, velut in olere transplantato, acerbitas facti aut dicti; & ex posteriore oratione ratio prioris habeatur; ex priore vero lumen sententiæ posterioris. Quæcunque etiam vitiosa sunt, breuiter pertransibis; ac sic, vt in eis quippiam desiderari videatur. Quum maiori consulere cogeris, vt patri, patruo, matri, fratri maiori, (nam amicis non nisi rogatus) consilium ab eo pete; vt ea vicissitudine existimet se potius præbere consilium, quam accipere. Dubias res exaggeta; claras illi diiudicandas relinque.

CAPVT XXIX.

Sermonem breuem esse debere.

QVum vero propositum actionis huius sit, hominum mouere affectus; vt, quæ in eorum sunt potestate, obtineas; atque idcirco omnia humana in hoc præcepto contineri videntur (namque & Musici modi, & preces, & oratorum fulmina, & affectos id ostendunt;) maximam in hac parte diligentiam adhibere conuenit. Principale autem præceptum esse debet, breuitas. Plurima enim loquendo subis pericula: negotiosum impedis; cogitantem obturbas; aliqua contra causam tuam, contra teipsum facile excident: importunus videberis, nonnullis grauis, quod quæ nouerunt, docere velle videaris; superfluus, leuis, anxius: verbo deficiente (vt solet casu) finistre sententiam interpretabuntur; tum maxime, si ignari sint facti: inimici quoque deprehendent causæ tuæ debilitatem; aut præsidia, quibus te tuetis. Ob id breuitas in cunctis præstantior est, & quod vltima primis magis cohærent. Vnde etiam orta ratio carminum, quorum (versus) qui perfecti sunt, longissimi sunt hexametri. Nam, vt Demetrius Phalereus docet, partium (quas κῶλα Græci nuncupant) non maior debet esse longitudo. Periodus autem, quum minimum, duo; tum, quum maximum, quatuor continere partes debet. Igitur quatuor hexametris concludi plena sententia ad summum debet: aliter vltima primis aut non cohærebunt, aut ægre. Quapropter idem etiam in oratione soluta obseruari conuenit. Quocirca, quum tria sint genera hominum: æqualium, ac quibus imperamus, & superiorum; tum vero causarum totidem, Demonstratiuum, Deliberatiuum, & Iudiciale; breuitas ferme in omnibus præstat, præterquam in demonstratiuo apud populum; (de qua re latius cap. 54. de Persuasione, agetur.) Non iurabis; multo minus Diuos execraberis: Non testium nomina nisi rogatus, adducas: Non argumentaberis; in quo tam multi peccant: Non narrabis quæ tibi acciderunt. Quanto minus arcana tua deteges? nisi coactus: Nam etsi non effutiant, domini tamen tui efficiuntur: & qui amicus est, potest fieri inimicus, & domesticus è domo exire: Tempus omnia mutat. Caueas etiam, ne vitia naturæ, aut casus, aut fortunæ mala imprudens commemores. Vt apud Philippum, si quis Cyclopis aut oculi mentionem fecisset, irascebatur, quod (altero) oculo careret, quamuis pugnando sagitta ictus illum amiserit: Et apud Hermiam, quod esset Eunuchus, si quis gladii aut excisionis meminisset. Quum vero quispiam re verborum multitudine

multitudine prouocat, vanus est, aut deceptor. Si quis conditionem tibi offerat; quantumvis præclara videatur, diem ad respondendum interpone; illudque tecum dicito: Hic forsan multis iam antea annis, certe diebus, præmeditatus venit ad me: ego insanus extemporaneè illi respondebo? Et quanto magis instat & vrget, tu eo lentius procede: dolo enim suspicionem auget. Nam si bono animo offert, & è re tua putat esse quod proponit, libenter moram hanc patietur: si decipere vult, habes cauendi ansam. Multi huiusmodi importunis flagitationibus prehensi fidem fregerunt; alij ad rixas deuenere; alij obruti, deceptoribus succubuere: quidam grauiotibus damnis atque incommodis affecti, vix tandem seruati sunt ex iactura: qua? verbi tandem temerè prolati: cui bono? & vbi merces tantæ iacturæ? periculi, laborum, atque curarum? Ob id, quum tales homines nece digni sint, nec lex illis pœnam vllam proposuerit; reliquum est, vt ne alloquaris, neque admittas vllo modo venientes, nec cum tuis patiatis versari. Nihil enim damnosius, aut periculosius iis, qui sine spe vlla commodi, tanta detrimenta afferant. Fabulas quoque longas, quin etiam historias, narrare cuiquam caueas. Anuum enim mos est hic, aut nanigantium. Nec quicquam denique dicas, quod vel interpellent, vel non libenter audiant: nec narres quid somnolentis: Sed fac vt togent, vrgeant, auidéque quæ dicis hauriant. Propterea nec nisi amicis & postulantibus narrabis quicquam. Sed quum tua negligi animaduerris, quid aliud iam superest, quam vt etiam te? Ergo vel erras, vel odio illi es, vel contemptui. Quodcunque horum sit, cur præstat eum illis esse? Discedas ergo statim; neque enim tua res agitur. Propterea, ne malè hoc tibi cedat, si non vt dicas, sed vt tentes, huiusmodi sermones adoriaris. Stultum est etiam, attente audire nugas æmulorum, quæ sapienti fastidio fiot. Noli irasci: noli nimium impatienter audire. Figuratè præterea in multis communibus sermonibus loqui necesse est: quod velut pictura quædam sic exprimuntur, melius quam vllo verborum quamvis latissimo ambitu: nam figuratio oratione quavis propior est mentis imagini: quod si in malam partem accipiantur, non adeo subiacent reprehensioni, nec tam constanter possunt conuinci. Propterea & figoratè, & mutilatis, & inuolutis sermonibus, vti oportet. Cum quibusdam tamen omnia clarè expedire conuenit: Amicis, primum illis qui nihil sibi putant proprium: quales fuere Pomponio Attico Q. Gellios Canius, & Ciceroni Atticus, & Menedemus cum Asclepiade. Et coram iudice, vbi causam tuam defendis; tum maxime quum pro amico [loqueris.] Cum domesticis præterea, vbi quid mandas, melius fuerit, decem verba perperam adiecisse, quam vnum necessarium prætermisisse. Com his etiam qui discessuri sunt, (& vbi Epistolas mittere non tam tutum est,) vberiori oratione vteris. Semper autem vbi quempiam de negotio instruis (modo fidus sit) abundanti sermone vteris. Sunt etiam communes sermones, de quibus suo loco dicetur: Sicut & de verbis quæ habentur cum potentibus viris, qui tua scire desiderant, & amici sunt. Et quum ad fallendum composita sunt, coram æmulis, exploratoribus, & inimicis qui se amicorum loco haberi puant. In cæteris memineris linguam te vnam habere, atque illam secunditam; duas vero aures, atque patulas. Obscænis autem nullis est locus; nisi forsan cum scortis, & nemine præsente. Cauendum est præterea, ne tantum diligentiæ in minimis ponas, vt magnorum & generalium præceptorum obliuiscaris, aut negotiorum: quod ferme necessatium est accidere his, qui non recta ratione huiusmodi leuitatem affectant, imo persæpe nugaces efficiuntur. Namque & in conuiuiis, quum vino incaluerint, aut colloquiis aliorum irritati, aut quia petant, interrogent, casu vel dolose, aut quoniam talis natura sit: velut scriptoribus, professoribus, concionatoribus, atque his, qui multum de se pollicentur; primum quidem huiusmodi viris eas occasiones effugere præstat, congressum scilicet potentium, inimicorum, æmulorum, ineognitorum, maledicorum, irrisorum, insidiarum suspicionem, conuiuia, & commercia cum balatronibus. Deinde si incidas in huiusmodi linguam, vbi loqui ceperis, absoluto primo colo, linguam inter dentes comprime: digitosque sub pallio contorque, sic vt doleant; vt impetum illum dicendi, ac feruorem comprimas; nec in sermone incalescas, aut verbum imprudenter tibi excidat, aut nostri (quod sæpe contingit) simus immemores. Sed & nihil de tuis rebus dicas; nec te laudes: verum ad communes sermones (de quibus suo loco dicemus) te conuertes. Vna denique est ratio, nihil incipere, sed ad interrogata respondere. In propositis (si libet) perstare, atque continuare licet; tum vero quam breuiter & grauiter: vt memineris non tui, sed personarum, ad quas sermo dirigitur. Propterea, si ex arte non sunt, planis sermonibus, vulgatis etiam [vtere;] si non omnino veris, tamen verisimilibus: à contentionibus ac profitendo, &c. abstinens. Pulcherrimum enim est, scire modum imponere sermoni, ac illius impetum sistere, velut & currentis equi: nec secus, eligere de quibus dicas, & taceas: demum quæ dicas, aut non dicas. Hæc assequeris, si tui memineris, non obliuiscaris: quod affine est ei præcepto, Nosce teipsum. Multi enim (maxime in conuiuiis) grauissime periclitati sunt his rationibus, vt à Parisatide, &c. Nec quotidie desunt damnatorum exempla.

Epistolarum autem ratio, etsi non multum, ab hac diuersa tamen est. Quod enim scribitur ad absentes (vnde prouocatio non est, saltem præsens) tanto limitatius est: nec periculum adeo est, ne inconsulte verbum excidat, sed & pluribus indiget vt intelligatur, & longius esse debet. Qua ratione quæ scribuntur vt superfint, absolutissima esse debent, & manifestissima, quum restitutioni locus nullus relinquatur. Ac etiam tanto diligentius limari debent, quanto defensioni locus [minor, aut] nullus patet; & quanto diffusius scripta. At rursum Epistola sermone breuior esse debet; quod, si aberres, excusationem non habeas, & quod errata facilius deprehendantur;

tur; tum vero, quod occasio non desit industriæ, vt plura per pauca significentur: nec est qui te prouocet in illa, vt in sermone. Quare præparcum esse decet apud eos qui amici non sunt; longiorem, quam in sermone, ad domesticos, familiares, & amicos. Sed de his suo loco. [101.]

In turpibus præterea causis silentio maxime opus esset. Vix fieri potest vt aliquem commemorando non offendas: tum vero in controuersiis amicorum communium. Quod si omnino cogeris aliquid dicere, imitare pictores: pulchra & iucunda explicant latè in pictura; turpia & abominanda inuoluunt. In rebus odiosis quanto plus, tanto dexterius inuolue, quæ tacere non potes. Abstine à iudicio. Porro damna verborum non meditatorum præcipua sunt, secreta pandere, viam inimicis nocendi aperire, amicis obesse, & odium sine vtilitate quærere.

CAPVT XXX.

De Iuramento.

NOn exiguam partem vitæ nostræ obtinet iuramentum. Est autem duplex: ad [se, & alios. Ad] alios, quum grauis res agitur. Per hoc conspirationes, & coniurationes, & pleraque iniqua & æqua confirmari solent. Propterea videre oportet & in qua causa sit, & quod fuerit consilium tuum. Sæpe enim fallendi ratione fit: quod in aliis eo magis considerare debes: præcipue autem, an honestum, an totum quod agis. Multis solemnibus celebrari solet: in templo, coram Sacramento: sed quod fit epoto vicissim sanguine, quod & Catilina fecit, incorruptum mansit. Quod vero ad se est, in causa fit minus honesta, sed necessaria. Sic milites Romani sacramento obligabantur, quum militiæ actiones omnes contra honestum niterentur: occidere homines, diripere vrbes, intendere villas. Sic Salomonem legimus iurasse, quod occisurus esset Adoniam fratrem suum natu maiorem, sine vlla causa, quum etiam Arcam Domini retulisset, omnibusque communis parentis laboribus & periculis interfuisset, iuramento obligatus, vt quasi sibi liceret, effecit. Ita ergo pro viribus aduersus honesta admittitur; non tamen pro turpibus; ideo Salomon non excusatur. Iurabimus ergo, non datutum mutuo, non officium præstiturum ante numeratam pecuniam, non crediturum cuiquam; non beneficium collaturum ei cui nihil debeas prius. Atque hæc tecum solus, ad roborandum animum. Vbi oportuerit, hoc ei expones; ne priuatum officium neganti irascatur. Non tamen publice hoc iactabis, ne inhumanitatis primum te arguant; deinde ne impotem te, nec tui dominum esse, existiment; præterea leuem, qui de eo quod contra bonos mores est, & damnosum, te iactes; demum quod par paris sis accepturus.

CAPVT XXXI.

Silentij laus.

SEd quum hæc omnia multiplicibus sint turbata inuolucris, plerunque silentiū non solum sufficit, sed etiam præstantius est: præcipue in re controuersa, vel vbi timemus ne talis fiat, aut quispiam aliquid petat. Tum vero non solum res & verba celare oportet, sed etiam animum. Vbi enim te habere dixeris, si roget vt des; aut scire fatearis, vt detegas, requirat, magnam molestiam affert. Primum infinita est ratio argumentorum: & impudentiæ non deest audacia. Si dicas, Sine hoc viuere non possum; dicit, Maiora dabo. Si respondeas, Non pecuniam, sed rem quæro; obiicit, Et tu sine ea viuere potes vel tantillum: non vis amico nobili, egenti, tam cupide flagranti, rogantique morem gerere? mutuo da, statim recepturus. Minus turpe est huiusmodi viris, aliena, & sine ratione, postulare; quam honesto viro videatur negare quæ non sine dedecore possunt concedi; vbi dederis, nulla compensatio, longe minus restitutio. Itaque hoc solum silentium, infinitum pelagus disputationum (in quo semper aliquid impostruo relinquitur, quod æqui speciem præ se ferat) ita exhaurit, vt nec vestigium vllum supersit, cui vnicum possit annectere, vt te perturbet. Similiter si cum aliquo, de quo male suspiceris, negotium sit, ne (quod multi faciunt) dixeris, Hoc ago, quamquam male alij de te dicant. Si enim innocentem credis, quid stultius, aut acerbius dici potest? quum ille se sentiat falso [incusari,] & frustra suam lædi coram existimationem, ab eo quem sperabat acrem defensorem habere; tepida enim amici negatio, criminis quasi confessio est. At si nocentem ipsum credis, palam ad flagitium admittendum hortaris, quum retines sciens flagitiosum. Neque enim turpe aut magnum id existimare videris, cuius, quum tam facile possis, nolis vitare suspicionem. Quanto ergo satius, silentio prætermittere, quod vitare non decreuisti? vt melius etiam fuerit, dixisse, Hoc fidei tuæ committo; quam semper erga me integram sum expertus. Quod si ei te committere nolis, cui bono, quæso, ingrato facto addere verborum iniuriam; vt pernegasse non sufficiat? In quo genere improbitatis etiam illud est, quum beneficij tui causa aliquid à te petitur, non solum negare, sed etiam addere contumeliam. Velut in his, qui ob turpis amoris suspicionem, vel eo prætextu, criminantur qui ipsis bonas conditiones offerunt. Huic autem proximum est, causam silentio præterire, si rem non potes: nec vmquam digniorem in medium attuleris, quam sit id quod petitur: hoc enim multi faciunt, nimia cupiditate concitati, exemplo, vt dicunt, Esau. Fatigat enim id amicum; & te iudicio carere, & probatione victum, ostendit. In vniuersum, scire tacere, vt Philosophus ille regi innuit, non minus est, quam scire loqui. Illud tecum sæpius reuolve: Si quæ sciunt, dixero, frustra loquar: si quæ nesciunt, facta mea detegam. Quum vero quod latet, vt infinitum existimetur,

metur, causas prætermittere melius est; nisi habeas efficacem, quam huic obiicere potes. Sunt præterea alia, & maiora, vel si cum sapientiore viro sermo fit; non minora, aut plurima, quæ nunc omitto. Sed & id obseruare decet, ne exemplo minorum citharistarum, quæ discunt, tu quæ non bene noris proferas; verum ea tantum, in quibus iam diu exercitatus: sed nec illa tota; vt aliquid, quod desiderent, relinquas. In vniuersum illius memineris, solum silentium integra omnia tibi relinquere. Quamobrem qui accuratius sciscitantur, aut deliberationem, aut voluntatem tuam, aut iudicium de aliqua re, præsertim ad eos non pertinente, pro pessimis hostibus habendi sunt: eo enim minus relinquunt tibi tuarum rerum arbitrium, quo plura intellexerunt. Neque enim solius pecuniæ aut opum furtum est; nec minus euertitur, nec serius homo inopia rerum & substantiæ, quam consilij. Peiora etiam sunt hæc in potentioribus, vel quum negotium est cum illis. Quod si præter id importunius petant, iam res ad euersionem tuam pertinet, nisi interrogatio facti sit. Sua enim quisque scire cupit, & iuuat. Quum ergo impudentius aut tua facta quærunt, aut iudicium, vel etiam de alienis, modo quicquam tuum sit, dissoluto sermone; abi, si licet; si non, dicas, non cogitasse de hoc; atque occasionem deuita. Sed neque vitio magno caret interrogatio exquisita & accurata de tuis rebus, vel de pretio rei tuæ quum nullum pretium illa dignum obtulerit.

CAPVT XXXII.

Lentum in deliberando esse oportere.

IN rebus autem peragendis lentus sis in deliberando; promptus in eo, quod deliberaueris, exequendo. Pondus singulorum æstimes: quid quæras? quomodo? quanti quæsisse constet, si non obtinueris? vbi obtinueris, quale tibi emolumentum? qualia damna, aut pericula? Prompte dicitur [quis] exequi [id,] quod prius in portum reducitur, quam ab æmulis aut inimicis sciri possit. Nil celeriter confectum dici potest, quod qui impedire cupiebant, ante resciuerunt, quam factum sit. Neque vero malum est in negotiis, singula quæque vesperi in tabellam ex ordine digessisse, quæ sequenti die facere oporteat. In dubiis autem rebus callida negotiatione, & sermone ancipiti, vtendum est. Descendamus in victorum amicitiam, non ruamus. Si Cicero cogitasset, posse mutari fortunam, non tantum famæ Philippicis illis sibi comparasset; sed neque exitium domui suæ vniuersæ. Adde, quanto periculo te illis adiicis, quali infamia hos deseris. Quamobrem vtrique vt faueas priuatis officiis, si potentes sint, consulo. Inclina ad causam necessariam & honestam, potius quam superiorem. Sed, si liberum est, in omnibus eam adhibe moderationem, ne victoriæ primas partes tibi adscribas, nec acriter animos incendisse videaris, & ante victoriam vt vinci posse credideris. Quæ noctu deliberasti, ne exequare; maiora enim videntur, velut somnia: sed quæ interdiu, post etiam placent. Tutissima autem, quæ & pacato animo probantur. Specialiter autem in vnoquoque negotio cogitabis finem, consequentia, difficultates. Oportet autem semper tria præ oculis habere: Quam recte? cui bono? Quid dicent homines? Inde reuolue negotium totum, sæpius cogitans, Si successerit? Si non? Quid absoluto? Quid interim? Offensionem perpetuo animis inhærere; gratiam breui euanescere: tempus, rem, qualitatem, ætatem hominum, fortunam tuam, æmulos, filios. Orbis enim [id est, qui improles sunt, aut celibes] multis caussis omnia tutiora.

CAPVT XXXIII.

Hominum mores scire conuenit.

VT vero quantum & quomodo expediat, scire possis; hominum mores eius loci noscere oportet: vt generaliter antea docuimus. Homerum igitur imitabimur: qui quum magnam orbis partem lustrasset, nec solum mores, sed instituta, leges, consuetudines, viuendique ritum cognouisset, tum naturam, robur, & quid possent, ex omnibus vnum quippiam, quod etiam omnibus conueniret, conflauit; velut Medici Theriacen solent, quæ omnibus morbis est accommodata. Sic Deus mistis elementa singula imposuit, vt singulorum etiam vires referrent, atque in omnibus aliquamdiu viuere posse; nam homines in aquis, & extra aquas viuunt; nec protinus, vt ignis, estinguuntur. Simili ratione quæ singulis in regionibus proueniant, quæque aliud, & vnde, vehantur, quanti, quomodo, quo anni tempore. Sed & naturam rerum; veluti Bononiæ vuæ seruantur ad æquinoctium vsque vernale, & vltra; non ita Mediolani. Artificiorum vtilitatem. Quid expediat, perfectum, vt domum, emisse; an desolatum, & rude, velut agrum, vt apud Xenophontem. Quædam plurimum mutantur, vt pueri, equi, chelys noua, & quædam in melius. Vt vero singulorum mores dignoscas, tum ex vestitu & gestu, sub quo etiam gressus comprehenditur; sed maxime ex sermone. Ob hoc solertes viri sæpius mutant sermonem. Ignauissimi sunt, qui epulis libenter serunt colloquium: post, qui de venereis, ornatu, & de rixis; auari de lucro; improbi de insidiis: probi de honore: dissimulatores de Diuis: at optimi, qui de virtute. Similiter & temporis & regionis & consuetudinis & Principum naturam noscere oportet: Tyranni ferro, Respublicæ, & qui arma tractare non solent, iudiciis [vtuntur:] quidam Principes veneno; alij prorsus, licet mali, venenum oderunt; vt Henricus Anglorum Rex; Paulus Quartus Pontifex, Pius Quartus, & Quintus, à vi abstinuerunt: Quartus oderat iudicia iniusta; Quintus etiam grauiter vlciscitur. Sub hoc tamen magis audeot, ob morbum.

CAPVT XXXIV.

Potentium de rebus opinionem, scitu esse necessariam.

ET quæ qui possunt, de rebus statuant, dico Principes, Satrapæ, Magistratus, optimates, militum duces, sapientes, (inquire;) in horum enim manibus pleraque sunt. Neque enim existimabis (quod iure existimandum esset) credere, magnum esse aliquid iniustitiam, legum contemptum, hominis necem. Sed huiusmodi vtinam apud eos aliquanto essent maiora muscarum interitu! timent tamen tum famam, exemplum, atque odium propinquorũ. Famam quidem, ne dum emanat in populos, audaciam seditiosis præbeat. Exemplum quoque dum verentur, caueut ne (etiamsi possint) inimicos veneno occidant. Sciunt enim, sic à pluribus timendum esse, quam qui timeant. Verum tu tecum dices, Decipiuntur; ne illorum errore captus pericliteris. Itaque, & religione & legibus abutuntur; nec solum culpa sua, sed importunorum aulicorum: quibus obsequi, perniciosissimum; non obsequi, periculosissimum est. Explorato etiam, qui vere sit tyrannus: raro enim eius est tyrannis, qui prodit cum insignibus; sed (talis est) tyrãni simia. Atque idem in oligarchia: non enim pauci illi omnes regunt, sed ex his paucissimi, duo aut tres, ad summum quatuor: quibus nihil pensi est, nisi vt potentiam retineant: cæterum lucrum, & odia, ac simulates pro Diis colunt: vt optimi sint, qui amoribus ac familiaritatibus seducuntur. Hos igitur scire oportet; & qui cum illis plurimum possunt. Aliter bifariam aberrabis; & plures esse credendo, quam sint; (vt roges etiam quorum causa pereas, ab illorum intestinas simultates;) & quod credas illos legibus viuere, & honestatis curam habere. At postquam cuique Deus est sua dira cupido; qui nos nihil esse putant, cupidinem & vitia, quibus capti sunt, scire oportet; hoc autem tam facile, quantumvis diligentius tegant, explicare superfluum sit.

CAPVT XXXV.

Cognoscere quæ in vrbe aguntur.

IN tua præterea vrbe quicquid est, quicquid agitur, diciturve in digitis habeto. Dico familias, homines, coniunctiones, prædia, domos, mores, actiones, vitam, rem, studia eorum omnium qui in aliquo numero sint. Et ad hoc paratos habeas atque conductos clientes, qui nil aliud ferme curent: nam lucrum superabit expensas. Potuit hoc Cicero, distentus tot curis orandi, Reipublicæ tractandæ, studiorum Philosophiæ, scribendi; quique tot aliorum etiam curam ageret: Tu vero, ab omnibus his ferme liber, hoc excusabis. Hæc autem maxime in commodis atque potentia, tum societate, sunt reposita. At potentia amicis & rep commoda vero domo bene constituta constant.

CAPVT XXXVI.

De præparatione. Vbi de modis parandi opes.

EST primum etiam quippiam quod habere oportet, semetipsum scilicet. De animo quidem satis diximus: sed non sufficit, nisi etiam corpus firmum pro ætate habuerimus. Et vbi defecerit [corpus,] seu per ætatem, seu aliter, alium ipsum nos habere oportet, velut filium, fratrem, amicum, familiarem: quod si habere non possimus, res nostræ perpetuo fluctuabunt, tametsi diligens fueris. Habere autem, non solum prouidentiæ est, sed etiam fortunæ: & maxime qui nostra curare velit vt suamet: inde qui sciat, inde quod maximum est in hoc proposito præstet [& perstet.] Beneficium naturale hoc filiorum est, vbi non degenerauerint. Ergo & animus natura fortis necessarius est: aliter nec opes, nec consilia, nec occasiones vsui erunt. At hunc fingere prudentia potest, atque supplere; præterquam vbi mors instat. At corporis incommoda non tam pronum est sarcire, tum opum vel amicorum defectum. Vt tamen bene valeas, abstinentia, somno, & exercitatione, postque medicorum consilio obtinebis. Exigẽda est merces ante, præterquam à generosissimis. Præterita enim languescunt; præsentia diffluunt nimis celeriter; futurorum expectatio longa, anxia, fallax. Amici & familiares, clientesque fidi, tantumdem valent (imo plus sæpe) quam tu ipse. Præterea id maxime obserua, vt quæ ad finem adipiscendum non solum, sed retinendum, sunt necessaria, tempestiue præoccupes: nam neglecta huiusmodi cogimur maximis difficultatibus recuperare; atque tum præsertim, quum æmulus insidiosus aduersatur. Velut si medicinam profitearis; vt discipulos circumducere possis ad curandum: hoc autem exposcitur, vt in medendo existimationem retineas. Sed & hic cauendum, ne erres: vt si pecunias multas postules, ne tempus pereat, & paucos habeas infirmos. Itaque vt omnia prius parata habeas, architectos imitatus, temetipsum scilicet exornatum moribus, & qui vti possis robore; deinde [caue] nequid absit: (multa enim ob ritus impedimento sunt:) ne quis tibi fastidium, damnum, aut periculum afferat, subtrahere te oportet, non [autem quemquam] contemnere. Et ne tu quicquam delinquas: hæc enim superius sunt declarata. Demum nequa occasio in collocandis tum officiis tum beneficiis pereat. Secus si agas, temporis facies iacturam, & non adeo bene rem absolues; imo quandoque absoluere non poteris. Licet tamen præoccupare, ac inchoare, in temporis angustia, quum securus fueris de necessariis. Ergo quum in amicorum potentia, & multitudine, principalia præsidia sint constituta, vt superius docuimus; ita agendum est in collocandis officiis ac beneficiis, nequid pereat. Quoniam captantur homines; si ea inaniter effuderis, non habebis quod exhibeas, vbi oportet. Itaque vel vtilis vel honesti gratia, aut vtriusque, impendere oportet. Vtriusque, si [impendas] in eos à quibus iam beneficium habueris a

vtilis

vtilis, in filios, aut eos quos educationis filiorum plurimum profuturos existimabis, & in eos qui iuuare te possint, ac velint; deinceps vbi gloriosum est: Honesti autem, in eos qui tuis lætantur donis; quive pauperes, aut probi, aut coniuncti.

Præterea non vltimo loco sunt opes: quoniam in locis qui procul à regibus sunt, & à Satrapis regontur, & nunc & semper omnia potuerunt; quapropter primum comparandæ. Ideoque parcum decet esse; nec considerare quantum lucreris, sed quantum super lucreris. Modi tamen breui parandarum opum sunt hi: Principum amicitia, maxime Sacerdotum; & qualiacumque etiam pingue sacerdotium possidentium, quum liberalitate tua permutari possunt: Velut & viduarum diuitum matrimonia: Et orborum opulentorum consuetudo intima: quamquam cautos difficile sit capere; simplices, ne præuertantur maiore metu, spe, auctoritate, sollicitatione, periculum est: Industria noua; quæ multiplex esse potest. Artis notæ, sed lucrosæ, omnes etiam cultus vtilis, aut speciosus. Alluuionum intelligentia: nam lucrum in emptione & acquisitione. Altior enim (vbi) ripa alueus est, humiliorem inundat: terræ durities, & vndæ impetus, &c. Fluminis, vbi sæpe sinuatur, &c. recta ex recto ad rectum: Occurritur aggeribus & alois. Compertum est pluribus sæculis irritum esse impetum aquarum in radicibus tupum. Alueus ergo quum natura in medio esse debeat, aut exiliet tractu temporis, vt humiliorem locum occupet, aut altiorem sobruet: at hoc facilius est, quam vt ascendat. Elatior est in ripa aluei; quia ob id in aduersum incubuit, ob altitudinem, & soli duritiem. Explorabis ergo perpendiculo, in quam partem pendeat aqua nam sæpe quod relinqoit, inondari videtur: sed si humilius est, non reliquit. (Alios modus est) & executio creditorum, quæ loco mercedis sunt militiæ, à fisco, & regibus; maxime in fine bellorum. Diximus autem de hoc distinctè in libris De vtilitate capienda ex aduersis: (vide & infra; Sectione 103.)

Io singulorum autem executione maximum compendiom habetur, io tota ratione gerendorum fingula describere per ordinem; iubetéque vt tui idem mandatum custodiant. Nam non solum quicquã obliuione non excidet; sed siogula facilius & oportunius efficere licebit; ac nullo pæne eum labore, atque melius. Qui verò non parent, è genere malo sunt: proximique malis sunt. Mali enim sunt & improbi, qui quod malum est, præponunt bono, scientes esse malum, quoniam malo adeo delectantur. Sicut boni sunt, qui præceptum hoc præcipuum & alia obseruantes, (nihilominus) tamen delinquunt. Sed optimi sunt, qui non aberrant.

CAPVT XXXVII.

De Familia.

Quod verò difficillimum est, est domus institutio: adeo vt vix cuiquam foccedere possit. Sæuiant procellæ inimicorum, æmulorum persecutiones, inopia, iudicia iniqua, tum reliqua omnia; non tantum tamen incommodi afferent, quantum domus male instituta. Etenim assiduum est hoc malum, & maximum; in quo de vita, honore & fortunis periclitatur: nec est in nobis, vt facile mederi possimus, velut in animi morbis; vel intermittant, aut partem quandam bonorum nostrorum in discrimen vocent, sed omnia: adeo, vt si vxor adsit, aut filius natu grandior, aut frater, aut soror, vix te queas explicare. Sed neque filij aut fratres sufficiunt, quoniam non semper domi manent. Oportet autem eos qui domum bene institutam habere volunt, assiduum habere custodem. Sed & in hoc periclitamur. Nam vxor & soror, & filia, si iuuenes sint, in amatores facile incurrunt; deinde famulorum vsus cum mulieribus suspectus est: iuuenes enim appetunt; à senibus appetuntur. At vero sine his (degere,) ferme impossibile est. Domus enim ex rebus ac famulis, cum necessariis, constituta est. Necessariorum si quisquam peruersus sit, prorsus fieri non potest, vt bene res constituatur. Eadem autem est ratio patris familias in domo, & regis in ciuitate. Porro, quod maximum est in hoc negotio, est bonos habere domesticos, & frugi. Senes putridi, imbelles; & si quid habeant vitij, corrigi nequeunt: si boni sunt, detinentur ab iisdem apud quos consenuerunt; si mali, aut iouriles, cui vsui esse possunt? Pueri rursus imbelles, & imperiti, lusibusque dediti: Adolescentes importuni, procaces, petulantes, libidini dediti: qui quum se ipsos regere non possint, quomodo te, rémque tuam, mulieres, & pueros gubernabunt? Viri eadem patiuntur quæ senes: & licet imbelles non fiot, in mulierum tamen causa senibus sunt deteriores. Mutatio præterea omnis mala est: & tamen quicqoid diu feres, in maius vitium transibit. Hæc tamen minora sunt mala, quam (si seruis vtaris: nam) seruitus inhumana est, & nihilo commodior aut securior. Vides enim in Comœdiis quàm turpiter serui os oblinunt senibus dominis. Ergo prima ratio est, vt optimos (domesticos) eligas: deinde vt diligenter instituas: demum vt singulis incommodis, quæ ab illis proficiscuntur, occurrere discas. Quod si occasio vel mors domini, aut discessus, aut exilium, aliquem commodum (famulum) ferat, pro bona fortuna habendum est. Eligendi ergo sunt parentibus probis, &c, si adulti sint, etiam vita sapientes, solertes, ab omni infamia alieni, summa fide, & vt te ament, venerẽtur & colant. Sic enim duplici munimine tutus eris. Ab huiusmodi etiam viris quærirur testimonium: & qui tibi insidiantur, ab eisdem initium sumunt; & merito; quum nulla sit via ad perdendos homines hac ipsa paratior. Plures enim aduersus inimicorum impetum, & potentiorum vim, magistratuumque licentiam satis muniti, ab huiusmodi machinis obruti sunt. Eligere autem præstat eos qui diu cum domino eodem, gnaro, prudente, moroso, præsertimque sene: manserint: & inter illos, qui forma sint præstanti. Nam qui paruo sont capite, improbi plerunque sunt, aut stulti, aut grauioribus vitiis impliciti. Strabi etiam valde mali sunt, & gibbi; hi quoque fædi: & claudi, inepti. Præterea caueto, vt sint incolumes, & in victu

victu modesti, ac temperati. Considerare etiam oportet principaliter illorum mores: an lusores sint, fures, ebrij, inertes, vehementer ægri, aut imbecilles, & (tales) qui cum domino contendunt, & qui de malefactis gloriantur. In vniuersum bonos famulos à malis sic distingues. Fac vt aliquis domesticorũ aliquod eius male factum obseruet, clanculumque deferat ad te. Tu vero vocabis illum; & reprehendes, iuxta facti magnitudinem. Si fatetur, & inde minatur ei qui illum accusauit, prauus est: eum amanda, quantumcunque virtute præditus fuerit enim furiosus, & domesticos omnes corrumpet. Quod si quærit delatorem, aut consulit vt taceant nec domino reuelanda quæ fiunt, docet, nequissimus est. Si vero fatetur, & excusat factum, nec aliud quærit, optimus est. Sed si negat, & quærit quis dixerit, pessimus est hic, sed timidus: emitte statim. Si vero negat, nec vltra quærit, malus est, & timidus: retineri potest. Rarò enim bonum inuenies. Quod ad fidem attinet, multi Germanis vtuntur familiaribus: apud hos enim adhuc manet integra fides. Præstat & neminem absque certa fideiussione in domum admittere, nec quicquam tantum committere vt furtum furto defendere possit. Est indicium sane magnum cogitantis furtum, si cophinum non afferat in domum: sed deterius, si apud vicinum, & maxime pauperem, eum habeat. Porro electio œconomorum, puerorum esse non debet: quoniam œconomi, præter fidem, oportet etiam vt sint sapientes, & solertes, optimisque moribus, tum graues, vt qui auctoritate sua aberrantes coërcere possint; at pueri omnibus his carent. Similiter & adolescentes rei (domesticæ) præficere haud tutum est, non solum ob paruam rerum experientiam, & quod domestici dedignentur minori parere; sed quod immensis fetantur affectibus. Si tamen ob fidem, coniunctionem, prudentiam, virtutem, quodque lætus sit, ac comis, aut inopiam hominum cogaris, multiplicem subibis curam atque laborem, vt instruas illum, vt sit obsequens, & vt errata corrigas, vt contineas. Præterea (quod in vsu est apud mercatores & Principes) plures præficere rationibus oportunum: neque enim fallere possunt, quum ordinare disponuntur, nisi concordes omnes sint. At in hoc vel domini supina ignauia abutuntur, aut magno periculo se exponunt, quum ad discordiam peruenerint. Alter enim alterum accusat. Quocirca tutissimum est, plores præficere rationibus, alios qui recipiant, alios qui dent, qui assistant, qui in libros referant, qui computent, qui exemplar transcribant. Verum in Principibus, ob stipendiorum magnitudinem, & socordiam illorum, impensa superat lucrum. Itaque in paruis negotiis forsan! præstiterit, non facere. Semper vero tenuem mercedem his constituere præstat; ex aduentitiis autem partem, in qua omnes sustentent. Præterea si quis tres alere non possit œconomos, duos aut vnum alat. Pauperibus vxor est pro œconomo: periculosum est tamen, quia castigare haud commodum. Quod si nec huiusmodi adsint, pueri sunt tutiores: verum illos arcere duris clauibus oportet, atque grauibus arcis: & vt nesciant vbi carsora sint recondita. Semper etiam decet tabulam habere, in qua negotia peragenda describas, quæ emisti, quæ mutuo dedisti, quæ facturus es, quæ cogitasti, quæ peregisti, aut puer pro te. Et scias quod puerorum seruitus est melior, quoniam facilius minis & verberibus continebit eos nummatus, & inimicorum occultorum suspicione; & sunt magis assidui, & maxime in assistendo, & scribendo. Vnde olim Romani tales eligebant, & hos anagnostas, & seruos ob hoc pueros, tametsi viri essent, solebant antiqui appellare. Sunt etiam tutiores habentibus vxores, aut concubinas: & minus timendum est ab illis de furto. Contra vero ad graues labores, & ad tutelam corporis, & ad manifesta (pericula,) tum vero ad negotia domestica inutiles: contemnunturque non solum ipsi; sed domini. At ab improbis hoc studiose fit, quoniam præclusam viam futuris vident. Senes meliores sunt in omnibus ob id, nisi ad arcendam vim. Adolescentes, nisi optimi sint, peiores omnibus, & periculosiores. Quum famulum in domum recipere vis, fac vt aliquis tuorum, vel œconomus, te laudet, tamquam probum, & qui quod pollicetur absque dilatione persoluat: sed subiiciat, vitam exigere admodum parcam, vt vix viuere possint. Si frugi est, respondebit statim, aut non curare; aut, Si viuunt alij, & ego viuam: si lurco simplex sit, venire recusabit; si improbus, cogitabit; inde recipier conditionem. At tu, si sapis, interposito scrupo, illum ne admittas. Dolum enim meditatur aduersum continentiam tuam; ex quo domum vniuersam subuertet: deterior priore; quod ille solum incontinens sit, hic autem etiam improbus. Filios communi vtilitate quum à patribus recipis, id præcipuum est, vt patres idem, quod tu suspiciant, atque despiciant. In vniuersum memineris illud: famulos omnes esse ignauos, & nequam. Neque enim ob aliud seruiunt: nam boni à dominis retinentur; mali nulli vsui sunt. Est etiam persæpe vtilissimum in fois ac iuuenibus exemplum imitari Augusti in Cinnam; & patris ignoti in filium, semel ignoscendo omnia errata: (sed semel duntaxat:) nam hi pro insidiatoribus acerbissimis, in posterum vsi sunt fidis ac commodis amicis. (De qua re Seneca de Clementia libro primo; & Valerius Maximus libro quinto.)


Porro de vxore ducenda, quod, vt dixi, totius domus fundamentum est, imo etiam, quod maius est, naturæ & ingenij filiorum, (dici enim solet. Quales vis filios, talem ducito vxorem,) tum vero educationis eorum, in opere De vtilitate capienda ex aduersis diximus: nunc totum negotium sub vno verbo, (seu versu) comprehendere licet:

Vxor sana detur, prudens, fœcunda, pudica,
Forma non cupida.

Seruum improbum ex ignis tentatione dignosces: ineptus in accendendo, stupidus, tardus, lentus, & ignauus in negotiis. Si defert ignem post, (non autem ante se,) nulli operi aptus est. Si dominis absentibus, aut non iubentibus, atque tum neque alias multa ligna imponit, ipsum statim abdica: deterior enim ebrioso est.

Vt

Vt suspectos furti deprehendas, alio translatis carioribus, aut reconditis in suppositicia tabula aut crypta, vel ιδ..., oblitus quasi clauium, aut quæ, vt dicam, retinentur, aut nodo imposito seræ, aut cera consimili tabulæ coniuncta operculo arca. (sed in his duobus contingit falli casu) vel quod, vt primum, (sed illud tritius) optimum est, vt aperta claudi nequeat. Id ea ratione constat; vt sit *a b* seræ culmen, *c d* repagulum conclusum, & annulo intrusum. Ducatur vi clauis *e f* verius dextram, premente *g h*, vt fiat *k l*: non poterit claudi, obstante *gh*. Trahatur ergo infra per *m k*: vel intus prematur (sed hoc difficilius;) inde circumducatur per eadem.



Aliud: Foramina parua facies in operculo, & arcæ limbo, & lino vincies, quum enim aperitur, franguntur. In vno fallax forsan esse potest; in pluribus non potest. Infinita est seges horum: sed hæc sufficiunt. In omnibus auxilium: in omnibus difficultas. Velut duarum clauium prima facilis, sed occulta omnino: secunda durior, in qua nonnumquam auxiliatorem quærere oportet. Hic modus sane tutissimus. Sed confunduntur persæpe duæ claues. Denique tutissima fere omnia; modo magis rem ames, quàm domesticos.

Vbi furtum in noris personis deprehenderis, statim mitte ad vrbis portas binos ac bonos: qui interrogent an exierint eiusmodi ætatis, sexus, vultus, staturæ, vestium omnium. Alios mitte ad caupones & obsonatores, interrogatum si equos his locarint. Hi poterunt redire, monitis hospitibus, si superueniant. A portis vnus redibit, alter obseruabit. Si exisse deprehendantur, equitatum cum literis Principis, pecunia data, pollicitis maioribus mittito, & è tuis vnum qui etiam singulos in itinere viatores consulat, tum cauponas, & diuerticula. Nam lente progrediente, & prope celeri gradu, assequeris: si multum absint, & celeri gradu fugiant, lente. Sufficit enim, vt sub vna aurora locum ingrediantur, non vna ex porta, sed ex singulis; aliquot relictis ad portas custodibus. Et si alienæ ditionis sint, primum à magistratu obtinebis satellites, cum præcepto. Quæ autem de terrestri itinere dixi, eadem in portu & flamine, hæcque via certior est, & multo plures deprehenduntur; adeo vt fere omnes. Si vero adhuc in vrbe sint, prope portas custodes adhibebit præfectus satellitum, multis promissis, & etiã pecunia deposita oneratus. (vide 106.) Exploratores, etiam illi mittent ad obsonatores & ad caupones, & ad meretrices. Corrumpes etiam aliquem illis familiarem, qui in casses (prodens amicitiæ specie) eos deducat. Ita omnino in manibus habebis; licet non mediocri sumtu. Quapropter rem expendere oportet. Nam dupliciter circa hoc peccari solet: aliis ob segnitiam & auaritiam nihil agentibus, quod in non magnis damnis melius est: aliis multa in incertum profundentibus.

CAPVT XXXIII.

Res domestica: & eius conseruatio.

RES domestica autem diuiditur in ornamenta, famulos, & necessarios. Ornamenta: triclinia, lecti, mensæ, eqoi, omniaque vtensilia, munda, recteque disposita; tum etiam honesta, ne aut propriam auaritiam, & vecordiam, aut tuorum segnitiem ostendant. Vnde Cornelius Nepos de Attici cultu domus: Elegans, non magnificus, splendidus, non sumptoosus. Porro Galenus duplicem vestium & reliquorum (libro de dign. cur animi mor. cap. 9.) numerum censet: nam simplex non satisfacit, ob casus qui eueniunt: tum quia fœdari & atteri necesse est. Omnis enim vita in mutatione posita est: plura custodia egent, & aliorum vsui sunt [destinata;] quum mutuum dare necesse sit. Verum quum domus res omnis trifariam distinguatur; alia enim absumitur in dies, alia atteritur, alia manet: his quæ manent, custodia solum debetur: his quæ atteruntur; custodia & conseruatio: his quæ absumuntur, triplici opus est diligentia, atque in singulis maiore custodia, conseruatione, distributione: atque id magis in his, quæ maiorem afferunt voluptatem. Velut vino, & lignis, & pani, caseo, ac reliquis modus solet adhiberi: vt famulis panis & vini vnciæ quinque pro ientaculo aut pro ante cena exhibeantur; pueris panis duntaxat, & his qui liberaliter educantur. Cæterum duas habere oportet cellas vinarias, suis clauibos conclusas: alteram vini meraci potentis; alteram loræ, aut vappæ. Hauriatur cirneis parvis, si insolentiores sint famuli atque ancillæ: aliter res peribit; &, quod deterius est, multa admittent errata; quod vero pessimum est, etiã dominom contemnent, tamquam negligentem, rudem, & stolidum. Vt vero seruentur, aut emantur, suis temporibus, duplici œconomo indigent, si res familiaris magna sit; & tertio, qui distribuat. Res infinita est, & singula referre velim. Ad eos autem qui mutuo petunt, potentiam pro actu obiicies: vt in cadis vinariis, quia impeditos dicere non potes (multa enim ex hoc sequuntur incommoda) dices expectare nouos. Singulas etiam res numero & ordine descriptas partiri in familiares oportet: velut carpentum, cum his omnibus quæ ad ipsum pertinent, aurigæ: cætera omnia sub clauibus ordine suo, & geminatis, obsignata habere conuenit: vt etiam si quoquo modo primas fallant claues, extra spem sint habendi. Hæc duriora videntur præcipiendo: nam vsu facillima euadunt. In viliioribus, & vtensilibus, interulis, mappis, linteis lecti, quæ improbi dum lauant, commutant,

(estque hoc malum pene immedicabile) nullum inueni præstantius auxilium, quam acu pingere prægrande signum, & dimensa quantitate, velut vt ob difficultatem non audeant [delere ;] duobus autem paruis, ac quasi neglectis, deprehendantur: quæ dico adesse oportere, ne alterum casu pereat: graue est enim hominem furti falsu insimulari. Memineris præterea in igne tractando vt summam omnes adhibeant custodiam, & semper ante deferatur, & vt hostis atrocissimus tractetur. Quippe nulla res, vbi non opus est, celerius augetur, & in immensum: vbi illius opera vti necessarium est frequentius extinguitur. In cæteris autem, à vino atque lignis, omnia sub clauibus, & quantu paucioribus ac firmoribus (quæ eximi nequeant, si quis vel paululum aberret, nisi certa, & occulta ratione) concludantur. Sicut ex *A* cubiculum *B* aperiatur, ex *B C* penu: *D* solum intus. Claues quæ bis aut ter circumuerti possunt, produnt dolos.

A	B	C	D

In domesticis quoque rebus habendis seruandus est modus: scilicet ne Lucullum velimus imitari, qui quinque millia vestium mutuo dedit Pompeiu roganti. Sufficiant pro æstate duæ vestes; totidem in hieme; totidem pro mediis temporibus: Eademque ratio seruetur in caligis & thoracibus, & capitis integumentis; præterquam in lineis, quæ debent esse multo plures. Nam plures his vestes, exeduntur à tineis, & à puluere; furto obnoxiæ sunt; à plicis finduntur; perit sumptus: pauciores non sufficiunt. Haneque putu fuisse sententiam Galeni. Ne fideiubetu pro aliquo. Gemmæ emendo & vendendo plurimum decedunt è pretiu; præter quatuor: margaritas, smaragdos, adamantes, & carbunculos. Causa horum est, quoniam nulla istarum ad magnitudinem conspicuam crescit: quumque pulchræ sint, ob id necessariu pretiusæ, ea de causa, quum exiguæ sint, facile à mulieribus gestari possunt in digitis, tum etiam à Principibus, quamobrem, quum vsus frequens sit, venales redduntur; & quum venales sint, pretium retinent. Erano puta, & sapphirus, & chrysolithus, & eiusmodi, quamquam raro pulchræ sint, quia tamen in magnitudinem conspicuam exerescunt, paruæ non possunt esse pretiusæ, magnæ commodè gestari nequeunt, maximè in digitis: ob id venales non sunt; & quum venales non sint, pretium retinere nequeunt. Quamobrem caro emuntur, vili venduntur. Sapphirus tamen, & balasius, quoniam non adeo cacrescunt, pro monilibus in vsu sunt: ideo pretiosæ; sed tamen plus medietate decedunt è summa: quum reliquæ quatuor paulu plus auru amittant, scilicet quinta parte. Verumtamen omnium minime iacturam fert margarita & carbunculus: margarita quidem, quoniam plures in vsu sunt simul in collaribus pro mulieribus; & ornando capite, & vestibus; tum vero singulis in monilibus & inauribus vtuntur, & in vestibus reges; & aulici, reges imitantes: carbunculus ob pulchritudinem & duritiem: quum smaragdo durities desit; adamanti pulchritudo, si ad carbunculum comparetur. Adamas etiam sæpè ad magnitudinem nucis exerescit. Carbunculus verus, quod sciam, numquam visus est, quamquam de Fadis, &c. [Indis] multa fabulentur, ob id pretium manet carbunculo & margaritæ pæne immotum; proxime smaragdo, & adamanti. Fragilium autem vasorum & statuarum vsum Principibus relinquamus.

De reliquorum autem omnium conseruatione non ita agendum est, quasi rem rusticam tractemus; sed vt per capita & methodo non vulgari eam ostendamus ita breuiter, nihil possit dici absolutius. Res ergu quæ seruantur, sunt sex generum: Cibi, potus, vestes, ornamenta, plantæ & animalia. Quæ corrumpuntur, sunt tria elementa, & qualitates (calidum & humidum præcipue; frigidum etiam immodicum: quuniam gelu omnia corrumpit, & his omnibus quæ non sua natura corrumpuntur, noxium est; oleu maxime, & aceto, & melli: hæc enim calido gaudent, quia putrescere non possunt:) & vasa, & motus: atque talia. Sed animalia generantur partim à qualitatibus, velut calidu & humido. Commune omnibus est munditi es à puluere, ab illuuie, à sordibus, & ab vdo. Vnde iam excluduntur per hæc puluis & aqua. Animalia igitur, præter munditiem summam (quam dixi omnibus quæ conseruari postulant, esse communem) gaudent cibo, potuque bono, & moderato, aëre libero, sule, & exercitatione. Frigus moderatum etiam confert: velut & siccitas. Dixi, calidum paucis, humidum nullis conuenire. Propterea & testudines & paguri & limaces, & ranæ fictilibus & farina impinguari solent, & cancri & ranæ puris aquis; cibo autem eodem. Equi tamen, & boues calido præsepi gaudent: quoniam quod exerceri debet multum, aut impinguari, calidu loco indiget, non frigido. At plantæ à frigido immodico arceri debent, aliæ condi; aliæ paleæ, & fœno, manipulis alligatis, ab imo autem stercore circumdari. Omnium [plantarum] ferme vita constat aqua & fimo; nocte tamen rore; die, sole; omni tempore aura gaudent: sed fimus vnicuique proprius. Munditiei in illis est, resecare quod putret, verno tempore, quum germinare volunt. Ob id loca aprica, & ad meridiem ac orientem posita amant; vtque imbre foueantur, naturale enim est earum alimentum: quo etiam pisces gaudent, & homines etiam, quum nullus salubrior sit portus. Ornamenta vero, vt picturæ, maxime à sole atque vdu læduntur. Gaudent liberu aëre: sed velantur, ob puluerem, quo nihil est nocentius; vt etiam tapetis, ac vestibus: vnde excuti [debet puluis] virgis tenuibus à vestibus ac pellibus : [quæ] inde condi arcis conclusis debent, cum absinthiu siccato in furno; sed in arcula posito, aut pyxide; nam in puluerem si transeat, & ipse autor est corrumpendi illas: loco autem frigidissimo siccissimoque, vt tutæ sint omninu ab iniuria teredinum, quæ maxima est. At picturæ si illitæ sint atramentu, tenui atque optimo, ab omni iniuria aëris tutæ sunt, sed etiam pulueris, modu cura adhibeatur, hodie id vdi genus vernicem appellant. Sed ciborum potuumque multiplex corruptionis autor motus (omitto nunc communia, vdum, & puluerem, & solem,

lem, &, si fructus sint, contactum, quia humido alieno corrumpuntur, torpore exeduntur, consortio incalescunt;) reliquorum vas & aër causa putredinis est. Ob id vas quidem corrumpit quæ continentur, illa vero ab aëre corrupta, vicissim vas corrumpunt: alia autem aërem vitiant; & aër etiam vas corrumpit. Aër igitur ex toto arcetur, aut immobilis redditur, aut per flatus erigitur. Exemplum capiam ab immutato. Bononiæ quum aër deterior sit, quam in pluribus aliis vrbibus, seruant, tamen vuas quasi violenta diligentia siccas & sanas, & nondum perfecte maturas appendunt filo in cubiculo frigido siccoque, huic operi dedicato, vndique concluso, vt ne rimula fatiscat. Eam singulis quatuor diebus cum candela accensa inuisunt; singulaque grana explorant; & quæ minimum marcoris contraxerint (alia non tangentes) forsicula leniter præcidunt, seruant illam immaculatam & optimam; ferme ad æstatem vsque frequens est, magna cum admiratione omnium aduenarum. Aliud: In Vmbria proximisque regionibus condunt triticum in cameris sub terra, loco siccissimo, obstruentes ita, vt ne nouus aër penetrare possit. Vincitur ille à vapore tritici: vnde etiam tum eo imbutus, tum propria immobilitate corruptus, enecat homines, si eis apertis statim ingrediantur. Ob id illi, apertis [cameris] tribus aut quatuor diebus sinunt perflari locum, donec lumen inductum non extinguatur. At sub terra etiam vinum & aqua optime seruatur, licet humido loco: quoniam ipsa humescere nequeunt, & ob id nec corrumpi; sed solum à calore vel minimo; à frigore autem, vt dixi, non nisi maximo. Dolia itaque seruantur bifariam: vel purgata ab omni sorditie, & siccata, & conclusa superius; aperto autem ostio, vt omnino, tamquam noua, nihil pati possunt, neque ab humore, quum munda sint; neque ab aëre, quum liber sit: ostiū enim quam maxime patet. Alia tutior est, ne quid residui, & melior, quum non siccentur vasa, quum odorem corrupti ligni ob id induant. Sed optimum (aërem) conseruant ex optimo vino intus seruato, aut aceto, concluso vase & immoto: à quo enim corrumperetur? nam aër inficitur à vino; vinum natura incorruptū seruat aërem; & vas seruatur ab vtroque; & rursus vinum à vase & aëre, tum, etiam aër ab ipso vase. At motus, quum non est continuus, corrumpit vinum, quia aërem nouum inducit, qui ipsum debilitat. Ob id nec vinum transmutare conuenit, nisi quum ex musto transit in vinum defecandi illud causa. Aliter aut plena vasa esse oportet, & immota, & conclusa; aut paucum & exiguum, atque conclusum & immotum; aut quotidie hauriendum. Acetum autem, vt dixi, seruat etiam magis vasa; sed sapore suo & odore illa imbuit. Aqua autem in cisterna seruatur, & in vasis, quę fluuiorum pleraque, & pluuia. Sed cocta tutius seruatur, & melior est: vt contra, gelu semel concreta, in posterum, nisi & ipsa coquatur, mala est. Horreis vero valde altis, & ad septentrionem expositis, aut ad aquilonem, qui medius est inter orientem & septētrionem, seruantur segetes & legumina, & fructus. Carnes autem salitiæ humidiore loco potius, quam tam excelso, contineri debent: quia cum sale humidi multum habent, quo suaues sunt: id si siccetur, vel cariem contrahunt, vel insuaues (sublata parte pingui) euadunt. Debent enim eatenus siccari carnes, vt aqueum totum humidum, & quicquid ex sanguine superest, & incocta pars omnis absumatur: aliter aut vermes gignit, aut rancida euadit; totum autem id quod pingue est, & integrum, atque incolume, seruatur. Sed vt ad horreum redeam, non ad boream spectet, quamvis frigidus sit; is enim ventus orientalior est, quam decet: multo minus ad alias cæli regiones, aut ventos, nisi quæ inter septētrionem & aquilonem positæ sunt. Parietes amurca mixta luto illinendi sunt, & oliuæ aut oleastri sarmentis vstis: nam curculiones hæc prohibent: neque si infestent frumentum, mouere [illud] debemus: nam immoto intra palmum subsistunt, ait Columella. Creditum est, sulphur, & origanum & conyzon omnibus his fœdis animalculis inimica esse. Poma omnia palea substrata seruantur. Dico quæ mala vocantur, & cotonea, pyra, sorba, mespila, tricocca: sed Punica peculiarem quandam diligentiam, non solum quia facilius corrumpantur, sed ob nobilitatem, exposcunt. Itaque in frumento sepeliri solent; seu quod illo omnis iniuria aëris arceatur; seu quod sic melius refrigerentur; aut quoniam frumentum, attracto humore ad se, illa siccet. Fructus passi, vt vuæ passæ, Creticæ, Illyricæ, & quæ sine acinis, tum ficus compressæ & astrictæ, loco frigido mediocriter humido in vasis vix senescant.

Ex principalibus autem præceptis etiam Aristotelis est, vt vbi fidi ministri sunt, & prudentes, distributioque recta, vt quæcunque seruari possunt, annuatim & tempore quæque suo coemantur: at vero vbi aliquid illorum desit, nimis malum est, minutim omnia emere. Vt emere discas, quod alias dixi, pro norma tibi propone illos qui magno incommodo id tamen bene agunt. Velut Iudæos, qui inuisi omnibus, & à magistratuum tutela alieni, coguntur emere vinum, frumentum, ligna; quū nil permittatur habere ex redditibus. Pecunias exiges solus extra domum, ne tui rescifcant: quia minutim colligendo soli domestici possunt noscere opes tuas, & ab his etiam in alios fama vulgatur. At si magna sit summa pecuniarum, melius est vt secrete ad te in domum deferantur, & in cubiculo recipias: nec condas antequam discesserint: sed eis abeuntibus, finge aliquem ad alium quempiam mittere, cui pecuniam numeres: post statim condas; atque hoc maxime, si inquilinus sis, aut sine secura familia. Fœnum & paleas ac talia constringe valde, vt sint tuta ab ignibus.

In curatione etiam sumptuum quotidianorum oportet præficere aliquem, qui mensæ reliquiis colligendis intentus sit: quod etiam in vsu est apud Principum œconomos: sed (ad sordidi domini infamiam euitandam) ita, vt fures solum & helluones, ac euersores mensæ deprehendas. Quod si quis eam curam refugiet, non frugi familiarem esse scito. Summa præterea diligentia adhibenda est in seruandis clauibus, & scripturis. Claues & plures sint, & conformes vsu: at quæ non nobis sæpius sunt necessariæ, vel etiam sub quibus pretiosiora continentur, sub aliis [clauibus] debent

debent seruari. In scriptis omnia seruanda, etiam inutilia; modo periculo careant: vnde bifariam peccatur: solum ex inutilibus, epistolæ incognitorum virorum, quæ nihil continent, etiam si petant impudenter, vsui esse possunt. Ad vitandam autem confusionem, quatuor arcis opus est, præsentium, præteritorum, salutationum, & inutilium.

Tutela in cognitione, vt dixi, aut difficultate. Hæc in ignorantia, ordine, duritie, tempore. Est quod ambo amplectatur, antequam detegatur, nam tempus omnia reuelat: & circa aliam arcam negocieris: quæ magnis laboribus vbi patuerit, rursum claudi non possit, quod hac ratione constat. Tabula *a b* habet inserta ferrea additamenta *g* & *h*, præter capita *a b* adhucentia & mucronata, vt compressa ab vno latere [*c d*] altero [*e f*] obcurnitatem prodeant.

D F
G H
C A B E

Hæc remitti ob ferrum, quod magis extenditur, nequeunt. Aperta igitur relicta, prodit furem. Tempus vero longius, periculum affert, ne deprehendatur: ordinis necessitas errorem affert: durities, moram & timorem. Sine fine nemo opus aggredi audet.

Pro emtione prædiorum statue maximum pretium, &, iuxta illud, vigesima in redditibus. Velut Bononiæ supposito pretio domus communi aureorum cccc, pretium maximum libræ co in singulas tornaduras, &c. tot. LXXX, pretium XVI: detraho MDC. pro domo, relinquitur XIIII cccc. Si ergo desit cannabis, &c. detrahe tertiā; relinquitur IXOC. vites cum arboribus, pro tertia, cuius vites duas portiones habent, arbores vnam; si desint, vt in incursionibus, detrahe dimidium; si non fert, totum, vt relinquantur VII. cc. aut IIII. DCCC. Hoc debetur tritico, & satis: cuius sexta pars debetur mori arboribus: qui si desint, erit pretium IIII. librarum. Eadem ratione considerabis partes, vt in tritico sexcuplum, quincuplum erit pro lucro, quantum accrescat aut minuat, &c. Et ita de arboribus atque vitibus. Vix enim fieri potest, vt omnino nudum sit. Iuxta proportionem igitur vnumquodque computa; inde adde domus pretium, & totum diuide per XXX. Redditus autem ex vigesima ad vigesimam quintam retrahere oportet, ob grandinem, pruinas, fures, bella, pestem, impensas, casos, attritus. Pactionum autem modi exemplo declarantur. Quidam vendit prædiū æstimationis aureorum MDC, pro MMM: & vt persoaderet, conducit per nouem annos precio CLXXX: numerat emtor MCC: residui soluit vigesimam in singulos annos ac: qui detracti à CLXXXX, relinquuntur XC: quos numerare tenetur emtori: sed ille computat in debito MOCCC. residui: Quæritur quanti plus vendiderit. In his omnibus, quæ inter duos tractantur, duo obseruabis: primum, quod lucrum vnius, est alterius iacturæ semper æquale: secundum, quod debemus ad vnum reducere, quod manet. Vt hic, si venditor prædium retinuisset nouem annis, haberet MOC. & pro redditibus DLXXVI, & pro anatocismis vigesimæ redditium CXIII. ferme: qui collecti, sunt aurei MMCCXC. Facta permutatione, in fine primi anni emptor debebit aureos MDCC: secundi MDCXV: tertij MDXVI: quarti MCCCCXII: quinti MCCCIII: sexti MCLXXXVIII: Relinquentur ergo persoluendi in fine noni [anni] aurei DCCCVIII. Recepit ab initio MCC. anatocismi vigesimæ DXL: & horum rursus CVIII. Collige omnes; habebit venditor MMDCLVI: habuisset autem tantum MMCCXC. habet igitur CCCLXVI. plus, sed quia hoc in nouem annis, in quibus ex replicatis anatocismis C, fiunt CLIIII; dices igitur: Si CLIIII. redeunt ad C, aureos; ad quantum redibunt CCCLVI? & habebis CCV, cum tertia. Et tanti est iactura emtoris: & tanti plus venditor distraxit. Et est mirabile, quod MCCCC. aurei, quibus ab initio pluris venditum est prædium, redierint (ob discrimen centesimæ in singulos annos, quæ est XXX. aurei, & in nouem annis CCLXX.) ad CCV. cum tertia: & colligentur aurei MCXCIIII. cum besse.

In emendo etiam res magni momenti, oportet alios submittere: præcipue si locus abprocul: & scire prius differentias materiæ, compositionis, locorum vnde adueniunt, formam magnitudinem: omniaque non solum diligenter scribere, sed in chirographis pactionum addere; ne vel decipiaris, vel litem ex re tua facere cogaris: ideoque (vt alias dixi) temporis iacturam pati necesse est ei, qui talia curat.

CAPVT XXXIX.

Oeconomica distributio & præcepta.

VT vero retineas pueros vel adolescentes, hos tibi commodos efficere oportet. Id est, vt vel ad sapientiam inflammentur (quod optimum est,) aut ad musicam; aut coniuncti causa aut ludi, aut venationis, aut pecuniæ, aut puellæ; talibus enim dominaris: Viros [detinebis] stipendiis. Omnes spes alit. Pueros (nam viri non nisi petita venia, reliquique, discedere solent) quoniam præter verbera, vel si grauius vexentur, aut seducti (vt etiam mulieres) aufugiunt, continebis, discessum præuidendo. Sunt enim antea cogitabundi; & sua condunt, & verba aliqua cum magis familiaribus effutire consueuerunt. Vbi de hoc suspicaris, interpone proxenetam ex his quibus magis fidit, (nam fugam nunquam vtilem esse duxeris) qui odisse te simulando, eum hortetur ad fugam, ac se comitem addat. Deprehensum clamosa pœna, sed non graui, castiga. Aut enim in posterum non discedet, aut citra infamiam tuam. Sed si veniam antea petit, missionem facito. Si retinere cupis, dilationem iniunge, atque interim per proxenetam quæres, quæ causa illum à prima opinione abduxit. Eam muta, & vestibus, [aliisque] voluptatibus promissis, placatum retine. Si nulla re placatur, inconstantia animi in causa est; quam verberibus cohibebis. Quibusdam enim illorum, cerebrum repletur humore; nec aliud norunt, nisi dominos & suos benefactores odisse. At si conscius sit turpis rei tuæ; vt si pro te lenoniam exercuerit; non parum est, vt per ignauiam, leui facto tuo,

tuam

tuam lædat existimationem: præsertim si iam pollicitus est, apud te se mansurum; si multa accepit, nec iniuria illum affecisti. Ergo hunc minis grauissimis, sine vllo blandimento, coërce: statuens illi præfinitum, sed non longum, tempus discedendi. Sunt artes quibusdam: alij simulant iter. Sed insaniæ est argumentum, lenem rem magnis detrimentis mutare velle, aut corrigere. Iucundi pueria sunt collusores, & qui gulæ eorum inseruint, & qui blandiuntur; quique cum illis multos miscent sermones. Scorta vt instituas, non laborabo, ad quid enim, asinum eligere pro cursore? Malorum sunt morum: cur ergo præficere rebus debes? aut quicquam illis fidere? tum maxime, quod (si etrent) tuto castigare non possis. Famulorum vafrum nuper fallendi inuentum est, edaces se fingunt, & bibaces: panes duos petunt pro ientaculo, & vini mediam mensuram, vtpote libram; carnes vel caseum, tantundem pro anre-cens; pro prandio autem & cena, quoque aut sex panes; vini binas mensuras; carnem & caseum affatim: inde duos post dies, aut tres, non solum non deuorant, sed parce edunt; vt quicquid superest, vendant, aut ad meretrices, vel suos, transferant. Nec tantum furantur eo dolo, sed putant id se iure facere posse, quod concessis vtantur; & si neges daturum ea, auaritiæ in famiam per compita & fora tibi inurunt, tamquam nolis alere famulos, qui etsi quod porrigitur absumerent, non essent ferendi; quanto minus tam dolosum hominum genus, vt diripiat? Secunda ergo cena appones speculatores, tamquam aliud agentes, quos si helluones deprehenderint, vel si omnino petant, amanda: nam præter id, quod helluant, iners est hoc hominum genus; vel fures sunt. Finge venisse quem expectabas; inuitum emittere, ob id non statim. Vel simplicius, vbi contenti non sunt recta institutione, amanda pauculos post dies, ne præsentiscant. Est autem recta institutio tricliniorum seruilium diurna, libræ duæ panis, vappæ quatuor: pro obsonio quadrantes XVII.

In institutione autem omnium, tum vero præcipue puerorum, insistere oportet, quod cura domesticorum eadem pæne sit vestium curæ: has enim scopis mundare, detergere, siccare perpetuo decet: domesticos exercere, monere, instruere, castigare. Maxime vero puerorum institutio necessaria est, quod magis ea indigeant, & melius instituantur; eosque formare licet minore cum difficultate: tum maxime etiam ob id, quod pueri sont vt vascula inania, quæ nisi bonis succis impleãtur, hauriunt prauos. Sunt etiam in omnibus (præterquam grauibus) ministeriis, viris meliores, quia magis assidui, prompti, diligentes, obedientes, mundi, minoris sumtus, & verberari possunt. Diximus autem de hoc alibi: (in Exhortatoria ad bonas artes.) Igitur laboribus sensim, & ad patientiam statim, ac continentiam, sunt assuefaciendi pueri. Misericors sis, ac mitis, mansuetusque in omnes, tum præcipuè in illos; hilaris, blandus quoque in verbis. Præterea summum errorem esse ducas, velle plures duobus, tum pueris, tum adolescentibus in domo habere, absque œconomo prudenti, & fido atque acri viro; quoniam petulantes euadunt; &, si eos verberaueris, odio te habebunt: quare, si ab œconomo castigentur; illum, vt ministrum, te, vt qui non verberaueris, non odio habebunt; vtrumque autem timebunt. Oportet enim hæc munia, vbi eis opus sit, diuidere: quemadmodum & natura & ars facere solet: vt sit quod, & quo agat. Ergo quum plures fuerint, sine pœna contineri nequeunt, quod singuli aliorum vitia contrahant, vt non solum intractabiles fiant, sed confusio suboriatur. Oportet ergo huiusmodi hominem adesse, & plurimos etiam alios viros. Imperfectum enim a perfecto superari oportet, & vt illi subiiciatur. Si enim perfectum non dominetur, actio non fit; vt etiam in naturalibus.

Domesticorum reliquorum ratio, cura, institutio, obseruatio, sit pro vniuscuiusque generaliter natura. Sont plura eorum genera: maiores, æquales, minores, coniuncti, œconomi, & humiles familiares. Maiores dico, parentes, fratresque natu maiores, aut dignitate, aut qui vsui præstantiori sunt, vel ob diligentiam, aut laborem. Æquales sunt; fratres & sorores, patruelesque, & huiusmodi, vt etiam collactanei: velut & senes, qui nobis vtiles fuerunt, vt nutrices, quamquam conditione humiliores, pro maioribus colendi sunt. Laudatur præclarum Attici factum: qui tanta fuit morum suauitate atque prudentia, vt quum matrem nonagenariam, cum qua ipse sexaginta septem annis vixerat, extulisset, neque cum illa, neque cum sorore (quæ Attico æqualis ferme ætate erat) vmquam in gratiam redierit. Id quibusdam incredibile, aliis arduũ nimis videbitur: sed bene rem considerantibus, neutri recte cẽsent. Nam officia illorum, ac beneficia (quæ tibi in tenera ætate tua tribuerunt) recordans, animumque erga te beneuolum, eorum breuem vitam, quæ eis superest, mortalium instabilem & mollem structuram, emolumentum iracundiæ atque diffidij: (quod nullum est prorsus;) miseraberis illorum potius statim; erratique libenter veniam dabis, eorum iracundiæ cedens, vt cum tuis in pace degas, omnia facile feres. In cæteris autem ita age, vt vnusquisque familiarium omnibus aliis apud te præferri se putet. Id consequeris, si singulis seorsum ministeria distinguas, secretumque aliquod communicaueris: vtpote, Quæ præferenda sint, de pecuni, vxoris pudicitia, & inimicis. Pueros autem si omnino mens sit, optime institutos habere, & firmos, ac virtute præditos, oportet illos seuero & seuo magistro tradere instruẽdos: qui verberibus, fame, laboribus, continentia summa, asperisque impetiis illos instruat extra domum tuam. Impensa non leuis: sed nil melius est in hoc negotio, sic enim optimos & firmos habebis. Nec sumtus peribit: nam paucioribus ales, & viliori indues: & tamen, ob nitorem, ornati videbuntur. Rogate oportet maiores, parentes, dominos: æquales persuadere: & minores, qui non mali sunt, sed errore ducti, aut perturbatione peccãt: at minores non æquales, qoi improbitate peccant, si persuadere coneris, peiores efficies, & vilipendent te. Ob id nil melius dilemmate. Si vis vt vir viuere, vt cum viro tecum agam: vel (si puer) vt homo, vt cum homine agam: Si vt bestia,

beſtia,vt cum beſtia. At dices, Periclitabuntur.Sed hic etiam periclitabuntur, & te contemnent. Magna ſecuritas ad prohibendum omnia mala domeſticorum eſt, vt dum ſint in domo,non poſſint claudere oſtia.Ideo habeant ſolum ſeras, quæ exterius claudantur. Et hic eſt vſus Cardinalium, & plurium cauponum: ſed hi quandoque vertunt rem in perniciem hoſpitum , atque etiam auxilium hoc eſt durius,propter noctem, & morbum, qui ſuperuenire poſſet.

Maximum autem in inſtitutione præceptum,ſed quod vix exequi poſſis in aliis quam pueris , ad cohibendum eorum inſolentiam, moreſque malos & effrenes retundendos , eſt continentia in victu maxima, præcipue vini, & eduliorum pinguium, & fructuum. Quod facile eſt videre in nobilium pueris,adeo bene inſtitutis,ob ſolam victus parcitatem : neque enim ob verbera ſe continent. Potus enim & cibi copia, præter id quod illos incontinentes & cupiditatibus indulgentes facit, efficit , vt fiant velut equi,qui arrepto freno,quum adoleſcunt,rapiunt ſeſſorem. Vnde euenit vt tales in iuuenta , quum primum metu ſoluti ſunt,& florere deberent , rapti immodicis deſideriis,exitium ſibi parent. Neque enim vnquam iuuenem continentem in victu, perire, niſi caſu quopiam,vidi. Quinimo tales,ſi ab initio in cęteris bene inſtituti ſint,ad longam ſenectutem cum gloria peruenire ſolent. Maximam ergo curam in hoc adhibere conuenit:vt,ſi dicto non ſint audientes, quamquam etiam alioqui magna virtute præditi ſint,non concipias de illis ſpem.

Porro vt flagitia, & maxime furta , explores,(vide & ſupra cap. 37.) primum tentabis iuramento terribili exhibito, vt intra annum qui peierauerit,pereat. Tum ſuper pectus ſigno poſito, dum ſtatim alleuas , cordis palpitationem cognoſces in conſcio. Ergo ſi proponas pœnitentiæ diei ſpatium, facile fiet, vt clam ob metum reponant. Alias in libris De ſapientia modum prodidi , quo autores ſemetipſos detegunt. Sed nulla tutior via , quam diſſimulata re,paulo poſt omnia quaſi aceruatim in cubiculo colloces , ſic vt tumultuarie poſita videantur , tum etiam , quaſi oblitus, marſupium (curioſius tamen reconditum, occultatumque) relinques. Inde ſingulos, diuerſis ex cauſis,atque vnum poſt alium ſic mittes in cubiculum, vt ſemper explores,an qui iuit ſuſtulerit aliquid,aut loco mouerit. Plurimũ tamen negotioſis (vt mihi) ſemper profuere claues ad vitanda detrimenta magna, tum maxime duorum generum : hæ ſcilicet quæ eximi nequeũt & mutari, &c. de quibus ſupra diximus. Quum vero fruſtra quærimus furem, tantis agendum eſt tamque grauibus animaduerſionibus, vt fures pœniteat facti,nec eo incitentur,ſed pœna potius deterreantur. Quum domeſtici laternam heri ſuſtuliſſent, peieraſſentque magno periculo,omnes qui in ſuſpicionem cadere potuerunt, ſtipendio, veſtitu, verberibuſque ſic multaui, vt receperim , detecto etiam furti autore. In dolis autem (vt alias dixi) repetita diſtributione aut narratione deteguntur. Quum verò furtum vile eſt, nec detegitur,diſſimulare oportet, nam & facilius diſſimulando inuenies autorem , & detegendo audaciam aliis adderes ad furandum, etiamſi fures natura non ſint. Secus , ſi detexeris,tam acriter inſtandum,vt dixi,vt potius acerbitate metus & pœnæ deterreantur,quam quod lateat, incitetur. Propterea quod optimum eſt in huiuſmodi caſibus, ſed incomparabilis induſtriæ,eſt vt quæras, & experiaris, & non detegas. Indicium autem conſcientiæ eſt hæſitantia in repentina interrogatione. Vt vero illos explores,(maxime pueros,mulieres, adoleſcentes,) ſortem mitte ſuo tempore , ne huius, [furti cauſa factum videatur:vt incidant triſtia læta. Nam contumaces & duros videbis irridentes,melancholicos iraſci,timere,gaudere tamquam de re præſentes,prudentes,tacere,ſimplices multa interrogare,voluptatibus deditos,parum curare , fures & doloſos, ſuſpenſos paulisper ſe continere, inde ridere. Aliter hoc experimentum facere nec admittere non decet : nam improbi fiunt audaciores,aut cautiores, timidi ferme fiunt inſani,ob metus inanes,& nimias ſpes. Pecunias ne tracta occupatus,neque quum tempus vrget ad aliud negotium: ſed exime eodem ſub numero , vt deprehendas furtum. Variando enim biſariam contingit decipi , & vt credas fruſtra te deceptum : & vt decipiaris, nec deprehendas. Sed ſi vicinus fur ſit, & domeſticos tuos ſollicitet,mala merx eſt. Corrumpet enim perpetuo domeſticos tuos. Neque enim quiſpiam ſponte à flagitio lucroſo diſcedit. Ob id iure agere expedit, aut tuos domeſticos cum illius domeſticis,& cum ipſis,committere:adeo vt ſemper odiis execrabilibus diſiuncti ſint. Si pauperes ad tuos veniunt non certa neceſſitate,furtum , & domeſticos tuos fures eſſe,declarant. Nam quum vel precario , vel dandi,vel accipiendi cauſa neceſſario veniant, pauperes autem nec precario, nec dandi cauſa veniant,reliquum eſt,vt accipiendi. A quibus autem ſine conſenſu tuo accepturi,(oportet enim eſſe qui dent) eos neceſſarium eſt fures eſſe : maxime tum opus eſt diligentia, quum lex eſt, & domeſticus fur , cuius fidei credita res eſt , (ſtulta ſane & ſtultior ratio, &c.) capitali pœnæ obnoxius non ſit. Indignantes ob iram tuam,maxime pacibus ſimulata amiſſione rei, tamquam furto ſubrepta, inde inuenta,& multa circa hoc loquere:nam gaudent ſimul exemptam ſuſpicionem , & merito quaſi irato, veniam vltro dant. Memineris autem,quum ſolus es,ſeu nummatus ſis, ſeu alienigenarum familiam habens , ſemper vna claue aperta,alias concludere , imitatus carceris cuſtodes. Ita etiam ſolus theſauros tuos tractabis,& occulte,nedum nemine præſente:Vt bonum ſit habere geminata oſtia,ne exaudiri ſtrepitus [nummorum &c.] poſſit. Nec confidas, quod pauca habeas. Nam multi exiſtimabunt multa eſſe:& quibuſdam pauca ſatis eſſe videntur. Vnde plures videas ſpoliari mulierculas,& pæne mendicos iacere iugulatos in via,quam diuites.

Vt vero incommodos domeſticos corrigas, aut ableges,huiuſmodi ratione vteris:Primũ, cauendo ne quemquam alas inutilem : Dico contumaces,infidos, inertes,nugaces, ſeditioſos, ſtultos , vel qui te oderint, aut bonis tuis inuideant. Statim , quandocunque talem eſſe deprehenderis , ſumta occaſione , per œconomum

mum, paucis donatum amanda : nisi grauiter deliquatur. Tunc enim acerbe per illum increpitum, minis etiam additis, protrudes è domo. Secus, plenum spe dimitte. Maximè iuuat, si pro mulione cocum; pro cubiculario musicum quærere te fingas : nam non frugi homines nihil moratus, è domo ablegabis, antequam te grauius offendant; & consuetudine absentiam molestiorem ducas : aut intima cognoscant : ob quæ, qui solertes sunt, improbitatem diutius tegunt. Quod si quis talium, studio suo, aut ignorantia tua [socordiave,] arcanorum tuorum factus sit particeps;) etenim.

Scire volunt secreta domus, atque inde timeri:)

Tunc illum extra regionem, aut saltem extra vrbem ablegabis amicè quantum potes, & monitum vt sileat. Neque laudabis eum plurimum, ne testimonio tuo facias vt quis de te merito queratur : nec maledices prorsus; ne pœnam reddat talionis, & vberem. Quod si nulla læsus iniuria, arcana tua non desinat effutire, per potentem virum illum quibus potes modis exagita; tum magis, si in vrbe sit, contumeliis, minis, iniuriis, litibus fictis, insidiis, ac terroribus, inimicos illi conciliabis, vt sui tantum meminerit. Quod si nec sic quieuerit, summito personas, quæ illum aliam in regionem, numerata pecunia, & maiori spe euehant. Et, si nec id efficere queas, submitte exploratores, qui odorentur cuias sit, quibus parentibus ortus; quæ in vita egerit, quæ illi acciderint, quibus sit notatus suspicionibus. Vix enim fieri potest, vt in tam improbo viro multa non occurrant, per quæ illum possis euertere. Nam quæres etiam qui fuerint illi inimici, aut æmuli; quæ conditio : crimina quoque, etiam coniunctorum, aut maiorum. Vix quisquam in tanta segete immunis esse potest : quanto minus improbus, & in quo suspiciones etiam leues pro criminibus habentur? Quibus paratis, molibus omnibus eum aggredere, vt exemplo sit aliis, perfidiam erga te nulli vtilem aut tutam esse posse. Ita illius contumaciam & improbitatem, eo etiam euerso, comprimes & franges. At si pueri sint qui peccent, animoque malo, grauiter & raro; inertes, sæpè & acriter verberandi. Non castigare illos, est sibi dominos comparare; sæpe grauiterque, crudelis est viri, & improbi. Viros stultum est contumeliis, stultissimum verberibus afficere, seruos esse oporteret : ergo admone: si non parent, vt dixi, amanda. Quæ ratio in mulieribus etiam seruanda est. Oportet autem iniustitiæ quandam speciem præferre; vt in magnis nonnunquam conniueas, & exigua castiges; maximè in pueris, mulieribus, & veteribus domesticis. Nam si magna delicta solum punias, magnam mediocrium & paruorum segetem congregabunt : si solum parua, res iniusta, & mali exempli; & si magna & parua, crudelis videberis. Ne quid ergo securum habeant, magna pleraque castigare oportet, exigua nonnulla. Ita quum parua plurima sint, magna valdè pauca; si in magnis aliquibus conniueas, magis parua quam magna punire videberis : atque ob id iniustum te existimabunt. Similiter & in Principatu. Sed animum & causam in vtrisque spectare oportet.

Consilia famulorum & ancillarum ne recipito, nec quod commemorant facito. Fies enim illis subditus, & non exiguo te exponens periculo, ne sic te decipiant. Iube tamen vt de singulis te admoneant : vt non tum, sed pro occasione consulas rebus tuis. Omnes autem, quum plures fuerint, sub œconomo in operibus retine, Desides non labora vt emendes. Hoc enim solum vitium inuictum est, & cum quauis ætate crescit; quod in defectu & priuatione consistat. Quod maximum est similibus, est vt dicas : Ego vnum tantum famulum alere possum; sic duobus opus esset. Si minus sit obsequens, postquam semel monueris, etiam id adiicere potes : Videris mihi causam discedendi quærere. Acerbitate verborum ne vtaris, nisi quum peccauerint : tunc enim viros vultu minabundo terrere, pueros placide flagris cædere, duriores fame, laboribus, vinculis, frigore (sed absque periculo) domare oportet. In recipiendis autem novis [famulis,] cauendum est maximè his qui optimos domesticos habent. Trifariam enim periculum incurritur : ne vitiis suis & exemplo illos corrumpant, & ne dum æquare aut superare eos gratia conantur, (tum ob naturalem instinctum, tum ob improbitatem,) summa ope nitantur, vt quos virtute propria præcedere desperant, eos iam deteriores factos superent, aut ne eos calumniis detrudant, vel te persuaso, vel illis iniuria irritatis. Atque hoc periculum longè minus est, quum tui non optimi fuerint.

In castigandis autem adolescentium erroribus non ad parentes aut fratres confugiendum : autoritatem enim [tuam] minuis, & odiosum te ipsis reddis, quod in his qui simul viuere debent, valdè absurdum est, maximè ob insidias. Ergo quasi ira victo excandescere licet coram domesticis. Breuis autem sit oratio, quæ plus contineat minarum, aut autoritatem retineat. Seorsum autem monere oportet, non quod errauerit, sed quid agendum, ratione non addita, ne vilescat imperium: illum verò factis castigare; minuendo libertatem, inhibendo etiam quæ iucunda sunt, vultum tristem præferendo. Licet & paucis admonere de fine : velut, An eligat seruum esse an imperare? inopem, an diuitem? contemptum, an honoratum? atque hanc esse viam: Patri hæc aut coniunctis significaturum, dimissurumque, &c. atque id si perstet. Tum verò vt vitia prorsus è domo elimines, exemplum regis Iehu imitare (2. Regum:) qui quum vellet idololatriam ex Iudæorum gente penitus extirpare, quæ sæpius extincta repullulauerat, finxit se idolorum cultui addictum: tum emersere qui latebant, quos vt cognouit, extinxit, liberauitque populum. Aliud : Quum ad laborem aut periculum hortamur, strenui est, & sapientis, etiam ducis, vel patrisfamilias, inchoare rem. Vt qui primam sportam in effodiendo Isthmo detulit. Qui vero non sponte sequuntur, eos vt omninò inutiles vlcisci oportet. Magnum enim hoc est incitamentum. Ita & in domo præstantiores habeat, qui eius domi initiis præsint. Quum vero dimiserit aliquem œconomus, curet vt cuncta prius referat, nec numeret mercedis residuum, nisi ipso momento,

quo discessurus est; vt tutus sis, ne aliquid subducat. Nec spem rursus recipiendi exime prorsus.

Pueros ne magna conditione accipias, vbi enim creuerint, maiora cogitabunt; negotiumque apertè vel occultè tibi facessent, & suam conditionem virili maiorem (quum inutilis sit) mirabuntur; ac si quis turdum emeret mille coronatis: seu dolum suspicentur, omnia audebunt, iniuriisque ac dolis te petent; vt, etiamsi dissimulent, cogaris eorum arbitrio viuere. Non ergo vltra victum dabis multo plus aureo in singulis menses: nec deerunt commoda sic: & [manebis] absque suspicione atque iactura. Licet & addere pollicitis: & erunt illis gratiora, & minoris sumptus.

Vt vero suspectum explores, præter alia, magnetem ceruicali suppone: iuuat autem, si viderit ducentem remum quo velis: id si per alium nouerit, auferet. Neque enim verisimile est, tantum posse vt efficiat imagines [magnes;] & si viderit, vt loquatur: & si etiam narraret, vt &c. ea quæ quæris.

Memento, quum plura supra docuerim (c. 37. & 38.) ad tutelam nil melius esse, quam cognitionem. Ideo & primo modo & tertio vteris: sed ita, vt extra domum, quicquid perire nolis, traducas. Cognitum omninò eiice: nam etsi tutissimè cuncta clauseris, septem semper supersunt: vis, & securis, venenum, diurna furta, stupra, corruptio familiæ, accusatio in iudicio, quum nullum innocentiæ præmium propositum sit. Non inutilis tamen est tutela etiam sola his qui multas opes habent, velut trapezytis: & ob proprios malos; quos non tam facilè eiicere licèt; vxorem præcipuè; inde parentem, filium etiam, fratrem, coniunctum quoque, & cum quo diu conuixeris: deinde etiam generaliter propter omnes; donec in coniecturam vnius è septem modis reliquis perueneris.

CAPVT XL.

Societas & conuersatio: & de officio, & pietate.

POst hæc de societate, tanquam omnia cõplectente, dicamus. Verum neque quomodo paretur, aut seruetur, aut ea vtamur, locus est dicendi, sed vbi de amicis sermonem habebimus: hic autem solum quales [socios] eligere oporteat, docebimus. Oportet ergo similes eligere, quantum fieri potest: non solum quod, vt dici solet, dissimilium non diuturna societas: vel quod vel illos, vel te ipsum aberrare in iudicio, si dissimiles sitis, necessarium sit: Sed hoc semper fieri non potest. Nam senex si senibus tantum vtatur, quantum consilio pollebit, tantum opere & actionibus, & in aggrediendo deficiet. Verum in huiusmodi casibus, per media iũgere debemus dissita valdè. Equidem si senex opulentus & eruditus, iuuenibus stolidis ac pauperibus vtatur; si clientibus, irridebitur ab illis; si familiaribus, in perpetua erit molestia. Neque enim parebũt illi; atque multis etiam afficient incommodis. Porrò in similitudine primas partes ætas sibi vindicat: post mores: inde studia: demum opes. Senes benè pueris ob id sociantur: imbelles enim propter ætatem vtrique: sed ambo contemnentur. Meliores sunt, minus senes; vbi autoritate domini ab aliis venerentur. Vt vero dissimilium, periculosa est & grauis societas; tum maximè, si repentina sit, nec benè cognita. Diuitum enim & adolescentum & insolentium (quos nec metus nec pudor aliquis coërcet) molestissima & intoleranda. Cæteris autem sæpe explorator pro socio colitur: quod quam malum sit, præsertim afflictis, vel laborantibus inimicitiis, vel iis qui extra patriam sunt, non est vt dicam: ad perniciem enim res tendit. Porrò vt cum sociis gratiam ineamus, non solum beneficij collatio, sed etiam acceptio confert. Natura enim comparatum est, vt quemadmodum & exigimus compensationem, & cui debemus, plura debere volumus, ita etiam, à quo deberi volumus, etiam plura deberi cupiamus: sic tamen, vt beneficium sit spontaneum, non coactum; nec iniuria, nec ingrato animo sociatum. Tunc enim molestum est, si quicquam patieris. Cæterum quomodo id fiat, quidve in his agendum, suo loco, vbi de amicis agetur, tractabimus. Quum verò in longa conuersatione sæpius occurrant viri incogniti, coram quibus quicquam serij sermonis serere stultum fuerit; rogare qui sint, non tam inurbanum, quam videatur intempestiuum. Si verò ille te agnoscat, sciatque tibi esse ignotum, serat tamen cum hoc serios sermones, malus est irrisor. Sed caue ne credas illum perperam scire, se tibi ignotum. In vniuersum id ages, si interpellet, vt te subducas, testatus statim rediturum: atque tum per vnum è tuis curabis, vt scias quis sit. Malum enim non solum est, sed etiam turpe existimatur, apud hos qui omnibus notos esse se putant, atque [tales] creduntur, te solum eos non noscere: aut enim ambitionem maximam, aut stuporem quemdam, aut summam negligentiam ostendit: quorum primum, vt odiosum te reddit, & (nisi aliqua in parte excellas) etiam stultitiæ opinionem affert; ita reliqua contemptum, & vt eiusmodi hominem te existiment, qui nulli vsui aut negotio idoneus sis. In sociis autem parandis, eos quærere non oportet: sed ex his quos Fortuna offert, assidua conuersatione probatos eligere. Maxima vero difficultas est cum impudentibus, qui petaces sint; nã reliquos apertè ablegabis: hi enim, & dum petunt damnosi, & seu cum illis verseris, seu fugias, ex æquo periculosi. Quapropter omninò illorum conuersationem vitare statim oportet. Quod si se insinuent, tu apud amicum lateas aliquamdiu. Maxima autem vis est in his: de qua re pluribus in locis sermonem habebimus. Nunc adiecisse sufficiat, cauendum esse, ne potentibus associeris, cum quibus olim simultas intercesserit: Nec stultis; aut admodum auaris: hi semper damnosi, aut iracundi: (cum his enim periculosissimum est versari:) vel dolosis, ac simulatoribus: inutiles enim semper sunt: Neque cum his, quorum mores aut opiniones è regione [cum tuis] pugnant: Neque cum illis, qui quod præcipuum est in te, spernunt, omnino enim ibi nihil vtilitatis aut gloriæ, aut denique boni sperare potes. Quod si præter id, de te maledicant, deteriores longè sunt inimicis; nam eis magis creditur.

Cum

Cum ipimicis, pace recooiciliata, omnia in integrum restituuntur: at famam malam de te vulgatam, nec biennio toto redimes. Hos etiam vile; illud generosum est, exercere ioimicitias. Maiora autem hæ mala sunt, quo illi fuerint potentiores. Si vero stultorum aut simplicium patrocinium à potentribus tibi iniungatur, quos tu quum etiam iuueris & laudaueris, damnum tamen fint allaturi; quamvis multis modis occurri huic incommodo soleat; nil tamen melius existimo excusatione Erasmi mercatoris solertis atque felicis viri. Is enim rogantibus respondere solet, se non esse idoneum: & si centies ille repetat, aut per alia verba hortetur, aut causam quærat, noo alio vtitur responso, sed in eodem perstat. Præcipua vero quæ in sociis quæruntur, sunt probitas, prudentia, excellentia alicuius artis, & efficacia. Omnis societas est velut corpus, quod per se graue est. Propterea vt duo ex his adsint, conuenit. Eruditi literarum raro adeo mali sunt, aut imperiti, aut graues. Itaque si duo ex horum contrariis adsint, præcipue literarum imperitia, & improbitas, aot vita scelesta, omnino eos deuitare oportet.

Sunt etiam quidam homines quasi ominosi, qui arrogantet, ob illorum mansuetudinem, in amicitiam & negotia potentium se insinuarunt. Idem si tecum facere tentent, & cedas; qnid turpius aut periculosius, quam improborum, nec amicorum, nec sociorum arbitrio viuere? Si reiicis, cum communi amico, & forsan valde vtili, te committunt. Itaque in his perpeti necesse est quædam; & verba pro verbis dare. Est autem infelicitas.

Porro sunt præter hæc duo genera societatum: tutelare, & onerosum. Primum quidem facit ad humiliores, ne à potentioribus opprimantur: vtile sane inquilinis, & tenuioris fortunæ viris. Est autem triplex: ab arte; vt fabrorum, aurificum, tonsorum, mercatorum: populare, vt Romæ tribus: & cultus honesti gratia, quas vocant Scholas, aliæ quidem Academicorum, aliæ religiosæ, in quibus etiam cura pauperum habetur. Vitia sunt in his, & abusus, vt in cæteris bonis: & Academicorum &c. pernicies bonarum litterarum, quoniam imperitis abundant, & qui à Principibus aut Senatu sprenerentur, nomen sibi vendicantes, dum falsam doctrinam spargunt, inficiuntque rempublicam hæresibus, & malis consuetudinibus replent; & contemtum bonarum artium & eruditorum pariunt. Et est adulationibus res plena. Atque nunc tota Italia referta est huiusmodi lue. Quæ vero specie religionis coit, sed mentitur eam, dolos armat: aliis tempus adimit. Onerosam [autem societatem] quandoque recusare non licet: [hanc igitur] alacriter amplectaris. Minus periculi affert amplecti, & deserere paulatim, quam recusare.

In societate quoque cum amicitia, quam stabilem esse cupis, non id age quod plerique faciunt, vt in Chimæricis fundamentum iacias: sed velut boni chirurgi, & architecti: hi quidem ad solidam terram perueniont; illi ad carnem viuam; antequam faciant superstructionem. Ita postquam aliquem [honestis officiis &] lenociniis [oon] fucatis inuitaueris, & continueris, vbi vtilem tibi fore existimaueris, ac ad amicitiam aptum, vtpote prudentem virum, legere illi causam, spem, modum, finem, labores tuos, ac mores: vt si conuenire possis, ansam noo relinquas discedendi: si non, recedas quanto citius: sed adeo parce, ne si delusum se existimet, tuis te verbis possit conficere.

Præterea turbam omnem vitare decet omnes quouis modo imbecilles, (præcipuè conclusam loco arcto,) & eos qui grauibus laborant ioimicitiis, & eos qui inuidia, & eos qui præsidium secum validum non habent; & togatos omnes, nisi ordine in pompa cum sui similibus procedant: [Vitanda itē eis sunt loca,] vbi ludi fiunt cum armis, aut ignes iaciuntur; vel si seditione laborent ciues.

Quæ vero ad officia spectant, à Cicerone & Seneca abundè tractata sunt: vt repetere concise, quæ sufficienter tractata sunt ab aliis, stultum sit. Solum ea repetam quæ ad Christianam pertinent: hæc enim sola vera philosophia est, religio nostra. Cuius (tum propter futuri seculi expectationem, quod quidem infinitum quum sit, hoc autem momentaneum) insani prorsus esset, non habere diligentissimā obseruationem. Differt autem hoc ipso solo à communi officio boni viri, qnod vbi prodesse possimus, auxilium neque negare, neque dissimulare, nec etiam vltro non offerre non licet; etiamsi sit vir pessimus, ingratus, & inimicus. Ad hoc ipsum rediguntur omnes difficultatea quę propriè sunt sanctitati. Nec rationi naturali hac in parte est acquiescendū: sed opus est vt sequamur autoritatē sacræ paginæ. Excipere igitur primū oportet alienā iacturam: vt nō simus in hoc nimiū misericordes. Benefacere enim iniustè vni, vt malefaciamus iniustè alteri; nil aliud est, quam facta compensatione bis iniustè facere. Sed & vt non sis [iniquus] iudex: nam scriptum est, Diligite iustitiam. Tertium est, vt oderis improbitatē, & impietatem; non inimicum. Quartum est, vt [si] liceat discedere ab impio: non ei malefeceris, nisi vt te serues. Exempla habemus in Psalmis plura de hoc. Quintum, vt tamdiu sinamus illorum corpora periclitari, vt numquam animę obliuiscamur, vt docet Paulus ad 1. Corinth. cap. 5. Sextum, vt sciamus fidē exigi ad Deum: &, vt confidamus illum gratia diuina posse præstare; vt in Euangelio Matci, c. 6. Sic Sancti illi non omnes sanabant qui offerebantur (fuisset enim infinitum,) sed in quibus fides & merita constabant. His ipsis si ergo quempiā amicum (gratia exempli) possis sanare, aut monere, aut iuuare, non sine periculo tuo, vt ille te non detegat, & res communicetur cum successu, quæ tibi nota soli emolumento erat; si non succedat, vt irridearis; & quum alij eo singulari abutantur, si ipse plenam in te fidem non habet, non teoeris. Fides enim si exigebatur in Sanctis, quamuis opus naturale sit, aut ciuile, non te magis potest prægrauare, quam Sāctos, quum solum ex pietate & religione tenearis; licet sine fide possit operari: Si autem plene de te confidit, teneris: sed tamen quum perfectam possit erga te obseruare fidem, nullum subis periculum: nam secretum non promulgabit aut deteget.

In sociorum conuersatione quædam sunt, quæ

quæ solum ad te pertinent; in quibus sufficit vt recte te geras & modeste, alia sunt communia cum aliis, in quibus necesse est præter id vt aliis molestiam non parias. Exemplum habes eius qui cithara pulsat solus, & qui cum cum aliis cãtat, quique solus edit coram aliis, & qui cum aliis sedet in conuiuio. Porro quod maximum est in officio, est vt scias cui reddere debeas; & cui tenearis, etsi non possis, reddere. Tria autem sunt, quæ te obligant: Voluntas, labores, aut incommoda, vel impensa, etiamsi non sponte id susceperit; & bona fortuna, quæ ex actione illius subsecuta sit. Secus, si velis videri obligatus, adulatoris est, aut stulti, aut plane deceptoris. Itaque gratiam præter hæc agere non licet, ne irridere videaris. Licet tamen secus officium præstare, non tamquam persoluas acceptum, sed quia probus ille sit, aut dignus cui impertiaris. Vbi dubites an reddas, melius est reddere immerito, quam non reddere merito. In verbo, contrario modo.

Deuitare in vniuersum oportet duo genera hominum: qui celeriter loquuntur, ne quicquam eorum fidei committas: quum enim sic loquuntur, cogitare diu quod volunt, nequeunt: quare vt consilio careant, necesse est. Ergo à bestiis parum differunt; & quanto illas cognitione superant, tanto sunt ob humana vitia nequiores: dico auaritiam, itã, luxuriam, crudelitatem: inconstantia vero pares. Valde etiam magnos [euita,] ne in illos beneficia conferas: sunt enim natura ingrati. Atque huius rei experimentum magis cognitum, quam ratio euidens. Et scias, quod omnis loquax est deceptor, si ex sententia loquitur, aut stultus si incautè profert. Et ista sunt signa certissima, quæ diuisiune demonstrari possunt.

CAPVT XLI.

Amici.

IN amicorum autem conuersatione primum caueas, ne dum laudare illos cupis, quicquã, quod in malam partem trahi possit, dicas. Velut quidam, quum laudare amicum vellet, dixit: Magnifaciatis hunc, nam etsi eum sui contemnant, vir tamen egregius est. Nam primam partem testatam habuit, quod ab amici ore proficisceretur; secundam quomodo probabit? Multum interest, vtrum dicas, Hic facere nouit, etsi non tam bene dicere: &, si dicas, Bene dicere nouit, & melius etiam facere, hoc ad laudem faciet: illu inimicum efficies. Quod si magnanimus sit, tum (vt in aliis omnibus) plurimum iuuat beneficia commemorare accepta, offensarum non meminisse. Vt vero illorum animos seu aliorum explores, epistola historiam gestorum tuorum explicabis; vnde tibi commodum magnum, aut incommodum euenerit: ex responso autem deprehendes qualis sit. Coram multa pericula incurris. Quare & in epistola, in qua librum dedices illi, & in alia omni publica, ne nimis, vel ne ieiunè, vel non oportunè, vel ea in re, in qua noller, laudes, aut irrideri, aut vituperari, aut turpe laudari à te putet. Laudare præterea vt vituperaturum, aliquanto mollius esse constat, quam Biantis, *Ama tamquam osurus.* Caue etiam, ne omnino te ostentes, seu verbis, seu diligentiæ specie, in amicis adiuuandis, nam, vt plus niteris, forsan minus præstabis. Et, si non successerit res, palam hoc adulatorem aut impotentem te declarabit. Horum altero contemneris, altero eris odiosus. Quod si obtinuerit, videberis aliis (quibus ille se debere etiam plurimum putat) beneficiis meritum & amici gratiam erga illos eripere velle. At Cicero, inquis, ita faciebat: vt in epistola ad Lentulum. Multum possunt vitia temporum & ciuitatum: & tum ille omnia posse eloquentia videbatur. Ideo licet his, qui causæ domini sunt: Imo curare debet, vt ille intelligat, hoc fecisse. Magis enim delinqueret, si id non ageret, quam qui quum non possit, nimiã tamẽ præferre vult diligentiam. Si coram aut publicè laudes, memẽto illius Poëtæ.

Tydide, neq; me valde laudes, neq; vituperes.

& Ciceronis :

Nolo esse laudator, ne videar adulator.

& Euripidis in Hippolyto:

Hoc est quod mortaliũ bene ciuitates cõditas,
Et domus perdit, nimis elaborata orationes:
Neque enim auribus iucunda cõuenit dicere:
Sed ex quo aliquis gloriosus fit.

Hoc vltimum est illud quod nos iuuat, & illum. Abest enim ab adulationis suspicione, quum tamen valde placeat. Velut in epistola Archimedis, & Apollonij Pergæi.

De qualitate considerandum est: & præcipue quinam sint apti maxime ad amicitiam. Memoratur seruus ille Antij Rectionis, dignior vt ipse nominaretur, non dominus: quũ ab illo vinculis constrictus, & stigmatibus in fronte notatus [fuisset, tamen] dominum proscriptum, quem perdere lucrum erat, magno suo periculo seruauit. Quod & in mulieribus visum est: Velut in Antonia; quæ tamdiu luctũ retinuit. Multa apud Tacitum [eiuscemodi] adducuntur exempla. Deinde quomodo tam arctam [amicitiam] conflare possis; inter Epicurum & Metrodorum. Et natura quidem eligendi sunt constantes, & melancholici, & qui non facile ab affectibus distrahantur. Hos videbis à pueris vno aut duobus sociis contentos: atque cum eis assidue conuersari. Atre quærimus officiosos, patientes; & iam amoris igniculos erga nos ostendunt, similes moribus, beneuolos, misericordes. Plerumque autem mollieres animos amor occupare solet, vt in mulieribus, & adolescentibus, & lenibus moribus. Plurimum etiam potest assidua consuetudo, & longitudo temporis, vt experientia docet. Auari vero neminem amant: cum his tamen quandoque firmam licet contrahere societatem, vtilitatis causa, quanto vero minus auari sunt, eo magis cum eis amicitiam contrahere aliquam licet. Auaro amico nil inutilius semper: sæpe etiam damnosus est [talis amicus.] ideo omnino fuge.

CAPVT XLII.

Occasio.

PRæterea occasionem in omnibus actionibus ac sermone obseruare decet. Nihil enim in humanis maius est, seu propere agendum

dum fit, vbi celeritate opus est;seu differendum,vbi cunctatio est necessaria. Et plerunque in actionibus maius est periculum in mora; in verbis autem, si intempestiuè. Quum enim anticipaueris, aut obliuiscuntur,aut vim amittunt verba & preces: quod si repetas,gratiam haud habent, & iam auxilia aduersum illa comparatunt. Quin, quod maximum est, non percellunt animum; in quo spes est omnis seu acroamatis seu fabulæ,seu exempli aut orationis vehementioris, vel artificiosæ. Sed iam ad singulorum generalium præceptorum tractationem deueniamus.

CAPVT XLIII.

Quomodo animi & corporis firmitas seruetur.

ET primum doceamus quonam pacto valetudo firma seruari possit tam animi quā corporis. Videntur tria necessaria nobis: Vita, vsus, & vt non impediantur excrementa. Vsus vitæ est maxime in externis sensibus atq; internis. Ob hæc igitur tria custodire oportet: oculos,aures,cerebrum. Impedimenta excretionis maximè circa vesicam fiunt propter vrinas. Vnde lapis,scabies & similia, per quæ flagrat mictus, aut impeditur, aut supprimitur,quod est mors. Vitæ instrumenta tria rursus. Dentes,ventriculus, iecur. Omnia igitur septem. Seruantur quinque rationibus: Somno proliao,in strato non calido,sed velut è serico,vel fronde: Euacuatione excrementorum: Exercitatione tum generali, tum vnicuique horum membrorum propria: Victu:& Aëre. Aër si paruus sit,cubiculum ac trieliniū emēndantur igne, & his quæ odorem reddunt maximum & iucundum, inter quæ Belzoi, seu dulcis assa,& styrax,& quid aliud [tale.] Huiusmodi ergo in pluribus vasis apertis cubiculo inclusso habere oportet. Etenim & hoc accedit ex Philosophiæ naturalis scientia, vt intelligamus, quum odor & per vapores & speciem multiplicetur, & contenta in aëre, & substantiam emendari. Sed & flantibus validis & frigidis ventis aperire sæpe,imo etiam singulo die,semel saltem,cubiculi fenestras:& exercere se in libero aëre. Demonstratū enim est in libro De venenis,aërem etiam pestilentem(modo non flet ventus) in dimidio horæ, vel hora, aut duabus nullam impressionem facere eius qualitatis qua inficitur: adeo exigua est,& insensilis. Victus verò parcus, simplex;è rebus bonis,bene mandendo, & si duri sint cibi,diu coctis:(multum enim refert diuturna coctio,si cibus sit durus, aut malus, aut homo debilis,aut vorax:)& ab exercitatione: Et exercitatio purgatis iam excrementis; itaque vt vndique sentiat se vacuum,& cibi appetentem. Deprehensum est autem subtilissima ratione, & experimentis certis, inediam exactam,esse verum aurum potabile, quo vita omnino sana, vsque ad centesimum fermè annum, deducitur. Vt apparet in Aloysio Cornario:qui nonagesimum octauum agit annum, integra sanitate; & aliis. His verò qui eam normam obseruare non possunt, expedit, vt quam pauca vino vtantur, ac lenis aqua autem plurima, si bona sit, nam aqua vtilissima capiti est:iecori quoque & ventriculo melior, quàm vinum;& mentem seruat. Vtatur vua passa, amygdalis; & (si fert) auellanis:si fenea;pistaciis,oui vitello,ruta, petroselino,absinthio, pane optimo, paucis carnibus assatis;non caseo, nec elixis, nec farina. Vtatur melle,& saccharo. Cibus sit simplex; pisces squamosi,leues,assati;modicus.

De insidiis vero inimicorum suo loco dicetur. Tertium genus periculi est à propriis. Propterea præterquam filio,& fratri hæredi, non cohabitabis. Mulierem autem hæredem habere, longe periculosius. Multi enim talibus occasionibus inhiant. A casibus vt tutus sis, optimum elige locum in his quæ consueta sunt:vt in via,sub fornice;in carpentro,angulum extremum;vt etiam excussus, decidere non possis. Huiusmodi haud leuia sunt.

CAPVT XLIV.

Quot modis homines in officio contineantur: & de beneficiis collocandis. Veneratio quid?

SVbit post hæc cura continendi homines in officio:quæ maxima (vt dixi) esse debet;vt etiam illorum voluntatem augeas. Præstant homines officia: Vi, aut Metu,sed de vi hic loqui propositum non est:Metu in pueris solum vtimur: quamquam & in his amorem miscere, peropportunum dixerim. Sponte autem tribus modis:vt omnes sint quinque:Natura,consuetudine,misericordia;spe etiam:Est autem spes voluntatis inconstantis stimulus. Quique spe seruiunt, varie officium præstare solent. Medio modo,qui ratione,aut memoria beneficij,aut verecundia,aut precibus mouentur. Preces enim nonnunquam fatigare [solent] homines: præsertim eos qui non tam nolunt negare,quam non præstare. Et compositio [modo;] qui optimus est, Veneratioque vocatur. Constat enim [Veneratio] amore, timore, pudore. Hunc filij parentibus; & regibus bonis subditi; tum vero Deo ac Sacerdotibus præstare solent. Continere autem singulos oportet, augendo in illis affectus causam:vtpote beneficiis, pro opportunitate, & frequenter,sed leuibus; maxime humiles personas. Tribus igitur modis extra ordinem, totidem ordinariis,duobus violentis.

Circa beneficia ergo collocanda,tum etiam officia,copiose Seneca libris septem, Cicero tribus scripsere. Sed nobis duo hæc præcepta sufficiant:Eum qui multum potest, in multos conferre debere; qui minus,multos in spe retinere:& imprudentes maxime; nam qui in stulto, conuenit ei illud:

Quid facis Oenone?quid mādas semina arenæ

Verum quidam impudentes petunt:à quibus, & ob impotentiam,& ob improbitatem, non est quod speres quicquā;&, si denegaueris,tāquam debeas,maledicendo obsistunt. Genus hominum quod in lingua quæstum posuit; vulnerque timeri. Si fallas, eum infestum habes:idee in felicis hominis est,occurrere huiusmodi. Quos deuitabis, si artem arte deludas; &

& non attingas, vel si commode vti didiceris, aut perterrefeceris. Et tum magnum malum est; quum sit instrumentum quo præclari viri euertuntur, & asilus delphinorum. Sed si possis efficere, vt pœna vnius alios deterreat, optimum est.

Specialiter autem, quum maximum sit in humana vita, bene collocasse beneficia, ideo ingratos cauere oportet, ne in illos conferantur. Quomodo autem eos cauere licebit, si non eos cognouerimus? Sunt ergo ingrati quidam ob ambitionem; præcipue reges; vt Artaxerxes in Metrodorum, Alexander in Clytum: parui sensus, vt dictum est, velut pueri, mulieres rustici: inuidi, in eos quibus inuident: auari, vbi de pecunia agitur: perfidi, inconstantes, & consuetudine vitiati: denique duri, qui beneficia non sentiunt.

CAPVT XLV.

Scientia animi.

HVius rei duo sunt capita: dignoscendi amicum, inimicum, adulatorem que animum, sermonem habentis tecum. Amicorum igitur propria nota est, formido. Vnde illud,

Res est solliciti plena timoris, amor.

Ideo periculi tui opinionem iniicies: videbis quam alacer veniat in auxilium. Vel, si rem tenere se dicat, alienatus animo est: aut enim non vult intelligere, aut tibi fidem non habet: Aut si non credere se simulat; vel si cogitabundus manet, nullo effectu deinceps succedente: Et quum verbis eorum quippiam subest, quo nec firma, nec sincera pollicitatio reddatur: At si rem conatur, quæ adhuc in spe est, reuellere ex amico: Vel si non curat quid actum sit, diligentius intelligere. Et hæc quidem alienati animi, aut non alienati, indicia sunt. Sed quantum alienatus sit, aut amet, ex commotione illius obseruabis; præcipue in periculo. Nam commiserationem in amico quis ignorat esse iucundissimam? Magna res est, ac pæne diuina, animum hominis internoscere: sed & vtilissima, & ad quam omnibus aliis plures sint machinæ. Casum miserabilem defleas apud illum: si amat; (idque non composita quasi intentione facias;) fieri non potest vt vultus [eius] non mutetur. Verba sine animi molestia mutari possunt; vultus non potest. Si pecuniæ inopiam ostendas; qui amat, vltro pollicetur; aut habere alium pro te, dicit: si odit, oculos intendit: si amicum simulauit, anticipat, vt non credas illi adesse quo indiges; modo casum aduersum, modo graues impensas, aut redditus imminutos, refert. Omnia enim eo tendunt ab inimico, vt magis ornatum se velit, quam tibi prodest. Quam mollis erit, & callidus, qui & fallat in calamitatum tuarum relatione, vt non gestu, vultu, actione, si non verbis, se prodat? In discessu, quum graue malum tuum est, læta frons, etiãsi spem magnam iniiciat, non boni animi indicium est. Verus enim amicus non solum in calamitate tua, sed in periculo tuo lætam frontem retinere non potest. Cæterum qui mente firma præditi sunt, amare possunt, & ridere; quum id persæpe agant, etiam in propriis malis: Sed nunc sermo de sapientibus est. In omnibus denique prudentia opus est: adeo vt aliquibus: velut iracundis, aut nimium cupidis, persæpe nesciuisse præstitisset, præsertim quũ ambitiosus amicus, aut frigidus, panem (vt Seneca inquit) lapideum, id est, beneficium quasi inuitus, & sero tibi præstat. Statuendum est ergo quod proponas vtilitatem, & tunc nescire præstat; aut honorem, & tunc scire. Si in electione suffragiorum certus numerus sit necessarius, abesse idem est, quod suffragium in contrarium ponere: secus, si sententiis pugnatur: nam absumus aliquando, ne metu potentioris aduersari cogamur: vt Cicero quum abesset à Senatu, ne ob Cæsaris potentiam Pompeianis & optimatum, tum Reip. causæ nocere cogeretur. At, vt dixi, quum vocis solum ac suffragiis res decernuntur, summum malorum est in eo, quod causam euertit. Duobus autem gradibus inferius est, non adire, quam suffragium aduersum ponere primum, quod non probet causam erroris: secundum, quod exemplo alios non mouet: quod etsi dum non venit, vt fidem amico contra te faciat, eiusdem factionis socios cogat pro te suffragium mittere in vrnam, amici officio fungitur. Quod autem multum facit ad animum dignoscendum non amici, est: vt si proponas quæ esse non possunt: exagitant enim huiusmodi illum tum admiratione, tum contemtu: adeo vt laxatis quasi claustris animi, diffluant secreta. Velut si quis dicat cuipiam, cui mortuus sit frater, optimum habens sacerdotium: Volo tibi tuum suscitare fratrem, atque illi reddere sacerdotium; improuiso adortu, cogitansque, quæ verba; facile dicturus est: Etiamsi resurgeret, sacerdotium non recuperamus. Ex quo mens illius erga fratrem, & mores. Rursus, & illud maxime pro familiaribus, historiam consimilem de alio narra, differasque finem, & exitum. Si intentus est, aut iudicem se facere vult, crimini obnoxius est: si non curat, sed abit, aut sermonem abrumpit, nequaquã. Nuper auriga, quem in domum receperam, studiose audiebat me narrantem furtum ancillæ, & quod capta esset: iudicium etiam de illa, tamquam suspecta, quam iam ream esse constabat, ferens; vt non possem ambigere, quin fur esset. Hactenus de maioribus rebus, & manifestioribus: nunc de minoribus, & magis obscuris (neque enim semper de vita, de fortunis vniuersis, aut de existimatione agitur) dicendum est. Velut de quotidianis negotiis; tum maxime quum cupias ante periculum hominem experiri. Tum ergo rem auge, & lucem: ita enim ex exposita melius videtur. Quid est, augere lucem? id est, vt commoueas illius animum spe multa, aut iucunditate. Quid est rem augere? vt tuum casum augeas: ab omnibus derelictum [te] ostendas. In exigua re occupatum conuenias: videbis quanti te faciat. Illum ad sermonem longum prouoca: fieri non potest, quin labatur. Denique si nihil potes hoc modo habere, per amicum tibi, illi insidiatorem habebis; aut in pocula. Quod si non ex illo; ex filiis, fratribus, parentibus, vxore, amicis, inimicis, seruis, concubinis. Iratum obserua, & adi: optimum commẽtum est. Alij maius etiam habent: ad iram consulto prouocant: sed hoc in magnis viris

peri

periculosum est ; in necessariis inutile. Ergo diligentissime ac minutatim omnia tecum conferes ; verba, gestus, vultum, actiones: inuenies, si odit, si insidiatur, si contemnit, si fastidit, si grauis sis ei, si suspectum habeat, aut contra si amat, si magni facit, si gratus es illi; si cupit tibi benefacere. Et paulatim denique ad vnguem expendendo singula minutatim, animum illius, quasi tu intus in illo esses, introspicies. Non tam difficilis res est, animi secreta seruari, quum versari cum homine potueris: sed aditum, & (vt ita dicam) ostium inuenire, difficile est. Magis autem cum Epistolis animum illius intelliges, quam [coram] verbis ; quoniam illæ manent, hæc difluunt. Adeo vero res est illa certa, vt quanto magis occultare se nitatur, eo magis eum agnoscas. Vides quod [nil] difficilius sit notis illis falsis & subdititiis : & tamen aliqui homines inueniuntur, qui eas facillime & ad vnguem dignoscant ac legant. Ergo vt hac in re locupletibus exemplis vtar, vides quid scribat Cicero ad Atticum (Epistolarum lib. 12.) *Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit, optimum consulem. Quis enim seiuntius dixit inimicus? Ad cætera vero tibi quemadmodum rescripsit? Tantum rogat de S. C. vt corrigas. Hoc quidem fecisset etiam Ramio, si admonitus esset.* En vides, quod, qui oderunt, ieiune non plene, sed aut vitiose, aut dubie, aut admisto aliquo quod laudem eleuet, vt vbi excitare possit inuidiam, aut importune, aut in te quæ beato fini aenerfetut, laudent te. Vnum præterea habes exemplum ibi : *Rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Cæsaris, propinqui eius, omnis potestas esset, viri optimi, & hominis liberalissimi : me tamen ei fauturum.* Habes insuper duas Epistolas perpulchras Antonij ad Ciceronem, & Ciceronis Antonium, plenas verbis humanioribus [in 14. libro.] Sed in priore verba illa odij animaduerte : *Quam ob causam vereor ne absentia mea lemor sit apud te.* Et rursus : *Quod si duriorem te eius misera & afflicta fortuna prebes, non contendam ego aduersus te : quamquam videor tueri debere commentarium Cæsaris.* Hæc ad minas; priora ad diffidentiam : vt superbiam in humanis, odium in blandis verbis subesse intelligeres. Quæ vero in fine, onerosa sunt hæc: *Nihil enim non tua causa feci.* In responsione non minus liuoris latet; ab initio ipso quasi exprobret Antonio malum animum, qui conspectum eius subterfugerit : vt in hoc laboret, declarando Antonium sibi esse inimicum : ex quo lege Naturæ intelligitur, etiam se Antonio vicissim. Deinde in causa odiosa laus propria expressa his verbis: *Tum do etiam humanitati & naturæ meæ.* Et illud : *Interpellantibus enim his inimicitiis, animus tuus mihi magis paruit, quam domus.* Aliquando abstrusum expiscamur sensum. Habes & alteram Antonij, adhuc integris rebus, alteram Cæsaris [lib. 10.] In quibus mirum in modum licet se exercere, affectus dignoscendo. Ambitiosior Antonij; sed cum timore in primis verbis, parum tamen amicam se illi declarantis, quoniã sensus haber militares : Cæsar non nisi famam veretur : parum curat illius alioquin discessum. Alia ibi est Cœlij : is significat se amicum. Ita quum tres prope se consequantur, (vna solum Ciceronis ad Atticum interposita,) prima declarat hostilem animum ; secunda neque amicum, neque inimicum, sed suam solum existimationem tuentem ; tertia amicissimum. Ita post habes vnam Ciceronis ad Dolabellam, [lib. 14.] in qua summam Ciceronis ambitionem, & animum non syncerum, sed tempori opportunitatique rerum inseruientem, non satis ad propositum, nec prudenti consilio : Aliam Hiroij, parum Bruti & Cassij rebus fauentem, timoremque callide ostentantis [lib. 15.] Vt vero exemplum habeas summæ beneuolentiæ, tum efficacis Epistolæ pro alio scriptæ, eam lege, quæ ad Plancum à Cicerone pro Attico scripta est. Quædam etiam animum circa cautionem [fluctuãtem & incertum] declarant: velut illa Ciceronis : *Longumque illud tempus quum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum : quod mihi tamen nimium longum videtur.* Id est, magis mouent quod post mortem illius gloriæ satisfacere noo poteru, quam hoc dum viuo, quod mihi adeo acerbum est, vt mea causa nullum esse vellem. Ita viuere vellem, ac oollem: propter illam, vellem ; propter me, ob dolorem, nollem. Sed qoia magis amo illam, quam me, mallem viuere in perpetuo dolore, quo mortem optarem, quam oon esse. Estque rarum id exemplum, & accurate scriptum. Aliud in Epistola familiari prima, in initio ; sed Rhetoricum est : *Vitam mihi acerbam esse putem,* Est enim dicendi modus, non intentionis animi expressio : Sed illud : *Magno animi dolore discrucior.* Itaque ad personas & mores hæc referenda suot. Multa io hoc exempla notissimorum virorum, & quorum successus oon ignoraueris, legere oportet: vt non solum sciẽtiam rei habeas, sed eam teneas iotelligentiã subtilem, quam alij ex vsu longo & experientia didicerunt. In negotiationibus autem ipsis; pessimum signum est, tergiuersatio, aut procrastinatio: & quum quis quod negare oon potest, promittit, sed oon definit tempus, aut longum omninu postulat; aut (si instes) breue, sed ludificat te. Neque pessimum est signum alieni animi, quod solum pessimum est, sed quum minus præstare non potest in eo statu causæ ; modo non propria illius pecunia agamus : (nam tunc ad impotentiam referri potest :) at demum quum quod præstare debet ex officio, non alacriter exhibet, hinc colligere potes in aliis quid de suo auxilij sit adiecturus. Sunt autem similes adulator, & fictus amicus: quamquam adulator species sit ficti amici; fictum tamen dicimus amicum, qui non blanditur ; nec nisi ad occasionem se ostentat: cuius duo sunt genera : inimicus sub amici specie ; & qui solùm amicus non est. Adulatorium quoque est, etiam in pueris, offerre quæ non petas ; non præstare quæ velis. Fallacis enim animi indicia sunt. Ita præstare parua & manifesta, & quum reddere possis ; non præstare magna, neque quæ nescias, neque quæ recipere non speret. Adulator quoque vino, ira, tempore, alacritate, necessitate incumbente internoscitur.

Affectus quoque animi repentinos, qui maxime ad te pertinent, [obseruabis :] scilicet iræ, vt caueas; timoris, vt secure aggrediaris, & firmiter insistas ; doloris, pœnitentiam si-

gnificantis; & lætitiæ. Ita dignôsces amicum, non alio magis quam oculi iucundo aspectu, vt quum puerali poma intuentur; & simplicitate sermonis. Vt contra, oculus tristis, vel torruum intuens, facies rubra, inæqualis in respondendo mora, sermo concitatus, aut nimis contiouus, aut abruptus, aut vehemens, aut breuissimus, aut qui minas redoleat, aut ironiam, iræ sunt signa. Doloris ac pœnitentiæ, mutatio coloris faciei, suspirium; vox non libere erumpens, sed quasi ex suffocato pectore: & si quid antea proposueris, nescit continuare sermonem. Quandoque vox ac sermo intercipitur: quod etiam magis in timore accidit, & trepidat, & genua [tremunt,] vt cor quod salit, & temporum venæ, & facies mutatur. Inuidiæ & occulti odij, quum in calamitatibus oculo ridenti est, & gloriabundus se ostentat; quum non licet, simulat dolorem. Adulatoris, si euentus ille delectet, gratulatur mirum in modum: persæpe etiam gloriatur; narrat quæ acta sunt, & reminiscitur, etiam si scias. Plurimum autem confert ad animi perturbationes dignoscendas, respicere oculos, faciem, gestus: mores ac sermones cómutare: nam vix constat, & in molestiis non quiescit, citoque discedit: & si in primo congressu torue aut hilare aspicieris.

Pro intelligendis autem his quæ scire necesse putas, nec ille dicturus est, vel quia non tam amicus est, vel quia non tanti te facit; aut quoniam periculosum sit referre, vel quia personam publicam gerit, aut durus est natura: interroga de modo, si scire vis, an sit; aut de causa: si modum, tamquam aliud iam abunde tibi notum sit. Velut si dicas: Siculorum accusatio hæc an noua est, an illa prior qua premitur: vix tam cautus esse potest, vt non erumpat, Hæc eadem; aut, Alia. Quod si non accusatus sit Verres, dicet. Non audiui quod Verrem Siculi accusauerint. Tum maxime, si occupatum negotiis aggressus fueris; nec ab initio id proponas; sed continuo (quippe meditato) sermone, in illum incautum deduxeris.

In eruenda autem veritate ab illis quos in potestate habes, cogantur ob incertam interrogationem omnia flagitia quæ perpetrarint, detegere. Quod si primum in iam notum crimen inciderit, paululum insistes, tamquã aliud quærens: Si negando perstet, vexare illum desines. Sed vbi quæ scis, tegere conatur, alia fatetur, iam cognoscis dolosam esse confessionem. Ideo etsi post duo aut tria crimina fateatur quod noris, in perquirendo, tamquam alia quædam scias, & quæras, diu perseuerare vrgendo potes. Itaque optimum est omnia detegere, nisi quod capitale est: nam nihil potest esse deterius, quam ea confiteri, per quæ [ipsum] perdas.

In captiuis qui non confitentur, suppone tortorem, qui eum (tamquam liberatum) conuiuio excipiat: Dicat, vbi bene compotauerit, à complice, qui in suspicionem venit, accepisse pecunias (numerumque verisimilem addat) vt mitius ageret. Egisse equidem; multaque (quæ iudices de more minantur, nec faciont tamen) prætermisisse commemoret: coactum tamen etiam fecisse plus quam vellet. Inde dicat ab amico præceptum aliquid extra caussam; caussæ tamen adhærens, vt obseruaret. Vtpote ne proderet eum à quo accepit, vel qui simul aderat: &c. Opus est autem in hoc iudicio præstanti, acerrimoque ingenio. Quo si vsus fueris aduersus alios, quam insidiatores vitæ tuæ tuorumve, impius sis, pœnasque des.

Tertium vero ab ira & vino violentum indicem, scortum esse scito. Memineris per Foluiam pretio corruptam, Ciceronem Catilinam oppressisse.

Sunt autem ingenia quædam adeo instabilia, & inconstantia, qualia, &c. amicorum, vt longo tempore vix dignoscantur. Accidit enim eis, quod rebus quæ velociter mouentur, vt non nisi longo tempore dignosci possint; nec id satis certo, nisi proposito præmio in ea causa, quæ tibi cordi esse videatur: inde absque illo si roges, videbis ad amussim, quanti te faciant.

CAPVT XLVI.

Homines singuli quibus capi soleant.

OPortet autem singulorum hominum, & iuxta sexum, ætates, regiones, leges, & propria studia, naturam considerare. Feminæ capiuntur blanditiis, lusibus, amari cupiunt; & spatiari volupe eis est: grauia, seria, literas odio habent. Pueri eisdem ferme gaudent: sed sunt magis cupidi aleæ, gemmæ, &c. ludorum, atque pecuniarum: Senes diuitiarum [amatores sunt,] honorum, nugarum secreta noscendi; Iuuenes gloriæ, actionum. Hæc ætas, & Adolescentium, maxime ad amores proma est. Potentes [delectantur] laudibus, delitiis, pecunia, vltione: Diuites & nobiles, quæstum tamquam Deum colunt. Milites rapinis, vt Mercatores lucro, gaudent: atque votum vtrisque vnum, male agendi; hi dolum versando, illi vim & insolentiam; quod est improborum munus; vt proborum, iustitiam tueri. Durissimi, nautæ & caupones, quoniam eorum arbitrio viuitur; ipsi vero humilis sortis. Caue tamen, ne ob consuetudinem talium omnes eisdem moribus præditos necessario esse, existimes.

CAPVT XLVII.

Homines singuli quomodo ad amicitiam alliciantur.

ITaque singulos sic ad amicitiam illicies, si sua vt tibi cordi esse existiment, efficere possis; tum etiam quæ sint illis, sic cures, quasi tu te in ipsos transformes: hoc est vincire, allicere. Sic adolescens senem deliniet, si illi luctum, somnum, quietemque procuret: Senex adolescentem deuinciet, si quod profundat, largiatur: amoribus ipsius faueat; ne voluptatibus eius repugnet: quin potius incontinentiam defendat. Diues pauperi aliquid semper donet, & lucri occasionem præbeat: pauper diuiti, vt quæ cupit, commode explere possit, & quam celerrime. Nec generaliter tantum, sed vnicuique etiam iuxta votum [adiumen-

to esse debes:] Auaro, guloso, libidinoso, dolioso, studioso, gloriæ cupido, venatori, ganeoni, aleatori. Multa quoque io huiusmodi dissimulare oecesse est. Coniunctioneoi, quam separare nolis, quorsum debilitare, aut separare, ne dum sauciare? Quædam vero per singula [considerabis,] iuxta naturam vitiorum. Vnde naturas etiam secundum munia distinguere oportet. Velut pædagogi auarissimi sunt, ambitiosi, imperiosi; stulti denique & improbi non ita. Vitiis vero occurritur bifariam; vel explenda, velut auaros pollicitationibus implere; & studiosos se sui lucri ostendere: aliis contrera vitiis ratione [obuiabis;] vt ambitiosis summa humanitate [vel humilitate.] Stultos fallere necesse est: sic implebis, & cedes.

CAPVT XLVIII.

Tentandi homines ante necessitatem.

Porro vt scias quantum profeceris, nec improuisus opprimaris, singulorum animos tentabis, antequam opera illorum tibi necessaria sit. Nam si non præstant leuiora, dum liberes, aut ægre, aut cunctanter, aut non acriter, etiam melius est illos mutare, si potes; aut, si non licet, ita agas vti opera illorum quam minime sit necessaria. Serua vice improbi tentant in paruis, quam æquo animo feras iniuriam, aut damnum, aut dedecus. Quapropter vbi hoc animaduerteris, præter improbitatem, calliditatem, atque timidum animum adesse intelliges.

CAPVT XLIX.

Quæ in eo quod quæritur sint considerandа.

Quæ vero in eo quod quæritur considerandа, sunt hæc: quale, quantum, quanti, quando, cuius sit ætatis? si ex eis sit quæ veterascunt, vt domus, molestioa, vasa, instrumenta, iumenta? quot illius species, aut principales partes? qua ratione; an habeas rem, an solum vsum? & qoomodo paretur? Quod si rem omnino maiorem, quam pro meritis aut amicitia patere, &c. velis, Scottos (vt dici solet) imitare: qui [primo,] vt liceat in vestibulo deponere hastam, rogant: inde eo deueniunt, vt dominum domus, quam totam occuparunt, depellant; Ita primum quæ negare non possunt, obtinebis: inde adeo sensim singula inuades, vt commissura[& artificium] deprehendi oon possit, Qui modus & in ineundis amicitiis, & in obtinendo auctoritatem, locumque in collegiis non legitimum, cæterisque arduis rebus, & vtilis est, & necessarius. Manifestum est autem, quod summa patientia opus est in huiusmodi, non solum in expectatione temporis oportuna & diuturna, sed etiam in iurgiis & maledictis ferendis; tum industria, summo studio, humanitate, sollicitudine; iudicio denique; & (si oecesse etiam fuerit) liberalitate.

Minima quoque negligere decet: tum quia homo non sufficit tot rebus; tum quia humilitatem animi declarant: hoc autem plurimum obest existimationi: Tum etiam quod plurimos offendere cogitur, & plebeios, quibus parua pro magnis sunt: Demum quoniam grauis dominus esse videatur. Oportet tamen interdum minima obseruare, vel ob iudicium, vt in futuro; vel ob initium, vt in dissidio; vel ob exemplum; vt in contemptu.

Plurimum autem confert in beneconsulendo dilemma repetitum: Velut, quispiam graui iniuria me affecit: Vocor à Principe, ob eum aut alium; quum Princeps permiserit affici iniuria: Hic, inquam, expetendum, &c. ibo: & sanabitur, morieturve: & similiter, si non ibo. Duo optima, duo pessima: optimum, & non pessimum: & non optimum, & pessimum: & neque optimum neque pessimum: maxime dubium. Inde quid ad animum seu tutius seu honestius, quid melius, comparata ætate, personæ, tempori. Vnde innumerabiles considerationes oriuntur.

CAPVT L.

Cum quo negotium sit, aduertendum.

Scire etiam expedit specialiter, cum quo negotium sit; perito, an imperito, potenti, aut misero; auaro, vel magoifico (hunc enim vrilem habebis amicum, & grauem inimicum: contra autem auarum etiamsi plurimum possit:) efficaci, vel segni; sagaci, aut stupido; leui, an graui; iracundo, vel miti; tardo, aut celeri. Et si certandum sit, & par sis, eadem ratione certe; si impar, alia; præcipue contraria. Propera cum tardo, celerem remorare. Quidam prorsus mali, cum quibus nulla ratione tractare potes: sed deuita; si non licet, quantum potes repugna; interim tempus forsan spem aliqoam ostendet. Aliqui prorsus boni; vt Atticus: vnde Ciceroni oihil obfuit: imo neque errata, quæ multa erga illum & grauia fuere. De cæteris, qui maxima pars sunt hominum, caue illos qui contemnunt & qui te iure contemnere possunt, vel potentes nimis, feroces, miseros, coniunctos, qui procul absunt; & ne tu causam præbeas, qua te contemnant, vel nimia patientia; vel rursum recipiendo quem emiseris, vel socordia tua, vel ignorantia, vel timiditate; vel si pigoos dederis, velut infantulom filium nutriendum. Nam huiusmodi viris oihil ex tuis fortunis committes, vt nec genero, maxime viuente filia.

CAPVT LI.

Metienda esse propria vires ante omne negotium & quomodo.

Sed neque solum in singulis actionibus, verum in vniuerso viuendi cursu, vires suas expendere oportet; animi nempe, corporis opum, amicorum, conditionis, & vitæ. Multi ea inchoant, quotum finem expectare non possunt. Senes aggrediuntur mutationem vitæ: Cato Græcas literas: alius vxorem ducit. Sed forsan hoc vt inutile, ciui, alrius rem expedenti,

pendenti, necessarium & vtrumque, &c. sit. Illud Poëtæ laudauerim.

Vita summa breuis spem nos vetat inchoare longam.

Animi vires expende; quantum ingenio, memoria, vsu valeas; quantum exercitatione. Quam ridiculi sunt, qui senes se aulicæ vitæ applicant: hoc laboriosum, & incommodum: turpius quidam honores quærunt in ea ætate, in qua quiescere deberent. Corporis quoque robur, sanitatem ac opes, amicos, vt dixi, & quem gradum teneas, considera. Vulgare est hoc in pugna obseruare, vt etiam litibus, ac disputatione: sed in aliis hoc idem non faciunt vitæ humanæ actionibus; quum tamen tota vita humana, pugna vna sit, nihil potes habere, quod ab alio vel non eripias, vel ab alterius spe ac voluntate. Et non solent nisi bona, quæ dixi, considerare: mala in nullo numero ponunt; quum tamen pluribus inimicitiæ, æmulatio, morbi, casusque fortuiti obfuerint. Nec solum vt obtineas, considerandum est; sed vt retineas; deinde vt retentum tibi vtile sit, nec maiora impediat bona. Ego quoties fugi aulam, honores, potentiam, diuitias, vt studiis vacarem! Pingue sacerdotium alius adipiscitur lætus, quum non animaduertat in hoc ipso se, cum tota stirpe, perielitari. Atque hæc generaliter. Specialiter autem spectare vires proprias ex similibus casibus oportet, bona bonis conferendo; velut ætatem, robur, amicos, peritiam rerum, opes, personam: & mala malis aduersariorum, illorumque potentiam, morbosam vitam, casus, æmulationem: indeque successum expendere, & quanto superaueris interuallo: inde caussam causæ conferre; iustam iniustæ, aut iniustam iustæ. Victum denique etiam in priori [si te videant, hoc] plurimum addit animorum aduersariis: vicisse nihil iuuat (si non noceat:) nam æmulos auget, & industriam illorum, ac conatus, qui tecum pugnant. In vna militari disciplina, victoria prior, viam aperit ad posteriorem; in cæteris non ita. Sed quod ad casus attinet, à fine considerandum est. Quidam enim adeo sunt felices, vt quum iaceant, sors tamen illos adiuuet: quidam quum se in apice rerum esse existimant, ac prope victoriam, tum maxime insperato vincuntur: veluti accidit Comiti Pitiliano, Venetorum Duci, aduersus Prosperum Colnmnam; & olim Carthaginensibus à Gelone; Atheoiensibus à Syracusiis. Principaliter aotem in reliquis desiderantur fides, potentia, efficacia, & peritia; in te ipso efficacia & potentia; in ministris peritia, efficacia, & fides; in amicis omnia. Est etiam virium æstimandarum pars, non quod plerisque cognitum est, ad adipiscendum & obtinendum, sed etiam gudendum; [nempe,] vt diu, quete, & cum voluptate vti queas.

CAPVT LII.

De Simulatione.

DOli autē præcipua pars, & qua maxime proficimus, ac delectamur, est simulatio. Sed hic est error, quod non cum simulantibus simulatione vtimur, sed cum innoxiia, [&] cum his qui nobis ob simplicitatem fidunt. At præceptum erat Poëtæ:

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus;
Tu quoque fac simile: sic ars deluditur arte.

Duplex est: in factis, & in verbis, Quæ in factis est, quum amare quæ odimus, sperare quæ timemus, velle quæ nolumus, aut contrario modo fingimus. In verbis, quum scire quæ nescimus, aut nescire quæ scimus, fingimus. Necessaria est valde simulatio; præcipue cum potentioribus: ideo in aula maxime in vsu est; atque cum Satrapis & Principibus. Quum vero sit hæc ferme caput huius instituti (est enim id in hominum tractatione proprium, & præcipuum: nam vis est belluarum, sapientia vero Deorum) diligentius de illa agere decreui. Est autem rursum duplex: alia quidem mendacio admista, turpis & infamis, nec digna viro omnino, nedum viro bono: alia sine mendacio. Differt autem à mendacio: quod simulatio gestu & actionibus, & verbia quæ perfectam scientiam non continent, absoluitur: mendacium solis verbis, & plane sententiam falsam continentibus constat. Hominum peruersa natura censet, simulatione cum omnibus, præterquam amicis, vti licere; mendacio autem cum his, qui nos iniuste læserunt. At improbi etiam quomodovis cum inimicis vti mendacio licere putant: nam cum amicis dolo vti, non nisi improbissimi viri est. Nos autem simulatione cum his qui ioiuste nos læserunt [vti] permittimus libenter; mendacio cum nullis, etiamsi perfidi sint. Quinimo illud dubitatione dignum est, an ei qui alieno arbitrio viuit, liceat mendacio, mandante domino, etiam iusta in causa, vti? Multa saue permittuntut, quæ non solum laude digna non sunt, sed neque licent: cuiusmodi est hoc. Considerandum est igitur cum quibus simulatione vti liceat, & in quibus rebus, & quomodo id obtineamus? Quamobrem vt persuadeas, id à persona & re ipsa verbis tuis, & aliorum factis, & eius [personæ] moribus sumendum est. A persona quidem, vt verax habearis, grauis atque prudens; tum vero vt è re tua non esse putet, persuasum esse. Velut si amicus illi sis; non amicus inimicis eius: nec res eiusmodi illius commodo cedat. At contra, si mendax habearis, id dici poterit, tuum esse lucrum, vt nec veritas tibi credatur. Quod si in actione res sit constituta, præclare credent, ob prudentiam tuam, te posse id agere; ob fidem, velle; ob grauitatem, vtrumque. A te autem quæ tibi conueniat: vt si pauper vendere velit, diues emere; splendidus domum ædificare; pius parcere; atque huiusmodi. A verbis autem tuis: nihil æque, &c. infinitus hoc negotio, aut profundius: vt hoc solum mihi dignum videatur, quod luculento exemplo explicandum sit. Ergo & ab aliis vt adiuueris, curandum est vt tu modeste cuncta agas: nam persæpe exiguus error, aut iactantia, aut impetus, aut properatio, aut aliquid huiusmodi totam detegit fabulam, & longam constructionem; ac industriosam euertit inuentionem. Ergo simulatio maxime ad hominis mores dirigenda est, & à tuis domesticis, intimis atque amicis adiuuanda. Qua in

causa

causa id dubium emergit, quod si te illis deteges, fieri non potest vt negotium perficiatur: nam illi vel affectu nimio, vel leuitate, vel alia occasione, verbis aut gestu rem significabunt: Sin autem celabis eos, forsan tibi irascentur. Hæc est maxima in huiusmodi rebus difficultas. Quamobrem cauendum est, si fieri potest, vt aliis in simulatione non indigeas: quod si indigueris, tum solum gestu & actionibus significabis. Quod si omnino etiam verbis indiges, fidis tantum rem committes: cæteri autem non detegi sibi patientur, si amici sunt, aut si non patiuntur, eos relinques, qui nec silentium tuum æquo animo ferunt, nec quæ arcana sibi committantur, retinere possunt. Initium huius negotij ex hoc sumes, vt credant te nescire, quæ scias, & scire quæ nescias. Sic in iis quæ scis aut cupis, vultum, vocem, gestus, affectusque miscebis, vt in contrarium omnia accipiantur. Quum enim quæ nescire videris (quum veracem te existiment) cur non vis vt scire te arbitrentur? Verum aliud est, scire videri, aliud id aperte fateri, aut, quod maius est, testari: hoc enim à mendacij labe non abest. Significanda præterea per amicum, aut fictum amicum, his qui tibi insidiantur, aliter quam se habeant capita rerum. Sed ficto amico rem peruerse declarabis: amicum non monebis, & vt occultare sic simulet, vt insidiatos deprehendat. Quamobrem in magnis periculosisque rebus simulatione tantum vteris, cum quia indigna sit ingenuo viro, tum quia, si ea vtaris in minimis, exiguam afferet vtilitatem: occasioni necessariæ aditum plerumque præcludet. Propterea etiam numquam quæ scis, nescire: quæ nescis, scire, aperte fateberis, ne fucus prodatur. Quod si anxiè quærant, aut iuramenta exigant, ambiguis responsis illos eludes: quum & illi parum sint amici, & tibi nequaquam opus sit hoc præsidio. Raro tamen contigit, vt iuramentum exigant de ea re, quam nondum quis clara voce effatus sit. Dices forsan, Magna arte opus est in huiusmodi. At paruana res fuerit, tam paucis seruasse vitam, existimationem, potentiorum familiaritatem, amicitiam, atque amicos persæpe ipsos, probitatis famam, securitatem, totam denique humanitatem, dispendio & crimine nullo. Est etiam simulationis genus non contemnendum, offerre quæ scis non recepturum: & persuadere, sed modeste: ne aut recipere cogas: vel cur offeras, intelligat. Est simulatio acris, fingere te amicum inimico amici tui: adhortari contra illum, & adiuuare eum, tum repente deserere, tamquam victum, metuentem: dehortarique, vt turpia, detestanda, periculosaque aggressum. Similiter, ex opposito, duo hæc magna sunt, quum patientissimus videaris, vindicare, ad existimationem: & nihil agere, quum mineris, ad contemptum, vt incautos opprimas: ex nullo etiam duos efficies amicos, velut criminum indices: vnius fingendo amicitiam, æmulatione alterius, comparabis: ex qua rursus prioris verum adipisceris. Et, vt rem totam prodam, & quod in vsu est, omnia tacite agere, aut sermone sicco vti, ad negotia vtile est: tertioque generi simulationis, imo vulgatissimo, ascribi potest.

CAPVT LIII.

De Dissimulatione.

DIssimulatio autem, cuius autor egregius fuit Socrates, à simulatione maxime differt, quod in his consistat quæ sunt, & nihil agat: simulatio in his quæ non sunt, & agat: ideo mendació propior, illa venustior: quamquam idem finis, scilicet fallere, vsusque propemodum idem scilicet cum domesticis insidiatoribus, & Principibus. Verum cum Principibus simulatio longe periculosior: hanc enim; tamquam caput malorum, & doli, sibi tantum licere volunt, Dissimulamus præcipue quæ scimus: quæ vero pateris maligne facta, vel per ignorantiam, quasi nescias, aut in fortunam tuam aduersam referes: nil acre salsumve, sed nec iocosum, admisceas: sed sit quodcumque dixeris, graue, modestum purumque, quod magis vsu ipso disces, quam oratione doceri possit. Est dissimulationis genus, quod ab aliquo acceperis, tamquam autoris oblitus sis, eidem enarrare, ac coarguere: quum vero dissimulas ex eo acceptum, hoc ipsum doces, & te per calumniam accusatum, eumque frustra persuasum. Iniuriam quoque, quam vlcisci speras, dissimulare melius est, etsi parua sit; alias non licet. Est etiam dissimulationis genus, quod iam facturus sis, alia causa roganti amico polliceri: ac rursus significare, te rogatum, vt vtriusque gratiam ineas. Est & occultatio, species dissimulationis, imo quasi finis ipsius. Atque ea duplex: alia communis, quæ fit tacendo, silendo, quietem habendo prorsus: alia, qua vtuntur, qui quiescere & tacere nequeunt, vt Bellotus Florentinus, egoque: quæ alia agendo dicendoque fit. Illa facilior, & decora magis; sed si quis subodoretur, facile detegitur: hæc tutior, sed turbulenta. Est etiam dissimulationis species in Epistolis non contemnenda: qua ego aliquando vsus sum, quum rei propriæ consilium petitur, quæ indignior videtur illi tamquam de alio interrogante respondere: nam præter reliqua, hoc ipso honeste admones amicum, quod consilium id tibi non è dignitate sua videtur.

CAPVT LIV.

De Persuasione, vbi Dilemmata.

PErsuasio vero tertium est fallendi genus aliud, ad principale: de quo tot libri editi sunt. Propterea & Aristotelis, & Ciceronis, tum Quintiliani, ac aliorum præcepta condiscere opportunum duco: neque enim ea ars libello claudi postulat. Solum, quæ ad capita prima pertinent, referam. Constat persuasio persona, & rationibus. Amicus, prudens, probus, potensque, magis quam humilis fortunæ vir, (ad hanc rem requiritur.) Rationes autem, ab honesto, iucundo, vtili, necessario & facili. Necessitas omnes mouet; sed & vtilitas; attamen præcipue pauperes, & viles, auarosque: Iucundum etiam omnes, & præcipue incontinentes, mulieres, pueros,

pueros, adolescentes: Honestum bonos, & & reipublicæ amatores: Facilitas pariter omnes; præcipue tamen timidos & inertes. Persuasio recta, & ad sapientes & fortes viros directa, dato consulendi tempore, efficacior redditur: nam quia honesta habetur, doli suspicionem explodit. At quum opprimere hominem cupis, aut etiam, si is timidus sit; repente aggredi, atque continuo vrgere oportet. Vt ergo probitatis speciem induas, & sermonibus & factis quasi elanculum pium te ostendes. Nec mala est via, cuius finis est optimus. Secus, memento te non hominem fallere, sed quasi Deum, conari. At amici [persuadentur] blandiendo, salutando, offerendo, iuuando, laudando. Manifestum est etiam, quod & personam cui quid persuadere vis inspicere oportet. Senes [mouentur argumentis sumtis] à facilitate, securitate, atque vtilitate, magis quam ab honesto; glorioso, & iucundo. Deficit enim in his sensus voluptatis: nec tam sequuntur iucunda, quam incommoda fugiant; nec tam diligunt honesta, quam tuta. Adducere in persuadendo exempla, non parum prodest; maximè apud imperitus, & timidos. Nec copia sententiarum desit. Multi enim ad validas rationes immoti, à parum firmis persuadentur. Non etiam rationes adduces, quæ supra ingenij vires sint, illius cui persuadere conaris. Dissuasio enim est quodcunque odiosum est, aut non integre percipitur, quoniam metuunt decipi, & suspicaces redduntur. Nec maiora in medium adducas, vt minora obtineas: præsertim apud prudentes; (de his non solum agitur:) reliqua pro ratione eis sunt accommodanda. Nam de singulis dicere, metamque dicendorum pro personarum & casuum varietate præfinire, quum infinitum sit opus, stultum est. Anxiam enim curam ostendunt: vt minus persuadeamus, & non iudicio carere [appareat:] quod contemptos efficit. Docuimus enim antea, maxime nos fidere prudentibus: atque ab eisdem facile ac vehementer persuaderi, quibus confidimus. Summum est, vnumquemque his aggredi artibus, quibus ille alios: velut humiliter dissimulatorem, aut si ad contrarios modos te vertas, extrema amplectitor, vt callidum detineas, flectas violentum, ita opprimes eum qui te fallit; vt intelligat, aliis moribus opus illi esse ad amicitiam retinendam. Exemplorum autem tum ratio, tum exercitatio, adiuuanda [ope] præclarissimorum in arte virorum: Ciceronis, cuius orationes facundæ, eloquentes, suaues, plenæque sunt: tum Demosthenis, quæ neruosæ magis, & spicula acrius infigunt. Inter quas præstantissima est, quæ inscribitur in Mediam: in qua illud admirabile maxime, ac supra mortale ingenium, quod quæcunque ad illius defensionem facerent, in eum vt aduersa contorquet: & crimen ex eo auget, & seuerius puniri debere ostendit.

Probationis autem modi legitimi quatuor: à iusto, seu æquo: à seueritate, scilicet à legibus: in quibus & includitur iuramentum iudicum: cui opponitur misericordia: & ab honesto. Illegitimi, quibus praui vtuntur oratores, boni non nisi ad confirmationem; sex: vtile, tutum, facile, ab effectu, & quum suademus inuido, inimico, irato, & ab exemplo, & à fabula. Atque hæc in omni genere causarum, demonstratiuo, deliberatiuo, & iudiciali etiam priuatim.

Per species autem ita se habet: Reges & potentes breui oratione, & quæ sensus habeat validos, persuadebis. Omnes enim hi sapientes sunt, ob magnarum rerum assiduum vsum. Repetitionem in his maxime fugere decet. Præcipue iuuat, vt intelligant, sed vt non dicas, gratum hoc fore atque vtile his quos amant. Verum caue ne oscitanter rem pertractes: plus enim oberit verbum inconsulte prolatum, quam decem iuuent opportune dicta. Memineris semper illius dicti: Quæ pro te sunt, teste indigent; quæ aduersus te, iam probata sunt. Ob id laudo illud quod non illepide fertur dictum ab eo qui à Principe, &c. ientaculum quærebat, vno verbo [illegible]. Apud iudices etiam hoc diligentius obseruandum; quoniam huic negotio magis intenti sunt. Quod etsi obtineant aliqui, hac ratione id contingit, obtundendo scilicet iudicum aures. Accidit enim, velut in Medicina, vt quos dolores recta ratione curare nesciunt ignari medici, stupore inuecto mitigent: Ita victi nonnunquam importunitate, aut misericordia flexi iudices, aliqua leuia indulgent. Quod etiam plerumque illis exitio cedit. Nam in grauibus & seriis ac magnis, dum huiusmodi absono persuadendi generi confidunt, magnam iacturam & hi subeunt: præsertim vero quum iudices tibi fuerint subinfensi, & acuti ac suspicaces: leues enim rationes, ac dubias, aduersum te torquere solent. Ex his etiam qui sunt rapaces, rationes & eloquentiam odere, quod vel à flagitio eos impediant, vel quod precario extorqueant, quod vendere destinauerant. Porro affectus in ciuilibus caussis remittere oportet; rationes & facundiam exacuere: At vbi de pœna agitur, affectus, & gestus apud multitudinem semper plurimum, apud iudices etiam (præsertim patris, filiorum, fratrum) persæpe prosunt. Discipulos autem alliciemus communibus orationibus (semper enim id præponere oportet:) tum etiam, si viderint nos in disputando acres, & promptos, in operando diligentes; atque in vtroque genere efficaces; in profitendo claros, facundos, copiosos, pressos, moderatos, ordinatos, subtiles, & grauia vtiliaque sectantes: In moribus autem modestos, sedatos, maiestatem habentes. Allicere oportet maxime nobiles, eruditos, & qui multos habent sequaces. Si imperitus te obtundat (est enim quandoque vehementer molestum) submitte qui occupet: aut per amicum tibi, illi autem familiarem, (postquam ferre non potes, quum non semel tantum subgannierit) mone eum his ferme verbis: Nouit professor hic ingenij acumen tui, tuamque eruditionem; tibique congaudet: verum vt à munere cessauit, iam lassus cuperet à disputationibus aliquantisper interquiescere. Interim vero ne alium quemquam per aliquot dies admitte. Quum vero aliquem qui perturbatione agitur, iratum, amantem, aut alium huiusmodi, persuadendo [in sententiam tuam perducere] vis, propositi finis ne

mentionem

mentionem feceris, plus enim commemoratio eius quod tam anxie cupit, eum mouere poterit, quam rationes illæ, quas omnino iam perturbato animo non intelligit, in contrarium vertere poterunt. At summum studium etiam adhibere oportet, quum controuersa res est, vt fautores tuos inflammes, & quanto potentiores fuerint, vt causam iam non tuam, sed suam peragant: idque eo melius, quo periculosius: Nam id obtinebis, si ostendas, non iam te contemni, sed illorum autoritatem: quantoque id damno illis, atque dedecori: Aut iam non te neque causam tuam illis odio esse, sed ipsos Principes. Id facile obtinebis, si causas aliorum in quibus se difficiles reddiderint, amicorum, aut faciles, inimicorum, aut alia si ratione obtinuerint, quam autoritate sua, docueris. Quo in casu non solum testimoniis, sed coniecturis, criminationibus, coloribusque abunde licebit vti. Nonnumquam fabulæ multum iuuant. Melchiori medico egregio, quum is me solitus esset vocare ad tenuis fortunæ ægros, adeo vt tæderet, nec locupletaret; dicenti; Nonne ad multos te voco ægros? respondi, Sane; sed vt Dantes ad pisciculos: narrauique illi roganti fabulam ex secundo libro Fabularum nostrarum, (fab. 85.) Itaque in posterum vocauit me ad diuites:(profuitque ad lucrum mille Philippeorum aureorum, & plus:) qui rationibus, vt hoc ageret, antea numquam potuerat persuaderi. Illud etiam optimum est auxilium, quum non potes persuadere, esse vtile illis, vt ad religionem confugias, vbi de vita hominum agitur, vt in fabula 86. Quum vero proponere aliquem apud multitudinem inter plures vis, Moguntini Pontificis exemplum sequere. Is enim Gallorum Regem Carolum, Hispanorum, (&c. vt est fab. 86.) & Germanos Principes proposuit: singulisque damnatis, debiliorem fecit accusationem Caroli: inde non tamquam vtilem, sed vt necessarium collaudauit, atque obtinuit. Nam si nec addictus nimis videberis, nec locum contradicentibus relinques. Argumentorum autem tractandorum alia humilia, alia magnifica: atque in vtroque accommodatæ debent esse sententiæ, verbaque, atque dicendi ratio, seu constructio. Sed hæc parum variat. Intentum est autem, grauiter & ornate dicere: & vtrumque eorum eo spectat, vt res vtiles persuasioni augeas, contrarias diminuas. Quocirca in demonstratiuo genere solum auctione indiges, in reliquis vtroque. Vtrumque arte fit. Sed in extenuando etiam errores adiuuant, vt inartificiosum videatur, quod exquisitissima arte iuuentum est. Dicemus ergo primum de auctione in sententia. In hoc primum genere collocabimus etiam, præter verba, gemitus, suspiria, lacrymas, vultum, habitum, gestus, exanimari si liceat, proprie in persona deprecantis, ad vltionem autem nimis sæuum. Memento enim Ciceronis: qui ferme numquam accusauit, sæpe defendit. Quod enim odiosum est, nisi omnino in proditores, moderate eum facere, è re est. Ergo tota ratio in tria diuidita: modum, causam, & personam. Modi duo sunt, quos accusare licet, vis, & dolus: laudare autem virtutem, prudentiam. Causa, magna, vel nulla, exiguaque. Persona, nobilis, innocens. Ad personam pertinet, vt sit è Republica, vtile, atque honestum: Die, in foro, ad vim, noctu, loco, deserto, ad dolum: atque ita huiusmodi. Augemus ergo à contrario: Exiguum scelus puniuit: per hoc magnorum initia tolluntur in Republica: quid in maiore facturus esset? Victoriam paruam consequutus est communibus,& id difficilioribus strenue pugnauit, sapienter ordinauit, & exiguum exercitum bene partitus est, hoc enim difficilius est, quam magnum. Sic ab actu ad potentiam transeundo, rem augere facile quamcunque licet: & si futura, tamquam præterita nuper, aut præsentia, narremus Velut; Quid tum agam quum hoc acciderit, cogitate. Et si series facti narretur, Mouetur, ducitur, terribile spectaculum offertur, denique securi percutitur. Et quum coninngimus plura sine coniunctione: Contra leges, contra Rempublicam, contra te ipsum denique facis. Aut: Si ex ordine, vt scripsi, monui, adiji. Et quum extrema fit comparatio, vt Aristoteles pro se se ne exule deprecaturus Antipatrum: Si eum, inquit, sic fugere compellas, vt nullibi consistere possit, in quo mortui illi inuidere poterunt, quum nihil plus habeant, quam quod agere te posse negas: cuius pulcherrimum habes exemplum apud Ciceronem in Epistola ad Q. Valerium (lib. 13.) qua vult commendari L. Iulium, rogante P. Cuspio: mirificum sane, quod vix vlli intelligunt, id enim agit, quod agere posse se negat. Cuius verba sunt: *P. Cuspius singulari studio contendit a me, vt tibi quam diligentissime L. Iulium commendarem. Eius ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si vtar verbis his, quibus quum diligentissime quid agimus, vti solemus. Noua quædam postulat: & putat me eius generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus sum, me ex intima nostra arte depromturum mirificum genus commendationis. Id quando assequi non possum; tu re velim efficias, vt ille genere mearum literarum incredibili quodam perfectum arbitretur. Id facies, si omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & potestate tua proficisci poterit, non modo re, sed etiam verbis, vultu denique expresseris: qua quantum in prouincia valeant, vellem expertus esses.* Et si conditio addita, augeat crimen: vt, Manus continere debet iudex, quum palam sit nemini debere furari. Et quum duos quasi colludentes, proditionis insimulamus: vt, Te legationem agente, tyrannus vrbem occupauit. Et quum inducimus respondentem quæ volumus, inde confutamus. Quod si longior sit disputatio, Socraticus est fucus, &c. olim magna in moderatione, &c. velut: Soc. Diuitias reliquit tibi pater, ô puer? P. Sane. Soc. Sapientiam non reliquit? P. Non. Soc. Quinam diuitiarum vsus erit? Ita facile obtinebimus quamcumque causam, eo respondente, quæ volumus. Tum vero quum in vnam partem criminis incumbimus, in eaque expugnanda commoramur. Quo stratagemate inuictos antea Lacedæmonios vicit Epaminondas in Leuctris. Toto enim robore exercitus in cornu sinistro

collocatio, iussit eos impressionem facere; cæteros omnes cædendo pugnare. Et si meliori comparamus, vt quicquid deest ad gloriam alterius æquandam, ei pro flagitio imputetur. Velut si Adrianum Traiano comparantes laudemus, fine benefactis, quod non iratus fuerit, non sceleterit, non rapuerit, non potitus fuerit occasione præbita. Et generaliter, periodus *ἐκ τῶν κάτων* priore elatissimo, posteriore grauissimo, significatioreque, quod ex priore aperte pendeat. Verbis quoque (sed id in seriis persæpe ridiculum est) res augemus. Præsertim monosyllabis miserentis, admirantis, vocantis, dolentis, vt apud Græcos *αἶ, αἶ*, materna lingua *Ah! Dee! Sed*, aduersatiua propositio, auget:

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago.

In eodem quoque genere apud Græcos encliticæ sunt, & grauitatem addunt, &c. Similiter per figuram: quum concionem procellam appellamus. Et quum duo vitia simul vna voce complectimur, quom *parricidam* vocamus, & patriæ & patris proditorem. Et vt proprietas seruetur, vt *vecordem*, qui flagitia aperte admittit: *dolosum*, qui occulte: & maius est dicere *dolose*, quam *dolosus*; vt contra *improbus* plus quam *improbe*. Et si tegere velle videaris, pudorem tuum testaris, & in illo flagitij opinionem auges. Et per hyperbolem: Exitium ille in caput adduxit, pro periculoso bello. Initium vero sumit Aristoteles à pæone primo, cuius tres breues primam longam sequuntur: Finem autem à secundo, cuius longa syllaba, tres sequitur breues. Sed Cicero narrat: *Exceptum magnis clamoribus à populo patris dictum sapiens temeritas comprobauit.* Quod si dixisset, *comprobauit filij temeritas*, decidisset, vt fit. Initia finesque dicendi & ornata & valida esse debent, & elegantia: quoniam in principio anima nuda est omni cogitatione, ac maxime attenta his quæ dicuntur: fines autem nihil habent quod eos perturbet: media tecta obliterari magna ex parte solent. Tota autem oratio debet esse vsitatis ex verbis, & maxime clara; & vt non solum cola, sed & dictiones & syllabæ subiectæ rei accommodentur. Mollem enim & dulcem efficiunt (orationem verba) quæ vocalibus constant; vt *heu*: & si *s*, & *e*, addantur, mollis, dulcis, suauis [erit.] Aspera *z* & reboans *r*: longe vero frigida *m*: vt, *magnarum laudum tuarum*. Tacendo etiam significandoque crimina augemus, quoniam minus inimici videmur, vt Plato, quum odisset Aristippum & Cleombrotum, eos dixit fuisse in Ægina, quum Socrates esset in carcere. Constabat autem, Æginam solum xxv. M. P. distare ab Athenis. Adeo vero Gorgiam in Dialogo omni autoritate ac dignitate artis dicendi (in qua princeps habebatur) spoliat; vt ille quum Dialogum legisset, dixerit: Pulchre nouit Plato male dicere. Est & prosopopœia: cuius pulcherrimum exemplum apud Ciceronem in Epistola ad Octauium, ibi: *Itaque si quid illa maiorum nostrorum sepulsa reliquia.* Et repetitio, quasi minantis, vt *O ciues, ciues!* Aut quum diuersis epithetis [vtimur,] absque coniunctione: vt: *Ambulat buccis inflatis, elato supercilio, toruo vultu.* Et quum nihil dicimus, volumus tamen videri dicere, obscure innuendo, insimulando, grauitatem effingendo, estque vitiosum, verum aggrauat aliquando. Illud vero ad rem pertinet, quum dicit quæ præterire simulat, vt illud: *Olynthum, & Methonem, & Apolloniam, & triginta duo oppida capta omitto*: tamquam longe maius aliquid dicturus. Sic vitiis vtimur in oratione, vt Medici venenis: atide, vt: *Phalaris Agrigentinis molestus*: frigide, vt: *Quæ curiose scripsit Aristoteles*: inuerso modo; vt: *Quæ Plato fabulatur de Diis.* Multa etiam fert casus. Cuidam dicenti, *Fers inertem puerum*, quasi obiiceret impudicitiam eius, respondit: *& tuum patrem tuum tuli. Bonos enim semper, malos quãdiu mihi sunt vsui, retineo.* Ita depulit calumniam in illius patrem, qui furor furax erat. Atque hæc in leuibus etiam nunc: olim omnibus in causis plurimi æstimabantur. At in magnis ætate nostra persuadebis, corruptis pecunia iudicibus; aut si è re sua id esse ostendas, aut iure agas. Prodest in nobilibus aliquando etiam affectus vehementia, si non omnino perditi sunt iudices. Illa vero magni facere, pædagogi, quæ supra diximus, solent, & grauibus viris stomachum mouere.

Ex his vero quæ vehementer persuadent, est commemoratio gratiæ illius apud Deum: vbi constet eum esse bonum, aut iniuste oppressum. Perfectio rursus animæ ex operatione: gloria apud homines, fides in eo: & quod reponit beneficium, tamquam thesaurum, magno fœnore, idque multis explicare. Quod si & exempla maiorum illius adsint, non parum momenti habent.

His omnibus etiam construitur accommodata, breuis & prompta ratio [ac oratio.] Velut illud: Quidam exercitus dux, quum iussisset suspendi puerum, duodecimum agentem annum, non pietatem (cuius ille expers erat,) non iniustitiam (qua fuisset irritatus potius, quam flexus) commemorauit: sed inquit: Quum omnia facias gloriæ causa, cur eam maculare vis turpi facto? Optimum autem dilemma est, quod ex contrariis texitur: velut si inimicus exul, in vrbe sit; dicasque: Si te deceptum? Si nolente; quam turpe, te domino, vagari per vrbem exules, non solum tuto, sed cum ciuium periculo? Si nescis, cur satellites non dant pœnas? Oportet autem in huiusmodi (quod non modo ad accusandum, sed ad defensionem potissimum est) non solum se exercere, sed etiam, vbi opus est, scribere, cogitare, mutare: vt scilicet efficacissimum & (apud Principes præcipue) quam grauissimum. Veluti si dicamus: Malus non potest esse felix. Nam aut cogitur existimare, nil ab obitu superesse, aut animam Vtroque modo incumbere intelligit sibi perpetuum malum. Hoc est dilemma.

Partes ostendere oportet, si requirat. Sunt autem septem. Felicitas est cogitatio vera perpetui boni, cũ re: Infelicitas maxima, perpetui mali sola cogitatione consistit: Si mori malum est non esse malum. Si non est malum, numquam esse perpetuum malum. Si non cogitat vmquam, (quamuis & hoc difficillimum sit) non potest esse felix; quum felicitas consistat in cogitatione perpetui boni: Si perpetuum bonũ vita ipsa definiamus, quum

terminum

terminum intelligere cogatur,& cum eo malum perpetuum, est infelix : nam de pœnis perpetuis non opus est probare, quod malæ sint. Aut igitur expectare certum malum, aut maius timere cogitur.

Epistolarum autem communis ratio est : vt sit efficax, seu neruosa, ordinata, pura, clara, emendata & ornata. Quinque primæ partes immutabiles sunt,nisi quod in historia necessaria prima non est, quum enim epistola fit discendi causa; (& id quod docere volumus, vel actum est, vt historia, vel narratio, vel de agendis,seu in genere demonstratiuo, seu deliberatiuo, seu iudiciali) palam est suasoriam esse oportere: & huic conuenit esse neruosam tationibus. Ordinem assequimur rescribendo sæpius,vt etiam libros. Putasi fit,erit etiã perquam breuis. Claritas legenti lumen affert;& non fatigat illum. Oritur ex recta dispositione sensus integraque notitia illiusdem; tum congrua dispositione, absque ancipiti interpretatione, tum verbis vsitatis. Emendata vero secundum regulas Grammaticæ, & vsum illius temporis;qualiscunque lingua fit. At in ornatu, multiplex varietas:tituli, epitherorum, figurarum, tropotum blandiendi, atque adulandi. In huiusmodi duos scopos constituere oportet:natutam,consuetudinemque, violentam teginam. Vnde Ciceronis tempore immodica adulatio, & blandimenta turpia:ætate nostra tituli, fine figuris aot tropis,epithetis vtimur, non blandimur: Sed naturam sequimur; dum velut pulchram mulierem membrorum proportione quærimus; exornamusque illam; non fuco tingimus; sed nitorem addimus aqua florum maluæ, ne sit afeititius. Ita licent placentque tropi, figuræque latentes,& quasi expolientes orationem, & ex re nati; non eminentes, aut oppositi. Quædam sunt quæ non admittit [epistola ;] velut eximiam magnitudinem,excrescit enim in librum. Vnde Aristoteles: Non scribo de hoc; quia epistolæ accommodatum non est. In tropis ergo & figuris,constructionem,sententiam verborum considera, vt ne apponas, quæ non congruunt. Velut si enm qui abiit hortari velis vt redeat, dices : Me certe præstantiorem amicum (suppresso amantioris nomine) inuenire non poteris:Ego vero etsi te meliorem nõ queam inuenire,certe cui catior sim,vt qui me nulla,dicam, caussa deserueris? Grandia sunt,quæ paucis verbis multa & magna comprehendunt. Nam huiusmodi inuentioni veteres maxime studuerunt. Quale illud.

Insque datum sceleri.

Sed nos,quod non continuato sermone huiusmodi tradiderint,non percipimus, imo neque animaduertimus. Quo fit,vt vix corticem autorum assequamur, quum illi maximo studio atque arte pleraque conscripserint, vt profundissime multa laterent,quæ eruere operæ pretium esset, atque admirabilem hominem efficeret. Sed & his vtendum postmodum non ita obscure,sed solum Laconica breuitate.Iuuat autem in hoc genere, & ad orationis robur,argutamque concinnitatem, reflexio à contrariis sumta. In quo Valerius Maximus adeo eminet, vt nullum caput, imo ne uarrationem quidem, huiusmodi sententiis acutis decorisque non eludat. Sic & Senecæ Controuersiæ ac Declamationes imitatione dignæ, quum in vita ciuili mortalium fuerit sapientissimus. Vnumquemque igitur in proprio genere actionum atque significationum eligere sciemus, ac imitari : vt is non solum oratione laudetur,sed quod etiam vitæ genere inter alios emicuerit. Ergo in huiusmodi exemplo cogita quod nec possit, nec significantius quicquam dici potuit. In scelere nefandissimo inuenta est ratio iusti iniustique:disceptationes, orationes, leges, iudicia sunt constituta,tamquam in Republica : disputatumque, in quo maius esset ius, (tamquam de dubia causa) an in scelere,an in virtute. Quot tamen in huiusmodi prætereunt cespitem,non sublato pede?Quum non solum libri sapientum, sed & epistolæ, & sermones ipsi quotidiani, (modo de rebus seriis sint) scateant huiusmodi ornamentis atque speciosis notis. Porro epistola differt à sermone ipso coram,quod perfectior esse debet, quia sublatum est ius statim interrogandi: & continentior, quod in iudicium adferri potest, nec secreto habita vnquam dici, sed quorumcumque oculis subiecta est. Vt sermone vnum possis, epistola necesse sit (si velis) omnes qui eam lecturi sunt, fallere.

In oratione autem publica, primum quidem carminum, quod ad periodorum attinet longitudinem, rationem imitare : quorum longissimi hexametri. Ita in partibus initia finibus nectere debes, vt auditor non fatigetur, quemadmodum inquit Demetrius Phalereus (in principio.) Quumque tria sint hominum genera (nam & hæc præcepta communia etiam esse debent familiari sermoni:) æquale, nobilius, & seruile, causarumque totidem, demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale, breuitas in omnibus (præterquam apud populum) præstat : nam quum ad plures dirigatur, ex pluribus breuibus composita, longa efficitur : & in commiseratione (seu deprecatio fit, seu lamentatio) quoniam frangere animos propositum est, non solum soluta oratione ac prolixa, ipsi nos languidi (vide & cap. 29.) audientium animos itidem languidos efficere, ac ipsos confringere conabimur, sed etiam gestu vultuque. Propterea nec nec breuiter quisquam, nec numeroso pede, si sapiat, mouebit iudices ad misericordiam.In cæteris, breuis periodus, (& in periodiscola,) longe plus virium habet, non solum quod (vt Phalereus dicit) animi fortitudinem ostendat, vnde hic modus Laconibus proprius fuit, sitque robustior compressis sententiis, velut & ordinata acies, quam dissolutis,velut dispersa, sed quod etiam omnia complecti videatur, à quibus paucitate verborum non circumscribitur,tum vero prudentiam atque constantiam hominis ostendat, præterea autoritatem, & animi concitationem. Vnde erga eos quibus imperamus, non alia semper vtimur, vtique debemus [quam breui oratione :] sed cum æqualibus, quia imperiosa est, & iram præ se fert, humanitatem in verbis ac gestu annectere debemus : vt duobus sublatis vitiis, quatuor illi præcipue laudes relinquantur, constantiæ, prudentiæ, capacitatis sensuum

sensuum multorum, tum toboris, ex sententiarum densitate. Sic ergo adiiciemus(vt breui vtar exemplo:) Rogo. At in deliberatiuo genere ea non indigemus, nisi quum sermo ad superiores dirigatur; vbi non solum breuitas venustatem affert, sed persæpe est necessaria. Habet & id, vt intellecta ad se trahat auditorem, tamquam inuento tuo factus sit acutior: sed & vultu & gestu, & verbis humanissimis, quibus rem significare volumus, ambo illa vitia (vt dictum est)sunt eradicanda, vt non solum toges, sed exotes, atque supplices. Itaque ad infimos eo genere simplici vteris; ad æquales autem, exempta suspicione iræ atque imperij,eo verbo,Rogo, adiecto; ad Principes & magistratus ita, vt tota oratio sit lenis & quam demissa. Deprecatio igitur, quum longa esse debeat, vt animos frangat, & [vtcumque] breuis, quia ad potentiores: & constans, vt moueat: & languida, vt flectat, ardua res est: ideo nec tam breuis omnino esse debet, vt in aliis causis:& neruos habere potest in languido genere:velut & ferrum durum [aut ductile:]& fides ac boum lacertos, & coria, tametsi languida videantur, prædura habemus. Itaque & oratione pressa vtere; quale illud: *Si quid vnquam inter tot pia facta tua (recenseri possit,)viscera mea ne dispergi patiaris, vt iam fidi serus tui filium vnicum eripias patri.* Multum autem refert natura Principis, & qualis apud illum tu habearis, & quos habeas oppugnatores: Nam differt multum,an dicas, *Eripias patri filium*,in molli ingenio;an, *Patiaris eripi*, in ambitioso. Quum vero collusiones aliquando doceant à contrario,à simili; in verbis atque rebus, in luctuosis ac vehementibus eneruant orationem,& ridiculam faciunt:magis autem quæ est in verbis. In omnibus autem argumentis quum præstet (si possumus) selectos quosdam habere libellos grauium virorum, quum antiquo tempore non deessent Theosti atque Crantotis, tum aliorum;nostra ætate,quod sciam,præter communes,De officiis, Ciceronis,& pauculos Plutarchi(neque enim illius omnes: multo minus ex omnibus admittere licet, quorum præcepta dum sequeris, aberres grauiter:)velut, Quomodo quis sine inuidia se ipsum laudare possit. Quos tamen in breue compendium redigere queat,si vim argumenti intelligat. Exemplum huiusmodi: si apud ignotos; si modeste, si ab alio dictum contrahat, si rem non hominem, vituperet, si in Deum, si in Fortunam referat, quæ sunt virtutis, si socios participes nominet,se prætereat, si ea quæ antecedunt, inuidisque carent, velut pro gloria labores suos commemoret, si aliud narrare videatur, quemadmodum calamitatem, si vitia sua intermisceat, quibus virtutis fructu caruerit. Est autem peculiaris quædam inuentio omnibus huiusmodi, à fine sumpta, à diuisione:de qua in Dialectica actum est. Præstant tamen hoc libelli,vt exemplis discas, rem,tamquam sub manibus habeas,cum formis,figuris,vmbrisque ad amussim tractare. Verum laus propria non id præstat quod quæris, scilicet vt tibi credant; sed inuidiam,odium,infamiam, opinionem parui iudicij.

In diluendis autem his quæ obiici possunt iudicio maximo opus est. Nam obiectis respondere cogimur, commemorando testamur, magnifacimus,in mentem reuocamus,vt non obliuiscatur, & melius dicat. Magna igitur & dubia omittemus, vicissim notis occurremus, maioribus fidem, constantibus crimen detrahendo.Si plura & magna diluere necesse sit,imitare belli peritos duces, singillatim & breuiter recita, & multis ac grauibus sententiis responde, aut si leuia, paucis, quasi per contemptum. Noli malos rhetores imitari, qui iungunt & exaggerant,quasi aliquid maius dicturi.Nam etsi habeant quod cuique obiecto respondere possint, ex tot tameo tantisque,etiamsi falsa sint,quid indebile gignitur.

Vbi adolescentes ad virtutem sunt excitandi, (suo quidem semper beneficio, tuo nonnumquam commodo) quum diuina non credant, philosophorum rationes frigidæ sint, (vt hoc ipso intelligere possint qui sapiunt, quum dubium haud sit, secundum virtutem viuere melius esse, Deos esse, ac Manes & æternam illorum gloriam ac voluptatem)fallere eos & arte & verborum lenocinio licet: vt quum in vno vis argumentorum,in altero finis laus desideretur, quasi ex vtrisque conficiatur vna ratio. Quale est, apud Alexandrum (lib.4. Quæst.24. & 25.) si exornetur, exemplum pulchrum. Inquit enim: Felicitas hominis (in qua omnia bona continentur,)in optima illius parte, id est, rationalis animæ animæ operatione & perfecta acquisitione reponenda est. Quod autem optime adipisci finem,optimum sit, dubium non est:Scribentis,bene scribere,canis venatici perfectio,bene venari. Sed & quod virtus in rationali anima sit,& optimum, palam est:tum quia,si aliud melius esset, non esset virtus optimum per se: & ideo, quum optimum,virtutem appellauerimus,non esset virtus,virtus,aut optimum, optimum. Et etiam,quoniam vitia infinita sunt, & ob id periculosa semper, nec consistere possunt: felicitatem autem fixam & stabilem esse oportet: neque conueniunt hominum conuersationi nec societati vitia. Si ergo finis hominis est, viuere cum aliis, (aliter esset infelicissimus) id maxime expetendum, quo sic viuere possit. Vt si finis hominis esset domus,maxime expetenda esset ars ædificatoria. At quod virtus maxime virtute comparari possit, & hi qui eam non magni faciunt, sponte fatentur,quum videant labore & patientia & industria[vnumquemque]virtutem adipisci: Et ratione perspicuum;si quidem similia similibus facilius habentur,quam aliis. Quod si quis obiiciat, [virtutem] non esse quandoque expetendum, quoniam aliud non secundum virtutem, melius sit, vt lucrum, medendo, quam studium: Respondemus, quod non: quoniam id quod est per se, optimum est. Sed fallit nos vsus, aut consuetudo, aut exemplum aliorum;vt in plerisque etiam aliis malis. Verum si hæc tollantur, apparebit manifestum discrimen. Quod si dicas: Quid si hoc efficiat, vt desit, aut postmodum recuperare non possis? Non erit primum virtus, deserere semetipsum: at de secundo, plus multo facit ad vtilitatem ex hominibus capiendam, modo viuas apud homines, non asinos, (quanta sufficit ad vitam vsque pœnitentia

pœnitentia in fine traducendam) virtus, quam quod vltra acquiritur ex conuersatione, virtute omissa, quum ad finem vitæ perueneris, cuius æstimatione omnia sunt metienda, & homo sibi felix aut infelix videri solet.

CAPVT LV.

De vi.

VIs autem odiosa per se legibus est, propterea dolo miscenda. Sed minæ locum habent virium in timidos, nec legibus adeo subiiciuntur. Et scias quod iracundis semper minæ auferendæ sunt. Minarum autem loco habetur negans: veluti si dicas, Ni feceris hoc, vel hoc, sed dicas: Oportet, vt adipiscamur, id agere facile enim erit. Vis quandoque vsui est in eos qui volunt, quum in aliena fuerint potestate. Minis locus est, nemine præsente. Pueros & puellas vi abducunt multi. Sed in puellis præsens periculum: quia flagitium præsupponitur. Auferimus etiam vi, quæ nostra sunt: & sacerdotiorum possessionem occupamus, in riuis aquarum ducendis, in finibus agrorum, &c. sacerdotibus: quæ numero dierum ius acquiruntur: velut domorum locationibus, quum publici ministri non sufficiunt, seu ad tuendum, seu ad protrudendum, quum ex possessione ius accrescit, aut pecunia pro defensione. Semper autem vi tueri propria, quam inuadere aliena, magis permissum est à legibus, & laudabilius. Inspicere autem oportet, an tutum sit quod quæritur, & qualem aggrediaris rem: inde disponete, instruere, exercere. Dei veneratio, & pudor, semper ante oculos proponatur. Tametsi enim impudentia & impietate homines sibi videantur esse liberiores: si tamen cogitent voluptatis præcipitem transitum, quum infamia hominem comitetur ad mortem, tum sceleris conscientia, raro ad huiusmodi flagitia patranda deueniet. Etenim postquam patrauerit, pecunia commutare non licebit: neque homo, nisi errore & animi impetu seductus peccat. At insidiæ tutiores sunt aperta vi, ac minus detestandæ: tum eo ipso, ne bellum in vrbe gerere velle videatis. Debent autem & ipsæ & vis liberalitati iungi. Etenim nihil est, quod vitiorum turpitudinem magis tegat, & à legum periculo hominem vindicet, ipsa liberalitate. Insidiæ ergo inter minas quasi & apertam vim sunt constitutæ: Sed si non procedant minæ, plurimum obsunt, quoniam inimicum monent: vt etiam vis. Propterea insidiæ omnium sunt tutissimæ. Minis vtuntur, qui potentia vel iure præcellunt: ne sæuire velle videantur: honestæque minæ vocantur hæ: quamquam finis iustus aut iniustus eas distinguat: aduersus tamen miseros, ni palam improbi sint, (minis) vti turpe est. Ob iustam igitur causam esse debent, & breues, & de magnis rebus: vt quum pro vita & honore certatur cum his quibus minamur. Talis est, vt honore læso stare non possit: velut qui publicis negotiis præfecti sunt. Semper autem vbi aperta vi vsus fueris, decet te in aliam conferre regionem, ne publicam autoritatem contemnere videatis. Nunquam tentabis vt non perficias: ergo neque nisi coactus, quum non securus es de fine. Vis quoque simulatione & insidiarum, improbi bonos euertunt. Etsi enim ei nihil noceamus, iniecta tamen suspicione, vitam (ob pauorem) reddimus inutilem; vt primum relinquat occasiones bene gerendarum rerum, & consternatus animo vt nihil capiat consilij. Quare quum huiusmodi ingruerint, audendum est, magis necessitate quam spe. Satius est enim fortiter se dubiæ opponere morti, quam per segnitiem semper mori ac torqueri. Oportet autem eum qui vim conatur inferre, promptum esse, vigilem, & admodum cautum: præterea considerare finem, & quæ ad illum necessaria sunt. Melius autem ad voluptatem propriam vis dirigitur, quam ad incommodum alienum: & si commodum incommodo addatur, landabilius erit; tum quia in vtroque eminet species potentiæ.

Principaliter autem, quum quatuor sint modi in actionibus, maxime vlciscendo: velut agere, & videri; id in filiorum & fratrum iusta vindicta conuenit: vel nec agere, nec videri, quum res non magna est, & dolo caret: videri autem, & non agere, in viliores personas, quum res non cotemnenda fuerit, abest tamen flagitium: agere veto, & non videri; quũ res non extrema est, dolo tamen atque insidiose peracta Semper autem, quum de honore & dignitate agitur, & contempta autoritate, tum vitæ periculo, videri agere oportet, & quum res ad vulgus refertur.

CAPVT LVI.

De natura.

NAtura commutationes parantur: quum tu (gratia exempli) puerum quæris, egu musicum, ego equum, tu equisonem. Nostra nobis magis etsi placeant, tædio tamen minus cara persæpe sunt. Consuetudo retinet, copia abigit: nam & generaliter libentius commutamus quæ nos satiant: Et ea sunt, quæcunque causam habent ob quam placuerunt infirmam, aut senescentem: Aut si cupiditate habendi, impensæ obliuiscimur; inde quum consideramus, illa nos grauat: Sic quum alia alia aliis placeant, natura rerum ipsarum, commutare facit. Atque id maxime contingit inter eos qui sunt diuersorum, velut apud Poëtarum.

Agrum pro puero Calliodorus habet,

Vt igitur rem illi iucundam in potestate habeas, oportet vel pluris emas, quod pecuniæ omnia potestate contineant. Sed hic modus nunc à nobis non consideratur. Naturam inquam ergo dicimus rerum & hominum, sub qua vota illorum continentur.

CAPVT LVII.

De tempore.

TEmpore quoque constant hæ commutationes: & quæ ab initio date petentibus nolumus, vltro rogamus vt accipiant. Nihil est quod (quis) sibi non queat de tempore polliceri. Diu si vixeris, & prudens sis, omnia

omnia habebis. Sed hoc est quod nos turbat: (vtrisque scilicet eorum quæ desiderantur occasionem persæpe præterire, etiamsi [diu] vixerimus;)interim quoque vsus petit. Tempus omnibus rebus aut gratiam addit, vt illi recipiant, quod recusabant, aut adimit, vt dent, quod dare nolebant. Quid non promittit, imo quid non præstat tempus? Inimicum occidis; scelerate plerumque, iactura magna, maiore periculo, vt perpetuo sollicitus & anxius viuas: & si (vindicta m pauculis annis (persæpe etiam mensibus) differas;ille, nullo tuo crimine, cum tota stirpe corruet. O insanam hominum mentem, quæ ea tam care emit,quæ tuto & absque dispendio habentur, ob modici temporis impatientiam! Sed quum, vt dixi, interim pereat vsus, & in periculo verseris,& iacturam patiaris, distinguendum est diligenter, quando locus sit expectationi, & quando non. Videtur autem semper expectandum, quum tua ætas longe in annos minus processerit: Vt contra ridiculum est, senem expectare occasionem ex aliorum morte qui longe sunt iuniores.

CAPVT LVIII.

Scientia rerum, morum ac potentiæ.

NIl autem præstantius est (præsertim in controuersis rebus) scientia ipsa rerum de quibus agitur, tum morum, ingenij, ac potentiæ eorum cum quibus pugnas. Constat hæc pluribus modis; quum tamen præcipui quatuor sint. Multorum primum hominum consuetudo, nam multi multa norunt: Corruptio intimorum, quæ in vsu frequenti est apud Principes: atque adeo vt(si velint) nihil priuatorum eos lateat, imo etiam aliorum Principum pauca: Et indicium quod ab operationibus illius sumitur. Et quamquam à paucis facile falli possis, decursum tamen totum si obseruaueris illius actionum, non erit difficile,tametsi cautissimus sit,illius animum, fidentiam, potentiamque deprehendere. Vltimum est, epistolarum diligens consideratio. Secundo modo in species diuiso, primum dabimus locum amicis his qui rem tractant,& (si fieri potest) ordinariis: veluti his qui à secretis sunt: quamquam hoc arduum sit: non enim ignotis facile obsequentur sine præmio, quorsum? cum præmio, periculosum. Ob id aduocatis vtemur: qui & ipsi ordinarij sunt, sed non primi: quibus etiam pecunias, si ita res exigat, & ipsi nobis amici (sint,) ad corrumpendum dabimus. Quarto loco, si neque amici illius, neque qui à secretis sunt, nec aduocati id possunt, per sanguine coniunctos his, qui primum aut secundum locum obtinent, id tentabimus. Quintus locus est per potentes viros, tibi amicos. Omnia enim potentium sunt, & arcana etiam, modo prudentes sint. Vltimo loco sunt amici tui sagaces. Sed in rebus magnis, parum his confidendum. Sed & negotium quo in statu sit, scire oportet, & quantum processerit; quantumque qui aduersatur, polleat consilio, amicis, pecunia, potentia, consanguineis, efficacia (quæ maximum est.) Tum vero cum peritis consilium, inibis: de) imprudentibus, etsi alioqui fidis, ne nimium speres.

CAPVT LIX.

De decore.

AT vero in omnibus decoris tui memineris:victor, gloriosus, victus sine turpitudine cades. Nec te deiicies in aduersis,nec efferes in secundis. Oppones, vt peritus gladiator, vbique cuspidem. Senes, quorum vis effœta est & facile contemnuntur, prudentiæ opibus, ac seueritati inniti debent. Sene stulto & paupere nihil est miserius: sed etsi diues sit,& sapiens, sed remissus, contemnetur ab omnibus. Præteriere antiqui mores,& consuetudines honestæ. Non male igitur Aloysius Gallorum rex, eius nominis vndecimus, quum senex & æger esset,seuerior adeo factus est, vt quasi sæuus appellari potuerit. Dices, Nonne me amabunt & obseruabunt, si pecunias meas diligant? O stulte, nihil minus,sed irridebunt. Quamobrem & eos non vitupero, qui senij indicia tegunt, capillorum & barbæ caniciem plumbeo pectine (tollunt,) & aqua separationis,in qua argentum est dissolutum. Verum non denigrat admodum,sed rugas tollit, radix anguini cucumeris in aqua lactis dissoluta; vel si ittidis succo, aut spatulæ fœtidæ, rugæ liniantur, & vlcerata cutis inde vnguento ex cerusa curetur. Rursus cerusæ præparatæ drachmæ quinque; margaritarum, vitri, crystalli, chrysocollæ, singulorum drachmam vnam: caphuræ, myrrhæ pellucidæ, sarcocollæ,singulorum drachmam mediam, confice pastillos ex læuigatis in marmoreo lapide, cum aqua rosacea: & sicca. Quum opus est, dilue cum oleo de tartaro; & illine faciem vesperi: mane laua cum fontis aqua. Facit & ad hoc ceruina medulla, asini adeps, oleum ouorum, & frumenti. Dignoscuntur etiam senes à dentibus, de quibus suo loco actum est. Sit ergo senex mundus, comtus, hilaris, blandus, grauis, seuerus in domesticis infimis castigandis: habeat autem à quo vereretur. At virilis ætas robore ac viribus, tum agilitate, constantia, atque fiducia se tuetur: nec vlla melior. Itaque senes prouidere debent, vt filios ex se habeant, aut ex fratribus, sororibus've, obsequentes, atque prudentes. His enim ætas illa secure innititur. Quod si & his omnibus careat, deligat puerum, virtutis sapientiæque amore flagrantem: itaque illum instruat, vt (præter sanguinis coniunctionem)filio persimilis sit, & bono. Quidam pro filiis nutriunt: sed syncerius est, animi veros filios educare, quam corporis ementitos. Ne sit verbosus senex, caueat: quando in nullum aliud vitium facilius ac turpius decidant ipsi (senes;) seu quum facta iuuenilis ætatis laudant,seu quum audita commemorant. Pueri autem blandi, venusti, comti, honesti,sciuli, mundi prompti esse debent: verbaque illos decent magis, quam vllam aliam ætatem: pudici quoque. Etenim commoda impudicitiæ etiamsi maiora essent iactura atque infamia, adhuc longe minora

minora redduntur, quoniam incerta sunt. Propterea, quum vitia & virtutes legibus constent, minore dedecore, maiore flagitio adacti, &c. feliciores sunt. Itaque & clam admissa, nec in exemplum adeo feruntur, quod vindicare non possint. Quamobrem ita instituendi sunt, vt omnia liberalia munera norint exercere; legere, scribere, fingere, pingere, canere, pulsare, natare, equitare, & huiusmodi. Mulieres vero, castæ, pudicæ, mundæ, sollicitæ, acu (non penicillo) pingere assuetæ, &c. In omni actione memento quanti res sit: ne (vt stulti faciunt) pro obolo amicum, aut existimationem, aut rem magnam perdas. Qui scis cum quo certes? eorum qui adsunt, dignitates, ac virtutes? &c. Et quum beneficium acceperis, si non (amplius,) gratiam non interuertas. Ingrati enim animi est: meminisse, quod non dederit; (non) meminisse, quid dederit: tamquam qui nihil debuerat, omnia deberet. Nec etiam tam refert quid agas, quam quo modo. Honesta enim si turpiter tractentur, turpibus cedunt modeste tractatis. Verba generalia affectu atque gestu efficaciora facta, magis decent, quam expressa & propria; in quibus periclitatur existimatio, si secus euenerit. Neque enim repetitio affectus, gestus, vultus contentio, ita obiici possunt, vt expressa sententia: & si euenerit &c. in memoriam reuocata, maiorem habent vim; tum propter id quod mos id probat, tamquam prudentium, &c. Possunt ad plura alia contorqueri.

CAPVT LX.

De executione.

OMnium autem quæ ingeniosè & solerter inuenimus, finis atque perfectio est ipsa executio: vt tanto celerius omnia peragamus, quanto cunctantius deliberauimus. Gnauiterque agendum; vt breui absoluatur: Fortiter quoque & continenter; orando, rogando, hortando, vrgendo; impellendo etiam tuos omnes auxiliatores: vt simul, exemplo eorum qui pondus aliquod aut vehunt aut attollunt, (qui se clamoribus, vt vna moueant, adhortantur) in negotium incumbant, ac (vt ita dicam) quasi ruant. Vt numquam cesses: sed imiteris ventos (qui leui flatu immensas naues assiduitate impellunt) donec aliquid firmum constitueris. Multa enim negotia pluribus constant ex actionibus: quas vt dum peragis, intermittere maximum malum est; ita indecorum, laboriosum, & persæpe damnosum, actionem actioni ita continuare, vt te tuosque amicos fatiges. In periculis etiam grauibus sæpe melius locum dare iræ furorique inimicorum, quoniam repugnando coeunt consiliis, vt hyemis tempore spiritus noster: cedendo dissoluitur, velut flamma radiis subiecta Solis. Fratres à fratribus dissidente? si vexes, statim in vnum conspirant. Ita narratur fabula de lupo & canibus inuicem pugnantibus. Optime exequi dicimus, quum prompte, perfecte, polite, modico sumptu, aut labore, ac turbatione; clam denique, & quasi inexpectato. Neque enim celeriter exequi, est cito exequi; sed antequam possis impediri. Quod malum est in his qui à Principibus iuuantur, inuitis autem ministris. Nam quum impedire nequeant, durius negotium reddunt, patefactis his, qui controuersantur, consiliis tuis. Occasionem etiam (captare) quum in omnibus (vti antea diximus) vtile sit, admodum vero in exequendo præstantissimum; vt non solum in singula etiam momenta eam obserues diligentissime, sed arreptam prosequaris; ita vt nihil in ea prætermittas aut hæsites, vel cuncteris, delinquasve, donec negotium totum scilicet absoluas. Solent quæ per occasionem offeruntur, meliora esse, & perfectiora, quam quæ quis industria sibi parauit; vtpote quasi diuinitus oblata, & in finem illum ordinata. In his vero actionibus, quas semper facere licet, infectas numquam reddere, vbi par est periculum, melius est, quamdiu licet facere, non fecisse, quam fecisse: vt in dubia curatione, vbi sanguinem vsque ad quartam diem mittire licet, ad quartam vsque non misisse, quam misisse, præstat. Exequutor, præterita prima occasione, aut si quid noui emerserit, aut detectum sit à mandato, (si tempus habet) consulere debet principalem. Quo præcepto prætermisso, magni errores sequuti sunt. Si tempus desit, exequi præstat, aut generaliter in determinatis actionibus quam lente procedere: scilicet vbi certus boni finis exitus non est propositus: & in determinatis etiam, antequam media ad obtinendum nondum collegerit, vt concursus fiat. Vbi autem ambo illa adsint, celerrime properandum.

CAPVT LXI.

Verbis pluribus quando vti liceat.

ATque illud primum aggrediamur, de sermonis multitudine; quam necessariam quandoque esse constat: & primum inter veros amicos, quauis de causa, seu relaxandi animi, seu voluptatis, seu facti enarrandi, seu consultationis: & inter fratres, maritum & vxorem, patrem & filium, amantesque; & quum fallere imperitos, sermonis multitudine studemus; aut vendere pro rebus verba, aut nugas pro pecuniis dare: & quum præoccupamus sapientiores nobis, locum dicendi ac tempus eripientes: & quum verba pretio venduntur, vt apud causidicos, & procuratores: & proxenetis nugari semper consuetum fuit: & parasiti & lenones apud comœdos vt garruli introducuntur. Nimium quoque in oratione fuisse Ciceronem constat. Et certe in quibusdam multitudo verborum vim quanbusdam affert: præsertim si ordinata, concinna, cum affectu, & de re non magna fuerit; tum vero apud leues auditores: talis autem populi turba. Generaliter autem in partibus suis, quum opportuna est, diserte & subtiliter loqui, non est extra rationem. Maxime autem nugacis nomen verendum est, quum de communibus multa loquimur.

CAPVT LXII.

De dolo dignoscendo.

AT in agendo nun decorem, sed potius vtilitatem inspicere decet (loquor autem de tractationibus.) Id fiet, si ne decipiaris, caueas. Primum igitur scire oportet, cum quo sit negotium; an animo sit doloso: dignoscitur autem ex intenrione, de qua superius (cap. 45) tractatum est, & ex natura hominis, & quemadmodum erga te se habeat; demum ex propriis signis. Ex natura quidam sunt impudentes, improbi, audaces, leues, perfidi, nugaces. Senes quoque callidissimi (sæpe sunt,) & decepores apti, verum ad eludendum maxime aceommodati. Ind cio est, quod senes, quum sint effœtis viribus, & ignaui, ratissime tamen, nisi vi aperta, opprimantur. Vt palam sit, etiam in humanis prudentiam, robori atque potentiæ præstare Galli etiam & Hispani ad fallendum promptiores Germanis: sed nulla magis gens, quam Afri atque Græci. Circulatores quoque & mimi, & lenones, periuti sunt & fallaces; & pauperes diuiribus magis. Inspicere igitur oporter regiunem, sexum, ætatem, educationem, mores, &(si quid ad rem facit) formam. Pueri enim, & mulieres, & rustiei, simplices; mercatores & artifices mala fide sunt. Neque tamen omnes similiter ad singulos se habent, Gabriel Fundulus, quum esset proditionum fons, vnum tamen obseruabar atque solum Facium Canem. Itaque ue credas omnes homines tam callidos esse: vt tu es; neque animo adeo improbo ad decipiendum. Quidam bona fide agunt, etiamsi à natura improbi sint, quod natura uon patiatur homini violentiam perpetuam inferre. Plures ¡easu pleraque faciunt. Quæ autem ad decipiendum inuitant, potissime tria sunr: audacia (suh qua eontemptus continetur,) spes, & necessitas. Qui enim putar etiamsi deprehendatur, inultam sibi fore fallaciam, audet omuia: & qui necessitate eogitur, & vbi spes est, occultam rem fore. Sed plus potest consuetudo umnibus: adeo vt eogites quæstuosos numquam quiescere, (ita ad decipiendum sunr consueti; maxime mercenarij, & qui minutim vendunt, velut lanij, eaupones, vestiarij,) nisi deceperint vel numero, vel quantitate, vel genere rei, vel pecuniæ computatione: Finisque recti sui, est corrasisse. Tum vero videntur: [sibi] ex æquo rem peregisse. Alterum igitur est, vt tunc ex æquo rem peregisse existimes, quum irascuntur, & mœstos reliqueris: hoc enim iniustum est: putantque se deceptos, si nihil præter ius omnino corradere potuerint, nee in vllo deeipere. Circa quod etiam animaduertendum diligenter, hoc illos scire, alios siquidem id scire: atque ob id etiam quantumcumque dederis, & quantumcumque iu parte deceperint, querentur. Ar si oculos inspicias, facile deprehendes: horum enim ridentibus similes; illorum iratis, rubentes & flammei. Verba quoque cum impetu gemituque prolata. Si ergo quippiam empturus sis; dimittantque, inde reuocent, & sub eodem pretio, quod recusarunt, merces offeranr; suspicandum est de dolo. Quamobrem iurenre inspicere uportet: iuuabitque digito elam, dum discedebas, signum impressisse. Etenim pessimus dolus est, quum, mutata re, ae simulata pœnitentia, emptorem reuocauerint. Speciatim autem signum deceptoris est, quum diuersis ambagibus te circumuenit. Ædificatores in tabella exponunt plus quam exigatur rerum, & maiore pretio: vel deprehenderis, cur est vt in illu amplius confidas? itaque ex vngue leonem: Stultum est, vbi semel conuiceris, in aliis existimare meliorem. Auida quoque conductio (aut condictio,) & sollicitatio negotij, doli signum est. Quinimo, si diligenter inspicias faciem, vix fieti potest, vt vel non oculum deprimat, aut conniueat, aut rideat, quamuis in suam malam rem. Adeo natura humana fallax est, vt etiam de spe concepta, lætari suleat. At in prædiis vendendis duplo locant, tutumque reddunt conductorem.

CAPVT LXIII.

Captores quomodo eludendi.

DVm veru captare aliquem propositum est; aut ob lucrum eaptare oportet, aut vt obtioeas quod aliter obtinere non potes. Captare enim solum vt irrideas, non tam maligui est, quam etiam stulti. Captant te præeipue, dum conrrahis, & dum à eontractu discedere cupis. Vt veru eontrahendo fallas, non est propositum docere, sed vt eos qui fallunr deuites. Cauebis ergo mereatorum, artificum, operariorumque dolos, hac ratione. Est iu rebus materia, labor, quanritas, numerus, pulehritudo, ac pretium. Perdiscere ergo primum omnia hæc à peritis in arte, decet: nee festinatione opus est in huiusmodi negotiis, si non errare velis. Circa materiam quidem ipsam (eonsidera) genus speciem, locum, tempus. Aurum enim argento nobilius, & purum misto; & Orientales margaritæ Scoticis, & nouæ vetustis maiore in pretio sunt, & rotundæ informibus, & illustres hebetibus, & leues asperis: multaque huiusmodi similia, quæ in artificiu desiderari solent, quum res ab artifiee elaborata est: at hic artifex est Natura. Finge igitur, aiit pulehrius, aut minore pretio potuisse ab aliis habere: ipsimet se detegent, obiicientes viliori pretio merces etiam ignobiliores, melioribus pretium maius. Ita facile cuncta deprehendes. Quod si curam hanc suscipere velis, edoctus ab illis, poteris aliunde emere elegantiores, & viliore pretiu. Caue etiam ne redeundo, merces quas ostenderunt, commutent, & viliores sub eodem pretio exhibeant. Quum prope pretium accesseris, maxime si non res admodum venalis est, dices, Hoc offero: quære alium qui plus dare velit: conditio hæc non tibi deesse potest, modo non prouisum sit mibi. Hæc enim verba maximam inducunt suspicionem pœnitentiæ, & opportunioris conditionis. Cum artificibus autem conuenies de materia (cuius particulam tecum auferes,) quantitate, qualitate artificij, partibus singulis, tum numero: præstituas quoque

tempus.

tempus. Arrha enim accepta improbi litigaſe ſolent: eam [ita quam tenuiorem potes dato: ſi fallat, eam potius ei relinque, quam vt dolo feſelliſſe te gloriari[queat.] Inde poſt diem, aut paulo poſt, ſubmitte (venale enim proſtabit quod non recipiſti) qui emat: nam viliore pretio redimes, quam ſi quadruplum arrhæ ademiſſes[vel adieciſſes.]Ita illum propria techna conficies. Cum architectis autem conuenies, vt ſingula quæque ſcribas, genus, quantitatem, numerum, formam, ac reliqua, tum operas, atque impenſam, inde petes, quanti ille, vt te intrudat paullatim negotio, multo minus (vt ſolent omnes) profert; tum vero illi offeres locandum opus: atque ſic ſuo & ille dolo deprehendetur. Quod ſi antea plus poſtulet, negabis te ſuffecturum impenſæ: quæſiturum qui minoris te facere doceat. Perfecto opere, quantum potes pecuniarum retine; donec ſi quid deficiat, aut male concinnatum eſt, aut doli ſubeſt, aut non apte fabricatum, & iuxta perſonam tuam, deprehenderis. Idem cum omnibus artificibus: quos vbi conſtiterit dolo aliquid ſubripuiſſe, ne excandueris, (plus enim oderint, & minus timebunt) ſed coge vt ad quadrantem vſque reſtituant: quos, ſeu furentur, ſeu dolum intendant, vitare decet in poſterum. Sed etſi nil tentarint, non magis illis fidem habeto; ſed cum Græcis ac lupis rem eſſe ſcito; prioremque probitatis ſpeciem, eſcam eſſe in hamo, ad ſecurius grauiuſque fallendum. Sed neque confidas his, quos beneficiis affeciſti. Propterea ne beneficium alterutra electione amittas, ſeu eorum opera vtaris, ſeu non; finge ſummam in eis fidem: proxenetam vero ſubmitte, qui alia via idem tentet: ſimulque fidem amici explorabis, & tutus eris à iactura. Vbi enim deceperit, dices ab altero te iam accepiſſe. Duo denique quum ſint modi negotiandi: vnus tacitè; alter vt aliud fingas: ſimiliter quatuor emendi: vt intelligant ſe velle emere, & ſtatim, iſque peſſimus eſt: ſecundus vt videaris, & tunc nolis, tamen non concurrent multi venditores certatim: tertius, vt videaris etiam, ſed pretio valde vili oblato, omnino è ſpe decidant: quartus vt aliud potius velle videaris: Horum ſecundus maxime eſt in vſu: optimus tamen eſt vltimus: tertius vero in his quæ vendere coguntur. Vbi artifex aut vilis perſona plus petit, non ſufficit iuſtum pretium obtuliſſe, ſed longe minus; inde quod contemſerit, obiurga. Si in numero, aut pondere, menſurave falli te exiſtimas, honeſte conſueuerunt repetere numerationem aut menſuram, quaſi minus dederint, aut plus acceperint, vt videant an plus dederint, minuſve acceperint. Si actio cum inconſtanti viro ſit, tardare oportet eo vſque, vt actio cum promiſſione coniungatur. Optimum eſt in his, eos aggredi imparatos, & opus ſimul cum oratione coniungere. Quod ſi nequeas, cautionem exige, pignore accepto, aut arrha: vel partem negotij prius abſolue, aut fide publica interpoſita, magiſtratuſve autoritate, aut iuramento, vel teſtibus: vbi mutauerit, minus agendum eſt. Neque vero minus glorioſum eſt, ſe tueri à dolo, aut vtile; quam dolo fallere. Primum quidem, quod maiore damno & dolore afficiatur deceptus, quam voluptate atque vtilitate deceptor. Captando etiam multis modis peccatur: fide euerſa, quod non licet euidenter, quod non decet: in leuibus, animi potius nequitiam detegis, quam fias ditior; ſi non aſſequaris, periculoſum, præſertim cum potenti viro, aut vindice [vel iudice.] Obſtant leges, infamia premeris, ſi viduam, ſi pupillum, miſerum, amicum benemeritum euerteris: quid fœdius, aut deteſtabilius? impietatis, non ſolum flagitij, hæc plena ſunt: non ſecus ac ſi contempſeris ſacerdotem, aut ſacras virgines, aut templum ſpoliaueris. At in deludendo captantem, quæ dulcedo, quæ ſecuritas? Eſt etiam illud conſideratione dignum, neminem recte fallere ſcire poſſe, qui neſciat quomodo recte captantes vitare liceat. Vtrumque enim ſimul neceſſarium eſt, & captare, vt non capteris; & captantes eludere, vt captare poſſis. Noli igitur nimium confidere; nec rurſus metuere. Cæterum, vt ad rem redeam, ſummamque detegam, omnis emptionis, venditionis, ac permutationis, tum ſolutionis, præſtitæque operæ; in duobus conſtitutam eſſe noris.

Vbi litigandum eſſe intelligis, fac vt ex actore reus fias. Hoc multum refert. Nam impenſa minuitur, minus temporis abſumitur, & æquiores habebis iudices. Id ergo continget, vbi rem poſſederis. Itaque vbi improbitatem animaduerteris, omnia pollicearis: ſed oſtenta potius ſimplicitatem, quam vt blanditiis vtaris. Vtere potius blanditiis, quam pollicearis. Hoc caue quantum potes. Sed, ſi neceſſe eſt, verbis fallacibus, & nemine teſte, aut ſaltem eorum altero. Vltimum eſt ſyngrapha, ſed, compoſitis certa ſtructura verbis, ne poſſis conuinci. Ita arduum non erit, vt rem mobilem, non fundum, ad te transferas.

In emendis equis, quum vitia ſint occulta, ſed exigua, vt pauidus, cibi parcus, ſed manifeſta, vt cæcitas, tumor pedum, vel occulta & magna: primis parum læderis: ſecundi generis vitiorum admonebit te equiſo peritus: tertio ſubuenit lex municipalis, in qua communiter excipiuntur aſthma, grauedo (quæ in equis valde lethalis eſt morbus,) Græci felicius [illegible] vocant, vt laborantes dolore per circuitus, ſeu dolorem rediuiuum [illegible]. Itaque recte conſultum fuerit huic rei, modo equiſonis periti opera fideli vſus fueris, & reſtitutioni pecuniarum locus detur, vt ſcilicet à ciue emeris, & eo qui ſoluendo ſit, nec ſit litigioſus, aut potens, aut qui nolit legibus parere.

Eſt etiam aliud genus, quod excogitarunt, vi quadam decipiendi emptores. Dicunt enim tanti emiſſe. Quod quum falſum eſſe coniectaris, dimitte illos. Si ſecus facere potes, non violentus dolus eſt. Aut enim cogeris dare quod volunt; aut debere illis pro ſuis nugis: quo nihil eſt turpius. Id autem agunt, quum ſciunt neminem etiam alium eius mercis venditorem: perindeque ac ſi dicerent, Cogeris accipere, ſi vis. Sed hoc turpius putant, quum fallantur: nam ea excuſatio vera eſt: verum autem ſemper honeſtius eſt mendacio, quod ſi repente eos deſtituas, compenſabis dolum. In prædiis vero, vbi pluris locauerint, ante locationem fructus ſcire oportet; & quis is

ſit

sit cum quo colludere poterit. Vide etiam vicinos agros & dominos, atque colonos: fucus enim sobolet bis. Demum tentabis, an velit paulo minore pretio, perpetuo conducere: vt sit hypothecæ dominus.

Quum librum conscribere velis, timeasque ne exemplar aliud efficiant, multa in margine annotabis, aut charactere obscuro [maculabis] autographum: Scribes autem omnino aliqua non in eo contenta, sed in foliis aliis scripta ostendes, quæ interseri cupias post medium libri, aut etiam passim; testatus, oportere illum hæc apud te scribere, desperationem iniicies surfurandi. Sed si cupias exemplum libri, qui his vitiis omnino careat, transcribi sine suspicione, multa passim cerusa & tenui graphio obscurata, vt non possint legi, iubebis apud te transcribi; primum permittendo vt absens in multis, sed leuiter, aberret. Ita opera alicuius ex tuis, tamquam monitore te aut custode, rem absque periculo & suspicione absolues.

CAPVT LXIV.

Quando à conuentis discedendum.

QVum vero iam captus es, & à conuentis cogeris discedere, seu captare consilium est, seu captantem eludere; ostende primum, te maxime cupere, quod ille pollicitus est: glotiare de lucro, optimave conditione: finge timorem, ne à conuentis ille discedat; etiam submisso proxeneta, qui se meliorem conditionem pro illo effecturum polliceatur: vrgere importune, quasi verearis, ne à pactis discedat, vt tandem præstet: facile enim fiet, vt aliquid plus ille postulet: quod etsi non satis videbitur: præsta; ac rursus per eadem conare illi persuadere, pinguem esse tuam conditionem, atque optimam; illius tenuem atque exilem: donec illo augente postulata, liceat honeste tibi à conuentis discedere. Quod si hæc via non procedit, submittes nouos negotiatores, qui meliorem tibi conditionem offerant, aut quem tecum iniit contractum vituperent: donec ille tandem pœnitentia ductus, aliquid dicat, faciatve, quo pactum abrumpatur. Sed si nec in hos casus incidat, tum ad turpia descendere cogimur; ad iurgia, iræ prouocationem: donec fatigatus & tædio affectus, dissoluat pacta, etiamsi publica fide tabellionis coaluerint. Velut apud Diodorum de Dionysio maiore, tyranno: qui cùm à Reginis, ob eorum culpam, discedere vellet, frumentum ad alendum exercitum postulauit, vt si non darent, eorum amicitiæ renunciaret, si darent, fame eos subigeret: quorum vtrumque obtinuit. Dederunt enim, inde cessarunt: sicque obsidibus remissis vrbem eorum cepit. Ita à priuato, quod non numerata pecunia det, postulabis. Talibus vti licet aduersus inimicos, insidiatores, æmulos, quique gratuito te persequuntur, quibusque controuersari, &c. aut oportere suspicaris. In omnibus autem, tam externis, quam domesticis, honeste excusatio sumitur coram eis, si ex eorum facto videaris læsus, vel in corpore, vel in re: vt si horam præstitueris, alia ille veniat, tum impeditus impingas ex celeritate, vel illi intentus, in ianuam, aut vas pulchrum, licet exigui pretij, frangas.

CAPVT LXV.

Proxeneta.

QVæ vero per alios agenda sunt, auxilio proxenetæ indigent. Eligatur ergo vir impiger, callidus, versutus, comis, nugax, (nam in emptionibus, venditionibus, famulis conducendis, verba loco pretij habentur) efficax in rationibus & argumentis, promptus, & occasionum maximus captor (solet enim in prouerbio Genuensibus esse, Debueras, quum calidus essem, recipere, nunc cogitaui,) exercitatus in omnibus huiusmodi negotiis, quod summum est denique. Hunc ergo tibi amicum, tamquam te ipsum efficies: si fuerit illo in amicos suos gratus & fidus, & nunc non abhorreat ab amicitia tua, & qui honoris ac existimationis maiorem quam opum curam habeat, tenaxque sit amicitiæ: [& qui] non nulla in re excellat, sed in omnibus mediocris sit: nam qui plurimum excellunt, & adeo in singulis minutis attenti sunt, maximos solent admittere errores. Hunc sic ad amicitiam tuam allicies.

CAPVT LXVI.

Proxeneta quomodo in amicitiam alliciatur.

SImula te oblectari omnibus, quibus ille delectatur. Curabis vt tua consuetudo ei non sit inutilis, seu lucri occasiones offerendo, seu donis sæpius exiguis (maxime eduliorum) alliciendo. Si ambitiosus est, extolle, si laude simplici contentus sit. Coram teste ne vmquam cum illo contenderis, nedum vt queraris, aut reprehendas, vel accuses: solus quum sis, licet modeste atque amanter admonere, hac forma. Emit (gratia exempli) pluris aliquid; dicas, Bonum est, ac commodum, licet aliquanto carius, aut, Melius forsan fuisset conditionem priorem recepisse; aut, Si occasio tulisset, præstabat aliquantulum expectare. Suos (vtpote filios (ipsius,) & vxorem) iuua, quum potes, &, si merentur, lauda: aliter, ne eorum feceris mentionem. Eum sæpius ad communem mensam inuita. Nihil enim hoc lenocinio ad conciliandam beneuolentiam accommodatius. In domum ne receperis. Nimis enim familiaris & assidua consuetudo, odij aut contemtus semina parit: tum maxime propter suos, tuosque: etiam coniux quos diligit, vxor odit: nec tantum apud alios fidei habebit in tuis negotiis, vt qui seruam operam habere credant. Iuuat tamen vxorem vxori, filiosque tuos suis conciliasse, si probi sint. Blandus erga illum sis, ac comis: in eoque genere sermonis sæpius versare, quo maxime ex obliquo, & à latere quasi, commemora quæ ille prudenter tractatit, & vtiliter tibi. Nihil magni feceris clam, quod rescisce re possit, cuius illum prius non admoneas: aliter

aliter occulte prorsus id age. Si tandem scitutum id conieceris, nec è re tua sit, vt sciat, tum prius age; deinde accusa temeritatem. Equidem mala mere est, si non pati velit quicquam te sine illo posse; quum & tu, præter tuam negotiationem, omnia illi libera relinquas. Quam potes cum illo familiariter versare, atque sic, vt nulla ex parte amicitia illi tua gemitus sit. Secreta, quæ tuto potes, illi communica: & quantum illi gratum est, non tibi, vtere consuetudine eius. Neque illum, neque suos vnquam contemnes, aut irridebis. Non iurabis: & si tibi non credat, ridere satis est. Neque enim amicitia patitur, vt iuramento indigeas. Secreta narrantem tibi, audies; non exiges, nisi necessitas cogat. Sine illo esse nullis in rebus iucundis: deducitoque eccum ad venationem, piscationem, atque aucupium. Nil triste quod euenerit, commemora; nec si in aliquo errauerit. Ludo latrunculorum, aut fritilli, aleæve, cum illo, sed nulla pecunia (aut perquam exigua) proposita, certa. Leuis enim illa certatio amorem fouet. Quum quid recte tibi ipsi ex causa cesserit, fac vt omnino illius portionem habeat; ne vnquam de officio, aut lucro, quod ingratus erga eum fueris, suspicari possit. Inimicos illius fac (quam maxime id tibi tutum fuerit) vt odio te habere intelligat. In eius casibus aduersis doleas. Mutuum quum dederis, eo animo da, vt dones: sed, si maior pecunia sit, publica fide interposita, causatus mortalium casus.

CAPVT LXVII.

Proxenetæ vsus.

VT ergo Proxenetæ opera vtaris, exemplo docebo. Fac vt vicinum agrum emere in animo tibi sit. Proxeneta per alium sibi notum tentabit, an venalis sit? &, si venalis sit; quanti alij licitauerint: quam vero pinguis sit; quanti locauerit; liber ne sit, an alicui pensione addictus: tum vero, an commutaret, si alius ager ipsi proponatur: sic vt, quod animo est, semper sit, quod rescistat: Inde illius procuratores ac amicos promissis corrumpe, & agrimensores, si opus sit pecunia data, & generaliter, qui vel mensura vel æstimatione fallere possunt. Solent autem in emptionibus, eius quod infra iustum pretium est, in venditionibus supra, certam portionem illis polliceri. Memineris aurei illius dicti: Auro nihil esse imperuium. In huiusmodi tractationibus sæpe occasiones occurrunt, vt alios eligas proxenetas. Ex proxeneris enim amicos, ex amicis proxenetas facere oportet. Nec mireris, huiusmodi negotiationem totum requirere hominem, quum in illa existimatio, opes, salus, amici, denique tota humana felicitas consistat. Expedit autem scrinium habere cum loculis: cuiusmodi nunc magna est copia: in quo separatæ sint rationes agendorum: quas vesperi aut matutino considerare oportet, atque initia ratione negotiari. Semper autem memineris, nihil in humanis melius esse obseruatione occasionis, seu oporteat differre, seu properare. Atque illud cogita, quotquot felicitates tibi euenerunt, vel si paulo plus distulisses, quantumuis magnæ essent, in nihilum redactæ fuissent. Vixque vlla est tam constans occasio quæ [commode] per annum proferatur, paucissimæ, per menses, non multæ etiam, per dies: plures etiam sunt, quæ momento euanescunt. Quamobrem oportet hominem, qui velit bene esse fortunatus, intentum in singula momenta esse: & proxenetam similiter hæc obseruare. Sed vt celeritas est maxime necessaria; ita nec oportet tantum (illi) assuescere, vt differre non possis. Præpropera enim festinatio, multorum errorum præter id quod causa sit, etiam facit, vt qui tecum negotiantur carius vendant; tamquam cupido & moræ impatienti. Itaque modum in omnibus seruari oportet, & non (solum) medium tenere, sed potius versipellem esse.

Porro proxenetæ vsus & probatio quincuplex est, vt apud Demosthenem de falsa legatione (postquam legati & ipsi veri proxenetæ sunt, etiam si priuatorum fuerint:) renunciatio verorum: consilium vtilium: executio mandatorum recta: temporis occasio non dilata: & innocentia à largitione.

CAPVT LXVIII.

Quomodo cum tanta improbitate hominum conuersatio stare possit.

QVum vero mortalium genus adeo prauum sit; animisque alij viperinis, alij vulpinis, certe qui paucissimi (vt dixi) qui humanitatis aliquid retineant, sed prorsus omnes ferini sint, licet alio atque alio modo feritatem illam suam explere oitantur, & pro lucro tam anxie & crudeliter, tum pro ambitione vel odio minimo irritari soleant, quasi de vita decertent omnibus viribus, atque consilio: nihil pensi, non Deum, non iura, non fidem, aut aliud quiduis boni habentes, sed omnia illa decora, risus, blandimenta, gestus sint, velut eorum qui feras occidere, aut boues in macellum ducere volunt, plena insidiis, & summa crudelitate: idcirco dubitare quis merito posset, quomodo societas humana, congregationesque ac commercia tamdiu manere potuerint? quæ licet inter diuersarum vrbium & regionum accolas grauis sit, & valde inhumana, ac etiam antiquo tempore deterior, imo sane durissima atque miserrima; nihilominus qualiscunque tot seculis durat: &, quod maius est, rarissime ad illud extremum improbitatis atque sæuitiæ deuenit. Videturque hoc malum simile fluctibus maris: qui vbi se attollunt, antequam ad summum deueniant, sponte concidunt: vt videatur, quemadmodum in illis, quod à natura retrahantur, contra naturam emergant, habere in se aliquid, quo subsidat & deprimatur; seu quod hominibus meta constituta sit consulto: quam quum quis excedere nititur, corruit feruor ille animi, & feritas hebetatur atque retunditur: seu quod ipsa rerum series hoc postulat; mortalis homo imbecillis, & supra vires solum audax, legibus, religione coercitus, opum societate obtusus, labore assiduo

assiduo fatigatus, inconstans, ferociam tantam retinere nequeat. Quibusdam laudis cura profuit. Aduenæ etiam ipsi habent, quod tueatur illos: conueniunt cum principibus ciuitatis, communicato lucro. Velut hodie Iudæi. Expedit enim tales esse. Nam præstare possunt, quæ non possunt, quæ non possunt ciues, & volunt id, ad quod cogi possent: ciues autem contumaciores sunt. Plurimum etiam posse credo ad tutelam miserorum, eorum defensionem, qualiscumque sit: qui etsi non possunt ferire, multis tamen ictibus, defatigant victores, hebetant gladios, vt eos postmodum tædeat longi laboris, segnioresque ad alios aggrediendos reddantur, quamquam inermes. Vtcumque sit, experientia ipsa docet, non esse infinitam nostram hanc nequitiam, sed retundi ætate, casibus, pugna ipsa. Quo fit, vt numquam supinos nos offerre præstet, misericordiam implorantes, sed pertinacia effugientes calamitates, & potentiorum oppressiones, nihil habere tutius, ad quod refugiamus: resistentes enim vitiliter, exemplo edocti, discedere illos, & ad molles, segnes, & qui in misericordia & fide spem reponunt, opprimendos se conferre: tum ob id præcipue, quod, vt in Fabula Sibyllæ apud Meschinum, deuitent ne sub propriis formis, bufonum & viperarum videantur, & vt illæ visæ maxime indignentur. Solum contigit ad extremum improbitatis deuenisse, in populos Noui Orbis quod Reges latrocinari permiserint: illi vero vndiquaque rudes & imbelles, & exemplo suo damnati Anthropophagi: siquidem & spes pecuniæ maxima. Verum præcipuam causam, & quæ inuicta est, consuetudinis & amoris hominum (quamquam labefactata tot modis) esse reor, naturam communem: velut in belluis ipsis conspicere licet. Quum enim omnia beluarum ornamenta in homine sint præcipua, consentaneum etiam est, & hanc maxime necessariam & decoram, iucundamque in hominum natura eminere. Indicio cuius est coniunctio sanguinis, quæ potentissima est apud omnes gentes, etiam admodum barbaras: atque ea sola firmissima: quamquam Philosophi nescio quid de amicitia nugentur. At quum (vt dixi) tot modis debilitetur, & abrumpatur ea quæ in Principibus maxime atque aliis beneuolentia conspicua videtur, neque falsa plerumque, neque omnino beneuolentia est, quum illorum morte finem accipiant illecebræ illæ: neque vna, sed quoniam minus metuunt, & indigent, vera est. Composita autem ex natura, dignitate animi, consuetudine, iucunditate, atque honoris obseruatione, tum aliis minutis quidem causis, illis autem (vt sibi videtur) maioribus, prout ab affectibus ipsis superantur. Itaque duo sunt tantum genera integri amoris: à coniunctione sanguinis (sub quo etiam Venus continetur;) & hic corporeus est, & à nobilitate, qui animi est: totidem imperfecti, ob vtilitatem, qui tamdiu [durat quam] vtilitas ipsa, & à sapientia profectus: qui rarissimus est, vt etiam sapientes, alioquin integet.

Ergo quum ex decem humanæ congregationis causis, quæ sunt: coniunctio sanguinis, simplicitas animi (quæ adhuc viget in tenera ætate,) leges, & religio, tum virtus (Philosophis plus decantata, quam exercita,) gloriæ studium, consuetudo, voluptas, vtilitas, & consensus ad euertendum meliores, (sed potentia magis territat, quam irritet; sola virtus subiicitur pro scopo;) omnes nostris temporibus, præter duas vltimas, perierint, reliquisque quasdam legum; mirum est quomodo [societas humana] consistere possit. Et certe mala hæc tempora sunt. An forsan non vbique omnia perierunt, sed velut ex Græcis ad Romanos res transferentur? Sed etsi ex duobus vnum fiat, velut cognatione atque honore, momentaneum id est, & ad seditionem potius spectat. Auxilia ergo, emptio, legum dictæ reliquiæ, pugna pertinax & assidua, & pollicitationes magnæ, pro cuiusque personæ ratione [solummodo supersunt;] sed (vt dixi) misera, & ad interitum spectantia.

CAPVT LXIX.

De his quæ definiri non possunt, nec habent caput proprium.

QVoniam vero malitia ad summum peruenit, solaque pecunia colitur, & ambitio, vel vt radix, vel vt fructus, & tamen in his sunt gradus. Chirurgi enim non solum sanant, si soluendo sit, sed occidunt, si quis illos vel vrgeat vt meminerint curationis, post medici alij, & pharmacopolæ, hi sunt in primo genere. Post curatores, & iurisconsulti, milites, malique Sacerdotes. Tertio loco sunt mercatores: Quarto artifices cuius generis. Quinto nobiles, Principes, & magistratus: hi quidem ex quinto & secundo ordine, sed Principes nobilium & militum medium obtinent, magistratus, nobilium & iurisconsultorum, nisi si quis humili loco natus sit, hi enim pessimi sunt. Oderunt autem ob hoc & patruos, & etiam parentes & fratres plurimi. Vt solus amor in prolem relictus sit: nam & nepotes ex fratribus, ob successionem multi perdiderunt: plerique inhiant. Quum vero amare quosdam sit necesse, veluti filios (neque eo dum peruenimus, ad Catilinæ exemplum,) quidam etiam nepotes, quum fuerint omnino extra filiorum spem, quidam fratres, ob commodum, quod eos curis ac laboribus leuent, sed & scorta ob voluptatem amant. Quare etiam omnino aliquos ob eandem & familiaritatem & consuetudinem, velut Agathocles adeo impius Dinocratem, & Dionysius Helorim, & Megaclem socerum, & Nero Epaphroditum, & Phaontem, & Sporum, & Caligula Germanos custodes, & Phalaris Lacritum, Critodemum, Aglaum, Cleomenidem, Polycletum medicum, Erithyiam vxorem, tum alios plures, necesse est, duobus contrariis iuxta positis, velut amare, & odisse, aut non amare, communem quemdam terminum statuisse, eorum qui amantur, & qui non amantur. Quum autem hoc definire non possimus, & viuere cum aliquibus sit necessarium, imo eum pluribus versari, cum quibus nollemus, coniectari oportet ex magnitudine auaritiæ & rapacitatis, ex leuitate hominis, ex exemplis, spe

ſpe premij, & oppoſitis cauſis. Atque in his cootuetudinem neceſſitudini, & iucunditatem beneficiis præferre oportet. Oportet igitur in dubia re (quum iuxta omnia fictitia hic eſſe exiſtimaueris) abdicare ſe, & blandis omnino verbis atque geſtibus, & cum honore [hominem verſutum] excipere. Ita enim decentius ages, & minus re lædet, ob pudorem; & incautum opprimes: & te pluris æſtimabit, ſentiens ſe propriis artibus peti.

CAPVT LXX.

Hiſtoriam rerum præteritarum multum prodeſſe & ad ferendum, & ad deliberandum, & ad exequendum.

PRopterea multum refert hiſtorias legere: non ſolum vt prudentior ſias, & velut dicebat ille:

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes:

Sed vt cognoſcendo quanta mala maneant mortales, & quam deteriora alij paſſi ſint, alij intulerint, diſcas tuam ſortem patienius ferre: quod non ſolum ad animum confert, ſed ne prorumpas. Ideo plurimum refert qualis ſis: præſertim quod multi affectus ſuos pro cauſis aut cogitatis hominum referunt. Neque placent orationes, ſed Laconica immiuentium expreſſio: neque iudicium, niſi ſobrium. Verum conſiderare oportet gentes, conditionem, mores; an barbari ſint, præcipites, & ſæui. Reges parua contemnunt: Tyranni iniuriarum ſolum memores. Lyſander perfidus, & crudelis. Sylla iracundus, & ob id ferox. Cæſar intentus in ſolam tyrannidem. Reſpublicæ iras numquam remittunt, & ad auaritiam omnia dirigunt. Nihil ergo vtilius in hiſtoria, quam vera & diligens narratio, etiam minimorum. Quod ad ſcriptorem attinet, velut in lectore, ſingulorum diſquiſitio eſt, & comparatio. Quamobrem hiſtoriam ne prætuleris longum tempus & plurima regna complectentem: nam quanto plus amplectitur, eo minus accurate ſcriptam eſſe, neceſſe eſt. Velut ſi quis parietem totum depingat, alius tabellam; non eandem ſingulis partibus, qui parietem depingit, poterit adhibere diligentiam. Ex antiquis, Catilina Saluſtij omnium præſtantiſſima; vt Trogi & Diodori nulla; media Liuij. Ex recentioribus plurimum Sabellicus detectat, ſed vtilitatem in hoc negotio nullam affert; Præſtantiſſima, & pæne ſola Argentoni, vt & alias dixi. Thucydidi omnia deſunt: antiqua, moribus à noſtris longe aliena, Reipublicæ ſcripſit, & popularis fuit, demum, qui oſtentationi ſeruiuit, non hiſtoriæ neruis. Dicillimum enim eſt Hiſtoriam ſcribere, & ob id rara. Primum, ob peritiam, & ſtylum, atque exercitationem: ſecundum, ob diligentiam & laborem in minimis perſequendis: tertium, ob iudicium. Nam ſi parua quæque deſcribat, ridiculum opus faciet, & legentes afficiet tædio: ſin magna ſolum, vel etiam mediocris, tradat; optimam partem ad cultum vitæ & ad inſtruendum lectorem prætermittat, neceſſe eſt: ita vt legendo nihil ex eo diſcas. Siquidem magna omnia & mediocria ex minimis ortum habent: ſed cauſæ illæ occultæ, proditiones, ſollicitationes, colloquia ſecreta, corruptio miniſtrorum, intimorum, conſiliariorum, ducum, veteres inimicitiæ, odia, æmulationes, obtrectationes, ſpes inanes, à quibus omnia pendent, vix ſciri poſſunt: & qui norunt, hiſtoriæ ſcribendæ animũ non adhibent, &, ſi etiam vellent tum primum patefacere hæc, non bene forſan conſultum eſſet, multo poſt, pleraque in obliuionem tranſeunt. Propterea bene ſcriptæ hiſtoriæ argumentum non leue eſt, ſi minima illa ſolum deſcribat, quæ ad rei eſſentiam pertinent, reliqua ſub generali ratione. Talia ſunt quæ de Vitellio ille, quod accepta clade ſumptuoſum conuiuium celebrarit: & de Nerone, quod quum rebellaſſent Galliæ, inſtrumenta Muſicæ noui generis (tractarit:) vt in vno perditum crapula animum; in altero conſilij inopiam, & deſperationem intelligeres. Nam huiuſmodi conſiderationum vna ad iudicium tractationis, altera ad modum pertinet. In hac vero inopia tanta bonarum hiſtoriarum, ſeligemus paucas noſtri temporis, de paruis regnis accurate ſcriptas: atque ex illis omnibus, velut bonus ille pictor ex mulieribus pluribus Venerem vnam; ita nobis ipſis exemplum traducendæ vitæ, & vitandorum periculorum, ac proditorum fabricabimus: in aliquibus audentes; ſed numquam (niſi) vbi tuto agere licet: in aliquibus timidi facti. Cæterum quum duo ſint genera vtilitatis hiſtoriæ, vitæ inſtructio, de qua dictum eſt, & ad perferendum aduerſa æquo animo; iuuat in hoc legere hiſtoriam Ioan. Leonis, de Africa: Thucydidem de bello Peloponneſiaco; triumuiratum, apud Dionem; Voleſi & Piſonis atrox factum, apud Senecam de Ira, tum Ariſtotimi Elienſium tyranni geſta; & paulo ante nos, etiam Italicas ſeditiones, apud Corium.

CAPVT LXXI.

Res magnæ quomodo per proxenetam tractandæ: & de nobiliare quodam alio genere.

ERgo in rebus magnis non aliam ſequemur viam; [quam] ſcilicet vt per proxenetas qui plurimum poſſint, muneribus corrumpantur; in leuioribus autem, ex mutua colluſione, velut cum pharmacopolis, tonſoribus, chirurgis, obſtetricibus. Hoc enim pactione & pecunia honeſtius eſſe ducunt: nam & ad exiſtimationem facit, & amicos comparandos. Vbi ergo magiſtratum, aut profitendi munus obtinere velis, diligenter conſiderandum, quia poſſit præſtare. In congregationibus enim ſolent munera eſſe diſtributa; ſingulis in aliorum fraude conuenientibus. In collegiis ſimiliter, in quibus publica res, aut piis locis addicta tractatur, venduntur que aut locantur prædia, ſingulis ſolent addici ſua: cum quibus ſi paciſcaris, rem actam puta. Qui hoc non intelligunt, fruſtra quærunt talia. Quod ſi modo, quando titulo haſtæ, & procla-

 mante

mante tubicine, vendi & locari solent, ad illos perueniant, carius emunt multo; non modo quam illi, sed etiam quam res ipsa valeat. Vt ergo in collusores recidat, hac arte vtuntur. His qui emere aut conducere se velle fatentur, submittunt qui vatiis modis rem infament; & conditiones etiam intolerandas proponunt: at illi, non aliis: quas etsi qui cum eo conniuet, inuitus recipias: ipsi tamen hortantur, pollicentes (quod & præstant) conditionem dissoluturos iidem; etiam qui submittuntur, longe minore pretio facturos vt habeat promittunt, alios non plus obtulisse: interim res alteri datur. In obtinendis etiam (dixi) muneribus publicis, cum vno qui possit paciscaris oportet: alios ne alloquere quidem, nisi iubente illo. Nam vbi commodum vnius agitur, quoniam singuli qui possunt (quidam enim sunt qui nihil possunt, aut omnino nolunt) in eadem naui sunt, omnia silent dico, amicitiæ ius, preces, intercessiones, & coniunctiones necessariæ, & potentium etiam minæ. Metallo enim pecunia constat: & ob id mentes hominum pecunia lapidescunt. Hæc enim Medusa est quibusdam ex his: quod ferme totum negotium in his situm est; & ipsi constantis fidei cogimur antea numerare. Nil violentius, nil certius horum negotiatione, quum omnino rem conficere velint: nam nec retinere, irrito successu pecuniam volunt, & reddere tam pudet, quam piget: Si tamen contingat vt præstare non possint, aut reddunt, aut omnino in aliam occasionem reiiciunt compensationem. Solent sub ceruicali qui dant condere; pudet enim manibus accipere. Longe hoc tutius & honestius existimatur, quam promissis agere; quæ nec vrgent, nec secura esse putat, nec vlla via, vbi obtinueris, si non dederis, exigi possunt. Est autem hæc incognitis via paratior: quod persæpe ab amicis recipere pudeat; & sine pecunia tamen, quod illis venale est, præstare nollent. Dices forsan, Quæ pessima conditio rerum, & maxime egregiorum virtute virorum, postquam non nisi emtis honoribus licet ascendere! Sed habent tempora quæque sua peccata. Atque hæc minora sunt, quam quæ olim, quum omnia vi ac scelere agerentur: nec honoribus tantum fraudabantur, sed vita eripiebatur innocentibus, virtuteque præstantibus: nunc sunt ad auaritiam versa. Sed mitius est longe hoc malum, quandoquidem, vt dixi, necessarium sit, quamlibet ætatem suis vitiis laborare: maxime quod virtute præditis hæc eadem via patet, & eisdem longe facilior est. Quod si amici potentis opera vti velis, nec tamen in illius arbitrio res est, insinuatione opus est: velut si dicas: *Seio quanto studio rem tractaueris, & quod Principis causa, tum mea, id per te facturus eras, nihilo secius id efficere non debet, vt beneficij accepti obliuiscar.* Tum vero sic te geras, vt omnes actiones tuæ liberalitatem & magnificentiam redoleant. Quum Bononiam venturus essem, potentes quidam nuncium Senatus corruperunt, vt nefanda de me retulerit; vt vix, & turpi conditione, receperint. Et quam omnes actiones in me inculpatæ essent, in illo fœdæ, fortuna quoque secunda mihi, & Principum fauor, ipsi omnia aduersa, vix tamen tum æqua conditione retentus sum, nullam aliam ob causam, nisi quod error alienus, qui ex æmulorum dolo originem traxerat, eosdem magis infensos redderet, quod mea integritate conuicti essent. Itaque tantum ille solo dolo assecutus est, quantum ego cum tot non pœnitendis dotibus, Principum fauore, & bona Fortuna. Quid futurum erat, si aliquid defuisset?

Est etiam genus intermedij nobilius in huiusmodi causis, quod nihil non posse videtur religionis fultum auctoritate. Nam & blanditiis deliniunt, & rationibus suadent, & quod maius est, deterrent, vt si non cedas, impius videaris: tibique non solum metus suppliciorum à Deo, sed à legibus Principum incutiatur. Sunt autem Cœnobitæ in hoc [genere,] mendicantes, non omnes, sed pauci quidam præcipui, & ob opinionem vulgi formidabiles, ob legis auctoritatem obseruandi, & ob iura sacra terribiles. Incredibile est, quam leui ex initio grauibus te periculis obiectum videas. Itaque his domestici ad bonam frugem; Principes ad concordiam reuocantur. (Vide in Itinerario Indiæ, Frattum Iesu modũ, & vt ipse didici ab eis. Vide & Sect. 106.)

CAPVT LXXII.

Res periculosa quomodo tractandæ.

IN grauibus rebus & periculosis difficile est proxenetam inuenire, ac impellere: tum maxime, quod leuibus fidere haud tutum est, prudentes refugiunt. Oportet igitur eligere iratos illi [cui male vis,] & quia inuident, auaros: Nam & prudentes his causis desipiunt, & constantes euadunt leues. Quod si solus hoc non potest, suscitata factione, opus aggredere. Verum teipsum haud detege: sed per alium id age: & sic, vt vnus vni congrediatur. Versabiturque amicus ille tuus cum potentibus palam coniunctissime: vt qui cum illo tractant, nullam maius imminere [malum] sibi intelligant, quam si per eos detegatur. In tentando autem id efficiat proxeneta, vt ille prior se prodat. Tum vero quasi per gradus illum sequere, arrabonem ex pollicitis arripiens: Onerabisque eum promissis, tanquam spe implebis, vt nihil ad cumulum possit accedere: quinimo, si à pollicitis deficiat, ab alio nil huiusmodi se consequi sperare queat. Res autem ipsæ per necessarios tractentur; raro enim sic deteguntur. Duo enim sunt maxima in humano genere vincula, coniunctio sanguinis, & consuetudo. Iuuant etiam affectus acres, verba generosa, causæ, honestæ obseruationes. Et vt in deterrendo prima ratio à fine ducitur, ita in exhortando [multum valent] exempla, dolor iniuriarum, & spes.

Vbi vero persona negotio idonea desit, compelleris autem improborum conspirationibus & periculi metu; aut de honore periclitaris, velut de dedenda arce: vt maius sit dedecus in auctoritate; imitare piscatores, dum trudunt pisces in retia, circumsetibe difficultates, vt semel detrudas in cassem. Si subterfugit, vel

vel imperitia, vel quia te oderit, substitue personam ad quam confugiat. Si ad te redit, leuibus difficultatibus obiectis quasi innitus eum recipe. Si recusat personam, abiiciendus est: si ardentet in eam fertur, consilio probato, difficultatibus grauissimis ex persona obiectis, illum vi detrudes in vota tua. Hæc via securissima est, atque honestissima.

CAPVT LXXIII.

Domesticorum sollicitatio: & cautio.

POrro domesticorum sollicitatio, maximum scelus est, & ad proditionem refertur; nec vsurpanda, nisi ad tutelam suam suorumque, & vbi grauissimum vulnus iniuriæ sine causa acceperis: neque scio an liceat. Eadem vero tatio est sollicitandi domesticos, & amicos, sed non idem modus: multiplex autem finis: venenum, vis, furtum, dolus, & secretorum cognitio. Quum omnia versaueris animo, cogita etiam illud: quod homo es, quod breuissimo tempore hic mansurus, ac simul de æterno, vbi rationem sis redditurus. Si nihil profecisti, quid superest? periculum, infamia: conscientia quoque teipsum multo effecisti deteriorem: Deum offendis Optimum Maximumque. Denique pro quo? pro felicitate? nulla in humanis est; pro iniutia? proditorem te facis, vt minorem labem eluas. Si occulte; quomodo? Si apertam vis esse vltionem, cur cogeris [aut conaris] occulte sumere? Si pro vtilitate? plurimi periclitantur: & lattonis opus est, insidiari opum caussa. Si securitatis, cur vis maiori periculo te implicare? Denique quot vidisti ex hoc felices? Oderunt auctores scelerum, ministros, ministri, auctores Vnus fuit hac in re singularis artifex nostra ætate, Brisacus Prorex Henrici Gallorum Regis: qui in illius odio periit, quum omnia non solum scite, quod sui muneris fuit, sed etiam feliciter adminiftrasset. Reges tamen cauent, quasi communi quodam consensu, hoc nostro tempore, à veneficio; quoniam boc malum commune est, & eos redit subiectos cuicunque vlissimo caloni: tum vero quod aduersus tot præsidia uiti nolunt. Ministri vero horum non solum Deo ac dæmonibus, sed etiam ipsis auctoribus sceleris, & magis quam aliis inuisi sunt. Nam per Dei fauorem protrahere etiam diu vitam licet; per sceletum auctores non licet. Seditionis occasionea oblatas recipiunt ipsi, non quærunt: eadem causa scilicet, ne obnoxij sint pœnæ talionis. At in bello arces sollicitant, & vrbes ad seditionem: omnia, præter veneficium & Principis cædem, licere sibi existimantes.

Porro cura hæc multiplex est: aduersus ministros, & illorum corruptionem, & opus. Vtpote aduersus opus, ne occidant, ne venenum exhibeant, ne furentur, aut spolient, ne corrumpantur literis, colloquiis, muneribus, & si corrumpantur, vt præsentias: aduersus ministros; vt sint boni & tibi amici atque sapientes. Initia proditionum à sceleratis, vel ira, vel metu, vel inopia sunt. Canes, etsi iracundi, à proditione maxime sunt alieni, quod ira eorum breuis sit: contra pertinaces timere oportet. Proditorum tria genera sunt: subiecti, oblati, & quæsiti, seu corrupti. Subiecti multi in bello inueniūtur, præcipue apud nos, qui mercenario milite vtimur. At apud Romanos quamquam nullius flagitij, quantumvis maximi, exemplum defuerit, neque apud Turcas vnquam inuenies, qui arcem vel vrbem alienigeno hosti prodiderit. Sed hic non est scopus, nisi intelligamus, securiores nos esse inter nostros, quam inter mercenarios. Illud inquisitione dignum, & ad rem nostram necessarium, cur in bello hoc sæpius accidat, quam in priuatis domibus; quum tamen periculosius sit, id agere in bello, vbi duces vitæ & necis amplissimum ius habent, quum quantacunque suspicione homines illis occidere liceat? Hoc volui dixisse, vt intelligetis, maius esse præsidium in non habendo graues hostes, quam in potestate: Maiorque est in paucitate ministrorum securitas, quam in multitudine exploratorum. Nam nunc de suppositis proditoribus agimus, quorum copia primum minor est priuatis, quam Principibus, præmia exiliora & incertiora in illis etiam, quam in his, pauciores custodes, sed diligentiores, ac magis oculati. Dum plures sunt, singuli in alios hanc curam reiiciunt. Quod paruum est in Principe, maximum est in priuato: in quo etiam vsus (hic autem plurimum potest) deest. Itaque oportet nec Principes nec potentes viros sibi inimicos facere, nec vindices, [aut vindictæ cupidos,] aut violentos, tenacisque iræ: Cauere etiam ab iniuria, maxime graui, vt nece fratrum, aut filiorum, aut publica, vt stupris vxorum, sororum, filiarum; tum vero sine caussa. In reliquis longa res, & difficilis, & non parui sumptus, tametsi ab initio secus videatur, supponere proditorem domesticum. Quum bonos [corrumpere] non liceat, mali eadem spe, & securiore, prodere possint insidiatorem. Quid si ille, vbi dixeris, recuset? an non perpetuo, donec vixeris, in illius potestate es, es vt te detegat? Quid si recipiat: nec agat, quid egisti? sumptus, periculum, anxia cura, nullo commodo. At amicus est, qui scis? At beneficia in illum contuli; ob id solent maleficio remunerare. Quinetiam miramur tot fuisse ingratos? & damnamus frustra sæpe: multi quum beneficium conferant his de causis; quod vbi illi resciuerint, merito ingrati sunt, vt in quibus beneficium perierit & iniuriam acceperint. Propterea non tam facile facta, quorum caussas ignoras, damnabis: sed potius vitam illorum inspice. Sed erit coniunctus: tu ab illo (si sapias) cauebis, quem tu oderis. Neque enim occlusis oculis recipere debet domesticos in domo, qui sibimet parari insidias seu facto tuo scit, seu ob inuidiam, seu ob spem aliquam successionis. His enim tribus caussis homines huiusmodi periculis sunt obnoxij. Sed cui ille periculo se exponit, qui hoc tentare audet? Et quum successerit, minus facile illi erit quidquam efficere, in quem oculi omnium sint intenti, & suspiciones pro factis habentur. Deinde quid facturus est hic tuus coniunctus? an huiusmodi aliquid alias fecit? & quomodo resciuisti? Si detexit, quo tu versaris periculo?

periculo? Si non fecit, quanto te periculo exponis, dum errabit, dum titubabit! Fac vt succedat: habes qui te perpetuo emungat; quemque timeas, & cui. Hæc autem omnia in Principe cessant. Propterea à Principibus & in Principibus magis timendum: hoc quam minime & rarissime à priuatis, & etiam in priuatis. Ob id Cardinales, quorum vita multis de caussis præcipue huic periculo obnoxia est, domesticos habent domi educatos, & beneuolos, ac nobiles: à reliquis qui noui adueniunt, cauent.

Succedit casu. Hac in causa cauere oportet, ne improbos & scelestos in domo alas, lusores, fures, adulteros, Dei contemptores, iracundos, & qui iram conceptam diu retinent. Tu vero ne quemquam contempseris: multo minus iniuria afficias, aut mineris. Sed si boni sint & frugi, leniter illos admone: sin mali suspectiue, statim amanda. Ab his qui nihil didicerunt metuendum est; nam nihil scire, maximæ ignauiæ, aut improbitatis, aut ingenij peruersi, aut stupidi indicium est. Quodcunque horum fuerit, timendum est. Nam ignari omnes, qui mente non carent, spem in scelere reponunt: Improbis scelera etiam sine præmio grata sunt. Peruersum ingenium, seu furiosum sit, seu impatiens, seu leue seu malignum, facile ad omne flagitium impellitur, nec minus stupidum, ex ignorantia. Peruersa ingenia, & stupida, & leuia, & fallacia, solum quod præsens est considerant, aut quæ imminent, alia non vident, aut videre nolunt, dicentes, in arbitrio esse Dei, alij Fortunæ, Horum omnium conuersatio non solum suspecta, sed plena periculi est. Raro inuenies hominem, qui ex quavis industria laboriosa aut studio viuere solitus sit, qui ad huiusmodi facinora impelli possit. Propterea sceleratis hominibus talia contingere solent, quod horum consuetudine & familiaritate delectentur. Itaque si hos excluseris, etiam à periculo liber eris. Præstat autem huiusmodi ablegare: non solum ob hoc, sed etiam ob infamiam & exemplum cæterorum, atque societatem, ne alij polluantur, multaque alia incommoda, quæ ad hos sequuntur. Est etiam experimento deprehensum; Musicos militibus longe ad huiusmodi patranda proniores esse. Quare qui ab his timet, eorum, & quorundam sacerdotum pauperum, consuetudinem fugiat. Qui enim iam Deum spernere didicerunt, quoquomodo quicquam magnum esse, poterunt existimare? Sunt etiam instituto à laboribus alieni. Hoc autem docuimus esse initium omnium malorum, vt prodigiosa nostris temporibus acciderint. Multique ex his (vix alius vllus) ad me venerunt, rogantes enixe, vt venenum edocerem. Inter quos Mediolani vnus quotidie ferme hac causa me vexabat, nescio quas fabulas in medium adducens. Et [erat] certe adeo in ceteris suaui ac lepida consuetudine, vt ego (qui plus angue hos homines odisse soleo) tum non ausus sim cum tanto scelere illum prorsus domo exturbare.

Sequitur tertium genus illorum qui corrumpuntur ab inimicis, quorum maior longe copia est & facilitas. Vix enim pro centum huius generis, priorum vnus inuentus est. Nam vt illa rara, quæ ad casum, & ex constituto referuntur, ita hoc frequens; quia (vt dixi) facilius, & commune est principibus atque priuatis: tum vero venenum magis timendum est, quum persona & causa vilior est, tu autem nobilior, & ab armorum vsu alienus, & vis ipsa seuerioribus legibus vindicari solet. Omnium tutissima custodia est vxorum bonarum: sed si malæ sint, ipsæ sunt ministræ sceleris. Ob id sorores & filiæ, optimæ sunt, inde matertetæ, atque eiusmodi, velut fratres, filiique. Nullumqeu tamen maius, quam ex hoc scelere, periculum quum tam multa mors sit totius familiæ, quam etiam domini. Et non defuere qui prægustarent, seu muniti antea præsidio, seu securi, ob paucitatem. Quis enim deprehendat aut coarguat huiusmodi hominem tamquam facinoris auctorem? Nec tamen censuerim vtendum in hoc periculo, Senecæ consilio, qui toties periit, vir fortis, ne semel periret. Sed iuuat præmunitum esse antidotis: incertum illis esse, quod edas: mandere sensim: prægustare potum: odorari obsonia: communem habere patinam, eamque postmodum diuidere, si libet: hoc autem in carnibus ac piscibus, licet non in ferculis, apud Principes consuetum est. Verum summum auxilium est in electione ministrorum, & eorum diligentia. Tum vero in conuersatione cura est adhibenda. Tristes, cogitabundi, aut iusto lætiores, suspicione pleni sunt, vbi caussa non apparet: [tales] quasi deprehensos habeas, non veneficij, sed sceleris saltem, quapropter statim amanda. Fieri enim non potest, vt qui ingens scelus patrare vult, animo & vultu, & verbis integre constet. Similiter vbi lactet se discedere velle, quum caussam non habet, nihil boni cogitat. Aut enim extorquere pecunias à te vult, aut scelus meditatur. Ob id enim prædicat multo ante se abire velle, vt patrato facinore liceat sine suspicione discedere. Præterea, si retineas, Inuitas ad facinus meditatum, & quod tum perficere non audet, addis caussam exequendi. Si simulat, malus est, quid à malo boni sperare potes? Nulla te teneat misericordia, vbi volentes se præcipitant. Nullus amor, quum ipsi se odio habere, sua confessione testentur. Sed & qualiscunque inconstantia proditionis mater est. Securiores sunt pueri in hoc negotio viris, sed minus ad deprehendendum alios cauti. Vnus inuentus est, qui per puerum socerum suum tollere conatus est: sed non successit. Submittere qui tentent suspectos, res vtilis, modo rite peragatur: nam insontes in querelas erumpunt sine minis, aut aperte, qui dolum meditantur, aut silent, aut gestu ac capite minantur, aut pauca obscura & ambigua verba proferunt. Iuuat & te præsente inimicum nominari ab alio: vix enim se continebit, ne vultu aut gestu quicquam prodat conscius sceleris. Et prodest etiam sæpius secreto cum apparitoribus colloqui. Nam qui conscius est tanti criminis, vix animo & lingua constare potest: nec tamen iniuriam illi faci, aut timere ostendis, quum plures adsint, & causam ignora, qui insons est. Sæpius accidit, vt aduenientibus lictoribus, tanquam detectus esset, in fugam solus proditor se dederit. Fac

etiam

etiam vt quilibet è ministris se fide præferri putet, & vt negotio præfectus, alios obseruet: sic tamen, vt vnum tantum suspectum habere te fingas. Cum coquo queraris sæpe, crudos esse, aut nimis coctos, falsos, insipidos, amaros, vt gustare cogatur, modo huic, modo illi gustandum (quid) offerens: quod facile efficies: gladio succis salubribus, sed praui saporis, imbuto. Verum nulli acquiescent, multos non semel degustare coges. Maxima vero diligentia vteris, dum ægrotas. Nam huiusmodi tempora proditores, vt opportuna præcipue obseruant. Quo etiam errore sublatus est patruus meus Paulus Cardanus Antistes, & vir eruditus. At si non venenum, sed ferrum times, aut arcis deditionem necesse est sciuisse. Igitur, præter communes custodias, illud obseruabis, vt persona nulla incognita quemquam è tuis alloquatur: & si plus quam semel ad tuos veniat, etiam si puer sit, res suspicione plena est. Solent capulis ensium aut pugionum literæ condi. Dux peditum Susucchus, dum Parmam circumdedisset Cæsaris Exercitus, ipse sedens Florenzolæ, per puerum capulo pugionis insertis literis, plusquam per duos menses continuauit solicitationem proditionis cum milite in vrbe; quamquam non successerit. Verum modus quo tantam rem aggrediuntur, is est. Primum quidem obseruant ex his qui possunt, (velut à secretis, is enim optimus est, aut Præfecti, si tentare Præfectum in animo sit, aut valde familiarem vnius eorum qui aliis præsit: optimi autem ad hoc sunt lenones, & collusores) an illum iratum videant, aut pecuniæ indigum, ipsumque per eum quem submiserunt tentant verbis ambiguis, querentes, quod Præfectus vel Dominus ipse auarus sit, aut ingratus. Quod si ille prorumpat, iam inimicum laudare incipiunt, tum procedente conspiratione scribunt, aut nuncium mittunt ad hostem. Sed si proxeneta est frater aut vicarius Præfecti, aut qui à secretis illi est, rem tentare solet cum Præfecto. Si mollem inueniat, si auscultet, iam res perfecta est: proponuntur causæ irarum, spes, liberalitas hostis. Atque hic vnus modus est: cui obuiam ire oportet per oculatos fidosque ministros, qui perpetuo de Domino querantur: quibus propositæ sint spes ingentes. Filij etiam Præfecti pro obsidibus retineri solent. Atque in vniuersum neminem sinere oportet in loco munito cum potestate, cuius vel non longa experientia fides probata sit, vel qui non sit tibi coniunctus sanguine, vel cuius filios in manibus non habeas, aut quem multis muneribus non demerueris, & certa spe maiorum impleueris, aut illi idem vno ex his vinculis ei cui summam credidisti rerum deuinctus sit. Quod si horum nihil facere notes, ministros omnes qui sub illo sunt, & secundam habent potestatem, è tuis constitue. Alter modus est, quum hostis apud se habet amicum eius, cuius fidem labefactare studet: Nam si is in arce est, tuto transmittit nuncium ad illum: si apud se ab eo nuncius transmittitur ad amicum quem tentare proposuit. Eo fit, vt pauci ex iis internunciis propter has causas discrimen vitæ subeant. Atque huic modo difficilius occurritur, veruntamen eisdem rationibus. Singulare tamen est in huiusmodi hoc obseruare, ne quisquam admittatur in locum munitum, nisi omnibus excussis, capitaleque sit, quemquam priuatim alloqui, aut audire. Vt vero tota Caroli quinti Imperatoris vita plena fuit insidiis, quas illi Henricus Galliæ rex, maxime per Brisacchum Proregem (vt diximus) Italiæ, intentauit, tot oppidis, vrbibus ereptis, cædibus patratis, ita de fuit locuples eius historiæ scriptor. Verum inter tot exempla vnius meminero, quod tamen infeliciter cessit. Regebatur titulo Reipublicæ Genua, sed vero auspiciis Cæsaris, quum Ioannes Aloysius, è Principibus Fliseis, cum Henrico rege, & Aloysio Farnesio regulo Placentiæ, paciscitur, vt Genuam occuparet. Farnesius quatuor millia peditum habebat, quos illi pollicitus est quum vrbem obtineret. Massiliæ habebat rex Gallorum classem non paruam, & ipse opem laturus. Omnes in hoc conueniebant, vt Genuam à Cæsaris manibus eriperent: cui cessura esset, & quo animo inter se fidem seruaturi, incertum est. Paulus Farnesius, Pont. Max. Aloysij Farnesij pater, triremem Flisco concesserat, tamquam Turcicas res deprædaturo. Hanc igitur dum armare se fingit, domum implet trecentis militibus, subditis suis: Inde conuocatis triginta Nobilibus, atque in cœnaculo conclusis, literas fictas ab Aloysio Farnesio ostendit: quasi ab illo moneatur decreuisse Iannetinum Dauriam per Centurionem Lercarum eum occidere: Ea de caussa velle præuenire insidias hostis: Andream Dauriam in extremis laborare: occiso hoste vrbem in libertatem redigere velle. Quumque ad hæc verba illi & nouitate rei & magnitudine periculi obtorpuissent, eductum pugionem tradidit illis, rogans, vt potius eum occiderent, quam paterentur à tam indigno hoste interfici. Qui aderant, timore potius, quam spe adducti, eum sequuti sunt. Itaque in ciuitatem excurrit, Giannettinum interficit, custodumque partem: sed dum classe soluere satagit, maris profundo mergitur. Illud miræ sæuitiæ indicium fuit, quod pridie Andream Dauriam alacri vultu quum salutasset, filios Giannettini, quos occidere destinauerat, chare amplexus est. Sed audi dolum dolo relatum. Mittit Aloysius Farnesius gratulatum ad Andream Dauriam, quod euaserit, legatum Augustinum Landum, Placentinum optimatem. Andreas Dauria publice quidem eum læto vultu excipit: interim clam promissa eius filio filia Giannettini, cum dote ampla, paciscitur cum eo, vt Farnesium occidat: quod & effecit. Apparet igitur, Fliscum nulla iniuria, sed inuidia solum motum, tantum patrasse facinus. Nam quamvis ab initio iniuria magis ardeat, semper remitti solet: at inuidia contra perpetuo crescit. Iniuria beneficiis & officiis extingui solet, illa tam beneficiis, quam etiam offensis augetur. Ita vt inuidiæ nihil tutius sit absentia: præsentia enim, & laudibus ciuium, mirum in modum augetur: Iniuria præterea metam in vlciscendo sibi proponit iacturam aut damnum illius; inuidia sine misericordia est. Cæterum illud mirum, quod tot Principes nullis ferme priuatis iniuriis, nec inimicitia Regum pressi, cum tot stipato-

ribus, interfecti sint; Andreas Dauria, Regi Gallorum antea inimicissimus, modo Pontificis, occiso filio, vir decrepitæ ætatis, per vrbem cum puero ambularit, vltimaque senecta, atque multo post, in lectulo suo obierit. Cuius rei causam, quum sæpius mecum expendissem, eam fere credidi; quod inimici proprias vlciscuntur iniurias, feruenti ira; Regum ministri, alienas, nec irati: vnde ancipiti aoimo & timido opus aggrediuntur; vt nisi aperto loco, vel minus custodita vrbe, vel sub ipso Principe, aut complice, noo audeant talia. Principes etiam ipsi non adeo irritantur (multitudioe negociorum) ab iojuriis, nec irritati adeo sæuiunt, ob honorem, & quoniam verentur his vindicare modis, quibus ipsi sunt obnoxij: verum potius ad ea recurrunt, à quibus non rimeot: ea sunt falsa iudicia, quibus etsi raro insontes occidunt, sontes tamen dimittendo, spem audaciæ faciunt: atque sic perimunt reos, odij ignaros. Qua de caussa pauci Tyranni nostra ætate occidunt: olim plures, quod sine iudicio interficerent ciues. Ita qui etiam nostra ætate, ob iram, antiquorum vestigia sequi voluerunt, à subditis occisi sunt. Ergo eos qui manus illorum effugiunt, exilio damnant, inde proscribunt: ita per sicarios ex lege sine lege damnant. Hoc autem vlciscendi genus, quom adeo lentum est, paucioribus damnum affert. Quod si etiam pergant sine iudicio vlcisci iniurias, carnifices hi sunt noti, & viri temeritatis improbæ: vnde ab amicis admooentur: obseruatur ex aula discessus, apparatus, ignota caussa aduentus in vrbem; vt plerunque inanis conatus reddatur. Verum qui sic suspicione laborat, deuitet frequentiam immodicam hominum, loca quæcunque obscura, consuetudinem cuiusuis loci, solitudinem, noctem, homines ignotos, porticus, subgrundia, ollas pensiles, reditum per easdem vias, pompas, & vbi missilia iaculantur, vbi machinæ exonerantur, eqois hastisque certatur. Vbi quis appropinquat, mentem adbibeto; maxime dum præterit. Plurimi præteriendo occisi sunt. Quemcumque qui te sequitur, vel etiam procul, etiam pueros, iube obseruare. Solent enim hos (vt minus suspectos) pro exploratoribus mittere, qui tua obseruent vestigia. Denique si res magna agitur, præmitte qui videant, an tutum sit iter; ac constituto signo indicent, antequam in laqueos incidas. Qui sic cauent, omnes euadunt. Neque enim quemqnam oppressum vidi, nisi qoi non præuiderit, aut qui contemserit seu non curauit, seu recte non curarit.

In litibus autem multo sæpius exploratores submittunt: idque minus execrabile videtur; quoniam non alienum malum, sed proprium commodum quæri videtur. Neque adeo periculosa res: imo nec prorsus legibus interdicta: & ob id multo plures exploratores inueniuntur, quam in tanto scelere. Ergo illi qui minus mali sunt, aduersario renunciant quæ aguntur: alij male consulunt pessimi sunt, qui etiam impediunt. Hos etiam facilius est deprehendere, quam alios, quod in minore periculo minus caute agant: & tu non adeo timore præpediaris. Cæterum & ab huiusmodi insidiis cauere oportet, & longe facilius, quoniam alienos ad tutelam alere non necesse. At de ministris qui extra domum sunt, alia ratio est.

Hæc itaque sic se habent. Verum me non leuis subit admiratio, quod homo, nisi omnino ab alio proditus, in tantum scelus prorumpat, vt prorsus soluto vinculo humanæ societatis, & Dei voluntate postbabita, & naturæ neglecta lege, imo corrupta, domesticos & viscera nostra cogat nobis insidiari. Sic enim & Christus hoc genere iniuriæ pessimo ob inuidiam à suis proditus est: vt nihil nequius sit, nec constet, quis sit infelicior; an qui tam misere perit; an qui tam sceler[illegible]te superest, & aura fruitur. Mihi sane, si alterum subire oporteat, præstaret sic occidi, quàm occidere quemqusm. In vno enim finis est saltem omnium malorum; in altero initium exilij omnis boni: nec tam graue videri potest, iniuste periisse, quam inuisum Deo, legibus, humano generi, superesse. Vnde multi etiam ex his sibi manus intulerunt: certè vix vllus euadit ab exilio [aut exitio] execrabili. At in proditoribus hoc non tam damnandum est, quum in iouento suo perierint: facile ad huiusmodi homines perdendos, alij qui se subiiciant, inueniuntur. Propterea plerique horum eodem mortis genere pereunt. Quocirca nescio quam laudabile inuentum sit quarundam Italiæ ciuitatum, qui exules à domesticis per fraudem ioterfectos, non solum iure interfectos iudicant, sed proditoribus præmia addunt: quum non animaduertant, tametsi pauciores faciant latrones, eos tamen qui supersunt, facere deteriores; & exemplo alios ad prodendum socios, & dominos, & mensæ sacra [violanda,] incitare, vt postmodum non lege contineantur. Quinetiam, filiis eorum, ac nepotibus succedentibus, rempublicam replent scelestissimia viris. Adeo execrabili exemplo hoc agitur, vt quum Triumvirorum lege de proscriptis (qua nihil iniustius, nihil furiosius) illi tentarent potentiam factionis aduersæ minuere, multorum tamen seruos, qui dominos prodiderunt, damnauerint: hoc facto alios quod seruassent, aut seruare conati essent, laudauerint, quosdam eorum etiam præmiis affecerint. Io vniuersum igitur, vbi virtutis aut gloriæ incrementa adsunt non adulta, hic liuor non adeo infestat, curam adhibere oportet, vt inter tuos solum viuas, aut amicos & domesticos sapientes, bonos, & graues, filiosque bonorum, & bene educatos. Et genera quædam sunt hominum, ac familiæ, quæ omnino immobiles sunt, & quavis causa à proditione alienæ: ex gentibus Germaoi, maxime Heluetij, & ex familiis Cardani, aliæque in oppidis quæ durius educant filios suos, atque simplicius; & nobiles magis, quam viles: & ex ætatibus pueri, inde senes, post ætate constantes, minime adolescentes, & iuuenes: hi tamen etiam deteriores, & omnium pessimi: & ex sexu, feminæ longe periculosiores quum impudicæ fuerint. Nam per earum amatores, cuique ad facinora indubia patet via. Quare tales protinus ablegare oportet. Vnde si vxores fiot in hoc discrimine, adeo infeliciter agitur, vt nullus euadat, nisi cui necis suæ quæsitor defuerit extra securissime, quum casta & pudica est

est mulier quæuis, vt nulla sit custodia melior. Viros enim quoscunque diligentia hac in re præcellunt.

CAPVT LXXIV.

Quomodo homines ad magna pericula inducantur.

IN grauissimis autem & periculi plenis actionibus nunquam consilij tempus vilibus personis relinquere oportet. Nam primum titubant, deinde æstuant, ac sudant: demum aut se detegunt, aut ea agunt, per quæ ipsi ac complices deteguntur. Andreas Lampugnanus, quum occisurus esset Tyrannum, pridie solum detexit famulo suo, vlturum se iniuriam acceptam à primario quodam sacerdote, pollicitus par caligarum, vtilitate muneris tegens magnitudinem meditati facinoris. Post, quum occisurus esset Principem, nulla ad consilium data mora, inquit: Quum eodem in periculo versemur, seu occidamus Antistitem seu Principem, tutius est Principem occidere. Annuit ille, & rem peregit. Laurentius Medices paulo ante dixerat, se occisurum inimicum: quum tyrãnum Alex. Medicem esset occisurus, aperuit consilium; tum additis etiam minis, si recusasset: quem palam est, si tempus habuisset, detecturum fuisse sesiem cogitati facinoris. Sæpe etiam tempus profuit, & multus risus, ad periculi magnitudinem occultandam. Vbi verò sensim proposueris aliquos in huiusmodi nassam includere, minimam periculi partem solum illis detege, eamque nec admodum certam, imo etiã falsam & inanem: inde illos abigas, vt pudore ac repulsæ dolore vltro se offerant. Rursus receptis adaugebis periculi magnitudinem, atque itidem reiicies, dolore, ira, pudore, vt illos (modo dehortando, tanquam minus aptos; modo terrendo falsis & inanibus periculis) inflammes ad quodvis discrimen subeundum. Sic Leonidas Spartanorum rex, socios non dubiæ necis expectatione continuit. Hoc genus actionis præstantissimum est omnium eorum quæ in hoc libro continentur, tum exemplo, (qui enim hoc potest, alia omnia posse videtur:) tum admiratione: &, si necessitas ingruat, vtilitate: modo tam noueris te à periculo, illos ab exitio eximere, quam in facinus incautos impellere. Tuæ enim existimationis est, nec minus ad propriam pertinet vtilitatem, quam ad decorem, eos quos per imprudentiam ipsorum accendisti, tua sapientia ab impendenti etiam ruina eruere. Impelluntur facile simplices, inexperti, prodigi, aleæ & luxui dediti, feruidi ingenio, & qui vix quiescere possunt vno in situ, adolescentes maxime, improbi, auari; atque ideo maxima pars hominum: modo dux peritus non desit; tum specialiter hostis tui gloriæ inuidentes, inimici æmulique. Summa autem artis in tribus constat, (maxime apud Principes) quam exacte tenent Turcæ, vti præmiis, metu, & vt non intelligant periculi magnitudinem. Metu quidem, vt maior minorem depellat, proposito pali supplicio tergiuersantibus: Præmiis præsentibus, honoribus, atque pecunia; tum exspectatione melioris vitæ post mortem: quam totam ad luxuriam instituunt, vt inter conuiuia, & puellas, puerosque ministros, & saltationes ac flumina lactis, vini, aquæque consistant, tum somnos, viridaria, libidinemque: scite quidem, postquam mentiendum est, saltem votis illorum satisfaciunt, vt nil desit. Vt autem periculi non intelligant magnitudinem, & persuasionem, dicunt, omnes vitæ suæ exitum in fronte descriptum ferre: vt nil prosit [vel intersit] seu deuites, seu fato vltro occurras: ideo deuorant opium perpetuo, vt obstupescant, nam etiamsi periculum non immineat, dimidium drachmæ quotidie ferme assumunt: quum imminet, drachmam integram. Est autem apud illos syncerum; nostrum opium vix pro triente. Hoc lætos efficit, & alacres, & nil cogitantes. Atque his præsidiis soli gentium [Turcæ] aduersus præsentem mortem ruunt, quum reliqui pugnent. Cæsar præmiis, adhortationibus, decimando, tergiuersantes, hostium numerum & vires ante augendo, impellebat.

Res secretæ hoc modo tentantur. Per fidum nuncium transmittitur epistola absque nomine scribentis, cum frusto nummi aurei, si libet: ille dat nuncio communi, & modico precio, vt suspicionem auferat: nomen non subscribit; sed vbi rem esse veram compererit, aut conditionem receperit, ex exemplari epistolæ, vel frusto nummi aurei cognoscere poterit. Quandoque etiam datur multis inuoluta vinculis, nunciusque statim rediturum se pollicetur, sed non redit. Si igitur ille tuo beneficio euaserit, aut aliquid adeptus sit, ad occasionem symbolum paratum habes. Sin de conditione recipienda agitur, tunc tribus opus habes, vt persuadeas; vt præmium accipiat; vt respondere possit. Vt ergo persuadeas, ab iniuria, à tyrannide, & contra, ab honesto, ac liberalitate, & promissis, & à facilitate, atque securitate, vt respondere possit, transmittat fidum cum symbolo ad forum. Tunc tu per nuncium cuncta declarabis: qui vbi è suis sit, iam es in tuto; si alienus, nil fidas. Partibus concordibus facile est cuncta tractare. Ne tamen sit in vtramque partem proditor, obsides accipies sub euentu, filios, aut fratrem: si facturus est, sua nihil intererit; si grauatur ancipiti est fide. Magnitudo tamen præmij, & dolor offensæ, & vanitas hominis quandoque sufficere possunt, aut necessitas facti cogit. Si verò prætentaturus sis Principem, quem auaritia laborare intelligas, per intimum id ages: sed non vt illum, verum hunc ipsum. Solent hæc fieri per eos quibus tuto arcana committere possumus: neque id importune, aut palam, sed sub iustitiæ prætextu primum; inde illo quasi condolente ad pollicitationem deuenitur: tum si certus es de fide, dabis teste non teste arcanorum custode. Si dubitat expositum, dabis chirographum sub quo velit trapezita. Summa autem rei est, vt iustum sit quod petis. Nam iniustam rem precio emere, turpe est, & duplex scelus. Plus autem est in actione, quam in præceptis.

CAPVT LXXV.

Verborum vis.

IVxta id dubitare expedit, tum etiam, quia docuimus tam diligenter habendam esse rationem eorum quæ dicuntur; an omnia verba plurimum noceant, aut iuuent, certum enim est, plura in irritum excidere: alia tamen multum iuuant: sed plura longe sunt, quæ plurimum obsunt. Scire igitur præstat quæ sint, & cur hæc plurimum iuuent, aut noceant, alia in irritum cadant, seu bona seu mala. Quæ igitur apud amicos, aut non inimicos, nec æmulos, nec superiores, nec ab illis suppositos ad explorandum proferuntur, pleraque (nisi omnino improba sint, aut affectus plena) in irritum excidunt. Vnde cursus error eorum, qui huiusmodi personis sua narrant à quibus neque auxilium neque iacturam consequi possunt. Ad inimicos & æmulos directa, tum vero ad amicos & potentes, si extra rem sint, iuuare nil possint, & pleque in irritum & ipsa excidunt. Possunt tamen obesse apud inimicos & insidiatores; tum prodesse aliqnando, si simulata amicitia contrario sub sensu proferantur. Quæ autem plurimum possunt [aut prosunt,] sunt quum ex composito tes tractatur apud potentes, aut à potentibus submissos, aut apud eos cum quibus negotium peragitur; aut si cum exploratoribus sermo est, aut inimicis, tunc verba ad normam componenda, & plurimam habent efficaciam. Quæ tamen iuuare deberent, sub iniquo auditore, & quæ obesse possent apud illum qui amicus est, effluunt sæpe inaniter. Ob id plurimis visum est, verborum obseruationem non tantam esse debere. Verum falluntur. Etenim si quis vnam tantum gemmam magni pretij, inter multas consimiles falsas obruptas cinere haberet; aut plantam aconiti in horto; cogeretur & cinerem totum cribrare, & herbas singulas horti explorare, ne vel gemma periret, vel venenum inter cibos per incuriam misceretur. Ita quamquam non semper necessaria esset hæc obseruatio; ob periculi tamen magnitudinem, ne aliquando inter tot occasiones verbum vnum excidat incompositum, quod ruinam afferat, aut omissum, quum dici oportuerit, perdat nos, summa diligentia opus est, ad verborum & sententiarum collocationem, tum præcipue in locis publicis. Deinde quum sermo est cum Dominis potentibus, aut magistratibus; tum quum de negotio agitur, seu ex composito, seu fortuito. Nam sæpe accidit, vt quod fortuitum videtur tibi, ab illis ex composito agatur. Oportet autem animaduertere, quod qui captant, saltem duo sunt, seu simul veniant, seu (quod artificiosum magis est) vnus post aliū; aut si se in abdito collocent, aut si cum inimicis vel insidiatoribus, aut æmulis aut his qui ab illis submissi sunt, & maxime sub forma salutandi te, negotium fit. Porro in colloquijs maxime ordo facit ad mouendum, tam ad laudem, quam vituperationem. Velut si quis dicat, Amo te, quod me alas, vestias, & erudias. Meditari autem oportet hoc, à fine originem ducendo, conuersa ratione verborum. Maxime autem fidendum est huiusmodi verbis, quum beneficium quærimus, & quum res est cum magnis viris, quæ verecundiam illis mouere possunt. Eam enim solum vereri videntur. Quamobrem ad illam componenda est animi ratio; atque illi insistendum. Exemplum autem verborum compositorum ad efficaciam, quum sententia eadem fuerit, tale est; vt si cui persuadere cupias, non oppugnandum amicum tuum, dicas, Displices amicis tuis, atque illius; quasi dicas, omnibus, hoc est dehortari. At quasi hortaberis, si dicas, Displicea amicis tuis, atque inimicis. Quis enim inimicis displicere non cupit? Illius tamen amici (scilicet, qui oppugnatur) inimici sunt eius, qui oppugnat.

CAPVT LXXVII.

Homines quomodo captandi, iuxta conditionem vniuscuiusque.

PRo singulorum igitur administratione, quinque hæc obseruare decet. Primum, vt propriam atque hic descriptam tractationem attingamus; inde ad generalem deueniamus; in qua præcepta continentur; post ad singulorum tractationem generalem; deinde ad similia, vt pro amicis, de sociis, pro his qui extra patriam sunt, ad exilium; demum, quod omnibus maius est (quandoquidem singula complecti infinitum fuisset) ad methodum, qua tractatio illa inuenta est, omnia redigere; & ex vnaquaque minutissima scrutari, atque inuenire. Proponamus autem quomodo quemque captare liceat. Id sumendum est à præmio ampliore, iuxta conditiones hominum, mores: sexum, atque ætates. Captantur ergo trifariam: aut quia proponimus quod præstare possumus, sed non præstamus; aut quia pollicemur, supra quam præstare possumus, aut præstamus; aut quoniam præstamus pollicita, sed illa non sunt ei quantum persuasimus vtilia. Ergo simplicibus plus pollicemus, quam præstare possimus; credulis, quod præstare nolumus; imprudentibus, velut pueris adolescentibus, mulieribus, quod vtile eis non est. Auari simplices persæpe redduntur desiderio magnitudinis præmij obcæcati. Potentes facile captantur: sed captati periculum afferunt graue, quapropter captare eos conuenit in his quæ illi non magni faciunt: aut vbi captaueris, alio eundum. Ob id ab his qui sedem firmam non habent, omnes cauent. Pauci enim quum possint euadere ne caprentur, summum præsidium est in vltione: quam quo modo sumes de eo qui circumuagatur; præsertim incognitus, & mutato nomine, atque prænomine: (quod facere solent circulatores, & sycophantæ) demum vbi captatus non potest rescire, se captatum; aut quo captatus fuerit? Propterea magna industria vtuntur deceptores, vt plures id agant: quemadmodum & fures etiam; præcipue domestici. Scio vnum esse è tribus: sed quis sit è tribus, nescio. Captantur facile singuli in his, quibus delectantur:

delectantur: mulieres in ornamentis, senes in lucris, iuuenes in amasiis, vnde Comœdiarum origo. Ob id magnitudo lucri, præsertim ab ignoto vel aduena proposita, plena est suspicionis apud cautos. Vtuntur autem captatores multitudine verborum: non solum ob rationes quas adducunt, sed vt obtundant audientem, ne possit cogitare. Quamobrem est præcipuum signum captatoris, præter conditionem, &c. Captare solent nos improbi ex improuiso adorti, tum magis quum illos tu conueneris alia causa: nam maxime, ni caueris, inconsultum adoriuntur, de tuo negotio cogitantem: in quo forsan illum sperabas meliore conditione aggredi. Ideo supremæ calliditatis indicium est, quum a proposito te diuertunt, tum quærunt quæ concedi non possunt. Vbi tu negaueris, statim subiiciunt, vt saltem hoc negare nolis. Id autem est quod concupierant: Duplicisque generis esse solet: aut minus tibi graue, quam primum; aut etiã, si omnino simplicem te existimauerint, grauius etiam, solumque (quod alteri subiectum sit, & dictione illa, saltem, & fueo aliquo verborum, & importuna petitione, atque imprudenti, tum improuisa nimis, & nullo temporis spatio ad cogitandum dato, in tanta inuersione rerum) leuius visum. Ob id expectare solent, vt tu, tamquam imparatos, prius illos aggrediaris.

In remunerandis beneficiis aut officiis, te ipsum exhibe datorem, vbi quantum oportet dare velis. Nam si per alios dederis, iam illi excogitabunt te [non] id saltem dedisse; plus forsan etiam dedisse, retentum à ministro. Vnde cogitatione maius officium vel beneficium [concipiunt.] Vbi resciuerint non plus datum, statim minus quam conueniat datum, existimabunt, contemnent te; aut saltem ægre ferent, satisfactum non credentes.

CAPVT LXXVII.

Amicorum vsus, & familiaritas.

CAuendum insuper est, ne nouas amicitias importune petendo auxilia & pecunias, aut mutuum, vexes. Vt enim surculi teneri, si onerentur, aut trahantur, franguntur; ita amicitiæ, necdum longa consuetudine & officiis confirmatæ. Obseruandum est etiam, ne in adeundis amicis, vel aliis, intempestiue quid agas: & ne tam diu maneas apud eos, vt cogantur vale tibi dicere. Quin potius, quum vides illum aliena curantem, aut tacentem, aut oscitantem, aut cuipiam rei necessariæ incumbere volentem, antea discedendi veniam petas. Cogita id tecum: negotioso viro eripi quicquid perierit [aut perierit] temporis: Aut enim lucro aut tibi deputatum esse: quod si lucrum non adfers, importune aduenis; nisi sua causa: Nam periclitanti succurrere, pro lucro poni debet apud eiusdem virum. Si autem discessuro te, & veniam petente, nouos aggreditur sermones, intelliges quam cupiat te manere. At qui diuites sunt, hoc non cogitãt; sed patientia impeditorum absque fructu abutuntur. Hos eludes, dicens, nuncium epistolam præstolari. Sed si notæ sit petulentiæ vir, per nuncium hac excusatione illum ablega, antequam ad te veniat. Potes, si libet, præfatus per internuntium temporis angustiam, & negotij necessitatem, admittere; & dum dimittis, tum gratias agere: nam etsi hoc inuitari videatur, fatigatus tamen intelliget, non redeundum. Amicos autem veros, & ad amicitiam veram aptos, diligenter retinere coneris. Res enim maxima est, vt dixi, in humanis vera amicitia. Cur autem tam pauci sint, quum res sit adeo vtilis, non aliunde quam ex eius compagis imperfectione accidere potest, & natura fluxa. Adeo vt summum Opificem nos potius admirari ex hoc deceat, qui ex tam sordida colluuie elegantissimum fecerit animal; quam quæ desunt & rara sunt, quærere; aut queri de his. Ciuis autem inquilino ne nimium se insinuet; quoniam suspecta est horum amicitia. Quod vero ad actiones attinet, illud primum perspicere debes, summum bonum esse in amicitia; quo maius in humanis non inuenere sapientes: Quodque præstãtissimum in humanis operis, est benefacere, nam hoc ipso gaudet Deus, à nemine recipiens. Quicunque enim beneficium petiit, se illi subiicit, & testatur suam humilitatem. Hoc igitur persuadebis amico maxime potenti, vt eum beneuolum habeas. Quum vero in beneuolum conferre beneficium vis, si totum tui muneris sit, nec occasio vrgeat, serius præstato (nisi rependas,) vt maius videatur, & maiorem præstitisse diligentiam; ita tamen, ne panis lapideus fiat: sin alterius, quam celerius potes, ne in periculum adducas, aut adduxisse videaris. Si cognitus, qui nihil præstet, impudenter officia exigere perseueret, quem tu partim spe, partim metu gratiæ, quam promeruisse credis, amittendæ abigere dubitas, aperte commemoratis in illum officiis (modo obesse non possit: tunc enim subducere tacite se præstat) ingratitudinem illius exprobrato. Nam hoc pars est gratiæ: quam rependere tenetur. Nec dissimulabis te nescire, qua natura sit: intelligetque, te non metu, nec ignorantia præstitisse officia, sed propria liberalitate. Tum vero memineris, quibus verbis ad hoc opus sit; & quam personam referas, sacerdotis, togati, nobilis, & eius qui mansueti nomen sibi vendicat.

CAPVT LXXVIII.

De negotiatione cum amicis, magistratibus, & absolutione impetranda.

IN impetrandis autem beneficiis maximus est illorum vsus, quum res quæ quæritur, à nullo alio quæritur, & munus id exposcit in quo excellis, vt profiteri iam claro in profitendo viro: Secundo, quum etiam aduersus competitores: Tertio, quum quod quæritur, proprium non est tibi, nec in eo excellis, sed tamen præmio & honori, labor, industria, atque cura coniuncta sunt, vt in magistratibus: Vltimum est, quum est merum donum, vt in sacerdotio, & pensione, ac bonis exulum. Maximum

ximum est enim pro alio quærere:quod est,ac pro se ipso impetrare. Nam & gratia exhauritur nihilominus, & locus non relinquitur vlteriori petitioni. Fallit, quum specie bene meriti consulitur, amicusque illos id è reipublicæ vtilitate esse docet. Est etiam hoc in Principe minus honestum, nec sine suspicione venditæ gratiæ, sed facilius: Quom vero à populo petitur, honestius, sed difficilius. Vnde conandum est, vt aliqua in re si singulari excellas, aut Principem, aut Multitudinem officio aliquo præcipuo demerearis. In precibus ad amicum pro amico, vnam sufficiet caussam amicitiæ adducere, sed omnia complectentem, velut in excusationibus vnam & euidentem, vt quum amicus ad cœnam Principalem me inuitasset, dixi: Non par esse sufficientem cum Principibus edere. Si amicus aberret, coram astantibus dissimula: si testimonium tuum poscit, ride, quasi animaduerteris illum ioco dicere: interim, si sapiat, commutabit sermonem: nunquam tamen responsum dabis, sed magis ridebis.

Si autem à Senatu vel collegio aliquid impetrare cupias, considera an factionibus laborent, &, si duæ sint, aut plures. Si [pluribus] factionibus laborent, potentiorem ex illis vere amicum habere melius est quam septem ex dimidio, tum quod in moltis, dum vnus alterius officium expectat, nullus præstat: tum qood singuli languide seruiunt, res autem efficacia indiget. Vnus autem, qui potest, dum efficaciter agit, non obsistentibus aliis, (quum factione non perturbentur) sine impedimento obtinet. Quod si duæ sint [factiones.] Principes tibi conciliabis, certiusque negotium obtinebis, quam si sine factione essent. At si sine capite, & multi fidis laborant dissidiis, melius mediocriter omnibus placere, quã admodum paucis vehementer; quod tum hostis vnus plus impediat, quam duo amici adiunent. At si non de obtinendo magistratu, vel alia re vtili, sed liberatione ab accusatione agitur, semper melior est vnus acris defensor, quam periclitèris in duobus inimicis exitialibus. Summum ergo est auxilium, habere potentem, acrem defensorem; sed, si potes, nullum talem hostem. Quum vero res vel sic pro deplorata habetur, vtile fuerit, non solum in ciuilibus altercationibus, sed etiam in bello, aliquos habere amicos, qui hostis officio funguntur, qui ex inopinato tibi adhæreant, tumque statim decernere seu manu, seu suffragiis, detectis consiliis hostibus attonitis nouitate facti: etiam quod exemplo moueantur, & quod caussam potentem reputent: & quod tempus consilij ereptum sit. Sed de his etiam alibi diximus: (Sect. 15. & 91.) Est autem quoddam præcipuum, quum omnia fermè aduersantur, vt pugnes quasi à latere. Cuiusmodi ego in Senatu Bononiensi, à principali vtilitate; Plus est seruasse vnum è vobis, vel vxorem, vel filium, aut fratrem, decem millibus aureorum coronatorum; quæ summa maior est qnovis stipendio vniuerso meo, etiamsi victurus essem annos Nestoris. Hoc autem falsum existimare quum obiicere licuerit, in tot annis præcedentibus quis obiit in manibus meis è vobis, aut necessariis vestris? Vocaturque, à comparatione emolumentorum: [aut commemoratione.]

Quum vero suspicaris persuasum Principem aut magistratum, aut amicum potentem ab æmulis, de falsa accusatione; illum autem ad tuas partes trahere speras: ne deneges factum, quod non obiicitur; & quod defendere, non præsente accusatore, vanum est: forsan enim in suspicionem nouam venies: & si pauca dicas, non sufficient: si plura, videris abuti amici existimatione; vt inimicum tum tibi compares, quando amico maxime opus erat. Sed sufficiat (quòd etiam in vsu est apud quoscunque graues & prudentes viros) dixisse: Non me latet, quæ dicant quidam: sed ego paratus sum ostendere, quæ feci, aut coactum egisse, aut optimam rationem iniisse.

CAPVT LXXIX.

De amicorum vitiis.

Quod si ab his, quibus amicum te esse contingit, quosve colis, opes (vt solet à paupetibus) mutuo, à potentibus officia exigantur, hæres in vado. Nulli si concedas, amicos perdes: vni, non alteri, si des, pro vno amico plures efficies inimicos: omnibus fides, illos non ob id seruabis; temetipsum abque dubio pessum dabis. Ergo ne des tem, caueto; officia præstabis; sed huiusmodi, ne te euertant, nec grauia sint. Ab amicitia igitur pauperum petacium, auarorum, & impudentium cauebis, & eorum qui tua prodigunt immodicee, maxime autem obstrictorum ære alieno. Excusabis, non habere, mutuo dedisse. Si petat pecuniam, offeres pignus; [quod] fateberis te habere, sed corruptum, vitiosum. Demum, si dare cogeris, alacri animo, non vt innitus, dabis. Vbi tardauerit restitutionem, occasione simulata repetes. Multa dabis parua; eo animo, vt dones, non vt mutuo des, & non audeat maiora petere. Sic ego duos aureos coronatos amico dedi, vt non auderet quicquam maius petere: & bene cessit, quum etiam multis officiis mutuum abunde pensauerit. In magnis, cautionem aut pignus si offerat, accipies, caussatus incertos vitæ euentus; si non offerat, te excusabis. Melius est, parui precij amicum amittere, quam magni precij rem. In officiis nihil cuiquam denegabis; sed promte, alacriter, ac etiam non rogatus, modo monitus, præstabis. Quidam hac techna in absentes vtuntur: Post duos menses scribunt; & sub præsenti die, quo ille requirit, vt literæ videantur fuisse interceptæ, & in mora. Tum videntur satisfecisse bona voluntate: ille tamen, tamquam præterita occasione, petere [ea,] aut adire non audet. Solertissimi quoque hominis consilium est, quum amicus crimen admisit, aut frater quod latere non potest, tu vero potens fueris, damnare illum, expellere, de iure cum illo agere, sed demum sic vt sententiis iudicium absoluatur. Ita tuo honori, & illius securitati, prospicies. Sed si inter duos amicos contentio sæuiat, tu vero arbiter sis, hoc age, vt inuicem persuadeant alter alteri: nam si hoc non potes, alterutrum facies inimicum, vt Bias inquit. Quare

Quare iudicio renuncia: Si non potes, sic diuide iudicium, vt quisque habeat, quod maxime placet. Aliter si feceris, periculum est, ne dum vtrumque retinere conaris, vtrumque amittas. Quod si amicus, tum maxime potens, à te requirat, vt amico tuo, qui eius sit inimicus, inimicus sis, multa habes huius argumenti præclara exempla. Velut illud Attici cum Sulla: *Noli, oro te, aduersum illos me ducere, cum quibus, ne contra arma ferrem, Italiam reliqui.* Quid prudentius, aut elegantius? Sed & illud eiusdem, quum Antonium & Ciceronem amicos simul retinuit, inter quos odium fuit, mortali omni maius: rursus inter Antonium, & Octauianum; inter quos de Principatu orbis contentio erat: & inter Octauianum & Brutum; quorum vnus pro libertate, alter de Imperio orbis certabat; parricidium exercentes simul, atque obiicientes. Vt credas eius fuisse exactam Dialecticam in ciuili tractatione: quã condiscere potes ex his quæ recitaui. Itaque vim illorum verborum scrutare, donec exacte assequaris, ad infinitos vsus accommodatam. Si pro amicis suis non amicus te fatiget; vbi bis aut ter illi concesseris, excusato libere, docens, non sufficere. Vbi hoc egeris, illi tum satisfacies, nec inimicum feceris. Multi de his, quibus conuersantur, eorum facilitate abusi, dum omnia sibi de amico pollicentur, repulsam passi, pudore eius fiunt inimici. Ob id extremo illo actu vt amicum retineas, si potes, non spe sua eum fraudabis.

Porro res amicorum, & error illorum, maxima sunt, & quæ integram exigerent tractationem. Sunt quidam qui secreta tua exquirant: quibus si ea dicas, præter periculum ne reuelent, illorum postmodum arbitrio viuere cogeris: adde quod nescias quantum amici sint: quod etsi scire te docui, non tamen primum est id agere: Sed si communicare nolis, recedunt ab amicitia; alij, occulte te oderunt, quidam etiam aperte. Nonnulli acriter vrgent, ac si debeas. Sed hos reiicere debemus: & leue malum est: aut enim ipsi stulti sunt, aut stultum te arbitrantur. Ergo in huiusmodi difficultatibus fallere illos conuenit, non sermone, sed re, atque ita, vt si proferant [quod ipsis reuelasti,] nihil omnino noceant, aut etiam iuuent. Inde attentissime ita subodorare negotium cum tuis amicis, vt cognoscas quam fidus sit. Si tegit, amicum esse, sine periculo expertus es. Verumtamen optimum est, non detegere, quod sciri nolis; aut saltem iam cognitis amicis, & nihil tale requirentibus. Alij vero sunt, qui ita amici sunt (& satis boni,) vt nullum patiantur esse tibi alium amicum: qui non tam tibi, quam sibi, sunt amici: alij qui patiuntur hoc, sed nemini in amicitia concedere volunt; qui etsi vehementer ament, nec tamen importuni sint, non tamen amici perfecti sunt. Si enim amicus est, qui te tam diligit, vt seipsum; cur si ipse alium optaret sibi, eum amiciorem tibi esse non vult? Similiter & illi qui in æmulationem aluntur; exemplo cuculi inter aues, & hederæ inter arbores; quæ suos educatores enecant: sed & Aranei: [aut aranei.] Sic Marius Sullam in perniciem suam euexit. Hos dignosces, quoniam nimis peccatis sunt obnoxij, auaritiæ, aut ambitionis: (Duo bona, duo peccata:) vel sceleratæ vitæ sint: talis Cæsar in Pompeij perniciem, vt Sulla à Mario, educatur. Frequens hoc exemplum etiam in omnibus. Sed, vt dixi, si non cæcutias, vel ex flagitiosa vita, vel ex immoderato affectu alterutrum deprehendes. Habendus tamen ætatis respectus; ne deterior sis Tiberio: qui quum audisset Galbam aliquando regnaturum, dixit, Regnet, quum nihil ad nos pertineat: attamen ad stirpem pertinebat; quum regnare non posset, nisi Tiberij extincta stirpe. Sed & genus artis considerare oportet, vt etiam dignitatis. Bellica, & Principatus, ad exitium spectant: Medicina ad iacturam: reliquæ non ita: Iuris prudentia quum in certamine constet; tum Philosophia ad gloriam potius. Si amicus, aut filius, vxorve, exigant vltra metas, aut secreta scire; nec, vt velis, negare liceat, quod Homerus de Ioue ad Iunonem, dicas: Sufficit vt non prius alteri; sed si modo indulgeam, tum prima eris.

Quum amicitiam dissoluere nolis, sed consuetudinem, (contingit hoc maxime in professoribus, cum discipulis motosis) illos vberioribus beneficiis afficies, sed non magni momenti: inde aliquem vere tibi amicum ab eodem munere explode. Ita quieti cessabunt. Exemplum: Quum Bononiæ essem, discipuli nullo respectu carpentum ascendebant; vt non sufficeret docere, nisi etiam auheheres. Hoc graue admodum erat, molestum, & indecorum; vt nec liceret pedere. Oportuit ergo blandius excipere, docere, polliceri; & extrudere carissimum è familiaribus (sed volentem) vt mihi grauem & molestum; cuius querela erubescerent [alij.] Interim abrumpe occasionem; vt equo ferri, non carpento vehi [malis.] Male fecit Plutarchus, qui librum condidit De amico ab adulatore dignoscendo. Debuit enim sic inscribere: De dubiis amicis dignoscendis. Quidam enim adulatores non sunt, sed plane proditores. Ergo hos, quum aliquid proposuerint damnosum periculosumve, quum inuocati accedunt, dubium offerentes auxilium suspectos habeto. Qui si rationibus conuicti persistent, malintque te eligere speciosa cum periculo, quam tuta; vbi periculum ingens sit, huiusmodi amicis, tamquam inutilibus (si non perfidi sint) carere melius est. Istis ergo viris committes res sermone ancipiti; velut, Committo fidei tuæ hoc, Resonat enim in auribus amicis spem in illo maximam; in perfido, dubitationem. Si duo communes amici, accepta iniuria inuicem, in inimicitias deuenerint; vt mihi nuper vnus violata alterius filia, in carcerem ductus; deserere miserum, impietatis est, & amicitiam fictam exercentis; obuiam ire legibus, & non sinere iustum vlcisci dolorem, nefarium: impetrare ab altero, quum de iure agat, videberis nec ius colere, nec eum vt illum amare: persuadere irato, dedecus passo, arduum, ac plane inane: offensas præterea (vt in generalibus dixi) sempiternas, officiorum memoriam fluxam. Itaque decet, Atticum imitando, ne verbo [quidem,] ad eum, qui iniuriam passus est, facto, auxiliari; ita vt alterius æstimationem minime lædas, aut minuas: quin etiam, apud iudices illo plurimum laudato,

&

& conquestus de eius fortuna, opem alteri quantam potes afferas. Quod si is resciuerit, dicas, Te tantundem facturum sua causa: aliam etiam conditionem eius, aliam meam, aliam iudicis: me neque accepisse iniuriam: neque iudicem esse, sed solum amicum: leniisse pœnam; nihil damni illi afferre: vt nec ex actu quicquam vtilitatis [percepisse:] leges captiuis & reis defensores publice constituisse; quanto magis me [amicis prodesse] teneri? Inde omnibus factis ac dictis ita excipies eum qui læsus est, vt non odio sui, aut leuitate, vel ambitione defensum illum [à te] credat [qui læsit,] sed amici officio, ac necessitate, qua omnes excusantur. Huiusmodi frequens est exemplum apud Ciceronem in orationibus: velut pro Marco Cœlio, contra Atratinum: & pro Lucio Muræna, contra Catonem ac Seruium Sulpitium: & pro P. Sylla, contra L. Torquatum: vbi defensio publica non improbatur. Sæuissimi enim hostis est, reum non solum vita & iudicum misericordia priuare velle, sed curare vt omnium necessariorum ope destituatur.

Quum amicus in te peccauerit, solent quidam cum communi amico expostulare. Id si recte fiat, à me non improbatur: Primum vt amicus illi non voluntare peccauerit, id est, improbitate, inuidia, vel contemtu: sed potius ira, ignorantia, aut cupiditate: & vt is, cum quo quereris, autoritate sua regere possit eum, de quo quereris, & tibi amicior sit. Secus, tua facta deteges: odium illius augebis, & contemtiorem te reddes: forsan etiam vel voluntate vel errore commutabis dicta tua. Quorsum enim, per minorem expostulare, impetrare per incertum amicum, quærere quid ab inimico, quo sine esse possis?

CAPVT LXXX.

Vbi amicus tuo periculo erret.

EOdem ferme in genere est, atque ratio exempli vna, quum persuasus amicus grauiter, malo tuo aberret; quem corrigere, periculosum; nec licet, si non corrigas, à graui iactura te vindicare. Accidit enim hisce diebus quum liber essem à suspicione erroris, vt quidam ex his qui negotio præerant (vir sane, vt audio, eruditus) mandatam sibi hanc ab amicis præcipue curam mihi scripserit: sed ita scripsit, vt à me quæ [literis illis] continebantur cum Dialectica mea vix intelligi possint; ab alio autem certe nemine: sed & apud me quædam non erant adeo perspicua, vt respondere possem. Quumque reposceret [responsum,] in nonnullis necesse videbatur vel respondendo testari illius negligentiam; aut, non respondendo, contumaciæ vel socordiæ opinionem subire: quorum vtrumque mihi ingens periculum excitasset; tum maxime illi obiiciendo socordiam, qui nomini meo studere se testabatur. Itaque sic respondi: *Officiis tuis, ac beneficiis, quæ in me plurima sunt, nec mediocria, multum me debere intelligo: & eo magis, quod nullo beneficio antea à me affectus quidem esses. Libros, quemadmodum rogas, curabo vt habeas. Scio, te, vt scribis, & vt fecisti iam quantum poteris, causam nostram defensurum: ob id etiam cupio singula ab aliquo ex his qui tibi sunt à libellis, diligentius mihi significari. Opto autem potius, vt per alium quempiam id agas, quam per te ipsum; ne hoc tædium mei caussa subeas. Facile enim è tuis aliquis, qui prudens sit, & scribendi peritus, hunc laborem, te iubente, suscipiet; & id mihi gratum erit: Vale.* Vides quanta industria illius errorem texerim, atque imminuerim; causæ meæ tamen non oblitus. Ita corrigere potentiorum amicorum errata honeste conuenit, quum ea dissimulare nequiueris.

Si amicus, vel notus, pro aliquo qui tibi iniuriam intulerit, supplicet; si sit tibi vtilis, aut potens, dicas, Cogitaram te in auxilium vocare pro hac tanta infamia, iniuria, & iactura. Sin neque potens, neque vtilis, potest vel eisdem vti, vel dilemmate: Si mihi amicus es, debes me ad vltionem non solum accendere, sed iuuare: Si non es amicus, dimittas me iuri meo. Si sit minax, improbus, petulans, dicas, Iure agendum est mihi, ne plus noceat. Quod tua gratia facere possum, est, vt se subducat ex vrbe per aliquot menses, ne præsentia augeat iniuriam. Si neque hoc facere vult, pugnandum est cautæ, & armare sese necesse est. Idem in leui iniuria, vtili persona intercedente.

CAPVT LXXXI.

De conuersatione cum Principibus.

CVm Principibus sobrie agendum, paucisque admodum. Secreta illorum ne quæras. Innotescent tamen intimis, hoc modo: In sermone familiari, dum quærunt ab his qui à secretis sunt, illi mussando significant: si enim collimaueris, non respondent, aut verbum quo te recte existimare intelliges, aliter dicunt, Non prorsus, &c. Hæc est notitia quæ de arcanis Principum habetur, & in secundis personis extinguitur. Verum quum illorum conuersatio adeo periculosa sit, ob calumniã, & inuidiam; quanto magis consuetudo, & tractatio, &, quod maius est gratiam atque autoritatem summam apud illos quærere? Præsertim quod in hac re magis (tum generaliter in omnibus) plurimi inueniuntur, qui nulli labori neque periculo parcituri sunt vt primas partes obtineant apud Principes ipsos: tum vero nec graue scelus committere, nec (si occasio detur) etiam vitam exponenere verentur: vt quasi cum desperatis certamen suscipere sit necessarium. Non tamen prudens vir spem deponere debet, cum tot difficultatibus intentum obtinendi, quot res humanæ dilabantur, consilia disiiciantur, studia refrigescant, coitiones dissipentur; vt prudenti & recte viuenti mora & tempus semper aliquid commodi afferant. Nullis magis fauet tempus, quam sapientibus. Ergo vt gratiam Principis consequatis; & apud illum autoritatem, commune iam præceptum illum seruabis:

Virtus est vitium fugere; & sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Multa melius est prætermittere decora; quam turpe aliquid committere. Vtilius est, recte quæ possis agere, vt omittas; quam vt erres

in

in aliquo. Diligentia & assiduitas, & honesta administratio, & verborum paucitas, semper grata sunt Principibus: reliqua, etsi bona sint, varie accipi solent. Contentionem fuge, & disputationibus(vbi necesse sit) acerrime pugna. Nec credas æmulorum verbis, sed illos assuesce vt sine contentione pereant. Intimis quibuscunque Principis faue, & gratiam illorum capta. Grauitatem incessu, moribus, verbis, vestitu, conuersatione diligentissime custodi: & caue, ne, aliis dum faues, ipse cadas. Non eripias aliorum negotia: nec quemquam irrites, eunsisus in Principis fauore, vel beneficio. Cum communibus ministris quantum potes conuenias. Denique versare studiose in dignoscendis aliorum moribus, & tuis occultandis. Nam cum iracundis & indignabundis ne tantillum contendetis, in periculo enim versaris, ne contumeliose te tractent: ant, si id effugias, odia æterna concipiunt. Multa vero in hoc genere tradita sunt ab Aristotele, atque Cicerone. Super omnia cauendum est, ne cum affectu quicquam loquaris, præsertim in offensa. Nam affectus leuitatem ostendit. Grauibus autem circa causam sententiis age. Pessimum igitur, magno actu, argumento nullo, vti. Pro periclitante filio, parte, fraterque, affectus ad commiserationem decet. At is optimus, vt etiam ad illos proprius. His duobus modis (quod raro accidere solet) contigit eos mutasse sententiam. Vbi autem dilemmare opus, partem iniquam extra suspicionem voluntatis eius pone. Principem iam tibi amicum, qui aliquid maius expectet, & de se pollicetur, facile tibi oratione deuincies: maxime per epistolam arte egregia constructam, verbis splendidis, sententiis grauibus, acutis, pressis, quasi aliud agas, spe implendo: quod bonum est, vbi iam voluntare rapitur, nec in periculum adhortatio impellat: vitioque careat epistola. Siquidem (vt alias demonstratum est)nihil est in humanis, solidum, præter virtutem, sed spe omnia constant: vt vndeque eam paraueris, nihil referat. Quod optime norunt oratores, & cæteri etiam vsu.

Sed & illud scire decet, quod, quum Principi, qui in ætate non sit aut captiuo, seruies, & illius ac Senatus præfectorumque mandato cogeris arcem aut vrbem munitam alij Principi tradere, hoc vtuntur stratagemate prudentes: Quum periculosum sit vtrumque, & parere, & non parere, vnire suis eorundem mandato restituant arcem: inde ille, vt certus nuncius, Principi illi tradit. Plures enim tradendo periclitati sunt. Consimili in casu, si de restitutione agatur, res ad totum regnum referenda est, non ad ordinem illum, in quo tu sententiam dicere consueuisti. Si ille te reprehendat, à calumniatoribus persuasus, vt negando, illum quasi stultitiæ videatis coarguere, non negando, reum te facias, mediam quasi viam tenebis. Vt quum ego à quodam potenti viro persuaderet, vt quæ perperam scripsissem, colligerem aut retractarem, (quum nihil indignius [sit, quam] crimina multa fateri, vbi nullum esset crimen) adduceretque B. Augustini exemplum, quod minime mihi conuenicbat, quum & Augustinus aliquando in secta hæreticorum fuisset, & in Theologia scripsisset: & si retractassem, forsan in hæresim incidissem: si non acquiescerem consilio, periculum erat, ne ex amico inimicum frustra fecissem; quod & ob potentiam, & amicitiam, & merita in me, ac vrgentem tum occasionem, minime mihi conducebat; respondi: *Cupere & velle omnino, quæ perperam scripta essent in me, subiici religiosis censoribus, atque in hoc auxilium etiam me suum implorare: nihilque vmquam cogitasse, quod dissidium pariturum esset: quod si casu in duobus vel tribus aberrassem, aboleri illa oportere: non me de huiusmodi ne in suspicionem quidem vmquam apud Pontifices incidisse.* Ita modeste satisfactum est honori meo, & nihil fuit, in quo offenderem illius voluntatem, sed aperta est ei via, qua intelligeret, se à calumniatoribus deceptum. Quandoque voluntatem eius lædere cogimur. Tum vero mirifica industria opus est: nec tamen odium occultum effugies. Quale illud Ciceronis, quum librum de Catonis laude, Cæsaris inimici, scripsisset; legissetque Cæsar, inquit Cicero: *Ille enim non scripta potius desiderat: quam scripta non probet.* Quod si sæpius sic eum offendas, in immortale odium incurres. Quum aliquid petieris, & annuit, habeas è familiaribus vnum, qui illi instante occasione suggerat tui memoriam. Multis enim distinentur [Principes] & grauibus negotiis; nec libenter curam hanc reminiscendi suscipiunt: oderque maxime eos tamquam sui contemptores, aut plane stupidos, qui quæ per alios fieri possunt, nec è dignitate sua sunt, illis relinquunt. Tum vero, vel si oblitusei, aut minus accurate rem tractare vellet, non habet quos excuset: vt etiam inuitus persæpe beneficium præstet. Præterea caue ne pro alio, qui non satis pro te firmus sit, roges, seu præmio, quod raro, seu molestiis quorundam precibus, quod frequenter euenit, impulsus. Leuem enim aut importunum te existimabit [Princeps:]eum vero magis, si quod rogas, non plene sui iuris est. Aut enim repulsam passus, animum labefactabis tuum; aut consequutus, quicquid habebas gratiæ, consumes. Gratia enim infirma admodum tes est: quæ difficulter paratur; ægre retinetur; amissa numquam recuperatur.

Si quis tibi solus proditionem reuelauerit [aut soli,] vtroque modo periclitaris, seu eaptus ante confiteatur, seu quum perfecto opere detegi complices necesse est: adhæc si non perficiatur [opus,] & capiantur [complices,] quomodo euades? Si dixeris, certum est, negaturum: hine tormentorum repræsentatio, proditor amici [eris,] suspicione falso accusaueris. Quid si damneris, vt falsus testis, pœna talionis? Quomodo tutus esse potes, si euaserit? Quid si Tyrannus ille sit præcipitis consilij, iræve, quanta mala [te] manent? Quid fiet filiis tuis, fratribusque? Ergo si amicus ille sit, & rem explicatam habeas, subducito te, dicens, aut ostendens, si times, non posse [te] celare. Ita omnibus satisfacies, sed statim. Si princeps est alius, subducito [te], nec reuelato. Neque enim cogi potest, vt te detegat. Sed si amicus intimus non sit; verum vel leuitate, vel vt inter coniuratos te trahat, illico reuela: sed causam adde, quod non habeas

sufficientem probationem: propterea (si placet) verba habiturum, vt complicem obscondicis testibus post tabulatum iuxta muri [continincant.] Interim eo prætextu armatus cum fidis sociis incedes. Sic per alios detecta coniuratione, in tuto eris.

Si opus quoddam Principi dedicare propositum est, fac vt postulet: & Epistola argumentum quasi è re occasionem habeat: velut Aristoteles ad Alexandrum: Eaque modestiam maximam præferat, vt Plutarchi ad Traianum. Vel si solum ad optimates scribas, laudes maiorum [commemora: talis Epistola] Ciceronis ad Lucullum. At si plures pro te operam nauariot, ita ad vnum referes. Principem, vt ille honorem, hi gratiam eius consequantur. Quod si ab his, inter quos æmulationis studia vigent, seu libertatis munus tuum consequutus sis, non tam facile est omnibus satisfacere: ita tamen ages, vt inferior (dissimulata æmulatione) & alterius gratiâ fecisse, & pro se potuisse videatur: quum aliquid etiam præcipuum addiderit. Ionumera habes huius rei exempla apud Ciceronem, quum à Populo & à Senatu aliquid consequutus est, velut reditum: Et nos in Epistola nuncupatoria super Aphorismos Commentariorum, ad Pium quartum Pontificem. Namque beneficium illud erat Procerum; Senatus suum videri voluit; Pontificis ego videri cupiebam. Ita omnibus satisfeci: vt omnes quum legerent, se præpositos existimarent in officio, singulorum aucta verbis magnificis, sensibus aliis, dignitate. Et (quod maius est) etiam hi qui à Pontifice diffidebant, non solum æquo animo tulerunt, sed illius laudes typis, quum aliorum probata vulgarent, ipsi publicarunt. Præterea in magnis rebus exemplo graui, sed breuius quam potes, te excusabis: quemadmodum ego cum Bononiensi Pontifice. Volebat is, vt medicos suos docerem, quid agere deberem. Exemplum attuli, quo illum docui, (me)io Scotia, dum aliquid agerent medici, quum ego docerem, existimationem & vitam pene amisisse.

Principum autem [malorum] mores scire oportet. Quod ad donationem attinet, neque iustitia, neque legibus, aut fides, vel sacramenti religione, vel sanguinis coniunctione, imo nec infamia, nisi quatenus timent nocituram, mouentur: sed sola vtilitate, mista cum perturbationibus iræ, odij, inuidiæ, atque ambitionis, nefariorumque amorum. Ob id maxime cauendum est, ne iniuria irrites, quos perdere nequeas: nec vbi occepisti, desistas: nec spetes reconciliationem: sed enitaris vt perdas: alioquin potentiorem habiturus [es] inimicum, & deteriorem. Nam solet animus eum Fortuna frangi. Pessime his consultum est, qui beneficio vel fœdere sperant [se] reconciliatos esse.

Filij præterea Principum, qui sibi regnum multa cæde pararunt, omnes sunt crudelissimi, ac pœne furiosissimi. A Philosophis (itaque) ducentur, & abstineant à vino; vel vt Cambyses Cyri, & filij Herodis omnes. Alexãdri virtus, Aristotelis fructus fuit; vitiorum, vinom: causa est furor patrius dominãdi, cum aula plena vitiis, adulationibus, ac timore, nondum constituto regno: &c. vt in hoc numquam commigrandum sit. Nec mortes ac cruciatus meliores [subditos] faciunt: sed amicos efficiunt hostes, bonos de medio tollunt, adulationem augent; & dum plectunt incautos & simplices, insidiatores cautiores efficiunt; & aperta via, ac loco quasi inani relicto, eis animum augent: velut Antipatro & Laconi: ea etiam ratione, quod cum furiosis rem habere se intelligunt. Quamobrem si sublatis opibus, vinculis, triremibus, relegationibus puniantur sontes, magis timebunt improbi, vt quibus nihil per imprudentiam sperandum sit, & quod cum sapientibus negotium esse intelligant, temporeque consilia & machinationes detegi, adhuc superstitibus damnatis, videantur.

Si principem tibi ignotum (sed à quo tibi aliquando timendum fora, maxime ob inimicos, verearis) salutare necessarium putes, imitare illos, qui Reges Barbaros aditurі sunt [saluta, sed] non sine munere. Itaque argumento aliquo notabili opus est. Id fiet, si merita alicuius è maioribus suis in te, vel tuos aut illius in tui similes commemorabis; sed sed sine iactantia: ne, dum te illis æquas, te ipsum eu chas. Habes superius exemplum, quo sine adulatione placeas. Quod si nimium distuleris, non sine amico inuises, vt commodius te illi insinues, & excusationibus occasionem aripias: aut ita agito, vt hæc expectatio necessaria, aut honesta, aut vtilis videatur: velut si morbum [prætexas,] quamuis multo post, si rem nondum absolutam, quæ ei debetur, si impeditum dicas offendisse: demum cunctationem tuam ex verecundia (vt crimen crimine, sed excusabili, veles) in medium adduces. Id vero apposite cedat, non difficulter: quum verecundia laudum suarum occasionem præbeat.

Quum Princeps te attrectat, moreque quasi insolito blanditur, contemnit te, aut beneficij accepti hoc præmium esse vult, aut timet, aut molitur tibi interitum, aut te euidenti periculo exponere vult: vt sint omnin mala. Bonum est solum, quum te tueri à calumnia, & multitudinis violentia cupit. Ergo considerandum est diligenter, quis sis: an metuendus illi, tantundem te metuere decet; an odiosus, magnum tibi imminet periculum, contemptus & grauis, & is te despiciet: si beneficium attulisti, mercedem recipis: si impotens & amicus, io calamitate hoc optimum tibi est. Si opera tua indiget, vel tibi non sine magno discrimine onus incumbit, aut omnino chara est illi sedulitas tua. Propter hæc, quum illa plerique nesciant, multi periclitantur.

Quum amici illius (Principis) à te (quippiam) petunt, id graue est. Nam si das, perie beneficium, nec Princeps fit, si non das, Principem à te alienat. Hoc autem nil frequentius, quum vel auaritia, vel paupertate plerique aulici laborent. Vnum inter multa auxilium videtur, si operam poscunt, maximam esset tefer, vt vel ipsos precario requirere pudeat, vel tu honestius recusare possis, si rem tuam esse neges. Velut in opera, si consilium medici quærant, dicas longum nimis futurum: oportere à te curari. Si id agat, nec spes sit solutionis, subiice pharmacopolam, qui pétat:

petat: tum cum eo collude. Non est flagitium, tueri se ab improbis & impudentibus. Exemplum rei: pecunia mutuo requisita, & tu trapezita es: dicas vt faciat, quod Princeps id iubeat: conuenisse enim cum illo sic. Vel ergo dabis Principi, vel si in illo fidem non habes, non est vt cum eo retineas amicitiam. Si dicat aulicus, nolle (se) id rescire Principem, tum tu, si instet, Principem mone. Ita te liberabis à damno, & insimulationis periculo: ostendesque te esse virum, vt cæteri deterreantur.

Verum hac in parte caue, quod ego aliquando expertus sum, ne lenonem Principis offendas. Habent enim plerique suum, quem amant, ob voluptatem, plerumque oderunt, etiam sæpe timent. Semper ob infamiam & periculum ab his magna emuntur paruo pretio, indignantibus qui & in illos beneficia non leuia contulere, & quibus cum amicitiam & ipsi petunt, arcanum humanæ nequitiæ. Huiusmodi Aretas seu Basileutheros vbi inimicos habueris, & illi omnino præfractæ auaritiæ sint, atque impudentiæ (quod humili loco nati sint) nec tamen tibi aditus preclusus erit magis quam aliis, pecunia & lenociniis opus est, vt nil aliud in spe ponas; non ius, aut misericordiam, aut officia præstita, nec amicorum preces. Sed si præuentus sis ab insidiatore, rem ad iudicem ordinarium reuoca, multis bene cessit. Iudicem pari arte confirma. Sic enim differes, si vincere non liceat. Interim tempus labitur, multiplici spe. Et quanto plures fuerint personæ, seu vna obeat, seu inter eos oriatur lis aut discordia, & quum te prudenter & fortiter resistentem viderint, langoescet eo magis furor eorum. Multum refert vitasse initia. Iuuant sæpe in absurdis Fortunæ ictibus absurdiora commenta, Chymicæ Astrologiæ, ducendi aquas. His enim promissis deceptores decipiuntur, & captores captantur.

Principum comminationes & intelligere non parum (vtile) fuerit, & imitari (euitare) prudentis. Ad graues enim viros conuersi, qui eos facto prouocarunt, dicere solent: Noluistis nobis amicis gratificari: Sufficit. Quidam modestius addunt: Et nos paria reddemus. Hæ minæ sunt atrocissimæ. Quandoque tamen vtuntur his ad terrendum, quum iniustum aliquid petunt, iniquo terrore. Timendum est enim, cum ab iniustis, absque minis, nil tutum sit, à iustis (etiam) ob signum grauis indignationis. Ita ergo quum quis iuste tibi non gratificatur, hæc dixisse sufficit.

CAPVT LXXXII.

De calumnia apud Principes abolenda.

IN referenda autem calumnia apud Principem, etiamsi testes adsint, vt alias dixi, nil melius est repetitione Fiat paulo post, vt per sex dies, aut septem. Nemo enim tam tenacis memoriæ esse potest, vt eodem modo referat, si vera non sint. Atque sic conuincuntur testes falsi, refelliturque calumnia apud plebem: tum plus valet testimonium potentis viri, quam vel ratio, vel oculi ipsi. Ab his ergo petendum auxilium: aliter vindicanda (iniuria, vel calumnia) ferro, vel legibus. Testibus agere apud hos, vel rationibus, est augere suspicionem, & amplificare rem. Verum si nihil horum conueniat facere, contemptu & opere aboletur opinio, & oppositis experimentis. Quandoque etiam iuuat apud iudices, & malos tui æstimatores, aliquid è Sacra pagina commemorare. Quale illud: Pilatum non excusauit, quod dixerit, Tui te mihi tradiderunt. Nam veritatem debuit inquirere, & integri iudicis officio fungi.

Quum vero paucis cogaris cum illo (Principe) agere, (hoc semper prodest, si tibi æquus est,) dicas, non dubitaturum, si factum teneret, quam iusta sit tua causa. Nam intelligere cupiet: tibi vero ansa data est exponendi paucis ac dilucide.

Vbi vero incertus sis de calumnia, scribe aut alloquere familiarem Principis, amicum autem tibi, vt moneat: quod si agit, certus es; si non respondet, silentium pro ira habendum est, si paulo post responsurum dicat, nec post respondet, leuior est ira, si sero, compositisque verbis, valde grauius, ac sæua, sed tecta. Eadem vero ratio est præstandi officij apud Principem, vbi ab amico exigatur. Nam si iratus non est, tutum est responsum dare, si odit, silentium illud pro ira haberi debet, si tegit, paulo post significaturum, respondeas. Sed & si fortuito talia contigerint, eandem habent significationem. Porro ante calumniæ confirmationem, & vt gratiam adipiscatis, si non potes illius catulis ob humilitatem abblandiri, laudabis eos egregie; sed non vt amicos, ne falli videaris, neque vt fidos, ne eis credat, sed ita, vt pudeat maledixisse, nec tamen maiore apud Principem sit in existimatione. Quod si æmulus apud Principem te accusat, cauendum est diligentissime, ne oppositis verbis illi respondeas. Hoc enim ipso facile vel in illius odium, vel contemptum incides. Sis, gratia exempli, medicus, qui Principi librum dicaueris elegantem, sed in quo videaris quandoque ab aliis autoribus dissidere, ecce æmulus calumniatur te, quod Galenum aut Rasem accusas. Ita ergo per insinuationem respondebis: Quam inique comparatum est, quod plus modo dicendi, quam sensibus, tribuatur. Etenim si ego ipsum stultum appellarem, periculum non leue apud te subirem; & tamen prouocatus, minore iniuria illum afficerem, quam ille me. Siquidem dum classicos hos viros, me calumniari contendit, vt stultum tractat, quum ipse forsan ab imperitia minus, quam ego à stultitia, absit. Tu tamen, humanissime Princeps, non indignaris illi tam iniuste acerbeque me accusanti, quod paulo obscurioribus verbis nefas tegit, mihi repugnanti irasceris pro leuiore iniuria, quia non tam callide prolata est. Quum vero refutatio longa indiget probatione, nec licet apud huiusmodi homines, neque apud magistratus multis agere, ab his quæ proxima sunt fini, probationem deducere oportet, tamquam euidentibus, ac quam paucissimis. Quod si addubitet, addes rationem: licet & flores, quicunque sunt speciosissimi & grauitate, & lepore, & exemplo, breuibus inserere. Iam alius modus (est) vt perfecte doceas

ceas pet capita, conclusio autem breuissima ad alteram pattem contradictionis deducat. Hoc aurem vt optimum(est, it)& generale.

Illud præterea noris, in quo ferme omnes falluntur: Principes & Magistratus scire veritatem, maximo studio in plerisque niti, ne quisquam prodar eam; quod vitæ suæ adocrsati sciant. Vnde aliqui supprimunt, nolentes de ea verbum fieri, quod in alterutrum decidere necesse sit: meliores dissimulant, vt excusationi iniustitiæ locus sit. Cætenim, quod alias diximus, homines illis vt pecora.

CAPVT LXXXIII.

De Principum seruitute.

SI Princeps te ascifcat, periculosum est incerta sub conditione amittere libertatem, & periculo se exponere, vt eriam iacturam rei facias. Propterea (quod plerique faciunt optimum est, per amicos id efficere, vt videaris iam pinguem in manibus habere conditionem. Nam nihil certius ad promouendam illius liberalitatem (aut prouocandam;)& nil facilius, qoum amiei nil de suo tibi largiantur. Res ramen longe difficilior factu est. Ascitum si Princeps te toget, vt inimico tuo, aut parum in sua arte confidenti auxilieris, vel etiam illius respectu id facete cogaris, in arte soeium tibi aseiscas, in quo maxime ille confidat, & ad eum te referas. Quod si non adsit, si res periculo earet, ita age, vt opinionem de te ipso in illa augeas: sed si non vacai periculo res, omnino adiunge aliquem alium; dissimulata omnino simultate. Sed si simulatas palam sit, recusare lieet.

In seruitute vero eorum, illud Argentoni [Cominæi,] quod Regis fuit dictum, attendere oportet; Principes magis amare eos, in quos beneficia contulerint, quam à quibus acceperint: Magnitudinemque collati beneficij periculusam, & non sine eausa, quod fiant audaciores.

Præterea in omni seruitute aut officio, tria spectare oportet, vbi vtilis censeatur seruitus: peticulum, & frustratio in seruitute continentur, quod honesta sit, laborarque patientia. Propterea si legationi addictos sis, cura vt singula quæ ad rem pertinent, seias. Id vero solertiæ summæ est (tum vt eos, quibus Princeps ille fidit, aut eorum intimos, amicos habeas) & bonæ cuiusdam Fortunæ: tum vero maxime, quod frequentet accidit, vt per eosdem decipiaris, per quos decipere Principem aut Rempublicam speras. Improbus enim facile decepit, probus non detegit arcana Domini sui. Propterea arduum, imo periculosum, inuenire, aut fidere huiusmodi hominibus. Secundum est, vt non inania scribas (vt ille qui de Principis veste literas ad Dominos suos scripsit:) hocque prud ntiæ. Demum vt ea quæ vtilia sunt, sie rescribas, vt plane posita, & tui Principis oculis (perinde ac sibi ibi esser) repræsentata dici possint. Soleut autem per ænigmata seu notas tuto scribi: nam si [arcaua] detegantur, magno periculo eorum agitur, qu ibi ea significarunt. Porto huiusmodi [hauries] ex inimicis Principis, conuiuiis ac pecunia eorruptis, & [vt dixi] intimorum amicis, vel eriam intimo: quod vt optimum est, ita difficillime cognoscere licet. Id vero præcipuum est, vt sciat [Princeps] non quod credunt ferme omnes, Principum felicitatem esse io conuiuiis, ludis, venatoribus, potentia, pecuniis, gemmis, libidine, habitationibus pulchris, equis generosis, atque huiusmodi, sed in hac scientia tum præsentium tum præteritorum aliorum Principum, præcipueque maiorum suorum: quæ sola illi cognitio est pulcherrima; &, præter vtilitatem, molestiæ sola, ioter iucunda expers.

Si cum Domino sis, à quo discedere velis, & periculosa sit venia, vt est plerunque cum tyrannis, queri oportet grauiter, & veniam petere, non vt tum discessurus, sed multo post. Id ille non adeo moleste feret. Interim alij in spem loci tui subingressi, curabunt vt abire possis, & Domious iratus erit: tum tu multa perperam age; donec & ob veniam [petitam,] & male acta omnino te oderit. Vbi de hoc certus fueris, simula mutasse seotentiam, & roga inaniter & leuiter, vt te retineat: suspira, geme; suppone personas, sed illi inuitas, quæ pro te rogent. Ita ille satis pœnarum te daturum existimabit, discessu inuito: Tu vero voto tuo absque iactura & periculo potieris. Sed caue ne statim glorieris de techna: nam rursus magnum tibi malum aut periculum accerceres; sed persta, ac [si] doleas de infortunio tuo. At dices, Hoc turpe mihi erit. Fateor. Sed in memoria tene; cum Tyrannis quibus seruias, nunquam habendam esse rationem honoris, tum illum numquam pluris facias, quam vitam. Præcipuè illud caueas, ne nimis erga Dominum [asperis] aut contumeliosis verbis vtaris. Nam quum nemini conueniat esse proteruum; quanto minus [si qui cum] Domino, ae Principe [versatur?] Vultum quoque & animum successibus illius accommodato. Quæ non potuisti conficere, aut cur non potuisti, sponte doceas; aot rogatus, dicas solum, Non potui. Nec mireris si non placeas, quum bonus sis. Boni enim indignabundi sunt: Indignabūdi autem sunt odiosi Principibus. Vt recte viuas cum Principibus, imitare antiquos libertos: quorum fuit mira dexteritas. Quum enim essent fidissimi Dominis suis, non tamen offensam inimicissimorum suis Dominis incurrebant. Quis maior hostis Ciceroni, quam Antonius? non tamen Lauream aut Tironem persequutus est, quamvis Cieeroni fuissent obsequentissimi. Epaphroditus superuixit Galbæ, nec nocuit ipsi, vltum [eum fuisse] iniurias Domini. Atque alij plures, quum etiam de Imperio ageretur, viuere potuerunt.

Vt gratiam Dominorum consequaris, compendiosa res est; quam aliqui obtusa ignorantia omittere, imo ne vmquam quidam consequi solent: Fac imperata; sed prompte, accurate, libenter; aut quæ sunt ex officio: velut tueri personam illius à sicario. In reliquis abstine. Nam si cuncta facere velis, curiosus videberis, & aliena etiam præripere velle. Si illa relinquas quæ imperat, aut male tractes, aut agas quæ non imperet, non solum odiosus eris, sed à te irrideri ac contemni se existimabit. Hoc errore decepti innumeri,

de

de Dominis iniuste conqueruntur, quod longa seruitute nihil acceperint. Tantum enim refert hoc præceptum, vt si quis scire & diligenter illud obseruet Dominus sui famuli seruus euadat: quoniam illi longe difficilius erit, famulum similem iouenire, quam famulo parem dominum.

CAPVT LXXXIV.

Vbi te à Principis seruitute subduxeris.

Illud etiam cauendum diligenter, ne quod faciunt plurimi, id tu agas, scilicet, vt pulsus, de Domino male dicas. Testaris enim acceptam ignominiam, vt nullo teste indigeant inimici tui, defensionem autem non credent: & odium Domini immortale, tum amicorum & familiarium, adulatorumque eius comparabis, vt vix ab illis, maledictisque eorum te tueri possis. Vt enim fortuna præcellunt [Principes,] sic in omnibus causis superiores esse cupiunt. Hic error ex similitudine coloris cuiusdam Rhetorici ortum habet. Nam leuis vituperatio fidem adauget laudationi: sed debet esse leuis genere & magnitudine, & apud notum & sapientem. Notitia enim sapientiæ locum obtinet. Melius autem est, vt sit confessio potius extenuans obiecta, quam docens. Qui enim obiter hæc fatetur, tamquam notum omnibus testatur. Illud tamen præ oculis habere debent tam Principes, qnam qui illis seruiunt, neminem vitio carere; quum plerique speciem fateantur, non genus. Loquacem qoi fateatur, nemině inuenias; qui lapsus sit verbo, infinitos.

CAPVT LXXXV.

Vbi manendum sit in patria cum periculo.

AT si manendum tandem sit io patria, vbi inimicis æmulisque oppressus succumbas, quom ab aliis etiam (quod facile est) minores ac viles suscitati in te insurgant, adeo vt vita [tibi] acerba sit, vnica via relinquitur, factionem suscitare, atque illi adhærere. Ita enim ab iniuria & ioimicis æmulisque tutus eris. Sed & hoc multas difficultates habet: ideo magna diligentia, ad vitandas offensiones vteris, beneficiis plures amicos comparando, & blandis verbis conciliando plebem. Dura res est, bene viuere, in tam misera conditione: sed postquam (hoc) Prexaspi & Harpago bene cessit, totque aliis sub Caligula, non est desperandum. Interim sectari aliena studia à dignitate tua licet. Nam callidi te prudentem existimabunt, plebs miserebitur doloris & calamitatis tuæ: Ita ergo simulabis etiam flagitia, & quædam semina vitiorum ostendes: [sed] ab omni vitio atque flagitio (re ipsa) abstinebis. Flagitia vilem reddunt hominem, & ob id contemptum, & tutum; vitam vero efficiunt hilariorem. Hoc vnum, si non altius petere auxilium potes (nec tibi adest mediocrimus, & diuinus quidam afflatus) cogita illud plebeiis etiam notum, quod breue tempus omnia æquat, & quod nostra felicitas nil aliud est quam viuere. Nam reliqua illam adaugent, aut minuunt. Et hoc, si sobolis spe non sis coniunctus æternitati. Hilaris sis vitæ cum amicis, cum aliis, tristior. In persuadendis amicis, tum aliis, vt amicos tibi efficias, eos imitare qui plurimum in hac causa potuerunt. Iisdem modis quibus antea diximus, blanda est suadela, modo ratione pugnando, modo misericordia flectendo, increpando, cauillatione, obiurgatione, εἰρωνείᾳ, dissimulantiam vertit Cicero, quæ constat nouis, comtis, dubiis sententiis. Postquam nec hoc concreditur, omnia experiare. Sed factio dissidiis & maledicentia potius quam bonis artibus suscitatur. Inuides liuore, auaros rapinarum spe, ambitiosos honorum æmulatione, improbos quauis via efficaces. Interim amicos prudentes & efficaces tibi comparabis. Obseruabis præterea circuitus quosdam consuetos, in quibus resurgunt prostrati, & cadunt in excelso collocati: præsertim deciminoni ante peracti anni: nam ad similia reuerti semper videntur. Ego legi anno MDXLIII. anno MDXLII. ex Papia è patria Bononiã ad legendum me contuli: MDXXIIII. in gymnasium me contuli, &c. Ita videntur quibusdã annui natales dies fausti & infausti.

Oportet autem eum qui cum suspicione alicubi commoratur, vicina omnia loca atque itinera explorata habere, & pertrita, & vt fugam capescere tuto (si expedierit) possit. Quod præceptum si Conuentualis obseruasset, vitam & rem seruare poterat, forsan & aliquanto post etiam arces recuperaturus.

Iuuat etiam vbique locorum collegiis se inserere. Sunt autem multiplicia, præsertim in Italia, Artium professorum, Academiæ diuini cultus, quæ vocant Scholas; & Religionis, quæ Monasteria appellaotur. Non autem præstantissima semper eligere decet, sed in quibus facile eminere possis. Neque id arduum in his vbi bonori præmium nullum sed solus labor accedit. Multi enim solent in his vltro cedere, quum alij non possint, etiamsi velint; nonnulli turpe sibi ducant, aut damnosum. Ea hac tamen fabula multi emergunt ad insignes status. Quid mirum? quum mundus ipse nil nisi fabula sit, & præcipua quæ illius sunt? Vnde nemine industrio viro denegatum est, (præsertim, vt dixi, nostris temporibus, & io Italia, modo intentus in rem esse velit,) etiam sine peritia literarum, sine virtute vlla, ad maximas dignitates, potentiam, & opes ascendere. Quæ tamen cultu religionis fiunt, non sine virtute esse possunt; quum Dei cultus sit in pietate constitutus, atque hominibus tamquam finis quidam propositus.

CAPVT LXXXVI.

De Itinere.

IN itinere incredibile est quantam dux itineris peritus vtilitatem afferat; præsertim quum ignotum fuerit, periculosumve aut difficile. Ille docet vias compendiosas, tuta hospitia, loca periculosa; quid agendum sit, consulit, iuuat euntem. Quum item Bononiam,

niam, petieram, nisi monitus carpentum in panini imposuissem. Quum mutare domum vis, à prandio discedendum, non mane, vt omnia recte colligas. Vltimis autem diebus vtenda quæ necessaria sunt ab amico mutuo suscipere oportet, aut apud illum diuersari interim. Bonum est, Commentariolum rerum, quas tecum defers, habere: omniaque sub claue reposita. Præterea vites duas ferreas firmas grandes, cum annulis, vt catena aut loro iungi possint, ad ostia munienda in cauponis; quæ solent persæpe sine claue & pessulo ac vectibus esse. Pannosus [licet] sis, si equum bonum, non cum magnifico apparatu habeas. Pecunias cingulo insutas deferas, quod ex collo pendeat, & è regione vmbilici sit: nam non facile conspici poterit: aut finge te herniosum, & circa pudenda defer. Tu, aut alius è tuis familiaribus fidus, deferes etiam panem, & vasculum triforme ex albo plumbo, plenum oleo, sale, & aceto: sic vt miscendo, olei adhibeas partes sex, salis tres, aceti, si acerrimum sit, duas, aliter quatuor, in vtrisque enim seruatur Musica proportio. His obsonabis pulchre edulia quæcunque fortuito obiicientur, allia, cæpas, porros, bulbum, radiculas, cardnos, lactucas, intubum, cichorium, fœniculum, tum generaliter radices, & germina quæque, quæ dentibus facile conficiuntur, nec fœtidi sunt odoris, nec valde amata, nec insalubria. Deferes etiam panem è caupona, quum bonus est. Vt vero ventris beneficium habeas (quo sæpe peregrinantes destituuntur) flexis valde genibus, illa pugnis vehementer ac sæpius concute; aut balanum suppone, aut ede metecurialem, aut illius radicem, vel blitum, cum oleo & sane. Per inuia ne solus eas, neque noctu: Ne cuiquam fidas ignoto, memor esto, comiti, [Comici.]

Alea non certes cum cauponibus aut nautis, nec contendas parua ex, quoniam in illorum potestate es. Continens sis in cibo, & à Venere abstineas. Vix enim quum hæc obseruabis, tutus esse potes, nedum si aberres. Non aliena suscipias custodienda, quum tuis ægre sufficias. Senem ducem in rebus periculosis habere oportet, vt in nauigatione, aut morbo; in difficilibus, iuuenem. Ignotis ne associeris: neque quom fueris in aliena patria. Nimis periculosum est nescire cum quo sis; vbi si cum malis sis, de vita periclitatis, aut fortunis omnibus. Noueris fures & latrones iter agere ferme perpetuum: sic enim decipiendi, & furandi, & occidendi occasiones numquam desunt illis, & tutiores sunt à publicis ministris. Sunt autem personati. Apud hospitem ne diuerseris (nam apud cauponem liberius ages:) etenim forsan grauis illi eris, aut in suspicionem venies; maxime si quid aduersi contigerit: aut ea specie insidias parabit. At neque manendi aut discedendi idem respectus in caupona. Præterea plus debebis [hospiti] multo quam acceperis. Nam & pro officiis etiam leuibus debebis, & familiæ toti cogeris dare munera: in quo facto aut exhauriens, aut maledictis re lacessent, forsan & vtrumque continget. Quinetiam, si occasio eueniat, beneficium multo fœnore reddituras, licet ad potenciores diuertas. At mihi, cui liberum instituere [te statuere] propositum est, [hoc] non placet.

CAPVT LXXXVII.

De habitatione extra patriam.

Ergo, si potes, plurimum confert non solum ad tranquillitatem & securitatem, in patria degere, sed etiam ad opum, & honorum ac potentiæ incrementa. Sed si non potes, cum elige locum, quem postmodum mutare non cogatis. Vbicunque enim fueris, omnia inchoanda erunt: Noui amici, noua familiaritas, existimatio, domestici, domus apparatus, omnia ex integro ferme restituenda erunt. Vnde vix vmquam huiusmodi hominibus ditari contingit. Sed si omnino [domicilium mutare] cogeris, memento eorum quæ in patria profuerint, vt tecum adducas (dico animi dotes:) quæ obfuerunt, relinquas: & quantum tibi emolumenti afferat patriæ absentia, scilicet, vt quæ vel vitio vel casu dedecus attulerunt, lateant, vt liberius viuere possis: Sicque discedas ex illa, vt fructum ferme eundem colligas, impedimenta relinquas. Quapropter sapienti & infelici, commodior est mutatio, quam beato & stupido. Ille iniuriarum maculas, calumnias, odia, æmulationes, infamiamque fugit, modo causas eorum non secum ferat. At quibus Magistratus & honores in patria contigerunt, dura est conditio inquilini. Iuuat plurimum vt honesta sit migratio: velut quum ad munus aliquod dignum te contuleris. Adhæc quando periculum manenti maius est, & causa turpitudine vacat, eo laudabilior est discessus; honestissimus, qui ob factum fortitudini (non sceleri) coniunctum, est. Sit, si fieri potest, fuga leonina, non lepotina. Beneficium affert patria relicta, quum inuidia, non flagitio, eiectus videris; & quum facultatibus tuis gaudere potes; quumque amici re obseruauerint. Quamobrem tuæ prudentiæ est, eos (dum in illa es) parare amicos, qui in omni fortuna, & loci mutatione fidem eandem retineant. Verum si vel longius à patria te contuleris, vt nihil reliqui auxilij tibi ab ea sit expectandum, tamquam nuper in lucem hanc veneris (imo cautius) agendum est. Infantibus enim etsi nouum sit cælum, & nulli amici, aut clientes, aut rerum experientia; paterna tamen omnia atque materna præsidia supersunt: ei vero, qui se absens est à patria ne ea quidem. Quamobrem se nouum hominem prorsus esse intelligat, & qualem se finxerit, prorsus talem futurum esse. Sæpe autem his qui inuidia [procul patria] pulsi sunt, vtile fuit auxilium, velut Themistocli, Annibali, Sertorio, non ita his, qui prope se contulerunt, vt inimicorum odia eousque pertingant, velut Alcibiadi, & Coriolano. Nam illis pat ferme nocendi potestas, & calumniandi liberior via; nec absenti, vt in patria, tanta præsidia. Ergo longius abeunti tutius exilium, & si recte vtaris occasione, non leue commodum [est,] egere, quæ sciri nolis, patefacere, quæ velis. Ex præcipuis autem fortunæ aut

aut prudentiæ tuæ accessionibus illud est, vt mores tuos verbis aut moribus Domini [aut incolarum regionis in qua exulas,]congruant, hoc enim beatum felixque est, aliter, si illorum mores tuis assimilare nitaris: hoc enim stultum. Tria autem principaliter tibi proponere debes, quando nouus es inquilinus: personæ,quam instines,rationem,vitæ prioris famam, ciuitatis illius mores atque instituta. Ergo de priore vita verba non facias: nam si errores commemores, stultus [habeberis,] si calamitates, contemnent te, & in deteriorem partem accipient, si laudabiliter gesta, non credent,& prætet id, te inopem amicitiæ,atque consilij[impotem] existimabunt, quum per amicos,non per te ipsum, isthæc vulgari deceat. Vitam vero duces honestam,grauem, splendidam, pro conditione tua. Familiam quoque honestam,sobriamque ac obedientem habeto:sed & firmam, ob varios casus. Quocirca ne ex pueris, multo minus ex mulieribus, [constet familia tua. Scio enim legatos quosdam, alioqui prudentissimos, dedecoris dolore periisse. Fidei autem conuenarum se committere aduenam (quem contemnunt, si humilis sis conditionis,aut inuident, si splendidæ, semper autem fastidiunt,) haud tutum est.Quapropter fidum amicum secum habere, adeo vtile est, vt nihil magis. Per initia autem liberalitatem & humanitatem præferre oportet: succedente tempore moderationem & benignitatem: abscondere autem non necessariam supellectilem. Quum vero vbique, vbi factiones vigent, expediat clam beneficia accepta compensare, tum maxime extra patriam,ne tu simultatum, quibus illi laborant, pœnas des. O quot ignorantia huius præcepti,dum & sibi consulere,& nomen grati adipisci sperant,periclitati sunt! Deterius etiam egetis, si cum quopiam quetaris.Oportet denique illud considerare, quod in vrbibus, maxime vbi annona cara est, & luxus abundat, multi sunt corui, qui domos obseruant qua parte expilari possint,vel vi,si parum munitæ vel furto,si male custoditæ, vel dolo, per ancillas & seruos infidos, puerosve, vel per mulieres impudicas, aliqui etiam lege præter legem: sæpe enim, si filius perditus, aut soror, aut filia inupta, nuptiis aut clandestinis, aut violentis (fuerit,) omnia euertere consueuerunt.

Tribus autem in casibus patriam deserere licet: Primo, vbi honestius alibi viuere possis:vel ob honorem apud alios,vel ob iniuriam (aut inuidiam) apud tuos:Secundo, quum iniustitia in patria dominatur, seu ob tyrannidem Principis & Magistratuum, seu ob securitatem peregrinæ gentis,(insolentiamve,)seu ob bella ciuilia,in quibus maxime est miserabile, quod lattones exercent inauditos cruciatus, & contrariæ factionis se semper simulant,quum superiores viribus fuerint,itidemque quum inferiores. Neque nos solum nostra debet commouere calamitas,sed & exempla aliorum, quibus opitulari non possumus. Tertio quum ipsa necessitas, velut exilij, timor potentioris, pestis grassans, bellum, annonæ penuria(nos migrare cogunt.)Reliqua ad huiusmodi(tria)reducuntur:velut studia literarum, ad honestatem.

In regione autem, quam frequens inuadit pestilentia,vel vbi homines morbosi sunt,non habitabis.Nam & ab initio,ob aëris mutationem,male afficieris,& vbi assueueris, nihilo meliore conditione viues. At vbi aër & homines boni sunt,sapienti,& non omnino inopi, incommoda videri non debet habitatio. Nam etsi reliqua omnia mala sint, meminisse oportet, quædam non mutari vsquam, nec permittere vt alia mutentur,vt est ignis: alia non mutantur prorsus,vt auium carnes,& vitelli ouorum gallinarum,& quæcunque adducuntur longe, & sal, oleum, & acetum: alia parum,vt sunt mel,fructus duri,olera,& radices,his ergo inniti oportet:alia mediocriter, vt pisces:quæ vero plurimum mutantur, sunt aqua & aër, & vinum, & carnes quadrupedum,cancri,& similia,hominum mores, ædificia,& panis,propter præparationem.Vbi autem omnia mala sunt, noctis aërem, & crepusculorum,& extrema diei & medium in calidis regionibus vitabis. Somno & igne plurimo, deambulatione diuturna, vel leui alio exercitio non aëre,vti oportet ; (item) abstinentia à cibis, præsertim malis: & frequenti vti vomitu, nihil enim salubrius. Alexipharmaca,maxime Smaragdum,& dulcem Assam, & acetum Scilliticum habeto:Crocum autem & Rosam,Garyophyllos in cubiculo.Non dabis mutuo: neque quemquam admittes, vbi quæ cara sunt sub clauibus non concludantur. Multi enim non tam ad furtum parati sunt, quam ad latrocinium.Neminem admittes exploratorem. Scies qui sint, si domestici prudentes, fidi, atque admoniti fuerint. Quod si ob æmulationẽ virtutis,inuidia labores,quum careas, defensoribus, duplex modus est. Aut enim periculum te premit solum, aut iactura. A periculo te vindicabis, multitudine stipatus,& tuorum diligentia, Principis familiaritate,humanitate,beneficiis in violentiores & insidiatores, remissione alterna gloriæ & nominis, tum spe discessus breui futuri vulgata. At si iactura sequitur conspirationem (quod in omnibus vtile fuerit) postquam beneficiis ac virtuti ac bonis moribus locus non est,suscitare oportet, factionem, atque diuisionem, & discordiæ semina moliri.Quod si periculum cum iactura coniungatur,sane stultum est,ibi esse velle,vbi nõ possis esse alibi detentus.Vbi vero autoritatem in arte parare in patria aliena velis,nihil melius,quam nobilem aliquem tibi amicum parare,qui faueat amicis,& cum pluribus versetur:& si non sufficit, alium accerse. Eos autem omnibus officiis ac beneficiis demerearis,idque gratis. Præcipua autem duo sunt in hoc genere vitæ: noscere mores ciuium,& artem(si artem calleas) absque offensa posse exercere. Primum quidem, velut Bononiæ quum essem, multa audiebam de moribus illorum(Bononiensium,)& quod fallaces:sed id verum non est,at id potius,quod ambitiosi sunt,& molles, vt facillime irritentur: vbi cœperint contendere, non æquitate aut moderatione ducuntur, sed superiores esse volunt, contra ius. Vbi enim offenderis illos, non cogitant, an ipsi causam dederint, sed immortale odium concipiunt, vt bifariam difficile sit cum eis versari. Alioqui magnifici, benefici, ac admodum ciuiles sunt, & ornati.

ornati. Summa igitur rei est, melli fluis vti verbis, pertinaciter iuri tuo inhærendo, nec immerito causa labi. Nam quum in re ius nullum habeant, volunt verba quæ exciderint, iuris loco vti. Res sane admodum dura, præsertim insuetis. Quamobrem scriptis, quã verbis, & sub iudice, quam inter se, altercari melius est. Sed hæc præcepta generalia ferme esse debent inquilinis quibuscumque, cum ciuibus decertantibus. Optimum est etiam, sociom habere ciuem: quidam enim ob beneficia accepta, quidam honestatis causa, alij ob autoritatem amicorum mouentur: maxime qui extra patriam dio fuere. In vniuersum à iurgiis & minis abstinere admodum oportet. Id enim agunt, vt ex iniqua causa æquam faciant. Sed si operam exerceas mercenariam, difficilius longe negotium erit, magnamque conflabis inuidiam, aut iacebis. Qua causa multi periere, esto igitur primo cautus, vitando nocturnas horas, conuiuia, ignotos: domesticis dona. Nec maledicas, sed maledicta refellas honeste, velut si dicas, Non potest, aut, Non puto quemquam à nobis dissentire, qui bonus sit, aut artem probe calleat. Pecunias accipies, non exiges: grauitate, ornatu, & promptitudine quæstum augebis. Periculosa blande aut tum tractabis. Maledicta æmolorum contemnere te simulabis. Ostendas[te]non spe, sed graria, amicitia & benefactis duci.

Quum in vrbem aliquam habitandi causa te contuleris, priuata iura percurre & coodisce, & similiter à præclaro aliquo causarum procuratore consuetudines, quæ ad te pertinere possunt. Et quum nullibi iusto plene consultum sit, sed pugnantia & ancipata pleraque sint, ob amplificandam arbitrij licentiam: velut Bononiæ si filius diripiat horreum patris, à villico abripiat triticum, vinum, impune est: Pater in vincula potest ducere filium: vtrumque iniustum. Est tibi filius malus, vtere lege scripta. Raro enim contingit, paucisque in locis, vt non ex contrariis æquum habeatur. Sed hoc tecum ftatue, omni ætate, ac ferme vbique locorum, cuncta fuisse esseque confusa, vt iacentibus[tacentibusve] nil relinquatur, multis in locis nec repugnantibus, aliquibus etiam nec acriter repugnantibus. Hoc solum tyranoicum appellant. Confusio ergo omnia.

CAPVT LXXXVIII.

De procuratore in patria relinquendo.

QVo niam vero qui absunt procul, indigent in rebus quas domi relinquunt, Procuratore, aut res omnes transferre cogntur, cum eligere debemus, qui nec pauper sit, nec deses, aut improbus, aut qui coniunctus sit sanguine, aut cui plorimum debeas, aut qui in do mo sua infantem filium tum alat. Nam hi si non præstiterint[quod oportet,]non potes tuto, aut honeste, aut omnino non potes [eos]cogere, vt neque potentiores, neque filios familias. Itaque quos non debeas eligere, perspicuum est, & à quibus cauendum, quem autem debeas (eligere,) haud facile. Optimum autem est, vt portionem eorum quæ exigunt, accipiant. Nam si annuam pensionem statuas, segnes efficiuntur, si nihil, etiam inertes: cui enim bono labor illis cedet? Cicero non parum deceptus est in Erote: *Erat is dixeram, vt sepositum haberet non modo, sed iniquissimo fœnore: versuram facere Amelius coactus est.* Hic, pro quo viginti millia ciuium vestem mutauerunt, & cuius hoc erat proprium munus adminiftrare, de iure agere, ministros quærere, vnum non potuit fidum Procuratorem inuenire. Quocirca neque tolerabilem repudiabis, si sapias, neque si bonus videatur, tu tamen vel indigens esse debes, & non semper, non leuiter queri, sed ita, vt si ostendat recte egisse, negare non possit, questum te esse. Si recipiant, nil melius publicis personis, sed prius amicos habuisse expedit, non tamen omnes: sed optimi nummularij, seu trapezitæ, magistrique cursorum, & in leuibus cursores ipsi, vel pro quibus si sponsionem fecerint.

CAPVT LXXXIX.

De Hospitalitate.

NOn tollo hospitalitatis officium ex humano genere: rem antiquissimam, necessariam, plenamque voluptatis: sed hominem instituere propositum est prorsus commodis suis viuentem, qui neminem excipere debeat hospitio, quem non optaret perpetuo secum cohabitare gratis. Hi sunt coniunctissimi, simulque amicissimi, tum vero sapientes, & omnino probi amicique: Iam tertium genus est miserabilium personarum, quæ tamen tibi intimæ sunt, vt à quibus nil incommodi expectare possis: Esset & quartum genus, vt par pari referres. Sed iam antea te docui, vt hoc caueres. Reliquum est igitur vt ostendam cur non recipere debeas: deinde quomodo impudentes tu prudenter repellere possis: demum, si modo cogaris excipere, quot & quanta tibi sint necessaria, vt honeste, & sine molestia id facere possis. Primum ergo vbi quemquam exceperis etiam tum oportune, hospitem perpetuum tibi facis, vt aliquando cogaris importune, & magno tuo incommodo excipere: iuxta illud:

----An non mihi iure optimo
Inuisus hospes, qui in tempestate aduenerit?

Deinde quot sycophantæ orbem circumeunt! Difficile est hominis mentem & consilia internoscere. Qui scis, quo animo ad te venerit? Et, si nihil tibi officiat, ne tuis quicquam afferat mali, quomodo cauebis? Alienum habes in domo: si, vt Euclio, aulam obserues, illum reddis pro beneficio [benefico] inimicum, iniuriam infers, si non obserues, omnia tua relinquis in alieni potestate, quum vix tuta sint in manibus tuorum. Memineris Plautini illius.

Lupus est homo homini, non homo, quum qualis sit, non nouit.

At Pol. qui sciet, qualis sit? quis animum introspiciat, præter Deum? Sed fac vt optimus sit. Nonne tamen interim res perit, commoda impediuntur? obseruat ille secreta domus

tuæ:

tiæ: sumptus efficit domesticos minus continentes: nescis quomodo placeas: quæ tu maxime probas, ille vitio vertit, vt nimiæ luxuriæ, liberalitatem, aut sordidæ auaritiæ, parcitatem, vel etiam frugalitatem. Quid dices: alius elephanticus est, alteri desunt dentes: hic omnia edulia fœde tractat, ille edendo, dum loquitur, exspuit cibi reliquias: alius ad ignem sedens, dum spuit, coinquinat eibos. Hic quid facias, rogo? Expelles ne hospitem, quem præstaret non recepisse? aut feres tam abominanda? Quid, inquam, dices de homine, qui vel vltro ad te venit ob sumptum fugiendum, vel [quem] retines inuitum, nulla gratia? Denique omnes qui(se) inuitant, & qui cupide accedunt, ferme malo id consilio faciunt, vt aliqua ratione hominem expilent. Quot exempla querelarum in hoc genere! Demophoon duplici scelere fœdauit Phyllidis domum, Iason Medeæ. Sed mitt mus fabulosa. Vide Ciceronem de Verre, in D ium Tindaridarum. Philippus Macedonum rex Thessalos hospites suos sub hasta vend dit, etiam adiecto ioco. Sed quid nuper egere Hispani quidam, imo Proreges qui Reges Indos iure hospitij, fortunis, regno, vitaque crudeliter spoliarunt. Præstitisset pugnasse, quam aluisse; postquam nil deterius expectare potuissent. Quot in Italia, etsi minus sæue, turpius tamen, & ob religionis eundem cultum, & patriam, suos hospites prodiderunt! Tot quoque alia sunt in hoc officio incommoda: &, si non aliud esset, id, (satis) esset, quod vno admisso, ianuam multis aperis. Prudentis (itaque) viri est, ne tentare quidem recipere quemquam alium: sed quoniam, vt dici solet.

Turpius eiicitur, quam non admittitur, hospes. Nomine hoc inani iohospitalis non reformidato, nihil melius est, quam obfirmare animum, maxime contra impudentes. Nam qui in viis publicis habitant, multas habent occasiones recipiendi hospites. Vt ego Bononiæ, quum sit in itinere Romam ex patria proficiscenti, simulque redeunti. Qui vero extra viam tritam (habitant,) iis deest causa se excusandi, maxime apud impudentes. quorum hospitium etiam grauius est. Ergo primum non inuitabis illos: in quo multi turpiter peccant, alij etiam sua arte deluduntur. Ergo è tuis vnus, si se inuitet quis (nam excusare & illud inane est, & humilioris animi, vt simul videaris velle verbis largiri, quod re ipsa neges: atque ita etiam id sine iniuria fieri non potest, vt silentium, velut dixi, melius omnia contegat) excuset te minus bene valere, aut magnum tibi negotium esse, aut multiplici causa impeditam domum, aut aduersi quicquam incidisse. Solent quidem apposite aliqui vulgari nomine dicere hominem magna esse in trauaglia: quod Latine (non ita efficaciter) turbationem seu curam, seu tumultum, seu vexationem, aut confusionem dixeris: sed vt omnia (ista) simul verbum illud [trauaglia, aut trauaglio,] ita vnum quodque minus expresse significat. Melius ergo est in his, qui amicorum sub numero sunt, anticipare, rem significando, non id adiicere eut non inuites: aut enim cogitur non semetipsum inuitare, aut tam impudenter inuitando locum relinquere honestiori excusationi, quam fuerit sua inuitato. Multa vero sunt huiusmodi specialiter, (quibus honeste excusare te possunt tui:) velut morbus Domini, aut domestici, lis, rixa, coniuncti mors, ædificatio, iactura aliqua insignis, detentio amici, defectus suppellectilis, nuptiæ.

Verum si eogaris omnino, vt turpe fuerit detrectare officium, sint primo, omnia domus ornamenta, & supellex abundans, vina, panis, & quæ in secunda mensa solent apponi. Prætetea absint pueri, & feminæ iuuenes: adsint custodes fidi, senes prudentes, & iuuenes validi. Non adsint ægri; neque sis negotiosus, oportet, sed omnino liber, & de libertate securus: domus composita: diui iæ, &, vt quum absis, alij relinquantur necessarij. Prætcrea bonus coquus: lecti apparati, & commodi: ædes sumptuosæ: omnia ordinata. Horum si quicquam desit, turpius recipies hospitem, quam excusabis. Ob id ergo modus est quidam ciuilis, in quo motem hospiti geras, minore sumptu, & magis commode, nec tuas res turbes; scilicet vt permittas illum apud cauponem quamdiu libet (diuertere,) vt liberum illi sit manere, atque discere: admonito eo (caupone,) ne pecunias vllas sumptus causa ab hospite recipiat. Ea liberalitate vsus est Præsul Lexouiensis, vir valde prudens vitans omnem turbationem domus, & molestiam meam meorumque. Siquidem longè liberius in caupona familiares mei versbantur, quam fecissent apud hospitem; præsertim non mihi alias cognitum, & præpotentem.

CAPVT XC.

De Existimatione ciuili.

VT vero apud multitudinem nomen tibi & autoritatem compares; in arte quidem, quum multæ ex his opera sua oculis supponant, ac hominum iudicijs, artificis in his facet [aut artifie'j] excellentia. At vero & in chirurgia plurimum potest artis illius præstantia: non sic in reliqua parte medicinæ: nec item in militari disciplina, atque aliis, in quibus ab euentu sumimus iudicium; euentus vero non pro artificis præstantia semper subsequitur, sed sæpe in arbitrio Fortunæ repositus est: quæ & plurimum deterioribus, fauet. Quapropter caute agere oportet. Quumque etiam in aliis prudentia multum conferat, in huiusmodi & prudentia & prudentiæ & peritiæ artis opinio plurimum possunt. Porro opinio prudentiæ ex tribus generaliter sumitur, vt ait Salomon, incessu, ornatu, & verbis: quam sententiam etiam exornauit Hippocrates in Institutionibus medicorum, (seu libro De decenti ornatu.) Atq; in his tribus duo sunt generaliter obseruanda, scilicet vt morem sequaris aliorum, & vt mediocris sis, ac (vt ita dicam) modicus. Ne ergo vestibus vtaris à consuetudine alienis, nec immodici sumptus, aut pannosis aut alienis ab existimatione tua, vel arte quam profiteris, vel ætate, atque huiusmodi. Nec te iactes, aut omnino deprimas. Leuitatis enim alterum,

alterum

alterum ſtultitiæ argumentum exiſtimatur. Sed habeas fautores, qui te laudent, euehant, anteponant, egregiæ autoritatis, ac minime ſuſpectos, tum vero ad artem pertinentes: velut medico proſunt pharmacopolæ, chirurgi, obſtetrices, tonſores, quoniam hi ſanguinem mittunt ægris ac cucurbitulas & hirudines applicare ſolent, atque alia huiuſmodi. Adeo vero his fauere oportet, vt cauendum ſit ne vnquam illorum munera (aut munia) occupes; quod in Riario mihi ſollicitudinem attulit. Imo ſi quauis vmbra huiuſmodi homines vocari iuſſeris, magnum afferunt emolumentum ad excuſationem, vbi res non pro voto ceſſerit, & vt bene cedat, auxilium. In vniuerſum, nil proſunt literæ, ni tympanum pulſet aliquis. Infelix autem conditio (tua eſt) quum ipſe cogeris pulſare. Licet autem interdum ob neceſſitatem ſeipſum laudare, vel aliorum facta vituperando, vel quum aliquis indignus coram te laudatur: vel quum teſtimonium quæritur à te ipſo rei glorioſe peractæ. Porro temetipſum præponere alteri, niſi quorundam importunitate immerito irritatus (ſis,) haud licet. Præcipue autem caueas, ne ea quæ in arbitrio Fortunæ eſſe apud vulgus exiſtimantur, tui iuris facias: hoc enim ad ſtultitiam pertinere docuit Hippocrates (2. de Prædict.) Quod ſi non prædixeris togatus, ignorantiæ ſuſpicionem, maxime altero ſocio prædicente, ſubibis. Quamobrem parcum eſſe oportet in prædicendo, atque ita prædicere, vt oraculorum reſponſa imiteris. Quid enim melius in vnoquoque genere, quam Deos imitari? Altera in parte, ſcilicet prædicendi, alium oportet fugere errorem, vt ne velis docere aſtantes artis rationem, ac diſtinctiones, ſed ſimpliciter ſtatuere quæ opportuna eſſe putas. At vbi hoc neceſſarium fuerit, vt cibationis hiſtoriam quum conſtituere oportet, iuxta coniecturam indicabis, ſigno poſtmodum adiecto: velut tertia hora noctis, ſi ita è re eſſe exiſtimabis, vel etiam poſt, dices. Quum pectus tepeſcere cœperit, & pedes & manus eo fuerint calidiores, vt ipſe æger quieuerit: hoc eſt per nota aſtantibus, tempus inclinationis indicare. Si te aliqui plene laudent; tamquam aliud agens, diſſimula audite. Ad plenam enim laudationem nihil potes interponere. Adde tamen, quod quum in præſentem congerantur laudes, periculum eſt, ne irridearis, ſaltem adulentur. Nec recites miracula, aut augutia, nec artis alterius ſcientiam profitearis, quam eius quæ te honeſte alit & ornat: Nam apud eos qui opera tua vtuntur, minus valere in propria videberis, apud alios autem contemneris, vt vanus. Et quum quis verbis bonis vtitur, opera metiaris, non verba, quæ illum neque liberaliorem, neque mitiorem, nec meliorem reddunt. Sed merita tua, virtutem, & conſuetudinem cum opere expende. Neque enim, niſi Dominus ſit, aliter obtinere ſperat.

Porro quum admirabile ſit, Iuris conſultos, quorum diſciplina eſt in opinione, tam exercendo, quam profitendo, iuxta eruditionem exiſtimari, quod etiam accidit Theologis: (Sic illos libenter audiunt diſcipuli, & ciuitatis cuiuſuis Senatus eorum ſcriptis fidem habet:) Alius, vt Medicis, & Mathematicis, quamquam in genere demonſtratiuo verſentur, autoritatis non tantum eſſe peritioribus, neque in exercendo apud ciues, neque in profitendo apud diſcipulos, cauſam (huius rei) quærere decet. Ea eſt, quod regna titulo iuſtitiæ, ob contentiones, & religionis, ob populum, ſuſtinentur. Nam in vnum conuenire neceſſe eſt, quod vni parere debet: Si nulla iuſtitiæ imago ſuperſit, (fit) ne vnus alteri hominum parere velit, vt ſolus tyrannus relinquatur. Vnde recte Cicero (lib. 2. De Officiis) etiam latronum collegia quadam iuſtitiæ ſpecie contineri dixit. Id igitur Iuris conſulti & Sacerdotes intelligentes, enixe operam (dant,) vt Leges & Sacram Paginam (quarum titulo ſummam potentiam adepti ſunt) in maxima æſtimatione teneant. Vna itaque conſpirant, communis commodi cauſa, & iuxta optimas interpretationes plerunque decernunt. Quo fit, vt neceſſario tam imperiti negligantur, quam eruditi in pretio ſint. Quod cernentes homines, & omnia in horum arbitrio conſtituta, nec ſolum opes, ſed vitam, filios, magiſtratus, vxores, actiones, honores, quamuis Principes ſint, his duabus diſciplinis non dedignantur filios eruditos tradere. Nam & præferri ob hoc humillimæ ſortis homines ſibi vident, & [non] numquam etiam imperare. Itaque illi ſtudent totis viribus, vt euadant eruditi, quum tales cæteris non ſolum, ſed ſummæ rerum præfici videant. Quamobrem nullis perſuaſionibus ab optimorum Doctorum quorumcumque (opinionibus) auelli poſſunt. Contra quum hæc potentia & honos aliis diſciplinis deſit, (non propoſitis eruditioni præmiis certis, nec ipſi diſciplinæ,) neque profeſſores vna conſpirant; nec ciues & diſcipuli ad eruditos confluunt. Id ſempiternum.

Qui munere publico funguntur, non vno modo peccant, ſi exiſtimationem non retineant. Velut qui quum profiteretur publice, voluit præſens aſſiſtere, vt diſcipulus, ægro. Quot autem modis peccauit? Primum prætermiſit mandatum Hippocratis, vnde non viſus eſt illius præcepta intelligere: deinde iudicio carere: ipſe etiam ſibi conſcius erroris, & ad quos pertinet læſa (exiſtimatio) erepto eis ſibi proprio munere, & lucro, (ipſi) maledicunt. Paſſus eſt etiam incommoda, & periculo ſe expoſuit. Inde ſi pecunias recepiſſet, pecuniarum cauſa feciſſe videbatur, ſi non recepiſſet, cui bono? Deinde ſi eo animo erit, vt ſemper ageret, ſeruituti ſe mancipauit, ſine fructu, quum alij ignobiliores medici victum & ſtipendium habeant: ſi vt (id aliis) denegaret, inimicitiam ſubiturus loco amicitiæ: præterque id, maximum ſubiit onus. Homines enim conſueta, iam ſua eſſe, ſibi promittunt. Deinde quod aliis ſi idem præſtare voluiſſet, & ſine pecunia, amentiæ ſimile hoc erat, imo amentia maxima, ſi pro pecunia, equus conductitius præſtabat. Si denegaſſet, tot habiturus inimicos, quot fuiſſent illi, quibus denegaſſet, dum illius (vnius) tantum amicitiam quærit. Demum id ipſum, quod quærebat, ſuo facto minuebat. Nam fungens ignobili officio, minuebat beneficij exiſtimationē: quo imminuto, ille minus ei debebat, tanto, quantū ex opera & labore & aſſiduitate adijcere ſe putabat.

Et ideo hęc non licita sunt, nisi quum necessitas eleuat facti turpitudinem, & adiicit etiam bonam opinionem. Vt in magnis Principibus, rogatus, &, vbi denegas, quasi coactus, honestius operam impendes ei, propter quem locum eum obtines.

In vniuersum vero apud omnes nihil magis facit ad existimationem, quam quod homo sit compositus: ad contemptum, quam vanitas, & dissolutio, seu quædam anomalia. Itaque quum accedis ad magistratum, seu potentiorem, mitte qui sciscitetur, an liceat (introire,) antequam eo vadas: forsan enim familiaris aliquis coram aliis te male excipiet: & si non id agat, ad neminem te conferre sine nuncio debes, à quo ostia non pateant. Nam si patuerint, tantundem augebitur existimatio.

CAPVT XCI.

De captanda apud Populum auctoritate, vel existimatione.

IN adipiscenda quoque apud Populum autoritate, illud tecum reputa: hominum laudem, gratiam nomen, amicos non secus atque ignem propagari. Principio enim sensim & spiritus & ligna subministranda sunt: vbi accensus fuerit paululum, follibus, & materia indiget: nihil enim tam breui propagatur aut extinguitur. Et quum iam in immensum crescat, vbi creuerit excoli debet: aliter aut inuadit vtilia, aut dissipatur. In ipsis initiis, antequam inuidia crescat, facile ac plurimum propagatur atque amplificatur. Non est curandum diligenter [vt] innotescas, sed vt pluribus. Fama enim & flamma semetipsas adaugent: vnusque & idem autor plurium loco, dum plures idem narrant, habetur. Sed non est committendum vt tota technà sit in tuis gnathonibus: (facile enim detegetur, & conficta videbitur:) sed in re, atque in te. Propterea meliores sunt viri simplices qui hanc disseminent laudem tuam, quam callidi atque astuti. Nihil enim tam simile vero exacte fingi potest, quam quod ita esse creditur, ac verum esse existimatur ab eo qui narrat. Ergo aliquos simplices viros curabis, si medicus sis, iam persuasos, quod insanabilibus morbis laborent: Aut, si sculptor (sis,) donabis alicui effigiem suam, summa diligentia celatam. Eum vero eliges, qui verbis malit te recompensare, quam pecunia. Huiusmodi homines enim perutiles sunt huic negotio. Si sis tonsor, musicus, vestiarius, faber, omnia apud Populum debent eadem ratione tractari: scilicet, vt noua aliqua inuentio ab imperitis extollatur, ita vt vera se dicere putent. Accensam hanc laudem propagari, atque augeri per proxenetas, adulatores, sycophantas, gnathones, parasitósque ac colluuiem omnis generis, curabis. Neque tempus intermittes, illud tecum reputans quod quum omnis fama, tum magis fauor vulgi, breui concidat, tum nihil celerius quam quæ falsa est, atque commentitia. Iuuat autem in omni huiusmodi negotio vestis selecta; & pluribus comitatum incedere: quod faciunt caussidici: tum vero quod ad opinionem liberalitatis plurimum facit. Hæc autem opinio maxime Populum conciliat, terretque, ac suspensos detinet inimicos, posse ac velle multa dare; in paruis te liberalissimum ostendere, tum vero in gratia & officiis rependendis, aliquando etiam in magnis. Per tuos magna omnia & mediocria tractentur subtiliter, vt vitium in illis esse putent, aut, si mauis, parsimoniam. Denique illud Aristotelicum tecum considerato, duobus modis magnos euadere homines in republica: aut aliquo strenuo facto (velut Aratus apud Sicyonios, Nicoclem tyrãnum occidendo; Alcibiades Mantineos in Atheniensium societatem trahendo; Scipio Africanus maior, prohibendo discessum Romanorum ex vrbe: in quo obseruare oportet, ne gloria iam claros aut virtute, euertas:) aut potentibus adhærendo. Quumque his non facta, sed verba & mores doceamus, hæc imitabimur, vt credant id nos posse ac velle facere, aliquandoque facturos, specie virtutis, & fortitudinis, gratia, studiis, verbis.

At vbi contingat munere publico fungi, id obserues, vt quam familiarissime eo vti possis: veluti si orationem sis recitaturus, ne palleas,

Vt Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Id fiet, si tam pertritam habeas materiam, eoque ordine dispositam, vt vndequaque tibi incipiendum fuerit, nil referre putes: tum enim secure recitare poteris: quod ego Bononiæ obseruaui. Neque plus diecula hoc exigit negotium. Sed versare in iam pridem cognitis. Sitque Latina lingua adeo in vsu, vt nec bene scias quicquam aliter proferre: & si te tentàrint ea in parte qua minus vales, vtpote quum medicinam profitearis, vt in Græcis literis, vt tacendo, vel respondendo æqualiter pericliteris, tum quidem ausculta, & respondeas, codicem te inuisurum, an sic se habeat, forsan errorem adesse. Et scriptis quidem pauca, & recte, & subtiliter disseras, verbo autem abstine, ne vel pronunciatione, qua non vales, te deprehendat, sed & minus studij præferes in paribus, veluti familiariter loquendo, quasi etiam Latinam ignores linguam, Italica vulgari respondebis: ornate autem vel in scriptis, vel profitendo, pariter in vtrisque. Ita magis videberis contemnere, quam nescire. Sed & illud caueto, ne ambitione ductus aliquid tanquam arduum proponas, quod æmulus vel per speciem dissoluere possit. Præstat etiam quæ aliena sunt, tam docendo quam scribendo, demonstrata dicere. De quo monitus sum per somnium XIV. Kalendas Decembris, anni MDLIII. exemplo apposito, de quæsito. Cur recta validiora sint: quod eadem die retuli in Paralipomena (lib. 19. sect. 1.) In explicandis etiam libris memineris quam personam subeas. Velut Grammatici autoritatibus certare debent, qui scientiam Medicinæ profitentur, argumentis validis, ac strictim plura docebunt; qui exercitationem, longa verborum serie minutissime cuncta docebunt, & ordinatim. Nam tribus aut quatuor curationibus perfecte explicatis, modus insinuatur pro vniuersis. Ideo etiam facillimo sermone (vteris) tum singula examinando nomina, rem, species,

causas,

causas, victum, simplicia medicamenta, compositionem, modum compositionis, tempus, locum, quæ circumstant; quæ gratiam addunt.

Quum vero, vt dixi, in disciplinis non sit nec profitendo, nec exercendo debitus honos; quem occupant imperiti, quod inique oblatum est, insta tatione sarcire laboriosum nimis, ac pœne impossibile fuerit, Quare fucus fuco oblinendus erit. Id ergo constat præceptis, vt cum æmulis summam adeo & ambitiosam existimationem retineas; cum ciuibus & discipulis non ambitiosam, sed summã solum. Præterea vt his quæ grata sunt, licet non vtilia, illos in admiratione & beneuolentia contineas: scilicet eloquentia in suggesto, & blandiloquentia in sermone familiari. Tum vero & vestitus, & gestus, & mores, omnia ad speciem. Vtile est etiam docere quædam minima, tamquam ad autoritatem; vtilia tamen sint, licet parum: in vtilioribus autem, ea ita extollere, tamquam omnia reliqua sint nullius vsus. Considerare etiam oportet singulorum mores, vt ad communia præcepta confugias (cap. 47.)

Summum præterea prudentiæ argumentum est, in quo negotio versaris, ei totum te dedere: si prandes, in prandio; si moderis [ægro,] in illius curatione (totus sis:) ita vt ad quamcumque rem te conuerteris, totum te conuertere posse videaris. Hoc enim ipso plane tui dominus esse, nec nimis hærere alicuius negociis; & sui etiam diligentem curam habere, te existimabunt: primum ad prudentiam, secundum ad id, Ne quid nimis, tertium, vt tui muneris (memorem te) esse putent. Et id est quod maxime optant ægri.) Multum præterea iuuat, vt ex vno plura efficias: velut si ægros postquam inuiseris, vt ad te veniant cum matula domestici, iusseris; alia etiam additurus. Sic enim domum plurimi frequentabunt. Tum quoque ad eos qui consilium solum petunt, accedas. Humanæ enim res quum sint vmbratiles, existimatione potius quam essentia constant.

In publica autem concione diuinum quiddam inest, quum vnusquisque sermonem intelligit, tamquam sibi proprie ad persuadendum accommodatum; vt etiam verba non eadem sint vni atque aliis, aut (quod bona Fortuna contingit) vt quisque in meliorem partem trahat (quæ audit:) quod etiam artis cuiusdam egregiæ opus est, contrariis causis, affectibus, studiis simul vt fauere videatur, aut quum audientium animi quod optimum est, ad se solum trahunt, vt hirudines: velut è diuerso, quum ob inuidiam & odium, solum vitia & maledicta animaduertunt. In omni autem huiusmodi [concione] vt quæ ad Populum, vel ad discipulos, memento quantum eminentia iuuat, tantum recessum illum à communi vsu, vt quasi diuinum quippiam spiret, etiam obesse. Ob id & qui non eminent, libenter audiuntur, dum fingunt sapientiam, & qui habent, dum dissimulant, remittuntque se, vt apud Poetam: *Sermo gratior est viri imperiti plebi, quam sapientis, atque docti.* Vbi vero iam finem ac gloriam consecutus fueris, duo quidem maxime cauere oportet; tertium quoque haud negligere: Primum, ne bonam existimationem, aut dignitatem aut gratiam aliquo insigni errore concutias, velut ira, auaritia, flagitio, contemptu potentioris, ingratitudine, magna motum in deterius mutatione: Secundum, ne quasi pacatis rebus languescas, & eos qui tibi fauerunt, spe sua defraudes: Sed neque in eodem tenore permanendum, quo antea, quum rem agitares. Dici enim solet iniustitia parari (rem,) iustitia retineri. Ita (non) per eandem retinenda est autoritas, per quæ parta est; sed mitiore modo, atque honestiore, quum necessitati locus excusationis non relinquatur, vt venustate, officiis, gratia, liberalitate splendoreque cuncta exornes. Porro quum videant plerique, potentes religioni deditos; id simulando & ipsi nomen parare arbitrantur, ficta religione, non tam impie, quam étiam stulte. Itaque desertis occasionibus, ab iisdem & vt simplices, & vt mali habentur. Quamobrem illorum more tum solum fingere oportet, quum nihil ex his quæ conducunt vitas, tum maxime eorum quæ in rem suam sunt. Hos namque contemnunt (potentes,) sed tacite, bonos appellantes viros, vbi illi se pro callidis volunt haberi.

Illud quoque animaduertendum, vt Præfectos & personas omnes publicas liberalitate tibi deuincias admodum: (velut ianitores, lictores, illorumque duces, tum histriones, ac sacerdotes,) & vt in contentionibus superior sis: conferunt autem etiam ad id (vt perspicuum est) magistratus, lictorumque duces. Itaque magistratus officiis semper (&, vbi præstat, pecunia) amicos sibi facere expedit. Consuetudo etiam plurimum facit, & similia studia: tum vero & virginum sacrarum, quæ ea in veneratione sint, quales apud Romanos Vestales, autoritate, sanctitateque. Præcipue autem hæc aduenis & humilioris fortunæ viris, licet diuitibus, sunt necessaria. Quæ autem mala sunt omnia, vilia, aut odiosa, per ministros, non per te ipsum, agas. Ob id domesticum habere oportet fidum, omnino fortem ac sapientem, quique vultu autoritatem, & toga, & armis, præferat, comitatum à suis, vt decet. At ob id talem vt habeas virum; summo studio (si res non desit) incumbes. Namque [tales] non (vbique) præsto sunt; nec vbi opportunum est, illico parare licet. Et hi multa propulsant ante pericula: (eisque) autoritas & existimatio seruatur. Cuius vtriusque rei commodum impensæ omni satisfacere potest. Denique nil aliud nobis superest, quam ipsum viuere, & bene atque honeste viuere: diligenter autem si studueris, illius (vitæ) commodis frui etiam licebit. Parum autem ad hæc munia, vt etiam ad reliqua, apti sunt Musici.

In quotidianis etiam tractationibus, quæ cum vtilitate sunt, nec tempus admittunt, ne tentaueris opinionem aliorum permutare, sed obsequaris; quod optimum factus esse reris, subiiciens. Media enim illa ratio in actionibus fortuitis nec diuturnis optima est: nam velut instrumenta si tumultuarie corrigere properes, franges; ita & hominum errata. Velut si quis consilium in medicina requirat, vt petit dato, sed commonefacito, melius fore, si lotium afferat. Etenim si prudens est, &

consilio

consilio tuo vtetur, & tu gratiam nobis: si perstat in stulta cogitatione, nil offenderis. At benefaciendo quandoque, dum consulis, rem sine fructu amittis. Demum, si studium sit quomodocumque posse in Republica, imitare Catilinam, vt sub virtutis aliqua specie omnia peragas quibus adolesceotiæ ætas capitur, alea, stupris, conuiuiis, factione, pugna, latrociniis, iniuriis, laruis: post adulationibus, blanditiis, iocis, irrisione æmulorum, scommatibus, donis, præterea summa comitate, & voltus hilaritate. Caue etiam ne irrites quemquam. Multi enim (maxime Bononiæ) etsi mansueti sint, reprehensi adeo irascuntur, vt inimici fiant manifesti: quare melius est, cauere, nec committere, vt tun damno ertent. In vniuersum, antequam plurimum in republica possis, iactatio etsi periculosa sit, est tamen vtilior quiete, persæpe necessaria. Quum adeptus sis potestatem, modum vnum & viam tenere oportet. Vbi obtioere cupis, iam aotoritate potens aliqoid, antiquos imitare, qui dicebant omnia ignis aquæque concordia constare. Ita si potes Principes aduersarum factionum habere, omnia obtinebis, sed si etiam conciliare, & in amicitiam redigere, maxima quoque. Sic Cæsar Pompeium & Crassum, Lepidus Antonium & Octauium.

CAPVT XCII.

Artificum præcepta specialia.

SEd & dum diligentius rem hanc prosequor, non nulla occurrunt præcepta, maxime artificibus, atque inter artifices medicis necessaria. Primum idest, vt qoum ad aliquem accedimus, sedeamus. Multi enim stantes pręcipiunt, inquirunt, lotia inspiciunt: quod & parum decorum est & ægrum offendit, dum fugam tuam meditatur, & anxium animum tuom cognoscit. At si sedeas, nec tamen din moreris, animus ægri quiescit, & pacatius cuncta ages. Nec maoibus gesticulaberis, nec multum contorquebis te, nec vestes extendes, aut cootrahes, oec pedes eleuabis: nec celeri sermone vteris, nec iocaberis. Lætus (sis,) sed absque risu, constans in sermone, & facie ad ægrum conuersa. Pari ratione in aliis negotiis te geres. Alia etiam est habenda ratio iuuenum, seoum, sacerdotum, virginum Vestalium, ac huiusmodi: vt etiam in deregendis corporibus. Porro nec execrari oec iorare decens est: sed sis in omnibus continentissimus. Alea non ludes: Crapulæ operam non dabis. A pollicitationibus abstinebis. Audies patienter quæ dicat [æger:] si ambitiosus sit, etiam admiraberis. Et vt semper necessarius videatis, mutabis singulo die aliqoid, quod pro occasione in melius mutari possit. Si aliquis ad te veniat, qui ab aliis curari nequiuerit; & si ne vlli quidem illorum persoluerit, aut tenuiter, oon suscipe illius curam. Nam vel transmissus est ab aliis, tentandi gratia; vel non curatus est, quia negligebat: ob id etiam à te curari non poterit. Sed iube adducere medicos priores: ab illis enim condisces, cur non sit curatus. Et si negat se id posse facere, dicas oon curatum, quia noluit, nec aliud addes, etiamsi roget. Ne quemquam ita effuse laudes, maxime vulgari virtute, vt vel irrideri se putet, aut existimationem tuam minuas. Nec factum turpe, vt si obdormiscas in concione, verbis excusa, sed re. Præter reliqua semper memineris, vt oihil in negotiis relinquas imperfectum: hoc enim turpis obliuionis est indicium. Velut cum collegis si consultaueris, memineris, antequam referas consensum communem ex æquo & ex qui negotio præest, & domino, post ægrum, si illi dominus sit, respōsum dare: sed aliud atqoe aliud, pro personarum qualitate: atque ita tamen, ne discrepent. Non rem, quæ finem consequi non possit, amplectaris, & neque perdifficilem, maxime apud potentiores, nisi paratis auxiliis, vtpote chirurgo, pharmacopola, astantibusque. Qood si res in contentione posita, & in principalibus domibus, si licet, omnino abstine: [in eo enim] plus longe periculi, quam vtilitatis. Si contingat in arte aberrare; morsque procul adsit, læto vultu in bonum verte; auxiliareque rebus pertritis, vt ex hoc erroris paruitatem coniectet. Si immineat [mors,] ægrotare te fingas, aut alio vocatum. Denique submittas qui affirment, plurimos eo medicamento sanatos, huic nimis sero exhibitum. Quod ad propria attinet, vnaquæque ars suos sibi fingit mores: ælurinos medicina; leoninos militia; pinguentariorum paroninos, fœneratorum vulpinos; Magistratuum asininos; Regum aquilinos; vilium artiom, & necessarium, vt cauponum, carceris custodum, lupinos; tonsorum caninos; lenonum coruinos; eorum qui à secretis Principum sunt, viperinos; seruorum agninos.

Duo præterea maxima in hoc munere, tum etiam in publice profitendo, quæ præterire non decet. Vnum ad maiestatem, & ioterpretationem; alterum ad inuentionem ac affectus mouendos. Et ad maiestatem quidem; quoniam Mathematica gaudent incrementis, (quod) minus decorum est, expolire, ac noua inuenire, & supperaddere oportet Naturalia vero, Medica, & Logicas contemplationes expolire oportet, diuidendo singula, demonstrando, & exornando. Maximum autem opus est in dioisione, vt perfecta sit, & ad minima ordinata. Inde excultæ illæ orationes, minimo ambitu cōclusæ. Velut Petri Victorij in Poëtica, quæ numquam cancellos exit. Admirabile tamen in his est, augere partes, vt quasi intumescant, & amplificeotur: quod Ciceroni primum, inde Demostheni coouenit; vt videatur peculiare facundiæ munus. Affectus vero (mouere,) misericordiam, & metum præcipue, vt in Tragœdiis: at misericordiam facile est etiam in fabula: metum autem non adeo, quod non sit de præsentibus, vt in actione; nec de veris, saltem vt in historia; in hac enim magis metuimus; magis autem de nobis. Oportet igitur & narrationem, & apparatum supplere in metum, tamquam de nobis, de præsentibus sit. Vt in Oedipo Tyranno Sophoclis.

Quum ad horam constitutam non veneris (siquidem propiores prius inuisere præstat) excusationem à necessitate honesta sumes: velut si ad nobilem maximo in discrimine laborantem vocatus fueris. Et rursus, si, quū egeris

cuncta, res male cedat, quod non ab initio magnitudinem morbi intellexeris, iube medicamentum exhiberi quod conueniat, quod in promptu non fit, nec exoticum tamen videatur; vt in ascite, oleum è sparti semine. Postmodum, testatus Fortunæ iniuriam, & medicamenti securam spem, substitues aliud longe inferius.

Summa ergo diligentia maxime in prima visitatione, veteris, inspiciendo, interrogando, & maxime de morbi caussa; & patienter audiendo ægrum narrantem, si validus sit: aliter admonebis, vt per astantem, qui illum curauerit, assidue hæc referantur: tum vero quæ acta sint, quæres ab aliis: videbis pharmacorum descriptionem: nomen astantis, qui illum diligentius curat, condisces; ad illum conuersus, omnia ordinabis. Quum redieris, non alia ab initio (quasi oblitus interrogare) requires; sed (si oblitus) aliunde per morum aliquem scire curabis. De his ergo diligenter interrogabis, quæ intermedio tempore accidere potuerunt. Denuo etiam explorabis quæ mutari potuerunt, licet non noua sint, vt linguam ac ventrem. Diligentissimus etiam sis in præcipiendo atque seligendo cibos, ac medicamenta. Namque diligentia circa sex versatur genera: rerum cognitionem, quantitatis & qualitatis illarum scientiam; numerum præcipiendorum, electionem illorum, & modum administrandi. In sermone sis blandus; tum etiam in auxiliis; vt quæ placeant maxime exhibeas delicatis; præcipue tamen iracundis, ac melancholicis. Eadem ratio in aliis, sed non adeo necessaria, vt in medicina. Et vbi amaris vti cogeris, ea dilutis odoratis condies. Pauca sint, percolata, feruida: nam fastidium non mouent, nec sentiuntur; celeriusque agunt, ac melius. In Medicina ergo quatuor quum sint excellentiæ modi: peritia artis, grauitas morum, diligentia, & sollicitudo; in vno horum saltem reliquos omnes socios excellere oportet; si potes, in pluribus. In potentibus vnum è iunioribus medicis prudentem præpone astantem ægro. Hoc enim est vtile ægro, & tibi gloriosum, & iuxta Hippocratis præcepta: Verum in tenuioris fortunæ ægris, sufficiet vt ille sæpius eum inuisat. Siquis quod nescis commemoret, nec ad dignitatem tuam percunctari pertinet, &c. tamquam nescias, neque ad ægri salutem, aut pietatem: imminuta enim autoritate apud ægrum & astantes, plus nocebis quam [vtile] sit quod commemoratur; incertum est, itaque cupidi potius est hoc, quam pij hominis. Quum proponunt aliqui auxilium non vtile, (nec) probum; si amici sint, non oportunum esse dices; si æmuli, non totum; in vtrisque periculum ex morbo prætendens: vbi perseuerauerint, melius iam habente ægro, non necessarium. Ita eludes petulantiam, ægro consulens. In suspicione autem veneni, ne dixeris venenum esse; multis enim hoc obfuit; sed caue: verum dic morbum pestilentem, aut materiam venenosam, cum ventriculi imbecillitate. Ea ratione adhibebis alexipharmaca: iubebisque hoc velamine vt soror diligenter degustet cibos, ac potus; vnumquodque vitium testatus in huiusmodi magnâ afferre noxâ. Ita non audebunt ministri (venenum propinare:) tum magis, si eo prætextu & ipsi degustare cogantur.

In conficiendis autem libris, vt gloriam in exercitatione compares, illud animaduerte, quod qui perfecte in vna materia scripserunt, ab his quibus id argumentum conuenit, præferuntur. Velut Crantoris liber De consolatione in luctu; tametsi multa deessent; & Dicæarchi De Animorum interitu; quamvis opinio illa parum grata foret his, qui præstanti essent ingenio, & immortalitatis cupidi: imo quasi naturali affectui aduersabatur, contraria legibus, inimica bonis moribus, odiosa exemplo. Et quamquam pauciores legant, ob argumenti tenuitatem, plus tamen obtinent autoritatis, quod quidquid dici in ea caussa potuit, dictum putent. Eligere ergo materiam decet quasi familiarem, & leuem, quæ tamen in omnium vsu sit, non admirandam, aut raram, sed velut si quis de Ptisana scribat, vel de Capitis dolore, aut Lienis tumore, aut Febribus pestilentibus, aut Hydrope, nihil aliud loquatur, nihil aliud sonet, sed in eodem perseueret, donec vnicus ea in caussa habeatur. Vbi eo peruenit, cuncta ad id genus deducat. Sed non sit ridiculum argumentum: velut qui morbos omnes ad fascinationem retrahebat, iubebatque cribrari omnium ægrorum lectos. Sed quid poterat aliud miser, vt qui omnino literarum esset imperitus? Quantum ergo apud vulgum addebat in opinione, tantum sibi de vera gloria apud omnes præstantes viros, ooo solum artis peritos, detrahebat. Sed (vt solet contingere) multi prudentes viri compellebantur stultorum iudiciis acquiescere, permittereque sycophantam in suis etiam & de suo debacchari. Adeo violenta res est opinio imperitorum: quæ falsa quum sit firmior est prudentium vera. Itaque numquam intermittere oportet, vbi cœperis, tympanum pulsare: & ex vno in aliud transferendo, fac vt noui semper aliquid afferre videaris, turba, moue, conrute. Tametsi pleraque falsa sint, cogita quod falsis omnia debentur humana, & regna, dico, & potẽtia omnis. Hic liber PROXENETA est, non de recta viuendi ratione, atque diuina parte, ac summo bono. Denique si verearis, alij id facient, tu vero illorum scelere iacebis. Nonne ergo licet dolum dolo, technam technæ, flagitium flagitio opponere, vt te serues meliorem, non vt alios perdas? Expergiscere ergo, vt tibi non desis: sed primum (quod illi non habent) bonis artibus instructus sis. Sapiens ille ac tam laudatus Socrates eo tendebat, multis fultus præsidiis, innocentia, fortitudine eximia, temperantia singulari, tolerantia admirabili, prudentia maxima, officiis in amicos gratuitis. Itaque sine arte, sine opibus, ac sine nobilitate, nullo facto egregio, ac sine magistratu tantum profecit, vt priuatã quandam tyrannidem exerceret. Licuisset, vt dixi, si ad priuatam vtilitatem isthæc tetendissent: at postquam ob gloriæ inane studium, maluit fructu carere, atque alios docere, tamquam medicinam, aut architecturam tractaret, oon fraudem, nescio qua laude dignus dici possit. Est etiam finis in huiusmodi quidam constituendus, ne semper colligas, collectis numquam vtaris, idque merito obiici possit:

Semper auarus eget: certum voto pete finem.

In prædicendo paucis agendum est medico. Sunt

Sunt autem sex modi;quorum extremos vitare decet, nisi omnino tuta sit prædictio : in pæne profligatis. Modica spes ; ne dixerim, prorsus conclamatam : in mitiori. Non magna spes ; non tamen conclamatus : si secus, Difficillimus est morbus, etsi non sine spe : in meliori, prædicas iuxta Galenum : quædam autem parua delicta excusare,quum res secus inclinauerit , tum conqueri , & antequam apud præsentes spes decidat, plus quam cauti est.Quod si etiam te prædicente mortuo ęgro, querantur,quum non primum vocatus sis, dices,Si primum vocatus essem.& seruatus fuisset,vos errastis:sin secus, magnæ est Fortunæ bonæ meæ,quod non vocer.In militari autem disciplina, in nauigatione , in lite , quoniam magis consilio peritorum euentus subiicitur, dicere oportet,quid contingere soleat, verum non esse. Nota quæ alij habeant , aut quibus innitantur:Multum quoque posse Fortunam, aut gratiam.

Galenica ergo prædictio (De constit. Art. Med. c. 18.) duplicem habet finem. Vnus est, quum in cura fueris , sperauerisque ægrum posse seruari , vt tum dicas , Galeni nomine prætetito,Etsi non tutus sit noster æger , spes tamen magna est,eum seruati posse, si in nullo fiat error,& nil noui superuenerit , nec casus aliquis,& æger in manibus meis fuerit. Alter est , quum superuocatus cupis retinere curam ; tunc dices,Sperare salutem : sed Galenū hoc imperare, ne medicus prędicat quemquam seruati debere , nisi his conditionibus, vt in nullo delinquatur , nec casus aliquis superueniat ; & ęger in manibus prędicentis manserit.Propterea nec nil posse firmi prędicere. Neque enim prçstat moriturum seruandum dicere, quum is in manibus inimici sit. Nam dum alium damnare studes,te ipsum deteriorem facis , & omnino deceptus videris : quandoquidem prędictio non ad solum morbum ; sed etiam ad reliqua referri debet ; & illius gloria est finis , scilicet veritas. Cętera magis possunt excusari,quam quod laude digna sint : imo nec vt eam parere queant.

Quod vero plurimum in huiusmodi prodest, ita difficillimum (pręcipue claris viris) est , vt coniunctarum artium potentissimos sibi adiungant. Namque vt senes [adultioresve] plantæ inferi alteram alteri non patiuntur , sed senior,iunioti,aut si vtraque iuuenis extitetit;ita non facile cohæret famosus procurator [iuuenis] seni iudici;aut medico [iuueni senex pharmacopola.] Plurima enim obstāt, quoniam plurima desiderantur , quod potens sit: tum vero existimat , debere te illi , non illum tibi,obsequi. Eorum etiam consuetudine omnes illorum æmulos atque inimicos infensos tibi reddis ; amicos non itidem [illius tibi concilias,&c.] Deinde vt amicos efficias , & hoc arduum : existimantibus illis, cogi, si te receperint , relinquere quorum consuetudine potentia sua coaluit;amicos senes,notos, cum quibus tot fanda nefandaque perpetrarunt ; tum etiam [tot] candidos dies cum voluptatee xegere , huiusmodi homines [inquam,] ignoti viri caussa (sis quantumcunque artis operibus & nominis gloria excellens) exigere è domo,durum videtur. Sed etsi te vt amicum exceperint,durius est,vt gloriæ,vt opetibus, & existimationi tuæ faueant,reclamantibus tot amicis eorum. Quod si non efficiant, tantum abest,vt vtilis sit horum amicitia , vt etiam plurimum sit obfutura ; cunctis,te eorum (in arte qua excellere putas) damnati iudicio , atque destitui , qui & sapientissimi sint,ob ætatem ; & quorum iudicio acquiescendum sit, ob potentiam ; quique nulla alia causa, quam tuamet te deserant ; quum iam tu ex professo in amicitiam eos exceperis:denique quod,quum gloria & sapientia, & nomiois celebritate velis videri alios superare, non solum præcedere, auxilia ab inferioribus quæras.Quas ob caussas multi hoc genus reliquerunt. Nobis autem quibus artem perfectam tradere in animo est , non ita licet. Sed & ad hoc ipsum , seu necessitatis caussa , seu commoditatis,deueniēdum putamus.Necessitatis quidem , corruptis illis grandi pecunia per amicos:omnia enim iura illi cedunt. Nec donare bonum,nec tutum aut honestum ; sed vendam tradere. Idque factum est à pluribus & sapientibus,beneque cessit. Commoditatis autem , quum in potentis diuitis communem amicitiam,verum valde vtilem,incideritis.

Vbi denique cum pluribus fueris, ne clam etiam alios damnes , nisi iam finem ex voto consequutus. Primum quidem , quod plus inuerit ad famam & beneuolentiam comparādam,te strenuum ostendere defensorem incolumitatis eius , quam sociorum accusatorem: Deinde quod existimabunt iactantiam in te, vel improbitatem, aut vanitatem, aut inuidiam [nullam esse :] Tum vero , quod si per te adiuuetur æger,minus iniquo animo feret, etsi intelligant à te accusari (se,) experimento illos damnante. At si pereat,aut caussa vincantur illi te oderint maxime,& nullibi sociū admittent , tamquam inimicum (optimum enim est in his amicos habere;) domestici vero non laudabunt,aut minimum , non solum quod non habebunt quo te laudent , & quod cito gratia senescat:sed quod in omnib.odium plus possit amicitia,& iniuria viuacior sit beneficio. Ob id studiose exitum rei venare in vnoquoque : In Medicina ex quatuor precipue;Natura,Morbis,Vrinis, Generalibus;veluc pestilentia,mutatione à consuetis , & motu, quum is etiam doceat nos respirationem, quum recessus à naturali esigous fuerit.

Præterea,si mercedem minuant,non laborem,auaritiam,aut paupertatem significat : si laborem (minuant,) non mercedem, magnificentiam cum contemtu. Abdica igitur te : nam (hoc melius est, quam relinqui. Si laborem augent, non stipem , existimationem bonam indicat,cum auaritia, vel inopia:Si præmium (augeant ; hoc) optimum est ad existimationem : si tum augeas laborem,non rogatus, existimationem minuis, tamquam indignus sis auctione illa ; vel quod auaritia ductus,non præstiteris quantum potueris. Mutata igitur forma,summam adhibeto diligentiam.Si augeant pecuniam & laborem,suspiciunt, & auarum te existimant. Si minuunt vtrumque (dicam autem de hoc suo loco ,) hoc ex auaritia contemtum ostendit.

Siquis persoluat pro facultatum multitudine , operam & diligentiam illi præstabis summam ; sed diuiti ornatum etiam , vnde plus

plus temporis : ſi minus , quum pro ratione debet, moneto tacite ; ſi perſtiteris , optimus es ; ſi non teneris ; relinquere inhumanum & inutile. Fucum pro tempore adhibe.

Vbi in pæne perdito [ægro , medicum] alium quærunt , tum auxilium durum , diuturnum , optimum propones;& ſpem meliorem, ſi obſeruet. Si ambo in cura manebitis, & non mutet , probauit ; ſi ſanatur , laus tua eſt;ſi pereat, nullum dedecus: Si mutet , quum ſanati non poſſit, [dic] ſemper id prædictum à te;& mutatione , ſpem quæ ambigua erat, amiſſam: Eadem,& euidentiora, ſi à curatione excidas. Licebit enim dicere, vel erraſſe in curatione, ſi tecum bene præſenſit ; in ſpe aut in iudicio , qui moriturum propoſita ſpe ſalutis ab alio, curandum ſuſceperit.

Quod ſi potens aliquis vir à te petat auxilium difficilis morbi, id agito quod Peruſinus chirurgus, Cardinali potenti, vt illum liberaret à fiſtula, cuius os erat anguſtum , & prope anum;reſpondit , Curare poſſem ; ſed præſtat linteis vino madidi, ad renes ac lumbos appoſitis ſinere: Hoc die, Nil proſint [auxilia.] Perſuaſit ſe non ignorare modum ſanandi : ſpem iniecit, quaſi hoc ipſo ſanare poſſet, quod aliquid melius doceret ac præſtantius ſanatione; & ſe à tædio difficillimi negotij liberauit.

Et quamvis multi, ſine tot præceptis ad ſummos honores eucèti ſint ſola garrulitate, tum incredibili ſollicitudine, & multitudine auxiliorum etiam periculoſiſſimorum; tum audacia fœda, qua meliores multo ſe obtundunt ; contemti nihilominus, præter impietatis ſummũ crimen , tribus maximis etiam incommodis afficiuntur: primum , quod maximis periculis ſe exponunt , quum etiam aliqui eorum pœnas dederint ſtulti propoſiti , & ſceleratæ audaciæ : ſecundum, quod non ſufficere poſſunt, ſemet propriis conſiliis impedientes; tertium, quod immenſis laboribus ſeipſos interimunt, vt plerique eorum ante perfectam ætatem pereant : omitto quod male audiant ; ſemperque exiguis præmiis remunerentur ; & quod ſæpius contingat , illos in eos animi æſtus incidere, vt pigeat non ſolum arti initiatos eſſe , ſed in hanc lucem vnquam veniſſe.

Res mortalium ex minimis principiis maximos effectus ſortiuntur: ideo parua contemnere non decet. Veluti in principibus ſingulorum dierum acta & euentus ſcribere, horaſque; in cæteris, morbi naturam , ſymptomataque; vt ſi te pro quovis reuocauerit [quis eorum,] viſa tabella, poſſis dicere, quæ tum illi contigerint. Vnde maximam fidem apud illum: inde ex illo apud eius amicos conſequeris. Addes etiã præcipua, ex quibus ſanatus eſt.

Vbicunque fueris , ſed præſertim in aliena vrbe, conſidera ſemper finem,& perſonam,& ſtatum eius (diuinorum tamen præceptorum prius memor.) Nam potentes tuto & blande tractari volunt pauperes cito , & paucis impenſis ſanati. Si ergo morbus non vrget in potentibus, etiamſi ſpes ſanationis abblandiretur diuturni morbi , non ſolum periculoſa [medicamenta] vitabis , & ſuſpecta, tum infamia , ſed etiam non vulgata ; neque multitudinem augebis, ſed numerum. Hoc enim eſt extra aleam infamiæ & calumniæ , & tutum. Quod ſi ſpes ſit omnino;& illi petant, rogentque, proteſtaberis ; prius expertus in exigua quantitate, Si volunt, recipito. Si morbus vrget, non ſine ſociis expones te caſui. Si his nõ ſeruatis, affligitur æger ex medicamento, dolore, vomitu, animi deliquio, anxietate, fluxu ventris; aut ſi ex importuna venæ ſectione periclitatur, deficit, dum laborat, præſidiis ſolum vteris, verbum nullum proferes : quodcunque enim protuleris, obeſſe poterit (Meméto quod dixi, propriam vocem contra te , non pro te, teſtem eſſe.) Vbi euaſerit, prædica vtilitatem, in riſum conuerte ægri timorem; negligentiã, ſocordiam, errorem miniſtrorum; aut pharmacopolam, quaſi aliud egerit, quaſi per admirationẽ commemora. Quandoque iuuat dicere, ſe præuidiſſe, ſed noluiſſe dicere, ne vel terrorẽ augeret vel [à pharmaco, &c.] abſtineret. Multi vero curant aduocari in alias vrbes, vt maiore cum gloria redeant in propriam. Eſtque ars ſingularis tum induſtriæ tum vtilitatis.

Si aliqui ſe feciſſe aut facere poſſe iactent, quod tu non feceris, dicas miſcere illos; quod in Italica lingua melius exprimitur : (emplaſtrare enim vocant, non curare:) Præterea eos qui multa agunt, mimos exprimere, qui magnis geſtibus ſignificant ſe multa agere : quum tamen loco non moueantur , nec quicquam agant,

Vt vero aliquos ſerues , & medicos minus offendas , oſtenſa ratione tuta , votoque tuo clare declarato : ſi perſtent in epicraſtica , dicas, maxime quum amici ſunt, Si igitur confiditis, poſſe illum euadere, pergamus, tumque tale ſtudium diligentiamque adhibeto , vt ex opere optent ſe ſecutos iudicium tuum. Relinques illis iudicium , an poſſint aliquid indulgere. Sed hoc non poteſt facere niſi ſapiens. Vbi ad ægrum conſulturus accedis cum improbis ſociis, vide an manſurus in cura. Si ſic, omnia oſtende , per quæ res inclinata videatur: ſed prius oſtenſo morbo, cauſiſq; eius. Sic enim audientibus videberis prope , & melius ſociis, rem tenere, & ſi antea vocatus eſſes, plus potuiſſe proficere: &, ſi obeat , non ſolum à culpa caſus , ſed aduentus tui (cui improbi ſolent malos ſucceſſus imputare) te liberabis. Sin ſolum ea vice conſulturus ſis, bonam ſpem iniice , alacriter illos laudans : ſeorſum autem dicas , ſi ſanari poteſt , bene proceſſura, ſi recte egerint; nam vera dicis : ſi non exiſtimas poſſe ſanari , reſponde , ab initio, morbum eiuſmodi te credere fuiſſe ; nunc per tot [dies] lapſum ægrum , neſcire quid pronuncies. Sed ſi fideles viri ſint , quámvis imperitiſſimi , ab omni fuco caue. Neque enim boni viri eſt officium , nedum optimi (quanto minus Chriſtiani ?) in ſalute periclitantis verſute agere.

Cauendum eſt etiam , ne hominum ſiccorum conſuetudinem ineas, etiamſi enixe rogent, nedum vt te inſinues , vel inſinuari patiaris: nam ſi feliciter cedat res , adhuc illis debere videberis ; ſi infeliciter , te funditus euertent. Magna pro felicitate ducas , huiuſmodi hominibus non congredi : ſi cogaris , blandis verbis vtaris ; extorqueas quantum potes , nil plus gratiæ conſecuturus ; & exiſtimationem quantum potes, retine. Hi ſunt ambitioſi ſimul,& auari, & plurimum ac ſcite perſuadentes. Eſt & aliud ſiccorum genus deterius,

terius, qui multis verbis agunt. Committunt medicos inuicem, lucro ducentes, si illi maledicant vicissim, hocque deterius est priore. Verum his respondebis, te qui deut pecunias multas, & verba multa non inuenisse; qui pecunias multas, & pauca verba, optimos esse; qui autem verba multa, pecunias paucas, hos contra pessimos: & eos statim relinque; aut, si non licet, in posterum tecum statue, ne amplius accedas.

Refugies ægrorum curam, qui breui sanari volunt: [&] qui dare pollicentur, quum euaserint, ominosa enim res est, & cum stultis negotium. Stultos improbis, & ossa canibus relinque. Similiter & ambitiosorum, sed pauperum, & siccorum, & violentorum [genus est:] in quibus bonæ Fortunæ munus perit; malæ euentus, perpetuæ querelæ obnoxius est. Quamobrem hos deuita, & summa cum grauitate eis congrediaris: fac etiam vt intelligant, quam sis occupatus in artis operibus. Socios quoque imperitos & improbos, sed præcipue contentiosos, fuge. Solum enim tuo infortunio pares se tibi videri posse sperant. Numquam litigabis: sed statim abi; præsertim si moriturum [ægrum] intelligas; hoc solo dicto, Galenum recte de hoc censuisse si locum postulant, dic tertiodecimo Methodi, capite decimoquinto. Quum vocatis ad consulendum, hominum conditionem, & ægri morbum, & quid à te postulent, intellige. Si enim ad consulendum solum; explica modum & caussas diligentissime: propone auxilia & communia diligenter: reliqua succincte: nihil celando: verum neque laudando, neque vituperando acta: nec tua extollendo, neque eligendo: quum incertus sis, quid præstantius: atque ita nec illos docere cogeris. Abstine à prædictione, caussam si requirant, Galenum dic prohibere. Ex Promptuario loca habes. Publice fac vt omnes sciant, experimenta deberi consiliis in scriptis, aut curationi. Si tamen pro conditione persoluant, doce: sed coarctata ratione. Sic enim conqueri non poterunt coniuncti ægri, nec medicis esse vsui. Sin autem ad curam vocaris cum aliis non prorsus malis, fac vt scias per quem vocatus sis, vt tua beneficia prædicentur, quæ illi significabis: & si iniquius agant, errores eorum detegantur. Ne deseras ægrum, nisi omnino recta pergat ad salutem: nam vbi reciderit, si mali sint, numquam curabunt vt reuoceris. Ne vmquam verbum illud proferas, Seruassem, si in manibus meis fuisset: præterquam enim quod inuidiosum est, est etiam vanæ iactantiæ indicium. Multa possem hic adiicere, præsertim rationes eorum quæ dicta sunt: sed summa grauitate medicus plura assequitur, quam tot præceptis, quæ partim obliuioni (& maxime sub occasione tam præcipiti) traduntur; aut mutuo se impediunt, vt iudicium de his ferre haud liceat; & omnino, si grauitas desit, illa etiam non sint sufficctura. Consistit autem grauitas non solum in verbis, & ornatu, & gestu, & incessu, sed etiã in contemptu rei: quæ autem adscripsi, & de præceptis, & de præceptorum rationibus, pro exemplis indagandi ea quibus opus est, adiecta sunt: nam (vt alias docui) plus est in nudo [fine, vel modo] per collationem, & diuisionem, & resolutionem (à fine siquidem infinitum, aut infinito simile) quam in innumerabilibus præceptis, aut præceptorum caussis assignandis. In profitendo autem partes has septem, aut ad summum octo, imitaberis: continuationem verborum, declarationem, sententiam, demonstrationem, amplificationẽ, limitationem, & dubiorum dissolutionem. Epilogum sunt qui addant: ego non vtor. Forte autem à lectione garrulus te aliquis discipulus exagitabit, turbas ciens, vt scire videatur. Studium enim discipulorum hac ætate magis est contentiosæ doctrinæ, quam solidæ; tum quia facilius eam adipiscuntur; ipsi autem molles admodum: ideo contentiosis operam dant, quoniam ad certamina conducunt, quorum ipsi sunt cupidi: procedunt enim captiosis quibusdam ac futilibus distinctionibus: & ob id etiam maxime amant doctores qui illis prompte satisfaciunt, quasi eruditiores, & magis obsequiosos; quum tamen huiusmodi viri ad opera ipsa sint inepti: nam opera Artis, Naturæ operibus quam simillima esse debent: at hoc præstare est difficillimum, vt in pictura plastica & scultura: ideoque indigent studio longo, & cogitatione, & iudicio: quæ omnia è regione pugnant cum horum doctorum ingeniis. Huiusmodi itaque garrulo ita respondebis. Non intelligo contra quæ inuehatis, contra quos dixeris, quem oppugnare velis Pudebit enim forsan; aut pigebit in posterum. Tum vero, si male recitet, respondisse sufficiat: Non hoc dixisse me, memini: modeste [autem] illius redargues imperitiam: Si recte [recitet,] te multo labore leuabis; facilius occurres, & quampaucis importune garrientem proprio suo inuento fatigabis.

Generaliter autem sic habe: In quacunque vrbe fueris, vbi nondum familiaritatem contraxeris, quinimo sis medicis odiosus, quum de aliquo ægro, ad quem vocatus sis, bene speras, dicito illis, An fiditis in me perfecte? Si affirment, dicas, Quid opus est illis? nam hi sine me egerant; par est vt ego sine illis: certum est, si adsint, curaturos vt non sanetur, nec non magis se ipsos, quam me, diligunt: si concedant, ac vt sanetur, in præiudicium eorum est. Dubio procul res ita se habet. Sed [hoc] non agendum, nisi in his, qui vel ob pauperiem excusare possunt se de multitudine medicorum, vel quia ob virtutem cum potentia coniunctam, ab insidiis omnino tuti sint. In aliis oportet, vt qui omnia potest, id agat: vt ex præscripto tuo singula faciat: in reliquis, si petant, in quibusdam impedimentum; in aliis ægri voluntatem; in aliis, obliuionem; in quibusdam casum excusent, donec sanetur: multorum & ipsimet obliuiscentur. Si quis astantium neget peracta esse [quæ mandata sunt,] ablegetur, inuenta occasione; aut, si potest, emittatur. Præcipiatur ante, vt nemo respondeat, nisi ille, aut quem delegauerit ipse. Ob id astans si quis est emittatur. Ob id Bononiæ hoc munus difficillimum exequi est. Excusabit autem mortem ægri, ex prædictione superuenientis medici: quod etiam faciet ad suam securitatem. Sed si illi te aduocauerint, omnino non procurantibus medicis, si recte, recte; si, vt te euertant (quum neque solus possis curare, neque

cum illis seruare) inofficiosum tentare vt expellas ; sapienter cum illis ages : si exequantur, sanabis; si non exequantur , facta protestatione discedes;sanandum , si illi non defuerint,admonens.Si dicant , Cur ergo discedis ? quia ex præscripto non agitis : res autem est in præcipiti , vt quemcunque errorem (dicit Galenus decimo Artis curandi , iuxta finem) feceritis,æger sit periturus : ideoque alienum factum,seu sua mala sors,mihi imputetur. At desinent te non solum aduocare , sed admittere.Hoc est minimum malorum, quæ tibi possint contingere in hoc casu , nam aliter agentem nec alij,nedum ipsi,te vocabunt.Sic vero saltem fama salua erit ; & ideo ab aliis vocaberis.Sed pugnandum erit. Vita nostra militia est:Melius est,vt etiam io bello, pugnantem cum illorum inuidia cadere ; quam insidiis,eorum autoritate aucta. Quum vero pictoribus atque statuariis,cum fabris atque vestiariis ex operibus quæ sensus ipse diiudicat, sicut & architectis (sed his cum rationibus manifestia)ex arte gloria solida accedat, geometris autem & arithmeticis , propositis ininterrogationibus,tum problematibus , tum theorematibus;musicis quoque ex cantilenis, & dum canendo reuocaot aberrantes : iuris consultis ex iudicio iudicum, & victoria causarum,quibus patrocinati sunt,constanter faueatur : soli medici , & maxime professores, omni auxilio destituuntur : quum ægrorum exitus mille modis turbari possit;nec sint morbi,naturæ hominum,atque ætates innicem similes;discipuli vero,qui audiunt, animi fluxi, ob ætatem,& imperiti,& qui mille modis alliciantur, aut artibus auertantur. Ob id nulla est disciplina,quæ maiores patiatur errores in æstimatione peritorum:nulla minos patrocinatur suis studiosis,nec fauet eruditis. Vnicum præsidium est in grauitate morum repositum: sed fallax,quod à quovis etiam imperitissimo vsurpari soleat. Si res ad disputationem redigatur, vincet clamosior:sublatum est è scholis gymnasium. Vnum est in tempore auxilium , quo maiora emergunt ; aliud io autoritate sapientum Principum : alterum mihi inutile futurum : alterum in eorum manibus constitutum,à quibus si deserar,hoc solum relinquetur,conscientia recti:quæ consolari debet eum,qui Deo (non sibi ac voluptatibus) viuit.Nam de Principibus ipsis, quod fallantur in præferendo & ipsi,liquet. Quum enim septem sint conditiones,quibus medicus præferri debet: vt sit bonus Philosophus, Dialecticus bonus:exercitatus in artis operibus, atque studiosus librorum , bonus Mathematicus , calleat dissectionem corporum humanorum , eorundemque partium vsum teneat : quod si etiam cum his simplicium medicamentorum peritiam habuerit, & literas Græcas,melius erit : Principes eos elegerunt ,qui has duas vltimas duntaxat callerent , cæteris neglectis. Sic Linacrum rex Anglorum, Copum & Ruellium reges Gallorum : Ferrariensium reguli Leonicenum , Manardum , Brasauolum : (hic solum adiecit Dialecticam :) Germaniæ Principes Cornarium , Fuchsium,atque Matthiolum , herbarios potius , quam medicos. Constat enim antiquo tempore etiam alios fuisse herbarios,alios medicos. Meminitque Hippocrates Crateuæ. Sed quod laudi fuit ab initio , elegisse peritos linguæ Græcæ,velut Leonicenum , quum medica disciplina adhoc latitaret apud Græcos : nunc stultitiæ tribui debet , pædagogos eligere, medicorum loco. Ideo non nisi prius sublato tam pernicioso & turpi errore, ars ipsa & artifices præclari,pristino candori atque dignitati restitui poterunt. Nunc autem , quũ sint medendi tres modi : Empiricus,qui pessimus , & ex quo , sine cognitione caussæ aut differentiarum morbi,transeunt ad dissimilia, putantes ad similia transire:& Rationalis, qui optimus est ; hunc nemo aggreditur : sed ad Tentandum se conferunt ; existimantes hunc esse certissimum modum,securissimum,& optimum;quum tempus terant,protrahant morbum in immensum,& (quod maius omnibus est)non possint mensuram rei exquisitam adhibere:quod in Rationali cura est optimum: nam & celeriter & facile fit , ac cum ægrorum commodo & voluptate , sanitatem adipiscuntur. Eo ergo res medica traducta est, vt veluti per cæcos exploretur iter. Atque hĩ etiam sunt, qui optimi habentur. Vide quid de aliis censendum sit.

CAPVT XCIIII.

Vbi Fortuna votis aduersetur,quid agendum.

AT vbi res non magna est, sed existimatio vulgaris ex opere quæritur ; quum vero cuncta peregeris , sed maligna Fortuna reddit eos ingratos ; tunc ex aduersia captare oportet vtilitatem. Excusata enim temporis angustia, & munere tuo perfecte peracto,vni ex tuis familiaribus ex arte illum committe. Sic enim dignitati tuæ consules;amicum eueheș,& illios [ægri] saluti prospicies;ille vero, in quem res traducetur , curabit vt autoritas tua augeatur,& beneficium beneficio penset. At si recusare non licet,& temporis angustia premeris, legitima excusatione facta pollicebeřis diuturniorem moram in posterum apud illum:illum quoque alicui ex amicis commẽda interim,qui sint artis participes, pharmacopolæ,tonsorive. Summam vero ostende diligentiam,vbi negligentia periculosa est , vel ob morbi magnitudinem,vel nobilitatem,vel si pater adsit. Eos vero qui sunt artifices,velle scire aliquid,nec posse,decet quandoque:nam ad gloriam hoc pertinet ; vt si medicus male canat,iurisconsultus male oret:Vt contra,laudem mereri in alieno negotio,turpe est. Vituperatur Nero , quod citharam pulsaret bene, & caneret:& Alexander ab Apelle reprehensus est,quum de pictura dissereret.Itaque velle profiteri quicquam extra artem , nec scire, ad gloriam pertinet, modo ne tu de hoc multum glorieris. In communibus autem ignorantia vituperatur. Sunt autem communia,ornatus, incessus, sermo custodia rei familiaris, & opum , scientia rerum publicarum. Si ad conditionem parum te dignam inuitauerint, vt recusantem contumaciæ , aut auaritiæ arguant ; recipientem indigniori postponant ; gratiis actis , multo plus quam conueniat, pete.

CAPVT.

CAPVT XCIV.

Vbi cum impari colluctari necesse sit.

CVm impari colluctari periculosum est, etiam si iure æquo pugnes, & apud iudicem æquum : at si iniquus sit iudex, longe deterius. Quadruplex autem est pugnæ genus: iudiciale, militare, ciuile, & populare. Iudiciales vt de hereditate, militare, quum per factiones ad arma ventum; ciuile, vt quum per suffragia quæritur magistratus, & vxor diues per amicos : populare, quod consistit in fama quadam generali. Contra iustum & æquum si non pugnandum est, etiam aduersus inferiores cui bono, & aduersus potentiores colluctaeris? Tria sunt maxima mala: qui pugnat contra ios, Deo aduersari velle videtur, infamiæ subiicitur : si vincitur, perit res, & existimatio, si vincit, semper torquetur conscientia facti : vtrouis modo res cedat, odium ingens conflatur. Si iure pugnas, aut non aduersus ius, vtpote pro munere obtinendo, velut profitendi, aut magistratu, æquare oportet lancem: primum, vt colluctaeris in eo genere, quo ille superior minime est; (stulte agunt, qui ob vanam ambitionem volunt videri superiores ea parte qua sunt inferiores:) deinde vt eum adoriaris quando magis est implicitus, & apud eos iudices, qui non solum eum non vereantur, nec gratiam eius quærant, sed apud quos etiam inuidia laboret, vel id contemnant, quo ille te ancellit: deinde, vt, si potes, factionem suscites pro te : demum vt industria, sollicitudine, pollicitationibus, & dolis illum vincas. Quod si res pro te est, cura vt quamcelerius possit, absoluatur: si contra te inclinatur, procrastinabis eam. Sæpe mora victorem effecit eum qui superatus est. Mors, morbus, lis grauis, aduersa fortuna, iniuria, auaritia, negotium pæne absolutum euertunt. Cum potentiori si dimices, aut te parem illi ostende, aut antequam contendas, ea supplica (amico solum tuo teste,) eas offerens conditiones, quæ honestatis plurimum habeant, & tibi magnam iacturam non afferant. Non te iactes, sed potius queraris, etiam quum victor extiteris. Potentes offenduntur dedecore, quod succubuerint, & iactura. Aduersarij dedecus quid ad te attinet, & maxime quum à te ipso refertur? Signum inopiæ amicorum, & animi infensi, aut leuis, aut ambitiosi. Plus profuere paucæ pecuniæ (non) nihil liberaliter eis vtenti, quam contra (nummorum magna vis) potentibus & auaris. Vna res potentibus fauet, quum in aliis sint inferiores: nam tu tuam causam tueris; suam non ipsi, sed alij, gratia Iudicum, & Principum. His oppone religionem, ius, infamiæ metum. Et si à Principibus times, iuuant pellices, & similia. Sed si contra Principem pugnare necesse est, aut violentum virum, & vim, & iniuriam, & insidias, & tibi, & tuis cauere oportet, timorem quantum potes dissimulando, ne timor tuus illi animos addat ad offensionem, & tuis ad defensionem animos adimat, vt ea re succumbas: Præterea ne illum videaris inuidia onerare velle: sed & in eo periculo versaris, ne ille carere te iudicio sibi persuadeat, quo fiat audacior ad contentionem. Propterea munimenta aduersus hostes sunt, innocentia vitæ, (virtus, &c.) & super omnia multitudo sociorum fidelium: vt neque noctu, neque solus, nec nisi explorata via, progrediaris.

CAPVT XCV.

Similibus præceptis vti in diuersis casibus oportere : vnde ex aliis Capitibus petenda esse auxilia.

POrro, quod etiam antea præfati sumus, si omnia necessaria vbique scribere voluerimus, opus maius efficietur, quam deceat, & repetitione etiam frequenti deturpabitur. Ex omnibus igitur locis petenda erunt auxilia. Vti si de pugna cum potentiore agatur, consulendum est Caput vbi de contentione & iniuria tractatum est, de insidiis, de iudicio, de æmulis, de inimicis exitialibus, vbi è Principis seruitute exeris, taliaque eiusmodi multa. Nam ipsa inter se connexa sunt. Antea (Cap. 2.) quid vno quoque loco reponendum sit, docuimus: hoc, vbi quærendum, aut vbi non quærendum, nisi vbi repositum est? Diximus reponi debere singula primum vbi res ipsa tractatus : velut caput consulemus, & potentiorum, non inimicorum ; sed inimici, qui iudex sit. Iudex enim Principis loco habetur. Primum igitur quærendum est Caput proprium quæsiti. Neque enim ex simplicibus vllum prætermissum esse puto. Secundum de his quæ ad quæsitum sunt. In hoc varia est ratio : nam in aliquibus totum inuenitur, velut de calumnia apud Principem abolenda distincte tractatum est, Cap. 28. De Principe inimico, non est Caput speciale. Hic ergo duobus præsidiis opus est : vnum, qood est vt ex pluribus vnum componas, velut de Principe, & inimico : aliud à simili, velut in præcedenti, vbi colluctandum sit cum potentiori, nam Principes sunt nobis potentiores. Sed in his melius est procul abesse: & composito quidem consideranti diligenter melior est ; simpliciter autem vtenti ea, non est adeo vtilis, vt ratio à simili sumpta ; hæc enim est obuia omnibus. Si ergo iniuriam pateris à Principe, (atque id est secundum principale tituli propositum) de iniuria quidem Caput consules, & quod in priuatis iniuriis remedium effertur, notabis : inde etiam Caput aliud, de conuersatione cum Principibus, & de calumnia apud Principem abolenda considerabis. Demum ex omnibus his præsidia tibi parabis. Infinita enim quum sint, quæ euenire possunt, iudicio magno opus est, vt seligas primum ea in quibus sibi inuicem aduersantur. At hoc facilius est. Verum opus est præter id, vt aduersas indicationes, vtilitatis, & damni, aut periculi coniectes: & si forsan temporis cursu tu tuis repugnare possis, & si aliquid sit, quo sublato omnia concidant. Multi enim de fideicommissis litigant contra certos heredes acriter, & plus quam oporteat forsan, vitæ vero propriæ non satis caute prospiciunt. Consideranda propterea vita propria, mores Principis, & quid maxime illum continere possit, æquitas leges eius, verecundia, pietas vera, seu ficta.

CAPVT XCVI.

Errores quomodo corrigendi.

ET si in tanta negotiorum multitudine errare contingat, quoniam id natura comparatum est, leuissima prætermittere cõuenit. Vtcunque enim corrigantur, plus est mali in confessione erroris, quam vtilitatis aut laudis in emendatione. Quare nec reliqua restituendo corrigemus, (quod plerique faciunt;) tum maxime quod omissa solum sic possunt emendari. Itaque si quis omissum quicquam obiiciat, negabimus ad rem pertinere; neque enim confessio obliuionis, ægri iacturam sarcit, sed curam addit, & tibi dedecus parit. Id vero quod deliquisti, illustriore quodam modo restituere oportet: vt qui conscij sunt rei, omissum, aut factum studiose putent. Velui si responsum quod dare oportuit, non dederis, conueniens illum, te non potuisse dare, ostendes. Si in sermone aberres, vt ob magnitudinem erroris cogaris excusare, noli defendere, nec reiicere in rem quæ ad laudem pertineat, nec in meditatum aliud iam diu reiicere: vitiosa enim hæc sunt: Sed quemadmodum ille apud Pyrrhum. Si plus vini fuisset, etiam maiora audisses. Sic [prætexes] morbum, negotiorum multitudinem, atque huiusmodi. Quod si Epistolam arcana continentem, aut librum rationum, vel alind quippiam, quod legi nolis, insolens [quispiam] arripuerit, statim alium obiice librum, aut Epistolam, tamquam absolutam in eodem argumento. Ita vtriusque graui errori medeberis. Quod si frustratus voto sis in Principali domo (quod contingit nobis maximè, quum ardua ob necessitatem cogimur amplecti, & ob contentionem insidiose fraudamur fine) cauendum est, ne concutiendo infamiam & dedecus augeamus, aut, dum nos tueri volumus, in alios culpam reiicientes, totidem consciscamus inimicos, aut queramur de potentibus: sed inuolutis verbis contentiones, dolos, iniuriamque significemus, blanditiis singulos fallendo, alios alliciendo, atque (ita) rem pluribus narrando, vt plures habeas defensores, quam calumniatores. Sin vero rem tuam coniuncto, aut amico, cui debeas plurimum, cõmiseris, & ille mala fide agat, de iniuria numquam queraris, (cum) quod est tuum rapere. Pertinacia hoc in casu opus est: Noli diuulgare factum, neque adiudices, si potes, concurrere, sed per communes amicos, & qui plurimum possunt, rem age: (idque eo) mitius, & tanto honestius, quanto turpius existimas, te posse dici illi inimicum. In vniuersum error omnis duplicem habet difficultatem; propriam facti, & eam quam error iniecit, quæ aliquando adeo magna est, vt corrigi non possit. Omnis erroris vna emendatio est, vt via mutetur, & quod admissum est, tollatur: nam duplex est incommodum: At mutandi viam, vna est ratio, in propriam redire. Verum & hoc aliquando integrum non est: quamobrem & quam ingressus es, nonnunquam iuuat ad modum melioris instituere. Considerare etiam oportet, an vbi plurimum debeas, vel coniunctio sanguinis arcta sit, præstet omittere contentionem, quia minor sit res infamia: in quo multi grauiter peccant. At quod iam admissum est, deletur vna communi ratione. Præterea optimum est, vt errores antea caueas, & cognoscas quinam sint præcipui, & è re (vel ex re) nati. Hi enim soli euertunt hominem: quoniam nec emendari possunt, & sunt exitiales. Velut si tuo exemplo pereas, (vt Lud. Sfortia, qui nemini fidem seruandam quum docuisset, idque vt gloriosum duceret, belli administratione iisdem proposita, ab omnibus proditus merito est:) Et vbi cogaris vel timere ab amicis, vel confidere perfidis, generose ille dixisse credi poterat, si non ab omnibus iam esset destitutus; & si non ab effœminato vox illa proficisceretur, Satius esse perire alieno crimine, quam proprio: quamquam in bellis prompta, sed rara, sæuitia, feliciorem exitum habeat. Simili ratione si circa propria quis peccet, vnde tota existimatio pendet.

Si quando autem ex importuna calomnia transgressus sis (quod quandoque necesse est) metam in respondendo: vt quum pro grauitate mordacem querelam protuleris, aut pro mordaci iniuriosam, velut si quis de medicamẽto dato dixerit, quod offenderit, tu vero responderis, illum mentiri (hoc autem leuitatis, præter iniuriam, argumentum est) aut quod stultus sit, aut asinus, aut ignorans (si quidem septem quum sint capita difficile est præsertim in ita, diuioare,) emendabis post, non statim, excusando, sed prius accusatione instructa) iram: nam contemnere, nec excusare, nisi gerere velis apertas inimicitias, non expedit. Ostendes autem detrimenta ægro [euenisse] ob illorum improbitatem potius, quam [tuam] ignorantiam. Sic enim minus odiosus eris, & videberis æquioris animi. Aliud tamen fac, vt facto intelligant. Sed si aberraueris in negotio, non conaberis omnia in contrarium vertere, (aut ne supinum te proiicias, vt alias dixi,) neque etiam statim omnia emendare. Tripliciter enim peccari solet in his. Sed primum diuide quæ ex peccato orta sunt, & radices illius, tum ordina, ac sensim immutabis radices erroris: corriges & quæ sequuntur: in his obseruando, vt non omnia (ne pœnitentia ductus videaris) tollas: & truncum ipsum vltimum dimitte, vt ramis spoliatus sponte demum excidat. Et omnia (hæc age) sine iniuria, imo perturbatione quauis animi, quum erroris caussam tu dederis: idque vt ipse (qui te accusauit,) in caussa (etiam semetipso iudice) fuisse videatur, diligenter curando: ad quod iuuat plurimum liberalitas quasi inexpectata, & temporis longitudo, vt dissuta potius, quam lacerata amicitia iudicetur. Maxime autem insistes in petitione leuium, quæ scis ipsum non præstiturum, ob morositatem aut leuitatem.

CAPVT XCVII.

De consilio, & officio non numerata pecunia.

QVum quis consilium auxiliumve petit à magistratu, iurisconsulto, medicove, proponitque soluturum, nec tamen numerat

(qood

(quod certe captatoris est officium,) negare se facturum, rusticum, quum nimium videtur, polliceri, nec præstare, donec numerauerint, (quod exemplo frequenti didici, licet plures id agant,) fallacis non solum est, sed & inutile; quoniam occasio & feruor habendi persæpe præterit: at neque pacisci, (istud enim minus ciuile est,) nec facere, quum iam ille captator videatur, (huiusmodi autem hominibus nihil potius est lucro:) verum conscribes, aut facies, omisso præcipuo auxilin, præcipuisve, quæ addes, si persoluat: si non, & queratur se non adiutum, dices rem esse familiaris tui, quum tempus tibi ob negotia tum non suppeteret. Quod si iam consilium dederis, iam homini satisfeceris, iam aliquid acceperit ille, neque ex conuentione, tecum illud considerare debes. Quod & ipse, si sapit, cogitabit, Si plus quam debet, rependat, ei obligatus ero, si minus, ille mihi (dedit,) quantum oportet, vterque absolutus erit. Propterea liberales esse solemus in omnes eos, quos magnifacimus, seu ob potentiam, seu ob amorem. Iusti quod par est, omnibus retribuunt: cæteri in eos quod contemnunt, parum sunt liberales: ob id etiam in multos insigni virtute præditos ingrati sunt. Contemnuntur enim pauperes, senes, inglorij, atque infames, etiam, si per calumniam accusati iaceant, tum qui procul sunt, quique sedes firmas non habent, & qui nullo in numero sunt apud Principes. Si quis ab initio pro mercede munera dat, hunc scito pecuniam non numeraturum. Si igitur auarus est, accepto munere abstine ab officio: si munificus, donis egregiis remunerabit te. Non arduum est, diligenter initia & mutationes animaduertenti, tum verba, tum gestus, intelligere, quid possit expectare.

Quum potenti amico, vel qui in magistratu sit, officium præstiteris, ita vt alij eo intermedio munus quodcunque dent, in vsu est vt alacriter recipias: nam si (munus illud) sit quale mereris, gratiæ & existimationis testimonium (est,) si minus, ac leue, restatur se velle tibi debere. Atque ideo, qui volunt vt accipias munus, mittunt, aut dant: inurbanum est autem non recipere: & legem in huiusmodi, quod huiusmodi, quod humana res sit, vsus facit, ac finit. Si vero pecuniam proponunt, quia officij magnitudinem æquare student, illud vero incertum. Accipere ab huiusmodi, rusticum habetur: quo fit, vt retinere cupiant mercedem, seu à se seu ab aliis debitam (quando) illorum medio ipsi dant: quod perinde est (nisi pauperi dent, & omnino egenti, aut emptionis loco) ac si nil darent, offerrentve. Dare enim sic, vt ob morem accipere non possis, deterius est, quam non dare, hac in caussa, quod vbi renuas amplius sperare non potes. Hac in parte melius est, quod indigenti licet accipere. Ob id etiam qui accipere cupiunt, non ipsi accedunt, quum numerandum sibi preuident, sed neque per suos suis, nisi se coram, dant, si res magna sit, quoniam multipliciter & illis gratia, & tibi vtilitas perire potest. Ergo vel illi tuis dant, idque minus ciuile tibi, non illis, aut quod optimum factum est, per suos tibi mittunt. At vero hoc, vt est maxime vrbanum ac decens, ita periculosius est, quam si illi tuis dent. Quod ergo honestius est, ideo minus tutum, quod tutius minus ciuile. Nam quum pecunias, (quas) ad te detulerint, occulta quasi manu tradant, vbi recognoueris, rusticum (etiamsi minima sit) est eam reddere postquam acceperis, si retinueris, & auaritiam sine fructu, & contemptum tui fateberis. Ob hoc qui cupiunt vtrique satisfacere, quoniam libenter dant, iubent ministros, vt pronuncient quantum sis accepturus: nam & recipere liberalibus verbis licet; & renuere, salua prorsus existimatione. Melius igitur, quia tutius, tuos ad illum mittere, specie officij: nam retinere potes, sine pudore, & remittere pro arbitrio (etsi pauca sit) absque læsione existimationis, modo statim, tamquam nec accepturus quantacumque fuerit. Quod autem præstantius, vt nuncius tuus, si viderit minorem iusto esse pecuniam, dicat: Ego libertatem accipiendi pecunias vllas à te non habeo ab hero meo, nihilominus, postquam iubes, ad eum illas referam: nescio an recepturus sit. Tu vero, tamquam te inuito receperit, increpitum remittes. Quod si postmodum mittant, non autem tunc dent, nec quanta sit, prius dicant, insidiosum est. Tunc igitur vide an coniectari possis de paucitate, vel quantitatis ratione, vel quia cognoscas argentum esse quod offertur: si non dicas, te donare illi, tum nuncius instabit, vt accipias: quia, si paucum est, velit te accipere, vt irrideat, si multum, vt splendidus & magnificus videatur. Tu ergo accipies, his verbis: Mihi animus erat non accipere: sed postquam me cogis, accipiam, eâ conditione, vt & ipse nostra non reiiciat. Tunc, si dignum est te munus, multis verbis, vbi occurreris, cum ipso age, illius humanitatem liberalitatemque testatus: si indignum, tantundem aut aliquanto plus in munus expenso, illud ei mitte. Perurbanum est hoc, graue, & amarulentum. Nam quidam, quibus talia licent, pecunias eiusmodi contemptim & palam inutiliter consumptas spargunt. Sed hæc ignominia non carent.

Quum negare vis aliquid, (quod omnes norunt) blandis verbis vtaris. Si licet, ostende non posse, si non, omnia pollicearis, præter illud. Spem propone, aliquando facturum. Quidam etiam petunt tempus, tamquam aliud expectent, & statim mittunt. Nuncius postmodum facit excusationem, referens, illos non potuisse. Atque ita denegatio beneficij in alium transfertur. Nostra ætate consueuerunt polliceri: postmodum languescunt sensim: quod turpe est, & odiosum.

CAPVT XCVIII.

De negotiatione cum minimis.

NEc te inferiores prosequaris verbis, accusando, quum (præter officium mali viri) dedecus tibi, gloriam illi, pariturus sis. Videbetis enim inuidere eis, aut forsan aliquid esse existimare: te vero maledicum ostendes. Proximius rei est, vt magis ciuile, ac synceri speciem referens, malefactum narrare, quam honestis verbis suggillare. Vbi ergo noueris, gloriæ tuæ quemquam insidiari, atque tibi ex professo

professo aduersari, si minore fuerit conditione, atque existimatione, sufficiat, occasione adueniente, vno verbo illum euertisse: Velut, Quod equo sit similis, aut stultus, aut litterarum & artis imperitus. Ita vno verbo omnia comprehendentur. At si æqualis est, aut maior, nimis petulans est huiusmodi accusatio: sed sufficiat ex latere illum petere: vt, Quod misere in eius manibus aliquis obiit; aut, Quod inuidia numquam perit, aut, Prodeat [vel prodat,] si quid habet tam egregium: Non artem callere: Extra artis limites eum agredi. Longior sermo de alio, vt quivis de te ipso, reprehensione non caret. Verum grauitas summa, cum peritia artis, & diligentia singulari coniuncta, his argutiis non indiget: sed sufficiat subrisisse. Si iudicium de æmulo non vulgari auctoritatis exigant amici inspecti, medium laudabis, quod sit animosus, & factum dictumve carpes, quod defendi non possit.

CAPVT XCIX.

De negotiatione cum incognitis.

CVm incognitis non est tractandum, & maxime de rebus magnis, nisi intercedente persona cognita. Quoniam tamen, dum in nouam regionem venis, multi quandoque veniunt salutatum, maxime si personam publicam agas, non solum vitia, sed suspicionem vitiorum, nec solum opes, sed opum opinionem abscondere oportet. Si malum nouum [aut nuncium] potenti afferre cogeris, ne imprudenter aut inopinato illud afferas: (nam pluribus hoc exitio fuit:) sed vultu ad rem composito, meditare, expectans vt te interroget. Vbi id egeris, velut Parisatidi Artaxerxis matri apud Phaleræum, aliquid propone secundum virtutem. Vt enim acria amaritudinem obtundunt, ita luctus, generosorum facinorum commemoratio. Etenim ille ad eam, Vicit Cyrus. Cui Parisatis, Quid de Rege? fugit. Cyrus vbi nunc est? tum ille, Quo loco fortes viros esse decet. Si quis amicus non est, & præsentia sua te grauat, velut apud Horatium, in Satyra illa, *Ibam forte via Sacra, sicut meus est mos*, cum ablegabis silentio primum; aut modeste, vbi dixeris scire illi esse negotium: quod si non assentiatur, finge cum domesticis secreta colloquia. Demum, quum etiam hæret, simulata necessitate discedas, tamquam rediturus: inde paullo post per puerum mone, superuenisse negotium longius: itaque tunc discedere posse, alias meliore occasione rediturum. Quod si amicos adsit cum importuno, vtroque emisso, amicum per nuncium monebis, vt statim redeat. Sed si incognitus, aut parum tibi familiaris, munera sæpius tibi mittat, scito primo cuius sint, & qualis ille sit, inde an inuidia graui, aut inimicitia laboret. Quod si sine beneficio, vir minime malus, munera mittere consueuit, aliquid à te petiturum scito, aut amicitiam communi bono inire cupere; at si auarus est, ne cuiquam horum fidem præstes: nam inter duo mala versaris, vel vt delusus, damno simul & dedecore afficiatis, vel vt seruata fide, debeas ex eo ipso, quo tibi debere cogebatur. Referunt tamen Saladinum Ægypti Regem aliquid tale erga captiuum Imperatorem Germanum fecisse, dum pignore sacro illum dimisit. Sed non à Principibus (io quibus potentia eminet, & gloriæ amor non solum inualet, sed etiam illis magnum cedit in commodum) priuatorum viuendi institutionem sumere debemus, so quibus inopia sæpe etiam premit. Si ignotus, nomine viri potentis, amici, & cui debeas etiam, præcipue iracundi, & quasi pericliteturr, te rogauerit (nam & hanc caussam sycophantæ non prætermittere solent,) vt, si neges gratiam ne amittas amici, periculum sit; si facias, officium delusus incassum præstes, idcirco in huiusmodi syngrapham, aut symbolum illius require. Vel enim desistet, vel si afferat adulterinam, irritus voti, periculo se exponet. Ostendes enim illam amico, qui eam norit. Sed si tibi notus sit, & illi familiaris, & res non leuis, alacriter suscipies factutum: interim mittes qui moram excuset, non interroget, an miserit.

CAPVT C.

De communi sermone, laudeque propria, & suorum, & scommatibus.

AT quum necesse sit miscere sermones, communibus vtendum est. Ita nec de te tuisque, aut rebus negotiisve [tuis] quicquam dicito, nec de publicis factis; periculosum enim est Deos tangere: nec de ciuium moribus: quos si vituperes, in periculo es; si falso laudes, adulatoris aut imprudentis opinionem præbes. Communes igitur sermones sunt de temporibus, de itinere, de situ vrbis, de amico aliquo communi, de externis bellis, de morbis qui vagantur, de morte Principum, aut nuptiis, de rerum pretiis, de Magistratibus, qui sint, quam habeant potestatem, an sint perpetui, de domibus, &c, si paulo familiarior sit, an habeat filios, de studiis. Caueas, in loquendo, ne faciem inflectas (quod multi faciunt,) sed directe inspicias: nec nimis elata nec submissa voce loquaris: tum etiam ne rideas: tamquam insanus, aut irrisor. Nemini appropinques ore: neve os fœteat. Prooemio commemorationis rei generosæ, aut nullo, vtaris.

Accidit & in communi sermone, vt nostraque laudare, aut alios laudantes audire contingat: quæ quidem tam multipliciter diuisionem recipiunt, vt difficile sit recte explicare, quid conueniat: adeo vt Plutarchus, qui accurate & ornate (vt solet) de laudando se absque inuidia scripsit, multa omiserit, quæ ad rem pertinent, nec in eo quod amplexus est, omnia recensuerit, ac ne maiorem quidem forsan partem: in quo tamen non solum venia dignus est, sed laudem promeretur, quod de his quæ tractauit grauiter disseruit, quæ omisit, ob multiplicem nimis diuisionem eorum, illa eum subterfugerunt. Oportet autem non simpliciter de vnoquoque agere, (nam sic repetere multa cogeremur,) sed communiter primum quæ possumus quam maxime amplecti, inde ea quæ sub his non comprehenduntur, singillatim.

singillatim. Quod si quædam sub communi diuisione comprehensa, etiam singulari regula indigeant, aut sub pluribus communibus contineantur, in primis quidem adiecisse quod deerat sufficiet, in his simpliciter & communiter de vnoquoque dicendum erit: neque enim erit repetitio, quum non eadem, licet de eisdem, dixerimus. Igitur primum duo illa supponere oportet, quod non de Natura aut Diis hic agitur, de quibus certa habetur tractandi ratio; sed omnia ad ciuilem normam sunt referenda: quod etiam bene à Plutarcho animaduersum est. Secundum, quod qui audiunt, delectantur, vel quum ea quæ ad ipsos pertinent bona, aut quum mala de aliis referuntur, aut condiscunt aliquid: hoc enim inter vtilia; illa inter iucunda numerantur. Quæ igitur ad laudem tui tuorumque pertinent, cæteris audientibus odiosa per se sunt, nisi quatenus tibi coniuncti sunt sanguine, aut amicitia, tanto difficilius, si ab his proferantur quos existimemus indicio falli: hi sunt qui suas proferunt, laudesque suorum: nam eos φιλαυτίᾳ facile decipi verisimile est. Suorum triplex est genus: inanimatorum, seu animatorum, rationeque carentium, vt equi, tabulæ, viridarium: aut ratione præditorum, vt famuli, pueri: aut intimorum, inter quos præcellunt filij, vxor, parentes, & fratres, hos honestius, quam te ipsum, laudaueris: adeo vt si communem tui tuorumque laudandi formam serues, in his peccare non possis, in te ipso autem possis.

Indicium autem magnum inepti sermonis, qui est de se suisque, præbet ipsa confessio in tormentis, quæ per vim exigit facta nostra nostrorumque. Verum quum in aliquibus casibus sit potius necessaria, quam honesta, communis regula est, primum vt loco & tempori seruias, & personis, vtpote quum neque sine caussa, neque eorum æmulisaut inimicis, aut qui te irrident, nec apud Principes (apud quos nec os aperire fas est, nisi interrogeris) nec apud viles personas, aut stultos, aut in sermone de festis rebus, aut in luctu, in magnifice gaudiis, aut vt abrumpas inchoatum sermonem, & præter reliqua vt quasi vocatus ad hoc venias: inde modeste ac moderatè, tum grauiter atque paucissimis verbis, ac quasi imminuendo proferas. Velut si quis dicat, Audiuimus quod filium egregium habeas; responderisque, Certe pro temporum horum conditione non malus est: aut si dicas, Animum saltem bonum habet, vel satis probus est. Huiusmodi laudatio, quæ magis in innocentia posita est, quam gloria aut virtute, vitio caret, & libenter ab omnibus excipitur. Ergo primum habendus est delectus personarum, inde loci & temporis, inde occasionis, post eorum quæ dicuntur; demum quomodo dicantur. In audiendo autem quæ alij de te dicunt, aut tuis, tutior est occasio, nisi multiplex metus obstaret, adulationis, irrisionis, aut inuidiæ. Atque hæc generaliter de his dicta sunt.

Porro de singulis in communi hæc accipe: ignota omnibus, vel etiam apud ignotos, vel vt æternitati commendentur, vel ad exemplum eorum quos instituere conuenit, vel in magnis periculis, vel ob Reipublicæ beneficium, vel ad leuandam calamitatem, præsertim communem, prædicare licet. Quumque septem sint casus, in vno duntaxat, scilicet apud ignotos, magna necessitas id agendi exigitur, in aliis conditio ipsa pro necessitate habetur. Nec tamen ita intelligendum est, vt vbique & apud quoscunque id liceat, absque discrimine vllo, sed semper seruatis his conditionibus quas dixi, nec ita vt omnes sint necessariæ, & si non adsint, id non sit peragendũ: sed sic statuamus, vt quum necessario peragẽdum commodiores personas, loca, tempora, occasionesque eligamus ad id agendum. Principio igitur dictum est, quod quæ nobis nota sunt, (etsi ad laudem pertineant,) quum per nullum alium detegi possunt, propalanda sunt, si ad laudem pertineant: nam aliter sciri non possunt. Si igitur vitia sunt occultanda, quæ ad virtutem aut diuinum fauorem (qui maior virtute est) pertinent, erunt detegenda. Sic suum Dæmonem Socrates (in eiusmodi & sapientissimus & continentissimus) reuelauit. In Reipublicæ etiam emolumento, & æternitatia commendatione, magnitudo rei tollit vitium, si quod sit. Vtuntur tamen occulta quidam insinuatione, vt scilicet significent domesticis: alij confitentur interrogari, non dicunt: quidam scriptum relinquunt, tanquam memoriæ causa, atque sic laudant se tacite: neque enim parua laus est, talia ab eo conseqni. Verum, vt video, vbi vere id referamus, nil honestius simplici & spontanea confessione. Nam non solum id Socrates, sed & Synesius, & Dion, & Iosephus, & quotquot habuerunt tale donum Genij, sponte testati sunt, neque venite forsan dignabitur ad illum is quem puduerit testari illius beneficium, aut per ambages, qui simplicissimum donum sit consequutus, aut obscure, qui clarissimum. Itaque de diuinis alia quam de humanis si statuat, non erit reprehensione dignus. In reliquis etiam omnibus est modus insinuationis, quum quasi irati, & iusta indignatione coacti id agimus: aut si per aliquem inchoetur laus, &c. iniciat autem desiderium sciendi audientibus. Velut si dicat quis, te non audiente, quam egregiam rem, aut claram, aut quam vafre dolum excogitauit, vtriusque nomen referens: Princeps autem, aut alius, à præsente te quærat, quomodo acta ea res sit? Verum in institutione, & ad exemplum tuorum nõ huiusmodi indigebis, neque modestatione, aut modestia, aut loco, aut tempore, aut breuitate: sed, vt B. Paulus dicebat, Vrge, increpa, adeo vt aliqui existiment mendacium sibi licere. In cæteris casibus importuna laudatio impudentiam arguit, quum etiam soleamus verecundari, si ab aliis nobis præsentibus laudemur, iniquitatem, quum aliorum officium præripiamus, & inuidiam, si alios præsentes non etiam laudemus: aut si laudemus, adulationem. Ostendi, præterea deesse tibi amicum, si non habes alium qui te laudet, aut iudicium, si quum possis laudari ab alio, vis à te ipso potius; vel falsam esse eam laudem. Secus ergo importuna laus non solum sui, sed etiam suarum rerum tædium non solum, sed etiam fastidium affert, iuxta illud Flacci in Nasidienum:

Suauis res, si non caussas narrares earum, &
Naturas dominus: quem nos sic fugimus vlri,
Vt

Vt nihil omnino gustaremus; velut illis Canidia afflasset, peior serpentibus Afris.

Specialiter autem, quum è te oritur laudis occasio, vt quum factum damnant, vel si falsi insimuleris, rectæ administrationis testimonio in hoc genere mentionem [laudis tuæ] facere licet; tum maxime quod [hoc] ad innocentiam pertineat: si ignorantiæ, ex finis laude: si de iactura, recensere quæ bene gesseris, atque extollere. Secunda ratio est, quum in aduersis quasi cum Fortuna dimicare cogeris. Tertia, quum vel patrocinium à Deo, aut societatem cum audientibus sumimus. Velut illud Ciceronianum: *Vestri enim pulcherrimi facti furiosus illi me Principem facit.* Quarta, quum si rem ita deprimas, aut obscures, aut eleues, maxime errorem confitendo, vt minime inuidiosa fiat: Vel si labores & vigilias & iacturam addas, aut casus aduersos. Laudatur illud Vespasiani triumphantis dictum: *Merito plector, qui triumphum, quasi aut maioribus meis debitum, aut tanquam mihi speratum, inepte concupiuerim.* Sexta, quum ad retundendam falsam aliorum laudem, aut immodice auctam, ad id cogimur. Demum quum ad comprimendam licentiam, velut illud Aristotelis Alexandro: *Non solum qui multis imperant, eas decet esse elato animo; sed etiam qui vera de Diis sentiunt.* Et illud Agesilai, de Persarum Rege: *Quid me ille maior, nisi etiam iustior?* Et si re humanitatem testeris, & quam de te humilirer sentias: vt Agathocles cum suis figulinis vasis, quod figuli filius fuisset.

Est laudandi genus aliud, per insinuationem, à comparatione similis; quem landas in re, qua tu præstas, vt etiam, si concurrorem, vel si alium ex re deprimis. Nam laudem ex alterius infamia quærere, non solum mali viri est: sed etiam inciuilis.

Quærat quis forsan, quid commodi in propria laudatione, præter aliorum [molestiam?] nullum in ipsa laudatione; in materia autem, ex qua laus sumi potest, scilicet actis, rebus ipsis, vitæ cursu. Primum, quod rem integre solus ferme narrare potes, Secundum, quod quæ coniuncta sunt caussæ, & in rem tuam non faciunt, tu solus etiam commode prætermittere scies. Tertium, quod tibi narranti maior fides habebitur, si ita te comparaueris vita, sermone, ac moribus, vt illam promoneris. Ob quæ contingit, vt & Oratorum, & Romanorum Ducum non aliæ existent laudatoriæ orationes, quam ipsorummet: velut Demosthenis, Epaminondę, Ciceronis, Catonis, Scipionis, Annibalis & aliorum.

Vt vero in reliquis casibus omnibus importunæ laudis occasiones deuires, cum bene cultis hominibus, & minime nugacibus ac petulantibus versare. Non inuideas, non ambias, non irascaris, non adeas potentes: Contemplare alios, qui se laudant, quam inuisi & ridiculi etiam sint apud domesticos. Memento illud Demosthenis: *Qui seipsos laudant, auditores molestia afficiunt: & vt ipsi ab aliis tales existimentur quales volunt, non efficiunt.* Vorum vt apud sapientes & prudentes viros hæc non solum vitiosa sunt, sed de existimatione minuunt, ita apud plebem sæpe expediunt, & vtilia sunt: adeo vt viri plures virtute & gloria insignes, dum sapienter apud stultos agere volunt, contempti vixerint, & aliis longe inferioribus cesserint.

Quod vero magis refert, (quoniam non in tua est potestate, & sæpius accidit) est vt lauderis ab aliis, quum tu ipse præsens sis. Tum vero animaduerte quis sit qui te laudat: aut enim inimicus est (nam & æmulus, qui id agit, inimicus iam est) aut adulator, aut amicus simplex. Si inimicus est, dicas, Hanc laudem non quæro, neque ea indigeo: quæ si falsa est, ad me non pertinet, si vera, iam me antea scire oportuit, vt audire eam ab alio non expediat. Si adulator [sit, qui te laudat,] capite concusso dicas. Si non adessem an tu ista diceres? Si dicat, Sic; dic tu, Cur ergo non exspectasti? Sin amicus te laudet, dicito; Ita me laudato, vt ea laude existiment te mihi amicum talem esse, qualis tu es. Ita audire laudes suas non decet, vt vix à mox discessitro, aut apud discessurum. aut non ex composito, sed obiter ab indignante, quum periclitatis, [tolerandæ sint.] Verum & horum omnium ratio eadem in Epistolis conscriptis conscribendisve habenda. Nec illud tibi faueat, quod Epistola non erubescit.

In conscribendis autem libris duplici genere laudationis vsi sunt. Quidam manifesto minusque honesto, sed non adeo inuidioso, vt seipsos laudarent, velut Cicero: alij honestiore, sed inuidioso, scriptores cæteros damnando, velut Aristoteles, Galenus vero vtrumque, (ne erratet in lectione) complexus est: nam & semetipsum laudat, & alios damnat.

Rursus in familiari inter duos, secretoque sermone alia consideranda sunt. Primum, si ad actiones dirigantur, (quod de duobus dico, de omnibus dico,) quum consilium initur, licet laudare seipsos & prudentiæ & fortitudinis: focus, res ipsas narrabis vere, iudicium alteri relinque, si te laudat, considera personam, & vt erga te affecta sit, & finem. Maiores enim laudando hortantur: Et laudari ab inferiore, quum porens sis, & ille amicus, ad idem pertinet. Reliqua pro ratione. Sed hæc magis ad institutionem. Publica [laus,] & inter multos, magis turpis, si ex te prodeat: aut odiosa, si ab alio.

Illud etiam inter loquendum obserues, vt neminem docere velis, nisi eos quos instituendos suscepisti, aut amicum singularem: aut ea in caussa, in qua necesse est id facere: imo nec cur dixeris, nec cur facias, reddas rationem. Aut enim videberis velle illis esse præceptor, tamquam pueris, aut ab auctoritate tua tecedes. Aut postulantibus, quibus è refua est, & sapientibus rationem reddere conuenir, ne errare, vel fallere illos te, credant. Quod si aliquid dixeris noto vel amico circa suos mores, vt sinistre interpretari possit, velut quum iniuste premitur, quod violentus sit, nulla cura melior, quàm qua vsus Annibal Laurea Bono mensis mecum: Hoc dixi, inquit, quia etiam ego talis sum.

Epistolas autem conscribere decet materna potius lingua, quam Latina, tum ob affectus linguæ semper congruentes, mores, titulos, consuetudines, ac res; vt difficillimum sit, ista recte Latine scribere. Melius est autem multo,

recte

recte & ornate ac faciliter scribere in propria lingua, quam contrariis rationibus in aliena. Excipiuntur ab hoc munere professores linguæ Latinæ: tum, quum de interpretatione antiquorum librorum, seu Græcorum, seu Latinorum agitur, Græcorum quidem, ob maiorem affinitatem, Latinorum autem, quia eisdem cum cogitationibus atque imaginibus explicari debent aut referri, cum quibus conscripti sunt: tum quum antiqua narramus, gesta, quorum artificij Latina lingua nomina exquisitiora habet. Liquet igitur quam multipliciter peccent scriptores nostri temporis, maxime circa secũdum, quum ex Græcis Italica faciũt.

Consilium ne dederis nisi petentibus amicis, aut his qui sub tua custodia sunt, vel quum particeps fueris negotij, ita vt error etiam redundet in te.

Et in familiari sermone scommatum vsus (odiosus est,) qui etiam in Cicerone vitio vertebatur: adeo vt numquam nisi lacessitis conueniat. Eorum vtilitas [tamen] est, obscure, quæ parum honeste dici possent, & breuiter, quæ longo sermone indigerent, vti minus ciuile esset, significare: & quum ex responso captamus negandi occasionem, velut Vasco cænans in caupona, superuenientem Hispanum interrogauit, quomodo ille vocaretur: Quumque ille respondisset, Alopantius Ausimarchis Hibertus [Loper] Alorehides, inquit Pyrenæicolus, Profecto quinque [vel tam multis] equitibus hic anatriculus minime sufficere potest. Rursus in eos, quorum nequitiam comprimere e re est. Demum, quum simul excusare & accusare & indignationem ostendere propositum est; quum sit Laconismus cum affectu, & eo solum differat apophtegmate. Velut quum Mediolanenses adolescentes, iuri operam dantes, impulsore magistro Apulo, alienati animi essent à me; & inter ipsos orta seditione quidam essent vulnerati, interrogantibus quibusdam, an illos curarem, respondi: Absit, vt quum omnia illi contraria ratione agant, imperitissimum me putarem, si aduocassent. Ob id occasio obseruanda. Consequuntur ad hæc delectatio & voluptas; & ex ea conciliatur amor, & vt fiat fauorabilis causa. Vnde non nisi apud Principes aut Magistratus, aut saltem potentes eis vti debemus, & maxime in causa inclinata, nec admodum graui & odiosa. Ostendit autem acumen ingenij, & inopinato (ob breuitatem, in qua nimis multa continentur) percellit garrulitatem hominis, & confusum illum relinquit. Propterea [scomma] tale esse debet, & parua eum mora.

Quomodo autem ex verbis mores deprehendantur, supra dictum est. Memento etiam verba ad homines comparanda: esseque vt cerusam in derasa charta: quæ si digito leuiter affricto sæpius adhibeatur, lacrymam superat iuniperi: nam flos tantum adhæret: quod si digitum compresseris: vel in tangendo cerusam, vel chartam, diluitur attamentum. Ita si excusationem amico prudenti proposueris facti ac que errati, illum tibi amicum seruabis, si simplici vel stulto, tua venia reddes insolentem: vt si aliquid rescripserit, & male, sufficiat dixisse, Multos admisisti errores. Persæpe etiam contingit, vt de aliis tibi similibus quærant: vt, si Iurisconsultus sis, Quis optimus in vrbe sit Iurisconsultus? Huic interrogationi non vna conuenit responsio, non est enim vna interrogatio. Sed si qui quærit, iam tua opera vsus est, fauorabilis est, ac perinde si requirat, Cui sub tua fide credere non debeo? Propone ergo ribi amicissimum ex optimis. Sin autem non est vsus opera tua, multa ex hoc dicto condisces: Primum, te apud illum nullius pretij esse: Secundum, summam in eo arrogantiam, aut quod stultum (te) putat, qui velit vel cogere, vel ob simplicitatem, tibi imponere tentet, vt landare alios velis in arte in qua tu cupis esse primus: Tertium est, quod hic vir aggrestis est: neque enim quantumvis superbus, tantam tibi inferre iniuriam tentabit, nisi omnino etiam rusticus fuerit. Nisi ergo Princeps fuerit (qui te interrogat,) pessimum & contemptissimum in ea arte præferes; eumque summis laudibus ornabis. Sit autem contemptus, vt prælato eo nullus ex aliis, qui digni sunt, sibi prælatum nisi peiorem existimare possit. Si autem qui rogat Princeps est, lauda tibi amicissimum, & quam tarius potes, ad illum accede.

Pessimi quoque animi indicium est, & fraudis non vulgaris, si quis apud discipulos professorem, vt bonum medicum; apud imperitos, vt professorem, aut disputatorem laudet: vt si calceos manibus aptet, pedibus chirothecas; namque quanto magis effuse laudat, eo plus detrahit, quum, si posset alia in re laudare, facturus omnino videatur. Amici est, tantum laudare id quo illum possis apud eos iuuare: est enim illud bonum, & valet in omnibus: reliqua ad odium aut impudentiam pertinent. Ita quandoque vituperamus, vt fides laudi habeatur. Vt verò omnibus placeas, non tibi seruiendum, sed audientium auribus. Id verò præcipue in potentibus obseruandum. Sunt autem potentes quatuor generum: vel amicitia Regum, vel sacerdotio, vel bellica administratione, vel opibus hereditariis, aut fœnore paratis. Omnibus grati sermones in genere sunt, de opibus, potentia, & voluptate. Sed de voluptate eduliorum, quum alia aliis sapiant, perpetuus, sermo esse non potest: Venereorum fœda altera commemoratio, altera non sine iniuria earum quas pro amicis habemus. Ita res ad vinum & aleam, tum ludos seu pompas deducitur. Alea etiam non omnibus placet, & pompa iuuenibus gratior est. Specialiter ergo hæc consideranda sunt, ratione personæ. Distinximus autem in quatuor, & cuius sit ille, aut illi, & ætas, inde proprij mores. Nam milites violentis & apertis magis gaudent, sacerdotes de occultis, & his quæ damnari non possunt, etsi reprehensione non careant, Principum amici de rapinis: (nam luxus & prodigalitas omnibus communes sunt:) opulenti laudant vt opes extollantur, & omnia his posthabeantur, oderunt laudem omnium aliarum rerum: Barbari de vitio, (vino) pugna, libidinibus, rapinis. Vnaquæque ciuitas (& ætas) suos mores habet. Cum senibus, de sapientia & prudentia, cum iuuenibus, de robore ac libidine; cum adolescentulis, de humilibus rebus, & iucundis, de prodigalitate

(sermo sit:) vt & apud senes de lucro congregandis opibus. Singulorum autem moribus se accommodare facile est, intelligere illos, difficilius: præscribere nulla ratione licet.

Quum vero familiares adolescentes, qui ratione non persuadentur, admonere velis, vt simul auctoritatem retineas, & animos illorum percellas, scommatibus vtendum est: velut si dicas, Papiliones pro auibus aucupamini, id est, nullius pretij voluptates pro veris. Similiter quum simul redarguere & excusare se, propositum est: velut obiicienti quod errassem in prædictione, dum essem cum alio medico, respondi, Mirati si quicquam cum illo recte agi potuisset.

Maxima autem pars sermonis communis dirigitur ad tentandum animos, ad dignoscendos mores, ad animum erga te, ad facta tua, quanti te faciat. Ergo & dam simul, & non accipire. Id autem maxime contingit in nugis, in incredibilibus, in repetitione, in importunis quæsitis, in laudatione tui ipsius. Intelliges autem dolum, quum ad hominis mores & consuetudinem talia contuleris: & si potentior est. Sin autem contra, periculosum, licet callidum, consilium. Quum vero verba & actiones omnes ad vtilitatem aliquam sint, & alicuius finis gratia; vbi non sit spes, si non omnino (loqui) necesse sit, silentio vti melius est; quanto magis, si offenderis audientes, aut existimationem tuam. Propterea maxime dignosces, an (loqui) expediat, ex duobus, vt mores illorum & personas dignoscas, tentaueris; alias, quæ maxime oderint, aut negligant, aut quibus delectentur: Alterum est, in ipso statim ingressu, ex attentione: contra, si dormitauerint, si inter se loquantur, si interturbent, quod fœdissimum est omnium. Ob id diligenter animaduertere opus est, quam grauiter ferant sermones tuos, aut auide excipiant. Quod si diuisi sint, tunc in contentioso certamine (versari) necesse est, in aliis, excusatione præmissa, silere melius.

CAPVT CI.

De Epistolis conscribendis.

PRoxima sermoni familiari Epistola est, de qua tametsi superius (cap. 54. 80. & 81.) sed breuiter, & id De conscribendis libris (verum ad alium finem) sermonem habuerimus, hic tamen locus est vt tractemus: quum nil aliud sit Epistola, quam sermo manens, & ob id diligentiore cura indiget: & ex dictis, quum iam sit sermo scriptus, & ad absentem, perfectior sit oportet, quoniam satisfacere debet tacitis etiam interrogationibus: & ob id breuior sit, quum etiam prolixitas in sermone (in quo nullus est labor, sed solum auditui danda est opera, in Epistola vero legere oportet & intelligere) fœdium afferat. Quapropter & pulchra scriptura esse debet, ne laborem labori addat. Est enim impudentis animi, aut nimium insolentis, scribere dubiis notis. Tum vero quæ non obiicit, ita sicco pede transire decet, ne frustra adiecisse verba videaris, aut instruas illum contra te. Forsan, si dubium est, prætermittere omnino melius est, & ad dilemma reducenda sunt, quæ scribuntur, nisi existimes aliquando tibi opus esse altercatione ante iudicem. Vnde tum quum proficere non posse speras, stultum est admonere, in quo ne tempus [quidem] habeat cogitandæ responsioni. Et certe, vbi prætermittendo & obiiciendo, par periculum videatur, tutius est prætermisisse. Atque ideo multi prudentes litigatores, robustissimas rationes improuiso obiiciunt, & quum iudex sententiam ferre vult, vt vtrumque incautum opprimant. Sit ergo lenis Epistola, & grauis, iuxta mores temporũ, & vsum. Nihil tradas literis, quod etiamsi cadat in manus inimicorum, probari non possit. Sit connexa, ne negligenter scripta videatur. In vniuersum enim nihil facilius est, quam scribere Epistolam, quod illa sit varij argumenti, breuis, & diuisa ab aliis: vt ob argumentum nunquam possit deesse materia, ob breuitatem, quilibet stylus, quælibet sapientia, quoduis tempus sufficiat, siue interrupta sit, siue continuata. Possumus de emptione, agris, magistratu, & morbo disserere: at quid magistratui cum agri emptione, vel morbo? Ita non solum facile est, conscribere Epistolam & Epistolas, sed consarcinare librum. Quanto magis, qui argumenta conficiunt, non sequuti sunt, sed fingunt, vt sæpius Cœlium Plinium fecisse crediderim, &c. At contra difficillimum est, conscribere bene Epistolam, vt vix ipse post tempus tu approbes. Primum quod ea soleant, homines prodere arcana mentis suæ: hoc autem quantum vtile vnquam esse possit, non dico. Deinde quod ille, cuius mentem primum nescias, etsi scire possis, mutari potest, ac postea, si non recte sentias, damnet [te] & irrideat, ita vt alterum duorum incurras, scilicet vel insulsi vel improbi hominis opinionem, & etiamsi recte sentias, non ille tamen probet. Neque enim quod iustum est, vel optimum, probant, sed velut in vinis, aliud dulce, aliud potens, aliud austerum; & quidam cæpas præferunt carnibus & ouis, ita de iudicio. At qui librum omnibus conscribit, modo recte sentiat, necesse est vt quod bene scripserit, multitudini tandem probetur, & qui aduersantur, inuiti trahantur in sententiam. Est & temporum mutatio, qua quæ [olim] probabantur, damnari solent. Scribis amico, qui nuper è carcere exiuit, Epistolam omni arte, in qua vniuersos neruos rhetoricæ exprimis. Quamdiu species illa deformis carceris, oculis obseruatur, dum illuuies, dum tristitia, maxime probatur, laudatur, placet gratulatio: Vbi tristitia illa euanuerit, [si] incidat in manus Epistola, tum secum ait: Cui bono iste hæc scripsit? Si non ob crimen carceri intrusus est, inquit, Quid attinet vt odiose criminis memoriam, & quod vellem ego & ipse (si mihi talis amicus est, qualem se præfert) exstinctum, foueat & suscitet? cui bono? quid hoc ad alium attinet? Qui vero sibi iniuriam factam putat, secum reputat refricari iniuriam, cui ipse causam nullam dederit, & dedignatur meminisse iam acceptæ. Sed & illud difficillimum est in Epistola, scilicet dicendis & metæ præfigere clauum. Sæpe enim quæ dicimus, aut contra propositum sunt, aut alia ratione in contrarium & aduersus nos facere possunt, aut inimicos efficere: vt si [quem-

piam]

piam] velis laudare, quod seruauerit hominem, omnes illius amicos primum vitupèras, & inimicos reddis: fieri etiam potest vt ingratus videatis, quum ex illis te vocauerint aliqui [ad cœnam, vel ad ægrum, &c.] aliqui laudauerint: certe omnes teddes ex amicis inimicos, ex inimicis inimicissimos. Ita difficile est sua narranti modum seruare; vt (velut ille aiebat,)

Dicenda tacendaque norit.

Demum illud accidit pessimum in Epistola, quod pollicendo, damnando, laudando, auersando [vel aduersando,] in posterum negotiis tuis & occasionibus magnum impedimentum affers, aut vanus omnino deprehenderis: quæ in sermonibus non sunt adeo periculosa; quum verba, vt Homerus dicebat, (alata sint, &) euolent. Quamobrem in Epistola scribenda non solum exigam vt quis valde considerate agat, sed etiam vt circa generalia versetur, & sermones bene conditos solum inserat. Quod si cura aliqua laudis tuæ significandæ te pungat, [tamen eam prædicare] vetaria: si ea enim fuerit [digna relatu,] honestius multo, & maiore cum auctoritate ab aliis spargetur. Nec te moueat exemplum Ciceronis, quod fecerit hoc: sed vide quantum ob id improbetur; & quanta illi damna hoc attulerit. Demum memento quod mori potest [ad quem scribis,] & omnia in inimicorum transire potestatem; etiamsi ille, qui mille modis delinquere potest, in nullo delinquat.

Quum ad Principes Epistolam dirigere velis, oportet vt ex initio illum ad legendum inuites; velut si dicas: *Etsi inter amplissima negotia, & ardnas ac pene infinitas occupationes tuas, (ô Clementissime, &c.) locus nullus tam longæ Epistolæ legendæ (qua etiam priuatis [viris] fastidio esse possit) relinquatur, humanitas tamen illa tua singularis, præsertim in eos qui non solum iniuste, verum miserabiliter, & ad extremam vsque calamitatem opprimuntur, spem addunt, vt Epistolam hanc (qua longior videri possit) sub libelli parui forma oblatam, legas. Non autem requiro vt simul totam legas, sed ipsum libellum, etiam in partes minutiores diuisum, per interualla. Si enim neque legendo, tadio afficieris, neque abiiciendo, addictum tibi hominem, & qui non nisi in iustitia & humanitate (tua) spem habet, tamquam feram canibus dilaniandam relinques, vt non solum me miserum, imbellemque meam stirpem euertant, sed (insidioso exemplo) bonos omnes & impotentes perterreant, & auctoritatem tuam ac sanctitatem ludibrio habeant. Scimus etiam quoscunque bonos Principes, & quanto maiores fuerint, tanto humanius supplicum subditorum porrectos libellos legisse: vt sic agendo non solum miseris succurreretur, sed etiam labor ipse minueretur. Nam quum intellexerint subditi, Principem velle videre, quo modo res subditorum agantur, carabunt iudices, ne sua caussa patiantur (huiusmodi) libellis optimi Principis laboriosam vitam onerari. Atque ita tranquillior redderetur administratio. Sic (fecit) Augustus olim, sic Traianus, Adrianus, vterque Antoninus, Alexanderque Seuerus, quotquotque alij Imperatores: qui ob tam insignem humanitatem pro Diis habiti sunt, quod hoc ipso præcipue Deo assimilarentur, quem Theologi omnes referunt in tam ampla omnium administratione non ignorare hominum facta, velleque intelligere, quid homines agant. Adeoque res ipsa probatur ab omnibus Principibus, vt etiam hi qui a fide nostra alieni sunt, & nomine Tyrannorum horrendi, hanc patientia consuetudinem inuiolabiliter obseruent. Quorum regnum forsan non ob aliud (nam secus grauissima est dominatio) tam diu felix bello paceque perseuerat. Igitur res ita se habet.* (&c.) Curabis autem vt quam ornata sit, & lingua in qua maxime præstas, conscripta, notaque elegantia, ne contemptum pro humanitate subiecisse videaris.

CAPVT CII.

De dolo, ac seductione.

Dolis præterea fictis vincere nituntur, ac seducere viros, pueros, puellas; aliaque ratione. Nam finis non omnibus vnus. Obseruant iter quotidianum, mentitoque nomine obuiam facti, tamquam ex vrbe longinqua illo aduenerint, salutant. Inde quasi specie simillima aberrauerint, iam amplexati, ac dissuauiati, serunt sermones, explorant animos, ingenium, mores: eoque omnia tendunt, vt attentissime audiant, statum illius intelligant, atque prudentiam; tum quibus capiatur rebus, & vt illum maxime laudent. Inde socium immiscent: conueniunt de sequenti die. Si grauior sit paulo sensus, abducunt ad cauponas, vt pecuniis spolient; aut in domos solitarias deducunt, altero patrono, aut socio, altero qui incallidum, seu eredulum, & ἀδιανόητον se exhibet, vt dum illum decipere studet, succumbat. Interim cibi delicatiores, vina, & ientaculum, lusus, blanditiæ, veneratio, admiratio, honesta omnia palam; atque suspicitur, laudatur, dum spoliatur. At puellæ per lenas eodem modo sollicitantur: quæ si abduci possunt, iam puta rem peractam; sin domi manent, occupare hæsitantes solent, & adhuc dubias, vt non desint ostentationi, munusculis, pollicitationibus. Namque:

Pollicitis diues quilibet esse potest.

Verum puellæ misericordia & lacrymis, pueri iactabunda spe, & incanta tractatione, viri primordiis lucri magis acquiescũt. Cætera eodem modo, vt dixi, se habent. Quare videndum est, quibus sociis vtantur; ne sint soli, filij: Nec cum incognitis solum versari, præcipue numatum (minorem natu) oportet. Rationem dixi. Et nihil tam tutum, quam pater, aut frater natu maior, puero adolescentive: & vt aleam non norit, neque Musicam; vel summa custodia habendus. Puellæ mater aut soror (adsit,) sed melior etiam frater. Patrui quoque omnium vices explent. Vt summa omnino necessaria sit in molli ætate, tum sexu, societas, diligentia. Est, vt ad rem redeam, modus seducendi, procul inchoando. Velut sacerdos improbus sudique literatij magister, titulo exomologesis, rogarat puerum (aut puellam,) an quisquam eum (vel eam) requisisset; ea spe, vt si non pernegasset quod non erat magnum, inde vlterius procederet. Interrogarat rursus, si concessisset, inde quoties, & quando, & vbi, & cum quibus: vt demum ad vltimum

vltimum scelus perueniret. Vnde optime forsan consultum esset, ne quisquam posset exomologesin exercere, nisi in ignotos, aut sexagenario natu maior. Vix enim cum familiaribus recte explicari potest.

Est & aliud doli genus in negotiatione: velut eandem rem bis vendere; accipere depositum,& cum rebellione pacisci,vt per alium, qui illius notam (aut nomen) imitetur, fides actionis publicæ (quam instrumentum vocant) subscribatur. Ita hoc fiet periculo nullo. Vt si puer subscripserit, hortante aliquo ex his qui sunt intimi eius, apud quem pecunia deposita est, vel si instrumentum, ex atramento carbonario fiat, aut, si antequam pecunias accipiat, fateatur per publicum monumentum, ingentem summam ab amico accepisse:die sequenti amico reddiderit: nam sic creditoribus, à quibus in postetum sumpsit, ostendere poterit, se non habere: Nec vitio verti poterit alterutri: quoniam à Procuratoribus, quibus nec deferri potest iuramentum, defendetur.

CAPVT CIII.

De eripiendo ab inuitis.

QVum possidere quid, quod emere non decet, ad vsum, in animo est, nec (possesso:) ille (id) vlla ratione concedere vult, pulcherrimum ac iucundissimum vltionis(aut seductionis) genus est, rem eam coram illo summis laudibus extollere: aut, si venalis sit, submittere emptores; qui certatim pretium augeant; aut etiam si non venalis sit, proposita conditione quavis petant, nemine tamen certum quid statuente: atque sic delusum & hiantem relinquere,vt cogatur apud se retinere, memor priorum oblationum, quum nullam conditionem ei æqualē esse videat. In qualecunque genus rei sit, curabis vt elegantius in eo genere possideas; dicesque multo minore pretio obtinuisse, sed ita ornabis ac tractabis, vt si vxor fuerit, &c. citbatista ille,&c. qui neganit, & quam non duxisti,dolore conficiatur, & pereat. Quod si quis interroget, an volueris eam ducere? siquidem pater adsit, illam ad cœlum vsque laudabis & euehes, quasi pigeat non duxisse: suspirabis, dolebis, gemēs, submittes fidos amicos, qui quasi id agant, tamquam denuo sis ducturus. Perpetuo etiam, si aliud sit, quod liceat habere, submittes qui conditione meliore proposita fingat te id quærere. Eas autem (conditiones,) vbi prope finem fuerint, abrumpes, minima ex causa, sed quæ tamen illi plurimum cordi sit, aut negata, si placeat; aut requisita, si displiceat: atque diu tortum dimitte. Nihil autem est quod maiorem dolorem afferat inuidia, & memoria amissæ pinguis occasionis: adeo vt quidam pœnitentia ducti in eas eosve qui locum occuparunt, insidias moliti sint, alij etiam desperatione se suspenderint. Aeream autem & exitialem inuidiam mouent bona, præcipue ornatus, dona, honor, voluptas, libertas,virtus: his enim sex rebus circa personam assumptam excitatur riualibus inuidia: in eo vero qui quæsiuit, potentia auget desiderium, liberalitas & gloria. Sed si absente parte eiusmodi fiat interrogatio, dicas, optime tecum actum esse à Fortuna,quod quum tantum errorem admittere cogitasses, illa tuo ingenti commodo factum id interruperit, teque liberauerit.

Similiter & à Principibus vt eorradas præmium, arte opus est. Si quidem in nuncupatione librorum per Ptoxeneram ex intimis, aut Aretas exige primum pro anagnostis fitmum stipendium: deinde pro impressione:sic tibi libri superererunt, vnde etiam licebit sperare aliquid doni: tunc erit triplex luerum. Si non, fac saltem vt primum, aut secundum cum tertio non desit.

CAPVT CIV.

De æmulis.

AT si (quod frequentissimum est) conspirationibus æmulorum opprimeris, ita vt illudant tibi; tu contra bonos & prudentes ad te trahe: in illorum inimicis caterυam amicorum tibi facito: acriter repugna. Sed caue, ne aliqua ex parte inconstans, quicquam condonando, spe, metuve delusus videaris: sed persta, donec vincas: quod facilius quam speraueris, eueniet. Constantia, tolerantia, fortitudine, atque prudentia opus est in euincendis aduersis. Porro quum artium quædam vtiles sint valde, vt militaris, iurisprudentia, medicina; aliæ ad voluptatem,vt Musica & pigmentaria,& picturæ quædam; ad vtrumque,vt vestiaria, & architectura;quædam ad honorē nihil,vt numerandi & metiendi: in vno è tribus generibus excellere oportet eum qui existimationem habere velit apud homines: maxime autem in primo, ac tertio genere. Omne enim lucrum ab existimatione in artibus proficiscitur; existimatio à nobilitate; nobilitas à substantia artis, seu fine, aut raritate, raritas ab excellentia artificis, vel exercendi modo. Erunt igitur tria: nobilitas artis (atque de ea, in quibus constet,satis dictum est;) præstantia artificis, & exercendi. Verum præstantia artificis qualis esse debeat, vnicuique manifestum est; & quomodo habeatur, scilicet studiis, meditatione, multa exercitatione, atque raris experimentis; & quod non omnibus datum est adire Corinthum: at, quod maxime conspicuum est omnibus,diligentia artificis;adeo vt etiam frustrata fine, existimationem retineat. Hæc vero duplex, vt etiam duo sunt genera artificum peritorum. At peritorum vtilis est, & honesta ac pia; imperitorum vero inutilis, fucata, & detestanda. Quamobrem & priorem exercere oportet, & hanc maledictis prosequi, non quidem aperte, ne socios infectari videaris, quamquam omni reprehensione digni sint. Id ergo facies quasi commiserandovelut si dicas, Vellem vt recordatus esset inspectionis linguæ, aut ventris; horterisque illos, vt eum moneant, vt hæc animaduertat. Quod si dixerint, dorsum inspexisse, gratia exempli, quod tu neglexeris, statim respondebis subridens. Quorsum id? Hæc autem responsio

responsio statim facta, cum maxima auctoritate tua est, eleuarque illius existimationem: ita si non statim fiat, contrahasque vultum, multi pro malignitate interpretabuntur animi tui erga illom. Sobiicies vero, vbi illa dixeris, denuo vt meminerit hæc inspicere, atque considerare.

Obseruare etiam debes, vt quicquid ab aliis constitutum fuerit, addendo, miouendo, locum, tempus, quantitatem, determinando limites. Denique si contra re vnsi multi consentiant, admonebis ex adstantibus vnum atque præcipnum, vt saluti ægri consulat quod expediat; te contrarium propositurum: illos, vt tuam existimatiunem frangant, bene consulturos. Tnm vero si id fecerint, dicet te prudentem & eruditum, qui qood oportet facere eos coëgeris. Si quod proponis, (fecerint,) imperitos rursus ostendes, & non audentes tibi repugnare. Ergo si existimationem tuam per conionctos ægri, tum suos parasitos, eleuarint, quadrupliei, via occurres. Aliis eoim fautoribus opus habes, & contemnendo verba prorsus, & detestando uperi totus incumbes, imperabisque coram illis; cogesque assentiri: tum vero & infirmum & astantes terrebis, ne quid re inconsulto agant, commemorando (si non per alios id commode & hunestius facere liceer) eos qoi in illorum, qui laudantur, manibus inopinato interierint. Præstat in his, qui iam famam adepti sunt, partes quascunque ægro parum vtiles condere, vt temeritatis (quam omnes formidant) opinionem de illo feras cui suspioni argumentum numquam deesse potest, & quæ tibi locum præcipuum ad auctoritatem, moderatioois scilicet in animis omnium existimationem relinquat. Id vero modestius significare decet, quam vt cum accuses, atque apud tuos, non suos fautores, (parum enim prodest serere in alieno agro;) & vt magis illius infelicitatem, quam facta, damnes. Id vero scite vt peragas, prudentia opus est: exemploque superius (sectione 79.) te docui, quum singula scribere nimis operosum esset. Interim & animum eruditione plenom habere oportet, & omnia ad simplex imperium (quod maiestate quadam ex auctoritate, grauitate, upetibns, sapientia, ornatu, & comitatu constat,) traducere, ne vel nimium circa hoc sollicitus & impetitus vel peritissimus qoamvis [sis] & doctrina atque vsu præstes, plurimom tamen impeditus, ægri salutem prodas: &, vt in Prouerbiu est Glauci armorum permutatio, vt Deum offendas stultæ ambitionis; & prodigæ auaritiæ, & incerti lucri causa. Quamobrem etiam magis angue cauere oportet, ne (vt stulti quidam) ad verbosam contentionem deuenias. Vt nesciam turpius aut fœdius, maledicere ne, an male audire: hoc enim impotentiæ; illud stultitiæ argumentum; vtrumque apud omnes æque execrabile. Quum vero sint genera malorum sociorum, ambitiosorum, qoi doctrinæ [aut eruditionis] prætextu omnia sibi vendicant, & callidorum, qui visa damnant, & alia exequuntur, executionique mandari ab astantibus iubent, aliter alterius cura est. Nam ambitiosos fallere oportet clam; fallaces palam actorum coarguere, non illorum mentionem faciendo: (ad contentionem enim deuenires, & odium irritabile tibi comparares:) sed contraria iubendo, atque auctoritatibus & ratione, (res) exposcat, cogendo vt assentiantur. Turgidum autem illom medicum coargues, & veterum auctoritate, palam. Quod si perseueret (vt plerumque contingere solet: omnes enim hi contumacissimi sunt, atque etiam impij, ac crudeles) dicas non venisse te ad certadum: haoc esse veretnm sententiam; & (si licet) alium tibi amieum adooca, qui elam cum astantibus cōueniat. Ita sine strepitu auctoritatem illius elides. Obseruare autem cum huiusmodi viris occasiones uportet, velut in venatione & bello. Namque qui hostem inconsulte, aut feras aggrediuntur, hi quidem vacui præda redeunt, illi vincuntur. Errores igitur maoifestos, & successus infelices, tum in ægro, tum aliis, eiusdem ubseruabis, ac deteges. Nimiæ enim patientiæ est (ne socordiæ dicam) falsa illum opinione laudari; & te longe illo præstantiorem, & humano generi salubriorem, posthaberi. Caue tamen, ne tu prior illum carpas, vel vlla ratione irrites; sed veterarorem deprehensum tua testata innocentia publica, &c. Quod si io æmulum ambitiosum & stultum incideris, difficile est recte facere. Magni enim infortunij est, pugnare cum prodigis vitæ; & contendere cum his qui vt te euertant, se ipsos negligunt. Nam vrceus vrceo frangitur; nec vnius damnum affert quippiam alteri commodi. Id vero accidit immodice ambitiosis præcipue viris: atque eo magis procedit, si tu labores inuidia multorum, occupant in inscriptionibus, consiliis, sedilibus, pompis, adulationibus, familiaribus, loca indebita, & non tam illis decora, quam tibi turpia: quæ si negligas, præter dedecus, in illis augent audaciam, vt iam nihil tutum tibi sit, quod præripere non audeant. Quum enim omnia vitia nullis terminis coërceantur, ambiriotum & auaritia præcipue; sunt natura infinitæ. Quum hoc ergo sit ardnum negotium, memineris illius dicti, Quum non potes facere quod optimum est, optimom esse puta facere quod minus est turpe, periculosum aut damnosum. In inscriptionibus, tum etiam aliis si ille primom occupet locum, tu extremum accipitu; si supremum, tu infimum. Semper enim extrema eandem habent auctotitatem: aut si non, confundis ordinem: quo sublato, nullum tibi dedecus prouenire potest; nec ille quicquam obtinuit. Deo tribui solet α & ω: quoniam principij ac finis eadem est ratio, & ambo præstantissima. Præterea nimium & parum ad arrogantiam pertinet; & Lacedæmoniorum vestis, (inquit Aristoteles 4. Polit. cap. 7.) &c. Vbi ergo primus esse non possis, vltimus sis. Sensim etiam per amicos & modeste resistendum est illi, vt discat nihil ei esse tutum ac sine controuersia, etiam in minimis, ne maiora audeat. Extremum enim malorum est, sinere vt gratis (aut impune) insaniat: sed paolo minus, si contemnendo risum in scriptis, plus læditur existimatio quoniam scommatibus locus non est: per quæ sæpe (quum reliqua non tibi importune adsont) illudes illius temeritatem. Quale illud, Vbi sedet Pontifex, caput mensæ est; at non, si in capite mensæ sederis, Pontifex eris.

Quod si acrius illum mordere velis, dices. In mensæ capite sedent aut Principes, aut moriones. Semper autem in huiusmodi viris obseruare oportet, vt summam retineas grauitatem, vt factis generosis excellas, vt illum perpetuo per amicos inquietes, vt illius fugias consuetudinem, vt quum sermo de ipso habetur, contemptui eum habeas, negligas, risu tantum leuissimo testatus illius improbitatem, & qnam paruæ apud omnes debeat esse existimationis, nec eius vllam rationem, habendam. Quod si, præter ambitionem, minime malus sit, cede, at subride. Sed rara auis est hæc. In vniuersum, cum æmulis aut grauitate tanta esse oportet, vt illos ad tui reuerentiam compellas: aut tanta morum suauitate, vt illorum acerbitatem edulcores, ac ruborem eis iniicias; ant tanto splendore, tnm artis præstantia, tum Fortunæ, vt eos obruas; aut tanta potentia, vt te timeant; aut tanta calliditate, vt illos eludas. Hoc solum vt facillimum est, ita omnibus aliis minus tutum est auxilium. Quoniam vero improbi debacchantur, nihili facientes necem hominum; luduntque in capita miserorum tam impie quam nefarie: vt (gratia exempli) quum multos tentando occidant, vt sanati sua industria videantur, tu quum iure quiescas, quoniam ea sola spes salutis relinquitur, in alterum duorum incidis, vel, vt, si moriatur æger, negligentia & imperitia tua mortuus videatur; si sanetur, casu sanatus credatur, quum nihil circa illum peregeris. Crimen hoc, vt patentem viam ad falsam existimationem, aperire debes, tum queri quam late pateat ad falsam gloriam ex tam scelerato facto via. Tutissimnm hoc solum interquiescere: tum ea ages quæ nihil mouent, nec culpari possunt. Magnum tamen videtur restare periculum ex perperam facto. Interim attentus esto. Nam etsi [æger] liberetur, non sine terribilibus casibus id contingere poterit: quibus tum opportune occurres; & prædictione casus facta, rursus comparatam funesto scelere gloriam, tamquam periturum seruaueris, è manibus illius eripies. Rursus si auxilium in morituro, antea astantibus proponant quod noxium sit; deinde instent, & assentiaris, hoc nihil peius excogitari potest: qui mos est Bononiæ multis imperitis. Nam si assentiaris, reus es pœnæ capitalis. Neque enim lex quicquam excusat qui caussam mortis dederit, etiam animam agenti: Præterea, si sanetur, ab his sanatus creditur: si pereat, & dicas obfuisse, vt qui nullus sis, nec audeas, contradicere his qui perperam consulunt, contemneris: si probaueris, videberis imperiti arbitrio regi. Si dicas, obstitisse vim morbi, (quod rectius dici potest;) quærent, cur non prædixeris? at hoc ipso etiam mendax fies. At si resistas, quum iam sit moriturus; vbi mortuus fuerit, te ignorantiæ & studij contradicendi accusabunt, dicentes, non periturum [fuisse] si permisisses. Quod si illos damnes coram astantibus ægri malæ societatis, reddes tibi ioimicos. Hoc tamen tutissimum est postquam iam pessimos esse deprehendisti, palam corripere [eos] auctoritate [tua, quod] proposuerint malum auxilium, vt [ita] facias, [à calumnia] absis, si non facias, & moriatur, calumniam subeas. Nam si ægrum deseras, odium coniunctorum subibis, & contemptũ astantium: & si forte aliquando quum omnino certus non fueris de illius morte) reuiuiscat, vituperaberis. Rarissime quidem vidi ægros vtiliter quovis casu aut caussa deseri: quamuvis hoc iubeant clariores medici, nostri non tamen ferunt mores. Ergo illo reprehenso, & te improbata, relinque illi iudicium, faciat vt volet. Quod si liceat, paucis mutatis, tuto adhibere, testatus paruam spem, & postquam illi summe placet, admittes. Demum, si non adhibito præsidio, te retractante [vel detrectante,] moriturus moriatur; illi vero te accusent, dicas illud omnino obfuturum; sed aliud esse quod illi non intelligebant, vt si pro vstione spinæ in distensione, vstionem in sutura coronali [adhibuerint] pro attonito morbo, vel, quod grauius est, Vtinam me celerius aduocassetis, ante illud auxilium alio ab eo facto commemorato. Sed si adeo profuturum confidebat, cur non & hoc adhibuit? sed postquam vidit obfuisse, hoc commentus est, vt velaret factum. In summa, in huiusmodi quam breuissime (agere) optimum est, & vt multi intelligant illorum errata, nihil distincte proferendo, sed in quo maxime errarunt, detegendo: velut si dicas, Optarem vt (me) ante sectionem venæ vocassent: (hoc) licet contra tales sycophantas. Nam pessimo nihil est peius. Quod si querantur, obiicito imprudentiam eis, & illos malæ societatis argue. Nam hos aut vi, aut nullo alio modo tibi æquos reddas. Cauere debemus in æmulis insectandis, ne nimia insectatione pro contemptis efficiamus gloriosos; vel ne nos carere iudicio deprehendamur: velut Valverda; qui dum singulis figuris adiicit, quomodo differat à Vesalij figura, prodit vanitatem propositi, vt non docere veritatem quæsierit, sed nil aliud, quam vt Vesalium euerteret. Itaque tantum abfuit, vt id consequutus sit, vt stultitiam suã prodendo, & perturbato omni ordine, pulcherrimum opus (si quidem in exprimendis figuris valde felix ære fuerat) inutile prorsus reddiderit: & quem nimis anxia cura deprimere concupierat, assidua insectatione, & stulto opere suo magis illustrauerit.

Aduersus autem æmulum ambitiosissimum, imperitum, peruicacem, malignum, ac nequitia omni pleoum, potentem, fastuosum, non aliter quam aduersus incompositum & magnum exercitum, cum minore, sed è veterano milite, certare oportet; scilicet instructa acie, auctoritatibus, ratione vrgendo: impellendo, ad contradictionem reducendo. Vbi terga paululum verterit, admone, accusa, coram increpa; nec vmquam desinito, (antequam eum) profligaueris. Quod si ad maledicta & probra deuenerit; dic, non esse bis locum, sed de salute ægri certari: ad illa omnia, se suamque domum respiciat: satis habere domestici mali, vt non necesse sit, quærere aliunde. Antea vero ægrum, eiusque domesticos monebis, quod salutis eius causa hoc solum facturus sis; aliter vitam illius in periculo versari: ob hoc expecta occasionem grauioris morbi. Illud præterea semper contra huiusmodi viros in ore habendum, etiam extra propositum, adesse ibi non contentionis causa, sed vt opitulemur ægro. Nihil autem tam vtile

fuerit

fuerit in his, quam si artem ad genus eorum reuocaueris, quæ opera sua ostendunt Errata enim quum mors tegat, à fine auspicari oportet. Cadauer [itaque] dissecando, ettorem-que detegendo, (eos) prosternes.

Quum verò æmulum habes grauem, qui te premat, exploratorem omni arte, omnique ingenio subiice, qui omnium eorum quæ æmulus tuus agit, certiorem (te) reddat; quæque tibi expediunt, consulat : & cum eligas etiam, quo (si oporteat) illum opprimere possis. Porro quomodo id facias, inferius edocebo.

Tum vero & eos qui ægrum, te neglecto, curant, sic elides. Constat sane productum morbum vitam efficere breuiorem. Itaque ægros ipsos reprehendes, qui se illi commiserint: edocens, membra eiusmodi inualida reddi, & manere semper; vnde necesse sit, numquam secura illos frui valetudine, sed perpetuo obnoxios morbis ex hoc membro affecto: demum vitam efficere breuiorem. Tua autem interest, vt non solum ratione, sed autoritatibus id comprobes. Quod si certamen fit de lucro, & ille [æmulus tuus] pauper, aut auarus, aut familia oneratus, operam precario locabis; merces vili pretio vendes; donec eum discedere cogas.

Quum verò æmuli coniunguntur; velut chirurgus cum medico diætetico; tum fac vt chirurgus tuus cum diætetico conueniat; & chirurgus eius tecum : inde vbi disruperis societatem, vterque deserat suum socium. Illi enim iam in graues inimicitias peruenerunt, quum serio disiuncti sint, nec tam facile poterunt coalescere; & illorum secreta rimatus es, vt qui finxeris inimicitias, non gesseris.

Quumque semper concisa breuitate in loquendo opus sit, & lunato sermone, tum maxime erga æmulos; & præcipue à contrario sensu. Velut, Omnes amici me amaot; nec ausi sunt vituperare ioimici; nisi qui faciem hominis non sunt [conspicari.] Simile illud Antisthenis : Dubito ne mali quid egerim quoniam improbus me laudat. Sed accommodatius huic proposito id est, augendam existimationem à contrario, Non vituperabit, nisi cui displicet innocentia aut virtus; iuxta accusatoris & calumniæ naturam.

CAPVT CV.

De Delatoribus.

VErum & illud est delatorum [genus,] qui dum adulantur, aut insidiantur, aut, vt beneuolentiam captent, amicos, aut etiam notos, qui tibi non nocuerunt, infimulant: vt, si credas, inimicos tibi compares, illis frustra iniuriam grauem inferas; si non credas, quomodo admoneri poteris de insidiis, quæ in re parantur? de periculis? de iactura? de infamia? denique si amicus sit delator, merito te oderit, in posterumque in tuam perniciem conniuebit. In contentionibus autem produnt literas, vt perdant, aut alios ad conditionem compellant : quorum caussa nuncius mitti solent cum epistola fidelitatis : sed & nuncium fallere consueuerunt, absconditis æmulis post tabulatum, etiam ficta surditate, vt clariorem vocem edere cogatur. Quibus ambabus artibus proditus est Regulus Sancti Pauli à Rege Galliarum. Cauere igitur; & in suspicione abstinere oportet.

CAPVT CVI.

De insidiis vbi de Exploratore.

QVum vero aliquid habueris occultum, insidiabuntur, vt clanculum id eripiant, mille insidiis; submissisque primum pauperibus, qui eo morbo laborent, nonnunquam pro aliquo qui extra vrbem sit, petentes auxilia. Quod si non dederis, inimicos asciscés tibi: si dederis, tuo inuento, sine labore, sine gratia, sine commodo vllo insigni, potientur; imo & irridebunt [te :] Si fefelleris, reus es apud Deum. Itaque pulsus iunges occultis oleis; ordinem ac mensuram miris modis ac difficillimis statues; ministros deterrens; si aberrent: præfatus etiam, ne numerum peruertant : magno id periculo fieri; non addas, vitæ, ne ægrum terreas; non [tamen] *magnum* omittas adiicere, ne tentare audeant. Multos etiam ministros adhibebis; & singula singulis mandabis : sic enim magis confusa res reddetur: Atque ea ratione omnia, vt quæ maxime à medicorum traditionibus in illa caussa deuient. Similiter de cibis, & cubili. Quædam etiam magis perpetua sint, quam id in quo est vis tota. Nam si plura sint necessaria, perturbato ordine facile est occulere. Iuramentum quoque exiges pro eo quod artificiosissimum videtur; in quo tamen vis non est. Nonnumquam coactus sum, quum suscepissem curandum quem pro morituro dereliquerant, iubere ægro, vt tamdiu deterius se habere conquereretur, donec euasisset periculum; ne per pharmacopolas venenum subministrarent, aut mutarent profutura. Sunt & alia insidiarum genera, per domesticos, familiares, clientes, pueros, simplices, in te non solum, sed etiam in tuos. Quod si vt subscribas, aut rescribas, nomine potentis viri, atque amici tui, requirant; recipias te facturum : sed tempus exige, quantum sufficit, vt illum moneas; nisi res periculo vacet, aut nuncium & epistolam ex sigillo & charactere noueris. Si vrgeant, dicas solitum illum esse propriis notis ad te scribere; nunc te nescire, cur omiserit: Rursus si amicum subiiciant, qui à te petat, vt sua caussa magistratum aut Principem adeas; contendes, &c. vt si neges, eum tibi reddas inimicum; si assentiaris, Principem fatiges, si te ille amet, aut negligat, si non amet. Fac igitur vt amicus respondeat, inuenisse alium qui eo munere fungatur. Cui dicto si acquiescat, iam dolo res caret; si non, odium tui quærunt, non communis amici tem. Tunc ergo absistes, & amicum mone. Quod si non acquiescit, stultus est, aut non tibi amicus. Vtrouis modo expedit deserere consuetudinem damnosam. Sed etsi dolo res careat, turpi facto opera danda non est. Et si insidiis per fictos amicos interuertere te quærant, re in-

tellecta ſpem præbe, donec illos fatiges, & vt nihil aliud interim aduerſum te moliantur, prohibebis. Hac occaſione etiam deprehendes dubios amicos, iuſſo vt amicus ille fictus conſilium à dubio petat, tamquam ancipiti animo tuo hac in re. Quod ſi conuenit, & is inimicus tibi eſt, & quod ſi tibi conſulenti etiam id ſuadeat, proditor plane eſt: ſi vero etiam repugnantem in ſententiam t[illegible] nititur, proditor eſt, & te contemnit, v[illegible]. Quare, ea occaſione arrepta, grauiter,) ſi potes) vt de exitiali, honeſte vltionem ſumere oportet.

Porro inſidiæ quæ ad proditionem ſpectant, & quæ contra potentes ſunt, adeo vt grauiſſimo cum periculo exerceantur, initium ducunt à qualitate perſonæ iratæ, vel leuis, vel ipſi valde amicę, à cauſa ſcilicet, querela vera, vel ficta, à præmio ingenti, à modo, vt ſcilicet per eos res agatur, qoi non inuidioſi ſunt, aut inſpecti, tegaturque finis rei, priuſquam negotium attingamus: velut ſi cum ſororio eius magnis pollicitis paciſcamur, tentare dum à proditore literas impetremus. Illis enim tuta eſt nunriis negotiatio: nec periculum eſt, niſi vt ante primas literas re domino detecta, proditio ficta agatur, quod perſæpe contingit. Nam ſecus literæ illæ loco pignoris ſunt. Reliqua deinceps proſequi haud arduum eſt.

Si qois inimici amicus ad te veniat, aut ſuſpiceris de his qui cauſa aliqua tuæ familiaritati ſe inſinuant, quidam oblatis cibis aut potibus illorom animos explorare conſueuerunt. Sed ſi res non ferat, aut illi ſint audaciores (perſæpe enim multis bonis & inſciis proditor ſe adiungit) verbis illos blandis, tamquam prius non agnouiſſe pœniteat, [ablega, noli re] obiicere importunæ conſuetudini in futurum. Quod ſi omnino perſeuerent, ſuſpicandum eſt. Tum vero, ne ex occulto aut dubio, verum & apertum facias inimicum (quum manifeſte impudentiam ſuam prodat, & animom ad hoſtiles inſidias, violentiæ, aut veneficij aut delationis paratum) obiicere oportet famulum aliquem petulantem: aut, ſi oon licet nb potentiam, impedimentum menſtruũ ex negotio; aut vt referant te dormire; aut abeſſe; ipſis autem [famulis aut domeſticis] otij nil ſupereſſe. Si vero quis interroget te (de) tributo Cæſaris, ille autem ſit amicus, aut ſimplex, vt expiſceris quis ſubmiſerit, dicas: Memoratu dignum affers: amicum tibi eſſe neceſſe eſt, & prudentem virum, qui huius te admonuit: dic ſodes, quis eſt qoi tam vtile tibi conſilium dedit: Sed tempus interponere non oportet.

Si medicus (gratia exempli) ſocius alia ſeorſum præcipiat (quod multi facere conſueuerunt) ab his, in quibus conuenerat iam, decet ex aliquo aſtantium ſcire. Nam iactus (in) incertum, parum vtiles eſſe ſolent. Secus, admonebis hominem (tamquam in illo maxime fidas) officij: rationes autem addas pericoli, ſi aliter fiat; eumque autorem facias inuenti vtilis. Ad aſtantes (vero conuerſus dicas,) te non dubitare de illius ſumma fide; periculum augendo tamquam de dolo aliunde ſuſpiceris. Vbi ſuſpectum habes aliquem, quem ſcire qui ſit tua interſit, ad amicum verba facere oportet, vt exploret: at ſi, non habes (verum, ſed) ſimulatum amicum [nam horum numquam deeſt copia) verba habebis, vt velit explorare, qui ſit: ſed ſi non agit, viliſque conditionis ſit (ac in tua poteſtate aliquo modo) dicas, Tua intereſt, vt quis ſit ille, reſciam; aliter tu ipſus es. Nam infidos amicos, & ignobiles homines, ac fallaces, non niſi metu aduerſus ſeipſos coges. Nonnumquam à principali blande ſciſcitaberis.

Inſidiarum vero violentarum à latronibus (cuiuſmodi in vrbibus magnis frequentes eſſe ſolent) tempus & conſuetudo quædam eſt. Tempus; quoniam ad nictum (oculi,) aut aliud ſignum id conficiuot; non ante. (Eſt enim & in his ordo quidam:) Conſuetudo; quoniam (aliqui) malleo, alij gladio interficiunt. Cura enim eſt illis, vt vno ictu, & ſine voce concidat. Ideo ne incognitos admittas ſolus; multo minus prope, ac retro: ſed expeditum te ſerua. Aſpice ſi adeſt apparatus. Tales enim vt lanij ſuum habere (cultrum) ſolent; maxime qui ſues occidunt. Caueas ſcalarum ſumma, & fallaces ſtructuras, & loca horrida, & ſine pauimento; quoniam ibi facilius cadunt, & ſanguis abſorbetur, nec hominibus obuia ſunt (& in iis) facile ſepeliuntur (occiſi. Nox periculoſior eſt, quam dies: & loca ſolitaria. Riſus fictus adeſt, & verba plurima, ſed non ſatis condita. Summa rei eſt, quod vbi imminet tempus, abſcedont, ſequuntur. Exemplum ſume à laniis, quum boues ſunt mactaturi. Sed de his omnibus infra.

Inſidias vero, de quibus ſupra actum eſt, pietatis titulo, (ſit) dignoſces. Perſonam noueris primum: deinde quod blandis (verbis) te aggreditur: hæc enim via ad obtinendum aut detegendum animum. Deinde eo te deducunt, ſi renitaris, vt confitearis: ſi nolis, hæreſis te reum agunt; ſi velis, & non cedas, interrogant an ſumturus ſis corpus Chriſti? neges, contemptus præceptorum te inſimulant; ſi ſumturum dicas, non abſolutus, hæreſis manifeſto es in crimine. Si abſolutum te dicas, negat id fieri potuiſſe: petit vt adducas ſacerdotem; oſtenſurum id non fieri potuiſſe. Ita ex minimis initiis te implicat metu infamiæ, periculo fortunarum omnium, exiſtimationis, & vitæ; vt neſcias quo te vertas. Tum ſe aggreditur leuibus: conſulit quid agendum. Tunc caue: quodcunque exciderit ſeu acerbum, ſeu diſſonum à prioribus, ſeu quid pollicearis, detineris. Propterea nega colloquium. Si vrgeat, dicas te illum cognoſcere. Nam qui prudentiores, diſcedunt; nec ignari, quanto periculo ſe exponant. Quod ſi incautus in caſſes decideris, docueriſque veniam impetraſſe; opponas roganti illud, vt is ad eum potius eat, qui ſit eruditior.

Si ergo propinatum ſit (ægro) aliquid praui, vt gloriam tuam euertant: dicas, Ego rem quæ te iouit, antea exhibui, nunc immutatum eſt, neſcio cauſſam, nollem vt aliqoid ſiniſtri contingeret. Propterea ignoſcas mihi: nolo amplius tecum habere negotiom. Intelligas modo tu: ſed ſi conſilium petat, offeras curam ex ſcripto, quam aliubi exequatur.

Eſt

Est præterea insidiarum genus illud exitiale, de quo mirabar diu, Bononiæ, quum essem. Maxime huic negotio dabant operam, vt qui accederent ad infirmum, animum illius confirmarent, dicentes, vt non formidaret, quod omnino in tuto esset, etiamsi in extremis laboraret. Id qua ratione agerent, non poteram intelligere. Tandem animaduerti, hæredum esse consilium vafrum: qui seu procurarent illius necem, seu saltem quidem exspectarent, id agebant, ne æger sibi timens cogitaret de mutando medico, aut de insidiatoribus abigendis, aut (quod magis referret) mutandis testamenti tabulis: vt nullum sit maleficarum insidiarum maius argumentum hac importuna procuratione confirmandi animi; quum auxiliis bonis, (vt ego ubiiciebam, nesciens quo tenderent,) non tam forti animo ægrotantis opus esset.

Exploratur duplex: [alienus, &] coniunctus: is longe melior, quod non solum actiones, sed & consilia nouit. Sed potentium est, & Principum, inuenire qui velit personam & nomen proditoris (& plerunque non sine graui periculo) alterius caussa subire. Et speculatoris aut puer [est,] aut vir: Puer, non quiuis, sed callidus valde, & multa experiendo edoctus: minus suspectus est, & plura ei licent, sed iudicio inferior: Vir, vnus aut, si fidi, longe meliores, minusq; suspecti; aut vt aliter ignoret: si vnus, aut omnino vilis sit, aut qui contemnatur, aut splendide ornatus: medij conditione, sunt magis suspecti. Communia omnibus, assidere procul, vbi præstolentur, nec videantur, nec tum surgere; post accelerare gradum, oculo, non facie, aspiciendo. Vbi via mutanda est, prope sit. Iuuat ad tarditatem, inspectio domorum, & figurarum, mictus, collo. quia cum obuiis: ad celeritatem, illos morantes vt prætergrediaris, inæqualitas incessus, maxime in puero, etiam cursus, lusus cum lapidibus, cantus, imo & saltus: in viro suspiria etiam quasi excusant, &c Omnes hos non te, sed per amicum inuenire oportet. Quibus etiam optimum est (si tutum) per viam aliam eundo, necessario in eandem rursus redire: vt si sit in A, speculator in B, quum eum viderit, eat in D: ille in C: inde transibit ad H per [G,] & occurrere speculatori quasi fortuito: quod si dum speculator est in E, non videt A ipse, & in FG, &c. Oportet igitur diligenter metiri gressum illius, vt illi se accommodet speculator. Quidam etiam mulieribus vtuntur; nec male. Plurimum enim absunt à suspicione.

Est etiam insidiarum genus duplex, valde maleficum. Vnum, quum amicis tuis persuadent, non esse quod suadent, tibi noxium. Ita dupliciter obsunt: non solum te; sed amicos in tui iacturam inducunt; vt etiam tu merito illis irascaris. Aliud est, quum quod per ipsos factum est, tamquam vitio tuo contigerit, tibi imputant. Velut quum mihi Bononiæ paucitatem discipulorum obiicerent; cuius caussa ipsi erant, quum etiam violenter abducerent, & locum legendi atque horam occuparent; aliosque lectores inducerent.

CAPVT CVII.

De inuidia abolenda.

INuidiam autem declinabis, si apud æmulos & eorum amicos de fortuna tua conquestis; & non iactes te, nec glorieris; verum illos humaniter amplectaris. Difficillimum sane est, existimationem (retinere,) & inuidiam fugere. Neque bonum est, valde familiarem esse æmulis: nam incognitis inuidere non solemus. Sed & fortunæ potius (accepta) referre decet, quam industriæ, vel virtuti, quæ eueniunt bona. Vnde Sylla se Felicem voluit appellari. Inuidia constat, non existimatio, quiete. Ergo vt alterum serues, alterum declines, mutationes apud æmulos occulere oportet, vt lucrari, honorari, vocari à Principibus: sed antiqua solum ostentare.

CAPVT CVIII.

De contemptu, & irrisione.

QVum vero aliquis (gratia exempli) domesticorum ægri te irridet, id magnum est: nam contemtum dominorum indicat: vnde haud malum fuerit missionem impetrare. Audiunt enim famuli aut domestici quæ dicuntur in domo; & continere non possunt. Id vero ex aliis signis animaduertes: solutione, quæ minuitur; risu, dum discedis: nam tristes te excipiunt, hæc enim proprie sunt contemptus signa. Quod si cedere, graue nimium sit, tu te ipsum contrahe, ac fortiter resiste his, qui te oppugnant. Irrisioni iracundia aduersatur; tum altercatio in caussa, præsentibus fautoribus tuis. Age vt Paulus dicebat: vrge, obsecra, &c. increpa: memineris agi de honore tuo: caussam contemptus venare. Si medicus molitus est technam, non seruum aut ancillam reprehende, sed palam medicum, vrge, quasi inscium culpæ. Dissimulabis enim. Omnibus præterea participibus, pharmacopulis, tonsoribus, obstetricibus, lucri causam honeste præbebis, autoritate tua seruata. Nam quorsum tua imminuere, vt alterius nomen illustres? Perstare posses in proposito, & sperne, vel desperare restitutionem: sed res humanæ breui finiuntur, & non constant diu; vt expectatio periculosa sit plerunque, semper autem damnosa, desperatio autem absurda; quum nihil apud nos fixum sit, aut spe careat. Similia, dixi, similibus, si superior sis, sunt propulsanda; atque id tantum: dissimilibus, si inferior, id enim necessarium. Si vero irriderís, aut contemtum pateris, seu caussa tua, seu caussa non tua, vt restituaris, profus danda est opera. Sed exemplo vtamur: Si tu vocatus inter belli consultores, irrideris à Principe, aliis (vt fieri solet) in vnum conspirantibus: tu vide an inconsulte aliquid egeris, aut dixeris. Vt enim medicus numquam recte curabit morbum, nisi qui caussam cognouerit bene, ita morborum, qui nobis in existimatione contingunt, summa curæ est, cognitio

cognitio caussæ. Fac igitur vt scias caussam, an sit error tuus an conspiratio æmulorum, an Principis iudicium, an plura ex his. Si autem caussa est error tuus, ne excusaueris: sera enim excusatione nihil peius, quæ fatetur errorem, & non in tempore illum diluit, nisi te opportunitas iuuerit, vt quum refricatur: tunc enim vt recenti vulneri medendum est, diligentia, cura, & oratione, quæ aut crimen & errorem esse neget, aut doceat, nisi id fecisses, deterius negotium se habiturum. Ergo corriges teipsum, seu error fuerit in te, velut consuetudo, seu in modo, velut quum intempestiue, minus apposito consulueris, seu in aliis, quæ ad negotium non pertinent, sermonibus vanis, manibus, incessu, ornatu, atque similibus. Sic autem corriges, vt non solum te ab erroris opinione in posterum admittendi vindices, sed etiam prioris suspicione, dum in contrarium habitum versus es. Velut si de lenitate suspectus sis, continentissimus esto, atque grauis admodum, adeo vt liceat in contrarium transire vitium, modo leue sit, atque purum: velut ex loquace, nugace, vaniloquo, in taciturnum, & eum à quo verba sint vi extorquenda, ne refrices, aut iterum erres: tempus omnia abolet, imo eluit. Vt errores tuos cognoscas, amicum habeas, qui quæ agas ac dicas consideret, ac libere tibi renunciet: dicat & quæ ab inimicis tuis obiici sentiet. Quod si Principis iudicium te premit, si parum prudens est, tu te contineas, fautores quære, atque homines qui tecum sentiant: licebit adhærere illi cuius opinionem probat, tuam mutasse simulando sententiam. At si prudens est, credas calumnia persuasum: itaque apud illos te tueberis. Si veri amans est, & vere prudens, excusantem libenter audiet; & defensionem amplectetur. Si nimium peruicax, aut te oderit, aut ab aliis fuerit persuasus, discede, si potes. Periculosum enim, semper obluctari potentioribus; plerunque & damnosum.

Si tui te, extra patriam dum fueris (quod mihi contigit) contemnant, diffamentque; contemptum illorum perferre oportet. Dixi ego quærenti, & interroganti, cur hoc? non esse illos patritios, sed mercatores. In eos recidet contumelia, si (quemadmodum & [euenit] mihi) duæ res affulserint: autoritas ex virtute, & [fauor] à nobilissimis conciuibus eo in loco in quem te contulisti.

CAPVT CXI.

De calumnia apud Populum eradicanda.

AD abolendam vero calumniam, quum ea duplex sit, iudiciaria, & popularis; popularis multitudine & potentia amicorum te laudantium, tum vitæ synceritate, & oppositis rationibus viuendi dissoluitur. Velut si de pueris te accusant, mulieres habeto in domo; si de ignorantia, disputa, ede libros: sed & hoc iacta. Putant non posse conuinci falsum testem, nec negantem orationem posse demonstrari. Verum falluntur. Nam Daniel senes, falsos testes, conuicit, atque damnauit. Vbi vero hæc non sufficiant, libello edito te tueberis: sed ita, vt accusationis caput omittas; respondeas his quæ antecedunt, antequam ad illud descendas, & (vt dicitur,)

Excipias quam vulnus, se decet ante mederi.

Velut si inconstantem, cogitabundum cerebrosumque te appellare vulgo soleant; tu ne huius memineris: sed ita exordieris: *Magnus abusus est, quod in tam periculosa re, qualis est hominum vita, medici tam inconsulto, vbi ad agros accesserint, statim nihil cogitantes dictent medicamenta, præcipiant agenda, non cognito morbo, non intellecta caussa; atque id impune non solum sit illis, sed vnde mors tot hominum, & miserorum languentium originem ducit, illis gloria cedat? O infandam audaciam, perfidiam, nequitiam, stultas hominum mentes, & in sua damna procliues! Adeo vt si quem suspensum stare virum probum, & sapientem, piumque, & in miserorum ægrorum commoda intentum videant, tamquam ignarum (qui non statim doceat quæ agenda sint) aut alia cogitantem, & cerebrosum vocent. Tantum error potest Populi, improborum artificium malignitas.* In iudiciaria autem [calumnia] exerce illud: (de hoc autem supra actum est:) scilicet, repetita interrogatione post aliquot dies; quod si iustus sit iudex, accusator, & testes pœnas luent; si improbus, opprimeris. Sed talia iudicia ira Dei subsequi solet. Quum etiã coarctata loco & tempore fuerit calumnia, facile refellitur, aliud probando, eodem loco & tempore [à te factum aut dictum fuisse:] at sic etiam negans oratio probari solet, scilicet per affirmantem oppositam. Dubitatur autem, an melius sit, accusari, & absolui in iudicio, an non esse accusatum? an per calumniam accusatum absolui, vt innocentem, an non accusari? an intentari iudicium, sed omissum desperatione, an non intentari? an nominari, ac in suspicionem venisse, nec nominari? an venisse in suspicionem; an prorsus non cogitasse quẽquam de hoc? Et sane in his quæ effectum notum habent, vt occidisse hominem, melius est per calumniam accusatum, & innocentem pronunciari: nam ad alia iudici multum confert absolui; at alia ratione deterius est, quam non accusari, quum gratia, pecunia, vi oratorum defensus videri possit. At in criminibus quæ effectum apertum non habent, vt hæresi, concubitu puerorum, nullum est auxilium ab innocentia: adeo melius est bona Fortuna vti, vt ne in suspicionem quidẽ cadas: adeo enim quædam maligna sunt & exitialia, vt etiam cogitatio propria labefactare, & polluere hominem videatur: velut si quis de Deo male cogitare posse sibi persuadeat. In populari autem opinione omnis etiam suspicio maculam affert: aut enim flagitiosus est, aut odiosus, & ob id huiusmodi feruntur. Quamobrem nec dolori indulgens, queraris [te] petitum veneno, vel ferro: existimationem enim minuit, & animos inimicis & æmulis addit: videris enim talis, in quem audere licuerit: (Persuasum est enim imperitis, egregios viros etiam à cogitatione tutos esse debere:) Sed sufficiat queri de grauibus persecutionibus. At in iudiciis, si æqui sint iudices, quæ non probant, vbi de noto effectu agitur, ad opinionem calumniæ iuuant. Absolutum autem de iure esse, vt indifferens est, ita ad innocentiam trahi potest.

Si

Si trifariam distinguendum: Si tu, tamquam non cures rem, queraris publice, fabricatam in te pulcherrimam technam, de te de qua ne cogitaueris quidem; hoc autem breuiter narrabis, cum risu indignationis pleno: Aliter vero etiam si ad non amicum: tamquam ad amicum singularem, narrabis commentitiam fabulam, capita argumentorum tangendo, solum non enarrando; dolebis Fortunam tuam, mores hominum; quereris nullam esse his rebus propositam legem, aut saltem non obseruari: omnia autem cum indignatione, ira, fremitu, verborum paucitate: nam hæc innocentiæ sunt indicia. Adiicere potes, quanto damno tibi sit; & criminis magnitudinem augere. Quanto enim maius à te fingitur, tanto quisque ab illo te [longius] velle crediderit. Noli tamen adferre probationes, nec proferre experimenta, quasi confisus in innocentia tua; sed expende amici opinionem, an te, vel ab alio potius sit persuasus: Frigide consolabitur ab alio persuasus, aut tacitus manebit: si à te, ad vltionem incitabit te, & operam suam pollicebitur. Si ab alio persuasus est, ab eius amicitia prorsus te subduces. Neque enim honesta vel vtilis amicitia esse potest eius, qui de te male sentit: sed aut fraudulenta est, aut ob timorem solum te colit. Sic vero agendo, vtriusque improbitatem testaberis, & tuam tueberis existimationem. At si stultitiæ te insimulent, iam hoc maius est æmulatione atque calumnia, &c. sed si hostilis insectatio: publiceque prouocandus in iudicium; vindicanda quovis modo iniuria. Nihil enim non licet contra tanti sceleris autores: quin etiam proscribere, atque vulgare male dicta de illis, factionem suscitare; & beneficio vti iniustæ calumniæ si non potes, nihil melius, quam concessis à populo id ostendere. Est autem id:

Nullus maiorum meorum stultus fuit: inde ridere.

Vbi de religione agitur (quoniam hodie in ea summum est periculum) ne vmquam detegas te errasse: sed melius est omnino prætermittere; quam secus agendo, nec magis pietatem colas; velut festis diebus primis quam impeditus sero ad sacrificium ieris, plus iacturæ affert quod videaris contemsisse, quam auxilietur pœnitentiæ opinio. Et ideo ne accesseris: sed postridie, aut alio die, quasi duplicato fœnore & re & exemplo vtrique satisfacies. Hocque tutius apud plebem, honestius etiam apud nobiles: quorum vt non est simplicitas garrula, ita maximum decoris studium. Porro huic negotio maxime studere debent vere sapientes: nam nulli magis obnoxij populari calumniæ; vt optimi pro pessimis, & præstantissimi pro imperitis habeantur tot falsorum criminum seminatoribus: adeo vt nulli magis fiant obnoxij legibus, maxime tyrannorum; quibus innocentes opprimuntur, improbi elabuntur.

Quandoque iuuat in aliis caussis petere præsidium coram multitudine, aut prorsus contemnere rem, atque negligere. Quandoque enim ex compacto te oppugnabunt; vt si tentaueris, turpiter cadas. Ostende itaque te veritatis tantum studiosum. Multum iuuat hæc tensa. [prætensio. Quinetiam contemptum, vt dixi, ostendendo, magnitudinem præferes. Quum vero quicquam multitudini inuisum facere in animo est, ne antea queraris; sed potius laudibus euehas, optareque simules. Sic enim omittendo quæ laudasti; quæ quæ optare visus es; id necessario fecisse videberis: nec maledictis virulentarum linguarum subiicieris. Solent autem hæ occurrere calumniæ, his qui cõiunctis sanguine destituti sunt, & in principiis sementis huius exitialis parum diligentes fuerunt, & virtuti, & persuasioni de se nimis confisi sunt. Quodsi per potentes viros, & aperte, æmuli te calumnientur, potentiores opponere oportet; indicia, &c. nam & illa potentibus prosunt, &c. turbas in populo suscitare: tum vero æmulum forsan (raro enim hoc genus insectationis à pluribus pendet) facilius fuerit euertere, quam resistere potenti. Vbi calumniæ fundamentum verum sit, res tamen ipsa dolo agitur; vt si medico philosopho aut eloquenti (neque enim prorsus imperitus omnium esse potest) obiiciatur quod nouit, ad existimationem in arte eleuandam; non negabis (quod stulti faciunt,) sed optare hanc gloriam simulabis: inde aliquo facto optare non esse, ostendes. Horum altero existimabunt se non nocere, ob idque desinent; altero totus videberis principali negotio intentus, & solum in eo perstare [aut præstare.] Nec versaris in periculo, ne non inuertant exemplum, opinionis in principale; quoniam in eo acrem propugnatorem te esse oportet. Quid enim magis nocet existimationi, vt nullus sis, quam profiteri, & non præstare; verum turpiter vinci, atque nullum te exhibere? Si ergo hoc ipsum simulaueris, nonne omnem opinionem de te vulgatam eximes, atque eradicabis? Vbi vero in dictis, & de calumnia doctrinæ, calumnia vulgetur maxime aduersus professores, iuuat, non è te dicto petere, neque sine occasione, sed transuersim, & quasi per ænigma, perque occasionem, & breui sermone, nec sine autoritate, si potes; & tacite illos ad certamen inuitare. Quod (etsi postmodum parum præstiturus) agebat recte Canenagus: *Veluti quum dicerent æmuli, me fucatam doctrinam, atque coloratam, sed neque veram neque ex veterum sententia, sed nouam, spargere; dixit; tria genera animalium esse, quæ singula armauit Natura: viribus hæc, illa fuga, alia dolo: in quo [postremo genere] sunt serpentes. Ob hoc Aristotelem dixisse, leonem esse ingenuis moribus, quod viribus suis confidat. Non occulte, si quid habent, insusurrent in discipulorum aures: Facile intellecturos, qui cernos se credunt, saltu esse asinos. Legant quæ de huiusmodi viris scripsit Galenus (etiam producto loco:) nam & idem certamen imperitorum & stupidorum aduersus illum fuisse. Prodeant, prodeant (vel prodeam,) si quid habent, dicebat Canenagus, geminato verbo. Certum est quicumque nunc profitentur Papiæ, esse è nostris discipulis, nostraque scripta iam vbique legi: Tyrannicum esse, imo impudentium, maledicere, non adiecta ratione? Voces esse sparsas à quibusdam medicis, qui videant breui futurum, vt si discipuli audire pergant, non solum se futuros longè superiores, sed etiam illos vera doctrina in lucem productos, apud Populum contemtui habendos. Propterea sua interesse, vt quanto plus*

illi

illi vrgent, ac dissuadent, tanto acrius his studiis incumbant. Sed neque voto potientur. Nam si qui modo decepti verbis eorum, discedent; hi solum erunt qui imperiti sunt, & ob id desperabunt se posse eo peruenire vt illos superent. Nam qui præstant ingenio, non dubito quin sint perseueraturi. Talibus & ipsi autores machinæ absterrentur. Quum vero numquam satis aduersus hoc malum, quo præcipue omnes virtute præditi (velut asilis delphini) vrgentur, (muniti sumus) id maximum est calumniæ argumentum, de pluribus generibus accusari. Nam si falsa sunt calumnia fere palam est; si vera, quorsum tot, quæ ægre postmodum probari possint, inculcare; quum in vno conuicisse sufficiat? tum præsertim (quum eum) in eodem genere multis exemplis peccasse, demonstrauerit. Atque hæc excusatio plus habet efficaciæ apud magistratus, & sapientes; & magis seria est illa apud populum; quæ inanis ac leuis, (&) omnino fucata. Nihil autem efficacius in respondendo, quam si coram populo vel iudicibus, ad certamen prouocaueris. Quod mihi bis feliciter contigit: Primum quidem simpliciter Mediolani; post Bononiæ; proposita conditione, quum de lectionibus conquererentur, simulata accusatione, dixi. *Si omnes vna ex his (calumniatoribus, tam) professores, quam discipuli, vel paginam (vnam qualem ego) scripseram, super eodem libro (profitebar autem tum secundum Hippocratis Epidemiorum librum) conficere potuissent, gratis me velle per annum profiteri: Sin non possent, stipendium trecentis augerent coronatis, & in posterum à calumnia desisterent.* Nemo nec in prima, nec in secunda obligatione ausus est conditionem recipere; sponteque victos se fassi sunt. Potest & contorqueri conditio ad solos æmulos: idque tanto honestius, quanto prior efficacior, & gloriosior.

Porro scommatibus in his locus datur, tum etiam fabulis, sed breuibus admodum. Velut quum quidam grauitatem maximam immerito præ se ferret, dixi, Vt plures sibi sapiunt! ille probandus, est, qui pluribus sapit. Quum aliquando non pro dignitate libri Epidemiorum, quem explicaturus eram, orassem, dixi, Bonum pannum numquam pulchrum habere limbum. Alteri dixi, Conon [aut Codrus] Rex mortuus est vt seruaret exercitum, &c. quod non blandirer discipulis; nec equus, qui domini seruat vitam, sed canis inutilis. Quum existimarent rarum me habiturum auditoriũ, respondi, Plures venduntur Donati, quam Virgilij, quam Aristoteles. Obseruandum est in his, vt non solum rem ipsam honeste excuses, sed autores calumniæ simul grauiter accuses; & vt facto ipsi simul medearis: & vt, si res aliter cedat; (velut quum postmodum pleno auditorio legi) ne eam partem inconsultius improbes. Verba humilia, vel res obscenæ numquam conueniunt, nisi indignabundis, & in iniuria manifesta, quum ipsi alioquin graues habeantur. Nullum enim est tam exiguum discrimen in sermone apud multitudinem, quod euidentem non faciat varietatem.

At quum res in angusto fuerit, oppugnauerintque te, hinc vrgendo, illinc per suppositos astantes; tunc opus est summa mansuetudine, patientia, sollicitudine, ac grauitate; diligenter omnia considerando, & librum habendo depromptum, omnia continentem: & nihil est mali, nisi iactura temporis: sed si potes, (vbi nec illos flectere vales, nec ciues intelligunt, sed sunt dementati) ne illorum vestigia sequaris, ac Deum offendas; melius est locum abominabilem relinquere. Verum si aliam sustines prouinciam, velut profitendi, & ibi (maxime ob ambitionem discipulorum) viget hoc malum, vt nec retinere tuto possis, nec honeste relinquere munus, suscita sensim (si potes) iuuenes aliquos, eos ad rectam viam dirigendo: aut gregarium te medicum exhibe: hoc enim exoptant; & nil aliud primum cupiunt. Verum nec id sufficit. Nam facilius ex secundo loco ad vltimum te reiicient; quam ex primo ad secundum. Necesse est igitur fauere iunioribus, atque illos instruere; & vitare truculentorum carnificum consuetudinem, ne in aliquod magnum malum importunitate sua te ingerant. Est enim difficillimum cum illis pugnare; nisi apud Principem aliquem optimum & prudentem sis: quum id accidat (in hoc negotio) quod dimicantibus cum illis qui vitam suam desponderunt: nam hi non vitam, sed animæ suæ curam abiecerunt.

Si iniuria publica sit, & per pueros aliorum, in te, aut tuos, (maxime autem in vsu sunt nomina insaniæ, ebrietatis, pædiconis, mœchæ mariti, aut deformitatis in corpore, tum ignaui,) nec pœna proposita publice est, velut Bononiæ, ac Romæ (vt mirer contra criminis iniustam falsam notam solam actionem ciuilem relictam esse) Dominum, non illos, si vales, solus solum, de summa iniuria, quæ nunc habetur in vxoris impudicitia, saltem dolore afficies, perterrefaciesque. Si cum præfracto negotium est, & tu per pueros idem ages, sine luce, per inanimata; inanimatis animata vlcisceris: post 1. c. l. noc. ap. si potentior sit, ita vlcisceris in suis, vt non solum te cogatur relinquere, sed etiam perpetuo in mærore viuat. Digni enim eiusmodi homines sunt, quorum stirps prorsus extirpetur, ab omni humanitate atque virtute alieni. Illud diligenter caue, ne ex tribus præsidiis perperam vnum pro alio eligas. Quod si lege agere licet, nullo alio præsidio vti debes; non solum quia melius multo, sed quod Rempublicam bene constitutam esse id doceat; ac illam non violare decet, quæ te tuetur. Et qui peccat, minori pœna dignus est; quoniam haud ex licentia id agit.

Specialiter autem si te insanum esse diuulgauerint, quod (vt dixi) summum est omnium conuitium, dicas: Si opinionem illorum de me, Dei esse arbitrarer, vtique ex hoc sermone, &c. me suspenderem: Verum quum hanc opinionem contrariam esse mihi persuadeam illi, quam de me Deus habet (vt qui inimici Dei sint) gratulor mihi ipsi non parum: Et tamen cum hoc ipso etiam, si quando occasio detur, meritas illis gratias agam.

CAPVT

CAPVT CX.

De contentione.

IN contentionibus ansam præbent improbi & æmuli,& qui te oderunt, iniuriam inferendi. Summa est,vt paucis verbis vtaris,nec irascaris, & vt eos refugias, vt roges, an velit quicquam plus quam iure illi concessum? Si negas, respondeas, Igitur vim inferre paras: audite qui adestis:neque tu ergo te ipso teste iustus es vir. Si concedit,dices, Iam conuenimus: neque ego quicquam aliud volo. Hæc maternæ linguæ sunt accommodata, non vt Latine proferantur. At si cum sycophanta res sit, versa vice eisdem ille te obligat verbis,vt te decipiat. Respondebis igitur, Te velle sane quod ius æquomque præcipit: sed quale illud sit,videre te cupere:nam hoc titulo illum inique agere atque iniuste.

Quidam adeo sunt impudentes, vt etiam ab incognitis quæ neganda essent amicis,petant,&,si neges, minentur. Vbi tales videris, tempus petas ad deliberandum. Quod si velit in longum producere sermonem, ne feceris. Ipse enim paratus consilio,(& forsan vi etiā,) venit. Vbi respondendum est, meditata oratione paucis,& coram Principe,vel magistratu, vel potentioribus amicis, sermonem habeas:alium omnem recuses. Propterea obniti decet quantiscunque viribus, ne vlla ex parte te de tuo deturbet statu.

CAPVT CXI.

De iniuria accepta.

INiurias ergo minores hoc in casu vlcisci debemus acriter & obstinate:sed ita,vt aliud quiduis potius, quam hoc,agere videamur. Blandum te inimico ostendes;& leuibus etiam officiis quibusdam ita eum prosequeris,vt facilior vlciscendi occasio detur. Sed nec vlcisci iniurias temere conaberis in leuibus. Primum, quod turpis est vindicta, quæ offensæ non ex toto, neque maxima ex parte respondet. Dici enim solet, Inimico ad lumbos tenus demerso, manum præbe, ad scapulas vero vsque, præcipitem age. Sed nec in quibusuis tentabis. Submittet enim forsan amicos,etiam potentes, qui tuum animum explorent. Vnde primom illum cautum reddes,ne in posterum amplius queas illi insidiari, aut ægre,& forsan ille præoccupabit. Inde & illos qui ei amici sunt, concitabis, & vt improbum & vindicem gtaoem existiment. Neque est recta talium sententia: sed amici saluti potius consulunt, quam quod iustum sit, iudicent. Ob id ignotis hominibus nunquam communicabis animum tuum, nec fides. Et quanto occasio pulchrior esse videtur, sac vt auiculæ, &c. quæ suspectam habent pinguiorem escam, verba vero quæ infamiam,aut iactoram magnam tibi non par unt,noli vindicare: est enim furiosi. Non est vindicta tentanda, nisi quum tanta & talis fuerit, vt illum saltem de statu suo deiicias. Quinimo si te rogant, noli (vt stulti solent) medium tenere, aut alacriter iona, aut omni studio illum perdere delibera. Si quis filium aut filiam (tuam) iniuria affecerit(clam tamen, & illis non repugnantibus)non palam vlcisci oportet, quod abscōditum est, &c. nec inultum sinere possis gloriari, &c. sed vbi glorietur, aut ingratus fit, tunc clam, & ipso in scelere erga tuos, aut alienos, tamquam iniurium & desertorem vlcisci illum oportet:hoc autem facile est,implicitum flagitiis & amore seductum. Si quis improbum te dicat, trifariam solent satisfacere, vel negando, his verbis; Non veritatem dicis, hoc honestius: illud acrius, Mentiris: tamen æquiualent. Tertium est, Sum probus: hoc maius est, quam si dicas, Non, nam fieri potest, vt nec improbus sis, nec probus. Et quamquam ita sit, non tamen satisfacit: vt si dicas, Vera non dicis; licet plus dicas, quam si respondeas, Non, & neges: nam illud superadditum, Probus sum,non repugnat illi. Quia quum dicit, Improbus es, duo comprehendit, vel quod improbus sis ciuiliter,id est, malus, vel πονηρός apud Principes, vilis animi: hoc non negas, quum dicis, Probus sum; sed incumbit onus probandi tibi: ideo iniuria affectus es. At duorum priorum modorum altero, ille ideo iniuria affectus est, quod si adiicias dicto, Probus sum sub omni sensu & significato, honeste vltus es iniuriam, quia incumbit munus ei probandi. At si cum periculo sis, melius est tacere, aut dicere, Sum: nam dissimulantia præsupponitur: incumbit tamen munus probandi tibi: nam iniuriam fateris. Melius est hoc, quam respondere, Probus sum: irritas enim, & non satisfacis. Callidissime agitur, si audeas dicere, Probus sum, addita generali nota, vt dixi (modo enim sensus maneat, nil referunt verba:) nam si adiicias, Mentiris, putabit iniuriam fecisse, quum acceperit. Neque enim post iniuriam relatam licet amplius inferre, aut excutere verbis; sed iudicio aut facto opus est. Minor autem, & in potestate aliena, iniuriam non dicitur accipere, maxime in periculo, vel digna ira, vel iusta suspicione ex verbis contumeliosis, aut leui facto, ob exempli vtilitatem,& necessitatem rei, Quod si quis præoccuper, dicendo. Mentiris, nec ille iniuriam dixerat,sufficit respondere. Quod sit improbus; relataque est iniuria: nec iouat eum, si denuo repetat. Mentiris; sed iniuriam accepit, quia lex, & communis hominum consensus fauet referenti. Et multum etiam refert,an dicas, Verum non est; &, Vera non dicis. Nam ex communi consuetudine fertur primum, nec dicit,illum scire, & fallere; sed potius falli. Cum prudentibus plurimum refer-, vbi te onerent verbis, illud deesse tibi testari, quo maxime superbiloquentiam exercent. Velut si opulento dicas, Tametsi pauper sum; (perito literarum, imperitus;) non tamen ideo a te contemni; aut efficacius, iniuriose me contempellere debes. Nam & per ironiam dicta suspicantur, etsi serio pondus huiusmodi verba habeant, quasi ei causæ & tuo iuri confisus hoc agas, & superbe se gerat. Vnde confessione illa,& tam ancipiti verbo, hucilluc que animo distorquetur.

Tim. I.

Iniurias Principum æquo animu feras; ne te præcipitem agas. Memento quam nihili ſingulos mo tales faciant, qui non pari ſint poteſtate. Exemplum illud Proregis Neapolis noſtris temporibus, te moneat; qui tres pueros (quorum natu maximus ſextum decimum annum non exceſſerat) nulla cauſa, nec inimicitia priuata, quum non potuiſſet inuenire qui damnare iudicio vellet, iugulari iuſſit; & pedibus in campum qui ante arcem erat, trahi. Hæc quum cogitaueris, nullam tibi à Principe iniuriam fieri poſſe, puta.

In vniuerſum, iniurias Principum & aliorum leues, ſpernendo prorſus obliterabis, quum te id altu animu facere intelligant: graues preme, vt opportune vindicare poſſis. Sic Aſtyagis Harpagus, Cambyſis Prexaſpes: quum vnus [patri] vnicum filium epulandum dederit, alter nulla cauſa filium coram patre ſagitta per cor directa occiderit.

Iniuriarum autem, quæ in verbis conſtant, maximæ ſunt, impietas & inſania. Prior periculoſior; præcipue bis temporibus; poſterior ſemper damnoſa in omnibus actionibus, atque apud omnes. In priori, ſi ſemel in calumniam incideris, neglige, ſi abſque iudicio ſit; ſi accuſatus, fac vt iudicio libereris: deinde accuſatorem ita tractabis, vt exemplum præbeat aliis. Neque enim inultum quicquam ex his ſinere oportet. Interim vero ſic viuas, vt nullam de te ſuſpicionem præbeas; & vt contemnere [calumniatores] videaris.

CAPVT CXII.

De iudicio.

IN his vero qui Iudicio publico ipſi, vel in ſuis, perculſi ſunt, nec deſiount æmuli infamia illos aſpergere, mutatiu loci neceſſaria eſt: aliter Hydra fiet Lernæa, & ſi pati etiam velit.

Veterem ferendo iniuriam, inuitat nouam. Si conetur vlciſci, aut reſiſtere, quid] inter tantus? aut etiamſi cedat, dicent, In minoribus feruidus & impatiens, maiora æquo animo tulit. Hoc eſt ſenum delirurum opprobriom. Aut igitur patienter omnia ferre, & Cynico more contemnere uportet (quod non eſt præſentis inſtituti) qualecumque ſit, aut mutare locum neceſſe eſt, & in voluntarium concedere exilium, magnorum exemplo virorum; (Naſicæ, Metelli, Solonis, Lycurgi: qui tamen tolerabilia paſſi ſunt;) ne te, velut ignubiles canes, vulgus, & deſpecti homines, gloriæ inimicorum tuorum minime participes, proſequantur: à quibus ſi vexeris, ad quos recurres, vt dedecus propulſes? Licet (vt mihi ſeni, & æterna molienti, non vt recte agenti, ſed vt minus male) rebus ſuis conſulenti differre aliquantulum. Semper enim, vbi de ſpe æternitatis agitur, omnia alia contemnere non ſolum licet, ſed etiam expedit: tum eo magis, quod propoſitum huius libri eſt, hominem (quantum fieri poteſt) ab exterioribus damnis reſtituere [vel immunem reddere.

At generoſioris ſpiritus fuerit, ſi calumnia publica opprimaris (nam ſine ea vt inimicus tractandus eſt) exemplum ſequi Alcibiadis, Coriolani, Sertorij, vt [ad inimicos,] non ad amicos Reipublicæ tuæ refugias, apud quos inimici tui plurimum potuerunt, &, ſi ibi cadas, tua culpa cecidiſſe videberis; iuſtamque priorem iniuriam dicent, velamenque ſceleri obtendent; & vtcumque res cedat, vltionis ſpe carebis; quum neceſſarium eſſe conſtet, vt quietus viuas: Nam ſi aduerſis poſthæc premaris, duplici modu afficieris, & contemneris miſer. Si felix (fueris,) quanto felicior (fuiſti,) eu magis luctus dolor augebitur: Vt in huiuſmodi caſibus nullum ſit ſolamen, præter vindictam; in aliis omnibus (velut Cæſar de regnu dicere ſolebat) pietatem cole. Ita ergo liberali animu remitte, & ignoſce. Sed neque ad impotentes (quibus præter omnia hæc mala illud accedit, vt non habeant quod dent;) ſed ad inimicos & potentes (confugiendum:) apud quos ne negligaris, aut opes, aut inſignis facti gloriam tecum feres. Vix poſſis hoc facere, ſi inops abieris. Inde totus iu vindictam publicæ calumniæ intentus, & in commoda Regis tui, ne quicquam anceps, aut timidum, aut vtile, aut ambitioſum, aut contradicendi ſtudio cogitare videaris, ſed grandia, vtilia, prudentia. Etenim vlciſci prauos, liberare miſeros aut ſeruitute aut morte, forſan Deu ingratum non erit, ſi te magnu animo iuſtam vlciſcentem iniuriam foueat, & actum ſecundet: (nam ſine eius numine quis dubitat hæc fieri non poſſe?) id tecum meditare, *Me euexit in apicem, illos excæcauit, vt mihi iniuriam inferrent; & mihi animos addidit, & vt vlciſci poſſim, effecit. Sequamur igitur ea, ad quæ fauor Dei, & inimicorum iniuria nos inuitat. Solatur me Philoſophi dictum: Pulcherrima mors eſt in bello: & Virgilius.*

——pulchramque petit per vulnera mortem.

& rurſus.

——Pulchrumque mori ſuccurrit in armis.

Quum accuſatus in quæſtionem veneris, obfirma animum recta ratione Philoſophorum: (Parum differt hoc ab illu:) Inde contra finem; aut fugias damnationem, in qua omnia continentur mala, ſupplicium, dedecus, irriſio, iactura rei, contemptus tuorum, verecundia, ſeruitus. (Damnatorum enim corpora pro mortuis habentur, nec ſunt ſuorum ſed publicata:) Demum aduerſus interrogationem. Veluti quendam amicum, quum accuſatus eſſet, quod puerum corrupiſſet, illo etiam vehementer læſo, quia de facto conſtabat, teſtis deerat, interrogarunt quanto tempore non concubuiſſet cum femina (erat autem in iuuentutis flore) & ille miſer dixit: iam quadriennium interceſſiſſe: quum hoc reſponſu non ſolum criminis ſuſpicionem augeret, ſed videretur iam pæderaſtes. Multum autem intereſſe videtur apud leges, an quis ſcelus admiſerit, an ſceleratus ſit. Conſtat enim (ſi res apud iuſtos iudices agatur) longe grauius hoc puniri. Nam punire ſcelus, eſt inimici, non iudicis prorſus corrupti auaritia vel gratia aliorum; vt ſceleratum dimittere impunitum, iudicis nullius pretij, aut infamis. Ergo huiuſmodi dicere debuit, Se

mulieribus

mulietibus vſum. Sed ſi [plura] quærant ſubiiciat, Hoc non eſſe arbitrij ipſorum, diuinam confeſſionem exprimere:(quum etiam in illa nŏmen non requirant:) cum pluribus etiam potius quam cum vna rem ſæpius habere te, melius fuiſſet dixiſſe. In principali autem admirationem præferre oportet. Velut illud, Non puto hoc vnquam dixiſſe [quemquam,] nec dicturum eſſe. Vbi affirment; vocetur coram, (Neganti nulla poſſunt abſque comprobatione adhiberi tormenta.) Vbi adfuerit, tuæ ſolertiæ [erit,]vt omnes credant, te inſontem eſſe. Hoc autem alias docuimus(in Dialectica) Per frequentes interrogationes etiam ſi factum conſtet, coniectura mendacij erit apud minus ſolertem, modo Iudex æquus ſit.

In litibus, ab initio (ſi potes) conare excindere teſtes, corrumpendo, & iudicem aduerſariumque leniendo, vel deterrendo. Si non potes, aut ſufficere non exiſtimas, acriter procuratoribus obſta; iudicem non fatiga. Aut enim maiore crimine obſtrictum, aut maioris lucri rem eſſe putabit. Sed vt medicamentis concoctum morbum, non amicis lenibus, ſed pecuniæ imperio eradicabis[aduerſarium.

Oportet etiam qui aliquid velit impetrare, ſcire mores eorum à quibus obtinere debet. Sunt autem proprij, & communes. Vtroſque igitur ſcire decet; & propriorum media propria, & à quibus: potentium, & iudicum, (nam & hi potentium, quod ad tempus attinet, è numero ſunt.) Potentium igitur & ſemper, & nunc, qui medij ſunt, & horum qui (vt dixi)proprij ſunt. Ergo huius ætatis (melius enim eſt, proprius accedere) voluptas ſcopus eſt. Ad voluptatem autem via pecunia. Sed & gloriam ſub voluptate collocarunt. Quicquid ſub horum altero non eſt, extra aleam eſt. Porro ſub gloria, potentiam collocant. Quumque ea ſe dignos exiſtiment, non metuunt, neque infamiam, & ſunt voces, neque facta aliorum; vnde minis non mouentur, ſed irritantur. Propter voluptatem autem molles effecti, & nolentes de morte cogitare, illam, contemnunt, & quæ ad illam, & quæ propter illam. Quamobrem quum propriam vitam negligant, alienam nihil ducunt. Itaque miſericordia non mouentur, neque iuſtitia, neque æquo; ideoque neque precibus, ſed in faſtidium vertuntur. Amicitia autem, quoniam ambitioſus non habet, &c. niſi quos vult eſſe pares; neque familiaritate, neque beneficij amicum definit. Non ergo mouentur aut iuſtitia, aut amicitia, neque metu, nec miſericordia (ſunt enim duri cordis,) neque precibus. Ergo quibus [mouebuntur?] his quæ ſecundum voluptatem, & his quæ ad illam, & ambitioſa actione(ſub qua etiam & contentio æmuli, & vltio continetur;) & demum reliquiis iuris; ob id quod hoc eſt prædium iudicum & tabellionum: ob id etiam audaces & improbi (ſed neque id ſemper) violare audent [ius,] propria autem vniuſcuiuſque ex communibus dicere licet.

CAPVT CXIII.

De hostibus: vbi de Reconciliatione.

INimicos non prius inimicos eſſe, detegas, quam vlciſci illos poſſis: antea vero, non vt amici, ſed nec vt inimici tractandi ſunt. Præſtiterit autem de illis vtilitatem captare; velut in libris de Vtilitate capienda ex aduerſis, dictum eſt. Porro de illis numquam ſermonem facere decet; ſed eorum actiones obſeruare. Caue autem in omni contentionis genere, ne ordinarios iudices relinquas; ſed illis inſiſte; & quantum potes, beneuolos tibi redde. Plurimi enim dum ad ſupremos refugêre, periclitati ſunt. Sed ſi inimicus per exploratores te tentet, numquam deſiſtet; viamque nocendi inueniet tandem; niſi effeceris, vt ſuo ſe ipſe malo conficiat. Quod effeceris, vel exploratore ſuppoſito, qui tuus ſit; aut eo, quo vtitur, decepto. Præterea occultum inimicum ne apertum feceris. Qui enim occultum ſe putat, & mitius agit, dum detegi timet, & facilius opprimitur: cuius rei innumera ſunt exempla. Itaque diſſimulare inimicitiam, prudentiſſimorum hominum eſt. Et ſcias quod ab inimicis furibus, &c. parum de vita timendum eſt; maxime ſi te non imparatum inuenerint.

Quod ſi inimico recŏciliari expediat (quum non exitialis eſt)ad tempus, ſeu pro occaſione, quum improbi eſt animi; aut etiam perpetuo, quum generoſi; id optime ages communi excitato in tuum inimicum hoſte. Vnde qui inductus eſt, pœnam facile luit, quum per eos per quos inductus eſt plectatur. Velut Fr. Sfortia ſecundus, quum Rhetos in Iacobum Medicem excitauit; inde iunctus Rhetis, ad deditionem illum coegit. Propterea per alios id faciunt, ne proditores dici poſſunt. Sfortia licuiſſe ſibi dicebat, tamquam in rebellem. Ideo recte animaduertere oportet, pro quibus pugnare decreueris. Quum vero ſint duo genera offenſarum, publicum & priuatum, reconciliatio in vtroque per paria effici debet: nam priuata, in publico offenſa, non ſatisfacit iniuriam paſſo; nec tuta eſt ei, qui fecit: Publica autem reconciliatio, in priuatis inimicitiis, ſcenici quod habet. Tutiſſima vero in vnoquoque genere [reconciliatio ſit] per amicos, potentes, generoſos: primo per potentes & generoſos, ideoque per magiſtratus; poſt per amicos generoſos; inde per amicos potentes; poſt per generoſos, ſi vere tales ſunt; poſt per amicos; poſt abſque intermediis; peſſime & inique per ſolos potentes, aut alios, qui neque generoſi ſint, neque amici.

CAPVT CXIV.

De inimico exitiali.

QVod ſi quempiam ex illis exitialem tibi imminere cognoueris, nec te ſupinum proiicias; (nulla enim in miſericordia ſpes; poſtquam neque à principibus, neque à miniſtris parcitur viduarum infantibus, frigore

 vel

nique, quod si perstitisset in pretio intolerabili, poteram accepto argento inuenire aliquem, qui longe meliore conditione aurum in argentum illud commutasset. Dictum est autem superius de aliis huiusmodi: sed non par ratio, quum illi nil pensi habeant, honoremque iam prostituerint, & occasio magis sit momentanea. Negotiatorem superbum & iracundum caue, etiam procuratorem. Nihil enim aliud quærit ira illa iniusta, quam tibi iuste non liceat irasci; imo nec queri. Hos igitur homines, vt pestilentissimos, deuita.

Nec credas pecunias trapezitis, quamtumuis fama opulentis, qui sumptus supra conditionem faciunt. Aut enim velare cariem, qua exesi sunt, cupiunt, aut stulti sunt. Sed & pecunias creditas, vbi hæc videris, (dico canes, equos, aleam, conuiuia, regiam supellectilem) repete.

CAPVT CXVII.

Vbi omnia tibi sint aduersa: & de mœrore.

Qvam vero quasi irato Deo omnia tibi aduersa contingerint (velut mihi anno MDLXIII. filius æmuli domestici) ne te supinum abieceris, nec tibi defueris, neque spem abiicias. Cogita Deum cuncta disponentem, cœlum, astra, aërem communem, Fortunæ volubilitatem, & vt sæpe maximis calamitatibus, tum multiplicibus incommodis magna succedunt commoda. Vitæ contemplare breuitatem; & quod illo eo peruenturi sunt quo tu, licet alia via. Nihil denique gratius his qui te oderunt, contingere potest, quam vt intelligant te succubuisse dolori, cessisse, & pedem è pugna retulisse. Dum fortuna admodum contra te sæuit, omnino quiesce, aut velocissime cuncta age. Immota enim non tam facile læduntur, à procellis, nec quæ sua velocitate præuertunt ventorum impetum. Sed & incisiones omnino aut lentæ, aut celeres admodum, dolorem non afferunt.

Sed quoniam tristitia solet opprimere homines in huiusmodi casibus, vnde negotia abrumpuntur, vigiliæ succedunt, corporisque ac virium consumptio, & in senibus persæpe attonitus morbus, aut resolutio, tum cæcitas, aut surditas, vel obliuio, aut, stultitia, in iuuenibus vero insania, aut febres malignæ, ex quibus moriuntur: præterea [accidit] vt indignatione permoti erumpant in verba aliqua, vnde occasionem arripiunt inimici, sceleratique magistratus, aut Tyranni, perdendi illos: Ideo aduersus hæc omnia præmunitum esse oportet: corporis cruciatu: mordeas: brachia vnguibus discerpas, ad dolorem vehementem vsque: (Nihil melius est, quam per tormenta corporis, animi lenire anxietatem:) Præterea inedia, abstinentia vini, ratione potissimum ea admirabili quæ ante dissolutionem nulla videtur, vbi dissoluta est, demonstrat: Aut enim nihil à morte nobis superest, atque ita prope nihil sumus, in eo vero quod prope nihil est, nil magnum contingere potest: (Et quamquam quidem fingant magna, vt in vltionibus, pompis, atque huiusmodi, vbi tamen refrixerint, & ipsi idem sentient, etiam in prospera Fortuna, & quantumuis secundis rebus:) Sed si animus est superstes, multo minus aliquid hic esse fingi potest, per quod beati vel miseri in hac vita possimus existimari: sed omnia ad aliam vitam referenda erunt, cogitatione in Deum, quum vix dici vllus possit, qui deteriora patiatur his quæ fecerit, vel obfirmato animo fecisset, si potuisset: tum illius benignitatem considerare. Iuuat & in hoc Martyrum vitam, & supplicia indigna, & patientiam legere, ac contemplari. Croci etiam potu expertus sum leuari curas. Sed & diuturna [prosunt] pedum balnea calentis aquæ, Princeps [Auicenna] recitat de Hyacintho [lapide pretioso:] non contigit mihi experiri, an adeo præstet. Et dicitur etiam de Inulæ succo, cum vino. Orientales maxime gaudent suo Opio: quo etiam fortes in bello, & ad Venerem prompti euapunt. Huiusmodi tamen, præter necessitatem, violenta sunt, & vitæ obsunt. Plurimum ex Philosophia commodi habebis, dum obliuisceris malorum omnium. Bona solum speres: in virtute felicitatem constituas, & vt ex malis bona decerpas. Difficillima tempora sunt, habitatores iniqui, non ius, non modus seruatur: vxor contumax, filius perditus dic, Quam felicior cæteris viuam cum aliis? Aleam non laudo: nam primum fit iactura nimia temporis; & homo assuescit ei vitio, etiamsi sine tristitia cogatur ludere, & si certet de paruo pignore, non tollit curam, & si exponat multas pecunias, quum vix sufficiat, &c. liber amicus, &c. ad victoriam occupatus, disperdet omnino, & adiiciet eas.

Sed tedeo ad primum. Quum in desperatis casibus iuuet tentare Fortunam absurda ratione, quæ quandoque vtilior est, quod inexpectata (velut in Agathocle,) ideoque hæsitatio & communicatio omnino inutilia & periculosissima sint, & tota spes in audacia reposita sit: inutilis tamen, nec tentanda seruis, (nisi quum alij multi in eodem discrimine fuerint, vt Spartaco,) neque tuta admodum priuatis, Regibus solis persæpe necessaria, quibus non pugnare periculosius, quam pugnare. In vniuersum actem esse oportet.

CAPVT CXVIII.

De his qui grauibus vitiis obstricti sunt.

Qvicunque scelerate aliquid agere cogitat, primum respicere debet, ne contra leges id agat, pœnasque det: deinde si tuto etiam id agere liceat, cogitet an eum reuocet à fine proprio humanæ vitæ, de quo dictum est. Insania enim mera est, maxima mala mininis deliciarum voluptatibus commutare. At ardeo, pereo, si illa non seruantur. Non est amare hoc, sed furere. Propterea furorem cura, non exple libidinem. Ferri possunt quæcunque ad finem bonum sunt, non meretrix sterilis, multo minus puer. Hic

magis abominandus, illa damnosior. Sed priore consuetudine nihil deterius: foeditas, tot impedimenta, periculum, odium, & quod è directo pugnat cum principali felicitate. Ita in decipiendo spes saltem magna sit, ne fallas pro Caridionis, &c. Sic ergo flagitium semper cum fine atque virtute coniunctum: vt concubina, cum prolis spe. In aliis occasioni seruiendum, non pertinaciter inhærendum, neque etiam tum sine aliqua virtutis & finis humani specie: Vt raritate dedecus, & infamiam, virtutis facto, conscientiæ morbum sopias. Neque enim illud Tragicum probaverim.

Per scelera semper sceleribus tutum est iter.

Κακοτεχνίαν omnino fugias, in qua exitus infelix insitus est. Velut qui cum vxore diuite diuortium fecit, quod præpostere concumbere cum eo nollet: inde infamis; paulo post, etiam mœrore consumptus est. Minorum aliqua in domu, aliqua extra admittere, minus malum est. Nam concubinam melius est ad securitatem prolis habere in domo, & quæ excusari possunt, meretricem extra: vetaque enim conditione caret. In domo si habeas, & custodem prudentem & fidum, qui illarum impetus effrenes coërceat: Nec quicquam magnum committas, sed sub specie honoris: In disciplina semper intenti, &c. fiut, vt locus non detur malæ cogitationi. Philosopho cuidam noto, quum nihil horum seruaret, meretrix aufugit, expilata tota domo: inde etiam accusatus ab eo qui illam abduxerat, diu fuit in vinculis. Vt habeas, lenone scito, & pecunia opus est, aut possideas: nisi vis tibi placeat. Multæ enim cogi volunt; virgines præcipue. Fertur enim illud Nasonis.

Aut nunquam tentes, aut perfice.

Tollitur index,

Quum semel in partem criminis illa venit.

Caue etiam ne grandia pollicearis. Nam quod præstare debent, etiam maius existimabunt; Si dederis, exhaurieris, & vt glorientur, diffamabunt: si non dederis, discedent, aut perpetua molestia te afficient. Caue [eas] cum quibus non solum negotium sit: Nam quæ habent fratres, aut amatores violentos, in magna te incommoda protrudent. Cautum etiam in conuersatione esse oportet, & magis leuiusculis donis persæpe, quam spe, vel pecunia, allicere præstat. Si rem iniquam tentaueris, quærantur que, amanda, velut iratus, proxenetam. Melius est etiam amatulentiam continere, quam se exponere periculo leuitatis, aut auaritiæ illorum, aut alicuius æmuli tui insidiis. Verum ita tempera factum, securitati tuæ caueas, & licentia moderate vtaris. Memineris quodcunque malum, magnum esse, magna, dura: Dura mollia fiunt consuetudine intermediorum, &c. nimium docemus: sed si pudorem occupas, pateas dedecori. A sæuitia abstineas: temperatus sis, nec ingratus. Tot modis etiam apud Deum forsan veniam sperare possis.

Porro quum tria sint bonorum genera; animi, & corporis, ac fortunæ, id malum inter vitia proprie dici meretur, quod omnia hæc simul euerrit, & etiam patens est aliorum omnium vitiorum: id vero est gula. Nam & fortunæ bona dissipat, & corpus languidum reddit, & infirmum, & animum vitiis replet. Nec quemquam ex his non summe turpem inuenies: Infinitisque id confirmatur exemplis.

CAPUT CXIX.

De filiorum cura.

Ex his autem quæ extra nos sunt, nulla est maior cura, quam filiorum. Eorum enim amorem Deus nobis insinuauit, & opum: qui quamquam ob immoderantiam, malorum multorum causa sit: necessarium tamen est, illum esse, ac semper fuisse. Est etiam vtilis: nam ob opes, artes coluntur, ob vitam, & lucrum ipsi erudiuntur. Porro filiorum causam omni pecuniæ anteponendam censeo. Quod si vnicus sit, quis ambigit? At si vnus inter plures, nonne etiam ex illo continuata stirpe, quum (vt alias declaratum est) orbis Dominum nasci necesse sit, plus habebunt quam quicquam quod amisisti, etiamsi regnum sit. Qua etiam ratione, quum proporrio infinita sit omnium, ad partem quamuis, & perpetui, ad id quod aliquando finem habet; palam est etiam in dubiis posthabendas omnes opes, (etiamsi sint centum millia coronatorum Philippeorum,) filiorum periculis. Excipere debemus eos filios, qui extra spem sunt in posterum propagandæ stirpis: nam etiamsi certo perituri sint, nihil hac causa curabis: Etsi opum amissio pluribus aliis, vel tantundem, id est, exitium pro exitio, aut periculum pro periculo afferat: pensanda deniqne diligenter, quum vnius certum exitium si tollatur hac iactura, quæ periculum vitæ afferat pluribus, aut si plurium periculum, vni opibus amissis, exitium afferat certum. Si qui vero ad vitia ardentes sint, & à patris obsequio alieni (quod etiam in fratribus & amicis vtile est, & ferme vnicum præsidium) illos accende aduersus inimicus suos veros, aut fictos. Commune enim, aut graue odium, & quanto maius fuerit, conciliat amicos. Narratur fabula de duobus canibus pugnantibus, & lupo adueniente. Secundum auxilium peti debet ex his qui moribus cum eis communicant, improbitatem autem & infamiam eandem non habent: Nam ab illis qui eis se credunt permutantur, quum alia perturbatio à contrario violentia fit. Habet autem hoc rationem alexipharmatici. Verum vbi aliquid boni inchoauerint, si damnes, spem & ardorem extingues, si laudes, vanos efficies, & ridiculos. Vna est ergo via, studium, promptitudinem, finis electionem probabis, tum quædam in singulis tamquam absoluta eliges, quæ laudes egregie. Docebis autem pauca, & quam leuiter in singulis partibus, multa vt sint in omnibus, atque ea vna ratione comprehensa: Vt in pictura: primum totius schema, inde maiorum partium, & ad totum & per se, & inter se delineationem, pòst partium in quibus illæ perficiuntur, & per se, & ad partes maiores, & inter se proportionem. Tum ad minores deuenies: inde ad exiguas: post ad minimas: vltimo ad vmbras, fines, & insensiles notas. Triplicem illam rationem obseruant. Demum ab initiu repetens, ad colores

res totius deuenies partiumque maximarum, inde ad sequentes ac minores, exiguas, minimas, ac reliquas, quæ quasi termini sunt, & fines, & pathemata. Ita magna leuiter, & plurima paucis docendo, illum ad multa & magna errata corrigenda induces, quum in paucis ac leuibus se defecisse, & sibi solum, persuaserit. Vt vero tradas magistris, eos eligas, qui sciant docere, & qui hoc velint: Magnus enim labor, tædiumque maius. Rem tamen & ab experimento in aliis diiudicabis. In ludis, laboriosos solum permitte, nam perseuerando robustiores fiunt, & facilius desistent, qui sunt molliores, Ita indulgentia, hæc illis aut vtilis erit, aut parum noxia, certe laudabilis. Quod præceptum est, generale esse debet. A ludis sedentariis arcere oportet, ne discant: vbi didicerint, occupatos adeo tenere, vt dedifeant; fido socio etiam apposito: aliter tam diu habere in vinculis, & obscuro loco, vt visus iacturam faciant. Nihil enim atrocius ludo aleæ, qui mane diuitem, sero[vespere] possit efficere mendicum. Absint denique blanditiæ omnes, & maxime ab educatoribus. Eorum loco perpetua sint benefacta. Sed & omnes blandicos, & blandiloquentes summoueas: tum quia hæc nihil iuuant, & sunt improbi animi indicia certa, tum quia assuefaciunt animum iuuenilem ad hæc beneficia. At si extra domum in spem collocare velimus: gratiosos, & efficaces, cum Principibus, solertes, & laboriosos, cum opulentis mercatoribus; ingeniosus, cum magnis artificibus, mansuetos & æquales, cum filiis ditiorum, vt simul erudiantur, cum obsoribus suorum; &c. senibus præcipue, atque auaris, obsequiosos, patientes, sagaces, sed expetitos.] Secus stulte: nam non plura genera sunt, nisi propter coniunctionem sanguinis. Porro pro studiis liberalibus adhibenda (communi etiam regula in electione puerorum) initia Geometriæ, pro rerum memoria: nam vocant imaginationem, syllogismos, pro ratione, orationibus solutis experieris memoriam verborum. Ratio alterutri memoriæ bene copulatur, ipse inter se minime. Sine ratione neminem studiis, imo ne negotiis quidem, adhibebis. Memoriæ ergo verborum [inseruiunt] oratoria, grammatica, leges, historiæ; rerum, omnes ferme reliquæ disciplinæ liberales, tum artes mechanicæ. Communes quasi, geographia, & simplicium cognitio. In docendo, &c. quæ iucunda esse præstat, repetitione, addito semper decore; quæ iucunde & celeriter, intendendo exercitationem, admirabilem fructum paries. Quum vero duo sint modi pueros ad virtutem inducendi, per blanditias, & vim, blanditiæ constant verborum lenitate, æmulatione, adhortatione, rationibus, promissis, ac præmiis: vis, timore, verberib us, carcere, fame. Meliores sunt, in vniuersum, blanditiæ, vi; & in vi, fugere oportet verbera: nam etsi proficiant, ex his, vbi defecerit ætas, impleto cerebro lachymali materia, stulti aut improbi euadunt: vt nisi militiam exercitaturis, ob doloris patientiam, non conueniat. Fames autem valde conuenit: nam non solum curat, mutatque temperaturam, & grauia flagitia emendat, omnemque contumaciam frangit, sed in consuetudinem versa, etiam adulta ætate plurimum auxilij ad moderationem morum affert. Metus autem medius est inter vim & blanditias. Carcer non nisi fame adiuncta, conuenit. Filias ne nuptui des, ante vigesimum annum. In puerorum quoque institutione literaria, grauem propone sententiam quæ diligenter pensitanda est: quam eleganter vertant, recta ratione scribendi, charactere pulchro, & in syllogismum conuertant. Ita motibus, facundiæ, orthographiæ, scribendi exercitationi, & demum dialecticæ prospicimus. In his etiam cauenda sunt duo maxima vitia, de quibus magistri grammaticæ (veluti virtutibus) gloriantur: vnum est, vt pueri excipiant notis quæ illi docent, nam scribere dediscunt: alterum est, vt sine mora interrogatis respondeant, quo fit, vt inconsulti euadant, & linguæ præcipitis.

Ei autem qui plures habuerit filios, & maxime iam adultos, & si laboret inuidia, aut locus sit factiosus, aut tyrannica administratio, [vtile est,] vt non solum diuidat binos ac binos extra domum, seu ditionem: ne vno veneno, ruina domus, seditione, rixa, accusatione, tetræ motu, fulmine omnes pereat: vt Vgolino olim [euenit,] & nostra tempestate illi qui septem habuit filios, quos inimici exilio damnarunt, corrupto pecunia iudice; inde statim circumdata domo ignibus, acceptos sub fide omnes iugularunt. Nec audebunt in paucos; quum sciant ad vindictam superesse multos. Eruntque tamquam speculatores, & plura noscent: Nec, si vnus peccet, adeo animi illorum commouebuntur in omnes: nec cogentur [aut conabuntur,] etiamsi possent, cunctos occidere, vel si non occidant, vt vindicare honeste nequeant, qui vitam acceptam habent. Sed si parui sint, etiam melius erit, maiores extra domum habere. Multis hoc profuit. Sed & si duo, & habeas cui alterum eorum committas.

CAPVT CXX.

Quum duæ conditiones simul repugnantes proponuntur.

IN electionibus vero, quum duo proponuntur, aut plura, quæ simul haberi non possunt, aut, si vnum habeas, aliud melius loco eius consequi velis, multi modi sunt: in quibus plerique decipiuntur. Verum vnus tantum securus est, vt non abiicias vnum, antequam alio potiaris. Sed quia retinendo, versaris in periculo, ne non cogaris postmodum continuare in priore conditione, oportet aliquid, quantitate solum differens, interponere cui possis assentiri, aut renuere: velut petendo mille, illi offerant sexcentos; differ promissionem, donec cum secundo exegeris conclusionem, tum si obstrictus, &c. fueris, tacite conuenias, & eo vsque obduta, donec libereris à conuentione. Si autem non potueris conuenire, illis

illis cede,& conuentionem retine. In vniuersum, in huiusmodi etiam fidem frangere licet. Nam in his turpius est,decipi,& stultum esse, quam perfidum.

CAPVT CXXI.

De contrariis indicationibus.

QVum vero contrariæ fuerunt indicationes, vtpote à genere, diuersa ei quæ à specie,vel magnitudine, aut numero, aut modo, aut occasione, aut multitudine generum, medicis facile est se explicare ab hac difficultate, dicentibus, Esse obseruandam potentiorem. At non tam perspicuum est in hac causa. Vtar autem exemplo: Lucius Mutinensis, à secretis Principis Ferrariæ, vir moribus ornatissimus, res meas sine vectigalibus transmitti curauit:Ego quum postridie Ferrariam venissem, memor beneficij, quod tanto gratius mihil erat, quanto minus illi notus è facie eram, nec vlla cum eo intercesserat consuetudo, hæsitabam(quod togam non haberem) an illum inuiserem. Officium ad pecuniam pertinebat, sine toga esse, ad honorem. Vincebat species generi iuncta, genus solum: nam genere tenebat. Præcipuum enim genus est, gratiam reddere. Sed quia erat de pecunia,& pauca, etiam vincebat ratio existimationis. Quamobrem in huiusmodi maxime oportunæ sunt excusationes,etiamsi veræ non sint: velut morbi, celeritatis nimiæ, venisse, sed inuenisse, aut illatum impedimentum, quod ego dicere poteram vere. Nam quum gratiam soleam anteferre omnibus, adieram hominem, sed non sum admissus à familiari, quod illum diceret ægrotare. Prima ergo ratio generis est, gratiæ, inde honoris, posthabenda est ratio cæterorum. Nec potest constitui generalis regula:quia vbi parua est differentia magnitudinis officij, genus numero & speciei præferri debet, tum etiam generum multitudini:species vbi genus imminuat, & occasio, velut prodire palliatum coram magistratu, plurimum potest: ob id officium in magnitudinem, personam illius, tuamque, occasionem præsentem,& quæ immineant,& quæ expectes, in recte iudicando considerare diligentissime oportet. Semper autem non agendo melius est peccare, quam perperam agendo,& in his quæ emendari possunt quæuis via, & quæ à periculo multum, ab honesto parum absunt, & vbi de vita tua, aut filiorum, aut omnibus opibus non periclitetis.

Contingit etiam aliquando casus multipliciter inuolutus:qualem exemplo nunc demonstrabo. Quum Bononiæ essem,ægrotabat frater eius, qui legatus fuerat apud Pontificem alias, quum ægre ac vix obtinui conditionem minus honestam,profitendi Bononiæ munus: tum vero nec ille adfuerat in secunda electione,quod, vt dixi, tamquam suffragium, &c. me posuerit, &c. haberi potest. Ego tamen memor prioris officij,& quod frater eius inter primarios haberetur,& comparandæ bonę famæ causa,pecunias repudiaram;tum quia minime de extra certus essem. Tum vero alius medicus me inferior, omni ratione nitebatur locum occupare,& me antecedere. Quum ergo vocatus essem, missionem fecisse illius, æger simulauit:sed postmodum apparuit,illum vt simul mecum colloqueretur, vocasse:atque ille pecunias accipiebat. Is autem imperitus admodum erat; vt morbus huiusmodi nec ab illo, nec socio,qui cum eo colludebat, curari posset:sed neque ego certe sperabam, me illum sanare posse. Itaque, si negassem, quum tam paucis antea diebus,consensu miro senatus, muneri profitendi addictus essem, verebar, ne ingratitudinis me insimularent: si accederem, multa obstabant: dedecus quasi, quum ego precario[aut gratis]operam meam, ille cum præmio collocare videremur: deinde existimatio multis modis imminuta: pugna; quum ego præponi inferiorem nollem,ille digniores antecedere vellet: præterea quod etiam arcana esset intellecturus mea[medicamenta,] nec quicquam ægro profutura,contradicente illo:demum, quod maximum erat, existimationem recuperaturus(esset ille) societate mea, quam diffidio funditus euerterat: præterea si cum ipso colloqui volebam, nec propalare arcana, nec quo morbo laboraret, patefacere, impium erat:& etiam quod gloriari posset, me superuocatum nihil profecisse: inde vt euerteret iam partam de aliis bonam famam: & maxime, quod fratres, & dispensatorem domos in suam sententiam traxerat. Ergo in huiusmodi difficultatibus optimum est, aliquando inuisere ægrum, bona consilia dare: Ita locum retines eundo, existimationem, raro adeundo: Si quid boni euenerit, particeps es laudis; si quid sinistri, immunis es ab accusatione: quinimo ægrum coges illis[aliis] relictis, in manus tuas se committere. Memento autem præceptorum superiorum.

In hoc casu est dedicatio librorum Principibus: nam si veterem sequi morem velis, vt si te Summo Pontifici præponas, præter id quod rideberis,non ferent: si nouam consuetudinem sequi velis, exsibilabunt te Grammatici,vt barbarum,& ieconditam facies orationem: si mediam sequi,vt plerique faciunt, rationem, nec vni nec alteri satisfacies. Huic tamen difficultati viam aperuit Plinius Cæcilius, & eam tulit Traianus, Princeps alioquin modestissimus, vt Dominus appellaretur, quum esset hoc nomen maxime Romanis inuisum. Quapropter illum sequamur, vt sit breuissima: eo enim nomine, in quo omnia continebantur, merito vterque contentus fuit, & vt hic de maiestate nihil minueret: & vt ille ambitiosus non videretur. Simili mediocritate in Epistola ad Principem vteris: vt negando id facere posse, quod Vesalius ad Carolum quintum scribens, pulchre obseruat, nec exiguus,aut negligens,nec adulator videberis.Nam aliud est munus, Epistolam ad illum dirigentis, aliud historiam omnibus narrantis, aliud eius, qui vitam illius narrando, quibus eum potest modis post obitum laudare instituit, quum nec legere possit. Tum enim eo latior est ad laudationem via, quo minus ille potest intelligere se laudari.

CAPVT

CAPVT XXII.

Opes, an honor, praeferenda.

QVæri autem solet, an cedendum potius honori, an fortunis omnibus? Sit senex (vt ego iam nunc sum) falso accusatus, nec iudices vindicent: vt vel transmigrandum sit, si honori consulere velis, atque omnia euertere, aut stando contumeliam ferre, quid agendum? Excusat sane ætas: sed non in Philosopho, & sapiente; nec ob leuis exilij metum. Quid si fugiendo etiam, præter damnum, dedecus subeas, vt ferunt tempora? Deinde quomodo consulam nepoti? Ergo propter spem immortalitatis, quiescendum. Est enim, vt alias dixi, res infinita: Mutantur magistratus, & regna, & imperia; æternum manet in omnem spem. Propterea talibus quiescendum est. Si hæc spes non adsit transmigrandi statim, seu per honestioribus consulendum. Honestiora autem sunt necessaria, & perpetua. In reliquis honos præferendus est: sed si fugiendo seruare possis stirpem, considera quid illi magis conducat. Neque enim par est illos (libertos) deserere, aut, si neque errarunt, neque peccarunt, tuis infortuniis affici. Vita enim tua transibit; illorum manet. Omnia ista dedecora tempore obliterantur, & delentur; posteri tui in tua patientia aut gloriabuntur, aut saltem stabunt, ac viuent. Imitare animalia bruta, sed generosa, quæ pro catulis suis ac prole pugnant: quanto magis, si te & illos seruare possis? Sed si manendo idem periculum fuerit, ob contemptum, nec tunc tuis consulueris. Æqua igitur lance hæc perpendenda sunt. In vniuersum: Pro se ipso solo, honori, pro suis, vtilitati (quandoquidem dedecoris ex alterius facto nemo particeps sit) consulendum est.

CAPVT CXXIII.

De gloria.

DVbium sane satis est, an melius illud λάθε βιώσας, vt dicebat Epicurus ille, seu Epicurutus fuerit. At qui gloriam præferunt, velut Plutarchus, scire debent, quid sit gloria: neque enim aliter eam adipisci poterunt, nisi nouerint quid sit. Et quam ab Aristotele definiatur, obiter tamen quasi; à Cicerone autem (licet de ea duos conscripserit libros,) quum non esset sui muneris, non adeo definiri potuit: cuius indicio est, quod plures de gloria tradidit diffinitiones, & etiam multas illius species fecit; quod recte definienti, minime conueniebat. Est ergo gloria, admirandæ virtutis celebris fama. Itaque opum nulla est gloria, neque roboris, nec honorum, neque magistratuum, sed fucata; quoniam non sunt virtutes huiusmodi; vnde etiam neque perennia. Virtus autem triplex: vulgaris, vt fortitudo militis legionarij, hæc gloriam non parit, ob multitudinem exemplorum: excellens, velut L. Petrosidij aquiliferi; nam etsi obrutus multitudine hostium, fortiterque pugnans, aquilam intra vallum, ne ea hostes potirentur, proiecerit, non tamen fuit mors eius cum gloria, quia multa talia exempla indies accidunt: [tertia, mirabilis; [nam Coriolani, Curtij, Coclitis, duorum Scæuolarum admiranda sunt fortitudinis exempla: sed Crispini gloria nulla, qui pro factione pugnauit, nec virtutem exercuit. Rursus virtus duplex: in actu, velut fortium virorum, & in habitu, velut sapientum; & iustorum. Videtur autem gloria potius esse actus secundi, quam habitus solius: nam Aristides & Ptolemæus non celebrantur ob habitum, sed quoniam alter iustitia in exteros patriam decorauit, alter monumenta sapientiæ suæ reliquit. Quum famam vero dico, apud multitudinem gloriam constare perspicuum est; quum vero celebrem vt constans sit, atque diuturna, & cum affectu ac lætitia, atque gratulatione, qualis in Deorum ceremoniis, sit necesse est. Quare nulla mors damnati, gloriam parere potest, (sit quantumuis exculta innocentia, fortitudiue, atque sapientia;) quoniam cum exultatione esse non potest, neque iure celebrari, tametsi iniusta sit damnatio. Sed sufficit ei, qui sic vt decet moritur, ne gloriam iam partam violet: velut Socrates, aliique multi, qui damnati publico iudicio perierunt. Atque id satis est. Neque id mirum; quum gloria duobus constet; facto ipso, quod in nostra est potestate, & multitudinis assensu qui in aliorum. Vnde gloriam parare, non est nostri arbitrij, sine dedecore mori, in nostra est potestate. Eas enim mores, quanto iniustiores sunt, quia inuoluntariæ [aut iniustæ] videntur, commiseratio [tanto maior] sequitur, quæ contraria est è regione gloriæ: illa enim, vt dixi, exultat. Ergo vt gloriam consequaris, necesse est fructum edere singularis virtutis, idque tempore, & loco, atque adeo plene, vt in hominum animis admirabilem illum affectum, & constantem pariat. Quo fit, vt etiam leuium non sit, oporteat: quamquam enim admirabilis sit, leuium, aut, si sine deliberatione fuerit, exolescit ex animis hominum, & neque celebratus factum: quare gloria non est, sed gloriosum factum, quod per se dignum est gloria, non tamen gloria ex illo consequitur. Et certe huius expressam habemus imaginem in Deo; vnde Ecclesia optime decantat, Gloria in excelsis Deo. Est enim vel illius solius gloria, aut saltem multo præstantior: vt differat tamquam immortale à mortali, & vt Solis lux, ab igne. Ergo gloriam sequitur dilectio multitudinis, fides, vt honore dignum putet eum qui illam habet, vt Cicero ait (2. de Officiis.) Ideo fructus hic est insignis virtutis optimus; & summum quod homini consequi in hac vita concessum est.

CAPVT.

CAPVT CXXIV.

Quæsita circa gloriam.

Vte autem merito quis dubitabit; (omissis his quæ ex ipsa consequi solent commodis; velut potentia, amicorum copia: quæ etiam ampliora sine illa ex opibus & aliis esse possunt) quid boni in gloria esse possit. Nam quod de me eam habeant opinionem, quod ad illos attinet, nihil interest meæ felicitatis; quod ad voluptatem meam, etiam falso imaginari si velim, eadem sequetur voluptas: vt nulla subiici solidæ felicitatis portiö possit. An forsan quod velut in opibus, hoc differt vera opinio à ficta, quod hic habet imaginem vanam; ille tamquam lucem ex Sole sitmam, & quæ substantiæ naturam quandam habeat: ita opinio percepta de gloria, quum subiectam habeat laudationem, amorem multitudinis, potentiam, ac memoriam, non ergo gloria neque in opinione nostra (quia etiam ea falsa esse posset;) neque in fundamento, celebratione (quoniam non nostrum est,) neque in fructu (tum quia illud est, tum quia ex aliis colligi potest:) sed in ipsa opinionis substantia, cuius fundamentum id ipsum est. Quod verò quis moriendo laudatur, an ad gloriam pertineat, quum non si iam ad locum hunc, &c. determinate non pertinet. Forsan illud magis conuenit; in quo tandem differt gloria ab honore? Est autem gloria supereminens honor; nec est viuentis semper, vt honos: & honoris latior est seges, velut opum, magistratus, gloria autem ob solam virtutem. Estque honoris proprium, beneficium, aut factum, aut quod speratur, aut pro exemplo habitum. Quapropter honor est vniuscuiusque, omnium autem ob id, gloria autem omnium, & ob id singulorum. Patet autem ex hoc, gloriam extingui, & augeri, ac minui factum, aut gloriosum perpetuo esse. Vnde multa quæ videntur inuicem aduersari, in nullo discrepant. An vero ad communem illam gloriam, quæ inextinguibilis videtur, faciat aliquid, si aduerso casu opprimaris, magnitudo & gloria aduersariorum, videtur sane hoc probasse Cicero in secundo de Gloria, versibus illis Homericis, sub Ajacis persona:

Hic situs est, vita iam pridem lumina linquens.
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense:
Fabitur hoc aliquis: mea semper gloria viuet.

Sed quoniam in hoc genere multa tradita sunt alias (in libro de conscribendis libris,) hucusque dictum sit.

CAPVT CXXV.

Quantum decipiamur circa finem.

POrro circa finem nostrum multa sunt, in quibus homines inuicem discrepant: & (præter leges) id pessimum est, in quo multitudo conuenit. Lex enim Dei cultum, & prolis curam, & in parentes obsequium, ac iustitiam (quæ optima sunt) suadet. At in reliquis censet vulgus meliora esse bona Fortunæ & corporis, quam animi; iniuriam inferre, quam accipere, quum vtrumque pessimum sit. Sed si quis etiam inter pessima ordo est, peius etiam est inferre iniuriam, quam accipere. In hoc enim læditur corpus, & fortuna, in illo animus sauciatur, & Deo inuisissimus. Similiter putant plenitudinem vacuitate, & otium laboribus, & multitudinem amicorum, quam paucitatem, potiora esse, & voluptate frui, quam abstinere, & innumera eiusmodi: & decipiuntur, dico etiam seclusa omni spe succedentis vitæ. Itaque consulnerim quietem agendam, nec frustra niti, quibus Fortuna fauet, aut Genius, amplectendam occasionem. Sed [hoc] non ob ad magis dictum est, verum potius, vt homines in vnoquoque negotio sapientes eius rei consulerent: velut philosophos de optimo statu, qui est diu & incolumem viuere, medicum vero, quomodo hæc adipiscantur. Nunc in vtroque errant homines, & quoniam breuem voluptatem longo dolori præferunt, & putant sine arte posse diu viuere, & incolumes, nec existimant longæuæ vitæ artem vllam peculiarem esse. Simili ratione consules Iurisconsultos pro litibus, aut emendis fundis, plurésque fabros, quum quid agendum est, quod ad illorum artem pertineat: vt sit etiam non solum vniuersalis finis necessaria dignotio, sed & modi adipiscendi, tum etiam vniuscuiusque actionis. Etenim est errare circa finem, non solum in eligendo, & in adipiscendo, sed in sciendo, scopum illum communem, qui propositus est pro adeptione omnium. Verum illud nescire (quod præcipuum est,) te nolo, quæ maxima homines arbitrantur, nec esse [quidem] mediocria: dico regna, & potentiam. Nam respice tot Regum finem, & temporis breuitatem, in quo perierunt: meliusque de rebus tuis statues, nec discruciaberis.

CAPVT CXXVI.

De παραδοξοποιῖς: & fascino.

EST etiam modus quidem quasi supra naturam, & admirandorum effector: quem Galenus sibi laudando tribuebat, παραδοξοποιὸς se vocari dicens, qui legum latoribus proprius est, mirabilia facere, mirabilique modo, tum etiam mirabiliora dicere. His conuenit, præter persuasam multitudinē, quæ etiamsi non succedat factum tuetur. &c. At ad ciuile potentiā eatenus, quatenus, &c. Regibus enim Principibusq; felicibus vanæ præstigiæ fauent plurimum, & decoræ sunt. Sycophantiæ etiam cōducunt ad tempus, plerumque tamen ad perniciem deducunt, vt de Sertorij cerua, & Syllæ simulacro Apollinis [memorant.] Nam dementauit eum, & vt crudeliter victorias exerceret, & fructus earum sponte amitteret [Sylla.] Sic Pisistratus, sic Minos infelices in felicitate, Ira Deorum facti sunt. Priuatis autem personis generaliter talis opinio abest. Nam si fallat

fallit experimentum, in ludibrium res vertitur, si succedat, obnoxius fit superstitionis apud sacerdotes. Artificibus quoque inuidiam parit; vt quibus lucrum his præstigiis perit: vellentque omnia ad artis præcepta reduci, semperque de dolo suspicantur. Omnibus præterea inuisum hoc genus est: quod si vera dicat, non ex hominum ordine est, sed velut alienum, si falsa, ambitiosum, & mendax. In humanis enim optimum est, [huma-na solertia mediocris, & summa artis scientia, vt maximæ existimationis, scientia mediocris, summa solertia. Itaque bonum est habere, sed occulere: omnia enim diuina non solum maxima sunt, sed optima. Profiteri enim talia, odiosum est, & maledictis obnoxium, atque periculosum. Vt contra, perfectio summa quædam peculiaris partis in arte, honestate & gloriosa, vt pulsuum in Galeno. Vmbram vero diuinitatis incertæ præferre iuuat eos qui infamia iniusta premuntur à populo, & qui plures habent inimicos. Vsus autem [eius] est, quum naturalem inuentionem occultare proposuisti, aut quum celerrime, apud turbam existimationem quærere, vel quum quid importunius petitur; ant si consulant quæ è re tua non sunt, nec tamen quum nolis, dicere velis: in huiusmodi casibus religionem opposuisse tutum est, atque honestum. Est etiam quippiam diuinitate minùs, natura admirabilius, quod ex industria non vulgari proficiscitur: quod nec dissimulari omnino debet, nec promulgari. Caue autem, ne fungorum quorundam instar, pediculum habeas tenuem, & capitulum amplum. Est enim indecens, & non diuturnum, neque securum. Sic qui tenuibus initiis volunt mirabiliter ditescere. Forsan vero nec inutile erit gemmas quasdam feliciores, aut prudentiam, aut gentes, si quæ sunt, secum deferre & cum bene fortunatis versari, & supplicationibus Vestalium virginum, quæ tunc sanctissimæ habentur, protegi. Videntur enim aliquid prodesse.

Fascinum autem horum est, quum in eo excellant, [aut eos antecellant,] qui maiora possunt: quum & sectarum autores, tum alij, tam bene alliciant hominum mentes, & maxime professores, vt illas omnino fascinare videantur, & vt ipsus (his relictis quos sciunt esse præstantiores) sequantur. Et hoc est de quo Galenus suis temporibus querebatur: quum id agunt, vt omnium aliorum dicta irrideant & calumnientur; perpetuo vero contineant illos in sui admiratione, atque exercitatione. Vnde etiam Maumethi cultores, & maxime in Aphrica, adeo in illius religione firmi sunt. Est autem fascinatio, res quædam inter mortalia supra naturam: quamquam hæc quæ sola calliditate hominum fit, non sit vera fascinatio: illi enim deprehensi & diuitias & vitam & filios exponunt; quod hi facere nolunt. Est ergo vera fascinatio solum tum horum tum eorum qui natura diuina præditi sunt: de quibus paulo post dicemus. Est & tertium [genus] quorundam ad quosdam, ob naturæ similitudinem: quæ est quasi posita in medio omnium illorum, in amicitia, aut in quadam ratione in imperando. Vnde qui ad amicitiæ hoc genus apti sunt, etiam ipsi fascinantur; non ab omnibus, sed ab aliquibus, qui plus possunt apud illos, quam illi ipsi. Hocque genus fascini ad vnam gentem solam extenditur. Est autem duplex: amoris & odij vnaquæque. Et amoris quidem instrumentum præcipuum, sunt verba etiam arte carentia. Causæ autem vtrorumque sunt, Cœlum, & Natura inferior. Et non fascinantur nisi corpora per se, & animæ imbecilles, tum quia minus munitæ ratione, tum quia parent corporibus.

CAPVT CXXVII.

De Axiomatibus.

COnstituenda autem sunt vnamquamque disciplinam tractanti quædam principia; quæ pro Axiomatibus sunt habenda. Axiomatum præcipuum est, vt sint generalia, elata, & certa: atque horum quædam spectant ad cognitionem, quædam ad operationem. Ea omnia potius casus ostendit, quam ratio. Ea propter hoc solum caput, & de Exemplis, imperfectum relinquetur, tamquam habiturum incrementum indies.

1 Primum igitur Axioma est: vt credas multa in dies mutari, non solum res ipsas, (hoc enim nimis assiduum,) sed etiam cogitationes hominum; &, (quod maius est,) tuam de negotio ipso existimationem. Propterea ne præceps ruas, nisi occasio prætereat.

2 Secundum; auxilia paria debere esse malis: vt nec pro leui re, magnis exclamationibus, aut actionibus, aut defensionibus vtaris; aut in magna re, leuibus.

3 Tertium considera locum, leges, dominos, vsum, cum quibus negotium sit, qualesque fuerint; tuas vires, ætatem; inimicos, seu æmulos, fortunam in negotiis, demum causam.

4 Quartum: tibi præfige felicitatem in Deo, & in virtutis operibus, & moderatione, & minori spe, quam iure sperandum esset, & considera æternitatem, & longitudinem temporis, in qua euersi sunt non solum Reges, sed etiam stirpes eorum: & vitæ præsentis breuitatem, vt non doleas.

5 Tuta consilia præpone maiori expectationi, & vtilia ambitiosis. Primum enim, etiamsi succedat, quid eo indiges? Paucis enim deest sumptus ad vitam, quod superest, tot modis euertitur, vt in malis plerumque reponi possit: Secundum autem, si præterita reuoluas, nil omnino esse comperies.

6 Difficillimum omnium est tenere medium; dico Geometricum, non æqualitatis: ob id necessitas aliquando vtilis est, quæ vel monstrat quod vtile est, vel excusat, si erres.

7 Sed in reliquis ita te ante præpares, v non possis errare. Quod si neque hoc possis maximum est, hominum mores agnoscere, aut ex actis, aut studiis. Qui enim veritati student, plerumque boni sunt, qui simulant, pessimi. Quomodo enim fidem habebis eis qui simulationem quæstum esse putant, aut qui ex dolis viuunt? sic & his qui ex paupertate ad ingentes diuitias peruenere?

8 Autem

8 Attem tibi pam occultam, ad vlciscendum iniurias graues, & omnino sine causa factas; non potum, ne sortis versarum facias, dum vsuram recuperare studes; neque fulmen, ne te ipsum perimas; sed dicas [vel diras] obnunciatas, aut, si non audes, per querelam significatas: velut illud, Spero non defuturum diuinum ius, si humanum mihi vti non licet. Inde omnibus argumentis animam illius vexa, donec pœnas det, sed caue ne maximam rem vt ludum tractes. Ad eos enim conuertatur solum, qui protsus te euertere, & non etiam magno suo emolumento, studeut. Nam horum est vindex Natura occultior.

9 Caue ne te in Labyrinthum iniicias: vel vbi exitus obscurus sit, vel nullus sit; vel vbi procedendo regrediaris: velut qui seruili officio funguntur, vt autoritatem adipiscantur.

10 Res male cœptæ malum ferme semper finem sortiuntur: nam si male terminantur, cadunt illi; si etiam bene, stulta confidentia audentius progrediuntur, & ruunt. Quin etiam non solum hoc ipso sunt difficiles & periculosæ, quod multa desint; sed quod necesse sit, vel necessitate agi, vel deficere iudicium.

11 Vndecimum: ne verseris cum æmulis tuis, aut inuidis: (Nam tempus tandem occasionem præbebit, vt te euertant: si præoccupes, proditor videberis:) Neque cum his, qui natura seu moribus contrariis sunt, velut tardus cum prompto, bonus cum malo. Tractu enim temporis errabis sæpe, & propriam naturam exues, nec alienam indues, quæ illi (vt reliqua vitiosa cum nobis nata) vtilis est, aut saltem non adeo damnosa. Etenim non minus errabit assuetus prompte agere, si differatur; quam meditate, si cogatur exemplo deliberare. Sed tamen in hoc maius est incommodum. Et quouis modo eorum fugies conuersationem, cum quibus errores aut calamitates contingunt: seu enim manifesta ratione id eueniat, seu quia genius tuus illius genium reformidat, male tibi cessura est.

12 Res præterea maxima in humanis est, quod dum modo potest, non experitur extrema, quia sperat; quum desperat, non amplius potest. Medium hoc inane captant improbi, iactantes te verbis, dum potes te tueri, aut vlcisci. Propterea, quum res sit violenta, nisi omnino securum te reddant, pugnando fortiter aut depelles iniuriam; aut conditionem tutam offerant, aut, si vincaris, non adeo pigebit te victum esse, neque ita turpe erit, tum tu ludificando illos vicissim, fidemque eis habere simulando, & verba dando, meliore conditione negotiaberis, quum saltem te credere sperabunt: cui tu rei, operam quam diligenter poteris, dare debes; quum in hac parte nihil turpe sit.

13 Quum vero actionum aliæ sint propriæ animo, vt intelligere; aliæ corporis solius, vt ob grauitatem descendere; aliæ totius hominis, de his solis tractatio est, quod prima ad hanc referatur, de secunda autem omnino non consideret liber hic. Operationum igitur quæ hominis sunt, aliæ quidem ad animam & in se referuntur, de quibus etiam superius dictum est, velut amare; aliæ autem extra tendunt, vt emere, desipere, & comprehenduntur ambo genera sub actionis nomine. Verum primum non proprie est de quo institutus est sermo, sed de secundo, tum factione, cuius duplex est ratio: Vna, quæ ex nobis magis pendet, velut ambulare, canere, literas tradere, alia ex re ipsa, velut instrumentorum subtilium tractatio, vt horologiorum, & lapidum motio. In omnibus ergo his tribus quicquid dure fit, si efficere coneris, vix à magno inconuenienti euades, ratione habita subiectæ rei: ideo conari non debes. Est enim regula generalissima, nec exceptionem patitur, nisi quum negotium fuerit cum auaro. Sed & tum non euades sine iactura, nisi vi agas. At & vi agere, periculosum est, vbi secundum leges viuitur.

14 In maximis rebus maxima auxilia prosunt, vt dicebat Hippocrates. Propterea alterum extremorum in his amplecti oportet, præcipue quum negotium est cum Principibus.

15 Qui non dat, aufert.

16 Si vis amari, ama. Ad Solomonem enim refertur.

17 Omnis homo seruus (dico ciuili seruitute) est: nam omnes superioribus parere coguntur, præter Principes: inopes præterea his qui dant, diuites, vt seruent, operam præstare, quæ semper maior est, quo plus habent. Ob id Principum [seruitus] adeo magna, vt nisi consuetudo illam leniret, nemo laborem & tædium ferre posset. Adolescens ergo qui libertatem habere dicit cupere se, pessimus est, ac statim in compedes coniiciendus; fame, verberibus, ac labore annuo [aut assiduo] macerandus. Quid enim aliud est, dicere se optare libertatem; quam sine labore velle viuere aleæ & furto deditum? qui quum honestam refugiat seruitutem, carnifici pareat. Licet commutare seruitutem, non optare libertatem: nam seruitus optima est, honesta, amabilis, cum spe certa præmij.

18 Est compendium temporis (quoniam fugere non possumus ne seruiamus amicis profitentibus, &c. etiam in sermone familiari) vt discamus aliquid, aut quid discendum non fuerit. Ergo in omnibus est quod discas, seu agas, seu non agas.

19 In nullis inutilibus tantum progrediaris, vt regredi non possis.

20 Denique causa infelicitatis nostræ, quod ad homines pertinet, ad hæc duo redigitur, scilicet errores nostros, qui maxime proueniunt ex auaritia, ambitione, amore, odio, & inconstantia quadam naturali; atque in pluribus etiam ignauia, qua vel non agimus, vel per alios agimus; vt fides, autoritas, celeritas & cognitio desiderentur: his fit, vt postmodum damna sarcire cupientes, perfidia vtamur. Vnde inuisi Deo & hominibus, necesse est vt ruamus.

21 Omnia demum ad hoc vnum rediguntur, vt quantitatem noris omnium. Nam aut bona duo, aut mala duo, in quibus electio cadit, aut, quod facere vis, bonum & malum continet. Ergo qui quantitatem nouerit, omnia, velut Apollo quidam, optime faciet: quia omnia ad duo rediguntur, aut ad vnũ, in quo duo, inter quæ electio cadit; licet vita nostra multa habere videatur. Aberrant

autem

autem trifariam: vel quia consultationem negligunt, ob animi perturbationẽ, præsertim voluptatis, iræ, vanæ spei, aut timoris inanis: vel quia negligunt consultationem, ob inertiam, vel ob laborem: vel quia se scire multum putant; vel quoniam non tanti referre putant: aut quoniam non sciunt quæ necessaria scitu forent; idque frequentissime accidit.

CAPVT CXXVIII.

De Geniis, Fato, Astrologia, & Fortuna.

HÆc igitur dicta sunt, quantum Prudentiæ lumine inueniri poterat. Cæterum id supererat considerandũ, an esset aliquid vlterius? Et certe omne id ad quatuor capita reduci potest: Genium, Fatum, Astra, & Fortunam. Et de his diuerso modo inquirere decet: generaliter quidem de omnibus: an sint caussæ nostrorum euentuũ, specialiter autẽ, an omnium, puta aut maiorum, aut eorum tantum quę ad nostras nõ pertinent actiones; an omnibus hominibus conueniant? Nam Astra & Fatũ aut sunt omnium, aut nullius: Genius, & Fortuna forsan, solum quorundam. An omnino ineuitabilia sint? An plura, an omnia simul, an vnum tantum ex his? Hoc autem ex præcedentibus manifestum fiet. Demum quomodo, si sint? Neque hęc tractanda hic tamquam ex instituto; sed solum vt ad deliberandi negotium pertinent. Ergo Fatum omnes Sapientes admiserunt; sed non vt rerũ caussam: verum quia res ita futuræ sunt, ideo Fatũ est: vt, quod ad nostrum negotium attinet, nihil afferat commodi, vel impedimenti. De Fortuna haud dubium est, esse bonam & malam; & non solum in diuersis hominibus, sed in eodem homine, ad regiones diuersas, & homines diuersos comparato: eosq; quibuscum male conuenimus, refugere oportet. Quamobrem illud Ægyptij Magi: Tua, ô Marce Antoni, Fortuna per se illustris est, & splendida: sed Genius tuus, vt video, in omnibus huius iuuenis (Octauianum designabat) Genium reformidat: quare discede ab illo. Sed & idem homo, ad eosdem comparatus, & in eisdem negotiis diuerso tempore bene maleque fortunatus reperitur. Adeo vt consulã hominibus vt fugiant has occasiones. Franciscus Galliæ Rex tempore nostro cum Carolo Cæsare diu pugnauit; omnia cesserunt infelicissime; adeo vt in posterum caute se gereret in negotiis. Obiit Frãciscus: successit Henricus; iuuenili animo: qui quasi vlturus paternas iniurias bellum multis in locis simul accendit. Visus est primum fortunate id agere. Dicebat mihi Protex Gallus apud Scotos: Rex noster cognouit Fortunam esse feminam; baculo debere domari: verberatam tãdiu venturam in partes nostras. Nolui contradicere. Visus est vera dicere; & Fortuna illi fauere: adeo vt quum per licita & illicita transisset, in apice felicitatis consistere existimaretur. Iterum non contentus hac aura, voluit denuo tentare Fortunam. Succubuit. Inde factus est amicus: affinitatem contraxit: digito (vt dici solet) cœlum tangere videbatur. In nuptiarum festis occiditur. Galliæ regnum seditione totum deuastatur. Filius primus morbo periit. De his satis. Quorum vnum, vt dixi, nihil in hoc momenti habet, sed solum præuidetur, quia futurum est; non futurum est, quia præuideatur. Alterum vitare, aut sequi oportere docuimus: nullam certam rationẽ quęrentes, quia incognita sit; &, si cognita foret, infinita esset. Venio ad Genium. Illum fuisse puto: qui a est mihi; fuit Socrati & Plotino manifeste: existimant Dioni etiam, vt alias dixi, affuisse; & Synesio, tametsi Christiano, & Episcopo; tum vero Cæsari, & Augusto, & Syllæ, Marioque, & Marco Antonio: An omnibus sit, dubium est: sicut & illud, An magnis solum viris adueniat, an, vbi aduenit, eos eminere faciat super alios. Hunc docere, & stimulis occultis impellere, retrahere, animos addere, instruere, certum est. Quamobrem, postquam non magnum est negotium, consulere innocentiæ vitæ, ciborũ continentia [aut abstinentia,] benefactis, summa in Deum dilectione, tum iustitia atq; (studiis nullis precibus, nullis sacrificiis, absit enim hoc) experiri si quid in nobis sit; quale inueni ego, cui fortuito præsto adessẽ, &c. Valeant diuites cum suis opibus, & bene fortunati cum potentia tãta; iuuenesque cum suis voluptatibus: hoc ipsum maius (si contingat) regnis fore existimo. Nam ducem habere vię, quum Deum sincera fide colueris, tutum, in tantis tenebris, res non mediocris est. Noli existimare, vt dixi, maxima, quæ nec sunt mediocria. Reliquum est, vt de Astrologia dicam: circa quam paullo plus est immorandum; quod celebre sit illius nomen, & experimentis aliquibus confirmata sit, nec naturali repugnet rationi. Igitur si caussis non indigeret secundis, frustra essent actiones nostræ. Sin autem ad omnes caussas referatur, idem erit quod Fati principium: &c. deliberatio nostra libera est igitur, non potest cogi. Videtur ergo Fatum ex duobus compositum: ex actione naturali, prout ab astris pendet; & volũtaria, prout à Deo. Quum ergo Cœlum non possit nostris animis imperare, non poterit de futuris decernere quæ ex voluntate fiunt. Solum ergo Cœlũ ostendere poterit ea quæ ad caussam pertinent naturalem: velut quod non potero transire centum annos. Ab ortu ergo, vsque ad centesimũ annum, totum repositum est, in potestate nostra; atque id clarum est. Exitus autem violentos decernunt, per caussas importunas, veluti stultitiam, iram, impatientiam, ludos, lasciuiam, tum vero connexionem quandam quã habent cum aliorum genesi. Veluti Sol est mihi dominus, oppositus Marti. Qui sub Marte sunt nati (hi autem violenti sunt, atque sicarij, ac latrones) me naturali odio prosequentur; audebuntque, &c. Quid aliud autem est periculum, quam naturale odium cum caussa audendi? quo perseuerante multæ occasiones incidunt. Non sunt ergo Astra caussæ euentuum, sed præparationem, &c. Euentus autem fiunt ex errore, aut prudentia tractantium. Atque hæc consentiunt experimentis, consentiunt his quæ sapientes dixerunt, consentiunt etiam his quæ nostra lex tradit. Propterea (exempli gratia) si hoc anno habuero Solem in Martis quadrato, in genesi vero in opposito; confricabuntur caussæ periculorum, tam ex parte aliorum, quam mei: & iuxta multarum caussarum concursus, ad mensem ac diem, & horam vsque significabitur occasio; velut etiã in naturalibus. An vero euentus futurus sit, eorũ quæ sciũtur, talis exitus erit qualem nos esse volumus; quę nesciuntur, erit, quoniam extra deliberationem sunt, & tamquam

cauſſæ naturales. Similiter & circa opes idem ferme contingit. Ea cauſæ quidem quædam ſunt determinatæ ad præparationem, & euentus in conſilio repoſiti. Itaque & Aſtrologia ad hęc vtilis erit, ad proſequendum & fugiendum: & nihilominus nec inutilis opera noſtra.

CAPVT CXXIX.

De diuina natura.

PОrro præter hæc omnia diuinum quoddam eſt in nobis; vni maius, alteri minus, non ſolum ex Theologorum ſententia, & Academicorum, ſed etiam Medicorum, ſcilicet Hippocratis, & Principis [Auicennæ:] quod quum liberatur à grauitate corporis huius, non exiguum affert commodum, & per ſomnia, & vaticinationem, & prudentiam, ſiue idem ſit Genius, (quod non credo,) ſeu non ſit; idem ſecum bonam Fortunam affert; aut ſi malam effugere non poteſt, prouidentia præſtat. vtile eſt ad ſecuritatem, ad tranquillitatem, ad vitę longitudinem. Cæterum cibaria praua, velut legumina, carnes ſalitæ, atque piſces ſimiliter ſaliti, prauus panis, vinum corruptum, vigiliæ, inuita continentia, tantum abeſt, vt quod diuinum eſt in nobis liberent, vt etiam illud fœdis imaginibus ob urbent. Talis fuit vita multorum Eremitarum, atque Philoſophorum. Itaq; nihil negligere expedit. Preces autē ad Deum (etiāſi homo per hęc præcepta profecerit,) ad inueniēdum medelam infortunij, menſuram docent, quæ nulla arte tradi poteſt, nec humano iudicio perpendi, in pleriſque etiam de finis deliberatione, in imperitis etiam modum: velut de Oratione B. Auguſtini, quadraginta diebus, nudis genibus, nondum prægustato cibo recitata, plures teſtimonium ferunt. Omnia hæc ex lumine in noſtram animam addito. Ideo cuncta ferme ſunt in nobis, quæ nos tamen in rebus ipſis, aut caſu eſſe putamus. Cauſſa autem cur hæc in imperitis non adeo poſſint, vt hæc operatio partim ea lumine, partim ex acquiſita animi ſapientia pendere videatur, eſt, vt reor, quod non recte in ſapientiæ contemptoribus lumen illud propagatur.

CAPVT CXXX.

Exempla.

1. IOannes Pont Max. huius nominis XXII. plus reliquit theſauri non ſolum quā quiuis alius Pontificum aut Regum, ſed etiam ſupra fidem. Quippe in pecunia centum octagies centies millies in vaſis & coronis ſeptuagies cēties millie aureorum coronatorum (quū etiam eſſet exutus patrimonio,) ſatis ſuperque ad debellandos hoſtes omnes Chriſtianæ Religionis; ſi mens aut cor ſucceſſori non defuiſſet. Neque enim in alium vſum congeſta tanta pecunia fuit ab alio. Id autem ſola parſimonia, & optione. Vbi enim vacaret pingue aliquod ſacerdotium, optione permutabat: adeo vt trium aut quatuor ſacerdotiorum annuos reditus pro vno exigeret. Exempli gratia, Pontificatum reditus quatuor mille coronatorum datur habenti Pontificatum, trium millium: illum habenti duo millia quingenta: illum rurſus habenti millе ſeptuaginta. Adeo vt quandoque ex vno ſacerdotio quindecim millium coronatorum exigeret ex annuo reditu ſolito ſupra ſexaginta millia, ſex aut ſeptem factis permutationibus.

2. Exemplum aliud: Bernabas Barbouus Cremonenſis, quum vellet emere prædium intra pomœrium portæ Beatricis Mediolani, primū expectauit, vt illi vendere cuperent: deinde ſubiecit duos amicos qui ſe ſimularent emere velle. Vterque autem mediocre pretium, ſed alter minus offerebat, ipſe quoque, ſed etiam minus. Ita factum eſt, vt omnes deterrerentur tum multitudine emtorum, tum pretij vilitate; ipſe vero reſciſceret quanto plus ſimularent oblatum: nam non diſſimulabat ſe ſcire alterum, ſcilicet qui minus offerret. Vnde etiam ex illo coniecturam faciebat de aliis. Vnus vero eorum, tum ipſe cum aliis emptoribus, doloſe colludebat: donec hi quum viderent falſo iactare ſe illos de pretio, fidem non habentes eis, infra ſubſiſtebant. Atque ſic multo minore pecunia amicus alter, eius nomine emit.

3. Aliud præſtans argumentum, quo vſus ſum. Quidam volebat mihi vendere agrum CCXX. nummis: ego dare volebam ducenros, dicens non mihi futurum reditum quatuor pro centum. Aiebat ille, decem me habiturum. Tum ego, vt vel compos voti fierem, vel illius nequitiam coarguerem, dixi: Primum locabo emtum CC. in ſingulos annos (ad nouem vſque) pro octo: iam lucrifacis vltra id quod petis. Quum rurſus negaret, propoſui contraria ratione: Dabo CCX. & locabo nouem annis, ad octo pro centum. Ita, quum & hoc renuiſſet, agnitus eſt illius doloſus animus. Porro plurimum iuuat vt ſcias à quo emerint: nam tum vel à tabellione, quod tutiſſimum eſt, ſcire poteris, quanti emerint. Quo duce plurimum emolumenti habebis.

4. Quum domum Bononiæ emere vellem, nec venditor ſatis eſſet firma re, perſuaſit Iacobus Machellus, procurator litium, eruditus ac probus, mihi amicus, tribus illis quos vades pro portione obtulerat, vt quilibet in ſolidum conſtitueret: nam pro portione in ſolidum vnum pro tota ſumma, graue illi ſoli; dum vnumquemque, poſtquam ius relinquitur illi contra ſocios, tutius. Ita mihi conſuluit, pro vno tres haberem vades; & illi non plus quam ex ſpontanea oblatione grauabantur. Hæc autem ſunt periti æ legum admiſta ſolertia.

5. Quum Iacobus Sancti Pauli captiuus eſſet Ludouici Gallorum Regis, eius nominis vndecimi, adeo ſcite illi reſpondit, vt & arces, & latifundia, & Equitum præfecturam meruerit, quamvis frater hoſtis ac proditoris Regis. Cur autem, vide apud Argentonum [Cominæum:] Ibidem videbis quomodo legatos Conneſtabilis deluſerit. Eaque via (quod maximum fuit) captū Conneſtabilē ſecuri percuſſit: vt nec profuerit illi fratris gratia nec fratrē ob id Rex reliquerit, nec Regi ob id ille venerit in ſuſpicionē.

6. Quū Petrus Nicolaus, Narnienſis Epiſcopus, Bononiæ Gubernator, negaſſet mihi petenti Phratriorum D. Dominici [Collegiū, &c.] velle mea in medendo vti opera; ego vero ſcirē, eum antea prō alio rogaſſe: ſubriſi, quaſi nihili ducerem rem hanc; dixique, Nil referre: Id ſolum à me quæſitum (quod mea multum intereſſet,) eorū amicitia vti, ob librorum reditionem longam

longam inter nos familiaritatem, commodum publicum, vt discipulos docerem, re & verbis ostéderam: neq; dignum existimare Collegiũ illud, propter nominis celebritatem, & multitudinem hominum: incidisse in manus eius, qui omni arte, industria, conatu curasset euertere autoritatem meam, & me loco excutere, quum ferrent etiam vitæ insidiatum: nunc illi datam esse occasionem, vt hoc facto, & conspiratione omnium medicorum praxin docerem, nec exercerem, eandemque esse rem, oppugnare nos, & tam sæuo hosti subministrare auxilia, quibus id facere possit. Apposui autem ex industria sermonem, &c. quo cum Principibus vtendum est in querelis.

7. Quum adolescens è domo exisset, patri ostendi, è re sua esse, vt maneret; docuique caussas. Eo deduxi rem ad extremum. Si diffidit de re, vadem me præsto; & statim ostensurus sum, si, quod laboris pigeat, non redeat.

8. Bononienses pueri formosi sunt, elegantes, & plerique optimi musici, vt videantur omnibus Italiæ pueris præstare: nec tamen ea consequuntur bona, quæ multi alij longe inferiores, velut Mediolanenses & Florentini, consequi solent; scilicet vt fiant heredes dominorum, aut saltem partis alicuius hereditatis participes, aut vt opima adipiscantur sacerdotia, vel vt præficiantur opulentis administrationibus aut mercaturis, vel vt ad insignem gradum virtutis aut dignitatem perueniant: quæ quatuor sunt magnæ felicitatis in hac vita fundamenta. Caussa ergo est, primum auaritia parentum, & magistrorum: nam pueros illos locare solent, non secus ac domos. Vnde domini, tamquam soluto debito, nihil putant plus se debere; nec illos exigere aliud quicquam. Alia ratio est, voluptatis vsus. Quum enim à parentibus didicerint viuere in delitiis, amare nequeunt dominos, à quibus putant sibi plus deberi libertatis, & voluptatum vitæ, quam à parentibus. Vnde domini, intelligentes, non se amari, sed omnia ad lucrum dirigi; amare eos non possunt: illa vero omnia ad amorem vehementem pertinent. Tertia caussa est, quoniam iam effœtis viribus, ob musicæ studia nihil præclarum ad virtutem perficere sustinent, aut possunt: vnde dominis in gratiam arctamque consuetudinem deuenire nequeunt.

9. Quum aliquando sanassem potentem virum: atque is in re iniustissima me pæne ad desperationem compulisset, vbi obuiam factus mihi est qui à secretis eius erat, inquit, Cur non ad me potius scripseras? ego te hac cura statim liberassem. Quid fœdius? scripseram ad dominum decies: hunc palam est interrupisse negotium: gloriabaturque. O miseram illorum vsque adeo felicitatem! Sed defendi potest, diuisa esse munia, vt ex condicto priuata intimis relinquantur. Ergo vides quomodo humanæ res agantur; & quæ rerum fortuna; & quid agendum. Ius iam eorum est, tum illis maiorum. Sed vt reliqua peccata (vt reor) non æqualia in omnibus, sed maiora in ambitiosis, ignauis, & flagitiosis.

10. Quum Regis Gallorum Legatus primum locum occupasset in Concilio Tridentino, Legatus Philippi Hispaniarum atque Indiæ Regis, sedit ante scribam, nullo ordine, ex aduerso Legati Pontificis, ne alteri cederet. Quumque iudicium præcedétię Pontifex deuitaret, ne alterius Regis offensam subire cogeretur; (quorum vnus & amicus & potentior; alter iure prior, & alienato animo esse videbatur;) consuluit Hispaniarum Regi, vt semper Episcopum mitteret, si Gallorum Rex Episcopum non misisset, quod iure sacerdotij præcedat Episcopus: aut si ille Episcopum, ipse è Proceribus vnum, ei cessurum iure sacerdotij, non regni.

11. Quum legatus Epidauriensium apud Turcas captiuos quosdam vt fugerent iuuisset, intercepto duce itineris periclitabatur. Dum recurrisset ad purpuratum è primis, petiit, Vbi rem cum illo tractasset? respondente eo, In cubiculo; iussit cuncta inuerti. Itaque iudicio ad purpuratos relegato, consuluit cæteris collegij ille, vt an verum esset indicium, ex conditionibus [cubiculi, &c.] quæreretur. Quum nihil eorum quæ prædixerat, inuentum esset, palo infixus est; non solum vt delator falsas, sed vt qui pecunia corruptus, facinus perpetrauerit. Equidem & illud considerandum, quamquam falso iudicio oppressum, maior tamen in culpa illum fuisse, quam legatum,

12. Quæ mihi maxima detrimenta attulere, sex fuerunt: Simulasse simplicitatem vsque ad vecordiam: Astrologiæ fidem adhibuisse: Ludus latrunculorum: Musica: Liberis procreandis minus operam dedisse: Caruisséque pædagogo.

13. Vincentius Toscus Cæsenas, Medicus & Philosophus, quum consenuisset, opibus comparatis vxorem duxit: Vt vero ad Venerem accenderetur, cibos paucos sumebat, salaces, vt oua dura, auellanas ex saccharo, offasque ex aromatibus, vocant Mostacinos, vinique potentis parum; experiebaturque commodiora: bulbos, carduos, tortas, caseum, pineas ex sacchato: inde suppositis lectis iuxta ignem. Sæpius enim per hiemem hæc agebat. Atque ita susceptis duabus filiabus, vnoque masculo, vt se exhauriret, dum proli studet, finem huic conatui imposuit: nouamque curam educationi adhibuit. Custodia autem mirifica circa vxoris pudicitiam vtebatur: quam & nactus fuerat probam, & elegerat fœcundam. Ita singulari hac industria vitam felicem duxit; & tres liberos (qui etiam nunc viuunt) continuata prole reliquit heredes, & diuites: Vt diligẽtiæ nihil negatum sit.

14. Quum Carassa Cardinalis eligere nollet Angelum Medicen in Pont. Max. sponsionem accepit CL.M. aureorum, vt aiunt, CM. à Florentiæ Principes; quæ rei ei exitio fuit; quom iam magnorum criminum accusationibus vrgeretur. Præstabat vel liberaliter suffragia exhibere, vel non omnino exhibere: hoc ipso tutus; illo securus, ob verecundiam tanti accepti beneficij.

15. Quod autem nulla potentia erroribus par esse possit, & quod ex huiusmodi genere vitæ etiam Principes ruant, duorum Principum vita, inter cæteras, nos docet: vna Lud. Sfortiæ, Ducis Mediolani, qui in carcere mortuus est; altera Ludouici XII. Gallorum Regis. Ille dum fallere omnes vult, & à suis proditus, ab aliis deceptus, & oppugnatus:

hic dum fœdere iunctus Venetis, ipso ambitiose contracta cum aliis Principibus societate, solus profligauit. Vnde illi & inuidia, & iactura; & parum constantis animi opinio obfuit: vt, pari exemplo, ab omnibus aliis, perfidiosè in vnum consentientibus Mediolanensi principatu priuatus sit, maxima iactura etiam in Regno accepta; vt Fr. Guicciardinus narrat in Historia legi digna.

CAPVT CXXXI.

De senum vita, pro exemplo.

QVoniam huius libri propositum est omnibus prodesse; longumque esset singula calamitosorum genera describere; hoc vnum, quod diu viuendo neque Principibus ipsis effugere [licat,] pro exemplo describemus. Nam seu Principi filij sint, seu nepotes, seu alij heredes, seu nulli iure, vt Antistibus, & his qui per electionem creati sunt; contingit vt vel ab illis, qui hæreditati inhiant, aut qui rem totam in manu habent, vt solent Principes, velut dixi, vnum habere, qui non contentus eo quod nimis habet, & plus habere quam possit, humanam conditionem secutus, habere vult; aut omnino; si vir sit gnauus, qui cuncta per se efficere velit; ab omnibus irrideatur: quanto magis mediocris conditionis senex? Quod si senectuti orbitas & paupertas, aut morbus, aut vitium animi adiungatur, vel stultitia, nulla spes residua est, præterquam in morte. Nihil tamen prohibet sanem, etiam pauperem, felicem esse, si filios bonos habeat, aut incolumis sit, ac sapiens. Ergo seni iniuria grauis est, tum quod ea nullo suo merito infertur, tum quod ad vlciscendum minus paratus est; &, vt videbat Laberius,

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam,

quod grauissimum est in hac caussa, atque ineuitabile malum, etiamsi ferre quamcunque iniuriam paratus sis. Molestum est ergo ferre: siquidem ira tristis est, & magis dolor: spiritus autem tristis exsiccat ossa, vt Sapiens dixit. Tertium incommodum est ex contumelia, quod tui redduntur difficiles erga te; & pares te accusant vt segnem; & inferiores te contemnunt, fiuntque contumaces: vt ea ætate non possis viuere.

Auxilium igitur à prudentia, patientia, potentia atque loco sumendum est; vt velis viuere in bene instituta Republica. Ea est, vbi senibus honos habetur. Olim felix vita [erat senibus] apud Lacedæmonios, & Romanos; contra miserrima apud Athenienses, cum sua Philosophia. [Felix] ergo Respublica, vbi per senes cuncta administrant: Vbi autem petulantia viget, etiamsi magistratus iustissimi sint; quis cohibebit petulantiam horum; & quantumcumque leges seueræ proponantur, nullo modo eas eludunt. Cogitatione vero patientiam indues: quum eiusmodi insolentes dignos misericordia potius, quam vltione, existimabis: nam cito in aliquam magnam calamitatem incident. [His] diebus adolescens lictor insultabat aurigæ meo (anno MDLXX. Iunij initio) & ad portam terebat equas, quæ carpentum quo vehebar, illudens equabus, quod paulo macilentiores essent; reprehendentibus publicanis. Irascebaturque mihi ex hoc auriga, quod caussam præberem huic iniuriæ, quam receperam. Idem triduo post retulit, eundem lictorem interfectum. Cogita ergo felicitatem esse in sapientia; finis propinquitatem esse optimum, quum ad ingressum melioris vitæ spectet. Societatem ineas cum, Philosophis; non cum Grammaticis, aut Poëtis. Neque etiam verum est quod Cæcilius in Hephæstione dicit;

Tum etiam in senectute hoc depute miserrimum,
Sentire ea ætate esse odiosum se alteri.

Et illud Varronis initium detestabile: *Homo est bulla; eo magis & senex. Annus enim octogesimus admonet me, vt sarcinas colligam.* Quin potius Senecam audiamus, dicentem (Epistola 26.) *Viget animus in senecta, & gaudet. Hunc ait esse florem suum.* Et alibi: *Quemadmodum quod in mellis imo, dulcissimum est, ita vitæ extrema pars iucundissima: in qua extinctis perturbationibus, suauissime ea frui licet.* Et Plato inquit; *Senectus si in hominem modestum & facilem incidat, minime laboriosa est; si in contra. & senectus & iuuentus his [morosis & immodestis hominibus] difficilis est. Et quamquam pauperi senectus molestior sit, non tamen maius est præsidium in diuitiis, quam quod perturbationibus carens, quietiorem vitam degat,* Et in nono de Legibus, (iuxta finem) *Senior non paruo interuallo anteponendus est, & apud Deos, & homines qui feliciter victuri sunt. Cædi ergo seniorem à iuniore, & turpe est, & odio à Diis habetur. Quamlibet ergo seniorem decet & re & verbo à iuniore coli; &, si maior sit XX. annis, velut patrem.* Aristoteles quoque ait (30. Problem. 4.) *Seniores magis mente valent. Si ergo mens est quicquid boni homo habet, manifestum est, senem esse beatissimum, si ei honos habeatur, nec ab aliis inquietetur: Et vero iure debetur (reuerentia) vt idem testatur 9. Ethicorum, cap. 11.*

Quare tota res in nobis est, [vt habitationem inueniamus, amicos quæramus similes. Multum enim prosunt, imo necessarij sunt, vt [idem Aristoteles] ibidem docet (lib. 8. cap. 1.) Patria ergo, opes, amici studium in his quæ parte maxime valet, scilicet mente, non exercitatione corporis, aut musica; sociis Philosophis, aut Theologis, præcipue senibus. Neque enim senex senem irridebit ob ætatem. Domestici acres sint viri; partim ob tutelam, partim ob morum similitudinem. Neque sine horum custodia vmquam prodibis in publicum. Abstinebis à vitiis, & dissimilium conuersatione, tum conuiuiis. Nam loca ipsa amœna numquam te irridebunt. Piscatio, & etiam aucupium voluptates honestæ sunt. Latrunculis cum paribus certare [potes.] Ne tamen vmquã res eruditioni, eruditionem ætati, ætatẽ moribus anteponas. Vtetis pueris, ad seruiturẽ. Promptiores enim ad munia, & à contẽtu tui remotiores. Cum cæteris autẽ caueas loquacitatẽ (quæ senes reddit despectos, & nimis familiares) cum quibus versaris; acris magis, quam leuis. Principum & magistratuum gratiam promerearis magis, quam aucuperis. Quodvis dictum petulantis adolescentis ita

calide

palide & pertinaciter prosequaris, vt exemplo aliis sis. Exercearis aliquo in negotio, in quo præstes omnibus. Solum etiam te delectare poterunt plantæ, lapilli, ectypa, figuræ, atque eiusmodi, & propria stirps.

Vt vero (quod summum est) neque contemnaris, neque odiosus sis, illum per quem omnia tractas, caue ne læseris. Imperio, non consilio, vtitor. Spem cum te coniunge: vt donec viuas, plus habeat, quam te mortuo. Sed & inexspectatis beneficiis, illius rem augebis.

CAPVT CXXXII.

Peroratio.

HÆc igitur de his dicta sunt, quatenus scribi potuerunt: nam in opere ipso sunt coniunctiones, & comparationes, & occasiones; & moderatio, quæ ex generalibus regulis habetur; & amicorum monita, & exempla eorum qui plurimum possunt, & qui sunt prudentes, & vsus ipse in omnibus dux. Quod etsi damno afficiatis, noli existimare, te ob id non profecisse; aut hæc quæ scripta sunt, non recte se habere. Etenim quidam adeo sunt stulti; vt seipsos cum aliis perdant, ira, improbitate, ignorantia: quorum occursationem, ac cum illis negotiationem prorsus fugere oportet. Sed tamen metuendum est tibi, quum qui damnum intulit, ex damno lucri quid fecerit. Signum enim est, te non recte egisse. Memento autem in omnibus, ne immortalem rem, vel impetu animi, vel lenocinio præsentium bonorum, aut quę speras, cum mortali ac volatili vlla ratione commutes. Plurimum autem iuuant epistolæ Principum: in his enim plurima cognoscuntur quæ hic scripta non sunt: tum exercitatio horum præceptorum, atque vsus. Prodiit autem in publicum liber earum primus: in quo mediocria sunt plura, quædam etiam bona valde, multa insulsa. Hæc sic dignosces: Quæcunque scribuntur à ministris magnarum rerum, & de rebus secretis optimæ sunt: Quæ de magnis rebus, etiam ab iisdem, licet manifestis, sunt etiam bonæ: Similiter & quæ à Principibus ad huiusmodi viros. Oportet autem, vt dixi, etiam delectum habere: vt in quibusdam exemplum actionis etiam sumamus; in nonnullis modi agendi; quibusdam etiam solum excusationis exemplum. Natura quoque ineptis, quum vel non totam artem didicerint, vel non sensim, vt in naturam transeat, vel non accurate eam quantum oportet tractarint; vel si omnino simplices fuerint, tantum abest vt profutura sint hæc præcepta, vt ridiculi futuri sint, & tum ob consensum, tum ob confidentiam maioribus damnis, atque turpiori dedecori obnoxij: Frustraque accusabunt hanc disciplinam: cuius tamen vtilitatem, quanta sit, nos exemplo, quamdiu fuimus Bononiæ, ostendimus, tametsi omnibus oppressi incommodis, multisque infamiæ falsis notis, quum omnia in contrarium vertendo hostes longe lateque superauerimus intra quinque mensium spatium; re & celeritate miraculo similibus. Verum illud cogitare decet, quod hæc non vt traduntur exerceri possunt, tum quia obstant mores, consuetudinesque, tum leges perperam editæ: & quod qui præsunt, non rem ex tua sed sua sententia tractare volunt & cupiunt: & ob id sæpe continget, vt si loco, tempori, tum vero rationi tractandarum rerum (quæ scribi nullo modo potest) te ipsum præceptaque hæc accommodare noueris, frustratum te his, eademque inania esse existimes. Quum vero hæc boni causa scripta sunt; nec fieri possit, quin optima etiam in malos vsus trahi queant, velut felicissime venena in salutaria medimenta; quicunque (sine necessitate summa) male his præceptis vtetur, præter conscientiam sceleris, metum futurorum, & Adrastiæ, sciat, laxatis rationis & pietatis frenis, sibi, & perturbationibus animi hostilibus indulgendo (quũ cupido sit infinita, mortales casus varij & incerti, natura fragilis & imbecilla) male pereundum. Sunt præter hæc quædam quasi coniuncta, & ad argumentum rei facientia, velut qui præferuntur libri de Antonini vita, ad ostentationem scripti, quum illam maxime vituperent. Quorsum enim se adeo laudare, atque hæc scribere, quorum plurima manifeste falsa deprehenduntur, si sua latere voluisset? Ideo cum maxima cura legendi sunt, Difficillimum est enim inter multa perperam dicta, paucula opportuna seligere. Sed & in priuatis affectibus Musica multum potest, & antiqua in mentem reuocat, eademque percellit, sicut in publicis rebus flamma illa cœli, & Cometæ, generalesque constitutiones, quæ mirum in modum hominum mores instituta que mutant: & quæ sequuntur ad illas, magna mole cogitantes incitantes, & vim inferentes. Memento etiam recessuum, & reflexionum, tum redituum atque remissionum nostrarum.

Quæ vero extra & supra artem sunt, tria sunt præcipue: in naturalibus iuuenescere, in priuatis negotiis, quod iam periit aut prope est, ostendere potuisse non perire; quod in medicina maximom esset: & in publicis rebus, fœdera sancire, vt tuta essent ab vtraque parte. Sed primum fucata ratione peragimus, vitam futuram pro præsenti sobiicientes: eam quæ superest, diligenter custodientes, filiorum cura, tamquam imagine nostra, & gloria. Priuatorum negotiorum Galenus iactat se modum quendam inuenisse. (10. Artis curat. cap. 3.) Probo exemplum illud: sed magna felicitate opus est, vt in huiusmodi occasiones incidas: & qualecunque fuerit, in tam ardua re laudo inuentum; quando nil melius excogitari possit. Sed adeo multæ requiruntur, vt vix è pluribus vni vel contingere possit. In publico fœdere quæsiti sunt viri probis, communes amici, in quorum manibus arces pro pignore deponerentur; aut Respublicæ, quibus mercatores (ibi negotia habentes) pro magna summa auri ex vtraque parte pollicentur. Sed difficile est integrum virum inuenire: & si sit, etiã vt vterq; ei se credere velit. Demum potentioris metus, vis discrimen nõ leue affertũ. Respublicæ quantũ delinquant nouimus Romanorum exemplo, qui agrum, cuius iudices essent, sibi adiudicarunt: (Val. Max. l. 7. cap. 3.) Sed & decernere longum, postquam per calumniam litigator negat prius à conuentis discef-

discessisse. Sed tamen melius est hoc, quam simplici iuramento fidere. Est etiam quartum, sed non absolute desperatum, verum difficillimum, quum indefessi hostes, & plures, ac potentes. Herculeus labor Hydra Lernæa repræsentatus: à quo vel vi, vel fatigatione, vel tædio, vel desperatione, vel casu vinci, etsi sæpe viceris, necesse est: vt Troia à Græcis, Numantia à Romanis, & nos hic Bononiæ pertinacia hostis victores vincemur. Auxilium etiam Hydræ; exurendum esset caput, non solum amputandum. At nobis non licet. Quamobrem huiusmodi viris eligenda est, vt dixi, ciuitas, in qua Princeps inhabitet. Aliis, qui primum non possunt, secundum non obseruarunt, non alia est via, quam non vlcisci, sed ex inimicis amicos, & factionem (vt dixi) suscitare. Sed primatum deponere oportet, & alteri cedere. Quorum duorum vnum mihi non licet, ob dignitatem; alterum non possum, ob ætatem & studia. In huiusmodi occasionem expectare melius est: interim remorari. Denique quamquam finis noster hic non sit, proximus tamen illi est, quem boni maiique Principes, ac priuati expetiuêre; & in quo omnia, præter naturæ dona, bona constituta esse videntur; & Veneratio: vt contra continere hominum studia in hoc difficillimum. Ob id idque illa etiam difficillima. Venerantur Deum & Principes, & familia bene constituta herum suum. Complectitur autem quatuor illa coniuncta & indiuisa simul; amorem, timorem, affectum naturalem, & opinionem maximam probitatis, sapientiæ, atque potentiæ. Efficiunt autem venerationem maxime consuetudo, religio, & iuramentum, atque hæc vbi desit, parum boni adesse potest: minus tamen obest Principibus. Hoc ipsum deesse quid timent? Post metum est amor. Exemplum amoris absque veneratione, est parentum in filios. Verum ne illud forsan admiretis, quod multa esse dixerim, quibus vniuersum hoc negotium tribuatur, velut scientia animi, veneratio, persuasio, mouere affectus, potentia, & tranquillitas: Id accidit dupliciter. Primum vt finis ipse diuersa ratione accipitur: ideoque vt, mox illum adeptus fueris, nihil referre (putes:) veluti tranquillitas alia est habere quod velis, alia vt his quæ habes contentus sis. Ita ergo duo erunt, quibus adipisceris finem, prorsus diuersa, & pene contraria. Secundum: vt causæ sint ordinatæ, atque perfectæ singulæ: velut ex animi scientia accidit vt affectus moueam; ex quo persuasione veneratio, ex veneratione potentia; ex qua adeptio quorumcunque atque tranquillitas. Optimum igitur est, vnum ex huiusmodi assequi. In reliquis imitare optimos Musicos: qui tamdiu concinunt donec melodia stare vtcunque potest, quum non potest, desinunt; indignum putantes, vel alios corrigere, vel aliena culpa decus incurrere.

FINIS.



PRÆCEP



PRÆCEPTORVM AD FILIOS LIBELLVS.

PROOEMIVM.

CVM multi, ô filij, existimauerint, maximam partem felicitatis pendere à fortuna, scitote illos esse deceptos; aliquid enim potest Fortuna, & in aliquibus; verùum maxima pars in nostra constitutione posita est.

CAPVT PRIMVM.

De Dei cultu.

DEo vt maximo singulis diebus gratias agite, sic meliores fietis.

De Deo parcè, nec nisi cum reuerentia loquamini.

Iurare nolite secretum, ne ex liberis vos seruos reddatis.

Cum prudentiæ res oon subiacet, à Deo auxilium implorate.

Vbi humanum suppetit auxilium, confugere ad diuinum temeritatis est.

Qui à Deo scientiam quærit, animum à vitiis, corpus à cibis mundum habeat.

Nolite laborare in sensibus sacræ paginæ, multiplices enim sunt, & cum periculo labor est.

Quæ nobis bona eueniont, à Deo accepta scitote.

Nolite credere vos aut dæmones alloqui, aut mortuos videre, sed nec tentate, multa enim latent.

CAPVT II.

De Prinsipum obseruantia.

PRoxima Deo cura habenda est de Principibus, ne illos offendatis. Placidè igitur, aut tacitè.

Nolite coram Principibus cum aliis loqui, nec clam, nec apertè.

Iracundis Principibus nolite omnino seruire, nec suspicione plenis, nec esse in illorum potestate: fulmen enim est vbi potestati iracundia, aut suspicio iungitur.

Principibus aut administratoribus nolite vos sponte insinuare; suspecta enim res est. Cui plus placet quàm par est, plus vult, quàm licet,

Nolite Principibus, aut valde potentibus, aut multitudini resistere, etiam si ius æquum habeatis.

Nolite quod Principibus displiceat facere, nec si feceritis, placatos vnquam existimetis.

Vbi iustitia non colitur si habitaueritis, necesse erit vos meritò multa pati.

Nolite ambiguis verbis, oec ad Principes, nec de Principibus loqoi.

Tempus Priocipibus imperat, Principes hominibus: expectate ergo tempus.

Mementote quia Principes sunt sicut montes, ad quos accessus qnamquam difficilis, longè tamen tutior est quàm recessus.



CAPVT III.

De Vita.

POst hæc duo, vitæ ratio babenda est maxima, ipsa enim est principium omnium.

Somnus laborem, labor cibum, cibus potum præcedet, & superet.

Cibo vnius generis singulis vicibus estote contenti, ne etiam edacitas vos perdat.

Aqua vobis vino sit potior; inter vina potius album.

Bella, pestem, famem fugite, pauci enim seruantur, plurimi pereunt.

Cibo, potu, venere, nec ante desiderium nec ad satietatem vtamini.

Fungos, anguillas, nec ranas edite, nec quod dentibus stridet, nec duo vina bibaris.

Bis in die tantùm edite, semel verò tantum carnis quantum conuenit.

Bona ab ignotis oblata, nec quæ nescitis vode veniant, nolite degustare.

Cum meretricibus, aut concubinis oolite comedere.

Nihil aut assum, aut frixum, præter oleta & legumina, nolite comedere.

In conuiuiis vbi estis inuitati si cogamini accedere, fidos habete pincernas.

Super plomam non dormite.

Tempus cùm in lecto decumbitis, ab omni cura liberum omnino sit.

Ferte Hyacinthum in digitis ad somnum conciliandum, & aduersus pestem & fulgura.

Smaragdum collo pueris ſoſpendite ob Comitialem morbum;cerebrum enim confirmat.

Cauete ab aqua quæ ſine igne feruet; terra quæ ſine labore ſudat; pluuia quæ ſine nebulis eſt.

Res malè olentes aut corrupti ſaporis, ne comedatis prorſus.

Nolite ſedere in faſciis,patentibus feneſtris.

CAPVT IV.

De Itineribus.

Viam communem ne relinquatis, niſi neceſſitate coacti,aut tutò,aut vtiliter.

In caupona ſolitaria nolite diuerſari, nec noɛte equitare.

Soli nolite vnquam iter peragere,aut ire per vrbem,multa enim obiter contingere poſſunt.

Nolite ob breuitatem vos latronum, aut aquarum periculis obiicere.

Cùm in via eſtis,de ſolâ viâ cogitate.

Ne vnquam ſub ſubgrundiis ambulate:hoc enim præcepto bis mortem lapſu tegularum euaſi.

Aquam inexploratam equo, aut furentem nauiculâ ne tranſeatis.

Equo præter neceſſitatem non curretis,nec natetis in profundâ aquâ.

Vrbem,aut oppidum,aut domum ne ingrediamini niſi per portam.

Cùm iter ingreſſuri eſtis, omnia priùs præmeditata ſcribatis.

Ne in viam quam neſcitis, abſque fido duce ingrediamini.

Ignotum hominem nunquam in viâ in ſocietatem admiſeritis.

Comes facundus in viâ pro vehiculo eſt.

Cauete ne occurratis homini incognito properanti, aut belluæ: Rabidi etiam canes rectâ ſemper incedunt.

Equum incognitum ne aſcendatis, & ſuper manſuetum nonniſi habenis comprehenſis.

Euntes per vrbem ſupra & infra aſpicite, extra vrbem humiles habete oculos.

CAPVT V.

De Virtutibus, & 1.de Fortitudine.

Omnes virtutes honeſtæ ſunt & pulchræ, ſola fortitudo nos ſimiles immortalibus Diis,beatos reddendo, facit.

Pericula magna non niſi periculis depelli ſolent.

Scitote quòd bonus animus in malâ re, dimidium fert mali.

Pro eâ infamiâ quæ vel falſa eſt, vel celari, vel ſarciri poteſt, periculo mortis vos nolite committere.

Lætè viuite quando licet, curæ enim hominem atterunt,non liberant.

Rerum quæ mutari nequeunt, omnem prorſus curam abiicite.

Nolite in aduerſis animo concidere, nec in ſecundis extolli.

Conſtantes vt ſitis opto, contumaces nequaquam.

CAPVT VI.

De Prudentia in generali.

Nihil eſt poſt fortitudinem, quod adeò ad felicitatem conducat,quàm prudentia.

Dum ſapientum prudentiæ res ſubiacent, vatem non conſulite.

Ea,quæ ad vos non pertinent, nec pertinebunt,etſi ſcire liceat,non attingite.

Somniis ne confidite, nec ea contemnite, maximè cùm peculiaria ſint genti noſtræ.

Cognoſcite vos ipſos, & alios cum quibus verſamini,& occaſionem.

Aliena nonniſi ſuperabundante otio,curate.
Sine vtilitate nolite futura prædicere.

Quatuor bonæ matres totidem malas filias pepererunt,veritas odium,felicitas faſtum,ſecuritas periculum, familiaritas contemptum.

Ratio agendorum ſeu prudentia, ſumenda eſt primò à Deo, inde à naturali inuentione, vltimo à vatibus.

Quæ nullum afferunt detrimentum, agite iuxta conſuetudinem.

Prudentiæ laus non conſiſtit in ſolâ contemplatione,ſed in applicatione ad opus.

Prudentiæ maioris eſt pecunias vtiliter expendere, quàm conſeruare, quia plura attendenda ſunt circa vſum pecuniæ, qui aſſimilatur motui, quàm circa conſeruationem, quæ aſſimilatur quieti.

In animi perturbationibus nunquam deliberate.

Mementote quod vnam tantùm habetis linguam,& duas aures.

Pauca loquamini, in multo enim ſermone multa excidunt imprudenter.

Nolite credere, vbi credendo periculum ſubitis leuitatis,aut ignorantiæ.

Negotia omnia vt equos tractate, quos in viâ,etiamſi manſueti ſint,vinculo retinetis.

Nolite in alienis calamitatibus iocari, ne maximam prouocetis iram.

Neminem ante finem felicem exiſtimate, maximè cùm non ſecundû virtutem vixerit.

Duo ſunt tempora loquendi,vel cùm neceſſitas cogit, vel cùm exploratiſſima narratis, quæ enim dixeritis ſilere ampliùs non poteſtis, quæ ſiluetitis plerumque dabitur dicendi occaſio.

Ne loquamini coram gentibus res ſerias, aut coram nimis ſe efferentibus.

Senes veneramini: deteriore enim eritis conditione niſi id faciatis.

Nolite ad pugnantes accedere,niſi veſtri ſint neceſſarij.

Nolite ridere cachinno, riſus enim abundat in ore ſtultorum.

Nolite vti verbis triſtibus,nec leuibus, nec impudicis,nec diſſimulatis,nec ironiâ.

Nolite flere ridentibus aliis,muliebre enim eſt.

Nolite luɛtum multum oſtendere, breuis enim vitæ conditio ipſum non meretur.

Vtilior eſt magna prudentia cum paruâ ſcientiâ,quàm magna ſcientia cû paruâ prudentia.

Sceleris aut infamiæ, quam inferre non cogitatis, omnem deuitate ſuſpicionem.

Fortunam reperire facilius eſt quàm accipere,

pere, accipere autem quàm retinere.

Necromantia nulla est, Alchymiam non esse ere.lere præstat, ab infamibus igitur abstinete.

De vobis ipsis, filiis, & coniuge nullam penitus apud alios mentionem faciatis.

Res omnes, mediocris saltem momenti, scripturæ mandate, memoria enim fallax, & sic liberiùs aliis negotiis intendetis.

Mundo & ornato, sed exigui sumptus vestitu contenti eritis.

Cauete ne taciturnitas sit cum periculo, aut cum iacturâ procacitas.

Cauete scire ea, quæ æqualiter fermè habent periculum tacendo atque loquendo.

Nihil agite tanquam protinus morituri, nec certam spem vitæ vobis præfinite.

Sap entes ab operibus, non ex verbis, stultos autem ex vtroque indicate.

Beneficia & inclyta opera sunt propugnaculum iniuriarum.

Minima maximarum rerum sunt initia, ne igitur polliceamini facilè.

Cùm loquimini cum aliquo malo, aut improbo, semper manus, non vultum inspicite.

Nolite adhibere fidem literis sine nomine, vel à personis scripti dicentibus malum de domesticis, aut amicis, quia ab inuidiosis fingi solent.

Fortunam nolite inspicere, nec contemnere, nec virtuti amicam existimare, nisi & illi vsui necessaria est.

Mementote quòd beneficium beneficio, aut insigni iniuriâ rependi solet.

CAPVT VII.

De prudentia circa domesticos.

NOn metu, nec amore, sed reuerentiâ quæ ex vtroque constat, familia continenda est.

Filios amate, fratres veneramini, parentes & domesticos omnes, vel diligite, vel excludite.

Pudorem in gestu & sermone seruate vbique, maximè autem inter domesticos.

Quæ non vultis sciri, nec coram pueris, nec seruis, nec mulieribus dicite.

Cauete ne filios ac domesticos nimiâ acerbitate reddatis inutiles.

CAPVT VIII.

De prudentia circa vxorem.

VXoris cura diuitias antecedit; nam diuitem improbum vxor infelicem reddit, pauperem proba felicem.

Vxorem absque diuitiis mediocribus ne ducatis.

Mulier, aut odit, aut amat, nihil habet medium.

Vxorem nunquam irritamini, sed monete.

Vxorem litigiosam ne ducite, omnis enim est inobediens.

Vxorem à gente stultâ, aut tabificâ, aut comitiali morbo laborante ne ducatis, luctum enim inde perpetiemini.

Vxori aliquibus præsentibus nec blandimini, nec succenseatis.

Mulier cùm sola cogitat, aut nimis blanditur, mala cogitat, semper cauete ergo.

CAPVT IX.

De prudentia erga filios.

FIlij matris naturam & constitutionem magnâ ex parte sequuntur.

Nouercam filiis ne superinducatis, superinductæ fidem aduersus filios ne habeatis.

Filium spur.um vt legitimum educate, sanguis enim vester est.

Filios pædagogis erudiendos, non alendos, tradite.

Filiis nomina pulchra, artem vtilem, mores bonos, Musicam, Arithmeticam, scriptionem tribuatis.

CAPVT X.

De prudentia erga diuitias.

OPes parantur hæreditate, Principum gratiâ, arte inclytâ, laboriosâ, mercaturâ.

Fortuna in omnibus auxiliatur per se, & præstat aliqua, vt thesauros.

In arte & mercaturâ quatuor sunt necessaria, scientia rei, astutia, parcitas, prudentia.

Qui opes parare vult, nonnisi ob certam vtilitatem itinera suscipiat.

Nolite opes effundere, nec contemnere; sunt enim instrumenta omnium bonorum.

Domum vnam, campos & villas plures habeatis.

Artem vnam tantùm profiteamini.

Procurate vt à quinquagesimo anno sufficiant reditus in vitâ, senectus enim indigens misera est.

Nolite ostentare pecunias aut gemmas.

Chirographos & tabulas diligenter custodite.

Mutamini cum pignore, aut talibus, ac tantùm vt donasse non pigeat.

Scire vinci, & amittere, non malum est aliquando.

Aurum bis numerabitis, pondere & sono explorabitis.

Longa & diuturna institutio descendentium parat diuitias. Nam si quis prudens annis 400. viueret, ex priuato orbis imperium adipisceretur; hoc igitur idem esse continuâ serie prudentium contingeret.

Paruæ diuitiæ longo tempore parantur, &

& magno labore; magnæ breui, & paruo labore.

Nolite conqueri de patre qui filios pauperes reliquerit, modò victus illis & industria non desint.

Emere oportet ea, quæ vel vsu non senescunt, vel surripi non possunt.

Fortunam sæuientem nolite formidare, nec aduersus ire, tempus cogit industriæ fauêre.

Si igitur his vtamini, opes congregabitis; si contra iis relictas dissipabitis.

CAPVT XI.

De prudentia circa honores.

Honores immortales, mortales voluptates, gloria corpore senescit, factis resurgit.

Honores & magistratus præbent Principum gratia, amici, diuitiæ, & bonum nomen.

Honotari parua res est, promereri autem honores non mediocris.

Nolite de rebus magnis nisi ex officio iudicare.

In conuiuio, & aliis locis publicis, sublimiorem locum ne quærite.

In certamen non-nisi moniti & præmeditati nolite descendere, nam sic omnino descendisse vos existimabunt.

Honorem delatum vltrò, libenter accipite: non oblatum non desiderate.

CAPVT XII.

De prudentia erga negotia.

Festinate lentè seu tardè, deliberate, & promptè exequimini.

Mercatura optima; infelicis est, nihil agere.

Artem vnam antequàm assequamini perfectè, aliam ne aggrediamini.

Facta masculina, verba fœminina, Epistolæ neutrius generis.

Quæ facturus es, nemini dixeris; ne impediaris, vel inuidearis.

Duobus magnis negotiis in eodem genere ne operam dederitisi

In paruis rebus potiùs decipi expedit quàm decipere; in magnis secus.

In nouo negotio diem, in tractatu temporis modicum expectate.

CAPVT XIII

De prudentia erga parentes, fratres, & affines.

Affines pauperes ne despicite, sanguine enim coniuncti sunt ac famâ.

Parentem æquum amate; non æquum, aut ferte, aut discedite.

Non solùm nobis nati sumus, ortúsque nostri partem patria vendicat, partem amici, & posteri.

Nec parentes, nec amici negligendi, etiamsi ad amplissimam fortunam perueneritis.

Estote inter vos optimi amici, coram autem aliis diffidete.

CAPVT XIV.

De prudentia erga amicos.

Amicos probate dissimulantes non solum calamitatibus, sed etiam felicitatibus: multi enim inuident.

Vicinos amicos & probos quantum licet habeatis, plurimum enim ad famam & commoda vtile est.

In electione amicorum hoc vnum spectate, quod cum aliis grati fuerint.

Amicitiam vbi opus erit deserite, & dissuite, non lacerate.

Concordia si cum aliis pulchra & vtilis, quanto magis inter vos esse debet?

Amicos solos monete, & de rebus magnis tantùm.

Nolite inter duos amicos iudicare.

Amicos palam, non tantum præsentes laudate.

Amicorum crimina non nisi coacti prodatis, aduersos vero casus nunquam.

Ne deseratis amicos vestros, ob affines, aut blandientes.

CAPVT XV.

De prudentia erga inimicos.

Adulatores inter inimicos deteriores reponite.

De veteri inimico nunqnam confidite.

De inimicis vestris verba nulla vnquam habete.

Inimicis occultis blandiamini, etiamsi vlcisci propositum sit.

Quem oderitis, etsi secretò, ne in illo confidite, odium enim vix latere potest.

Inimicum nullum eò necessitatis compellatis, vt saluum se esse posse non putet nisi pernicie vestrâ.

Vt dulcibus venena mixta fallunt faciliùs, ita inimicos permixtis beneficiis.

Cum inimicis vestris sermonem non habeatis, sed internunciis agite.

CAPVT XVI.

De prudentia circa Conuersationem.

Vitate sceleftos, inuidos, stultos, loquaces, iracundos, superbos, irrisores, ingratos.

Nolite

Nolite esse queruli, nec molesti, nec morosi, nec multùm curiosi.

Cùm quis loquetur, cogitate quid ad eum pertineat de re, qualitérque sit erga vos; atque sic mentem, non verba obseruate.

Nolite contradicere in his quæ nec ad vos, nec ad vestros pertinent.

Longobardo rubeo, Germano Nigro, Hetrusco lusco, Veneto claudo, Hispano longo & procero, mulieri barbatæ, viro crispo, Græco nulli confidere nolite.

Cauete à blæsis, varis, strabis, valgis, compernibus, meretricibus, & nimiùm blandis hominibus: sunt enim proditores, aut auari, aut irrisores.

Pueri petulantes & loquaces; adolescentes procaces & multa petentes; iuuenes salaces; senes timidi, auari, queruli, inuidi; mulieres inanes consilio, & secreta minimè seruantes.

Nihil magis vitetis quàm homines verbis bonis, factis autem prorsus iniquis.

Pauperi nolite credere multas pecunias; necessitas enim violentior est naturâ.

De incertis, aut contra iracundos, aut contumaces, aut contumeliosos non litigate.

Susurronem ne in societatem admittite, multo minus in ædes.

Cum fœlicibus & fortunatis versari pars est felicitatis; vitate igitur diligenter infelicium consuetudinem.

Qui dicit lusorem, dicit vitiorum sentinam.

Molitores, fures; lanij, mendaces; lusores, procrastinatores; milites rapaces.

Hominem incognitum cauete diligentiùs lupo & serperte.

Cauete nimis blandos; decipere enim tentant, aut deceperunt.

Nolite quempiam ob corporis deformitatem contemnere; totus enim homo animus est.

Superioribus statim parete, aut discedite.

Procrastinatio, negandi instrumentum est.

Nolite formâ decipi; sub virgineâ enim facie plurumque latent anguinei more.

Consilium ne dederitis nisi rogati.

Vnicuiqoe suum crimen inesse scitote.

Cauete illum qui verbo suo, vel alieno sobridet; deceptor enim est.

Nec ingrediamini ad comedentes, nec in lecto existentes.

In conuiuio, aut omnino tacete, aut parcissimè si necessarium sit, loquamini.

Quod aquâ non mollescit, igni cedit, quod igni non soluitur, aquâ mollescit, quædam vtroque: ita tractanda sunt hominum ingenia.

In alienis infortuniis, cùm ea non præmonueritis, nolite videri sapientes.

CAPVT XVII.

De Sapientia.

COgnoscite delicias Sapientiæ, & eas non aspernamini.

Sapientia summæ probitati iuncta viros cunctis populis admirabiles efficit; sed & in verâ Sapientiâ probitas continetur.

Iacturam temporis maximam esse ducite.

Libris optimis in vnaquâque disciplinâ operam date.

CAPVT XVIII.

Qui libri ad legendum admittendi.

AVctores hi solum digni legantur cùm vita hominis his sufficiat, quidquid verò aliis impenderis his detrahes, vnde aurea æteis commutabis.

In Poësi Homerus, Virgilius, Horatius.

In Grammatica Priscianus.

In Rhetorica, Cicero, Quintilianus.

In Historia Xenophontis ascensus, Sallustij Catilianarius, Suetonius, Argentonus, Nauigationes ad Indos, Plutarchi vitæ & Carionis compendium.

In Mathematicis Euclides, Apollonius, Archimedes, Vitruuius, Ptolomæus.

In Medicina Hippocrates, Galenus, Auicenna, Rhasis ob copiam, Dioscorides, Petrus Bellonius, Gesnerus, Vesalius.

In Physica Aristoteles, Theophrastus, Plotinus, Plutarchus.

Varij, Pausanias, Plinius, Athenæus; Petri Bellonij singularia, Pierij Hieroglyphica, Natalis Mythologia, Cœlius Rhodiginus, Cœlius Caleagninus, Fabulæ Boccatij, Polyphilus, Thesauri linguæ Latinæ.

Non vltra igitur progredi licebit, & sic fiet temporis compendium, doctrina longè vberior, lucrum ex libris non emptis maximum, nihilque deerit ad doctrinam, ad ornatum, ad voluptatem.

CAPVT XIX.

De Probitate & virtute.

CVrate vt meliores sitis & præstantiores quàm videamini.

Virtutem & probitatem, nec tegite, nec ostentate.

Virtutem & probitatem inuidia comitatur vt vmbra corpus, nolite ergo terreri.

Non maior est labor esse fortem quàm timidum, vegetum quàm inertem, comem quàm agrestem.

Cùm virtus sit clarior & vtilior vitio, nec difficilior, ideo eam eligite.

Doctrinam

Doctrinam magis quàm aurum æstimate.



CAPVT XX.

De Fide.

POllicita summâ fide præstate, fidei enim opinio apud homines quædam opes sunt.

Fides ad eum quem reliquerit non reuertitur.

Summam ingratis præstare fidem, aut maleuolis, simplicis, non probi est.

Dominorum negotia summâ fide tractate, vt ex dominis seruos reddatis.



CAPVT XXI.

De Gratia & officio.

IN ingratos nolite beneficia conferre; opera enim perditur,& animus alienatur,& malo estis exemplo.

Officium cùm suscipitis,mementote vos oppignerare libertatem.

Promptiores estote ad conferenda officia amicis, quàm ad vlciscendos inimicos.

Beneficia per vos,aut vestros collata,nolite exprobrare nisi necessariò.

Beneficiarios vestros in causâ iustâ cognitos, qui pro vobis non sunt, pro inimicis habete: nullo officio obstrictos, aut in iustâ causâ cognito, qui contra vos non sunt, numerate inter amicos.



CAPVT XXII.

De Seruis.

ANcillas iuuenes non quæratis; si habeatis, non ipsas in consortium lecti admittite, ne aut dominas, aut veneficas habeatis.

Vt corpus absque animâ nihil agit, ita seruus absque domino.

Affines, seruos, aut famulos nolite habere, ne coniurare inter se possint.

Omnis seruitus est misera; tum verò est intolerabile seruire impudico, impuro, effœminato viro.



CAPVT XXIII.

De Vitiis in genere.

VItia non prosunt nisi vt venena, quibus aduersùs ipsamet vitia vtendum pro antidotis.

Vitia sunt vt sal, ignis, piper, modica condiunt, copiosa corrumpunt.

Vitia animi, velut in vestibus maculas, si quæ sint saltem tegere oportet.

Vitia non tam à nobis expellenda sunt quàm repellenda, quia vtique facilius est non suscipere, quàm semel suscepta deponere.

Vitiorum tria sunt cum voluptate, Auaritia, Gula, Luxuria: vnum cum dolore Inuidia: reliqua modò cum dolore, modò cum voluptate, Ira & Superbia.

Fures nec emendantur vnquam, nec restituunt.



CAPVT XXIV.

De Amore.

AMor est iucundus cruciatus, ac insania vnius generis.

Amare iuueni fructus est, seni crimen. Est enim egregiæ stultitiæ signum, aut caput.

Amare & sapere solis concessum superis.

Amatum quis propter tria, videlicet affabilitatem, pulchritudinem, & mansuetudinem.

Infelix puerorum amor & insulsus. Mulierum autem periculis plenus.



CAPVT XXV.

De Voluptate

VOluptates sunt corruptibiles; honores verò immortales.

Ludite ad animi relaxationem, non autem de pecuniis certate.

Voluptates corporis, morbi sunt.

Voluptatem coërcete, sponte enim nimis augetur.

Ita Diis placitum, voluptatem vt mœror comes consequatur.



CAPVT XXVI.

De Iniuria.

PAruas iniurias omnino negligite.

Læsus grauiter animus dubiam non habet sententiam.

Alienas tanquam vestras iniurias nec ope, nec pretio nolite vendicare.

Pro paruis rebus nolite contendere; plurimi enim minimis ex causis periêre.

Furor fit læsa sæpius patientia.

Animo dolenti nolite credere.

Cùm iniuriam alicui intuleritis, nolite confidere mansuetudini eius, vel ignorantiæ.



CAPVT XXVII.

De Odio.

ODeritis plerumque vt amaturi; semper amate vt osuri: hoc autem ad confidentiam etiam pertinet.

CAPVT

CAPVT XXIX.

De Luxuria.

Lvxuria plerumque aut hominem perdit, aut secum pœnitentiam affert.

CAPVT XXX.

De Gula.

Gvlæ cupediæ pauperes faciunt,aut mortuos.

Qui plus comedunt quàm par sit, mentem sæpius gerunt pinguedine obsitam, corpus verò excrementis oouftum

CAPVT XXXI.

De Inuidia.

Eos, qui vos solum ob inuidiam oderunt, amicos futuros nunquam sperate.

Est etiam pars inuidiæ lætari de aliena infelicitate.

Cùm inuidiâ laboraueritis, vtile & honestum negotium ei quod quæritis, prætendite.

CAPVT XXXII.

De Ira.

Ira est furor omnium generalis,& stultitia ferox ac temeraria, propterea ad iratos ne accedite.

Mementote quòd nunquam vidi hominem iracundum qui rectè aliquid fecerit.

CAPVT XXXIII.

De Superbia.

Svperbia multos precario parit hostes.

Superbia prima origo inuidiæ.

In superbiam tantò quis facilius incidit, quanto ex humiliori gradu ad dignitates euehitur.

CAPVT XXXIV.

De Mendacio.

Mendax lucratur, vt veritas ei non credatur.

Nolite vnquam mentiri, sed circumuenire.

Mendacem sciatis aut stultum esse, aut à fure & proditore abesse parùm.

Cauete eùm veram causam tuemini, ne confictis mendaciis eam infirmetis.

Vt mendaciis locus non sit,assuescite veritati, de rebus magnis agite; atque ne argui possitis cauete.

CAPVT XXXV.

De Aduersis.

Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio rerum incommodarum.

Magnaoimi est, neque secundis rebus insolescere, neque deiici aduersis.

CAPVT XXXVI.

De Animalium educatione.

De Mulo nolite fidere.

Equum aut nullum, aut egregium alite; in via nunquam liberum relinquite.

Aues,nec feras,nolite habere in domo.

Qui ponit pecunias suas in animalibus,de sero ridet, de mane lacrymatur.

Equos aut mulos quos equitare vultis,blanditer tractate,panem naribus præbete, neque enim cadentes vel liberi dimissi negotium facessent.

In vltimo, Animalia non alatis vltra partem millesimam redituum.

CONCLVSIO.

Non est necesse hæc omnia ad felicitatem obseruare; sed tamen qui hæc omnia obseruauerit felix erit.

Longe autem facilius est hæc scire quàm exequi.

FINIS.



DE OPTIMO VITÆ GENERE.

PRIMA PARS.



Ptimvm vitæ genus
quilibet ſcire optat. Ve-
rum calamitoſis præſer-
tim conducit : velut ſeni-
bus , vinctis , ſeruis , non
ſolum vt ipſum adipiſca-
mur ; ſed vt ſi calamitas
illa non ſit ex his quæ vitam beatam prohi-
bent quietius viuamus , & nedum quod ma-
lum non eſt , aut ſaltem non impedit pellere
nitimur, aliud per quod impediamur accerſa-
mus. Scite igitur hoc ipſum præſtat ne ab-
erremus : & demonſtrare quid ſit , vt ani-
1 mus acquieſcat. Ergo humana vita , ſi verè
æſtimanda eſt, nihil habet,ſed vt ille dicebat:

Poſt rogum diſtat nihil nudo
Cræſus ab Iro.

2 Et vt Philoſophi dicunt , vt punctum in
circulo : ita ipſa ad æternitatem. Vere etiam
quid refert nunc , ſi ad rem reſpicias,Xerxi,
quòd olim Rex Orientis fuerit , aut Cleom-
broto quod in equo Phalaridis extinctus ſit?
neque enim vnquam potui intelligere, quid
præterita quæ nihil reliquunt , poſſint in vi-
tam noſtram , niſi à temetipſo diſcrucieris:
multo minus in mortuo. Profectus eſt , vt
puto , hic error ex ſimilitudine earum volu-
ptatum , ex quibus aliqnid relinquitur iu-
cundum , vt alea ſi feliciter cedat , Venere ſi
filius progignatur : à ſomno ſalus : à conui-
uio amicitia : à certamine laus. Sed hæc iun-
cta voluptati , non à voluptate : Verùm
3 actione recta. Cum igitur ita ſit , quid re-
fert quod hodie aut infra x. m. annos pe-
reas ? Omnino enim futurum eſt, & aliquan-
do tranſibit hoc tempus & infinito ſpatio
obruetur , niſi putas aliquid intereſſe oune
inter Cyrum qui iam pluſquam ab hinc m.
m. annis, & Ritium fabrum lignarium qui
4 paucis ante diebus interiit : Abiecti nimis
eſt animi dolere quod eras , aut peren-
die ſis moriturus;ſolue annos in dies & idem
erit : aut incides in quæſtionem pſoriticam.

Sed ſi ad opinionem , aut vulgarem ? &
ita feliciſſima erit, & ſolum in caupona vbi
libere licet pergræcari. Nam ſi velis vitam
horum potentium æſtimare ; qnod ad ſen-
ſum attinet dum fruuntur miſerrima : quo-
niam non vltima niſi cum tranſgreditur vires
humanas ; & tunc vel in ipſo actu , vel paulo
poſt diſcruciat & alias occaſiones interuertit,
& ſi vltima non ſit, non explet libidinis pru-
ritum. Creſcit amor nummi , quantum ipſa
pecunia creſcit.

Ita & de concubitu, potentia, & aliis : at
quantus labor vt expleas , & præcipuè quod
expleri non poteſt? poſt autem flebilis. Quid
ergo hoc cupere , lætari , diſcruciari?Scabies.

Quare ad tertium felicitatis genus tranſeo
quod ciuile dicitur, commune in vſu, & à
cunctis comprobatum , quod omnes appe-
tunt , iuxtaque ipſum viuunt optimates, &
principes , ac populi : iudiciumque de exiſti-
matione hominum , & vita beata , ac miſe-
ra ſumunt. Idque duplex eſt ; nudum , & im-
plume : cum quis fortitudine ſola animi fre-
tus ſe felicem exiſtimat etiam inter miſerri-
ma,quod quibuſdam natura contigit. Vt Aſ-
drubalis ſeruo, qui in tormentis ridens obiit.
Aliis diſciplina, vt Anaxarcho , & Tenoni
Eleati : pluribus autem vſu , & educatione,
vt olim Legionariis Romanorum, & noſtra
ætate cohortibus Germanorum , & Hiſpa-
norum , & militibus Turcicis , & equitatui
Scytharum , nam hi læti viuunt , & alacres
moriuntur : etiam aliorum exiſtimatione qui
ſolum huius vitæ rationem habent , vt con-
ſtet in hoc genere felicitatis, quod forſan ari-
dum & ſterile putabas , magnam partem hu-
manigeneris contineri : nec ſolum gregarij
milites, & optimates purpuratique, inter bos
connumerantur , vt nunc experimento vides
in hoc acerbiſſimo bello,ſed etiã Reges ipſi,
vt Ageſilaus, & Alexander, ac Iulius Cæſar.

Ad aliud ergo quod ſolum relinquitur feli-
citatis genus tranſeo , non tantum ciuile ,
ſed decorum , & molle , quod tu optas : id-
que pariter dico ſapientibus ſolis , & omni-
bus , maximeque conuenire. Verum ante-
quam rem aggrediamur , ne locus dolori va-
cet , multum conducit ſcire axioma illud :
Deum optime generaliter conſtituiſſe : Veri-
ſimile etiam eſſe , vt ſingulorum iuſtitiæ pro-
ſpexerit : neque enim poteſtas , aut ſapien-
tia , aut voluntas defuiſſe potuit : omitto in-
dignas authore excuſationes , mortis & erra-
torum, hoc enim plerumque ex ſtultitia : Vn-
de maxima prouidentia opus fuit : vt læſis
ſuccurratur,innoxiis ne iuſto plus ſæuiret. Vi- 5
des tot muſcas , & cimices naturæ huma-
næ tam improba ? quorſum hæc ? ne non ſo-
lum homines : ſed nec equi feliciores eſſent
lacertis. Vis ſcire ? inuidia parata eſt : Bonus
eſſe ? contemptus : diues ? labor , aut ſolicitu-
do : potens ? metus. Nullum penè diſcrimen
inter animalia nedum homines , niſi quod
quidam ſpecie eminent , quoniam ſua bona
exponunt : velut gladiatores galeam : alij oc-
culunt. Tota igitur hæc aminiſtratio ad
æqualitatẽ pertinet. Quod ſi ad æqualitatem,
etiam

etiam ad iust:tiam : hoc enim minus est; quare potuit ideò fecit. Quid ergo quereris, aut dubitas ? priuatim compara Alexandro Diogenem : hic incolumiori vita & quietiore
7 productus ad decrepitam ætatem : carus etiam alienis : causas rerum nouit, & Diis gratus : contra illi omniá, & fortuna ingens eius non causa sua, sed ad supplicium oppressorum. Quid de gloria ? quæ si nil superest, nihil est: si aliquid, etiam minus quàm nihil. Omnia igitur mira æqualitate : quod si nitaris progredi, conditionem licet facere deterioré, non meliorem : nisi quod opum ob commodorum multitudinem, & consuetudinem vtilior videtur : sed verè non est, imò peior : Vnde non minus stulti est, & anxij quam impudentis pro tam exiguo tempore, & cum hac lege sperare, quam petere quicquam. Alterum autem non tam remedium doloris, quam exacerbatio : si neque natura, neque casu, aut culpa aduenit. Itaque si non quæ dicentur quæ plura sunt & valida, ob mollitiem prorsus satisfecerint, aut in nobilitate virtutis quemadmodum Aristoteles docuit cuius finis est honestum, & quod colunt, ac venerantur Reges ac ciuitates (tum maxime quod vltra progredi minimè liceat) reposita est non tantum compensatio omnis mali, sed etiam excellentis fœlicitatis status, aut in animorum perpetuitate, aut in gloria quæ est virtutis opinio constans de aliquo apud præstantissimos homines : aut in remuneratione abdita, velut illorum quos maximè diligit : ex quorum stirpe profluunt viri potentes, & præclari ac benè fortunati : Vel quoniam id verum non sit, quod viri boni ac sapientes plectantur, cùm neque Hippocrati, aut Aristoteli, vel Oribasio plus perierit, quam sine quo possint esse felices, nulla vis vitæ adhibita est, non libertati : stirps, atque monumenta manserunt. Nam Socratem neque sapientem, neque simpliciter bonum appellare possimus, forsan temporum comparatione licet, vel quod huiusmodi hominibus Deus aut Genius se prodat ; vt etiam censuit Aristoteles, idque maximum esse constat eorum quæ homini in hac vita contingere possint. Sed vt ad rem veniam, quandoquidem dubium non sit, aliquo horum modorum, aut pluribus, aut aliis consultum esse indemnitati innocentium tamque facile sit ex maximis Deo eruere, quemcunque miseriis, & in summo mortalium fastigio collocare, quam alleuare ex paruis: exemplo sanè flammæ quæ tam vrere potest ex scintilla quam ex maximo igne, cum ex scintilla ad flammam illam maximam vix momentum interponatur. Sed vt ad rem veniam cõstat felicitas in possessione præstantissimorum bonorum, & vt his quæ habet optimè fruatur, vt commodo nullo destituatur, & vt inter pares emineat : sapiensque ac felix existimetur. Nam si ad felicitatem necesse sit vt quod optat omnino habeat, non nisi Deus felix erit : neque sufficiet esse Regem nisi par sit Argantonio, quem ferunt regnasse octuaginta annis, vixisse centum ac triginta : quæ gerræ ? neque tonsor prætori, aut, sutor medico inuidet : sed sui generis duntaxat hominibus inuidia desiderij, & appetitus indicium

3. Ethi. cap. 6. 7. & 10.

1. Rhet. c. 5.

10. Ethico. cap. 8. in fin. & 1. de par. Animali cap. 5.

est : felicitatis autem in eorum quæ appetuntur maximè possessione consistit: & si senium ei obstare putes falleris, nam hoc ipso multis numeris senex iuniori antestat, primum scientia & vsu rerum : saxo inquam dices ? sed & quod molestiis sensuum à quibus iuuenes, velut delphini ab asilis miserè afficiuntur careat, inde etiam tum ob hoc, tum experientia magistra, purius voluptates, ac melius percipiunt, sunt etiam maiori in veneratione, & liberius loqui eis licet: & à nullo magistratu arcentur : quinimò quosdam solent habere ciuitates ad quos tantum senes admittunt, locupletiore etiam memoria anteactæ vitæ fruuntur : & minore in periculo ne miseri pereant: quãdo minus periculi à casibus sæuis in paucis annis sit, quam in multis : & in effœta ætate quam florida : & mors eorum minori cum dolore est quam iuuenum, imò si credimus Aristoteli prorsus doloris expers. Denique si anteactæ vitæ piget, propior es termino : si te delectat ? longiore fruitus es. At dices rhetoricè mecum agis ? licet malas merces obiicere, pecuniæ adulterinæ, quod tu adducturus es falso contra nos pro felicitate sapientis oppugnanda: atque inter tot laudes senectutis sola infirmior visa est, statim sensisti. Ergo postquam senectutem non licet despicere, iam nullus poterit hoc munere indignus videri : aut sperate ne non adipiscatur : quandoquidem nulla sit infirmior ætas, quam senis nec magis misera conditio ; quod reor accidere quoniam iuuenes temperaturam necessario bonam habent, cuius auxilio à quovis morbo, atque calamitate, vt restituantur, spes est. Hoc igitur genus felicitatis in re & opinione constat, nam de re apertum est, & fatentur omnes, neque aliquod potest esse magnum discrimen nisi in filiis, aut si desint necessaria, vel libertas aut corporis incolumitas ; si enim speres aliquid nostrum posse esse perpetuum, fatuus es, vbi enim tot antiquorum monumenta ante tria annorum millia ? at de filiis, cur non gaudes de successibus Principis Hetruriæ ? dices ad me non attinet : & tamen illi propior es, quam his qui post x. M. annorum ex te succedent. Et multo etiam magis quam illi inter se erunt : iam verò dixi nihil interesse quòd omnino futurum esset, si eueniat cras, vel post x. annorum millia quamquam magnus esset fortunæ fauor, vt inter tot tuam stirpem tam diu mansuram eligeret. Quod & si contingat, nomen tamen, & memoriam excidere, & aboleri necesse est. Quare melius erit vt de præsentibus ac certis, quã de incerta futurorũ expectatione læteris.

Sed vt de felicitate ciuili agam, plus posse in ea opinionem re, perspicuum est, cum multos miserè perire videamus, quibus nihil deest, tũ quia in his quæ ad illam faciunt præcipuis rebus, scilicet, filiis vt dictum est, ad continuandã progeniem: sanitate qua corporis: libertate qua animi, opibus quibus reliquis bonis fruimur contingere necesse est, quædam aduersa præsertim durioribus temporibus: Velut olim Phalaridis, Apollodori, Dionysij, & paulo ante nos Briaiæ, carnes humanæ in macello cũ capitibus venales prostiterunt: & nũc Anthropophagi magni adhuc extant, vt nunquã ma-


gna ſi breuia, aut lenta ſi moderatiora ſupplicia defuerint. Humanitatis enim partes sũt gratia, mãſuetudo, miſericordia, iuſtitia, fides. Si igitur calamitatibus obuiam ratione non eamus, & in illis ordinẽ ſtatuamus, nemo, (non te ſolũ dico) felix eſſe poterit. In cunctis enim mortalibus ordinem quendam eſſe neceſſe eſt, vt in opibus primum prędia inde pecunias, poſt ornamenta, demum domus ſupellectilem habere oportet. Cum ergo in re quatuor hæc ſint, filij, virtus, incolumitas, & commoda: atque in modo totidem, poſſidere præſtantiſſima, optimè frui bonis, & ad vſum nihil deeſſe, atq; eminere inter æquales: poſtquam nemini conceſſum eſt, cuncta & illibata, & ad culmẽ (vt dici ſolet) expleta habere, videndum eſt quænam ſint potiora: & quovſque detrimentum non impediat felicitatem: & quod ſapiens oblatis frui debeat, & aduerſis occurrere: nam ſi ſenſu ſolum diiudicare velis, mala duo ſunt ſanè, quæ vitare non poſſumus: mors ſimpliciter, & ſenectus: quæ ſi pręoccupet, morte deterior habita eſt: ſi præoccupetur iuuentæ caſus deploramus, velut Lucanus, & noſtra ætate Petrus Crinitus. Igitur omnis felicitas cum conſiſtat in bonis animi, corporis & fortunæ, dubium non eſt (quod ſi ordinem conſtituere neceſſe ſit) quin in animi bonis primum conſtituta ſit: tum quia animus corpore, atque fortunis multo nobilior eſt, tum quia non percipientibus nobis nulla eſt felicitas. Percipimus autẽ animo: tum quia pars illa ſimilis Diis perpetua, & quæ à nobis auferri nequit. Collocabitur ergo, vt Epictetus docet, in virtute atque ſapientia: poſt in corporis bonis, ſcilicet ſanitate, demum libertate: atq; aliis fortunæ beneficiis: hicque primus ordo; alius eſt vt in rebus ipſis vt dixi (atque eas nunc expoſuimus) deinde in ratione: ea conſtat præſentibus, præteritis atque futuris, præterita ſi felicia ſunt eorum memoria, vt dicit Epicurus nos delectabit: ſi aduerſa comparabis ea præſentibus: diceſque illud vt & Seneca.

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Præſentia torquere non debent quia ſtatim diffluunt: futura multo minus, cum nihil ſit in eis tam certum quam quod nihil certum eſſe
Lib. 10. Hiſtor. poſſit. Moueat te exemplum Mæragenis, vt refert Polybius, qui læſæ maieſtatis apud Agathoclem Regem ſanctiſſimum accuſatus, & captus aenudatus vt tormẽtis admoueretur, nullo interceſſore, iuſſu Regis repẽte dimiſſus eſt.

Redeo ad præſentiũ conſiderationem, in quibus caue vt recta ratione vtaris. Dixi ad felicitatẽ pertinere vt emineas inter pares: cum iure præſtes quot ſunt auxilia propria? emines eruditione: quot legunt tua? omnia ſimul cõpone xlviij. annis es à medicina. Quis tam diu? quid ſi non aggreſſus? ſi intempeſtiuè ſubtractus? cur non regi inuides? cur non fœneratori, qui lõgè minore æſtu, & flagitio plura ſibi parauit? anſer ſcelera: peius illis erit quam tibi: aut cõputa: & adhuc magis tibi quam illis. Num de falſa fama vis torqueri? de timore tutior eſſe debes, non ſolum quam antea ſed quam illi; at non ſum? tua ſtultitia premeris, ſecurus ſaltem non ſum? quis alius eſt? denique inſpice huius mundi ordinẽ nihil videbis abominabilius, aut nihil melius: vtrouis modo non vt quæraris: ſi enim fato regitur cur doles? ſi prouidentia placa Deũ: ſi caſu gaude quod mẽte præditus ſis, aut te ſubtrahe.

At viuere cupere? cur? ob iucũda? puer, aut puella? perfectum ſſl. vel non flebile intelligere ſe quovis momento per vnam vocem, aut geſtum ſtultum. Care Perſa poſſe fieri miſeriorem? Quæ nam tali vitæ gratia habenda?



Reſtat vt videamus quomodo ſapiens propria recte curare, aut tractare poterit, ſi omnia quæ agimus, quæ patimur, quæ eueniunt ſunt indifferentia? ſequimur bona, fugimus mala, ſi neq; bonum, neq; malum eſt, quorſum ea cura? vnde opinio apud vulgus inoleuit eos homines quos contumeliæ cauſa Philoſophos appellãt minus valere in rebus agendis etiam ſi velint. Ergo dubiũ eſt quorſum vita ciuilis ſublato de medio bono, & malo? Et ſi nihil agendũ cur Epictetus qui ſub Veſpaſiano, & Tito Romæ habitauerat, Domitiano regnante diſceſſit? Vna eſt igitur ratio generalis ſapienti in omnibus recte agendi, ipsũ recte, agere quod virtutis eſt opus, abſq; finis expectatione. At dices, quid eſt recte agere? ſi bonum nullum eſt? negamus ſapientẽ non poſſe errare, aut infelicem eſſe, cum poſſit contingere vtrũque, ſed prius oportet deſinere eſſe ſapientẽ, velut in ebrio, aut victo grauibus tormentis aut inſano facto ex febre, aut medicamento; nam tales miſeri eſſe poſſunt. Bonum igitur eſt quodcunque tuetur hominem magis à periculo, hoc igitur ſequitur ſapiens. Quicumque ergo ſola animi virtute poſſunt reſiſtere tormentis, & in illis felices eſſe poſſunt: qui verò deiecti à ſenſu & pœnitentia ducti miſerabiles fruſtra ediderunt voces, non fuerũt felices. Ergo deuitando huiuſmodi occaſiones, plura bona contingunt. Primum vt non ſe exponat periculo infelicitatis, ſecũdum vt diutius durare poſſit in vita, atque ideò ſecundum virtutem operari: Tertiũ vt exemplo alios excitet ad illam. Quartum vt facilius alleues & purges melius animum à moleſtiis quas opinio falſa de ementitis bonis reliquit. Ergo non ſolum tam bene, & diligenter curabit ſapiens vitam ciuilem quam quivis alius, ſed melius ac diligentius, vt cui animus ſit firmior: non tamẽ de fine iurabit, ſed velut procurator alienæ cauſæ tuebitur ſuum clientem quam poterit accuratius, non ob illum affectu mouebitur qualiſcunque exitus ſit. Neque Epicteti diſceſſus Hierapolim in patriam alienus fuit ab inſtituto, ſed amẽtis potius, impendẽs non deuitare periculũ ideoq; is etiam acephala, & gurgites. Quoniam ſapientia, & virtus non eſt neque in animo ſolo ſita, nec exteriore actu. Hic enim impediri poteſt ille ſine fructu eſt, ſed in interiore vſu. Quare ſapientia huiuſmodi, non ſolum à prudentia communi aliena non eſt, ſed etiam illi coniuncta. Exorandus tamen Deus eſt ne hæc contingant, aut alia via iucunda, vt tales occaſiones devitemus, quoniam natura humana ab huiuſmodi extremis abhorret vixque ſuſtinere poteſt. Eam ob cauſam Stoici (cum

animum

animum ſuperſtitem eſſe dicerent) non curarunt de animi immortalitate verba facere, ſatis eſſe putaotes hæc principia ad hoc vt homo careat omni infelicitate & inter mortales feliciſſimum ſe intelligat: non tameo ſimpliciter felix dici meretur, nam mortalis conditio felicitatem non admittit, cum multa illa & magna ſeu corporis ſeu fortunæ corrumpant internam animi vim, vt imbecillior aut impurior reddatur, non felicitatem augent. Quid vero etiam ſi millies ſeſtertium congreges nec ſit coniunctus, num felix? non vt boui in macello: etiam ſenex, ſed qui ſine? fateris? fateor, atq; illi nihil ad te, ſolus peris; ſolus eo ibis; hæc coniunctio quot modis infringitur? nihil tibi omnes qui ſuperſunt. Res igitur tota conſtat in animi dotibus inſignibus, & vt non ſit caſibus his ſubiectus per quos animi vires infringantur, vt non breuior reddatur vſus eius. Verum quoniam huiuſmodi adiantis proprium eſt fama populari periclitari, vt Socrati; optimum ante ſe ſubtrahere iam attentato componere: afflicto ſimilibus artibus ſe tueri minus enim irritantur; interdum iocos: demum pugnare: peſſimum quaſi virtute reniti. Quod ſi etiam eueniat ad felicitatem pertinet, quod tibi proprium eſt abſque animi dolore ferre: commune autem fortem ſubiiſſe.

In aduentitiis autem quæ ſuperſunt rem ita diſpones. Primum locutio rara ſit, pauca cogitata licet non ſolum diſſimulare, ſed ſimulare, & animum videri deſpondiſſe, vt amicos ad te tuendum magis excites; infra ſemper reſpicias, nec verearis quod æmulatio poſſit perpetuò augeri: nam cum vt ignis ad culmen breui peruenit celerrime etiam in ſe ipſum concidit, & ſuos opprimit. Poma ſemiputrida alia corrumpunt, cum autem computruerint non obſunt. Omnia non ſolum ſtulta, ſed etiam prodigia, deſpiciet, multoque magis auſpicia, nam ſomnia atque miracula, quanti faciet qui pro rebus ipſis nec lætetur nec doleat? cum opes & honores amiſeris, dic quid antequam haberẽ? qualis hæres cui non mihi hæc pereunt? imo neque curabis, vt raperes, aliquid enim deſuturum, & forſan id maius erit, æqualia enim eſſe oportet, ita hæc ex accedẽtibus per ſe intellexiſſem periiſſe amicum pluraq; ſperanda: an non multo maior dolor? vel contemptus? proprium autem in aduerſis memoriæque mãdandi: vt toi ſtatim recorderis, atque ſuperiorum, & areæ illius amplæ, ſplendidæ, beatæ ad rem quid refert, an paolatim an ſimul veſtes exuas? nam ſic maiori labore, & minus cõmode: Vides corpora pauperum validiora, & formoſiora quam opulentorum. Reges ipſi opera calonum, & lixarum magis indigent quam illi regum, & intima penetrant; Summũ cum imo adeo coniunctũ eſt: mũdus fabula; & qui in eo ſunt tam miſeri quam potentes actores, vt etiã Auguſtus moriens dixit. At indigeo? quære bonam ſeruitutem; ea eſt ſapientis, potentis, amantis, probi: ſufficeret dixiſſe ſapientis: hæc vita iucunda, ſuauis, perfecta: forſan qoereris inoidens bis quibus plene conceſſum eſt muneribus à natura datis vti: omitto nunc quod quiſque babeat quod torquet, ex re ipſa tantũ argumentum deſumo. Primum non tibi impedimento, niſi hæc regio quæ aliena eſt, ſed ſi etiam vbique interdictum eſſet, nihil amiſiſti, ingratitudo mera eſt hæc. At iniuſte premor? hoc ſuum malum tantum eſt. Etenim vel non lædunt, vel non ſciũt, ſed iniuria priuatus ſum his quibus indigni mei loco fruuntur, hoc torqueor: quamprimũ pœnas dabunt: concidentque cum ſuis, vt dixi: ſingillatim vide præterita quam nihil nocẽt, ita erit & de futura, ſi aderit. At de preſenti queror? ſi præterita non læ- *ſupra 2.*
ſit nec præſeos, totum igitur conſiliũ eo verti debet, ne deteriore afficiaris, at huic minus aliis obnoxius es: ſed poſtquam æqualitati ſtudet Deus, ſatis tibi eſt, ſi aliquanto aliis ſis felicior quod iã adeptus es: ſi plus ſperas inſaniæ tribuendum, ſi cupis infelicitati. Demum ſi ad- 9
uertas hoc ipſum, te certiorẽ in quavis fortuna reddet, nihil amiſiſſe cogitando mentis præſtaotiam: ea regit animum, & corpus è quibus homo conſtat, atq; vt illa corpus ſic mens animum: vt ſine labore illi imperet, & ipſa quocunque libet momneto vagagatur, vna eſt tot viribus prædita cui communicant ſplendida, aliiſq; ſimillima quibus etiã iungitur, & viribus ſuis collectis, ac denſata velut ſphærula vitrea ſolida reſilit tanto maiore impeto quanto in terram eliſa fuerit, altiuſque aſcenderit. Sed dices etiam libris interdictũ eſt? peribunt? ne time perfecte ſeruantur in archetypis: omnia plena numinibus. Verum nondum tibi vel literula: plus iam extra aleam quam cuiquam veterum relictum: plus illis periit, quàm poſſit tibi: ſeu medieorum Hippocratis, Galeni, miſeri Oribaſij: ſeu Mathematicorũ Apollonij, Archimedis, vel Euclidis: aut Philoſophorum Ariſtotelis, infelicis Theophraſti, atque Alexandri. Sed vereor ne alienis cedant labores mei? quiſque ſemper hoie periculo obnoxius fuit, multi in multis maximiſque. Diuide in 10
amicos quod times ſubripi ab inimicis, nam hoc lætũ eſt, aut Principi largiaris, vitam tuã, ſi non alius ſcribe, Antonini exemplo refer quę ſcripſeris: ſic lapſu temporum velut etiam Ariſtoteli, & Galeno omnia domino ſuo reſtituentur, nam phraſis acumen grauitaſq; manent. Sed quid tibi ab obitu, modo in vita voluptate fruaris? Virgilius mandauit aureũ illud opus exuri; aut ſepeliri: Quãtum Ariſtoteli profuerit abſcõdiſſe ſua c c. annis? nec minor gloria pro illis quæ deſiderãtur, cui ſi exemplo ſolari cupis (noo requiro vt Socrati, aut Hippocrati vel Oribaſio quorũ fortunam imo omnium celebriorum potius miſeriam vulgus appellare poſſit) te cõpara, videbis quam in omnibus beatior ſis. Cæterum aliorum hæc cura fuerit, tu vero opta vt velis, quanto plus habueris bifariam eris ſapientibus quantumvis oppreſſis inferior: tum viriũ animi perfectione: tum temporis ſucceſſu cum ex illo potius fiant infeliciores, adeò vt caſus, nihil eis proſint, hos verò libereor: ipſi pro aliis laborant tu pro te ipſo, & fama perpetua, ſunt quoque illis connexæ ſuæ Erymnes, velut profeſſoribus, altercationes, diſcipulorum inconſtantia. Vnde animi fluctuatio, atque æſtus. At,

Vulturia gaudens vita lætabere ſæpe,
Rarius & lateri brachia preſſa tuo,
I. perij: commune exemplo cadit.

Quid ais tu? *Nonne timor mortis, pœnaque minor erit*? Quid? Quomodo? Qui in rota erat Franciſcus Lugdunenſia latro ora-

bat

bat ne ſtrangularetur : nulla mors ex mor-
bo non longè ſæuior quam quæ ex laqueo.
Ab obitu verò non melius bis beatis ſi nihil
ſperent : ſi quicquam , quot modis ſunt in-
feriores ? propterea dicebat Philippus Ar-
gertonus , nihil eos ſperare , ſola obliuio-
ne tranſigere vitam , ô nimium felices ? ô
nimium fortes ? ô nimium ſtulti ? cum poſ-
ſint obliuiſci , & neceſſarij & eius cuius tot
exempla quotidie vident. Ergo beati hi vnó
atque altero bono priuati , reliquo miſerio-
res : vt nihil amiſerint præter obliuionem.
Sed iam diu miror qua arte hi imperiti po-
tuerint aſſequi hoc ? an expedit ad æqualita-
tem ? at vix perſuaderi poſſum : fingunt ple-
rique attrocius bifariam malum ; quid ſi cre-
dant nos miſeros , eos beatos putare ? hanc
rem nec ſperare poſſunt , illa exilis conſola-
tio à porticibus ad nos non pertinet : ſtultus
es , ſi de errore alieno doles , Socrates enim
ſolebat appellare vulgi voces terriculamenta
puerorum : id ſolum monet timores ſpebus
præferendos : ſi iactent ? captiuum occidere
noli : ſeruiet , Neque credas cum totum be-
ne valeat te eſſe infelicem , vt decumbente
morbo pedis dolor ſolatium à corpore reci-
pit , meliuſque valet , tum quam antea : ita
viro probo in calamitate ob id quod Deo iun-
ctus eſt , ſed ſero hæc cognoui ? omne diui-
num tempeſtiuum. At occaſiones præterie-
runt ? non inquam ? hæ enim bifarium retro
reſpiciuntur. Et quod præuiſa commutant in
Hior. ad Epiſtola 1. melius : Et iam facta traducunt. Demum id
„ cogita generaliter aduerſa præſtare vt tempo-
„ ris diſcas diſtributionem, œconomiam, proui-
11 dentiam , amicorum cognitionem , motum
notitiam : hæc potiora ſecundis. Si tamen effi-
cax optas auxilium, animo dentes, & vngues:
corpori laruæ.

Particularim ſpem & metum in tenuiſſimis
collocabis , ſi nondum ſanus es , ſed ſi libera-
12 ri potes in maximis , vt maior prudentiæ laus
ſit , nam ſi ſanus es , his non indiges : iniu-
ria verò affectus dicas axioma illud : omnes
13 homines optimè ſe agere putant , & eſſe cæ-
teris ſapientiores. Ideò miſericordia magis,
quàm odio digni. In his quæ non obtines :
Ouidium de remedio amoris in vſu reuoca :
Plerumque etiam in optimis plus mali quam
boni , plus doloris quam voluptatis eſſe com-
peries , ſapientia omnis infinita eſt. Vt di-
uinæ colligaris quicquid effluit delectat enim
& ſolatur. In naturalibus procede quantum
potes , ob vtilitatem. Ex humana quod ex
vno filo deducere licet. Noli te cum alio
committere ne perpetuum eum mortali , ſub
aleæ diſcrimine ponas ; at pugnandum ?
ἐάν σφ' ὅσον ; plures ſunt ? Σαν' ἐπὶ πλάνα : hoc
14 perage in quo vales interim ſpe conſolabe-
ris. Noli vitiare virginem : ſed arte medi-
ca tibi conſulo ; leuatus , nam te iuuabis ,
aduerſarios vres , blandus vt pares , ac reti-
neas. Noli pugnare cum Principibus , nec
fortuna , nec tuis , Æneæ Clypeus , cum po-
tentibus miſericordia , atque manſuetudo ;
aliis fulta præſidiis : poſt cum agis age , ſi
commodè potes. Tertium collige te tuaque,
tum vrge, ſic enim fabri ferrum formant , ſed
prius operias auram : præſertim cum poten-
tibus ; non errat ignorans nec ſapiens erra-
re poteſt. Ergo ἀξίνοφος. Vbi omnes mali nec
fugere licet ſpem iniice : ſed tamen bonum
eſt cauere ocium , hirundinem , & polypum,
proponaſque , tibi finem potentem : hi ſunt
amor , & odium , & quo pauciora eo faci-
lius , celerius , melius , turius , maiorique
cum vtilitate aſſequaris. In pleriſque iuuat
tacere non ſi placere non vis, aut ſperes ſub-
mittere te, quid magnum putas , cum longè
maiora nihil intereſſe docuerim ? Verum plu-
ra , & magna me opprimunt , quibus non
ſufficio ? vna ratio eſt , diuide in ſinguli plu-
ribus ſimul innittete viis , & precibus vni ,
potentium authoritati, æmulos falles , & fal-
ſos amicos , ſi vbi minus ſpei eſt , magis vr-
gere videaris , ſic nihil in acceſſu , primoque
comparabis quòd omnibus fermè pro viati-
co eſt , ſtultitia, medela, improbitas : impro-
bitatis quandoque ſtultitia : contumaciæ & 15
ſtultitiæ plerumque , ſimulaſſe non num-
quam ſufficit. Sic animi doloris dens aut vn-
guis , operis laruæ.

Cum procella ſæuit collige vela , dimitte 16
anchoras. Quibuſdam profuit ſeruato temo-
ne totis velis ſinere nauem ferri , Medium di-
miſſo exiguo velo nauigare , id pluribus. In
nonnullis non licet aperire niſi perfectè
claudas. Prudentia fortitudo εὐψυχία, vt ta-
men interim ſufficias non prohibeo quin 17
amicorum congreſſu , peregrinatione , vena-
tione , alea , alto ſomno (ad illum faciunt
frondes ſomnia) περίκαρδιοις, vino medicamen-
tiſque te munias. Et quamquam omnia æquo
animo ferenda ſint , de vita tamen ne id agas
ex quo liberatus aliqmd vt agas relinqua-
tur , propter quod hilare viuere non poſſis.
Cum duo offeruntur ambo bona , ſed quæ ſi-
bi inuicem aduerſantur , celeriter te præpa-
ra , connecte , tardè elige : ſi indiges opti-
mum ; ſi non tutum. Fuge odium contem-
ptu , & ἐλεῷ. Seris borrago paſſæ columbi
naturales. Καρδιακά verò crocus , roſa, ſtirax:
interdum agaricum : prædictione in periculis
ſi neceſſe eſt blanda. Quamquam vbi oculus
alio reſpexerit parum verba profutura ſint ,
ſatis ne noceant , cum omnino tacere nihil
afferat auxilij, & anſam præbeat iniuſtis ex-
cuſandi ſe. Porrò conditionis noſtræ exem-
plum accipe : deſiderium potus vini, à cœna
amor podicis : odium inuidi , quæ dum vr-
gent aſperrima , vſu praua , poſt reſcipiſcen-
ribus pænitentiam afferunt aliis exitio. Er- 81
go poſtquam omnibus datum eſt ea conditio-
ne naſci , vt temporibus , moribus, ſtudiis lo-
cis paria ſemper ſubeant commodis incom-
moda : ſcire vnumquemque præſtat , & ad ca-
uendum , & eligendum , ac ferendum , noue-
ritque, ἐλθεῖν ἀδύνατον fore vbi beatius viuere *Dupla*
contendas ; alterutrum ergo ſubeundum eſt : *DCXXI.*
ſed ridebunt me. At quam parua ſorditudo,
pro tam pretioſa medulla ! Iam ergo nihil re-
ſtat niſi vt non incidamus in illud, difficile eſt
docere ſapientem. Iubila in tempeſtate , ne- 19
ſcimus enim quid petamus ; caue tamen &
fer.

DE CONSVETVDINE,
Et est secunda pars.

REgnum humanum in hoc est constitutum vt homo securus & cum existimatione viuat. Ad hoc ergo vt secundum decreta patrum, & consuetudinem, atque ideo pro negotiis nihil non impendat, pro vita parum: neque de morte sit solicitus, non solum quod necessaria sit, sed quod sit omnium malorum finis, ideoque iuxta hoc neque prohibetur quin speret magna, & multo etiam maiora fingat, nā si euenerint felix erit: si non euenerint tamen vitam lætam ducet. Licebit ergo omnia suo more his seruatis agere. Quod si mors contingat, optandam putant occasionem fortiter moriendi, contra si quis refugiat, turpe; & illum damnant, tanquam bono publico sui commodi causa aduersum, nam ex hac lege condicta coaluerunt imperia; & ad paucorum potentiam traducta est multitudo hominum: hæ tamen diuiduntur: nam quædam sunt in quibus fortitudo & crudelitas præualet: in aliis inertia & doli: ibi plus de virtute, hic minus de sæuitia: communis omnibus tanquam fructus voluptas. Qoid verò curabunt mortem aliorum, vel etiam filiorum, qui propriam negligunt? sed in filiis adeò amentes facti sunt, vt etiam laudi ducant viti fortes. Solum superiorum curare videntur: non ex humanitate, sed vt existimationis partem: quorumdam tamen serio, vt fundamentum potentiæ suæ. Huius etiam opinionis fuit ille Socrates: qui cum ei mortem fugere liceret: & Pompeius ac Sylla cum possēt imperare hac nomophylacia, non solum principatum, sed fortunas omnes, vitam ac stirpem propriam funditus perdiderunt: propterea. Cæsar dicebat Syllam nescisse litteras. Ipse verò dum contemnit leges potitus est rerum. Vnde sæpe iactabat illud.

Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: Aliis rebus pietatem colas.

Dicere voluit factionem, sed carmen non admisit. Quod verò miserrimum est factio in factione, nam esse plures semper solent. Hæc igitur est ratio vitæ communis. Quod si alio modò sentire videaris, loquentem interturbant: & si perseueres obstrepunt, non etiam sine irrisione, solos enim se sapientes putant. Quod si audientes (nam illos numquam poteris) persuadere tentaueris, tum oderunt: & captant in verbis: & apud suos accusant vt hostem, & si nil habent in his quod vellicent, aut ob iudicum sanctitatem ex aliis quærunt occasionem. Quæ etiam si desit, & tu ob id vrgeas, multitudine opprimunt: nec audire volunt: nec audiri permittunt: hoc satis esse putantes iudicio publico te damnari atque eam ob causam à priuata iniuria abstinent. Eadem etiam mulieribus quæ in vitiis comparatio, & mores, & turpior ob stultitiam, inebriantur quippe his: mitior tamen ob sexum: misericordia enim tanguntur mulieres. Quid ergo facias? non (vt quidam) loqueris vt illi: nam falso subscribes: irridebetis vt imperitus eo in genere: & inferiorem atque veluti assentatorem te constitues, neque prorsus tacebis: nam ex tuo iure de cedes. Propterea quidam, forsan non adeò iniustè modo scirent finem imponere, (postque hic locus bonis & peritis relictus est) quicquid, iniuria ablatum est in communi, restaurant in proprio de arte sermone; adeò vt etiam si deficiat materia repetant, & si interpolentur, ad rixas ac iurgia perueniunt, quæ quamquam præter existimationem ac decorem fieri videantur, collata ad causam & tempora meritò facta dici possunt.

DE DIFFICVLTATIBVS.

IVxta hæc in singulis artibus accidunt difficultates. Et vt exempli gratia factione inita medici alium non admittunt, admissum irrident, vestes, gestus, verba. Si loquaris cum ægri propinquis, interpellant, obstrepunt, interturbant, sine illis contradicunt, iure vel absq; ratione nihil interest: omnia reiciunt, mutant. Cum timent admittere se simulant: ei qui assidet iubent vt aliud faciat, vt pericliteris vtroque euentu seu in meliùs seu in peius commutetur æger, si queraris, dicunt non potuisse fieri. Sic de exitu qualicumque sit, tibi paratam habent iniuriam. Per has nefandas artes occupant collegia & nationes, ac familias nobilissimas: vt cum antea obseruare illos necesse esset, postea timeri velint, quod si his omnibus famæ, fortuna bona, doctrina, prudētia exemplis auxilio eruditorum vmbra principali illorumq; intestinis odiis emergere vitatis, ad iurgia vim, minas, insidias: denique ad pugnam apertam priuatim, & publica authoritate, multitudinis clamoribus maximè freti deueniunt. Quid agat vir studiosus inter tantas turbas, & cum tot impedimentis metuque ac periculo? impar vel vni horum?

REMEDIA EARVM.

TRia sunt: cum socio non admodum prauo perscruta donec vt rogasti monearis. Nil seorsum ordina, fac, nisi coactus, vel prædicas. Ne te collaudes nec quicquā inuidiosum proferas, nec quemquam vituperes, nec illius inimicum lauda sperans syncerus videri, sed verba feras congruentia illius motibus. Conare præterea illi gratificari quovis modo, & etiam suis amicis, vt intelligat animum saltem te habere bonum, nec sint facta vnquam verbis inferiora. Plurimum ergo prodest parum loqui, & bene considerare.

Generaliter autem cum æmulis iunctus nil nisi ex arte loco tuo & ordinato: nec sufficit verbis non peccare, sed neque gestu, vestitu deambulatione, nec circa familiā. Habere autem vnum qui opportunè, & cum grauitate cum grauitate tuam peritiam artis, experimentam prudentiam, integritatem mansuetudinem diligentiam, arcana predicet, contra verò tot illas & tam multiplices artes ac violentas, Catonis Vticensis exemplo sermonem vt diximus produxisse iuuat. Nil habent contra hoc, quàm vt exsibilēt, velut verbosum, & & nota illis dicentem. In his latant suæ im-

proba tela, vires fatigant, ira cadit dum voluntati satisfaciunt,& dente sæuiunt. Interim multitudine verborum obruuntur mentem delaxant dum obseruant spicula, & quod petaot,& licet te euertant, paulatim consuetudine coges pati. Et tamen colligis emolumentum ex impedimento vt sermonem ab initio inchoatum instaurare possis. Sit autem sermo ex aliquo authore antiqniore illis probato cuius verba singular imari videaris, aliis etiam connumeratis duobus aut tribus. Ratio autem probabilis,& ab eis quasi concessa & dilatata decenter præcipuis qnibusdam & famosis medicamentis, sed alio modo præparatis & quasi arcano eleganti.

Priuatim seorsum nihil preferas, neque de cura neque prædictione neque de morbo, sed iube vt consulant N. Stasiarchum seu Cathegemonem. Otdinem loci ac dicendi si negét, aut de iniuria quetaris, aut prorsus negligere te ostendas. Si quod taceas admirentur, Tenonis responso satisfacito, si interrogent cur venis? Dicas venator sum, si emergat aliquid acturus, quicquid euenerit morbi naturæ tribue Demum si ad immanitatem ventum sit, personam indue Marcelli Appuli qui lusum ocrearum adolescentibus persuasit. In vniuersum post recipere aliam cum suorum sociis non decet, nisi solus cum solo: velut iuret in filij caput dimidium tibi relicturum, neque deserere iam susceptam, cum neque vtile sit, neque gratum futurum ægro vel amicis eius, imò æmulis & quod deterius obfuturum existimationi, non enim illum tantum sed cum nemine velle curare diffamabunt. Ergo retinere cum sit necesse, neque eorum decretis subseribes nec obuiam leuiter ibis, ex authoritate enim minues. Et fur, & homicida & proditor euadcs. Nec trahere in partes socios: operosum enim ac non pto dignitate neque monere suos, suisqne odiosum ac periculis plenum. Quòd si rationibus validis atque autoritatibus tentes ab initio forsan non absurdum: sed vbi iugum excutere cæperint, frustra est niti,& nil nisi odium quærere, nam si salutem timeant nil illis atrocius, si iuuant hoc etiam deteriùs ne propinqui dicant cur non ab initio admisistis? idem summum noceat. Quod si obfuturum sperent, id scient à proximis obiici posse: cur ergo permisistis?

DE ADIECTIONE,
Et est tertia pars.

R
Eliquum nunc est vt postquam de solida & inconstanti euentuum æstimatione, similiter & de vera ac vulgari mentionem fecimus, nunc demum quod obiici posse sentio de sensuum voluptate atque dolore loquamur, horum enim iudicio humana constant. Res enim quid attinent si non cognoscantur? ratio antem iux momento in nobis viget: totum igitur felicitatis & miseriæ fundamen- a
tum apud homines in sensibus est, neque
momentaneum, sed sit a b c tempus & b
palum est quod in momento quovis te-
fert totum a b c. siquidem a b memo- c
ria præteriti constanti b c verò futuri spe firma veluti in Principibus & perpetuis magistratibus, aut in timore velut in damnato perpetuo carcere, aut insanabili morbo laborante, cui subscribunt sapientes. Dicebat enim Aristoteles finem nostrum esse virtutis vsum “ inuita perfecta, & felicitatem sitam in bonis “ præcipuè animi, noo tamen ad beatam vitam sufficere oisi à cæteris corporis & fortunæ adiuuetur. Sed postquam de solida atque vera felicitate ac miseria concordes sumus quamuis difficile sit de sensu litigare iudice sensu; tum res adeò euidens est vt facile quisquam intelligat non plus esse felicitatis atque miseriæ in hoc genere quam in cæteris. Primum tota ratio illa præteriti atque futuri, nihil cum sensu habet, sed pendet ex cogitatione quæ in nostra est potestate, ideò eam licet trabere qno volumus,& etiam ad mistum genus pertinet, Præterea si de felicitate loquamur rara est diuturna in mortalibus, rarior pura: rarissima constans: secura nunquam. Et cum vitiis obruta sit quibus in affluente bonorum copia carere difficillimum est, secum semper tortotem habet: vt sola spetie, velut fucata mulier, aliis præferat, felicitatis imaginem, illi exitiale tormentum, quid ergo inuides ei qui se miserum putat esse? at de calamitate minus dubium: rara bonis, rarior sapientibus: rarissima virtute præditis, nullum extat exemplum diuturnæ miseriæ si fortis, si sapiens atque innocens fuerit. Quem virum insignem ostendes qui in carcere spiritum deposnerit? Qui prudens fuerit Principem eligere nouit. Princeps sapiens bonis viris amicus est. Denique omnibus vna patet communis via vitandi omnem miseriam seu sensu seu vita careas. Est ergo miseria nulli probo viro aut sapienti, aut forti metuenda quæ rarissimè fortuna aduenit: exemplo non visa, & quæ nolenti hęrere nequeat. Quamobrem antiquis temporibus eo tefugiebant omnes vt tuti essent. Quod si beatum est non affligi vllo incommodo qui putat sibi satius viuere necesse est vt iam felicior sit omnibus illis qui nihil mali sentiunt. Aut si putat non expedire hanc [illegible], nequid diuinius offendat, quanto etiam illo qui ferre mauult felicior est? Verum dices doleo de iniuria? atque persæpè error in nominibus in rebus etiam errandi causa est: non potest iniuria inferri nisi volenti. Quid vis? imò nolenti, nequaquam vis est, quã vt alia fortuita ferre decet, fateor, melius aliquanto potiri voto, si non inter fortuita numeranda est. Et si ferre nolis conqueri licet, seu de magistratus iniustitia seu priuati insolentia nulla sanè iniuria est; & paruus dolor, vt etiam aliorum quæ fortuito eueniũt, ac ab ipsa solum iactura existimandus, cum tua culpa omnino absit. Quin etiam minor plerumque quam cæteris in casibus, quanto maior est spes recuperandi. At iniuria est cum blandis verbis deceptus, & propria mollitie delinitus, in tua damna consenseris, hinc dolor, hinc lachrymæ. At victus es? fortuna & vi: abest culpa, abest iniuria, ad numeranda aliis casibus: ille in manus lattonum, alius piratarum, alius ex prælio in seruitutem ductus est, alteri improbus iudex contigit, quem tamen non elegerat: alij domus corruit, alij tempestas sata sustulit, hæc omnia mala sunt, sed fortem virum non vrunt: itaque hoc tam graue malum,

malum, non nisi volenti contingere potest, cætera sunt leuia, quæ non sunt in nostra potestate; hæc dico non sola ratione fretus sed multiplici experientia confirmatus, differt vis ab iniuria vt dicebat ille.

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Interim his rationibus à sensu sumptis superflua illa & ementicatitillatio imò vellicatio sensus, velut polypus se ipsum exedit, & delet. Modo memineris sapientes & virtute præditos maximè miseros euadere, quoniam vt ad æqualitatem reducantur necesseest maximis calamitatibus premi. Ideò cum hoc non opulentis accidat tum ob id, tum quia instabiles sint opes, nec mortuos comitentur, & venenum suum secum deferant opes ad felicitatem parum conferunt. Verùm vt hæc omnia omiseris, qualis locus & quam purus solidæ & immortali beatitudini relinquitur?

DE NEGOTIATIONE, Et est quarta pars.

Vitæ humanæ (vt ad nostram proprie dirigitur) Duo sunt scopi seu partes, finis & medium, finis soboles (est enim mortale ob perpetuum) Medij felicitas. Ad vtrumque necessarium vita, & valde vtile opes ob plurima commoda. Medij rationem habere oportet vt aliquid naturæ tribuamus: & quoniam ad finem necessarium est, triplex vsus propter se & vocatur interim, propter succedentia: vt emptio agri ob fructum & ob sobolem quæ si desit nepotes & sapientiam atque virtutem atque ex his quæ paratur gloriam. Hæc enim similia fini, sed differũt vt mortale à perpetuo: Et vt commune cum Diis à communi cum belluis. Vita verò præponenda est opibus, in eo qui parare potest, vel si sobole careat: Quod si adsit soboles & res, opes vitæ propriæ sunt præferendæ. Porro quæ ad finem distinguntur singula in rem & opinionem. Opinione euncta facies meliora. Et quæ non potes motum motui contrarium ciendo, tractatio vsus relictorum comparatio ad tempus antequam possideres. Est enim mentis priuilegium ad extrema transire intacto medio: mutatio regionis absque odiis ac timoris suspitione. Res aliæ sunt quæ deuitandæ, aliæ procurandæ, aliæ quæ originem præbent aliæ opinionem. Vitandæ, noxia nimia, odiosa quæ siccant, intempestiua, incongrua motus à cibo, frigus à calore: mador, præcidenda hæc ab initio & occasiones.

Procuranda quæ multiplicis commodi velut somnus, is enim parit prudentiã & tranquillitatem, lætitiam, & ex laboribus vtilitatem, ideò etiam ex opinione & si absurda vt per carmina illa Italica.

Io son Aprile del dolce dormire,
Cogliersioretti & belli vcelli vdire.

Opinio ex re vt non solum valetudinem & robur sed etiam lætum habitum compares, vt de Democrito Philosopho & Philemone Comico. Ad lucrum verò blandus, solicitus, gratus, patiens, grauis, prudens, accommodatus. In actionibus continere se, tacere, non facere, non dare: Memento summum malum, à summo bono duobus digitis distare: inspice singula, & ignis exemplo admonearis. Nihil nisi conductitium habere nos, quamquam perpetua soleamus appellare quæ vltra vitam durant vt agri & gemmæ. Sed nec horum possessio nisi tarissimè diuturna vt sit, hospitium hoc non domus, in sola prole est quædam perpetuitatis imago, cum illa nihil sit infirmius. Vtile à Turcis ad dimidium, frictione pro prandio, palea pro fœno, lecto inciso & siccato.

FINIS.

HIERONY



HIERONYMVS CARDANVS MEDICVS FRANCISCO SFONDRATO

SENATORI DINARCHÆQVE BELLANI, Mandeli, ac ripæ Larij lacus, necnon oppidorum, quæ iuxta lacum Eupilum, S. P. D.



VM propter sapientiam, multa & præclara opera nobis reliquerit antiquitas, mirum sanè est, nullum de ipsa Sapientia, propter quam omnia illa nobis inuenire potuerunt, conscripsisse. Namque in Medicina Hippocrates & Galenus, in Philosophia Aristoteles & Plato, in Rhetorica Cicero & Quintilianus, in Geometria Euclides & Archimedes, in Astrologia Ptolemæus, in Architectura Vitruuius, de Machinis Athenæus, in Dialecticis Chrysippus, de Diis ipsis ac diuinis, tum de plantis ac metallicis Theophrastus abunde scripserunt. Cum leges Solon, mores Crantor, Zeno, atque Antisthenes instituerint, omnes de gloria, de fortitudine, de morte opuscula confecere. At de Sapientia omnium horum magistra, morumque ac virtutum, tum etiam legum atque artium matre, nemo ad hanc vsque diem scripsit. Atque ideo id magis mirum est, Timotheum & Diogenem cum nondum liquido constaret, quid esset Sapientia, de ipsis sapientibus multa memoriæ mandasse. Neque enim vt puto in omnibus Sapientia eandem retinet rationem: cum alij diuitias, alij paupertatem, gloriam alij, alij ἀτιμίαν (*i. ignobilitatem*) quidam virtutem, alij voluptatem, curam aliqui, nonnulli negligentiam præponerent. Qui enim fieri potest, vt in tanta vitæ, morum, ac sententiarum repugnantia, vna esset atque indiuidua sapientiæ ratio? verum cum aliqui de ipsa tractauerunt, illam quæ animi virtutum pars minima esset, non omnium reginam attigere. Operæprecium igitur facturus videor, si omni diligentia, tanquam de omnium bonorum parente, fœlicitatis authore, vitæque magistra rationem tradidero: eamque nomini tuo dedicauero: vt si qua in parte minus præbabitur, emendari queat: si placebit, authoritatem assequatur. Quamvis enim studiose cuncta, hominem tamen me esse non ignoro. Quare si id contingat, vt operam tuam desideret: quis ob amicitiam diligentius, aut ob prudentiam melius, vel ob authoritatem vtilius, operi ipsi pro dignitate consulere poterit? tibi enim priuata vita splendida, literaria culta, publica religiosissima, administratio innocens, omnia prudentia summa & moderatione conspicua: vt si etiam liber ipse non satisfaceret, te tamen titulus eius habere patronum mereatur, & quanquam multa sint, quæ à vitæ tuæ instituto ac omnium bonorum abhorreant; multa etiam aspera, auribusque tuis indigna

digna: quædam etiam crudelia, & à lenitate naturæ tuæ diſſidentia: alia quæ ſimplicitati morum tuorum minime conueniunt: non tamen effugere potui, quin in deſcribendo hominum vitam omnia recenſerem, præſertim cum eos in quibus hæc ſunt, dignoſcere & cauere ſapienti neceſſarium foret. Nam nec vnguentarij, nardum, myrrham, ac cinnama tantum habent: ſed & graueolentia ſagapena, galbanaque: nec Medici ad depellendos morbos ſolis vtuntur ſmaragdis atque margaritis, ſed viperis etiam & toxico. Itaque nec nobis vitio verti debet, ſi ea ſcripſimus quæ non probamus: ac docemus, quæ non laudamus. verum ſi quis illud nobis obiecerit Horatianum,

Hæc mihi Stertinius Sapientum octauus.

Vel Euripidis illud,

μισῶ σοφιστὴν ὅς τις οὐκ αὐτῷ σοφός.

(*.i. Odi ſapientem qui non ſibiipſi ſapiens eſt.*)

Quis ægre ferat? aut admiretur? nam illud prorſus ſæpius accidit, vt qui alios velint docere, eadem in cauſa magiſtro ipſi indigeant. Nam & Galenus, qui tam copioſe medicinam poſteris tradidit, in ſemetipſo de morbi natura aberrauit. ergo liberum de nobis ſit vnicuique iudicium: cum liceat omnibus prodeſſe. etiḁque vel hoc ſaltem ſapientiæ teſtimonium, etiam ſi reliqua non aſſequeremur, optima voluiſſe. Vale.



DE



DE SAPIENTIA, LIBER PRIMVS.

VANQVAM omnium bonorum Sapientiam diuinissimam esse constat: quippe quòd Deus hac maxime Deus esse cognoscitur: nulla enim quamvis immensa potentia, ei sufficeret ad gubernandum, custodiendumque vniuersum, si omnino sapientia careret: Nihilominus operæprecium fore existimo, si de eius nobilitate, ac vtilitate, quædam non demonstrando, verum tantum ad memoriam reuocando ostendam. Omnis enim demonstratio in manifestissimis rebus, præterquam quod superuacua est, dubias eas efficere solet. Quid enim non obscura res indiget illuminatione? vel certa probatione? aut testimonio, quæ omnium consensu confirmatur? Hæc vero Deorum & hominum non testimonia, sed Encomia meruit. Atque si nulla eius prorsus esset vtilitas, quòd sola inter mortalia diuina sit, vt Galenus dicebat, omnibus viribus propter seipsam tamen amplectenda foret, omnique laudis genere decoranda. Nunc vero cum nulla alia res in vita vtilior sit, ac magis necessaria, conandum erit totis viribus, non solom vt eam assequamur, sed etiam extollamus, quòd non nobis solis nati, hoc vnum miseriarum solatium humano generi relictum esse docentes, magnam etiam vtilitatem ei afferamus. Ergo si etiam apud barbaros ferosque viros nudus periclitareris, sapientia ipsa tueri non solum, sed etiam ornare te, posset, atque tunc belle illud dicere tibi conuenit:

Ζοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα, πολλὰς χεῖρας νικᾷ. i.

Nam vnum sapiens consilium multas manus vincit.

Omitto quòd vnus Vlysses apud Cyclopas pœnas à Polyphemo sumpsisse fingatur: mitius sapientiæ genus aggrediendum est. Namque si apud efferas nationes te sua lingua loquentem audirent, non putas fore vt admiratione ducti manus à te abstineant? deinde si etiam nominibus propriis vocantem exaudiant, stupore attonitos quieturos? Sic igitur totius iam periculi caput ignorantia, tota in sapientia salutis spes. Sed fac vt etiam diuina quadam arte præditus morbos curet, arcana reuelet, futura prædicat: nonne quod apud Lystram Paulo Barnabæque dicebant: Dij sub hominum forma ad nos descenderunt: ac vero & ibi hominem sanauerat: nihil tamen est quod sapientia ipsa efficere nequeat, nam vel sermonis coniunctione sola, quietius audiunt homines quæcunque illis proponuntur. Vnde de eodem Paulo rursus apud Iudæos concionante scriptum est: Audientes autem quod Hebraica lingua apud illos sermonem haberet, silentium maius præstiterunt. Nihil est, vt Cicero recte ait, quod eloquentia ipsa per se efficere non possit. Verum si miraculo rei adiungatur, homines in quamlibet sententiam trahere facile potest. Sed tamē hæc nunc relinquamus, quæ quandam miraculi speciem in se retinent: quæ tamen apposite à nobis hic scripta sunt, neque enim rarius est tales inueniri, qui vel miraculo quodam, vel inclyta solertia, apud barbaros etiam infensissimos seruari possint: quàm sapientem in illorum manus incidere, vbi sapiens videri nequeat. Vna enim inuiolata sapientiæ ratio procuidubio est, cum illis versari, apud quos illius fructus minime pereat: ergo si raram sapientiam, rariori periculo opposuero, rem minime absurdam facere videbor, verum quicunque antea aduersus fortunæ ictus parati sunt, venientem calamitatem deuitare possunt, quod & si nequeant, illam tamen vix sentiunt. Cum igitur omnium bonorum sapientia mater sit, è contrario malorum omnium ignorantia etiam parens erit, quo fit vt nonmale illud dictum putem: Omnis malus ignorans, imò forsitan illud etiam melius, Omnis infœlix ignorans. Probandumque sit quod Poëta dixit:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna deam, cœloque locamus.

Contra etiam fœlicissimos sapientiæ beneficio vsos fuisse credendum est: vel quòd ipsimet per se saperent, vel quòd illorum consilio vterentur, qui sapientes forent. Nam & sapientum consilio vti, adeò pars magna est sapientiæ, vt eam præcipuam quoque existimem, probemque inuersionem illam Ζήνωνος

Κεῖνος μὲν πανάριστος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ἐσθλὸς δ' αὖ καὶ κεῖνος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ.

Ille Sapientissimus est, qui bene momenti obtemperat.
Rursum & ille præstans, cui quod opus est, ipsi in mentem venit.

Habet enim duplicem sapientiam, & quòd sciat, & quòd nouerit cui credere debeat, qui aliis credendo sapit. Itaque reges fœlicissimos, aliena, & propria sapientia iuuit.

nam

nam Traiani fortunæ non mediocriter profuit Plutarchi illius Bœotici disciplina: qua ex priuato orbis Imperator, ex tumultuosa republica quietam ac tranquillam reddidit, In prælijs victor, in pace iustus, in vtroque amabilis & timendus fuit. Imperium adeò auxit, vt filius cum nihil talium penè sibi videret, quo patris gloriam æmularetur, prouinciarum numerum minuerit, nam æquam quasi gloriam esse putanit, Imperium bello augere, & pace minuere: hostes prælio, & amicos beneficiis superare. An non Alexandro Aristotelis Philosophia conduxit, ad orbem non solum milite superandum, verumetiam sapientia gubernandum? neque enim in hoc minor quàm in illo erat, namque subigere Asiam & Ægyptum, cum milite ac fortuna commune fuit: gubernare, obtinere, moribus, lingua, disciplinis tot barbaras nationes, tam breui temporis spacio instruxisse, sapientiæ suæ munus tantum est. Vnde minus mirum fuerit, Philippum illius patrem, hanc tantam fortunam filij, atque profectuum initium ex Aristotelis sapientia præuidisse, sic enim ad illum scribens, inquit:

Ἴσθι μοι γεγονότα υἱόν. πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω, οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι. ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα ἄξιον ἔσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς. i.

Scito nihil filium natum, magnam igitur diis gratiam habeo, non tam de nato puero, quàm quòd tua ætate natus sit. Spero enim ipsum sub te educatum & institutum, & dignum & nobis & nostrarum rerum successioni fore.

Quid igitur sapientia melius erit in humanis rebus? quæ homines ex priuata vita in imperium, ex paruo regno in maximum trahit? at vero Cæsar, neque enim ille ob factorum magnitudinem prætereundus erit, sapiens ipse fuit, atque ideo & ipse fœlix, nam eloquentia vix Ciceroni cedebat: omnia quæ ad humanam prudentiam spectabant abunde tenebat: naturalis scientiæ peritissimus, artis militaris, publicæ rei quantum alius nemo gnarus, sed quod maius sapientiæ argumentum? imò à memoria sola reliqua discas, seu ab ingenio, nam septem epistolas simul illum dictasse refert Plinius.

Damnabat hic igitur Syllam, quòd Imperio se abdicasset, literas nescisse eum dicens, & merito, quorsum enim attinet, tot periculis, tot laboribus, tot scelebribus, tanto sanguine publico, Tyrannidem occupare, spontéque deinde relinquere? igitur & sapiens fœlix, & fœlix idem sapiens est, nec eſt si quid male agas, quòd fata accuses, sed imprudentiam, iisdem tamen fatis quibus ad infortunia impellimur, quæ scire necessarium erat, scire prohibemur. Illudque est, quod à Mose scriptum est sapientissime: cum comedisset homo fructum scientiæ, electus est de Paradiso: comedens rursus de vitæ ligno similis Deo efficeretur. Namque cum Deus ab homine sapientia, & immortalitate sola differat: acquisita sapientia, si immortalitatem esset consecutus, prorsus Deo similis euadebat, namque in reliquis etsi non quantum Deus habeat, omnium tamen particeps videtur: fœlicitatis, potestatisque: his duobus genere tòto differt, quorum cum alterum esset consecutus, reliquum tantum deerat, quamobrem celeriter ab eo prohibitus est: neque enim decet hominem, inter sordes habitantem, amictumque corporea hac, & elementari substantia, ex toto diuinæ Maiestati similem fore. Quòd namque Deo similis sit homo, ad animam tantùm, non ad corpus referri debet, hæc enim multa, imò ferè vniuersa, cum Deo similia habet. Sed cum hæc ad aliam pertineant tractationem, nunc de sapientia solum sermo babendus erit. Itaque hoc vnum mihi reputanti, eos qui maximam humanæ fœlicitatis partem in opibus collocant, sapientiæ maximam etiam habendæ diligentiam impensuros: siquidem nihil adeò celeriter, nihil tam magnas homini diuitias, ac potentiam acquirit, vt sapientia. namque & Moses, & Cyrus, & Romulus, & Theseus, non diuitias tantum, ac potentiam, sed regnum sibi, posterisque ac quibus voluerunt parauere. atque ex his tres expositi. Moses, Cyrus, ac Romulus. ex his etiam duo spurij, Romulus, Theseusque, ac ob id deorum filij appellati. ergo hi omnes tot fortunæ ictibus circumuenti, in priuatáque conditione nati, regnum sibi, ac posteris vendicauerunt. Moses Syriæ, Cyrus Orientis, Romulus Romæ vicinarumque paucarum vrbium, Theseus Athenarum. quis ergo de his non prædicet illud poeticum: Victrix fortunæ sapientia? Sed regna nunc prætereamus: quorum vt fortuna maior, sic etiam ratior. In priuatorum vitam descendamus. Mille modi sunt, quibus ex pauperrimo diues, quis euadere sapientiæ beneficio potest, atque vt exemplo vtar satis vulgari, cuius meminit Aristoteles. Cum Thaleti vni ex septem sapientibus obiiceretur, quòd quamuis sapiens, pauper tamen esset: vniuersas Athenienſis agri oliuas, eo anno quo paucissimæ solerent prouenire, vili precio præstinauit: cum vero annus ille præter spem omnium etiam vberrimos fertilitate oliuarum superasset, succedente illarum penuria sequente anno, non minus præter spem, quàm præcedenti vbertas, magnum inexpectato vtriusque anni euentu peculium congregauit, ostendens hoc exemplo quàm facile sapienti foret, ditari si vellet. Nostris temporibus Grammaticus quidam, cum vetustate abolitam quinqueremium fabricationem, quarum apud Romanos vsus erat frequentissimus, instaurasset, à Venetorum republica præmium pro illius fortuna amplum est consecutus, atque etiam perpetuam præfecturam naualis officij. Alter aureos nummos rotundos exscindi cum docuisset, simul ac imprimi: stipendium annuum ob nouitatem meruit. Similis industriæ, sed minus fœlicis successus fuit, inuentio torquendi fila: non singularia, verum plurima simul: & hic vitæ necessaria, quamuis occultata arte ob plebis inuidiam, acquisiuit. Duo non à republica, sed artis parum notæ auxilio, patrimonium non mediocre sibi pararunt, alter cum chrysocollam pro luti pondere extrahere didicisset, nam ex triente plures norunt, sed perit labor, impensa lucrum superante. Alter cum camphoram repurgaret. Alius fraude aleæ noua, quamuis ob hoc exilio mulctatus, viginti

vigintı talentis aureis locupletatus est. Sed quid noua probant ? Columbi Liguris videamus exemplum, hic Aristotelis dicto motus, vltra Africam in Oceano terram esse, ad quam prohibiti fuissent Carthaginenses nauigare publico edicto, ne ob id à re bellica ad luxum distraherentur: regi Hispaniurum persuasit classem armare: quo fœlici successu, filios, ac nepotes, in principatu noui orbis reliquit. Idemque in solio sedit, qui inter stragula seruorum dormiebat. Idémque aureis vasis, ac figulinis in mensa vsus est: ergo sapientiæ vt nihil ignotum est, sic etiam omnia sunt in eius potestate, atque adeò è miseria ad summas opes facilis est transitus, vt etiam sine arte hoc efficere sæpius liceat. Memini me cum puer essem vidisse hominem Gallum nomine Grangis, in publica via, ac cœno, ob morbum iacentem: demum à commiserantibus sociis in xenobium deductum, sanatumque paucis post annis habuisse oppida, agros, pecunias, domum prætoriam, supellectilem tamquam regiam, equos, seruósque complures, & nunc etiam domus in vrbe est, quæ illius retinet nomen. Vsus est eo rex vt interprete apud Sueuos, inde legato mortuo, vice legati functus rem regiam cum mira dexteritate tractasset, in illius gratiam venit: à quo pecunia, dignitatibus, ac gloria decoratus est. Atque vt ad ipsam tandem rem deueniam, videntur omnia in illius potestate esse: quod vero illius vice fungitur, si quid deliquerimus, Fortunæ & Casus nomen subit. Si igitur illius vicariis tantum permissum est, quid putas ipsi sapientiæ fore tributum? Qinimo si recte rem expendere voluerimus, omnia illi, nihil fortitudini, laboribus, aut robori concessum esse putandum est. Quamobrem Homerus suum Vlyssem non audacem, nam Aiacem illi præponit: non fortem vel celerem, hæc enim Achilli tribuit: non opulentum, nam hoc Priamo: non potentem, quandoquidem Agamemnoni eum subiicit: verum prudentem vocat, aut multa tolerantem: quod talem esse necesse sit, qui sapiens futurus est, nam quod amicus illi foret ostendunt libri vigintiquatuor, nomini illius inscripti: cum tamen in Iliade nullius acta magis celebrasset, quanquam enim Aiax Telamonius solus Hectorem sustineat, arma tamen Achillis, qui sanguine Aiaci coniunctos erat, Troianorum iudicio Vlyssi tribuit, & quamuis Diomedes pugnando etiam Martem ipsum belli deum sauciauerit, nihilominus nec Troiæ captiuitatem illi tribuit, nec in certamen armorum cum Vlysse descendere ipsum fingit. Nulli adeo dij fauent vt Vlyssi: quem per tot errores Minerua tam diu comitatur, quem tot etiam periculis præter spem liberat. Ergo non male, quanquam cum Agamemnone exercitus principe, Achilles sæpius contendat, iurgiaque misceat, ac minas, cum Vlysse non audere ab Euripide fingitur. & si offensus Achilles, ac non citra infamiam tutandæ Iphigeniæ relinquere possit: Inquit tamen,

Αχ. μυρίοι γ' ἄξει δ' Ὀδυσσεύς.
Κλυ. ἆρ' ὁ σισύφου γόνος;
Αχ. αὐτὸς οὗτος.
Κλυ. ἴδια πράσσων, ἢ στρατοῦ ταχθεὶς ὕπο;
Αχ. αἱρεθεὶς ἑκών.

Infiniti: ducet autem Vlysses.
Illa igitur Sisyphi propago?
Illa ipsa scilicet.
Suopte ingenio facit, an iussus ab exercitu?
Ipse sumpsit sibi volens.

Atque sic eius, quam simulauerant coniugem sibi dandam, misertimæ puellæ defensionem, quamuis ob iniuriam iratus deserit, ob Vlyssis solius timorem, nam Agamemnon ipse ductor exercitus, quod Iphigeniæ pater esset, illi fauebat, verterat & fratrem in sententiam suam rex: sed vide tamen, quòd Vlyssem nec precibus emollire, nec illius auctoritati, quamuis & pater, & rex, & imperator exercitus, & in tam miserabili casu, resistere speret. Sic enim inquit ad fratrem iam persuasum:

Οὐκοῦν δοκεῖς νιν στάντ' ἐν ἀργείοις μέσοις,
Λέξειν ἃ κάλχας θέσφατ' ἐξηγήσατο
Κἄμ' ὡς ὑπέστην θῦμα, κᾆτα ψεύδομαι
Αρτέμιδι θύσειν, ὃς ξυναρπάσας στρατὸν
Σὲ κἄμ' ἀποκτείναντας ἀργείους κόρην,
Σφάξαι κελεύσει κἂν πρὸς ἄργος ἐκφύγω,
Ελθόντες αὐτοῖς τείχεσιν κυκλωπίοις
Συναρπάσουσι, καὶ κατασκάψουσι γῆν. i.

Hunc prouide iam nunc inter Argiuos puta
Astare medios, atque ibi eloqui palam
Quæcunque Calchas dixit adflatus Deo,
Et vt Artemidi me victimam receptum
Gnatam daturum, deinde promissum deæ
Mendax negarim, ita concitatis copiis,
Vbi méque téque iam peremerint, dare
Tum virginem suadebit Artemidos neci:
Quod si scita Argos me recepero fuga
Aderunt, & ipsis me simul cum mœnibus
Cyclopiis euerterint, nec non vastauerint.

At vero nihil minus vt puto est in controuersia, quàm eum qui sapiens sit, verè beatum, potentémque ac fœlicem esse: cum omnia in sapientiæ potestate constituta sint: opes amici, incolumitas, potentia, gloria, fœlicitas denique omnis, vt bene dictum sit à poëta illo:

Χρῇ δ' ὅπου ἔστι ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνήρ.

Non egebit vnquam Sapiens: imò melius expressit Zenodorus dicens:

Ἔστι δ' ἅπαντα τοῖς σοφοῖσιν εὔκολα.

Sunt enim omnia facillima Sapientibus, atque in promptu. Verum videor rem manifestissimam comprobare multorum exemplo velle: quæ prorsus sunt necessaria derelinquere, namque sapientiam omnia posse nemo negat. Sed quænam hæc est? vel vbi? aut licetne homini eam habere? Nunc equidem sapientiam intelligi nolo proprio in significato: sed omnem tantum notitiam, quæ ad finem quæsitum perducere potest: aut saltem eius ἀδυναμίαν ostendere. Palam autem est hanc triplicem esse, In mente, In voce, In corporis instrumentis, præcipue manibus: generosior est autem quæ in mente, tum in voce, de quibus poëta dixit:

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quàm sapere, & fari, quæ sentiat?

Eam vero quæ in manibus est exercitandi rationem, tum quòd à mente maxima ex parte proficiscatur, tum quòd per se sola inutilis sit, quamuis non contemnendam, reliquis tamen duobus generibus inferiorem longe existimo. Atque vt de omnibus sermo seorsum, ac distincte habeatur, tota sapientia per genera

partienda

partienda erit. Nam sapientia aut sponte proficiscitur à natura, nullo docente, ad bonúmq; finem tendit: & hæc diuina est. Vnde in Euangelio scriptum est: Quomodo hic docet, literas cum non didicerit? atque alibi: Nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis ea hora. atque hæc omnino sapientia diuina est. Verum quæ ad rectum finem tendit, non circa hominum deliberationem, artéque ac studio discitur, vocetur naturalis sapientia, quæ autem ad permutandam opinionem hominum dirigitur, nihil habens proprium circa quod versetur, ad humanam sapientiam referri debet. Quod vero vanum est, & inane genus, ad decipiendumque institutum, seu ad fines, negociaque execrabilia, Dæmoniacæ nomem sumpsit. Eiusmodi verò diuisionem comprobat Apostolus Iacobus dicens: οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία ἄνωθεν κατερχομένη, ἀλλ' ἐπίγειος, ψυχική, δαιμονιώδης. i.

Non est ista sapientia è supernis descendens,
Sed terrena, animalis, dæmoniaca.

Est autem ἐπίγειος naturalis, quòd terrá sit omnium rerum mater. ψυχική humana, nam bruta ratione vt carent, sic & humana sapientia. Demum hæc sic generaliter, deinceps tamen pressius erunt ac diligentius prosequenda, nam quorum scientia haberi potest, eorum & ratio quædam est: quæ autem sciuntur aut bona sunt, ac omni ex parte laudabilia, vel vituperabilia, vel mixta, vel ambigua, vel incerta: nam prorsus bona sunt veluti sanatio, flagitiosi emendatio, bonæ legis institutio, pestilentiæ cura, annonæ procuratio. Mala vituperabiliáque veneni propinatio, dæmonũ sacrificium, legum bonarum contẽptus ac transgressio, iniustitia denique omnis. Mixta verò, vt ditari, vxorem ducere, pugnare, atq; ea quę in se laudem, & vituperationem continent. Ambigua & incerta, vt ambitio, studiũ, amor, filij: atque in vniuersum bonorum & laudabilium scientia quæ sine arte est, ad diuinã plerumque referri debet sapientiam, quę cum arte, ad naturalem semper. Malorum autem & vituperabilium seu sponte seu arte habeatur, ad dæmoniacam pertinet. Ambigua & incerta, humanæ sunt sapientiæ præmia: mixta verò, ad molta genera referuntur: tum etiam ad ignorantiæ species: nam totidem modis ignorare dicimur, quot etiam scire. Denuo igitur etiam rem hanc aggrediamur, cuius cognitione maxima partitionis sapientiæ, per genera cognitio habebitur, atque diligenter differentiam humanæ, & naturalis, similis diuinæ, & dæmoniacæ explicemus. Vna igitur ratio est diuinæ, & naturalis sapientiæ, circa bonum: humanæ & dæmoniacæ circa malum: nam & finibus differunt. Diuina enim, & naturalis sapientia, esse docet: humana & dæmoniaca, vt videatur. Item diuina institutione vel studio non indiget: reliquæ omnes habentur disciplina.

Verum & sapientiæ plures aliæ sunt diuisiones, alia enim tantum scire docet, alia etiã agere: & hæc apud homines in maiore precio habetur. Est etiam sapientia aliqua pręteritorum, aliqua pręsentium, futurorum alia, rursus alia eorum quæ sequi oportet, alia eorum quę sunt fugienda. Sed adhuc dubitare apud multos conuenit, vbi nam dæmones sint? & si non sint, quænam erit dæmoniaca sapientia? & si sint, nondum hoc manifestum cum sit, inter sapientiæ membra adduci non debere tamen. At Philosophis nullo modo concessum videtur, dæmones esse: & si sint, non posse esse sapientiæ auctores. Quippe Plutarchus grauis vir hanc deridet sententiam in libro de oraculis dicens: εὔηθες γάρ ἐστι, καὶ παιδικὸν κομιδῆ, τὸ οἴεσθαι τὸν θεὸν αὐτόν, ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ δὲ Πύθωνας προσαγορευομένους, ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι τοῖς ἐκείνων στόμασι καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις καταμιγνὺς αὐθρωπίναις χρείαις, οὐ φείδεται τῆς σεμνότητος, οὐδὲ τηρεῖ τὸ ἀξίωμα, καὶ τὸ μέγεθος αὐτῷ τῆς ἀρετῆς. Quasi dicat: Absurdum ac puerile est, credere Deum, sicut ventriloqui spiritus, quos olim Euricleos, nunc Pythones vocant, in prophetarum corpora ingredientẽ, ipsorum ore respondere. Nam si se hominibus misceret, nec maiestatem suam seruaret, nec parceret grauitati: vix enim quod Plutarchus affirmat, quisquam sanæ mentis deneget. Sed & Aristoteles idem in libro de Diuinatione per somnum sentire videtur, negans somnia diuinatoria à Deo immitti nobis: his verbis: Τό τε γὰρ θεὸν εἶναι τὸν πέμποντα, πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ, καὶ τὸ μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις. quasi dicat: Si somnia à Deo immitterentur, præter reliqua absurda, sapientissimis, optimisque viris immitterentur solum. alibi autem afirmat, sapientum tantum ac prudentum celerem esse diuinationem: dicens in moralibus.

φρονίμων δὲ καὶ σοφῶν ταχεῖαν εἶναι τὴν μαντικὴν καὶ μόνων. i.

Prudentum autem & sapientum celerem esse
diuinationem, & istorum tantum.

Ergo non videtur verisimile, diuinam vllam fore sapientiam: sed hæc aliâs videbimus, nũc hoc nobis sufficiat, aliquam à Deo in homines proficisci sapientiam irreprehensibilem, seu ex Deo tantum aut ex numine quodam veniat, ostensum enim est à nobis naturam humanam intellectu diuinæ fore participem, eam quoque quam lex præbet sapientiam, ac institutionem diuinam appellare nihil prohibebit. Igitur de omnibus cum sit pertractandum, plura necessarium nobis est tradere, quæ ad rem ipsam pertinent, velut, an omnis sapientia vtilis sit? & an stulti, àn sapientis sit vita iucundior? curque multi sapientes fuerint infœlices? quonam pacto sapientia acquiratur? an eadem totius sapientiæ seu perfectæ sit ac partis eius ratio? quodnam vtilius sapientiæ genus? quíve in vnoquoque illorum genere magis excelluerint? an iidem sapientes & sapientiæ doctores? an omnes ad sapientiam parati sint? an plus fortuna in rebus humanis sibi vindicet, an quæ tunc habetur sapientia? an eadem omnibus sapientia conueniat? an ad apicem sapientiæ quisquam mortalium peruenire possit? an natura vel studium vel disciplina vel exercitatio plus ad sapientiam proficiat? quænam animi vitia sapientiæ maxime contraria sint? atque eadem ratione quæ virtutes magis ad eam conducant? an qui sapiens sit, etiam talis necessario videbitur? Fingendus est etiam à nobis sapiens omnibus numeris absolutus, velut à Cicerone orator, Aulicus à Castilioneo, vir temperatus à Galeno, hic quamuis nullibi esset, ad eius

tamen institutionem fingamus omnia, sed talis in vno genere inueniri potest, iuxta Virgilianum illud:

Vir bonus, & sapiens, qualem vix reperit vnum
Millibus è multis hominum, cõsultus Apollo.

In omnibus forsan esse non potest. Dubitandum etiam erit, quod ab initio quasi pro confesso sumptum est, an scilicet brutis sapientia aliqua insit? an omnibus ætatibus eadem sapientia satisfaciat? an homines magis ratione vel exemplo, an auctoritate moueantur. Quibus modis occurramus præteritis erroribus? namque errare ab initio, quasi necessarium est, id argumento esse potest, quòd quilibet cũ præterita tempora recogitat senex, fœlicem se si non errasset, prædicat, igitur in sapientia nostra fœlicitas est. Sed non oportune iunguntur in homine sapientia, & occasio: vt illud Gallicum adagium verissimum sit: Cum essem iuuenis insipiens eram: at nunc cum sapio iuuenis non sum. Illud etiam diligenter explorandum, quonam pacto aduersus calamitates temporum auxilium ac medelam inueniamus. Quærendum etiam est illud diligentissime, vbi res ipsa sine auxilio videatur, an illud magis probandum sit poëtæ.

Καλῶς θανόντες, ἢ κακῶς σεσωσμένοι.

Vel illud potius:

Κακῶς ζῆν κρεῖττον, ἢ θανεῖν καλῶς, i.

Bene mortui quàm male seruati.

Male viuere potius quàm mori bene.

Multum enim Sapienti necessaria est scientia horum, quidve vnoquoque loco, quandóque conueniat. Quamobrem librum hunc diuidere oportunum erit: nam in primo hoc de sapientia in genere dicendum erit: ac seorsum de diuina. In secundo de naturali, in tertio de humana, in quarto de demoniaca, in quinto de auxiliis aduersus errata. Eadem verò erunt aduersus errata, eadem aduersus calamitates, siquidem calamitates omnes hominibus vt ostendam, ex errore proueniunt. Atque ex hoc sumemus initium. Esse omnium sapientiam aliquam, vel hoc solo constare nobis potest, quod consilio aliorum adiuuamur, magisque vnius, quam alterius. Quod si nulla prorsus esset sapientia, non magis plures, quàm vnus, nec vnus altero saperet, sed velut in his quorum nondum vlla sapientia est, fortunæ arbitrio gubernantur, nemo rationem aliquam afferre potest: sic esset in cunctis. At vero ea etiam quorum latet ratio, sub aliqua ratione colligi ac gubernari constat: non solum quod sint paucissima, verum quòd id quod ex his colligitur ratione etiam constat. Horum autem omnium quæ de futuris habetur præstantissima est: cum præsentia, & præterita in illam ordinata sint: nec præterita amplius esse possint, præsentia ilico effluant, manifestum est igitur, quod futurorum quàm præsentium: præsentium quàm præteritorum cognitio excellentior est. Sed cuinam fini conducet hæc sapientia? namque humanæ conditionis finem inuenire prius decet: Est igitur finis humanæ totius fœlicitatis, diu, ac bene esse. Porrò an melius sit diu, non bene: an bene quidem, sed non diu esse: hoc à multis dubitatum est. Diu autem sumus, vel vita, vel parte nostri, vel memoria hominum. Parte nostri sumus diuturni, vel generis propagatione, vel animi immortalitate, de hac autem cum seorsum scripserimus, reliquum erit, vt de reliquis generibus solum dicamus. Bona autem constant animo, corpore, atque exterioribus. Sic enim omnes penè, qui rectè de rebus humanis senserunt philosophi, diffiniuere: ergo animi bona sunt virtutes, & sapiẽtia: corporis incolumitas, ætas, robur, pulchritudo externa, diuitiæ, amicitia, auctoritas, gloria, potentia, honores, filij, quamuis & ad diuturnitatem pertineant, affines inclyti, deliciæ, successus: his omnibus fermè vniuersa humana fœlicitas terminatur ac diffinitur, quæ tamen omnia regnum aut imperium vnum adeò abunde complectitur, vt mirum non sit, quamobrem mortales omnes adeò anxie regnare cupiant, contrariis verò infœlicitas, non igitur malum est scire, quid cuique bonorum opponatur: ergo breuis vita diuturnæ: orbitas propagationi generis, in gloria vita ei quæ diu in hominum memoria manet. Sic & animi virtutibus, vitia: sapientiæ stultitia, vel ignorantia aduersantur: corporis bonis, mala valetudo, vel ægritudo: ætati prosperæ, senium: roboti, debilitas: pulchritudini, deformitas, & mutilatio: quamuis etiam aduersetur incolumitati, at ex exterioribus malia, opibus, paupertas: amicitiæ, odium: auctoritati, contemptus: gloriæ, humilitas: potentiæ, impotentia: honoribus, vituperium: filiis vt dictum est, orbitas, nec spes habendi: Affinium dignitati, illis prorsus carere, vel vti non posse: deliciis, tristitia: successibus, infortunia. Sunt & aliqua communia corpori, atque animæ: velut artium delectabilium scientia, vt fingendi, pingendi, canendi, scribendi: alia corpori, & externis communia, vt libertas. Horum autem omnium quæ bona sunt, possessio etiam iucunda: præsertim si successibus adiuuetur: nam humana natura adeò nouitate gaudet, vt quæ habemus contemnamus, quæ non habemus desideremus: atque in illorum acquisitione vehementer delectemur, πλησμονὴ γὰρ ἁπάντων. idest. *Satietas est omnium*, vt inquit Isocrates. Adeò vero nouitas grata est, vt quanquam feramur ad mortem, futuros tamen dies occupare desideremus, tanta est nouitatis voluptas; & populi nouos quærunt dominos, quamuis sæpius experti calamitates: tum pugnas, ac bella gratis concupiscimus: quæ tamen pericula, & iacturam solum afferre possint. Igitur fœlix conditio nouis successibus tamen indiget. Sed si non omnia hæc simul habere possint, à quonam genere incipiendum erit? à necessariorũ scientia primum. Tum illa etiam quasi erunt necessaria, sine quibus reliqua habere non possumus: atque illis solum præmittenda: In cæteris vtilitas maior, & copiosior, præferenda est, tum ea quorum ætate ingrauescente non tam facilis est acquisitio: velut loquendi rudimenta Græcè, Latinéque, ac Mathematicæ, Philosophiæ studiis, Medicinæque ac Legum præponendæ erunt. Necessaria dicuntur quæ ad tuendam vitam exiguntur. Ratio igitur sanitatis custodiendæ & parandi victus quotidiani omnibus præponi debent. Quamobrem plures, inter quos Plutarchus, hanc videntes necessitatem, conati sunt rationem viuendi

scribere:

ſcribere : ſed non ſatis apte, medici aptius, è quibus Hippocrates : ſed rem ipſam Galenus abſoluit, ea nunc vſu conſtat, à matribuſque docetur, quæ quamuis exacta non ſit, melior tamen eſt quàm nulla. Quòd ſi pro tot nugis, proque tot concionibus inutilibus, hæc publice doceretur, magnam hominibus vtilitatem afferret. Succedit parandorum neceſſariorum ratio, vel cuſtodiendorum gubernandorúmque, in his qui boneſtum à parentibus patrimonium ſunt conſecuti : igitur illi artem, hi œconomiam quandam diſcere in primis debent : ergo hæc erunt primitus non ignoranda. At verò vt de diuina ſapientia ſermonem ipſum aggrediamur : hæc tota circa optimum vitæ genus verſatur. Hoc autem fore diximus, bene ac diu viuere, at quænam diſciplina vel ſapientia hæc ambo locupletius docet ? cum in diuturnitate terminum nullum ſtatuat, nec in fœlicitate modum, vtque corpus nihil prorſus ad rem deeſſet, etiam corpus particeps in nouiſſimo die efficit, ergo hæc ſola ſapientia circa finis perfectionem nulla ex parte erat, quamobrem ſi ſic demonſtrari poſſet, vt perſuaderi : non niſi ſtultiſſimus aliis negotiis vacaret, cum quilibet ardentiſſime omnibus relictis, omnique compreſſa voluptate, omni commodo prætermiſſo, vt olim ſub Conſtantino & Iuliano, eremum ingredi ac habitare deberet, at quantulacunque huius ſpes, multos tamen ad ſe trahit, omnéſque mortales fermè continet. Ergo minus mirum ſi ſub tanto auctore, Deo quidem ipſo magis,hac in cauſa, quàm homine, tot oraculis, tot miris prodigiis, fide præmiorum confirmata, plurimi omnibus relictis bonis, ad Chriſtum ſe contulerint : preſſerintque cupiditates, commoda neglexerint, minas paruifecerint, cruciatuſque contempſerint : Quandoquidem ſola ſapientiæ opinio, multis profit. quot enim Conſultores, ſine conſilio ? Medici, ſine medicina ? Duces exercituum, ſine militari diſciplina ? Artifices, ſine arte ? Scriptores, ſine ſcientia ? Magiſtri ſine doctrina ? qui tamen his cauſis non minus rem ſuam bene gerunt, ſola ſapientiæ falſa opinione, quàm ſi vere forent ſapientes. O fœlix ergo, & bene auſpicatum ſapientiæ nomen : quo ſolum fœlicitatis partem magnam conferre poteſt:namque quod hi tales ſint, à ſucceſſu rerum dignoſcuntur. Duces exercitus, parua pugna, conſultores teges, ægros medici, perdunt, tum ſcriptores inania proferunt, artifices non artificioſa, magiſtri rudes diſcipulos efficiunt, ſed maxima Primorum labes, quorum error perniotioſus, & plerumque emendatione caret. Ex his etiam publica cum ſit conſultorum & ducum iactura, ideoque deterior, nam non aliter hi ſub boni ſpecie Principes euertunt, quàm in Latrunculorum ludo fieri ſolet:parum longe enim proſpicientes, præſens lucrum, iacturam totius exercitus compenſant. non igitur hi ſapientes, ſed ſola ſapientiæ opinione fulti,rem ſuam augent, cuſtodiendam verò deſtruunt : eadem igitur & in diuinæ ſapientiæ opinione ratio manet : namque cum vna ſola ſit religio Dei, omnes tamen beneficio ſuæ religionis gentes gaudent, quippe Romani dum deos ſuos venerantur, pontifices & ſacerdotes, & augures ſtatuerunt, quibus in rebus parerent, conſultoribuſque in rebus arduis vterentur, dumque illis abſque contemptu, ad bella, ad reconciliationemque, ad creationemve Magiſtratuum ſapienter vſi ſunt : proſpera Romanis omnia fuere. At cum Ciceronis tempore ne Catonem eligeret Pompeius prætorem de religione mentitur : Cæſar in Gallia Germanos præter ſacramentum cædit : Craſſus aduerſus auſpiciis, diriſque tribuni expetitus, contra religionem in Parthos parat expeditionem : ipſe Cicero augur, auguria irridet ſuis commentariis de diuinatione, tum Deos ipſos, aduerſa omnia reipublicæ euenerunt. Vt etiam non ſolum vera, ſed falſa religio in precio habenda ſit. Etenim & Ariouiſtus, vt Dion & Cæſar referunt, cum ante nouam Lunam, qua prohibebatur à mulieribus quæ Baccho ſacra facientes diuinabant, pugnaſſet, ingenti prælio victus, nihil penè præter ſeipſum fuga ſeruanit. Nam filias duas & vxores, vel nece vel captiuitate amiſit. Idem quoque accidit Appio Pulchro, dum in Sicilia ſpreta religione cum Carthaginienſibus nauali prælio decertaſſet. Ergo eſſe aliquam ſapientiam cuius cultu non ſolum Dei placantur, fœlices reſpublicæ regéſque ſucceſſus iuberent : ſed etiam illius auctorem, quicunque ſit, quaſi Deum haberi oſtendit oraculum planè illud de Lycurgo habitum.

Ηκεις ὦ λυκόεργε ἐμὸν ποτὶ πίονα νηόν.
Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι.
Δίζω ἤ σε θεὸν μαντεύσομαι, ἢ ἄνθρωπον,
Αλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον, θεὸν ἔλπομαι ὦ λυκόεργε.

Venis ô Lycurge ad meum religioſum templum, Ioui charus & omnibus qui cœlum habitant. Incertum eſt, vtrum te Deum prædicam an hominem : Sed tamen etiam magis Deum ſpero ô Lycurge.

Verum his relictis, ne clauum clauo trudam ; denuo ad ſapientiæ laudes ac narrationem me conferam. Tum in vniuerſum membra eius, ac partes amplectendo, tum etiam diuinas qualitates proſequendo. Etenim omnis ſapientia vtilis eſt ac neceſſaria : omnium tamen præcipua quæ diuini generis eſt, atque in regno maximè. Vtque ab initio quaſi rerum ſumam exordium : Moſes diuina ſapientia fretus, populum contumacem, ac ſeditioſum, per deſerta loca duxit, & annis pluſquam quadraginta in obſequio tetinuit. Simili genere ſapientiæ, eius ſucceſſor Ioſue, ad bella & prælia imbellem multitudinem armauit, atque induxit : partemque eam Syriæ, quæ etiam nunc gentis nomine Iudæa vocatur, occupauit. Sed & Dauid paſtoris filius cum plurimum diuina ſapientia floreret, populum à ſeruitute liberauit : ipſe in regnum aſſumptus, diu ac magna cum tranquillitate retinuit. Poſt quem eodem ſapientiæ genere filius per ſomnium illuſtratus, regnum cum ſumma pace diutiſſiméque gubernauit tanta cum auctoritate, vt non ſolum ab omnibus finitimis regionibus coleretur : verum reges ad ipſum locupletiſſima dona mitterent. Vnde templum illud toto orbe celeberrimum exædificatum: armamentarium inſtructum:vniuerſa regio ditata : theſaurique reconditi : qui etiam ad Veſpaſiani tempora peruenerunt. Nec

Nec ad hanc vſque diem omnes erutos eſſe putant: Nam adeò magna pars exigua illorum fuit, vt etiam omnem fidem ſuperare magnitudo totius videatur. Pluſque vnius hominis ſapientia, quàm vniuerſæ populi Romani vires, ac victoriæ, ſeu ad auctoritatem, ſeu ad pacem retinendam, ſeu ad opes profuiſſe credatur. Quid Conſtantinus? tot prœliis victor abſque ſcelere? tanto imperio clarus? tam diuturna poſſeſſione pacificus? cuius tot adhuc pietatis monumenta ſuperſunt: qui homines à metu, mundum à ſeditione, religionem à contemptu, Eccleſiam à periculo liberauit. Quid Theodoſius imperator? qui cum Ioannem virum ſanctum in Lycóque habitantem de rebus ſemper arduis conſuleret, imperium in pace filiis reliquit. In bello præter omnem ſpem victor: Vnde etiam illud Claudiani, quanquam non Chriſtiani poëtæ, cum exiguis copiis Eugenium & Arbogaſtem ſuperaſſet, occidiſſetque alterum, alterum cepiſſet, celebratur.

O nimium dilecte Deo: tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Ergo ſapientiæ diuinæ munus in regno amplum ac diuturnum eſt: reliquorum fœlicitas, aut non diuturna flagitiis: vt non ſinat eos qua poſſent, vti animi tranquillitate: in qua vniuerſa humana incunditas poſita eſt. Verum cum in Moſis iam memoriam inciderimus, haud abs re fuerit hoc quærere: cur tot expoſiti infantes, ſine regno regnauerint: & ſine fortunæ auxilio nomen inclytum ſibi parauerint? Moſes ſiquidem inter Iudæos: Oedipus in Bœotia: Cyrus inter Perſas: Romulus inter Romanos: & parum ante noſtram ætatem Caſtrucius inter Etruſcos, regnum ex mendicitate etiam formidoloſum vicinis ſibi parauerint? Quid aliud hoc eſt, quàm quòd vel mediocri virtuti, adeò tam infœlicis originis opinio, atque præter ſpem omnem ſeruatæ Deorum vitæ cura iuncta, & ſapientiæ in illis diuinæ, & cuſtodiæ fidem hominibus præbet, qua longè ſibi maiorem auctoritatem parare, quàm ex diuturnis victoriis potuerunt: cum arbitrio fortunæ victoria incertum habeat defenſorem: patrocinium verò Deorum ſempiternum eſſe videatur. Atque id merito, vnde etiam Herculi non ſolum Deum patrem affinxerunt: ſed & in infantia enectos angues ab illo, & filio ſeruæ miraculum origini additum tantum potuit, vt Seruius Tullius Romanum populum ad mortem vſque tute rexerit, vrbemque auxerit, ſubegeritque Sabinos. Verum ad regna hæc, ad priuatos vero homines etiam longè vtilior eſt diuina ſapientia. Quippe cum hominis ſumma fœlicitas ſit, diu, ac bene viuere: horum vtrunque ſapientia diuina aſſumit: etiam locupletius quam dici poſſit. Adeò enim diu, vt ſemper: adeò bene vt non melius excogitari poſſit. Oſtenſum eſt autem hoc in his quæ de anima ſcripta ſunt: tum etiam in libris de Arcanis æternitatis, & in ſecundo de Conſolatione libro: & nunc quantum ad rem propoſitam ſatisfaciet, denuo oſtendetur. Si enim opifex aliquis vniuerſi, ſi cauſa, ſi moderator qui omnia certa ratione effingat, hoc vnum ſolum præter rationem efficere non potuit, vt ſcilicet vniuerſa elementa nullius gratia ſint, nec homo vllum præter hunc actionum ſuarum finem habeat: quorſum enim naſcimur tendentes? an ſolum vt edamus, bibamus, laboremus? atque inter tot calamitates verſemur? quorſum nobis data intelligentia? quorſum Dei cognitio? an ſcilicet inter bonum & malum, inter pium & impium, iuſtum & iniuſtum, nihil interſit? & ſi Deus nullus noſtram curam ſuſcepit, quorſum tota hæc vita noſtra? & tam diuturnus annorum mundi curſus? Sin autem noſtra agnoſcit Deus aliquis, prouidentiámque horum inferiorum habet: cur adeò iniuſtus factus eſt? vt paria bonis & malis, religioſis & ſacrilegis, bona ac mala diſtribuat? quin etiã ſceleſti meliore conditione viuerent: itaque niſi mundum iuxta Satyrici ſententiam illam gubernari credas. Sunt qui in fortunæ caſibus omnia ponunt.

Et nullo credant mundum rectore moueri,
Natura voluente vices, & lucis, & anni.

Proculdubio alicum quempiam finem ab hac vita ſtatuas neceſſe eſt. Vnde etiam Ariſtoteles, hanc difficultatem videns, cum prorſus abſonum foret ea negare quæ præ oculis ſunt: ſcilicet, ordinem, motum, cuſtodiamque vniuerſi, dixit: *εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο, εἴ τε ἄλλο τι ὃ δὴ κατὰ φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι, καὶ ἔννοιαν ἔχειν περὶ καλῶν καὶ θείων, εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ, εἴτε τῶν ἐν ἡμῖν τὸ θειότατον ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν, εἴη δ' ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία.* Seu enim mens (inquit) ſeu aliud, quod natura in nobis dominari ac imperare videtur, & cognitionem habere honeſti, atque diuini: ſeu quia ipſa diuina ſit, ſeu quod in nobis exiſtentium diuiniſſima, huius operatio per virtutem propriam beatitudo perfecta ſane fuerit. Explicat autem quænam ſit operatio dicens: *ὅτι δ' ἐστὶ θεωρητικὴ, εἴρηται* (id eſt, *Quod nunc ſit Theoreticæ dictum eſt.*) Ergo aliquid eſt in humanis diuiniſſimum, à mente, atque id ab omni corporeo impedimento ſeiunctum, ad quod diuina ſapientia tendit. At verò illud poſt mortem ſtatuendum ſit, dicere non audet. Verum tanta eſt huius fœlicitatis magnitudo, vt etiam in vita nos beatos illius ſpe efficiat. Namque ſi hæc præſens beatitudo, voluptas eſt, ab omnibus vel pluribus approbata, ſpes igitur firma tam beatæ vitæ, eum à conſenſu hominum comprobetur animæ perpetuitas, maximam in hac vita fœlicitatem præſtare poteſt. Igitur mirum minus Antonium, Hieronymum, Hilarium, Auguſtinum, Apoſtolos omnes, tot Heremitas, tot Martyres, tot Virgines, tot Epiſcopos, tot legis Chriſtianæ Doctores, tot denique conſtantes in fide viros, non ſolum beatos hac ſpe vixiſſe, ſed ſponte à voluptatibus, ab opibus, à commodis, à potentia abſtinuiſſe. Etenim ſi etiam omnino nulla eſſet poſt mortem vita, tam iucundæ rei, ac diuturnæ confirmata ſpes omni alia humana fœlicitate potior eſſet. Quandoquidem nihil aliud habeas in humanis, hac relicta, in quo pedem ad animi certam tranquillitatem figere poſſis. Potentiam metus ſequitur, diuitias ſolicitudo, filios contumacia: amicitias vitæ inæqualitas: ſolitudinem triſtitia: ſocietatem contemptus, & labor: virtutes difficultas, vitia infamia. Omnia incerta, anxia, breuia turbulenta, ſuſpitionibus plena, ſoláque mors non dubia ceruicibus

uicibus imminet. Quare non mirum tot Principes prouinciis relictis ad Diuinum cultum, ad priuatam vitam, ad difficilem ac duram solitudinem se transtulisse. Inter quos Râmirus Aragonius, Veremundusque Hispaniarum Reges: tum Ludouicus Neapolissius, Guglielmus Pictonensis princeps, Carolomannus Caroli Martelli filius, tum Lotharius Lodouici, ambo Gallorum reges: tum Batildes regina etiam Galliæ, Amurathesque Turcarum princeps, regnis relictis ad solitariam pauperémque vitam in cœnobiis ducendam se transtulere. Omitto eos qui vel nondum gustato imperio, vel casu aliquo, vel timore, vel fraude Religionem amplexati sint cum vitæ priuatæ instituto, velut Celestinum Pontificem, Maronensm regis Galliæ filium, & Chilpericum regno eodem pulsum: quandoquidem eorum qui nullo errore ducti, nullaque causâ vrgente, sed sola virtute id peregerint, numerus non satis nobis constet. Sed iam ad Aristotelis sententiam redeundum puto. Dixeramus iam sapientiam fœlicitatis parentem esse: eamque potissimum diuinam. Quod quàm ipsius Philosophi testimonio pareat, his verbis duodecimo primæ philosophiæ scriptis satis videri potest. διαγωγὴ δ' ἐστιν οἵα ἡ ἀρίστη, μικρὸν χρόνον ἡμῖν. Inde paulò post, ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτήν, τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου, καὶ ἡ μάλιστα, τοῦ μάλιστα. tandémque concludit: ὥστ' ἐκείνου μᾶλλον τοῦτο ὃ δοκεῖ ὁ νοῦς θεῖον ἔχειν, καὶ ἡ θεωρία, τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον. εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει, ὡς ἡμεῖς ποτὲ, ὁ θεὸς ἀεὶ θαυμαστόν. εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον. Hæc autem sunt quasi dicat. Vita autem Deorum optima est, qualis nobis etiam breuissimo tempore contingit. Namque ipsa intellectio talis est, qualis res quæ intelligitur, optimorum optima. Optima autem & maxime propria eius, quòd maxime etiam est. Vt igitur hoc magis illo intellectus est, atque diuina res, sic & contemplatio melior, atque delectabilior existit in nobis. Si igitur eadem Diis sempiterna qualis breuissimo tempore nobis? erit cognitio Deorum ac vita admirabilis: sin etiam melior admirabilior. Manifeste igitur summam hominis fœlicitatem ac diuinæ vitæ simillimam in Dei contemplatione, & sapientia illa suprema ponit. Quæ si vmbratilis existens apud Aristotelem, hoc tamen efficere potest: quid hæc nostra tanto præmio, támque diuturno, tam firma spe fulta efficere poterit? Ergo nulli dubium esse debet, sapientiam diuinam summam hominis fœlicitatem comprehendere. Sed quinam sunt qui illam assecuti fuere? Prophetæ vt existimo omnes, verum inter hos præcipui Helias, atque Heliseus, & ex his vltimus Esaias, post hos Dauid, & Salomon; inde Hieremias, Daniel, Ezechiel, Ioannes etiam Baptista, duodecimque reliqui minores Prophetæ. sed ne ego vas sapientiæ inter extremos ponam? Hic igitur vt inter nouissimos primus, ita inter reliquos à nobis, ne altius sapere nunc velimus, adnumerabitur. Minor est Helia, maior autem quàm Amos: sic & Moses si Helia minor fuit, & Abrahamus aliis certe non erit postponendus. Omnes igitur Prophetæ, Apostoli, Doctores, Prædicatores, Martyres, piique ac constantes in fide homines, diuina sapientia floruere. Sed quid hæc sapientia? aut qualis est? Initium eius certe, vt scriptum est, timor Domini: at verò medium ac finis in eodem posita sunt: iuxta prophetam dicentem: Beatus vir qui timet Dominum, & qui vult mandata eius. Quisnam beatus esse potest absque securitate? Quis securus absque fide? vbi fides absque spe, quæ de Deo & futuro seculo concipitur? ergo spes futuri seculi mandata Dei seruari, & timorem illius postulat. Omnis enim, vt dictum est, humana fœlicitas impura, & breuis, & instabilis est: igitur vera à Deo expetenda erit. Qui igitur beatus est, in timore Domini est constitutus. Est igitur vera sapientiæ diuinæ diffinitio, legis custodia, timorque excelsi. Et quamuis nemo semper lumine diuino, nemo affatim, nemo diu illustretur: omnes tamen vt existimo aliquando illius beneficium sentiunt. Vt enim omnibus hominibus, vel saltem in vita semel datum est flere, ac ridere, sed tamen neque diu, neque æqualiter, sic etiam viuere: omnes enim in hanc vitam veniunt mortales, sed non æqualiter manent: sic intelligere, & diuino lumine frui, omnibus quidem concessum est, sed non tamen æqualiter omnibus: imò velut ab ortiuis fœtibus, quibusdam quasi momento temporis, aliis quasi perpetuo, & ad mortem vsque. Verum quòd non semper, hoc indicat, quod in vilissimis rebus naturali & quandoque humana sapientia indigemus. Nimis enim contemnenda foret hæc sapientia, si ad cibum, potum, venerea, somnum, exercitationem, corporisque curationem illa vteremur. Sed nec perpetuo: quis enim ferat cum mortalis sit, lumen illud æternum quasi sibi congenitum? affatim verò, neque in omnibus quòd huius nostra natura capax minime sit: sic Mosen, sic Heliam, sic Helisæum, sic Ionam, sic Petrum, sic Paulum aliquando spiritus ille diuinus deseruit. Ergo quid mirum alios non semper eodem afflatu fuisse munitos, qui non parem his gratiam sint consecuti? Sed & Seruator ipse in morte conqueritur, deseri ab eo, qui tamen non alius esset ab ipso Quomodo ergo nobiscum semper esse poterit? Atque ideò, quamuis sapientia diuina aliis non indigeat generibus, qui tamen sapientes sunt indigent. Namq; Augustinus dialectica, & philosophia, Paulus, & Hieronymus, linguarũ scientia, Hebraicæ, Græcæque, tum etiam scripturæ sacræ. Vnde illud etiam confitēris Apostoli, eruditus apud pedes Gamalielis: non quòd sapiētia diuina vllius horũ sit indigna, sed quòd non semper homo tanquã alienare vti possit. Neq; etiã vnius generis est illa: nam aliis signa, aliis linguarũ genera, aliis diuinationē, aliis interpretationem, non vni omnia largitur: vt ipse idē Apostolus docet. Et quamuis propter se sapiēs, hoc modo nullius indigeat, plurimũ tamen laborare debet, vt aucta dicendi facultate, sapiētiæ illius fructum aliis hominibus communicare possit. Etenim triticum per se nullius indiget, vt tamen propagari possit, agros, colonos, instrumentáque, ac curam rusticæ rei desiderat. Sunt igitur huius sapientiæ duo præcipua præcepta, quæ ad operationem pertinent: de quibus Seruator dixit: Deum tota mente dilige: proximum verò vt teipsum:

Nam in his omnia legis mandata continentur. Qui enim hæc habet, nec aduersus Deum, nec aduersus hominem peccabit. At verò omne animi vitium aduersus Deum, vel hominem est, namque impietas, βλασφημία, legísque, ac ceremoniarum contemptus, & praua de Deo opinio, aduersus Deum sunt: Libido, auaritia, crudelitas, ambitio, inuidia, luxuria, odium, ira, contemptus aliorum, mendacium, adulterium, furtum, mollities, omnia aduersus hominem. Qui igitur nec aduersus hominem, nec Deum peccat, is non peccare videtur. Peccat & qui deses est, & qui iniustus, aduersus hominem. Omnia igitur seruat illæsa, qui hæc duo tantum præcepta illibata seruauerit. Sed & alia tamen duo sunt præcepta ad vitæ institutionem: scilicet vt simplicitate columbas, prudentia serpentes imitemur. At verò de columbarum simplicitate, adeò exemplum est manifestum, vt pro innoxiis à poëta describantur: dum mores temporum carperet: dicente;

Dat veniam Coruis, vexat censura Columbas.

Sed de serpentum prudentia, ratio altius recondita videtur. Ergo serpentes inter animantia prudentissima, rationis tamen expertia, tribus causis existimari debent. Prima quòd pugnaturi mortiferas edant herbas, vt hostem facilius ac certius conficiant. Cum latebras reuertuntur, non recto tramite, sed diuerso redeunt: ne via ex hudo corporis deprehendatur: cum senectam exuerint quasi infirmiores facti, perpetuo latent. Sic nos cautos esse decet, ne iniqua pugna decertemus, aut improuide succumbamus: ne inconsulti deprehendamur: ne imbecilles & inermes quisquam nos opprimat. Sileo quòd vulgatum sit, contra præcantationes aurium alteram terræ affigere, reliquam cauda obtrudere, ne illas exaudire possint: mihi sat semper fuere historiarum absque fabulis exempla. Hæc igitur est summa ratio perfectæ sapientiæ: quæ quamuis nostro in arbitrio minimè sit, vt pleraque tamen alia, quærentibus magna ex parte se offert. Verum tamen non in hominum voluntate, non in exercitatione constat, sed in dono quodam cœlesti: vnde Iob dicit: Sperabam quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam: Sed vt video spiritus est in hominibus, & afflatus omnipotentis est qui largitur intelligentiam. Plura nimis ad hanc confirmandam opinionem adducere possem testimonia, quæ cum circa rem apertissimam sint, superflua forent. Namque quid clarius est, quàm quod dona gratuita sint? diuina autem sapientia donum dei est: si igitur cum omnia fecerimus, merito dicere possumus, serui sumus inutiles, sapientia Dei spontaneum donum Dei erit, nulla arte, vel inuentione paratum. Quod enim sic paratur, non iam Dei donum est, sed aliud sapientiæ genus: naturale scilicet, vel dæmoniacum, aut humanum. Cum ergo Dei dona quæ vltra munus naturæ sunt, rarissima sint, tamen magis quæ nostræ repugnant mortalitati: vnde eam raritatem idem Propheta docet dicens: Nescit homo precium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Quid mirum igitur, multo minus in improbis, aut veri Dei non cultoribus, vix inueniri? verumtamen etiam inueniri potest, quamuis raro, & non diu vnquam: vt in Caipha semel, dum de Christo dixit, quòd oportet vnum hominem mori pro populo, ne tota gens periret. Semel & in Balaam, iuxta gentis excidium suæ. Paucis etiam vicibus, vt in Agabo: & Saul etiam prophetauit, quanquam Deo inuisus foret. Mulieres etiam quas Sibyllas vocabant olim: verumtamen obscurum est hoc, nec omnino certum, vnde proficiscatur: quandoquidem non omnis vera diuinatio, à diuina sapientia oritur. Nam & Arioli, & Astrologi & Pythones, absque diuina sapientia futura prædicunt. Sic & somniorum interpretes, & Physiognomi, ac Medici: atque in vniuersum spontanea, & sine arte diuinatio, cum triplex sit, diuina, dæmoniaca, & quæ à rerum coniectura experientiaque proficiscitur, quam vocant prudentiam; Prudentia verò ad Deum diuinaque non pertingat, dæmoniaca verò de Deo non sit, nec in reliquis ex toto adeò perfecta, rarissima verò in sceleratis, in priuatis autem hominibus si vita flagitiosa adiungatur, nunquam: Propterea enim subiunxerat Euangelista de Caipha, quòd illius anni esset Pontifex: satis facile dignosci poterit, quænam diuinationis pars ad diuinam pertineat sapientiam. Nam non omnis, vt dictum est, diuinæ sapientiæ portio, futura prænoscere facit. Talis igitur ac tam rara existens omni etiam laude digna erit: vnde Hieronymus aduersus Iouinianum: Sapiens nusquam solus esse potest: habet enim secum omnes, qui sunt, quique fuere boni: & animum liberum, & quocunque vult illum transfert. Et quod corpore nequit, cogitatione complectitur: & vbi hominum inopia fuerit, cum Deo loquitur. Ergo sapientis vita ipsa iucundissima est, & nullius indiga: quòd maximum mortalibus pedarium est. Quid enim melius est, quàm ab his esse absolutum necessitatibus, quæ non sint in nostra potestate? eóque solo indigere, qui & nobis sit amicissimus? cuiúsque consuetudo iucundissima, & gloriosissima sit? quíque nec fallere possit, nec cæcutire? hunc igitur solum beatum esse dicam, ac inter mortales immortali iam vita frui, eúmque delicias futuræ sempiternæ vitæ sentire. Quare quantum ac huius vitæ fœlicitatem pertinet, quantum ad modum ac magnitudinem illius, quantum ad causam, ad securitatémve spectat, Hieronymi & Aristotelis sententiæ, de sapientia, ac fine nostro humanæ fœlicitatis, nihil penitus differunt. Ita vt Philosophum religiosissime, Theologum naturaliter maximè de eadem re, eadem etiam scripsisse dicamus. Sed iam paulatim verba grauissimi viri consideremus. Quatuor sunt bona eius qui diuina sapientia præditus est: atque ea omnia, vt vel singularia sint, nec ab vllo alio genere sapientiæ, vel humanæ fœlicitatis haberi queant: aut non tam magna. Siquidem esse cum Deo, & cum illo loqui, hoc proprium, hoc solius eius est, qui diuina sapientia præditus sit. Alterum etiam quod est, omnes secum habere bonos, adeò videtur huius sapientiæ præcipuum donum, vt ferè nullius alterius videatur: nam

reliquos

reliquos omnes bonos, ac sapientes, nusquam tam concordes comperias vt in nullo dissideant. Animum autem liberum habere, ac omnia illo posse complecti, quamuis etiam sapientiæ naturali communia sint: attamen non æqualiter in vtrisque sunt. Nam sapientiæ diuinæ munus adeò amplum est, vt non solum omnia hæc humana optare non faciat, sed spernere cogat. Vnde Paulus etiam cupit dissolui, & cum Christo esse, nec solus ipse, sed plures non morti tantum, sed & tormentis sponte se obiiciebant. Quòd si vnus philosophus pro miraculo, quod tamen in dubio est, laudi ne an vituperationi dati debeat, omnia sua bona abiecisse memoratur, Quotnam videbis, qui amore Christi reges, principes, diuites? quod etiam nunc in dies qui relictis omnibus, tum etiam amicis, parentibus, liberis, affinibusque, solitariæ & mendicæ vitæ se mancipant? equidem cum hæc specto, haud dubiè id pronunciare ausim, & animi libertatem ipsam aut solios esse diuinæ sapientiæ præmium, vel maximum saltem. At cognitio rerum eandem subit rationem: cum humana omnis obscura, turbida, anceps, inperfecta, laboriosa, curiosa, erroris etiam plerumque sit plena. At contra diuina illa clara, nitida, firma, perfecta, dulcis, defæcata, voluntariáque est. Quamobrem vnus qui olim sapiens Salomon, in Prouerbiis dicit, tamquam ad plebeios viros sermonem habens: Melior est sapientia cunctis operibus pretiosissimis. Nec vlla est tam grata hominibus res quæ illi possit coæquari: nam eius est consilium, æquitas, prudentia, fortitudo. Ea freti legum conditores iusta decreuerunt: reges tuto regnant. Hac ipsa diuitiæ, potentia, & gloria, comparantur. Nec fructus illius argento splendido, non auro, non gemmis coæquari potest. Quinam ergo merito magis eam laudabit quàm is qui expertus est? aut cuinam magis credemus quàm illi qui eam à Deo fit consecutus Auctoritate rex maximus, experientia prudentissimus, magistro Deo, doctrina nulli comparandus, vita fœlici, diuturna, populo saluberrima: nam nec ante Salomonem, neque post, Hebræorum populus vel tamdiu in pace, vel tam tute, vel tam opulentus, aut adeo multitudine auctus fuit. Ergo sapientiæ diuinæ, quamuis etiam exiguæ, tot munera suis seculis, & ad hanc vsque ætatem in Salomone splendent. Huius igitur vnum caput vt dictum est in quo omnes consentiunt Philosophi, Theologique, Dei cognitio erit. Vnde etiam Lactantius, Omnis sapientia hominis, in hoc vno est, vt Deum cognoscat & colat. Alibi etiam illud subiungitur in sacra pagina, neminem Deum diligere posse, nisi sapientem. Proptium igitur sapientis, quod omni, quod soli, atque semper conueniat, est Dei cognitio, cultusque ac amor. Propterea enim in hominibus perpetua non potest esse sapiétia: sed vt Aristoteles dicit, μικρὸν χρόνον ἡμῖν, paruo nobis tempore, vtinam ergo diu. Itaque nil mirum quod à propheta scriptum est: Quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis, Quomodo enim qui Deum diligit, legem illius negligere potest? aut qui legem custodiet peccare? aut quomodo Deum illum non diligemus? igitur si quis Deum diligit, vt sacræ literæ docent, mandata illius seruat: & ad illum Deus veniet, cum eoque manebit.

Nihil autem est vt Deus veniat ad sapientem, cum vbique sit, nisi vt illi se manifestum reddat. Ergo summa hominis fœlicitas, summa securitas est diuina sapientia. At diuina sapientia erit Deum cognoscere, diligeréque. Incognita enim diligere vere non possumus, vt rectè dicebat Augustinus. Dei dilectionem sequitur legis etiam diuinæ custodia: quamobrem sapientiæ diuinæ fructus, causa, & signum, ex his manifesta sunt. Siquidem causa est Dei cognitio, dilectioque, ac cum illo vt ita dicamus collocutio. Signum autem vt legis diuinæ mandata seruet, humanáque omnia spernat, quæ ad diuina cum comparantur, sordida sunt: opes, amici, filij, parentes, affines, potentia, gloria, cæteráque huiusmodi. Fructus est diuturna, secura, ac summa fœlicitas, quæ homini in hac vita possit contingere. Frustra ferè fore existimem, Platonem in hanc sententiam deducere, qui sit religiosissimus: sed tamen non tam ad huius rei confirmationem erit necessarius, quàm turpe mihi eum in propria causa deserere: Inquit enim in Epinomide, μεῖζον γὰρ ἀρετῆς, μηδεὶς ἡμᾶς πώποτε πείσῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει: maiorem quidem virtutem nemo mihi persuadebit humano inesse generi, erga Deum pietate. Ecce summam in hoc sapientiam collocatam, sed audi sapientem solum fœlicem fore in Alcibiade. ΣΩ. οὐκ ἄρα οἷόν τε, ἐὰν μή τις σώφρων καὶ ἀγαθὸς ᾖ, εὐδαίμονα εἶναι. ΑΛ. οὐχ οἷόν τε. ΣΩ. οἱ ἄρα κακοὶ τῶν ἀνθρώπων ἄθλιοι. ΑΛ. σφόδρα γε. ΣΩ. οὐκ ἄρα ὁ δ' πλουτήσας, ἀθλιότητος ἀπαλλάττεται, ἀλλ' ὁ σωφρονήσας. Quasi dicat non igitur nisi sapiens sit atque bonus beatus esse potest: atque ideò mali etiam miseri. Quare non diuitiæ, sed sapientia, hominis infœlicitatem abigere poterunt. Tamdiu ne in hac causa verba aut laborem hunc protuleto, quasi non manifestius Solis lumine sit, omnem beatam vitam in probitate, & Dei sapientia, omnem miseriam in ignorantia Dei, in flagitióque esse constitutam. Essetque res ipsa clarissima, si vel boni ipsi liberi essent, vel malis dominarentur: verum cum plerumque accidat, vt mali bonis imperent, id non tam aperte vulgo patet: pluresque ex humano fastu fœlicitatem æstimant, quàm ex propria fœlicitatis natura: ex sapientum auctoritate: vel etiam ex ipsa ratione. Nempe cum tria sint quibus omnia probentur, ratio, auctoritas, experientia; Sapientibus ratio magis satisfacit; Populo auctoritas, media inter vtrosque, atque inter vtraque experientia erit. Quæ tamen si recta sit, apud omnes omnibus potior est. Cum itaque experientia plures diuitias, ac cætera bona, quàm sapientiam diuinam, quàm probitatem, quàm legum custodiam sequi videantur: ideirco fit, vt non in sapientia diuina, sed in opibus, ac potentia, sitam beatitudinem putent. Verum id licet, quandoquidem paucioribus diuina sapientia concedatur, quàm reliqua omnia bona etiam pariter sumpta: at verò quantum populus auctoritati tribuat belle Virgilius docet dicens:

At

Ac veluti magno in populo, cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus:
Iámque faces, & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Non ratio, non periculum coercere potest vulgi impetum, sed auctoritas. atque vt video par est, vt quem putant natura excellentiorem, se illi magis quàm sibi concredant: Cum igitur reges, ac principes, potentésque his studere, non sapientiæ videant: potiores sapientia ducunt diuitias, atque cætera mortalia bona: sed quid si etiam Solem, non palmo maiorem, vt etiam Epicurus, existimant? Ideóne fit vt Sol ipse, non centies sexagies sexies ac partе etiam insuper, terram totam ac aquam contineat? Et si terra quæ sub pedibus sit plana videatur, an ideò ad libellam aquæ diducenda erit: quin ex centesima altitudo computetur, quod rotunda sit? Ergo in omnibus quæ diligenter scite, ac diiudicare volumus, non aliunde magis, quàm ex ratione ratio expetenda erit: & ex celebratis auctoribus, auctoritas: & ex sapientum periculo, omnis experientia. Porrò si sic iudicaueris, iam existimo abunde liquere omnibus testimoniis, sapientiam diuinam non solùm cæteris bonis mortalium præferendam, verum etiam incomparabilem beatitudinem in se comprehendere. Vnde sapiens ille in sacra pagina, non male encomiis eam extollit dicens: Sapientiæ splendor Solis lumine maior, gratior stellarum pulchritudine, ipsamet luce iucundior: cum qua omnia bona homini aduenire solent: salute carior, atque ipsa forma formosior. Et quantum valuit clypeo Virgilius imitatus quem Vulcanus Æneæ sapientiæ dono largitur, dum dixit:

Septenosque orbibus orbes impediunt.

Quasi omni sapientiæ diuinæ numero absoluto, eandem imò maiorem in clypeo Achillis Homerus expressit. Nihil enim est quod magis nos tueatur sapientia diuina. In Palladia etiam scuto eandem sapientiæ normam, sed exactissime obseruauit dicens:

Ægidáque horrificã, turbatæ Palladis arma:
Certatim squamis serpentem, auróque polibant.
Connexósque angueis, ipsamque in pectora diua
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Sed quorsum tot ambagibus Cumeæ consilia expetuntur, tum Anchisæ colloquia apud inferos? cum Æneam Venus mater diuina mente, frequentibúsque ac necessariis consiliis muniret? nisi vt illum ostenderet, quem summis laudibus esset celebraturus: quique maximas victorias esset consecuturus: qui Romano imperio initium, Cæsaribus originem daturus esset: omni sapientiæ diuinæ genere abundasse. Neque vt dictum est illius vnum tantum genus est, quæ vt melius explicaret, poëtico more fingit non ab vna causa sed à pluribus ortum habuisse. Sed hæc relinquamus, simul & illam quæstionem prætetire decet: cur bonis mali dominentur: In libris enim de Arcanis æternitatis abunde ostensum est hoc: non tamquam frequentissimum, sed aliquando etiam vt necessarium. Verumtamen hæc quamuis etiam ita forent: si tamen diuina sapientia arte aliqua, vel humana industria haberi posset, plures illam quàm opes, aut potentiam sequeretur: sed vna raritatis causa est habendi difficultas, & rursus difficultatem desperatio parit. Vnum verò ac maximum huius sapientiæ caput, est multa esse imò plura, quæ nullo alio sapientiæ genere haberi possint nisi diuino, atque ex his aliquo ex genere toto: quale hoc est. Lex admittit filium ad hæreditatem ad vndecimum vsque mensem: Hippocrates negat vltra decimum mulierem ferre: nascitur ex vxore non omnino illibatæ famæ filius post decimum mensem quam illam eius vir attigisset: Quæritur an illum relinquere aliis debeat cohærendem? simile huic: ex pudicissima vxore defectis arteriis illis quæ post aures sunt ægritudinis causa viro: post biennium nascitur filius: Hippocrates negat eum cui sic incisæ fuerint venæ pulsatiles, generare posse. Merito igitur quærat quis, an vxorem repudiare debeat? ergo propter id cur Ioseph non dimiserit virginem docet Euangelista: monitum dicens virum ab Angelo, quòd qui in vtero gestaretur, ex Spiritu sancto est. Non enim ignorauit, quòd res hæc sapientia diuina indigeret. Quale etiam illud Libanij, cum lex esset quæ pœnam indiceret ante trigesimum annum apud Lacedæmonios peroranti: Atheniensibus Misenum liberant, à Lacedæmoniis per legatos dimitti postulantibus: contradixit Archidamus, annos nondum natus triginta publicè legatis. Persuasit populum de bello. Inde vincentibus Lacedæmoniis Archidamus violatæ legis accusatur. Simile illud: Rex suspectos quosdam ciues habens, nec tamen cum indice certo, adnentante bello an in exilium iniuste illos mittet? an cum discrimine tot innoxiorum retinebit, si ipse optimus extiterit? Sic & illud quamuis & lege indicatum, & populi fauore absolutum: cum Horatius ille sororem mœrentem ob viri patriæ hostis, in cuiusque salute reipublicæ salus posita esset, occidit. Et cum pater adolescentulum filium iugulauit è muro, quod illius forma pellectus tyrannus, cum concedere ciues illum ei noluissent, vrbem obsideret: Inde morte adolescentuli soluta obsidione pater parricidii accusatur. In iudiciis lex plurima suffragia vincere iubebat, septem constitutis iudicibus, duo reum morte, duo honoris priuatione, tres exilio ad tempus condemnarunt: reus vult exilium. Talia cum innumerabilia sint, qualia etiam, sed crassiore Mineruа Quintiliano ascribuntur, commemorare minime decet: in quibus sapientia diuina indigeremus. Ergo & in naturalibus, similia erunt fine. Quis enim nos docebit, quonam pacto cœli reuoluantur? Cur ad Boream Magnes lapis ferrum superimpositum dirigat? cur Luna maculam semper ex eadem parte retineat? cur raro admodum vel nunquam laurum fulgur feriat? quis quadrato circulum dabit coæqualem? cur duo cubi numeri vnum cubum numerum efficere non possint? cur tot animalia manca, si ipse prudentissimus omnium opifex est?

DE

DE SAPIENTIA
LIBER II.


Rgo nimirum est ô Sfondrate optime veram Aristotelis illam fuisse seotentiam: Maximam partem eorum quæ scimus, minimam esse illorum quæ ignoramus: Si de cunctis rebus, atque manifestissimis, adeò pauca atque etiam imperfecta cngnoscimus. Atque ideò si vel arte aliqua, vel studio, diuina sapieotia nobis adueniret, superflua certe omnis alterius sapiētiæ tractatio foret: Verum cum adeò pusilla, atque exigua, vt ne vestigium quidem humano generi concessum esse videatur: illlaque quantulacunque sit, nulla industria nullâve solicitudine nobis pateat: cogimur non solum de aliis abunde, verum de ipsa parce admodum scribere. Est enim prorsus audacis imò temerarij consilij, velle alios docere quæ nescias, & ea scribere quæ igoores. Quamobrem ob hanc causam non solum, verum etiam quia quæ scriberem cum difficillimum esset intelligere, longè tamen difficilius esset scribere quæ sentirem, diuinæ sapientiæ historia breuissima euasit. Nanque quod ad subiectam rem pertinet, cum omnia quæ ab aliis tribus continentur latè ipsa amplexa sit: si vel eius portio aliqua digna nobis nota foret: vel tam exiguæ partis adipiscendæ ratio aliqua pateret: sanè multò maiorem diligentiam in illa, multóque minorem in reliquis explicandis laborem impendissemus. Verum cum vel ob nostram inertiam, aut prauitatem, vel naturæ humanitatem neutrum horum concessum nobis sit, cogimur quanquàm rem arduam ac multis modis implexam, totis viribus summáque industria pertractare. Atque vt altius parum repetam, cum omnium eorum quibus nulla medicina adhiberi potest malorum, vna sit ratio sapienriæ consolatio: de qua aliàs in tribus libris disseruimus, reliquum est vt hic vel de malis quæ tolli aliqua arte possunt, vel de bonis parandis aut retinendis sermo ipse instituatur. Etenim non solum in morbis, verum etiam in malis cunctis si prorsus abolendi nulla ratio sit, vltra id quòd conando operam luseris, deteriorem paries seu aoimi seu corporis seu fortunæ conditionem. Ergo in omnibus bonis habendis aut etiam retinendis, malisve arcendis, illud primum scire, expedit, an quod quæris vlla ratione possit impetrari: quòd si oon: ad consolandum teipsum conuertes, seu ratione seu transmutatione seu obliuione illud commodius euadat. Sed si impetrandi spes adsit, quonam pacto id celerius id tutius id melius efficere possis: nam hæc tria in omnibus expendere oportet, considerandum. Quare vt ab initio quodam sumamus exordium, diximus sapientiam esse rationem quandam ad assequendum propositum conuenientem. Aristoteles non sub alio ferè sensu eam diffinit dicens: *τὴν δ' σοφίαν ἐν τοῖς τέχναις τοῖς ἀκειβεστάτοις τὰς τέχνας ἀποδίδομεν.* Quasi dicat: sapientiam in artibus esse quandam excellentem rationem illarum, vt si Phidiam statuarium, Apellem pictorem sapientem appellemus: vtrique enim eorum in sua arte nihil defuit quo ab omnibus earum artium studiosis non probarentur. Aliud etiam est sapientiæ genus per se, quod nullam habet propriam subiectam contemplationem, velut Homerus cum de Margite loquitur dicens:

τὸν δ' οὔτ' ἄρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ' ἀροτῆρα,
οὔτ' ἄλλως τι σοφόν,

Hunc autem dij neque fossorem, neq; aratorē
Fecerunt, neque aliàs quicquàm sapiens.

Has ambas vno sapientiæ nomine hic comprehendi volumus: nam omnis præclara cognitio seu boni seu mali, seu vt diximus in mente seu oratiooe seu in operatione sit, sapientiæ apud nos vt etiam antiquo tempore nomen habet. Multa verò vt diximus cum sint quæ transmutari nequeāt, vt senectus & corporis mutilatio, postquam acciderint, sapiētis erit cognoscere primum in his quibus cura adhibenda esset, an adhibita ex toto malum auertere vel saltem lenire queat: quod qua ratione fiat infra dicemus. Nunc autem ipsa sapientiæ ratio imò vniuersa cognitio humana prius erit distinguenda. Nam animi virtutes vt Aristoteli placet, quinque facultatibus subseruiunt, arti, prudentiæ, scieotiæ, intelligentiæ ac sapientiæ. Verum & his necessaria est memoria etiam præteritorū, ac cognitio præsentium, cum historiæ scientia: nam hæc omnia sub scientia exquisita harum comprehenduntur: necessaria est etiam experientia, cooiectura, iudicium: quæ & si prudentiæ partes videantur, multū tamen ab illa differunt. Quin etiam nauitas his adiungenda erit: qua non solum sapientia sed & reliquæ virtutes ad opus ipsum deducuntur: vt merito, & si ficto vocabulo declarata res est, ornamentum sapientiæ dici posset: si tamen illius pars & præcipua non esset. Namque quis sapiens dici iure poterit, qui sapientia quamuis ingenti præditus, illam contemnat & per socordiam negligat? Sunt & aliæ vocatæ vires animi ac virtutes, quæ non ad sapientiam pertinent, sic vt sub ea contineantur, velut Fortitudo, Liberalitas, Iustitia, pluresque aliæ eiusmodi. Verum ex his quæ sub sapientia continentur Prudentia est, semper vtilis atque omnibus necessaria, atque extra ipsam fortitudinis pars illa quæ necessaria æquo animo ferre docet, non quæ ad voluntaria discrimina hominem impellit alacriter. Nam hæc non semper forsan vtilis & non ab omnibus ex æquo probatur. His igitur relictis superest vt de sapientiæ partibus dicamus. Tum maxime his quæ vel animum ornare, vel corpori prodesse, aut fortunam in melius mutare possunt. Erit autem vt diximus vna sapientiæ ratio, vt diu ac bene viuas. Igitur de diuturna vita primo dicendum erit: at equidem multiplicem esse hanc etiam antea ostensum est, animæ siquidem, corporis, ac totius quæ vera est vita. Tum etiam in imagine gloriæ vel reliquorum monimentorum. At de animæ vita, quæ in nostra non est facultate, sed aut nullius certe sapientiæ, aut solius diuinæ, iam sermonem habuimus, alias etiam nō in hoc libro dicturi: quamobrem de vera vita dicendum erit. Hæc tribus modis longior euadit, scilicet temporibus diuturnitate, libertate & vsu. Fit vita longior tempore producto si omnia

nia moderata sint, vnde ex Hippocrate Galenus hoc carmen citat :

Σιτία, ποτά, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. idest.

Cibi, potus, somni, Venus, omnia cum modo.

Tu tamen cum his & exercitationis mediocritatem adnumerabis. Sed & circa somnum si paulo sit copiosior, vita etiam erit diuturnior ac salubrior. In studiosis tantum existimat Aristoteles longitudinem vitæ prouenire. In animantibus, vel ob magnitudinem, vel ob paucitatem superfluitatum, vel ob humoris natiui abundantiam. Ergo si cui bene viuere concessum est, vt diu viuat solum solicitus esse debet: ad id igitur confert, vt temperatas habitet regiones, atque iuxta mare: nam quod est humidi natiui, minus consumitur in humidiore cœlo, nec facile obsalsedinem corrumpitur. Indicio autem est, humidiora animalia diutius viuere, quòd viuacitate si Aristoteli credimus homo soli cedat elephanto, hic autem ob eximiam magnitudinem, præterquàm quod plurimo abundat humido, viuacissimus omnium animalium est. At verò humidum resoluunt omnia immoderata: tum maxime quæ vel calefaciunt, vt exercitium, vel exiccant, vt vigiliæ, vel humidum educunt vt Venus: vel plura ex his faciunt, velut morbi. Superfluam excretionem prohibent quæcunque vel alimenta concoquere faciunt, vel quantitatem illorum pro natura metiuntur, tum illorum electio. Ob hoc igitur formica viuit diu, cum animal sit adeò paruum atque siccum, quòd excrementa fermè nulla emittat. Porrò quæ plurimum vitam decurtant, morbi sunt atque curæ, extremáque infortunia: Sed de morbis in quibus vitæ libertas inest seorsum dicendum puto. Fiunt autem hi omnibus his fermè causis quæ etiam vitæ aduersantur: at verò curæ etiam cum libertatem vitæ tollant, morbis adnumerari possunt, seu quòd ipsa cura morbus sit, vt bene poëta inquit :

Cum sic vnanimem alloquitur male sana sororem. tum ibi.
His medium dictis sermonem abrumpit, & auras
Ægra fugit.

Sed & Euripides Orestem æstu mentis laborantem ægrum appellat, vt ibi :

ὅταν μὲν σῶμα κουφισθῇ νόσου, ἔμφρων δακρύει.

Quando quidem corpus morbo leuatum fuerit, compos mentis illachrimatur.

Sed hæc clariora sint quàm vt probatione indigeant. Porrò quòd non solum morbi curæ sint, verum & morborum causæ, audi Galenũ: *ἐν τῷ περὶ τοῦ διὰ μικρᾶς σφαίρας γυμνασίου.* (. i. *In libro de parua sphæra exercitio*) dicentem : *τοσοῦτον γὰρ ἐν αὐτῷ δύναται ψυχῆς κινήσεις, ὥστε πολλοὶ μὲν ἀπηλλάγησαν νοσημάτων, ἡσθέντες μόνον, πολλοὶ δ' ἑάλωσαν ἀνιαθέντες. οὐκ ἔτι δ' οὖν ἰσχυρότερον τῶν κατὰ τὸ σῶμα παθημάτων εἰς ὑγείαν τῶν περὶ τὴν ψυχήν.* Quasi dicat. Hoc enim potest animæ motus, vt multi morbos ob lætitiam euaserint, multi etiam præ tristitia ægrotauerint. Neque enim vlla ex parte ad immutandam hominis valetudinem fortior est, quantumuis magna corporis agitatio, animi affectu. Ergo si ita sit, multis nempe modis nos animi morbi afficient, iisdemque etiam vitæ tempus decurtabunt. Primo quòd tempus illud quo his laboramus vitæ non adnumerandum est, vt enim poëta inquit :

Non est viuere, sed valere vita.

Tum verò quòd exiccando corpus vitæ tempus minuunt, Tum etiam quòd morbos pariunt, quibus & vita ipsa minuitur, & quantum illi sibi vendicant vitæ spacio perit. Verum non omnes animi æstus idem possunt. Sed omnium deterrimus mœror est, nam & amor irritus & timor tristitiæ partes sunt. Vnde etiam illud sapientis, Spiritus tristis desiccat ossa, tum alibi multos fatetur tristitia necare, quamobrem & illud celebratur: *οὐκ ἔστι λύπης χεῖρον ἀνθρώποις κακόν* (. i. *Non est peius malum hominibus tristitia*) eius enim est potissimum parere morbos atque difficiles & insanabiles iuxta Menandrum :

λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσι νόσους. i.

Tristitia enim hominibus pariunt morbos.

Quamobrem cum omnes immoderati affectus animi, diuturnitati vitæ obsint, tristitia tamen & quæ ad eam pertinent, nimio plus cæteris lædunt: nam ad tristitiam zelotypia, timor, suspitio, ac cætera huiusmodi pertinere videntur. Sed tristitiæ tamen nihil est vicinius timore: is enim omnem etiam executit sapientiæ opinionem, vt nec bene viuere sinat, nec diu, nec permittat quenquam existimari sapientem. Quis iure Artemonem dicat stultum non fuisse? qui cum præ timore domi contineretur, etiam clypeum æneum à duobus seruis capiti super assistentem contineri iubebat, & si exire cogeretur, lectica contecta prodibat. Multa enim cum sint quæ prohibeant sapientem aliquem esse, nihil tamen metu magis si excesserit limites. Nam temerarium, & inuidum, & amantem, licet ad sanam quandoque mentem reuocare, timidum ne Dij ipsi quidem sanæ menti restituent. propterea opposite fingitur à Plauto adolescens dicere :

——Neque viuos, neque mortuus
Sum, nec quid nunc faciam, neque vt hinc abeam, neque vt
Ad hanc adeam scio. timore torpeo.

Nec minus prudenter Euripides fingit seruum in Oreste metu perturbatum, narrare choro quæ intus gesta sunt absque ordine, vocesque easdem bis repetentem. Nam vt rectè Lactantius dixit, Vbi timor adest, sapiẽtia adesse nequit. Igitur manifestum est aliquos natura sapientiæ non aptos esse, velut valde timidos ac rudes, tum etiam iracundos donec deferbuerint. Quamobrem id iam patere arbitror, quod superius quæsitum iure fuerat, scilicet, an ad sapientiam plus natura an disciplina vel exercitatio conferat: namque cum natura per se aliquid sine aliis valeat ad sapiẽtiam, & cum altero illorum perfectum quasi sapientiæ cumulum conficere possit, reliqua nec simul iuncta sine naturæ auxilio, parum, per se autem nihil efficere possint. Naturam satis constat disciplinæ & exercitationi longe præstare: etenim videmus animalia ipsa circa vnam causam adeò solertia, vt à prudentissimo viro vix vincantur: at quod animalium genus, in paucis vnumquodq; à natura habet, hoc fermè in cunctis assequitur vir natura prudens. Quamobrem manifestum est, naturã in sapientia cæteris omnibus præpollere. At

verò

vero disciplina ne an exercitatio melior? In pluribus disciplina præstat, quandoquidem plura per disciplinam breui tempore quàm per exercitationem agnosci possunt: at verò in vna re sola plus experientiæ tribuendum est quàm disciplinæ: nam tutius operamur audentiusque experti, quàm ab alio, quantumvis longo instructi tempore, & difficilius à proposito in periculis aut verecundia deiiciuntur: habetque omnis experientia secum coniunctam aliquam disciplinæ rationem, non omnis disciplina experientiam. Illud etiam ad rem pertinere nunc videtur, quòd ad timoris molestiam demonstrandam, non historia sed fictarum personarum moribus vsi sumus: nam plus in confirmando historia habeat auctoritatis quàm persona quæ à poëta fingitur. Existimo equidem eum qui fingit, non illorum de quibus fingitur causa sed propria auctoritate causæ fauere. Historia verò non ab auctore scribente, sed à persona de qua narratur pondus habet. Igitur si qui fingit poëta, nobilior est ac prudentior persona illa, quæ actione sua apud historicum rem confirmauit, erit sanè maior fingenti quàm narrationi auctoritas, Tum maximè si & prudens vir ac nobilis à poëta introducatur. Sin autem prudentia par sit, is de quo apud historicum mentio habita est poëtæ, aut plures de eadem re testes adducantur, fieri non potest quin historia inuentioni comicæ aut tragicæ vel heroicæ non sit præponenda. Non solum quòd vera fictis firmiora sint, sed quòd is qui in præsenti periculo affectuque versatur plura sentiat. Quorum omnium poëta qui fingit tunc expers est. Neque igitur imago ipsa re maiorem fidem apud homines consequi debet. Sed iam nimis vt video à proposito diuerteramus, siquidem hoc nunc demonstrandum erat, libera quæ non esset, vitam non vitæ adnumerandam. At vita non libera est, cum vel animus æstu laborat, vel corpus morbo, vel totus ipse homo velut in carcere & relegatione apud insulas inhospitas impeditus detinetur. Porro de animi affectibus immoderatis potentioribusque iam dictum est: nam de reliquis cum non solum diuturnam, sed & fœlicem impediant, suo loco dicetur. At de morbis etiam finem faciemus, si prius id adiecerimus, multum conferre non solum ad vitæ diuturnitatem, sed etiam ad coercendos morbos ac mentis integritatem, victus simplicitatem. Vnde Horatius vir in omni sapientiæ genere admirandus dicebat:

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaque secum
Afferat: in primis valeas bene: nam varia res
Vt noceant homini credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit: at simul assis:
Miscueris elixa: simul conchilia turdis,
Dulcia se in bilem vertent: stomachoque tumultum
Lenta feret pituita: vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægrauat vna:
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.
Alter vbi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam:
Siue diem festum rediens adduxerit annus:
Seu recreare volet tenuatum corpus vbique
Accedent anni: & tractari mollius ætas
Imbecilla volet. tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer & validus præsumis mollitiem? seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus.

At verò non omnis vsus simplex probandus: sed inculpabilium. tria verò sunt, quæ maxime ad vitæ longitudinem, & seruandam valetudinem facere videntur: mel, lac, oleum. Existimare dixit Auerroës, nisi omnes homines mortis legi destinati essent, posse eum qui oleo semper vtatur nunquam senescere, aut mori: quòd par videatur olei alimentum humido quod ex nobis in dies consumitur. Galenus autem mel omnibus præponit: duosque qui ad longissimam vitam peruenerunt, enarrat melle ab incipiente senecta perpetuo vsos. Quare mirum minus Pollionem Romulum Augusto sciscitanti, quonam pacto validus adhuc secundum seculum ageret? respondisse: se quidem intus melle, extra oleo vsum fuisse. Lactis autem vtilitatem Hesiodi illa sententia comprobat:

Ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ἐτρέφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος, ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Sed centum quidem annos puer apud sedulam matrem educabatur, adolescens in sua domo admodum infans.

Et quamvis in aliam hoc posset verti sententiam, nihilominus illud satis constat, diuturnam lactationem longæuæ vitæ causam esse. Lactis verò vsum pluribus à quorum natura minime abhorreat, vitam producere, incolumemque præstare valetudinem: indicio autem est pastorum vita. Atque in vniuersum, qui vitam producere, & valetudinem seruare cupit, cibum minorem somno, & potum cibo, & labores viribus faciat. Tum verò quædam sunt viribus ignis depurata, quę in vitæ vsum plurimum conducunt. Et quamvis omnia hæc iuuenes parui faciamus, sero tamen pœnitentia ducti in vanum conquerimur. At quæ exterius prohibent libertatem, vel à stultitia, vel ab inuidia, vel à scelere aut fortuna proueniunt. Inuidia Aristides, scelere Tarquinius Superbus, fortuna Milo, stultitia Phocio. Ergo scelus ac stultitiam vitare licet sapienti: Inuidiam etiam quonam pacto quis declinare debeat ostendemus. Reliquum est igitur, vt de fortuna ipsa dicamus. Ergo in exilio minor iactura quàm in carcere, atque in exilio cum liber es,

ſic autem te geras vt imiteris peregrinationem. Nam qui ſic ſe geſſerit, peregrinari potius quàm exulare videbitur. Nuſquam terra non viret æſtate: nuſquam non candidi fulgēt ſoles: nuſquam vel venari vel piſcari non licet: vbique etiam aucupari & rimari naturæ ſecreta, quæ tam vndique patent, vt omnibus & omni ætate & quacunque in regione noua inuenire liceat: atque vt in vniuerſum dicam, ſi quicquam egeris inſigne, etiam liberum te eſſe neceſſe eſt. Porrò Philiſtus Syracuſanus cum à Dionyſio in exiliom actus eſſet, maiorem hiſtoriæ partem abſoluit, qua Siculorum geſtas comprehendit. Oribaſius verò Medicus, qui LXXII. libris medicinam amplexus eſt: & ipſe à Iuliani imperatoris morte in exilium actus partem librorum in eo confeciſſe creditur: parum Ætio Amideno Sardianus hic inferior, vt Thucydidæ Philiſtus. Ergo nulli exilium gnauo viro nocebit ad gerendas egregias res, nam omnes fermè & imperatores & artifices egregij magnum, imò maius extra, quàm in patria nomen conſecuti. Quid defuit Hieronymo in vrbibus, cum tamen deſerta & auia Syriæ loca quærens, tot linguis operam dedit, tam locupleti ſcientia latine ſcripſit multa, tot interpretatus eſt? Et ſi nihil aliud ſe offerat, Menam Samnitem imiteris, qui in ſolitudine examen apum curans, non libertatem tantum, verum & regnum exercebat. Sed ſi deterior conditio carcerem tibi offerat, adhuc & in illo animi libertas manet. Neque enim cum corpore ſepeliendus homo eſt: ſed iam ſapientiæ terminos prætergreſſi videmur. Quanquàm enim multi etiam in carceribus noua excogitauerint: ſapientiæque ſtudio vacauerint: plures tamen conſolatione potius quam ſtudio indigent. Ergo ſapienti cauendum eſt, ne carcerem ingrediatur. Nam poſtquam in illorum dæmonum manus incideris, parum aut nihil proderit ſapientia. Quòd ſi modo quenquam iuuet: fortunæ magis debere ſe credat quàm prudentiæ. Quare libertatem ac diuturnitatem vitæ his rationibus conſequemur, vſum verò non minimam longitudinis vitæ partem eſſe diximus. Quippe ſi quis hodie naſcatur centum annis dormiturus, velut de Endimione fabulatur antiquitas, ac demum exceſſeris è vita: nónne idem erit ac ſi craſtino moriatur? Ergo vitæ ſumma lōgitudo eſt, quàm plurima egiſſe magna, glorioſa, ſplendidaque facinora: & quæ æternis monumentis hiſtoriæ mandentur: quamobrem in hanc ſententiam rectè Pindarus dixit:

---Θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα,
Τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ
Καθήμενος ἕψοι μάταν, ἁπάντων
Καλῶν ἄμμορος;
Mori autem quibus neceſſe
Quid aliquis ignobilem ſenectutem, in obſcuro ſedens trahat,
Fruſtra, omnium bonorum expers?

Et Virgilius clarius etiam cum dixit:

Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vita: ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Propterea bene ille dixit, ſe ſatis vixiſſe ſi ad gloriam reſpiceret. Ergo ſumma ope niti decet, ne vitam veluti pecora ſilentio tranſigamus, non ſolum ob nominis noſtri poſt obitum gloriam: quippe & illud ſupereſt, & non cunctis in promptu, atque etiam dubitabile eſt. Sed ob ſolam ipſam virtutem virtutiſque iucundiſſimum fructum, cui Ariſtoteles hymnum hunc deſcripſit, omni æuo dignum: quem ex vita eius ſumptum hic addidimus. Virtus laborioſa mortalium generi, pulcherrimum humanæ vitæ incitamentum: cuius pro forma, expetenda eſt etiam apud Græcos mortis conditio, & grauium aſſiduorumque laborum tolerentia. Talem nimirum infectis hominum animis fructum immortalem, auro præſtantiorem, parentibuſque ipſis, ac dulci ſomno ſuauiorem. Nam tui amore filij Ledæ, & Hercules Iouis, multa perpeſſi ſunt: qui tamen quantum poſſent opere oſtenderunt. Quin & tui deſiderio Achilles, & Aiax, ad infernas domos deſcenderunt: tuæque formæ gratia Atarneæ ciuis iucundo Solis lumine ſe priuauit. Quem & ſi rebus geſtis elatum atque inclytum ſatis, huius tamen cauſa immortalibus Muſis meis, quæ decus hoſpitalis Iouis augere ſolent, auctoritatem reddam. Hæc ille cum adeò elegantet de virtute memoriæ mandauerit, cur nam eſt vt iam ampliùs te ad virtutem horter? ſi incitare non poteſt tantus Philoſophus? aut quid de ipſa generoſius in eius laudem excogitabo? Quamobrem quid agis perperam ô homo breuis vitæ Dæmon? vt hanc quantulamcunque lucem hunc temporis theſaurum ludis, ocio, crapula, inutilibuſque ſermonibus ac ebrietate teras? quaſi inutilem & iniucundam ſupellectilem. Cum nihil càrius, nihil adeò breue, nullius tanta inopia, nullius iactura irreparabilior ſit. Conſideta quæ præterierunt, & ex his præſentia, ac futura diſpone. Neminem inuenies, tam vilem aut impurum vel ſordidum ſine deſidem, qui anteactam vitam nolit potius virtutibus & inclytis factis conſumpſiſſe, quàm otio. Igitur quod doles non feciſſe, cum fruſtra doles, fac vt non permittas amplius dolere, cum non fruſtra de futuris pœnitere liceat. Hæc ſit ſumma ratio ſtudij humani, vt egregiis factis vitam illuſtret: & viuere ſe intelligat. Illud etenim curandum, vt cum diuini numinis participes ſimus, diuinitate aliquid inſigne dignomque efficiamus. Verum cum non ſemper laboribus liceat incumbere, otium verò inutile ſit, media quædam vtriuſque ratio eſt excogitanda. Qualis Muſicæ, certaminumque ac colloquij, tum picturæ, fingendi, eorumque ludorum, qui ſola mentis aut corporis virtute exercentur: velut latrunculorum & pilæ. Ergo nulla temporis iactura ineunda eſt. Sed vt Plinius dicebat nepoti, dum ambularent, poteras has horas non perdere, ſumma temporis cura habenda eſt. Propterea etiam aduerſus vinolentos declamans dixit, interea vt optime cadat, Solem orientem non vident ac eò minus viuunt. Quamobrem tantam Seopeliano huius detrimenti ſolicitudinem fuiſſe ferunt, vt totas noctes plerunque ſtudiis intendens inſomnes duceret, ſoleretque dicere: ὦ νὺξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον μετέχεις σοφίας μέρος θεῶν. O nox tu quidē diuinæ ſapientiæ plurimam partem nobis occupas

cupas. Atque in eandem sententiam grauissimos Philosophos etiam fuisse video: nam & Zeno Citticus dicere solitus erat, nullam esse nobis rem tenuiorem, ac cuius minor sit copia, quàm temporis,& Theophrastus ipse in ore semper habuit, Nullum esse sumptum temporis dispendio preciosiorem. Sed neque hoc eruditorum solum erit:verum & artificum ac reliquorum, vnde etiam illud in prouerbium Apellis emanauit: Nulla dies sine linea, quasi diceret: non esse intermittendum vnquàm studium,ne vel per diem vnam in vniuersa vita. At qui nullam profitentur artem, eadem lege in administrationibus vel hominum conuersatione tenebuntur, nec tamen hic aut lucrum minus aut iactura maior: vnde Scipio qui postea magnitudine rerum gestarum Aphricanus cognominatus est, diem cum se perdidisse aiebat, in quo nullam pro amico operam in republica impendisset: ex quo factum est postmodum,vt tot fultus amicis prouinciam debellandæ Carthaginis aduersus Fabij sententiam obtinuerit, cœperitque antea quàm esset, magnus haberi, quòd cum semper difficillimum sit: tum ea in republica & eo tempore quo mores vrbis nihil alienum à virtute continebant. Atque vt video qui magnos se mortalibus,ac penè diuinos,rebus gestis exhibuerunt, nullius curam rei diligentiorem habuerunt quàm temporis:nam & Alexander tot tantaque gessit annorum quatuordecim spacio,non solum armis: sed legibus condendis, moribus instituendis, ædificandis vrbibus,exemplis magnanimitatis. Sic enim nunc volo posse dicere sapientiæ argumentis,rerum memorabilium studio,eruditione,munificentia,liberalitate: vt ne hominem longa etiam vita vnquàm dormisse existimares. Sic C. Cæsar cum statuam illius vidisset, fleuit tantum sibi temporis sine vllo memorabili facto præteriisse,recordatus,cum iam minori ætate Alexander tot res gessisset, eadem Alexandro Seuero, eadem Traiano cura fuit. Ergo preciosissima res tempus, in qua omnia habentur,omni ex parte colligenda ac custodienda sapienti erit,ne pereat,vitæque longitudinem magis factis quàm diuturnitate metietur: non solum enim quodcunque somno impenderimus,perdimus:sed etiam quod somnolentiæ:vnde bene dicebat Plato, καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. i. *Dormiens enim nulla re dignior non magis quàm non viuens.* Itaque ô mortalis quid vitæ tuæ adesse putas, nisi quòd euigilas, factisque ac gestis vitam trahis? Summa igitur vitæ ratio, quantum ad diuturnitatem pertinet,non tantum ad longitudinem quantum ad libertatem ac splendida opera spectare videtur, de qua quantũ satis est dixisse me puto, si hoc vnum quod ad corporis languores euitandos obseruare decet adiunxerimus. Est enim studiosis familiaris, ventriculi imbecillitas & oculorũ. Verum ventriculi affectum manus superimposita somni tempore si quid aliud prompte iuuat,Piper etiam integrum deuoratum adeò conducit,vt aliud auxilium non desideres. Memini tamen Galenum ex citoniis ac pipere haud insuaue medicamentum excogitasse. At oculis specula multum conferunt, & aquæ potus frigidæ, & somni prolixitas. Siquidem oculus alitur somno. In vniuersum igitur hæc satio est vitam custodiendi longæuam, quantum ad interiores causas pertinet. Verum cum ad exteriora pericula mentem adhibemus, alia diligentia opus est. Verum vt in his video, vbi nulla timoris infamia, nullumque audaciæ præmium est, timidum in periculis semper fuisse iuuat: nisi timor periculum auxerit, velut in gladiatorio certamine, vbi audere necessarium est.

Namque illud iam in prouerbium cessit, Timidi mater non plorat. Cum tamen & hoc ex belli sumptum causa fuerit. Omnino autem obseruandum ne vnquam frustra te obiicias perniciosis periculis,supraque modum solicitudinem in eis caueas. At in necessariis vna ratio quasi est omnium,vt pro periculo laborem & sumptum supponas. Dicebat Ioannes Maslianus, quem olim Facius pater meus audiebat,ætatis suæ Philosophus maximus,cum tamen qui tunc erant celeberrimi,nostræ ætatis mediocribus vix possent comparari:quòd nõdum Græcæ literæ cum illorum sapientia ad nos peruenissent, hominem decem millibus passuum in vita pro periculis omnibus petagratis annis decem vitam producere:atque id iute. Multa enim sunt quæ nobis cottidie occurrunt leuia ac fermè extra omnem periculi suspicionem, quæ si contemnantur causas breuioris vitæ parere tamen solent. Sic igitur iuuat in itinere,in caupona, in via,conuersatione initia aut contentionum aut periculorum magna diligentia subterfugere. Quæ enim minima sunt in principio,& nulla cum turpitudine declinari queunt, cum processerint in aperta vitæ discrimina hominem sensim trahunt,vt postmodum nec citra manifestam perniciem in eis perseuerare, nec absque magna infamia se retrahere liceat. At verò nunc illud quod ex initio proposueramus, in mentem venit desideratque solutionem,an scilicet melius sit cum infamia pericula deuitare, an morti se obiicere. Etenim hoc cum apud multos rationem habeat in vtramque partem,diu incertum fuit. Verum cum nunc non tempublicam instituere, sed fingere sapientem propositum:Ideò non obscura omnino hæc quæstio est. Nam si infamia alieni facti est,melius est viuere aliena culpa infamem,quàm morte dedecus effugere. Similiter si tua culpa egregio facto emendari potest: nam quæ alieno vitio accidit turpitudo, verum sapientem perturbare non debet. Vnde Socrates cum Xantippem vxorem stultam haberet,nec commotus est,nec repudiare tentauit: nec Augustus in filiarum contumelia se occidit:nec Antoninus cum rescisset vxoris adulterium Etsi Paulus viræ suæ parcere noluit quamuis alterius Cõsulis culpa esset:potius iacturam reipublicæ exhorruisse visus est, quàm propriam verecundiam, Ergo nemo tam amens sit, vt cum aduersus vitæ suæ hostem pro ea depugnaturus sit,alieno velit eam prodere flagitio. Nam nemo qui sapiens alterius peccatũ dicet cuiquam posse parere turpitudinẽ: sed vt omnis vmbra suũ sequitur corpus, sic flagitium proprium infamia. Sed nec in leuibus non omnino reparabilibus iacturis vita fugienda erit. Nam stultum est cum possis ad meliorem vitam reuerti, quàm ante infortunium etiam si id tua

acciderit culpa velle ob id mori. Quare cum Demosthenes acerrimis orationibus in Philippum armasset Athenienses, inde primo pugnæ euentu turpiter fugam arripuisset, iocantibus in eius factum respondit, etiam illū qui fugeret denuo posse pugnare. Sed ne Rhetorem in belli iudicio adducam, fortissimus Annibal nobis exemplo sit, qui sæpe victus, sæpe fuga seruatus, magnas Romanis calamitates post fugam ipsam pepererat. Nónne & Pompeius cum in Pharsaliæ campis succuboisset, quantum in se fuit fuga salutem quæsiuit. Alcibiades nónne bis & nauali prælio aduersus Lysandrum male gesto, & in acie apud Deliū victus salutem fuga quæsiuit? Sed & inclytæ fortitudinis vir Socrates ac quasi exemplum eadem in pugna fugere visus est. Stultum igitur erit, vitæ præferre verecundiam si aliquo pacto infamia virtute rependi possit. Nam si quis patriam prodiderit, aut parentes, aut ob scelus filios, vitam obscuriorem tunc morte ducet: ergo tunc mori longè melius quàm tam turpiter seruari. Nullū enim crimen proditione & magno scelere excepto sapientem ad voluntariaā mortem impellere debet: & tamen omnium scelerum scelestissima proditio est, in cuius amplexibus ne quis moriatur, vltro ac sine consultatione sine mora morti homo se debet obiicere. Et tamen cū ita sit, nūc omnium peccatorū minima facta est. Nam prodit non solum qui patriam aut principem fallit, verum qui cōmissum fidei suæ pupillum spoliat: Qui secretā rem reuelat, propter quam periclitetur amicus. Qui concreditā pecuniam sibi absq; teste ac chirographo negat, qui adulteriū cōmittit. Expedit igitur in his omnibus longè magis homini, vt vitam quàm fidem amittat. Etenim hoc quanquam nunc paruipendant Christiani, quamvis etiam nulla hominum superis cura esset, illos tamen naturalibus causis ad internetionem solis deuenire necesse est. Hoc autē cum extra propositum sit, ac in libris de Arcanis ostensum, prætermittatur. Ergo perfidia summū vitium, summum scelus, summum flagitium est, nec etiam ob acerbissimam mortem fugiendā vnquam subeundū. Hoc igitur solo quòd nulla ei medela sit ne commitas si dixeris, sapienti prompte moriendū, non reluctabor: quamvis forsitan & paucula alia quædā essent, quibus mors procuidubio præponenda foret. Sed nunc de fide agimus, cætera suo loco prosequemur. Non mirum igitur Attilium Regulum ad Pœnos reuersum sacramenti religione, vt crudeliter potius vitam finiret, quàm turpiter duceret. Nam & Guido Morinorum princeps cū vnā cum filio à Philippo Gallorum rege detineretur, inita pactione, vt si Morinos à bello, quod cum Britannorū rege conspirantes susceperāt, retrahere nequiret, ad carcerem reuerteretur re infecta, maluit redeundo carceris incommoda subire, regnumque proprium relinquere, quàm violare fidem. Sic & Gallorum rex Ioannes Primus, cūm ab Edoardi regis Britannorū filio apud Pictones captus esset, inde certa pactione dimissus, cum quę promiserat, in magnum regni incommodum, cessura intelligeret, reuersus ad Edoardum: docuit fidem non tantū regno & securitati, sed etiam libertati præponendam. Similis cura Renatū Vesfonum Leucionumq; principem: hi sunt Galliæ Belgicæ populi: cum à Philippi Lingonū & finitimarum regionum tegis duce captus esset, retinuit vt mallet regnum Calabriæ & magnæ Græciæ amittere, quàm fidem. Nónne & illud insignis fidei testimonium? cum Pomponius vir nobilis multis cōfossus vulneribus à Mithridate interrogaretur, an si curatus cōualuisset, amicus illi futurus esset, respondit, si tu quidem populo Romano. Considera vulnerum dolores, mortē præsentem, maiestatem regiam, captiuitatem, humanitatem prouocantis. Simili fide Pontius Cæsaris Cēturio mortem quæsiuit, cum Scipio Pompeij socer illesum dimittere vellet, si se militem suum efficere non recusaret. Exiguæ tamen rei fidem ne violandam potius intelligas, quàm mortem appetendam: stultum enim est credere mortem obolo permutandam! Ergo in graui omnino re dictum intelligatur. Quamquam non deceat vel in minimis fallere: verum non tam graui recompensatione res indiget. Sed nunquid ob religionem, fidei enim hæc etiam pars est, mors subeunda erit: equidem in optima institutione potius vita sapienti quàm religio relinquenda, si in multorum exemplum transeat. Vnde bene Elhaaar induceitur in libro Machabeorum, qui mortem potius velit pati, quàm carnibus suillis vesci. In aliis fortitudinis potius est quàm sapientiæ argumentum, in opinione persistere. Ergo si mors dedecori præponenda est, certe decor maximus ac gloria vitæ anteferenda sunt: vtque melius est non viuere, quàm cum maxima ignominia viuere: sic gloriose emori quàm non mori melius est. Nam mori nobis mortalibus adeò certum est, vt nihil certius: at summā posse moriendo gloriam cōsequi, nec omnibus sed paucis, atque id vix semel in vita datum est. Duabus igitur causis vita sponte finiendi est ac decurtanda sapiēti. Porrò quænam sit gloria, quæ vitæ præferri debeat, inferius dicetur. Nunc illud videndum est, an sapienti omnino ludere conueniat? nam & hoc quasi enm negauerimus, errorē in hominum mentes posset inducere: Nam si ad exempla transeamus, alea Augustus, nucibus Laurentius Medices ludebant, quos ego sapientes viros existimo, alij prudentissimos. Delectauit & pictura Antoninum, & coturnicum pugna Seuerum Alexandrum. Igitur ludere conuenit sapienti tribus in causis, aut in magni periculi timore vel maxima tristitia, vt in quinto libro dicemus, aut societatis minime perditæ causa, vel cum eo ad munia tanto promptiores exurgimus, vt non iacturam temporis, sed lucrum fecisse videamur, si ad magnitudinem aut multitudinem negotiorum mentem adhibuerimus. Manifestum est igitur, quòd nec diu ex his, nec frequenter, nec cum cura ludus vel relaxatio animi exercenda sunt. Hæc itaque vitæ diuturnitatis ratio tota est, quæ à corporis & animi coniunctione sumitur, cuius in vniuersum hęc est mensura, multitudo ac magnitudo factorum. Nam non qui superest diutius viuit, nam & infantulus qui sub extrema senecta patris natus est, quamvis in pueritia post patris mortem extinctus esset, diutius patre vixisse diceretur: & nos omnes quòd superstites sumus Terentiæ, quæ

annos

annos tamen centum exceſſit, longioris vitæ dici poſſumus. Tum poſteriores nobis atque illis alij, vt nulla tandem foret longitudinis vitæ ratio. Verum ad multitudinem magnitudinemque operum conducit temporis longitudo, libertas, ac vigilantia. At diuturnitas quę ex ſolius corporis beneficio ſumitur, ex filiorum propagatione conſtat: vt enim Auerroës ſummus Philoſophus in libris de anima ſcribit, natura noſtrum miſerta, cum non poſſet ſingularem hominem aut animal perpetuo ſeruare, virtutem generandi largita eſt vt ſic perpetuo permanere in propagatis liceat. Vnde Philoſophus hanc virtutem in Philoſophia ſupernaturali diuinam appellauit: non ſolum tamen diuina dicenda eſt, quòd in liquido humore tanta virtus adeoque parentibus ſimilis ſeruetur: ſed quod quantum eſt ex ſui natura genus in æternam continuitatem producere nata ſit. Inde amor tam immenſus in filios natura patente oboritur: quòd filius patris ac matris pars quædam ſit. Vnde Virgilius ſapienter Didonem inducit dicentem:

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugā ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.

Nam vt rectè Cicero ſcribit, στοργὴν φυσικὴν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα (*i. Affectum naturalem eſſe erga liberos.*) aduerſus ſobolem genuina eſt beneuolentia, quòd parentum anima filius ſit, vt Euripides inquit: nec male igitur apud cum Thetis ſolatur Peleum dicens:

καὶ παῖδα τόν δε, τὸν ἀπ' Αἰακοῦ μόνον
λελειμμένον δὴ βασιλέα. κἀκ τοῦ δὲ χρὴ
ἄλλον δ' ἄλλον διαπερᾶν μολοσσίαν
εὐδαιμονοῦντας, οὐ γὰρ ὧδ' ἀνάστατον
γένος γενέσθαι δεῖ τὸ σόν, κἀμὸν, γέρον.

i. Et puerum hunc ſolum reliquum factum, regem, atque ex hoc oportet alium ad Moloſſiam deſcēdere fœliciter degentes. Non enim ſic inſtabile ô ſenex tuū & meū genus oportet fieri.

Et melius longè Virgilius expreſſit hanc curam mortalium atque generis diuturnitatem cum virtutis claritate, dicens:

Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illuſtres animas, noſtrumque in nomē ituras.

Ergo hæc magna ſollicitudo ſapienti incumbit, vt genus ſuum non ſolum filij ſuperſint, ſed & fœlices ac glorioſi viuant. Nam primum cum beluis etiam commune habemus, Ideoque non male apud Homerum inducitur Hector bis verbis virtutem Aſtianacti filio à Diis imprecatus:

Ζεῦ ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόν δε γενέσθαι
παῖδ' ἐμὸν ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν
ὧδε βίην τ' ἀγαθὸν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν:
καί ποτέ τις εἴπῃσι πατρός δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων,
Ἐκ πολέμου ἀνιόντα.

(*i. Iupiter & alij Dij, date & iam hunc meum filium quemadmodum & ego, fortem virum Troianis & virtute bonum, & Ilij ſtrenuum propugnatorem, vt quis olim dicat cum à bello redierit: Hic patre eſt melior.*)

Verum cum multi tamen hoc negligant, dubitatio non leuis emergit, atque ex hac alia, ſcilicet an præſtet diu viuere, an genus relinquere. Sic & de gloria dubitabitur, an ea potior ſit generatione. Verum vt nobis videtur, ſapientes in ſeruanda generis propagatione magnam difficultatem inuenerunt. Atque primo in filiis moleſtiam vxorum: nam vt rectè dicebat Ariſtoteles: ſpurij filij non poſſunt ciuitatem facere, eademque ratione nec genus propagare. Subeunda igitur erat hæc moleſtia, quæ quanta ſit ſuo loco dicetur. Demum ſi filius ſupponatur alienus ab vxore mœcha quid actum eſt? ridemus merito Lycurgum, quod inſtituerit, à ſene viro poſſe vxorem iuueni quem maxime probaret ſubſtituere ad propagandum genus, vt qui naſcatur pro mariti filio habeatur. At ibi licet & amicum & prudentem eligere iure iuuenem. Cum tamen Lycurgus hoc ſolo tantum aberret, vt inſanire videatur. At adulteri filium quis alet domi maximi inimici, & plerunque imò ſemper viri ſcelerati ac impudici, tum etiam quem neſciat alienum eſſe, ſed ſuum forte exiſtimet? hoc timore plerunque ſapientes, quibus cura eſſet de altioribus, ab vxore ducenda abſtinuerunt. Sed fac vt filij naſcantur, quæ poſtmodum ſecuritas in nepotibus ac demum in pronepotibus: ergo cum his vita eſſet carior quòd certior huiuſmodi continuatione generis, at vita longè carior ac tutior gloria: Ideò plurimi ac ferè omnes à filiorum procreatione abſtinuerunt. Verumtamen vt difficultatem effugere cuique licet, ſic melius eſt etiam experiri, cum non iacturam ex hoc vitæ aut gloriæ facias. Platonem igitur ac Solonem, quòd non duxerint non damno: Socratem & Ariſtotelem ac Xenophontem quòd duxerint procrearintque filios, laudo, tanquàm in hoc ſapientiores. Nam tanta eſt huius generis propagandi dulcedo mortalibus, vt lex illis quibus ætas iam negat aut morbus, concedat alienum in ſuam familiam tanquam proprium adoptare. Qui mos adeò Romanis in conſuetudine fuit, vt omnes eas familias corruperit. At Moſes iuſſit, vt cum primus frater mortuus eſſet, proximus illi relictam vxorem duceret, procreatiq; filij prioris fratris haberentur. Ergo his qui non ſapientes, ſummum ſtudium in diuturnitate generis eſſe debet: ſed non omnibus hoc idem, nam cum ex fratre nepotes habes, quamvis filios non procrees, illi pro filiis merito habebuntur: tamen maxime ſi in adoptionem tranſeant. Vnde Adelphorum Comœdia apud Terentium hanc ſatis prudentiam exprimit, tum maxime cum Mitionem qui adoptiuus pater eſt Æſchini, æquiorem in filium, quàm Demeam patrem naturalem in ſuum quem retinuerat Cteſiphontem fingit. Multis igitur modis leges orbitati ſuccurrere tentarunt. Nā vt viſum eſt, Moſes fratre, Lycurgus amico, Romani adoptione: igitur inter Moſem & Lycurgum ſatis conuenit. Verum vt Moſis modeſtior modus, cum à funere præcipiat fratris: ſic Lycurgi irreprehenſibilior, quòd ſanguinem duorum fratrum in vna muliere non commiſceat: quem morem ſatis Cornelius Tacitus genti exprobrat, inuiſoſque illos merito omnibus dicit, qui non ſecus ac canes & feræ non à cognatis cauēt, ſed promiſcue miſcētur. Verū cum hęc iam abolita ſint ſanctitate religionis noſtræ, & pręter propoſitū etiā fuerint, prætermittenda erunt. Vnum in hoc animaduerten-

uertentes tamen, duobus modis homines antiquitus & nunc diuisos fuisse, per genera ac familias. Græci enim ac Hebræi non per familias, verum per genera distinguebantur, vt Theseides à Theseo: Heraclidarum genus ab Hercule: & Tantalidarum à Tantalo: & qui à Brasida, quòd & ad seruandum vitam, cum reliquus vnus solus superesset apud Augustum, atque ex contentione damnatus, profuit: Intelligens enim Cæsar eum ex Brasidæ progenie relictum, ne genus tolleret pepercit. Eandem rationem sequuti sunt Hebræi, vnamquamque familiam ab homine illius auctore nuncupantes. Ergo ex hoc multiplex bonum, nam cum Græci à virtute, Hebræi à prolis numerositate initium statuerent, Græcis gloriæ, Hebræis propagandæ prolix stimulos adiunxerunt. Vnde etiam generis auctorem iam annis plusquam duobus millibus ac quingentis tot pulsati incommodis, toties ad ad internecionem cæsi Hebræi recognoscunt. At Romani cum per familias distribuerentur, pauci auctorem generis, atque falso, vt Bruti & Iulia gens excolere soleret, & victores & adoptione sustentati genus omne ac originem amiserunt. Itaque studium originis ad seruandam progeniem plurimum potest. Verum quod ab initio proposueramus, ex hoc satis est manifestum, scilicet sapienti gloriam ac vitam potiorem esse generis propagatione, tum quod gloria ipsa animi imago est, filius corporis: at corpus aut hominis pars nulla est, vt Socrates dicebat, aut longe vilior saltem quàm animus: tum quòd difficillime hæc cõtinuatio generis seruari potest: nec nostrum est, aut in nobis, vt eam post mortem tueri possimus: tum quòd plurimos sapientes à suscipienda prole abstinuisse videamus: vix verò vnum aut duos à gloriæ ac cupiditate vitæ: tum verò quòd vicariam habet rationem. Propagatio vel in fratribus vel in propinquis vel in adoptione, vita nec gloria non habent. Accedunt tædia intolerabilia, & timor, luctus, qui nec in gloria accidere potest, nec in vita sentiri, cum à morte propria luctus non maneat. Est etiam illud considerandum, partem illam, ob quam maxime generi studendum esset, scilicet memoriam inter homines necessario interrumpi vel euanescere: qua sublata quid reliquum iam est tui in filio, nedum in pronepotibus? velut enim ex pomo hoc vel illo genitus esset parum plus attinet: cum excrementum diuersum ex diuerso etiam cibo generetur, vt hic qualitatem quidem glandium, hic frumenti, alius vini retineat: vnde etiam tam dissimiles vterini fratres sunt, etiam si ex eodem patre geniti fuerint. Itaque hæc diuturnitas & non negligenda sapienti est, quamvis minima sit, & si non succedat, iactura aliorum generum minime pensanda. Quo minus mirum si reges quosdam & priuatos ob gloriam filios occidisse: è quibus vnus Deiotarus inter plurimus, cum numerosam prolem haberet, omnes occidit præter vnum, quem excellentioris virtutis esse cognouerat, ne multitudine filiorum regnum diuisum infirmius redderetur. Verum cum hoc quasi contra humanitatem sit, illud prius videndum esset, an sic quæsita gloria, gloria dici mereatur? nam si regnum sic stabilitum gloriosum dici potest, sanè filiorum mors gloriæ quæ regno sublato extinguetur præferenda erit. Hæc itaque ratio diuturnitatis est, quæ ex corporis parte sumitur. Porrò quæ à memoria nominis habetur, cum multiplex sit, prius merito distinguenda. Namque omnes qui gloriam consecuti sunt, vel factis memorabilibus, vel scriptis, vel monumentis illam habuere. At verò quidam, veluti Cæsar, omnia genera adepti sunt. Nam victoriis gloriosus, commentariis celeber, emendatione anni memorabilis est. Alij duobus, velut Cycero & Sylla, quorum alter prçliis alter conseruatione ciuitatis, ambo scriptis memoriam apud posteros sui commendauerunt. At Pompeius victoriis & theatro, Ptolemæus libris & Meteoroscopij inuentione clari sunt. Quidam vno in genere tantum, vt in scribendo Liuius, in operibus Apelles, rebus gestis Furius Camillus excelluit. Alexander ex tribus generalibus, quod haud ei adscribendum tempus superesset, duo amplexatus est: nam Ægyptum & Asiam cum subegisset, ciuitates etiam condidit, Alexandriam in Ægypto, in India Bucephalam, à Cæsaribus Cæsareæ Augustę, inde & nominibus propriis tot Anthiochię, & Ptolemais à Ptolemæo, & Adrianopolis ab Adriano. Ergo iam vnumquodque horum trium generum distinguendum est. Quanquam quidam adeo gloriæ cupidi fuerint, vt incertum penè sit, quot eam modis quæsierint: atque ego inter mortales omnes cupidissimos Democritum & Empedoclem iudico. Nam Democritus volumina scripsit dissectionem animalium docens, quorum etiam quędam extant. Scripsit & magiam, vt nullus frequentius à Plinio citetur, non eo cõsilio quòd magiam veram esse crederet, sed quòd vel credentibus admirabilior futurus esset, vel contradicentibus famosior. Inde dum animalia dissecaret stultitiam simulauit, cuius Hippocrates meminit, atque etiam sic celebratus ab Hippocrate famosissimo eius ætatis viro, & à ciuibus suis in admiratione habitus. Philosophiam etiam attigit, at in ea vt in reliquis singularem excogitauit opinionem: Principia rerum statuens litem & amicitiam, vt qui sequerentur philosophi vel assentiri vel contradicere tam absurdę opinioni quòd admirabilis esset cogerentur. Habitauit & in sepulchris, vt Lucianus refert, vt opinionem fortitudinis de se maximam præberet, vel hominibus persuaderet, nihil à morte superesse, tanquam necessarium esset, si animæ supersint, eas cadaueribus suis cohabitare. Sed hæc etiam parua videbuntur, cum alter ad comparandam gloriam in Ætnæ flammas sponte se coniecerit: eo consilio, vt vel latens tanquam deus in cœlum assumptus, velut de Helia ferunt, coleretur: vel etiam deprehensus, opinionem imò admirationem sui ob fortitudinem hominibus relinqueret. Quinetiam ferunt, vt fabulantur poëtæ, Democritum voluntarie se excæcasse: adeò enim miris modis prodigiosam egit vitam gloriæ cupiditate, vt argumentum comminiscendi etiam alia fabulosa sed tamen prodigiosa poëtis tribuerit. Hunc ego virum tamen non vere sapientem, sed qui sapiens videri maximo studio concupierit

dicam,

dicam. Cæterum summa gloriæ ratio triplex vt diximus est: alia enim factis atque operibus constat, alia scriptis, alia hominum memoria: hominum memoria constant omnia, quæ admirationem parere solent: hæc autem vel ex se magna sunt, vel hominum solum existimatione. Nam bella & scelera memoria hominum digna sunt, at naturalem sapientiam minime spectant. Quæcunque enim solum ad hominum opinionem excogitantur, ad humanam spectant sapientiam: quæ verò per se & magna sunt, & virtute digna, ad naturalem. Hæc enim in vniuersum ratio vtrunque genus distinguit ac separat, & ideò scelerum & bellorum industriam ac curam, ad sapientiæ naturalis considerationem non pertinentes, in posteriores libros reiicimus. Verum quantum ad naturalem sapientiam spectat, factorum memorabilium triplex est genus, vel necessariorum, vel vtilium, vel delectabilium. Est autem in his duplex ratio, vel inuentionis, vel perfectionis; ergo necessaria in artibus connumerantur vtilia: tum in artibus tum in moribus: delectabilia scientiis & artibus quibusdam communia sunt. Celebramus Apellem & Zeuxim, quòd pictores fuerint celeberrimi: Philoclem Ægyptium Cleātemque ac Cleophantum Corinthios quòd inuenerint; illi quidem absque coloribus, hic verò etiam coloribus additis. Sic & Dibadates Sycionius celebratur à plasticæ inuentione, à perfectione Gorgastus Damophilusque, Græci ambo. Inuenit & Murænarum viuaria C. Hirius. Quis neget nulla necessitate, sed ad voluptatem tantum & Apitius cum Lucullo, quamuis nihil inuenissent celebre. In luxuria eius tamen magnitudine celebrantur? verum pars ea quæ ad voluptatem tantum pertinet, naturalis sapientiæ portio non est, sed humanæ; quam tamen ab hac diuellere propter nimiam similitudinem nequimus. At verò pictura quanquàm ad delectationem sit, quia tamen genus hoc delectationis honestum est, ad naturalem spectat sapientiam. At in genere vtilium admiramur Socratem, quòd tam perfectè philosophatus fuerit laudamusque Thaletem, quòd primus philosophandi Initia dederit. Igitur sapiens quæret, an sufficere possit in horum trium aliquo inuenire quicquam vel perficere. Nam illud Horatij:

Sumite materiam vestris qui scribitis æquā
Viribus: & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Non solum de scribentibus, sed etiam de his qui aliquid magni perficere contendunt, omnibus dictum intelligatur. Nam non omnibus omnia conueniunt: nec ex æquo sapientia vniuersis conuenire potest: nanque cum aliquibus ex toto natura negata sit, necesse est etiam plures esse, quibus etiam magno labore exigua pars concedatur. Atque vt diuersa genera felicitatum, nec æqualis omnibus conuenit beatitudo: sed in omnibus etiam supercœlestibus non exigua differentia & magnitudinis & generis fœlicitas est, seu ad Philosophos respicias seu sacræ credas paginæ. Sic & sapientiæ genera diuersa sunt: cumque pauci ad culmen eius peruenire possint: sic omnes diuersis gradibus sapientiæ exornantur, vt minor pars nobiliori naturæ concessa, ridiculum hominem faciat, maior infirmiori homini incommodum pariat. Quis non rideat senem pueriles ludos apprime callentem, & regem histrionicam? atque è diuerso, quis histrionem de regni administratione etiam rectè sentientem diutius ferat, rusticumque conabitur docere, vt eleganter Latine loquatur? Itaque vt singulorum diuersa natura hominum est, sic singulis sua debetur sapientiæ portio, atque ex accommodato genere sumpta. Quamobrem Philippus ille iure merito Magnus Alexandri pater, cum audiisset filium tibia pulchre cecinisse, illum coarguit, indoluitque quòd artem minime regiam plus impendio calleret. Quantum obfuit quàm indecens Neroni citharistica, quæ in priuato homine laudibus fuisset prosequenda. At verò operum ratio penè similis, atque in ea studium regibus & priuatis inæquale: illis facile est operum magnitudine æternam memoriam sibi parare. Sic Artemisia Cariæ regina Mausoleum coniugi condidit, sepulchrum mira arte ac magnitudine, cum Lycios expilaret ob immensi operis impensam. Semiramis Babylonem ædificauit, non solum amplitudine ac crassitudine, tum etiam arte domorum ac hortis pensilibus; & Minos labyrinthum in Creta, & in Italia non minorem sepulchri molem, ne vel in hoc Italia cæteris cederet Prouinciis, Hetruriæ Rex Porsena; & Ægypti Reges extruxerunt Pyramides, opus quidem inordinatum, sed ea magnitudine ac firmitate, quæ fidem omnem superaret: quarum quæ minima est omnium, omnibus tamen admirabilior est, quòd à Rhodope meretricio quæstu, quæ etiam olim serua fuerat, exædificata est. Itaque etiam sordidum lucrum spectare licet cum amplissimorum regum potentia decertantis. At Xerxes Hellespontum ponte iunxit; & Darius Bosphorum cum aduersus Scythas proficisceretur. Isthmum fodere tentauerunt Demetrius Rex, Cæsar Dictator, C. Caligula, Neroque: omnes incassum infaustóque exitu. Sed & Isthmum quò Iberia & Albania Armeniæ iungitur, Seleucus Nicanor diuidere conatus vt Caspio mari Mediterraneum committeret, qui & ipse occisus est. Ergo hæc ad gloriam immortalem spectant, in quibus etiam voluisse solum memoria tamen dignum fuit. At verò priuatorum eadem potentia non est, studium non leuius. Namque cum Phidias Mineruam opus sanè admirabile Atheniensibus fabricasset, clypeo suam ipsius imaginem tanta arte insculpsit, vt amota ea tota imago dissolueretur. Itaque in Parthenone posita eburnea statua, & duplicis miraculi argumentum erat: & auiditatis immensæ gloriæ assequendæ ipsius auctoris. Simili argumento & Sostratus Gnidius cum turrim Ptolemæo in Alexandriæ portu nauigantibus exædificasset, marmoreo lapidi hæc inscripsit: Sostratus Dexiphanes Gnidius Diis Nauigantibus salutiferis: deinum obducta inscriptione leui calce, super imposuit regis nomen, vt cum breui tempore calx excideret, fabri non regis in æterno lapidem nomen reliqueretur. Ballisarius crucem auream pondo centum gemmis vndequaque preciosioribus ornatam, ex manubiis bellicis literis Græcis Latinisque

victorias suas continentem in æde diuorum Petri ac Pauli Romæ sacrauit. Sed cum tam multiplex sit ratio custodiendi perpetui nominis, optima tamen est ciuitatum egregiarum ædificatio, ex his quæ ad operum constructionem pertinent, quòd ciuitas propagatione hominum diutius seruetur: ab his autem mœnia & domus instaurari solent: nec excidit vnquam memoria conditoris. Nanque cum Romæ Nero Neronia: nam instaurata parte quæ incendio corruerat, & Leo Pontifex Leoninam muri parte, quæ cis Tyberim ceciderat reædificata, vocari iussissent, non obtinuerunt. Et quamuis hæc sit ex omnibus operibus maxime stabilis gloria, infirmior tamen est duobus reliquis generibus, hominū scilicet memoria ac libris. Nanque Mithridates ob vigintiduarum linguarum peritiam, & Cyrus ob immensam memoriam, Seleuco à quo Seleucia condita sunt famosiores. Etenim quod ad reliquam operum partem attinet nulla est comparatio; quandoquidem vt rectè Satyricus dicebat:

—Data sunt ipsis quoque fata sepulchris.

Ergo opera, statuæ, picturæ, hominum memoriam seruant: ac diu. Verum nisi propagentur, nec illustribus factis, nec scriptis possunt comparari. Quamobrem cum Alexander gloriæ cupidissimus sepulchrum Achillis vidisset, fleuit Homeri memoria quòd tam illustrem, suarum laudum præconem inuenerit: optabàtque magis se in Homero Thersitem, quàm in Cherilo Poëta Hectorem vel Achillem esse. Quid rogo locupletius ad famam seu vitæ memoriam ac gestorum, vitarum descriptione quæ à Plutarcho narrantur? aut quàm parum interest cum Aristotele loqui ac Platone, vel eorum legere scripta. Sed habent principes famæ vnum auxilium plus aliis, quòd & si nihil memoria dignum gerant, fuisse tamen regem memoria dignum est: recensentur, scribuntur in temporum enumeratione, memorantur ab historicis, legibus, actibus quibuscunque bene aut male gestis in controuersiam veniunt. Sic Cæsares, Pontifices, Gallorum Reges, tot sæculis, quamvis non omnes memoria digni, memorabiles tamen sunt. Verum nec adeò diuturna est horum gloria, qui præcipuum aliquem Historicum aut Poëtam non inuenerint. Est igitur maior facundia militari arte ac hominibus potior: & sapientiæ munus ipsa potentia diuturnius. Quamobrem quonam pacto libri ipsi conscribendi sint, vt perennes maneant nunc edocendum. Et quamvis non omnia assequaris, nec tamen ideò Ægyptus non beata est regio, quòd capreis careat & turture pisce: nec fœlix non Arabia, quod in ea nux vel castanea vel etiam vnedo non sit: neque enim natura humana diuinæ similis ac coæqualis est, vt omnia ad vnguem sine reprehensione perficere queat. Sed vt iam dictum est, ille perfectior dicendus, qui minus aberrat à scopo: ille autem perfectissimus qui minimum; quòd nihil aberrare atque in nullo, diuinæ potius est cuiusdam felicitatis quàm humanæ muneris. Itaque cum scribendi ratio potior sit omni humana experientia, atque illa etiam vt visum est vita, videndum sanè est vt magna illam diligentia qui potis sunt consequantur: & nunc quidem ratio omnis scribendi eadem videtur, quæ & factorum memorabilium. Atque vt illa triplex, scilicet, necessariorum, vel vtilium, vel eorum quæ ad voluptatem pertinent: & quædam duo ex his amplectuntur. Vnde non male dictum est:

Aut prodesse volunt: aut delectare Poëta.

Quæ verò omnia genera amplectantur difficile est inuenire, licet tamen sed multorum ac diuersi generis librorum rationem habent. Horum autem singulum vel ab inuentione vel à perfectione auctoritatem assequetur: si enim horum neutrum aderit, cito liber ille excidet. Velut de annalibus Volusij Catullus:

Et Volusi annales Paduam morientur ad ipsam,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

Quod & factum est succedentibus temporibus: nam nunc nulla illius copia superest. Voluptuosi autem generis duæ sunt partes, delectationem scilicet parere vel admirationem, vtroque non paruam enim capimus voluptatem. Vnde Poëtæ quamuis fabulosa canant nec credenda, admirationem tamen parientes nullo serio auctore minus libenter leguntur. Quæ autem voluptuosi generis sunt, ob delectationem velut comœdiæ & quæ de amoribus agunt, nec verearis quod Martialis dixerit:

Victurus genium debet habere liber.

Nam genius aderit vtique si & ars. Et quanquam Gregorij duo, alter Romanus Pontifex Romanæ linguæ auctores plurimos quòd lasciuiores viderentur concremauerit, velut Cæcilium, Affranium, Næuium, Licinium, Ennium, Attilium, Victorem, Liuij dialogos: nec Plauto aut Martiali vel Terentio pepercerint, quos barbarica manus etiam seruauit incolumes: quamuis ob exemplarium multitudinem tolli nequiuerint, mens tamen pia illis non defuit, vt etiam Tacitum parentem Romanæ historiæ, quòd Romanæ historiæ, quòd Christiano nomini infensus esset delere conarentur, qui saucius ac mutilatus ad nos peruenit. Alter Nazianzenus consimili studio Græcos, Menandrum, Diphilum, Apollodorum, Philemonem, Alexim, Sapphum, Alceum, Aristippum, veterumque Annalium etiam scriptores interceperit: nihilominus plures etiam reliquerunt, qui aut illorum voluntati non subiacebant. Etenim librorum vt hominum conditio est, quidam enim morbis sponte pereunt: quidam in communi calamitate. Sic & librorum alij ob incuriam quòd inutiles sint & inculti negliguntur, velut Mæuij Romani, & Cherili Græci Poëmata. Alij quòd quanquam elaborati essent, melioribus tamen in eo genere succedentibus, grati esse desierunt, velut apud Græcos Erasistrati volumina, propter Galenum, apud Latinos Trogi historia propter Iustinum. Alij in communi calamitate pereunt, vt Ciceronis libri de republica, de gloria, de consolatione: Liuij & Salustij maior pars historiarum, M. Varronis fermè tota illa congeries librorum, quanquam pars consulto quæ ad sacrorum vetustorum pertinebat religionem, ab eodem Pontifice quem & cæteros

teros perdidisse diximus delata sit. Ergo hæ communes calamitates librorum seu ex mutatione imperij orbis ac linguæ, seu religionis, seu ex incendio, vt in bibliothceca Alexandrina, in qua ferunt septingenta milia librorum intercidisse, & in conflagratione templi pacis Romæ: non tamen possunt libros geniales delere. Hos autem quales sint aut esse debeant nunc exponam.

Principio liber omnis non secus ac apud Vitruuium columna humano corpori comparari & assimilari debet. Nanque vt in homine longum latumque inuenitur, ac profundum, tum verò caput, pectus ac pedes omnia verò decenter composita atque ornata, itemque in eo partes omnino siccæ vt ossa, aliæ ex toto humidæ vt sanguis, aliæ calidæ vt cor, aliæ frigidæ vt cartilago, aliæ simplices vt caro, aliæ ex pluribus compositæ vt caput: sic in libro diuersa sunt genera dicendi, longum atque extensum, vt Liuij ac Herodoti & Platonis: breue & concisum, vt Lucij Flori & Aristotelis ac Thucydidis. Floridum & pingue, in quo genere Cicero apud Latinos in orationibus maxime, & apud Græcos Demosthenes probantur: siccum & sterile vt apud Latinos Pontanus, apud Græcos Ptolemæus. Putum & nitidum, vt C. Cæsaris Commentaria & Lysiæ orationes: mixtum & turbulentum, vt Plinij auunculi & Galeni. Neque enim vna horum est aut dicendi copia aut nitor aut synceritas: quamuis tamen inter se multum differant. Omnis autem liber qui vetustatem subire aliquando debet, materiæ de qua scribitur accommodatus sit stylo, verbis, sententiis: atque hæc eadem inter se similia ac conuenientia habeat: sit verò perfectus, rotundus ac perpolitus. At verò perfectio ipsa triplex esse potest, vel quòd vniuersa quæ de illa re dici possint contineat, vt Alchindi libellus de proportione, quæ ex duabus aliis componitur: vel quod vniuersam artem de omnibus loquens, quamuis non omnia explicet, velut Aëtius in Medicina, & Galeni parua ars: vel quòd capita rerum grauissimis sententiis contineat, vt Archimedes περὶ τῆς σφαίρας καὶ τοῦ κυλίνδρου. Et Hippocratis aphorismi. Atque in vniuersũ ratio omnis cõpositionis circa hæc versatur, authorum vnũ vt vel nihil desit bis quę pertractantur, vel quæ pertractãtur perfecte omnino explicentur: vel vt quæ explicantur perfectò dicendi genere scripta sint. Ergo quædã ex toto verba non conueniunt vlli dicendi generi, vt obscœna, sordida, barbara, inusitata, agrestiãque. Obscœna quidem vt quæ sine verecũdia efferri nõ possunt: sordida verò quę etsi impudica non sunt, in munda tamen oratione non secus ac cœnum in nitida corte fœdãt, qualia quæ excrementis humanis & pudibundis partibus nomina imposita sunt. Sed non omnia omnibus locis adeò inepta sunt. Nanque & sordidis qui rem rusticam & medicam tractant, non tam honeste quàm necessariò vtuntur, & obscœnis qui carminibus impudicis conficiendis operam dant, vt Tibullus & Martialis, satyrici etiam & comœdi. Cothurni autem grauitas obscœnitatem non admittit. Generaliter autem personarum ratio habenda est, & in omnibus is modus seruandus, quem in Poëmatibus scribit Horatius dicens:

---Tristia mœstum
Vultum verba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem, lasciua: seuerum, seria dictu.

At barbaris nullus est omnino vsus, nisi cum in linguam Latinam transierint: tesque ipsa barbarum nomen tantum habeat. Manucodiatam enim dicemus auem, quæ terram nunquam attingit, sed in sublimi tantum fertur: atque in propriis Adamum dicemus non Adam. Plerunque etiam præmissa necessitatis excusatione, velut apud Cæsarem, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Agrestia quis leuiter ferat, vt in nominibus dulcedinibus, ac grauius etiam alboribus: & in verbis amaminor & audirere: & quis libenter audiat duis pro bis, quam etiam ob causam multa nomina casibus, multa verba temporibus caruere, quæ omnia vocauerunt Anomala seu Heteroclita: non quòd his ipsa carere possint, sed quòd ob duriciem adeò essent inusitata, vt explodi mererentur; vsus causam fingente regula. Illud verò obseruandum in inusitatis, vt si proferantur concinne locum recipiant, velut à Virgilio:

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Et ibi,

Tres Rutulósve fuat.

Nam olli & fuat prisca vox atque inusitata penè erat. Vnde recte Horatius.

Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum:
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabitúrque licentia sumpta pudenter.

Verum in omni compositione cum necessarium sit eam emendatam fore, dilucidam atque ornatam, emendationem à verbis sumptam iam expressimus: cum tamen non omnia verba & obscœna sint & sordida æqualiter in diuersis orationibus. Nam tractare pudenda vel exercere obscœnum est, pudendis sauciatum esse honeste dici potest. Obscuritatem omnes refugiunt, & qui scribunt & qui legunt: verum ambiguitatem non ita: namque & Aristoteli multum hæc profuit & Martiano Capellæ. Nam vbi sensus multiplex excipi potest, ibi admirationi locus est. Porrò dictum est, quantum admiratio ad diuturnitatem operis conducat: Auctoritatem enim auget, hæc vero precium addit. Namque homines omnes facile quæcunque posse dicere existimant, ambiguis verbis ac sententiis vti posse non omnibus sed sapientibus solum concessum videtur. Nec parum Tyberio Cæsari hoc profuisse creditum est, quod non claram vnquam orationem apud Senatum haberet, sed dubiis illos sententiis ac quasi ænigmatibus torqueret. Atque hæc de ambiguitate vulgaris opi nio est, cum tamen nihil difficilius sit vt re cte Quintilianus dicebat, quàm sic dicere, vt omnes existimant se posse dicere, scilicet dilucide ac pure: igitur non in illo, sed in hoc elaborandum est. Excusatur tamen obscuritas, vel ob breuitatem, vt in Persio, vel in obscœnis, velut apud Quintilianum nimium est, quòd intelligitur, cum de prauis loquitur præceptoribus. Quanquam hoc

hoc habent obscœni hi sermones, vt nunquam obscuri satis sint, quòd mens sponte ad illorum interpreratíonem celeriter feratur. Obscure etiam licet loqui in rebus ambiguis, qua arte Aristoteles semper vsus est ne deprehendi posset, & cum nihil diceret, de his tamen multa loqui videretur. Obscure in periculosa oratione, quanquam non Hermogeni Tharsensi hoc apud Domitianum profuerit, loqui licet: velut & illud, Quirites libertatem amisimus: obscurum enim est, quoniam incertum vel ambiguum sensum retinet: tum in familiaribus colloquiis, vt in Epistolis ad Attic. Cicero. Impudẽs enim esset, priuata negotia omnib. prodere. Ergo obscuritatis ratio his continetur, periculo, verecundia, rebusque quæ tractantur minus certis: verecundia autem ex rebus priuatis sumitur, aut obscœnis: in reliquis igitur verbis, omnia pro qualitate rerum sunt accommodanda. Cum enim quædam grauia, alia leuia, sonantia & exilia, grandia paruáque, tum sublimia ac humilia, & aspera & lenia, tum propria quædam, alia per figuram assumpta, multáque genera verborum ab his disiuncta, quæ longum esset dinumerare: vnumquodque suo loco reddendum est, atque in his præcepta etiam orationi & figuræ locis suis congruere debent. Non satis ridebimus illum, qui de Rhetorica inornate, qui de ordine inordinate, qui de Larina lingua non emendate scribet? aut si de sapientia stulte, vel de continentia impudice? sic & figuris sermo accommodatus erit, quod belle Horatius obseruat, vt cum de eo loquitur, qui grandi hiatu librum incboauerat, nec pondus aut magnitudinem initij sustinere potuit, sententiam enim exempli deformitate declarans inquit:

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Quonam pacto illius imprudentia, & ineptia melius potuit explicari? sed & ordo ipse seruandus rerum, vt quæ prius facta sunt prius referantur, & faciliora difficilibus, & vt vniuersam diuisionis multitudinem ambiant. Etenim si vel vnum illius membrum exciderit, imperfecta & manca est compositio illa. Verum non singula adnumeranda, præsertim si plura sint, velut Iurisconsulti ac Philosophi quidam nostrorum temporum faciunt: licet tamen bis qui rem ex ordine natam tractant, velut Geometris Arithmeticisque, atque illis quibus mora iacturam affert, vt Medicis: verum & hoc si extra orationis contextum sit, non solum venustius, sed etiam vtilius erit. Porrò ordo nulli magis quàm historico conuenit, sermonis verò puritas his qui arduas ac difficiles tractant artes, velut Architecturam & Astrologiam, cæteràsque vocatas Mathematicas. Nam in his copia & redundantia summam patit difficultatem. Multis etiam hoc dubitabile visum est, an Græca Latinis miscere liceat. Nanque etsi Quintilianus, qui vnus inter Latinos opus absoluit rotundum & expolitum, omnia de omnibus ornatéque explicans permisceat, & Gellius non inelegans auctor, & Macrobius, & ipse Cicero in Epistolis quæ ad Atticum extant: nihilominus plures Ciceronis ea sententia deterret, quò minus id legitime se facere posse existimrent, cum in Tusculanis dicit: Scis enim me Græce loqui in Latino sermone non plus solere, quàm in Græco Latine: verumtamen non plus vna auctoritas nos mouere debet, quàm ipse tamen eodem primo libro labefactat, si quidem νέκυια (*i. mortuorum festum, funus, carmen Homeri.*) Homeri & ἀντάξονα (*i. Contra axem posita.*) aliáque complura Græce scribit, velut χρηστοὺς (*i. Viles seu frugi homines*) & alia fingit, vt ἀκακίαν, (*i. Innocentiam*) quæ apud Græcos non est. Itaque primom illud scire expedit, posteriores linguas prioribus quidem non decenter inseri, vt materna Latinis, Latina Græcis, Græca Iudaïcis: at contra licet, non tamen passim: quòd ea quæ intermiscentur maiorem auctoritatem habere debent. Igitur Græca Latinis multipliciter admiscere non tantum solemus, at fermè cogimur, cum Græca Latinis comparamus: velut apud Macrobium in collatione Homeri Virgiliique. Nam si Homeri carmina vertas, quænam tunc erit comparatio? vel si volumus omnem Græci auctoris ἔμφασιν exprimere, non sententiam tantum, velut in Aristotelicis auctoritatibus excitandis frequenter accidit, vel si vocabuli proprietas nullo ferè malo latine explicari potest, velut ἀπὸ & βιζὺν & γρῦ, quæ explicari satis latine nequeunt. Vel quod longa periodo explicatur, vt apud Ciceronem ἀστρατήγητος, (*i. sine ducali virtute.*) vel similia continet, vt διαβόητος, qui vel ob virtutem vel vitia diuulgatus ac cunctis notus est, cum in vtranque partem accipiatur: sic apud Ciceronem ζηλοτυπία. Vel breuitatis causa, vt illud apud eundem μὴ δὲ δίκην, pro toto carmine μὴ δὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Ne causam iudicaneris antequam vtriusque partis rationes audias, vel quia Græco scribimus, vt ad Atticum pleraque, vel verecundiæ causa vt apud Ciceronem αἰσχροῦ φαντασία (id est, *turpis visum.*) Vel honestatis, vt apud eundem φιλόδοξος, honestius enim quàm ambitiosus: vel obscuritatis, vt illud Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην (id est, *Polydamas mihi exprobrauerit.*) vel quia alterius verba referimus, vt apud Suetonium in Neronis vita: θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ (*i. Mori me iubet vxor, mater, pater.*) & illud in dictatore καὶ σὺ τέκνον! (*& tu fili.*) decebat enim mentis constantiam reddere: licet & concinnitatis causa, vbi vocum collisio fit quæ ad Latinam transire nequeat, vt illud Diogenis cum in balneo furem spectaret dixit: ἐπ' ἀλειμμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον; quòd est, an ad vnguenta an ad aliorum vestem, gratiam tamen vocum ad Latinam linguam translata amittunt. Sic etiam in prouerbiis, cum Latina non obtineant prouerbij locum, necessaria est Græca vox, vt illud τρυγόνος λαλίστερος. (*i. turture loquacior*) Nam apud Latinos vicem non obtinet adagij, vt nec illud, οὐκ ἄνευ Θησέως (*i. non sine Theseo.*) quòd nomen proprium viri sit, historiámque Græcam in se contineat. Dictiones etiam Græcæ si Græcè scribantur cum nondum Latinam variationem receperint, melius in contextum orationis veniunt, ἀποστροφὴ quàm apostrophe; & διαστολὴ quam diastole: diligit & Quintilianus συλλογισμὸν potius quàm syllogismum, etsi Latinam

Latinam receperit declinationem. In exponendis Græcis ac Latinis dictis fine discrimine necessaria est vox Græca, vt apud Cœlium Rhodoginum frequentissimè legere licet: titulus autem re congruit, Antiquatum lectionum, ipsi instituto. Sic & in Erymologiis nominum ac verborum deductione, vbi fides Græcæ vocis est imploranda: tum verò in his quæ iam vsus peruerterat, cumque non parui momenti sit restituisse, Græcam requirimus lectionem: vt apud Alciatum videre licet, cum falsam Accursij de vsuris interpretationem contrahit. Liceat & propria quadam professione, vt Bolæo in commentariis Græcæ linguæ, & Grammaticæ professoribus. Item si interpretatio dubia sit ex ancipiti verbo rectè Græcam dictionem apponimus, vt legenti integrum rei iudicium relinquatur: velut apud Galeni interpretes verecundiores spectare licet. Neque enim ambigua nolle decernere, est ineruditi, sed velle potius temerarij: ergo cum tot modis liceat, visum est aliquibus ineptè tamen, passim licere. Nam in historia vt minime decet, sic non videtur fermè necessaria, nec in translatione vbi nihil ambiguum sit quod nos cogat: nam quæ circumambiendo solum declarari possunt, artem vertentis desiderant non breuitatem. In his duobus generibus vix vox Græca Latine admiscebitur: exemplo sit T. Liuij & Salustij historia, tum Platonis libri satis fideliter à Ficino conuersi. Quorsum enim si secus fieri possit spectat Græca vertendo, Græca relinquere? nec igitur Græca verba semper admittenda nec fugienda, cum verò nulla est necessitas fugienda permistio plurium linguarum est, quæ minus elegantem reddere solet orationem, vt etiam Cicero rectè iubet. Quanquam illi in hoc, quòd linguam Latinam floridam efficere cuperet minus sit credendum; nam & Latinam prætulit Græcæ etiam in copia, quæ quanquam synceritate superior sit: quòd tamen abundantior etiam dici debeat, nulli alteri à Cicerone credam, nec ipsi, nisi oratione longa id mihi persuadeat. Verum cum illum diuersa in hoc sensisse videam, laudabo artem, testimonium non recipiam. Sed ad rem historiæ redeo, quæ non solum candida & pura & ordinata, sed sine vitio esse debet: absurdum autem fuerit si ex innumerabilibus pauca vitia recensere voluero, tum præsertim cum Lucianus de his etiam scripserit: nostrum enim est solum rerum capita summa attingere. Igitur historia perennis vel de illustri re esse debet, vel admodum ornata; verum si primum desit, vix vlla diligentia sufficiet, vt diu possit manere. Porrò res illustres sunt vel magnitudine bellorum vt Romanæ, vel fœlicitatis vt Alexandri, vel fama & tumultu vt Artaxerxis vel Xerxis, aut quia summa rerum in his versatur, vt Bruti & Cassij aduersus Antonium & Octauium, vel Cæsaris ac Pompeij. Quanquam Bruti & Cassij gesta aduersus triumuiros etiam scelerum admiratione magna sint. Extremum est eum inter maximè celebratos populos magnis affectibus longo tempore miroque euentu bellum geritur, velut Peloponense quod à Thucydide describitur. Verum si omnia hæc vniuersalis quædam historia complectatur, non iniucunda erit. Sed tamen in his breuitas multa nos prætermittere cogit. Prolixus sermo fastidium parit: summa moderatione in his opus est. Clari apud Latinos habentur Liuius, Salustius & Tacitus, apud Græcos Herodotus, Thucydides & Theopompus. Iustinus ab ambitu, cuius imitator Sabellicus, Q. Curtius ob Alexandrum in precio est. Ergo plus ratio scribendi, quàm gestarum rerum magnitudo ad operis perpetuitatem facit, non quòd hæc legi digniora, sed quòd difficilius surripiuntur. Est autem hoc in omni scribendi genere verissimum, ornata magnis ac necessariis dum lingua manet præstare: at si lingua desierit, tutiora sunt quæ artes ac res magnas continent, quàm quæ facunda sunt. Ptolemæus in sua lingua penè barbarus ad Latinos totus transiit: Theopompus quamuis elegantissimus interiit. Illud verò quæri à pluribus solet, an Ciceri Liuium antecessisse historia scribenda: & quamuis magna quæstio videatur, si ad ornatum referatur: nulla tamen est, si patientiam in iudicium voces, maxima fortassis erit. Liuij tamen orationes militares magis sunt, Ciceronis locupletiores; quis in ardore gerendarum rerum sapienter fingat Ciceronis affluentiam? Cauendum est etiam in omni compositione, ne verbum pro historia subiicias, velut illud:

Qui fuit Ansonidum, & tacitis regnauit Amyclis.

Nam in oratione soluta frequens fuerit hæc historiarum congeries, qualis apud Pontanum, orationem obscurabit: nec tamen opinionem eruditionis ex hoc assequetur. Vitiosa est etiam in poëtis si adeò sit frequens vt carmen obnubilet, tamen magis obscura & obsuleta, qualis apud Virgilium:

Venerat antiquis Coriti de finibus Acron
Graius homo, infectos linquens profugus Hymenæos.

Porrò rarum exemplum decet, & vt inter stellas subobscuræ reliquas ostendunt splendidiores, sic rara quædam historia ac perbreuis quamuis sub obscura auctoritatem compositioni addit. In hoc igitur genere Papinius peccat. Verum dilucida & breuis eo in carmine, quo obscura longè ineptior, velut illud:

Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.

Geminas enim historias vno recondit carmine, sed dilucidas: vt verò obscura breuitas ingrata, sic insulsa prolixitas, cuius rei tenue sit argumentum, velut illud cuiusdam: At Pontifex magnificentissima Vaticanatum ædium parte, vbi laquearia aurata, lecti ferici, aulæaque eximij operis visebantur, Demetrium suscipi, & togis sericis vestiri iussit. Cum tota eiusmodi sit compositio, quis æquo animo legat nisi illi similis? Quamobrem etiam si peccandum esset, breuitas irrisioni minus est obnoxia: ergo in omnibus habenda est ratio rei, loci, temporis, personæ, compositionis. Nam Tragicos & Lyricos obscura breuitas non tantum ostendit sicut comœdos ac heroici carminis auctores. Reddenda

denda igitur vnicuique est ratio omnium. Quis vibrantem telum non irrideat longam orationem si recitet, vbi moræ periculum vitæ iungitur? at vides quomodo Virgilius inducat:

Ecquis erit mecum iuuenes, qui primus in hostem?
En, ait: & iaculum intorquens emittit in auras.

Et Homerus,

Λαοῖσιν δ' ἀνένευε καρήατι δῖος Ἀχιλλεὺς,
Οὐδ' ἔα ἱέμεναι ἐπὶ Ἕκτορι πικρὰ βέλεμνα
Μή τις κῦδος ἄροιτο βαλών.

Id est,

Populis autẽ annuebat capite diuus Achilles:
Non permisit in Hectorem mittere hostilia tela,
Ne quis iaculans gloriam auferret.

Ergo cum curreret non poterat voce id significare, nec omnibus, quin cursum impediret. Cumque à muro sagittis expeteretur, atrocissimum etiam hostem potius sibi eripi quàm ab alio occidi malebat, quòd gloriæ cupiditas itam etiam qua insaniebat vinceret. Nimirum igitur in tanta arte illud peruulgatum, tria ex æquo difficillima fore, fulmen è manu Iouis, & ab Hercule clauam, & ab Homero carmen auferre: quòd etiam si auferatur æque difficillimum esse, inuenire, cui carmen illud conuenire possit. Est ergo Poëtarum qui in genere delectandi sunt virtus summa bene fingere, aptéque, describere: sed artificum & historicorum non bene ficta, sed nullo modo ficta esse debet. Porrò Poëtarum Homerus Princeps carminis magnitudine, rebus gestis; nam Troianum bellum Græcorum & Barbarorum Europæ & Asiæ certamen fuit, figuratum lepore, inuentione, imitatione, sententiarum grauitate doctrina. Hunc imitatur apud Latinos Virgilius. Verum cum illius gloriam non se assecutum intelligeret, neque enim ob aliud moriens cremari mandauit opus, vt vel seruatum, vix enim verisimile fuit testamentum non irritum fore, laudem Augusti mereretur, vnde illud eiusdem:

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nephas? ergo ibit in ignes
Magnáque doctiloqui morietur musa Maronis?

Tum reliqua quæ in operis Virgiliani laudationem ab illo scribuntur. Non solum ergo pudice seruari meruit, sed maioris spei si superuixisset fidem accepit, auctoritatemque ab imperatore maximo consecutus est, cum qua ad nostra vsque tempora peruenit. Et quanquam hæc sapientiæ portio humanæ non naturalis pars sit, imitatione tamen quadam Timanthis laudanda est. Nam cum Iphigeniam vt Plinius refert ad aram stantem pinxisset, ac Græcos summo dolore vultum tristem præferentes: tristissimum adeò etiam Menelaum patruum, vt ne quicquam ad vultus mœrorem addi posse speraret: cum Agamemnon pater & ipse pingendus esset, quod arte non potuit consilio effecit: vultu enim velans tristitiam illius non oculis sed astantium menti æstimandam reliquit. Sic ille artifex non ignobilis maiora etiam in coniectura quàm quæ arte exprimere valeret reliquit: quòd cum artis pars sit, non multum à vera Virgilius sapientia recessisse visus est, cum tam honesta inuentione & se ab omni accusatione & opus à comparatione vindicauit. Est & Euripidi & Sophocli in tragico genere magna laus. Senecam nostri multum refugiunt, rem tamen raram, & grauissimis sententiis aggressus, superuixit. Exemit à temporum iniuria paruitas, & absolutum dicendi genus, Tibullum, Catullum, Terentium, Propertium: Aristophanem Satyrica dicendi mordacitas, tum lepor maximus ornamento iunctus, merito illum à temporum calamitate defenderunt. Interiore tamen quædam meliora deterioribus seruatis, sed in gloria etiam velut in cæteris fortuna partes suas sibi vindicat. Nulli tamen in vllo genere optimi illius violentiæ patent, nec vltimos diu seruate potest: Ergo in mediis ea libertas est, nam Martialem seruauit, quem tamen Plinius interiturum breui putabat, & quod operi nocere credebatur, impuritas linguæ sermonisque Latini temporum calamitate ei profuit, cum bonis sublatis auctoribus auctarium quoddam videretur. Maxima fuisset æui iniuria, quæ Horatij Poëmata & Plinij Panegyricum sustulisset. Cum enim breuia hæc essent, elaborata, rotunda, expolita, nitida, sententiosa, venusta, merito etiam illæsa ad hos peruenerunt. Ouidium seruat auctoritas, tum maximè libri cuius titulus est Metamorphosis. Assurgit ibi plerunque oratori similis, vt in Vlyssis & Aiacis contentione: Historiam eleganter describit multitudine insignis, fabellarum continuatione admirandus, ergo liceat illi irato & dolenti dicere:

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrũ, nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spacium mihi finiat æui.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, noménque erit indelebile nostrũ.
Quáque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, pérque omnia sæcula fama,
Si quid habent veri vatum præsagia viuam.

Ecce quàm sapienter gloriæ dignitatem explicat, peris diuturnitatem præuidet, animi immortalitatem testatur, imperium cum lingua, linguam cum operis vita nectit, vitæ huius paruitatem ostendit. Sed nec Horatius in simili genere deceptus est, dum dixit:

Non vsitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates, neque in terris morabor
Longius: inuidiáque maior.
Vrbes relinquam, non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte Mæcenas obibo:
Nec Stygia cohibebor vnda.

Et alibi clarius repetit etiam dicens:

Exegi monimentum ære perennius,
Regalique pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam: vsque ego postera

Crescam

Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Sed & Pindarus æternam suam famam prædicat illic:

Ἑτοῖμος ὕμνων
Θησαυρὸς ἐν πολυχρύσῳ
Ἀπολλωνίᾳ τετείχισται νάπᾳ.
Τὸν ὄτι χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν
Ἐριβρόμου νεφέλας στρατὸς ἀμείλιχος
Οὔτ' ἄνεμος ἐς μυχοὺς ἁλὸς
Ἄξει παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενος.

Id est,

Certus hymnorum thesaurus in aureo Apollinis campo munitus est. Quem non hybernus imber de composito illatus, ferus exercitus nubis vehementer crepantis, neque ventus in angulos maris violenta inundatione duces verberans.

En vides Horatium imitari Pindarum, vt ex verbo ferme: quanquam ferant illum potius Alcæum imitatum, quòd Pindarus non sit imitabilis. Sed sit sublimis ac diuinus Pindarus quantumvis, non habet tamen tota Græcia nec cum Alexandri propagatione vnum Horatium. Non negarim illum & priorem fuisse ac religiosiorem. At nunc illis suus Pindarus relinquatur, nobis Horatius satis erit. Ad rem reuertamur, vides Poëtis non solum Lyricis, sed etiam Ouidio licuisse seipsos laudare: quod vt Poëtis quibus omnia licent, furoréque vt Plato air aguntur, non inconuenit, cæteris turpe quidem nisi præscriptis legibus in oratione erit. In quo genere Cicero adeò peccauit, vt ad fastidium & nunc legentium & tunc audientiũ perueneri. Vnde de seipso vt scribere rectè difficillimum, sic apposite laudabilissimum. In qua causa vt in reliquis etiam historiæ partibus, Cæsar reliquos omnes antecellit, suam scribens historiam, pure, ornate, candide, clare, nec diffuse nec breuiter: vt quantum armis imperatores cæteros, tantum in historia scriptores reliquos antecesserit. Forsitan quis quærat quæ ratio scribendi magis arrideat? sua quæque suo reddenda tempori, simplices magis delectat fabula, nasutos historia. ob id antiquo tempore omnia figmentis obuoluebantur: nullus historiæ locus: cœpitque amari scriptura ob fabulam, & Poësim: nunc contra fabula pueros solos delectat; atque ea causa est, cur antiqua omnia fabularum inuolucris plena sint: nec de illis quicquam certi habere fas sit. Sed vt ad Ouidium reuertar, fateor plurima periisse eiusdem auctoris, sed non eadem tamen cura. Periit etiam elaborata tragœdia, sed forsitan adeò placuit paucis, vt ob difficultatem non placeret pluribus, vel quia solitaria, ideò periit. Nam & paruitas immoderata contemptum, & ex hoc parit internecionem. Magnitudo ad conseruationem optima, ad reparationem difficillima. Mediocritas igitur vt & in aliis causis præponatur. Verum qui & breuitatem reparationis causa, mediocritatem delectationis, magnitudinem auctoritatis contemplatione quæsierunt, libros in minutas diuisere partes: quod genus compositionis in Platone, Aristotele, Theophrasto spectare licet. Et quanquam multa seruata sint: multa tamen perierunt in duobus postremis, quòd magnitudo excessisset. Moderatio igitur in Platone omnia illius opera integra ad ætatem nostram produxit. Nocet autem multitudo librorum, non solum ob magnitudinem in reparando, sed plerunquein deterioribus minuit auctoritatem. Et iure quis credat hominem & multa & optima scripsisse? ergo vt librorum multitudo auctoritatem auget scribenti, sic à scriptis illius minuit: præsertim cum non eodem stylo omnia exarantur. Artium igitur præclarissimi scriptores sunt Plato, Aristoteles, Euclides, Archimedes, Vitruuius, Ptolemæus, Hippocrates, Galenus Dioscorides, Cicero, Quintilianus, Theophrastus: quidam artium partes scripserunt, vt Hieron de spiritalibus instrumentis, Athenæus de machinis. Ergo illorum qui artes perfecerunt summa laus erit. Aristoteles de animalibus opus scripsit octingentis talentis ob impensam ab Alexandro acceptis: ea est summa quadringentorum octoginta mille coronatorum: neque ergo vllus alius huic operi vel industria, vel pecunia, vel Philosophiæ rationibus, vel magnitudine imperij regis sufficere poterat; verum hi libri non omnes extant. Expleuit & omnem Dialecticæ partem, & Philosophiam ad apicem deduxit. Horum igitur trium palmam Aristoteli certam relinquamus. Theophrasto de plantis, Dioscoridi non nisi vt ad medicinam vsui sunt summa laus compositionis erit, Hippocrates medicinam inuenit, & magna ex parte perfecit: duo tamen illius maxima capita, dissectionem & pulsuum cognitionem Galeno fermè intacta reliquit, quæ ille adeo perfectè tradidit, vt cum sit proprium succedentium in cunctis aliis prioribus aliquid addere, in his tamen nemo quæ ille inuenerit perfectè potuerit assequi. Ptolomæus Astrologiam perfecit, & Geographiæ omnia rudimenta. Nam quòd ad cognitionem locorum & nominum attinet, cum alterum temporis diuturnitate in perpetuo sit argumento, reliquum in variatione non potuit perficere. Inuenit & in musicis participationem ab artificibus vocatam, rem quasi penitus in instrumentis ac vocibus necessariam. Plato moralem tradidit disciplinam: Architecturam Vitruuius: Euclides Geometriam, quæ ad quinque corporum ac figuram rationalium constitutionem & mensuram attinet. Archimedes quæ ex variabili corporum aut arearum constat ratione: ille prior & vsui aptior ac ordinatior: hic sublimior & admirabilior: vterque tamen in suo genere optimus & certissimus artifex. Quintilianus & Cicero Rhetoricam. Hæ omnes scientiæ inuentæ sunt ad summum apicem perductæ, vel ad omnem saltem vsus commoditatem. Porrò aliæ sunt nondum perfectæ, sed quibus multum desit, velut Arithmetica: quàm nos perficere volumus. Atque in his etiam votum laudabile est: an fecerimus aliorum est iudicare. Nostra enim nimio plus quàm debent placere solent. Proxima laus est eorum, qui primis innituntur; sunt autem horum genera tria, vel enim exponunt, vel reddunt, aut contradicunt: vnde Homeromastix vel Virgiliomastix; est enim in admiratione rectè virum inclytum oppugnare: sed vt hoc pulcherrimum, sic è diuerso ineptissimum non assequi quod velis. Sic

Scotus Thomam oppugnat, Occhanus ambos; neque vlla in doctrina contradicendi studium apertius, quàm vbi contradicere minime decere putant. Attamen & Grammaticuli sibi inuicem contradicunt, & Medici aliquãdo, Auicenna Galeno, Diomedes Prisciano, Valla omnibus, alij huic. Verum post Theologos discipuli magistrum imitantur, Nempe Aristoteles Platoni, Themistius Alexandro, vtrisque Auerroes: sic collectorum liber auctoritatem ab enormitate sumpsit: igitur contradicere celebri auctori non secus quàm qui magnas res demoliuntur auctoritatem præbet. Sic Pausaniæ quod Philippum Macedoniæ Regem, Olgiato Hieronymo, quod Galeazium Sfortiam occiderit gloriæ tribuitur: alij tyrannides subuertere. Sed hæc humana forsitan sunt, verum qualiacunque sint inferius quantum conatus possit docebimus, nunc hos solum attingere par est, qui recte maximis viris aduersantur. Difficillimum est autem benè scribenti contradicere, qui verò magni sunt, nihil sine ratione affirmare solent. Quamobrem pauci valde contradicendo si circa auctoris sententiam non versentur, gloriam consecuti sunt: at exponendo non pauci: nam Ptolomæus & Euclides Theonem secum trahunt, Archimedes Eustocium, Aristoteles Themistium, Alexandrum, Ammonium, Ioannem cognomẽto Grammaticum, Simplicium, Auerroem, plurésque alios. Virgilius suum Seruium, & Homerus Dydimum, nec Galenus ea gloriæ parte carere voluit, Hippocratis omnia quæ essent genuina opera exponens, oppugnauit & Erasistratum temporibus suis famosum, vt Ptolemæus in Geographia Marinum. Quidam etiam scientias ipsas amoliri tentabant, velut Ioannes Mirandula Astrologiam, & nebulo quidam vniuersas bonas artes. Tanta est hæc sitis, vt etiam sanda & inacessa dicere & superare nitantur: quidam tutius aduersus deploratas res scribunt, velut Plinius qui contra magiam, Auerroes qui contra eccentricos & vocatos epicyclos, & Philistius qui contra diuinatorias artes omnes Græce inuectus est, nam Arabice scripsit Auerroes, Latine Plinius: ergo etiam aduersus Lamias scribere licuit. Sed tanto admirabilius insulse tamen qui de eis scripserunt, sed vicit admiratio stultitiam. Non igitur quæ scribas tantum refert, quantum quomodo: cum vera historia & vtilitas, falsa & veris simillima imitatio quæ esse non possunt, admiratio tueatur & in precium ducat. Illud sanè admiratione non mediocri dignum, eos qui cum legibus exorti sunt maximam gloriam etiam si mediocriter scripserint consecutos: contra qui cum lingua etiam generose excidisse, cum tamen consideranti hoc non obscuram habeat causam; nam lex ex summo quodam conatu oritur, dissipaturque tempore. Contra lingua exoritur sensim augetúrque temporis incremento: illis igitur auctoritas maxima, minima verò his. Sed qui reddunt linguam lingua commutant, quales nunc habemus Argiropilum, Trapezuntium, Gazam, Leonicenum, Bessarionem, Morum, Amasæum, Cornarium, Andernacum, Linacrum, Copum, Alciatum, bellisarium, Fichardum, Syluanium Rotam, Felicianum, Demetrium, Stephanum Nigrum, Montanum. Sed omnes Erasmus quadam felicitate vincit potius quàm arte: nec Licrano Alciatoque ac Politiano sua deest auctoritas. quid moror singulos? ne commemorabo, aut singulorum exponam labores, aut in odiosam illos comparationem adducam satis explicasse pro exemplo plures qui vertendo auctores, gloriam sibi compararunt. Primus certe in hoc genere, vt & optimus, Cicero fuit, qui Demosthenis & Æschini orationes contrarias vertit, & Xenophontis de tuenda re familiari libros, quæ omnia ob paruitatem interierunt. Proximus illi Boëtius, qui vniuersa quæ tunc Aristotelis volumina extabant conuertit. Campanus etiam non è Græco sed ex Arabico Euclidem cum ad nos traduxisset, etiam expositionis laudem assequi voluit. Quatuor igitur cum sint capita librorum condendorum, necessitas, vtilitas, delectatio, admiratio quæ delectationis pars est. Necessitas artibus & partibus artium debetur: & nunc artes quædam etiam ex toto fermè definiunt, velut Musica, cuius cum sint tria Διατεσσάρων genera, Diatonicum, Chromaticum, & Enarmonicum: Diatonicum tantum superest. Opcam Bacchus quidam docuit, verum & illius non parua pars remansit intacta. Multæ etiam Philosophiæ partes desunt, velut de lapidibus, de metallicis, ac alia multa: Ergo non res ipsæ sed inuentores deficiunt. Vtilitas verò expositoribus & his qui vertunt accommodatur. Delectatio fabulis, Poëtis, amatoriisque narrationibus inest. Admiratio comparationibus & contraria sentientibus. Historia vtilitatem & voluptatem secum affert, quandoque etiam admirationem: vtque est hæc omnibus sublimior, sic si temperata non sit, fidem quæ historiæ neruus est ab illa aufert. Quamobrem Salustius & Cæsar quantum possunt prodigia vitant: nec tamen abstinuit Cæsar, præsenti potius vtilitati quàm historiæ synceritati consulens. Cum enim iniustam fouisset causam, scilicet tyrannidem, finxit Deorum factum non suum, ostentis ac prodigiis victoriæ suæ additis. Verum T. Liuius quæcunque fidem historiæ labefactare possent, non solum aliorum relatione refert, verum etiam addita his sententia sua damnat. Porrò vtilitatis & necessitatis genere quidam multa simul conscripserunt, velut Plinius auunculus, Raphaël Volaterranus, Aulus Gellius, Cœlius Rhodoginus, Alexander ab Alexandro, Alciatus, Erasmus qui vnam in multis rationem inuenit: sic Suidas, Athenæus, Iulius Pollux. Alij vtilitati solum seruierunt interpretantes nomina, velut Ambrosius Caleplnus, & Hesychius. Omnes autem qui multa de multis scripserunt, nec vnum in his ordinem, non vnum dicendi genus seruauere, sed quasi agglomerata coniunxerunt, velut Plinius & Erasmus multorum lectione adiuti sunt. Prodest enim quamplurimum hæc solertia his, qui non rotundum opus absoluere curant: at Aristotelem & Platonem & si de pluribus scribant, facile est intelligere sua non aliena scripsisse. In his quæcumque linguam retinent, & rotunda sunt ac expolita, perennia etiam erunt, breuis æui

quæcunqua

quæcunque successorem reperire potuerunt. Horum autem velut & filiorum qui diuersa volumina condiderunt, non vnum genus eloquij, sed pro materia diuersum esse conuenit, quòd maxime Ciceronem ipsum loquendi nobis auctorem obseruasse vidimus. Neque enim Epistolæ & Orationes ac Rhetorica ars eodem stylo scriptæ sunt, quineriam & Orationum & Epistolarum inter se diuersa admodum ratio dicendi est: Sed tamen in omnibus summa virtus est, vt liber vitio careat. Quamobrem Isocratis orationem de Helenæ laudibus nemo rite probauerit, vel iustè, non solum ob procemij longitudinem, sed quòd fabulosa veris admiscet. In Encomio tum præsertim cum locuplex veræ laudis materia nunquam fuisset defutura. Atque vt in hoc genere vituperanda, sic summam artem amplectitur, cum vltra omnem laudationis cumulum, quo satisfecisse encomio potuit, longè plura in expectatione quàm dixerit relinquat. Ergo eadem res laude & vituperatione digna erit, & cum omnibus temporibus suum dicendi genus conueniat etiam in eadem materia: mediocritas tamen in cunctis seruanda est. Vt autem bene scribas, optimum quenque imiteris. Namque, vt refert Halicarnasseus Dionysius, Thucylidem octies Demosthenes rescripsit, ac totum penè memoria didicit: sunt qui ferant sæpius, & ab auctore conscriptam eam historiam vt par esset in Thucydide laudis causa, quæ in Demosthene exempli ac testimonij. Fabularum palmam ac ludendi quanquam Æsopo quidam tribuant, Lucianus tamen humanos affectus tam lepide ludit, vt illum pueris non hominibus qui ætatem perfectam sint consecuti præpositum credam. Quis enim vel totum Æsopum vni Lapirharum conuiuio audeat comparare? cum etiam in dicendi ratione plurimum intersit. Nimirum igitur & Luciani dialogos tam diu seruatos, quem Apuleius longa fabella imitatus est. In seriis verò narrationibus auctoritas scriptoris si addenda in libro sit, caue ne nimium vsu viluerit, vt apud nos Cato, & tamen etiam si parce & cum quadam verecundia inducatur, non indecens est. Et si ex Græco Poëta sit, carmina ipsa vel Græce scribenda sunt vel Latine. Indecēs enim est audire Poëtam non numerosa oratione loquentem. Historia verò fabulosa, præter id quod admitanda est, miram etiam præbet delectationem, velut Philostrati de Thianæi vita: & in hoc genere multi materna lingua scripserunt. Quidam historiam fabulosam condiderunt, veris ac falsis simul mixtis, vt Athenæus aliique plures: ergo non tantum refert quid scribas, quantum quomodo. Vnde si orbis incogniti historiam, quæ per se iucundissima est, sed à multis satis inepte, quis in vnum ornate redigeret, æternam sibi famam comparare posset. Cum Strabo totiens mutilatus, ac adeò fabulosus non leuiter placeat. Sed hoc tamen regis auxilium desideraret. Vtilitas rei si cum stylo coniuncta sit, librum tuetur. Quamobrem Varronis Columellæque ac Catonis de re rustica libri seruati sunt, & Celsi de Medicina victus à Columella æquali suo in re rustica non mansit. Optimè dicere in numeroso pede etiam non seruato candore linguæ seruauit Iuuenalem, breuitas Persium, magistrique eius Cornuti, qui in illum expositionem scripsit, auctoritas. Magistrum enim discipuli scripta exponere, nec plane intelligere, admiratione non parua dignum videtur. Quamobrem & illud ad laudem eius celebratur:

Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quam leuis in tota Marsius Amazonide.

In comparationibus cum nihil sit voluptuosius, maxima est diligentia adhibenda, vt loca simillima sibi inuicem respondeant. Quid si qui Ciceronem Demostheni, aut Aristoteli Platonem comparauerit? Lectitatur Trapezuntius cùm puram redoleat bilem non comparationem, & Bessationis congeries habet sui studiosos. Quid si quis aptè illorum scripta Platonis scilicet & Aristotelis contulisset? ergo si non industria desit & labor, modus non deest ad perpetuam scriptis gloriam assequendam, sed tamen Horatiani illius præcepti memor eris, vt quodcunque si nouum prematur in annum, non solùm quod tempore eruditiores euadimus, sed multa quæ ob animi impetum nobis placent, aliis non placitura, deferuescēre animi furore cum non placeant in melius mutantur. Tamdiu igitur cum in sermone de construendis libris mansérimus peccasse nobis videremur, multa paucis scribentes, nisi eodem consilio artéque docuissemus etiam, quinam libri lectione digni sint, quósque maximè eorum seligere, vt citò proficiamus deceat. Nam velut Cicero suum habuit semper Terentium secum: sic vnumquemque oportet qui citò velit proficere, non solum optimum in ea arte sibi præponere, verum & qui optimè etiam artem tradiderit, ornatè scilicet & ordinatè: Ergo multis sic multa scripsisse videmur. Neque verò hæc tantum placebunt, quæ ad diuturnitatem spectant, quàm quæ ad bene viuere, atque ideo etiam longiora quàm par sit existimabuntur, Quoniam bonum & malum sentimus, diu esse non sentimus, sed in ampla spe collocamus: ob hoc, cum non minus diu quàm bene esse optent homines, bene tamen viuere omni industria quærunt, diu viuere negligunt. Pari ratione & bonam animi institutionem paruifacimus, quòd quilibet & virtute animi & prudentia abundare se putat. Corporis & fortunæ bonis non ita: nam nos ipsos putamus animum, cætera extra nos esse, quare fit vt nulli minus quàm mores & animum nostrum instruenti, quòd ab ætate puerili initium habet, æquas aures exhibere soleamus: & si qua nobis vitia insunt, adeò obduruit in hoc humana mens, vt cætera quidem omnia, hæc sola tantum pro vitiis non ducamus. Itaque fit, vt vtiliorem institutionem, etiam illorum sententia, hoc errore decepti relinquamus tanquam inutilem, alias amplectamur. Verum nos non hominum falsam existimationem, sed vtiles omnes partes, quæ ad bene viuendum conducunt, postquam quomodo quis diu viuere queat plene docuimus, aggrediemur. Ergo naturalis sapientiæ institutum, quod ad beatam pertinet vitam, animi virtutes, bonam valetudinem, integritatem sensuum, conscientiam rectæ vitæ,

honestatem & amorem, quem amicitiam nuncupamus amplectitur. Quinque enim scopi esse videntur illius qui naturali sapientia præditus est, animum eruditione & virtute excolere, corporis vires seruare, vitæ commoda præstare, personæ decorem tueri, honestatem sic in cunctis operationibus præferre, vt nihil iure reprehendi queat. Iam igitur cum legem nobis præscribimus, non dedignabor illud Catonicum in medium afferre, Legem quàm tu ipse tuleris seruato. Docuimus enim compositionem omnem ordinatam, completam, emendatam, dilucidam atque ordinatam esse debere. Quamobrem omnia si sint seruanda, ab initio animi virtutes ac post ipsas eruditio explicanda, demum reliqua suis locis. At verò ille veræ virtuti incumbit qui caret vitio. Namque vt Horatius dicit:

Virtus est vitium fugere, & sapientia summa Stultitia caruisse.

Hei quàm latè patet hoc præceptum, quod à plerisque contemnitur: etenim summa laus virtutis est vitio carere, vt omnem fermè virtutis laudem assequatur qui non peccat. Porrò ex vitiis cum omnia fermè beatam vitam impediant, crudelitas, ira, ambitio, & inexplicabiles vertigines inducant: tria tamen principaliter, ac per se beatæ vitæ obstant, timor, inuidia, & auaritia: nempe cum beata vita securitate, lætitia, & commodis rerum constat: timor securitatem: inuidia lætitiam: auaritia commoda aufert. Igitur hæc tria omnino directè cum beata vita perpetuum bellum gerunt. Namque timidus misero: inuidus infelici: auarus pauperi æqniparandus est. Paria enim sunt seu talis quis sit, aut talem se existimet: quid enim refert ad infelicitatem damnatusne sis, an quod damnatum te putes? non quidem ad futurum tempus, sed ad præsens tantum ratione habita: Ergo infelix non secus timidus quàm miser: & auarus quam pauper: & inuidus quàm ærumnosus. Vnumquodque igitur horum diligenter explicabitur, si prius docuero, hominem ad tria comparandum, ad seipsum, ad domum, & ad ciuitatem ac eius partes. Vnde tres morales institutionis differentiæ, Ethica, Oeconomica, Politica: virtutes igitur ac eruditio ad hominem ipsum pertinent. Vnde ipsum etiam nihil magis lædit, quàm si vel inuidus sit vel timidus vel auarus. At verò exercitatio virtutum reliquas moralis Philosophiæ partes complet, & in his præcipua est prudentia; bona verò corporis ad ipsum etiam hominem tantum spectant, similiter & fortunæ. Verum quæ fortunæ, cum in his amici ac filij & affines & vxor contineantur: etiam cæteris moralis Philosophiæ partibus, Oeconomicæ scilicet, & Politicæ inseruiunt. Igitur vt à timore exordiar, qui magis naturalis est, quem etiam supra vitæ longitudini obesse docuimus, quòd id quod in timore ætatis ducitur, non pro vita, habendum sit, nihil magis homini nocet quàm timor: timidus enim ad omnia inutilis est. Vnde rectè finxerunt antiqui quendam, qui Herculem formidabat, cum è specu in quo ob timorem se abdiderat, illum conspexisset, in lapidem conuersum, quod lapis ad omnia opera vtpote inanimatus sit inutilis: ostendit autem vehementiam affectus timor, quod si magnus sit repentinam mortem possit inducere. Cor salit in illo etiam si mediocris fuerit, tremunt membra, pallet corpus, nutat lingua, & si diu perseuerauerit exedit carnes, mentemque deiicit. Igitur non aliud tormenti genus quærendum est, si timore quispiam laboret; nec sapiens igitur aut felix esse potest homo in tanta animi perturbatione; quinimo carere animo timidi à veteribus crediti sunt, atque ideò exanimari præ timore dixerunt, quasi timidis ipsis animus absit: quonam pacto igitur si animum non habeant, consilium, aut prudentiam, aut voluntatem retinebunt? rectè igitur apud Ennium dixit ille:

Tum pauor sapientiam omnem mihi ex animo expectorat.

Vide qualis affectus sit timor, qui crepitare cogit dentes, quòd solum morbo letali conuulsis fermè accidit; atque vt pueros prætercam, quibus symptoma hoc ob vermes familiare est, cæteris omnibus perniciosissimum signum semper est: & si tantum animam corpusque nostrum timor conturbat, quis timidus felix esse potest? verum timidus dicitur, qui non metuenda metuit. Non sunt autem metuenda necessaria, nec leuia, nec rara. Mortem igitur, vel exilium, vel fulmen non timebimus, reliquorum etiam quæ breuissima sunt nullus timor torquere nos debet: grauia itaque imminentia diuturnaque, ac quæ vitari possunt, declinari magis quàm timere; siquidem sapiens Deum imitari debet, ille enim nunquam cum irascatur aut misereatur, indulget tamen vt misertus, punit vt iratus. Sic sapiens cum timore non torqueatur, non minorem tamen prouidentiam in periculis ostendet, quàm timidus vbi res ipsa hoc expostulet. Similis etiam ratio est in spe: namque vt malorum exspectatio timor, sic bonorum spes vtrumque torquet: quoniam sola securitas homini sapienti ad felicitatem congruit. Porrò securitas cum vel non speramus, nec timemus, vel solum ea speramus, in quibus falli etiam si contingat agnoscere errorem non licet: velut si quis à morte sibi proponat perpetuam vitam, aut gloriam, aut in vita ipsam diuturnitatem: quamobrem sapientissime instituta spes æterni præmij, quam nemo possit coarguere; nam cum perennis sit anima vt docuimus, ac omnino sempiterna, quid refert si in spem etiam optimam illam in vita alas; quamobrem rectè Cicero inquit: non posse coargui qui animos dicunt immortales. Nam si moriantur, nemo est qui arguat, nec qui reprehendatur à morte: si supersint nec tamen loquantur, quod nos in libro de anima humana docuimus, ex omnium philosophorum ac legum consensu, nec quisquam rectè dicentem coarguet: Ergo animum affirmare immortalem, non solum pium & prudens est, sed irreprehensibile: ac multorum bonorum causa. Sed iam de his satis, cum de inuidia dicendum sit, quæ vt minus timore beatitatem lædit, sic latius vndequaque parte, cum longe plures sint, qui inuideant alienis bonis quàm in metu viuant: illud tamen in omnibus

omnibus semper vitiis aduertendum, eos qui inter vtrumque extremum viuunt omnium esse miserrimos, velut qui inter metum & spem, odium & amorem; nam inuidia odium quoddam est, auaritiam & prodigalitatem ac cætera eiusmodi: sed tamen timor qui cum spe est, non vlla re alia minus hominem conturbare solet, verum vt diximus hoc in omni animi perturbatione accidit cum contraria simul illum distrahunt. Sic enim triplex vexatio ei fit duplex, à duplici vitio, tertia à contrarietate. Quamobrem cum vitiorum medium virtus sit, nullius extremorum hoc medium particeps est; sed cum vtrumque ad animi perturbationem pertineat, ipsa virtus ad indolentiam refertur: ergo liberalis nec prodigus, nec auarus vlla ex parte est, nec fortis timidus, aut temerarius, aut ex illis constat: quinimo si rectè cernas hoc medium ab vtroque extremo plus differre videtur, quàm ab altero illorum reliquum. Sed vt ad inuidiam reuertar, omne peccatum excusationem secum habet, aut voluptatem, sola inuidia vtroque caret. Quid enim stultius excogitari potest, quàm vt homo sponte seipsum mœrore ex alienis bonis conficiat? nonne illud planè tibi occurrit, diuersa te velle simul ac facere inuidendo? nam cum inuideas quem tibi inferiorem cupis, inuidia superiorem testaris, neque enim deterioribus inuidemus, atque ideo rectè à sapiente dictum, paruulum occidit inuidia. Qua parte enim superiores sumus non inuidemus: Ergo gloriam adiungimus illi, quem perditum iam volumus. Cum verò præter id quod contabescit homo liuore ac discruciatur, etiam in manifesta pericula deducatur, vel dum alienis bonis occurrere properat, vel alios in mala protrudere, necesse est inuidiam stultitiæ esse partem. Tum verò illud accedit, quòd si ille resciuerit te inuidere, iam & iure quam voluptatem illi de tuo cruciatu afferes, vnde Poëta lepide:

Rumpatur quisquis rumpitur inuidia.

Quasi dicat, non ego maiorem delectationem habere possum, quàm vt inimicus meus tam sæuo discrucietur modo. Quamobrem scite illud etiam:

Inuidia Sicnli non innenere tyranni
Maius tormentum.

Nam præter id, quòd maxime discruciet, nullum finem velut reliqua vitia inuenit; ira enim deferuescit, gula satiatur, libido frangitur, vt etiam odisse quod amas, vel ob facilitatem, vel ob satietatem, vel ob ætatem, vel ob aliam curam incipias: satiatur crudelitas, odium, auaritia habet modum aliquem, inuidia nunquam quiescit, cum semper aliquem esse necesse sit, imò plures qui te ipso vel ætate vel diuitiis vel forma aut virtute sint beatiores, cumque in tam multiplici bonorum genere, tum horum tum aliorum penè innumerabilium multi excellant, nisi vitium minueris cum senecta huic tabi non auxilietur, semitem habes sempiterni cruciatus: ô quam belle Græcus ille expressit eius effectum dicens:

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ·
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Id est,

Inuidia est res pessima: verum hoc solum bonum habet in se,
Absumit enim inuidentium oculos & cor.

Sed non minus eleganter noster Poëta, etsi Latine tamen eam scripsit:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores,
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum: Carpitque & carpitur vna,
Suppliciumque suum est.

Inde etiam paulo post illius ostendit atrocitatem:

Quacunque ingreditur florentia protrudit arua,
Exuritque herbas, & summa cacumina carpit,
Afflatuque suo populos, vrbesque domosque
Polluit & tandem Tritonida conspicit arcem
Ingeniisque, opibusque, & festa pace nitentem,
Vixque tenet lacbrymas, quia nil lacbrimabile cernit.

Ergo maximum sapientiæ beneficium atque summa laus est, hoc monstro carere. Quod quidem cum multis ex natalium detrimento pestis hæc insederit, quadruplici hoc auxilio, quo & timorem & auaritiam cæterasque animi vitia depellere etiam potes, quamvis in tribus animæ dictis pestibus difficilius assequeris. Igitur si inuidiam depellere quæris, non eum cui inuides protrudere, sed magis teipsum eleuando superare potius nitaris. Nanque ex hoc & laboris difficultas, te illi ac aliis æquiorem faciet, & magnitudo status extinguit inuidiam, vel illum cui inuides si superare non licet, amicum tibi facias. Ab omni enim humanitate alienum prorsus est charissimis inuidere. At verò etiam vnum est aliud certius, tum in aliis omnibus optimum auxilium, si initiis resistas, atque vt dicit Poëta.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.

Namque cum cætera animi vitia vel ex corpore vel ex re ipsa suscipiant alimentum, velut iracundia, gula, libidóque, quæ ex corporeis affectibus atque temperamentis, auaritia ex rei occasione ac experimento frequenti oritur. Inuidia ex sola mentis ægritudine cum ducat originem, si ab initio totis extinguatur viribus ac conculcetur, non admodum natura prona ad incrementum facile debetur: iuuat & quod Græci omnium malorum velut ἀλεξιφάρμακον, dicunt aduersus illam, ratio. Cum enim in alienis bonis tenuitatem, breuitatem, instabilitatem, necessitatémque diligenter interitus illorum expenderis, non iam illum potius inuidia quàm commiseratione dignum fore credas. Sed iam de inuidia nimis, cum nemo sapiens eam libenter amplectatur, quòd pœnam peccato iunctam semper habeat. Auaritia ipsa nobis negocium facessit, quæ adeò latè patet: vt pau-

cos mortalium ab illa detineri non videas. Quamobrem Poëta noster rectè dixisse videtur:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Et equidem si non sine auaritia & illo insano habendi æstu diuitiis vti liceret, non ita vt dici sole in illam effuse debacchandum putarem, nam vt inquit Pindarus:

Ὁ μὲν πλοῦτος ἀρεταῖς
Δεδαιδαλμένος,
Φέρει τῶν τε, καὶ τῶν
Καιρὸν, βαθεῖαν ὑπέχων
Μέριμναν ἀγροτέραν.

Quod etsi Latine velis dicere: Diuitiæ virtutibus exornatæ quamvis profundam atque arduam suppeditent solicitudinem, multas tamen adferunt commoditates: Ergo cum auaritia virtutibus exornari non possit, vt non hic diuitias accusare propositum est, sic illas etiam in auaro damnamus, tum præsertim quòd auaritia quæ rapiendo opes quærit, omnium malorum fomes ac mater est. Quot enim iam auaritia regno spoliati sunt? quot miserabiliter periere? nam tyranni omnes ab illa initium sumpsere scelerum suorum, crudelitatis, iniustitiæ, libidinis, & cum Pertinacem, Phalarim, Dionysium, aliósque innumeros perdiderit tyrannos: Alexandrum etiam Seuerum, quamuis omni alia ex parte irreprehensibilem, hæc sola occidere potuit. Quid enim fures, latrones, piratas, sicarios, proditores, falsarios, in tam manifesta sceleta ac perniciosa pericula vocat, nisi auaritia? Quid pudorem impulit perdere, formam prostituere, lenoniam artem exercere, aut quæstum meretricium? auaritia. Non possim Aristophanis de hoc sententiam præterire, quòd opportune nimis nobis occurrat: sic enim sub personis serui Carmidis dominique Chremyli:

Κα. Ἔγωγέ τοι διὰ μικρὸν ἀργυρίδιον
 Δοῦλος γεγένημαι, διὰ τὸ μὴ πλουτεῖν ἴσως.
Χρ. καὶ τάς γ' ἑταίρας φασὶ τὰς Κορινθίας,
 Ὅταν μὲν αὐτάς τις πένης πειρῶν τύχῃ,
 Οὐδὲ προσέχειν τὸν νοῦν, ἐὰν δὲ πλούσιος
 Τὸν πρωκτὸν αὐτὰς εὐθὺς ὡς τοῦτον τρέπειν.
Κα. καὶ τούς γε παῖδάς φασι τοῦτ' αὐτὸ δρᾶν
 Οὐ τῶν ἐραστῶν, ἀλλὰ τἀργυρίου χάριν.

Licet obscœne loquentem Poëtam in obscœnioris sitij accusatione recitasse. Sed iam ad rem ipsam reuertor, nihil enim inuenio, quod vel iustius vel promptius queat damnari. Est enim illa quæ Deos contemnere docet, frangere fidem, gloriam negligere, pudorem prodere, leges corrumpere, amicos fallere, valitudinem infirmare, vitam minuere, odisse charissimos, deseruisse coniunctos. Vnde etiam non male apud Euripidem inducitur Hecuba Polymnestori, cuius filios occiderat, quem etiam excæcauerat, respondere, cum ille alienas subtexeret causas, auaritiam omnis sceleris fuisse parentem his verbis:

Ὁ χρυσὸς, εἰ βούλοιο τἀληθῆ λέγειν
Ἔκτεινε τὸν ἐμὸν παῖδα, καὶ κέρδη τὰ σά.

Id est,

Aurum, si vis vera dicere, interfecit filium meum, & lucra tua.

Etenim vt fabulas relinquam, omnes adeò illam damnant, vt etiam qui eo vitio flagrauerint, vitium ipsum dissimulent, illam verò accusent. Nam & Salustius vir eloquentiæ plurimæ, maioris rapacitatis, de Iugurta loquens, refert illum dixisse dum Roma discederet, Romæ omnia esse venalia, atque etiam ipsam vrbem cito perituram si sit repertura emptorem: considera verbi magnitudinem, orbis domina ciuitas in seruitutem sponte se traditura est, si qui emat inueniat. Porrò emptorem inuenit breui C. Iulium Cæsarem, qui eam à populo primo, postmodum à Crasso Pompeióque, vltimo à Curione ac Antonio tribunis emit. ergo ne tantum glorietur Cæsar de victoriis ciuilibus, cum Romam emerit potius quàm subegerit. Vtque factum Cæsaris non laudo aduersus patriam: sic detestabilius est scelus venditorum, qui cum patria, & seipsos, & filios, & libertatem ac fortunas etiam vendiderunt. Quid igitur dubitabimus etiam auaritiam omnium malorum parentem, omnium vitiorum principem, omnium magistram scelerum vocare? Quamobrem & in Ecclesiastico rectè dictum est, auaro nihil esse sceleſtius. Quid mirum cum animam etiam venalem atque fidem habeat? itaque cum auaritia scelera omnia in se contineat, nec vt reliqua singularis esse possit, quemadmodum perfidia, libido, crudelitas: habet hoc vnum etiam omnibus illis simul acceptis maius, quod monstrum hoc vitia in scelera, scelera in inaudita flagitia conuertat. Nam si quis ob iram vel alterius amorem hominem occidat, sicarius est: si ob pecuniam, latro: si prodat rem creditam ob amorem, leuis appellatur: si ob auaritiam proditor. Ergo cum in vnoquoque vitio illa etiam aliquid ipso vitio maius habeat, omnia verò illa in se contineat quæ maxime etiam sunt execranda, furta, rapinas, impietatem, crudelitatem, latrocinia, fraudes, pelagúsque omne flagitionum, quo alio nomine melius potuit appellari, quàm quo à Seneca, pestis scilicet? Vnde bene etiam in illam iocatus est, cum dixit: Auarum nihil bene facere nisi cum moritur: siquidem cos ditat qui de illius morte lætantur. Omnis enim auarus inimicos suos ditare cogitur, etiam si velit profudere. Sed tamen quid hoc iuuat, vt alios relinquas diuites, teipsum verò ob alium excrucies? nam vt bene dixit Martialis Poëta:

Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.

O mentem insanam hominum tam acriter exerciari, vt tam breui possideas: cóque felicitatem collocare, vbi perpetuus fluxus ac refluxus est. Nam in diuitiis perpetua est vicissitudo, augmenti ac detrimenti: vt non sit in eanim cupiditate felicitas à sapiente reponenda. Sed tamen auaritiæ hoc genus, quanquam pestem animo inferat, multáque incommoda, longè plura pericula, cum sapiente tamen aliquo modo esse potest, si omnino vitiis reliquis careat. Nam & Plato ditatus est, & Aristoteles, & nunc multi qui sapientiã profitẽtur, nihil magis quàm pecunias quærunt. Qui quamvis hac in parte sapientes

tes veri non ſint, non tamen ad hoc auaritiæ genus peruenerunt, quod quanquam raro, poteſt tamen etiam cum ſapientia eſſe. Illud auaritiæ genus ex toto repugnate ſapienti dico, non quod ad rapinam tendit, ſed quòd in neceſſariis tanquam in extrema paupertate laborat, de quo maximè Horatius intelligit cum dixit:

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Maiorúmque fames.

Vt non melius quàm hydropicorum inextinguibili ſiti genus hoc auaritiæ ode illa comparari potuerit. Si enim miſer ſapiens eſſe nequit, quia ſapiens miſer eſſe diu non poteſt, quomodo qui diues eſt, & vitio tamen animi ſolo miſer eſt, ſapiens eſſe poterit? ergo vitiom hoc animi maximum ac ſapientiæ è directo aduerſum. Quid enim aliud in ſatyra ſcribit Horatius, cum Vuidium taxat? dicens:

Vuidius quidam non longa eſt fabula, diues
Vt metiretur nummos: ita ſordidus vt ſe
Non vnquam ſeruo melius veſtiret: ad vſque
Supremum tempus ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat: at hunc liberta ſecuri
Diuiſit medium fortiſſima Tyndaridarum.

Nam hanc tantam ſtultitiam plerunque etiam euentus comitatur infœlix. Verum nemo magis hanc inſaniam exprimit aptè Apuleio in Milone hoſpite ſuo, qui vt inquit ille, ampliter nummatus, & longè opulentus, verum extremæ auaritiæ, & ſordis infimæ, infamis homn. fœnus denique copioſum auri & argenti crebro exercens, exigoo lare incluſus, & ærugini ſemper intentus, cum vxore etiam calamitatis ſuæ comite habitat. Neque præter vnicam paſcit ancillolam, & habitu medicantis ſemper incedit. Nec minus pulchre apud Plautum ſuus Euclio taxatur, longa fabella, ficut nihil ad auariſſimi diuitis tamen viri ſordidam curam anxietatemqoe deſcribendam addere poſſis. Itaque tribus his peſtibus, timore, inoidia, auaritiaque, ex animo pulſis, etiam vitia reliqua explodenda erunt, quæ quidem ſapientiam non admittunt: atque in primis iracundia. Eſt enim vt rectè Ariſtoteles inquit, iracundia exigui temporis furor. Vnde bene apud Horatium dicitur:

Stultitia ne erret, nihilum diſtabit ab ira
Aiax immeritos dum occidit.

Et Comicus etiam rectè illum fingit dicentẽ:

Præiracundia Menedeme non ſum apud me.

Optime igitur reſpondit Plato, interrogatus quonam pacto dignoſcamus ſapientem: Si cum vituperatur inquies, non iraſcatur, cum laudatur non extollatur. Habet autem iracundia vt tranquillitati reluctetur, in cuius ſinu ſapientia naturalis reſidet, vnde in Pythiis Pindarus:

φιλόφρων ἡσυχία δίκας
ὦ μεγιςόπολι
θυγάτερ, βυλᾶν τε καὶ πολέμων
ἔχοισα κλαῖδας ὑπερτάτας.

Id eſt,

O benigna tranquillitas ô ſoror iuris, amplificatrix rerumpubl. conſiliorum & bellorum habens claues ſummas. Quamobrem & de illa Plutarchus ſeorſum librum compoſuit tanquam de veræ ſapientiæ alumna. Neceſſe eſt enim ſapientem habere tranquillitatem animi, quæ ſi non adſit, proculdubio indicat abeſſe etiam ſapientiam: Ergo iracundus quomodo ſapiens dici poteſt? eſt igitur animi tranquillitas & ſignum & cauſa ipſius ſapientiæ. Nam & ſi quis aut ita aut alio animi impetu teneatur, quamvis natura prudens, ſapientiem exercere non poterit. Itaque nec iracundus, aut nimium cupidus, aut temulentus, vel incitatus, aut alio animi æſtu laborans, dum vel vitio ipſo detinetur, vel ſi plurimum eo laborat, ſapiens eſſe non poteſt: quanto minus inconſideratos vel imprudens: ſed temulentia & iracundia non dubie vultum pro affectu ipſo oſtendunt, vt merito Plutarchus iubeat, homines quotiens iraſcuntur ſpeculum conſulere. Quis rogo non irrideat Xerxem Helleſpontum iracundia verberantem? aut Atho monti cõminantem? vel Cambyſem furentem ſepelienrémque pueros viuos, alios paſſim occidentem, ſanum dicat? Sed ſi tantum obſunt hæc ſapientiæ quid porrò dicemus de ſtultitia ipſa? eſt enim non leue ſtultitiæ genus quoddam, quod ſapientiam quandam æmulatur, velut eum vitia pro virtutibus exercent: rapiunt, vt mulctare videantur: crudeliter puniunt, vt iuſtos illos eſſe credamus: auari ſont, vt continentiores exiſtimentur: diſputant de rebus ignotis tanquam eruditi, multáque ſuæ inſaniæ teſtimonia dum altercantur produnt. Quamobrem nihil tam ſapiens vitabit, quàm vel vt de re incerta vel ancipiti vel ignota loquatur. Studebit taciturnitati, laudabitque illud Xenocratis: loquutum fuiſſe pœnituit ſæpius, tacuiſſe nunquam. In veſtitu, riſu, & ambulatiooe decorem ſeruabit: Nam his præcipue tanquam indiciis ſapiens à ſtulto dignoſcitur, vt Salomon inquit: non quòd hæc ad rem ipſam plurimum conducant, quæ extranea ſunt: ſed quòd ſine iudicio & animi trutina recta, quibus maxime ſapientia ipſa conſtat, hæc non poſſint reprehenſione carere. Sed forſitan quis non immerito dubitabit, ſi ſapiens à grauibus animi affectibus liber eſſe debet, nunquid licebit ſapienti amare? cum amor & ipſe furor quidam ſit, vt Plato inquit & poëta:

Et nihil eſt, quod non inſano captus amore Auſit.

Vnde Plautus in Ciſtellaria amantiom ſtultitiam planè deſcribit:

Qui omnes homines ſupero atque anteeo
Cruciabilitatibus animi, iactor, crucior, agitor,
Simulor, verſor in amoris rota, miſer exanimor,
Feror, differor, diſtrahor, diripior,
Ita nullam mentem animi habeo.
Vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.

Quis ſapientem in tanta perturbatione animi dicat? & tamen & illud verum eſt,

Neque falſum, neque ſuave eſſe poteſt quicquam, vbi amor non admiſcetur.

Fel quod amarum eſt, id mel faciet: hominem ex triſti lepidum & lenem.

Ergo amor immenſus vituperandus, mediocris laudandus:

Nam ex immenso stultitia ipsa exoritur, imò stultitia ipsa est. Verum qui mollior est, ex vilibus generosos efficere solet, ex timidis audaces, ex auaris splendidos, ex agrestibus ciuiles, ex crudelibus mansuetos, ex impiis religiosos, ex sordidis nitidos atque cultos, ex duris misericordes, eloquentes ex mutis, vnde etiam illud poëtæ:

Faecundum faciebat amor.

Etenim es Græca historia rectè Beroaldus finxit quendam Cimonem agrestem, stupidum, sordidúmque virum, ac nulli vsui aptum humano, rudem & omnino inhospitalem, ex Iphigeniæ puella amore splendidum, elegantem, ciuilem, audacem, bellicosum, facundúmque euasisse: Ergo amor ipse vt in rustico & duro homine non mediocris illum immutare posset, sic sapienti conueniet si moderatus sit, ac præter cætera longam facit iuuentutem, córque lætitia mulcens, ad omnia opera hominem efficit promptiorem. Verum tamen regibus ac principibus nimis periculosus, vnde bene poëta:

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor.

Et apud Plutarchum Agesilaus Lacedæmoniorum rex, dum adamatum puerum ægrũ mouens exercitum relinquere cogeretur, orãti respondit, quàm difficile est misereri & sapere: Ergo lex hæc in priuatis sit, quam penè omnes Philosophi sequuti sunt. Amauit Aristoteles Herpilidem, Stellam Plato, Alcibiadem Socrates, Cliniam Xenophon, sed & Stoici amauerunt & Cynici, velut Antisthenes, sed amore Biannico: solebat dicebat Bias, amandum ita, vt statuas etiam aliquando odio prosequi posse; tum etiam sic exercendas inimicitias, vt existimes iterum illum amicum futurum. De inimicitia non improbo: hoc verò quod ad amicitiam spectat plerosque perdidit, dum nimis sapientes videri volunt. Dãnabam in Frãcisco Gadio amico nostro, quod parietibus domus suæ hoc inscripsisset, quod omnes merito boni damnant, quódque illum quamvis ingenio singulari à suis damnatum, non sine causa ostendere poterat. Ita si hoc dictum ad cupidinem vertas, sanctissimum erit, tum maxime cum amor ille suauis postquam abierit ætas, in odium frequentissime vertatur. Verisimile est enim id, cum quo illecebra illa creuerit, ea sublata consenescere: quamobrem nec quicquam turpiter, aut præter leges: cum enim omnis amor turpis vehemens sit, quod non secus ac in senibus acutæ febres validiores sint, quod à potentissima causa ob naturæ contrarietatem exoriantur: sic ille à forti causa necessario excitatur, vnde etiam flagrans erit. At nos sapientem ardenter amare debere negamus, non igitur amabit flagitiose: Ergo minus mirum, cur scorta magis quam vxores amemus, atque in his pueros magis quam meretrices, & vestales virgines magis quam pueros, vestalibus verò etiam magis perdite mœchas, tum verò etiam his sorores, ac perditissime draueos: vt enim Venus scelerata magis, sic hominem è sensu recto longius secedere cogit. Immoderati igitur affectus depellunt sapientiam, sed eò longius quo fuerint absurdiores. Quid igitur dubitamus, verum sapientem, nam hunc talem licebit appellare, cum diuinam sapientiam raritas & humanam imperfectio ab hac laude depellat, dicere iustum ac pium, tum etiam fidelem esse debere? Namque iustitia si Ciceroni credimus, est omnium regina virtutum: at fides iustitiæ & pietatis fundamentum, de qua sanè quamvis in turpi causa pulchre tamen dixit Ouidius:

Non boue mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.

Pietatem in deos, obseruantiam tum in patriam ac parentes colet. Non enim Moses Deum & parentes coli mandauit, sed & Aristoteles καθάπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς καὶ γονεῖς. οὐδεὶς γὰρ τὴν ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη, id est, *Quemadmodum in honoribus erga deos & parentes. Nullus enim vnquam dignum reddiderit.* Quinimo Virgilius suum Æneam non alia virtute magis quam à pietate laudat, vnde in secundo:

Hæc fatus, latos humeros subiectáque colla
Veste super, fuluique insternor pelle Leonis,
Succedóque oneri: dextræ se paruus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.

Iam verò quotiens patriam tutatus est: quia in causa etiam Homerum testem habuit. Ergo illum pium semper vocat, nullo insigniori ἐπιθέτῳ potens illustrare: traxit exemplum à Siculorum historia Amphinomi & Anapiæ, quos dum Ætna ignibus agrum Cataneum vexaret, ferunt sustulisse parentes, alterum quidem patrem, inde per medias flammas vitam pietati quasi concedente igne saluos euasisse. Vnde etiam poëtæ:

Et Catane genuisse pios celeberrima fratres.

Merito enim putant cum sacra scriptura
ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Id est,

Rectè vixeris in senectute nutriens parentes.

Ciconiarum exemplo, solent enim illæ cibum parentibus senescentibus exhibere. Sed non ob hanc spem sapiens in Deum, in patriam, atque parentes pius erit, sed sponte. Rectè enim respõdit Aristippus percontanti, quid ex Philosophia lucratus esset, Vt ea volens faciam quæ alij vel metu vel præmio legum facere solent. Tranquillam igitur hic exigens vitam ac honestam, omnibus se gratum exhibebit, gloria insignem, conuersatione iucundum, securitate beatum. tales fuisse olim Aristidem, Socratem, Traianum, Seuerum, Alexandrum, Octauianum post bella ciuilia constat. Omnes enim hos Socrate excepto duo Antonini præcesserunt Pius ac Philosophus. Tales fuere apud Romanos Cato Iunior & Fauonius illius imitator. Sed quorsum hos attinet numerare? omnes enim inclyti artifices, omnes inuentores rerum, omnes conditores vrbium, vt Theseus & Romulus: omnes legum latores, velut Lycurgus, Solon, Moses, Mahometus, Numa, Phaleas, Hippodamus, Phidon, Minos. verum omnium callidissimus Mahometus, sapientissimus Moses, vt qui diuinam semper maiestatem oculis intentis intueretur. At verò vt dicam cæteri ab hoc omnes humanam potius quàm diuinam sapientiam calluerunt. Sed hæc prætermittamus,

quandoquidem longiorem ea in re consumpsimus sermonem, qua minime quisque indigere se putat: cum nemo tam excors sit, qui non seipsum optimis putet institutum moribus. Adeo enim omnes sibi placent, vt aliena vitia videant, cum longè absint; scelera propria, quæ tam propè sunt, non agnoscant. Verumtamen operæ precium duximus de morum institutione vberius loqui, quòd ea etiam vxorem, filios, seruósque instituere liceat. Nihilque tam prosit homini ad bene beatéque viuendum, quàm morum sanctitas & animi virtus: indicio est, quòd plures in summa paupertate fœlices ac beatos vides, alios in regno miseros, ac tales, cui nec præsentem inuideas fortunam, nec futuram optes. Verum prudentiam ipsam quasi prætermisimus hoc consilio, quòd ad homines solum intendarut, atque ob id sapientiæ humanæ pars sit, non tota, sed maior eius portio. Illud igitur videndum nunc est, quonam pacto eruditio conducat, quomodóque facillimè quisque eam possit assequi. Illud enim sæpe dubitatum est, an ad fœlicitatem eruditio prosit, siquidem apud Sophoclem Aiax inquit:

Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος.
Τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ, κάρτ' ἀνώδυνον κακόν.

id est,

Nihil sapere iucundissima vita,
Nihil sapere malum admodum sine dolore.

Et sapiens ipse, Qui addit sapientiam addit & laborem. At verò Pindarus dixit.

Δαίονται δὲ καὶ σοφία
Μείζων ἄεθλος τελέθει.

Et rursus,

Κυφότεραι γὰρ ἀπειράτων φρένες.

Quasi dicat, doctorum virorum sapientia maior ac firmior esse solet. Inconstantes enim indoctorum animi sunt. Ergo ad sapientiam eruditio conuenit: ad fœlicitatem, cum laboriosa sit, fructus eius quasi dulcissimus confert, radix obest. Namque vt Aristoteles dicebat, dulcissimum ac iucundissimum est scire: addiscere tamen durum. Quid igitur mirum, Aiacem virum imperitum quòd nesciat tanquam ei arduum ac difficillimum prompte damnare. Non igitur, an erudiuo vtilis sit, seu ad sapientiam seu ad beatitudinem, quærendum est, sed quomodo facillime eam habeamus: Nam mores ipsos natura ipsa, modo moderationem adhibuerimus, dat. Etenim nemo spôte iniustus, perfidus, mendax, crudelísve esse potest, cum pueri non tales natura sint, sed praua educatione multi euadant. Quamobrem cum nobis virtus non vitia consentanea natura sint, modo moderationem adhibuetis, nec prauorum exemplo ducaris, bonus euades. Nã pueris iracundia intemperantiáque quasi ab ortu inest, quibus vitiis moderatione & consilio occurrimus: cætera omnia præter fortitudinem nobis insunt ab ortu. Illa verò exemplo & exercitatione tum ratione & præmeditatione acquiritur: quibus modis non hic sola virtus, sed cæteræ omnes habentur, vel iam habitæ confirmantur: eruditio igitur ipsa sola nobis negotium facessit: ergo à linguis inchoandum est: nam difficillimum est discere sine doctore. At doctorem audire vel legere linguæ notitiam præsupponit: habet autem lingua quælibet in se rationem, non enim obiter hæc vel illa vnumquodque significare potest, sed quemadmodum diuersa initia structurarum in varia etiam ædificia necessario transeunt: sic linguarum principia nomina quæque certa suis rebus expostulant. Cum tetere significasse vellent, teram quod maximè tereretur subiectum solum dixerunt. i literam triplici sono statuerunt, latiore qui ad e, tenuiore qui ad u, medio qui illi proprius est: Ergo quid mirum diis ac deis, turrim ac turrem, here ac heri, optimum & optumum, monimentum ac monumentum dici posse? Similiter & u cum sonum variet, aliud inuenere, in video, in voco, in suadeo in quali & in lingua resonabit. Sic cum l, r, & s, geminentur, facile est scire in superlatiuis, quonam pacto nuperrime vel densissimus vel difficillimus scribi debeant. Eadem diligentia & ratio in Græca lingua: nam Plato refert βῆττε constare quatuor literis, refert autem tussientis sonum, nec tamen significatum suum amisit: seu in compositione seu solitarie positum. Et τάνταλον quasi ταλάντατον, seu miserrimum, vnde etiam Astianactem Hectoris filium quasi ἄναξ, quod rex dicitur, ab ἕκτωρ, qui & possessor profluat: sic & ζῆνα ac δία vocant Iouem, quasi per quem viuimus, atque οὐρανία quasi ὁρῶσα τὰ ἄνω aspectus ad superiora inde cœlum. Sic à τοῦ θεῖν quod est currere: cum sola astra deos putarent esse, θεοὺς dixerunt deos. Δαίμονας verò quasi Δαήμονας, quòd essent sapientum virorum vt credebant animæ. Sic ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, qui amor est, ἥρωας dixerunt, quòd hi ex amore deorum vel dearum cum hominibus geniti existimarentur. Sic & ἄνθρωπος quasi ἀναθρῶν ὅπωπε contemplans quæ vidit, solus enim homo quæ vidit considerat, cum cætera animalia solo sensu contenta sint. Sic & ψυχὴν quasi ἀναψύχην, quod respirando refrigeretur, vt etiam Aristot. recitat, & σῆμα cum sepulchrum diceretur, in σῶμα conuersum est, quòd corpus quasi animi sepulchrum sit. Vnde à Δέμας differt, quòd apud Homerum viuentis hominis est. Plutarchus σῶμα à σῆμα quasi signo dici putat. Sed num omnia prosequar quæ vel à Platone in Cratylo vel aliis scripta sunt de verborum à rebus origine ac deriuatione? Illud vnum constat, primas infantium voces quæ vel abba vel baba vel tata proferuntur, aut parentes aut nutrimentum apud omnes ferè nationes significare, quæ originem ab initio linguarum traxerunt: nam patet à pa quod solet à multis infantulis proferri venit. Originem igitur linguarum scire, etsi negotiosum sit, magnam tamen in se continet vtilitatem, quòd paucis multa memoriæ comprehendantur. Denique cum tria sint quę discere quisque cupit, linguas, res & rerum accidentia. Memoria, intellectũ & imaginatione: memoriam linguásque frequens sermo confirmat: res & intellectũ disputatio: accidétia & imaginationem assidua contemplatio. Quòd si quid occurrat intellectu difficillimũ, non vt plerique solent immoreris, sed ad alia transeundo tempus ne teras. Sic fiet vt multa lectione quod obscurum videbatur, clarum ex sequentibus euadat. Complura enim sunt quæ vel sequentibus innituntur: vel obscura arte ab auctoribus fiunt, vt librum totum perlegere cogatis: seu quòd intercideriut. In quibus

non

non licet omnia assequi, nisi toto peragrato libro. Enim vero difficiles quæstiones mora diuturna & anfractus orationum perquirere longa sedulitate hominem multum in studendo remoratur. Sed sufficiat hæc vngue signasse vel calamo: vt cum ad id perueneris quo facile patere possit locus, occasionem non prætereas. Nam non secus ac in humanis rebus etiam in discendo scribendóque arripere occasionem multum confert. A quibus verò inchoandum, à Geometricis certè indeque Arithmeticis disciplinis, vt etiam Galenus consulit, non solum quòd certissima sint, sed etiam quòd careant contradictione, optimum puto, atque hic mos omnibus antiquis. Nam & Plato & Aristoteles, qui summi Philosophi euaserunt, Geometriam & Arithmeticam luculenter in primis didicere. Habent enim hę scientiæ duo, quòd nec iudicio indigeant, memoriámque ac imaginationem confirment: quorum alterum in pueris vtilissimum, altero illos carere necessarium est. Sic etiam Hippocrates & Galenus, omnesque qui vltra modum dicendi quid dicerent scire voluerũt. Nam neque his qui tantum Grammatici ac Rhetores aut Dialectici sunt, hæ scientiæ necessariæ fuerunt, quòd qui has profitentur artes nihil de rebus ipsis sciunt. Quamvis enim Quintilianus has & ipse præponat, aliud tamen fuit quàm tãtum Rhetor, vt qui in principio sui operis Encyclopediæ rationem habeat. Astrologia vtilis etiam est, & iucunda Musica, verum non illis comparandæ. Oportet autem post has etiam modum aliquem venandæ veritatis habere, quod & Galenus ipse demonstrat. Siquidem ad veritatem habendam in vnoquoque quæsito hæc septem, vt ille ait, sunt necessaria: Mathematice, Dialectica, dialecticæ exercitatio, veritatis amor, acumen ingenij, studium assiduum, præceptor clarus. Hæc sunt quibus vnusquisque in scientia magnus euadere potest. At verò clari præceptores sunt, qui eruditi sunt & rectè docent. Eruditus vir dicitur, qui Encyclopediam absoluit, suáque in arte profundissimus, & eam commode docere potest. Commode ille docet, qui quæ ad propositum sunt tantum exprimit bene & ordinate: bene dicere posse sine linguarum notitia minime licet: ordinate propter audientium vtilitatem: nam solum scimus quę recordamur. Memoria verò solum vel maximè eorum est quæ ordine constant. Igitur hæ partes erunt rectè interpretandæ Commodissimum autem existimo in publica professione, vt primo explicetur auctoris sensus, qui primo ex verbis deprehenditur, atque cum eo verba singula quæ in se difficultatem aliquam continent explicentur: tum verò expositorum opiniones diuersæ quonam pacto vnusquisque eam partem sit interpretatus, ac demum ex quo ille locu hæc sumpserit, seu si quis alius hunc ipsum in vsum suum traduxit: atque eadem quæ de expositione dico, etiã de continuatione ipsa præcedentium docenda erunt. Secundo verò loco ratio horum exploranda est, argumentandum respondendũque, vt non solum ratio dicti habeatur, sed vt veritas magis eluceat. Vltimo verò opiniones aliorum de re ipsa atque circa eandem sententiam, tum etiam dicta eiusdem autoris, quæ illi aduersari sententiæ videntur adducenda conciliandaque, tum quæ conciliari nequeunt, vel in melius emendanda, distinguenda vel omnino impugnanda, atque cum his Epilogus quasi nucleum verborum atque sententiæ auctoris continens lectionem concludet. Porrò memoria ipsa duplex, verborum atque rerum, illa in pueris maior, hæc in iuuenibus: iuuatur prima perpetua recitatione facilitatéque dicendi, vt intelligas rectè quæ profers. Nam facilius decem Virgilij carmina puer discet qua Dauidica Hebræa duo, si eam linguam penitus ignoret. Quæ enim non intelligimus, difficillime mandamus memoriæ. Rerum memoriam ordo plurimum adiuuat. hic à contemplatione proficiscitur: vtramque auget exercitatio, regimen temperatum, somnus prolixus, curarum dimissio, cerebri custodia: tum maxime à concussione & vocibus magnis. Vnde concionatoribus vel vicianur vel in morbum transit mentis. Vtilis etiam est artificialis memoria, non solum in rebus & verbis extemplo referendis, sed si diu assuescamus, semper nobis aderit in promptu, de qua copiose tractauit Rombetchus: nec Cicero eam prætermisit. Futurorum cognitionem prudentia ipsa & præsentium docet, neque melior vlla. Adiuuatur tamen & diuinã di coniecturis, quæ etiam Galeno & Hippocrati & Aristoteli non displicuerunt. Diuinãdi ratio naturalis quintuplex est, Astrorum, Physiognomiæ, Metoposcopiæ, Chiromãtiæ, somniorum: sed vna omnibus his melior de qua abunde Theophrastus, quæ ex Notis morum habentur. Physiognomia & Metoposcopia liberaliores sunt: reliquæ impostoris artem aliquo modo redolent. Igitur omnes sapientes decet vel Notis ant Physiognomiæ aut Metoposcopiæ operam dare. Aristoteles Physiognomiam & Chiromantiam & somniorum interpretationem approbauit: Astronomiã Ptolemæus & Galenus. Metoposcopiã nos primo aggressi sumus: cius tamen exemplum antiquitus manet de Tito ac Germanico. Cum alterum Metoposcopus aliquãdo regnaturum diceret, cum Cæsaris filius haud esset, eum verò cui imperium successione debebatur, negauerit regnaturũ vnquam, quod & euenit adoptione Neronis & scelere eius. At verò physiognomoniæ quam fidem antiqui præstarent facile est intelligere ex libro Zachariæ Arabis, quem quod domini seruos empturi illorum mores vellent dignoscere composuit. quàm commoda igitur erit liberaliter viuenti hæc, si ad vtilitatem propriam exerceatur. Et quamvis vt diximus Notarum vtilitas maxima sit atque luculenter à Theophrasto tradita, earum tamen à solo congressu, cuius nullum apud ipsum argumentum est exemplum quoddam tradam. Si ad te quis ingrediens cuncta quasi inspecturus faciem circumagat, curiosus est, atque ob id, non bene sua negotia pertractat. Solent enim nimis curiosi, semper sua tractare negligentius. Si verò quispiam quasi nondum te salutato ad te veniens sedeat: hic anxius ac morosus in suis negotiis est, ac sui commodi rationem tantum habens. At verò si protinus libros aut penulam tractet, quisque fuerit, temerarius est, ac consilij nepos impôsque sui. Quod si à latere sedeat

ſedeat fraudolentus eſt : & ſi quaſi à tergo ſubtriſtis & fallax. Talia negligentibus quamquam videantur exigua, non tamen leue commodum in tota vita ſubtrahitur. quòd vel duriores in conuerſatione vel minus tuti euadunt. Verſatus cum his, qui reos criminum capitalium interrogare ſolent, hi ex forma, ex aſpectu, ex ſermone non paruam morum & ſcelerum faciunt coniecturam, at errant. Quis neſcit aliquando? quæ enim ars tam eſt exquiſita apud homines quæ nunquam aberret? Celebramus Medicinam & militarem artem, quæ tamen coniecturales ſunt. Quid igitur prohibet hanc eſſe veram artem, quod coniecturis innitatur? Dęmoniacos non ego ſolus, ſed qui illos conſueuerunt execrationibus vexare, ex ſolis oculis deprehendere ſoleo. Aciē enim pupillæ vertentes quaſi riſum imitentur ſurſum, variam repente formam reddunt abſque cauſa. Atque in vniuerſum vehementer & velociter oculi illorum mouentur permutāturque, actéque quiddam ac horrendum referunt; nónne & Virgilius cum Didonis animum extrema cogitantem deſcriberet, his verbis vtitur?

Talibus Æneas ardentem & torua tuentem
Lenibat dictis animum.

Vt non male dixerit ille, oculos cordis feneſtras eſſe. Verum his relictis ad filiorum tranſeamus ac vxoris inſtitutionem. Nam cum ſapientis ſit, neutro in optime inſtituta republica carere: ſic infœliciſſimi habere ſceleratos: memoratur ſanè exemplum de Fr. Bufalo Romano ciue, cuius cum eſſent ſex filij, duos ſeditione ſecuri percuſſos, duos mutuis vulneribus ſe petentes, vnum qui nouercam iugularit, filiam quæ coram marito venenum hauriret vidit. Sed forſan quæris, cur ſapientum filij degenerent? Nugas agis ſi filios degenerare dixeris qui filij non ſint: adeò petulantia & mulierum licentia peruagata eſt. Sed cum in cæteris lateat ſuppoſititius filius, in egregiis viris ob patris excellentiam diſcrimen filij adulterini cum patre vitrico latere nequit: quamobrem ne hos in æternum ad patris eius mores effinxeris. Solebat dicere Liuia Auguſti filia, cum filios coniugi Agrippæ perſimiles omnes procrearet, alioquin impudiciſſima, cauſam huius interrogantibus, non niſi plena iam naui vectorem tollere. Nam & in adagiis eſt, *τοῦ πατρὸς ἐστὶ τὸ παιδίον*, id eſt, *patris eſt filius*. Itaque ſi puer inſtituendus eſt, ordine ac modo eget. Neque enim ſimul contrariis ſtudiis operam dare debet, velut Geometriæ & Rhetoricæ, vel Medicinæ cum adultus fuerit & Arithmeticæ, & generaliter quæcunque duo ſtudia quæ magnam ſibi inuentionem requirunt, ſimul ſi amplexetur puer, aſſequi neutrum illorum poterit: ſenſim igitur ac ex linguarum cognitione ac Mathematicis in Dialecticam ac cæteras diſciplinas aſcendat, ſi vel ad hoc commodum habeat vel diues ſit. Nam Eraſmus ætate noſtra docuit eruditioni non obſtare Paupertatem, cum fuerit eruditiſſimus, & Ioannes Monteregius, tum alij complures. Quòd ſic nec opes nec Ingenium adſit, illud vulgatum conſule:

Cum tibi ſint nati, nec opes, tunc artibus illos
Inſtrue, quo poſſint inopem defendere vitam.

Sed ante hoc Arithmeticam, & Muſicam, ac γραφικὴν, quandoquidem latine hoc niſi duobus verbis exprimi nequeat, docendi ſunt. Arithmeticam, quòd in omnibus humanis negotiis neceſſarium ſit computare, ſcire Muſicam, vt diximus, delectandi gratia, quòd non ſemper in tetricis laboribus perſtare queāt. γραφικὴ picturam, in qua menſura etiam continetur, & ſcribendi rationem habet. His igitur ex Ariſtotelis ſententia imbutus puer iuxta annum quartumdecimum, quem nos in libro de Arcanis homini proprium ac fauſtum oſtendimus, artifici tradi debet, nec obiter: quinimo Ægyptiorum morem in hoc laudo, qui pueros ſuos circumducentes, artem quæ illis maxime placeret exercere permittebant. Multi enim ad multa inepti, cum ad aliud maximè ſint idonei, iuxta Homeri ſententiam etiam.

Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν,
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
Ἐσθλόν.

Id eſt,

Alij quidem dedit Deus bellicam virtutem, alij ſaltationem, alteri citharam & carmen, alij vero in pectore poſuit mentem bonam Iupiter. Quid igitur, ſi vel timidum bellicæ arti, vel imprudentem ciuili exercitationi ac reipublicæ negotiis, vel rudem ac obtuſæ mentis picturæ, vel debilem lanienæ tradideris, num perdideris illum? at contra ſi ingenij præſtantis puerum ſordidæ arti incumbere cogas, nō indignabitur? nec vnquam illam libenter nec ſedulo peraget. Quid ſi immemorem cauponæ vel pharmacopolæ: aut mercaturæ ſimplicem ac deſidem, nonne planè ſumptum omnem perdideris? Meminit Lucianus de ſe, cum ſculpturæ traditus eſſet vapulaſſe ob fractam tabulam, inde ſomnio monitum ad literas ſe contuliſſe: cum auunculus tamen ſtatuariam exerceret. Hoc enim quanquàm minimum videatur, ſi in illis obſeruetur, & aſſiduos & elegantes præbebit artifices, quod quantum interſit inferius oſtendemus. Eſt etiam formæ cura habenda, at non illius quidem in pueris quæ contumeliæ ſolum obnoxia eſt, ſed illius quæ decentem in homine ſtatum corporis præferre poteſt. Nam & in Ariſtotele balbutiem, & in Platone dorſi gibbum adhuc ridēt. Ergo cauendum ne vel violentis plagis vel periculis impulſi pueri turpes notas ſibi infligant. Formam verò quæ ad voluptatem eſt, vix in fœmineo ſexu auſim commendare. Quamvis hæc ſola bonorum ſine inuidia ſit, alliciatque ſpectatores, amatores multos, cum reliquæ virtutes hoſtes parere ſoleant: hæc vna, ſcilicet pulchritudo, regibus imperare poteſt: attonitóſque in ſui trahit admirationem homines. Hęc eſt illa, quę & mortis & dedecoris & paupertatis, quæ ſūma tria mala ſunt obliuiſci nos facit. Hęc Europam Aſię cōmiſit: hac poëtę deos ipſos ad mortales diuertere finxerūt: hæc amoris cui omnia ſubiiciūtur claues & regna tenet. Quid enim nō vnius vultus cauſa homines non admittunt? aut cur hoc admiramur? cum in humana facie ſi ætas & delectus conſentiant, diuina quædam pulchritudo reſplendeat. Vnde non male dicebat Diogenes: *τὰς ἑταίρας βασιλέων εἶναι βασιλίσσας*, id eſt, *Scorta regum eſſe reginas.* Ariſtoteles

verò

verò dixit, pulchritudine παντὸς ἐπιστολίου συστατικώτερον, id est, *Omni epistolio cum maiore commendatione esse*, & tamen vel sic quòd multorum plerunque malorum fomes extet. In puellis etiam negligenda: amplexanda verò illa quæ species homine digna soler appellari, quemadmodum dicimus, speciem Priami imperio dignam. Nam & Virgilius suum Æneam bac laude extollit, dicens:

Nec non & Phrygij comites, & latus Iulus
Incedunt: ipso ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atque agmina iungit.

Sed quia pulchritudine olim iam ante dixerat, ex verbis Didonis his:

Quem sese ore ferens! quàm forti pectore & armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.

Tantum enim mulietes formæ tribuunt, vt diuinam rem pulchritudinem esse putent: quametiam laudem Homerus iam tribuerat suo Acbilli, dum dixit:

χάριεν δ' ὤχνυε πρόσωπον,

Id est,

Venustam faciem reueritus est.

Vtque breuibus agam, nullum est maius diuinitatis argumentum in mortalibus pulchritudine: quamobrem rectè finxerunt poëtæ, deas in certamine formæ victas sic exarsisse, vt nec deleta Troia odium finirentur: quòd ea in parte superari viderentur, quæ diuinitaris proprium donum esset. Hanc igitur vt assequamur, in infantibus studio & experientia, Galenus in sex libris de tuenda sanitate adeò plene docet, vt etiam inæqualia membra ad decorem restituere ostendat. Verum carnes, colorem, oculos nihil magis mutat nutrice: eligenda est igitur formosissima. Quid mirum cum Macrobius doceat hœdos ouibus ablactatos, molliorem pilum ducere, & contra agnos capris asperiorem lanam. Quin etiam mores ipsi à nutrice magna ex parte infantibus infunduntur: eum viderim canibus ablactatos feles, non adeò infidos nec agrestes euasisse, quod & Virgilius ibi sensisse videtur:

Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

Nutrice igitur forma, valetudine, & robore, & moribus præstante. Cum primum puer literas addiscere incipit, satis lente hoc studium peragendum est. Tam ea celeritas quam Quintiliani illa assiduitas semper noxia est, vt Galenus rectè docuit. Exemplumq; in auctorem retortum, cum duos amisit, quos solos habebat, tanta diligentia præter ætatem græce latineque institutos, vt non immerito Quintilianus suam defleat orbitatem, adde & si viuant illud vulgatam Apuleij:

Odi puerulos præcoci sapientia.
Sed enim malitia præcoci puerum.

Veniant igitur cum viribus artes, nec cogatur puer sapere ante quàm esse: nec dicere antequam sciat. Sic enim instituti antiquo tempori viri mira de seipsis posteris monumenta reliquerunt. At verò linguarum cognitio à consimilibus proficiscatur oportet. Nam velut librum communis nunc Italorum lingua appellat, Librum verò depromtis literis omnibus Latina, Græca βίβλιον, non sane ex toto hæc consimilia sunt, sed diuersa. At penitus eadem, ago & ἄγω, contra quædam immutata litera, vt ἄραψ, arabs, duabus πυξὶς buxus, de quibus in grammaticæ Græcę institutione diximus. A similibus igitur non ab omnino diuersis introductio inchoanda est, difficilior enim quo dissimilior. Porrò quod à facilioribus sit incipiendum docet Aristoteles, tum vero à notissimis. Habent autem linguę omnes affinitatem qua sensim ex vna in aliam omnes dilabuntur in sibi proximas. Nam ex Æolica Latina deriuata est: illa vero ex communi: hæc ex Phœnicia: illa ex Hebræa: hęc iterum ex Chaldęa. Si vero ab extrema Latina in Chaldæam transire libeat, nullam inuenies penè vocum aut elementorum similitudinem. Est igitur ratio linguarum continua, vt quemadmodum apud diuersos homines diuersę concipiendi rationes habentur, sic & linguæ ipsæ diuersæ sunt. Nec licet omnia omnibus linguis transferre vel dicere, sed illis prima tantum. Ergo nimirum est, Dei nomen ineffabile esse: cum enim singulis linguis aliquid sit quod per illas exprimi non potest, multa etiam quæ nullis esse necesse est. Talia diuina sunt & supercœlestia, quorum maximum est ipsum Dei nomen, de quo vt de aliis multis Hebręi mentientes meritas pœnas dant. Continui sunt affectus, & regionum ac temporum qualitate mutatur: neque enim argutias Aristophanis laudamus nunc, nec stratagemata temporum Scipionis nostro cõgruunt æuo. Ergo sensim velut per callem spinosum aut collem arduum ac erectum traducendus est puer, nec cogendus vt vel citò vel multa discat. Nihil enim inanius quam multa scire, vt Hippon dicebat: non enim multa sed vtilia scire expedit. Docendi sunt igitur pueri non vt videantur, quemadmodum principes nunc curant plurima præferre in ostentatione, sed quæ vtilissima sint exercitationi suæ. Quòd nemo tam sapiens est, qui non plura cogatur ignorare multo quàm sciat: Quodcunque igitur inutile discitur, rei vtilis loco stat: ob id omnes, nec de principibus solis nunc loquor, circa proprias artes multum ac grauiter aberrare cognutur, vt prudentiores appareant. Multi aulicam disciplinam priuati, moresque imbuerunt: familias & prędia nobilium sciont: verba didicere composita: artes suas negligunt. Ab his igitur non necessariis abstinere pueros decet, vt vtiliora prosequantur, ab omni vitio caueant, tum maxime ab iniuria, quæ omnibus qui vel per sexum vel ætatem vel morbum, animo laborant proclinis est. Vnde pueri, mulieres, tum viri qui bis similes sunt ad eam inferendam natura parati sunt. Ea tamen cum tempore pernitiosa est, vt Pindarus inquit:

βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν χρόνῳ.

Id est,

Vis & iactantia commutata sunt in tempore.

Igitur cum bomo duobus indigeat, corporis & animi conseruatione, illa quidem per medicinam, hæc per moralem babenda est. Haurienda igitur tertia medicinæ pars, conseruatrix quidem, de qua non solum medici sed & Philosophi, è quibus vnus Aristoteles, scripsere. moralis autem tota perdiscenda.

Quod

Quod & in vsu est Catonis præceptia tanquam puerili ætati & ob breuitatem & claritatem & humilitatem styli: tum etiam ob numerosum pedem commodioribus honestatem & pudorem imbuant. alterum vt frenum, alterum vt omnium bonorum certam regulã. Quid enim laudabilius est honesto? est enim adeò laudabile, vt cætera illo laudentur: dicimus honestum genus, honestos parentes, honestam faciem. Denique summa omnium operationum nostrarum laudem Cicero ducit, vltimumque finem humanæ probitatis virtutis, ac fœlicitatis, vt cum honestate coniungantur. Ergo cur in omnibus artibus ac rebus optimos quærimus magistros, præter quàm in excolẽdis moribus: num propter id, quòd homines lucro intenti, non ea moribus præsentem illius sentiant vtilitatem? aut quòd quisq; vt diximus suos probat mores, cupitque filios sibi esse simillimos? at nec adeò morbosos vel imperitos aut pauperes, quòd hæc mala illos latere nequeant, ob id magistris ad artes, medicis ad corporis curam, eruditis ad disciplinas tradunt. Vltima de moribus fiet quæstio vt inquit poëta: & tamen vtcunque nobilium pueri, [illegible], i. *serpentinis moribus* instituuntur. Sed populi fex, plebs ipsa nullius boni conscia, quid mirum si honestatem, iustitiam, amicitiam, fidemq; ignoret? Solum gulę & voluptati intenta, omnis boni atque decoris ignata, filios etiam sibi consimiles alat. Vnde tot tumultus scelerumque initium, & turpitudinis origo, vnde seditiones ac virtutum contemptus, & nobilitatis odium. Vt enim in vase quod subsedit est impurissimum, sic populi pars impurissima plebs est. quæ tamen fœditas ob malam puerorum curam circa mores aduenit. Ergo non solum bene instituendi pueri, sed à praua institutorum consuetudine arcendi. Est enim in adagio, *πρὸς κάρα καρίζεις* i. *aduersus Carem Carizas.* tales simus quales sunt hi cum quibus versamur. Cauendum verò est, ne assuescant animi affectibus ac doloribus: id fit vindictæ cupiditate: tum maxime cum adoleuerint. Nam de amoris cõsolatione librum adolescentibus seorsum scripsimus. At verò veteres, quibus studium fuit, rebus nomina accommodare, Eumenides dixerunt, quas Latini inferni furias, mentis æstus, easque ex propriis effectibus cognominabant: *ἐριννὺς* quasi mentis litem, *τισιφόνη* cędis vltionem *μέγαιραν* odium, *ἀληκτὼ* irrequietam quasi vitam significantes: Ergo his verus infernus apud philosophos mentis æstus atq; tristitia. Sic igitur pueri assuescendi, vt omnis eius fomes ex animo eradicetur. Prohibendi etiam à prauis consuetudinibus. Sapiẽter enim vt inquit Valerius Maximus, Cretẽses inimicos suos illis tanquam pessimæ seruituti deuouebant. Est verò radix totius œconomiæ veneratio, atq; ea non solum vxores in obsequiu, sed etiam filios continet: quamobrem ibi difficillimæ vxores sunt, vbi persuasum est, æqualem marito vxorem esse. Est enim veneratio inter amorem & metum media. Metus cõtinet ciuitates, amor nec domesticos in fide retinere potest. Veneratio igitur media inter hęc rei familiari constituendæ maxime idonea est: quàm rectè cũ duos æquales deos fecisset Empedocles, hostes etiam inuicẽ constituit: amor enim perpetuus esse nequit, veneratio æterna esse potest: Ergo rectè Deo æqualem non dederunt, qui illum venerari debere ab omnibus putant. Quam ergo meliorem œconomus potest habere constitutionem, quàm quæ diuinę simillima sit? ille inferiores amat, & ab his colitur: vicissitudóque hæc remanet sempiterna. Sic paterfamilias diligere suos debet, & ab illis vicissim non amari sed venerari. Porrò filij vxórque qui non venerantur illum, sed æquales se exhibent: quamvis egregie ament, pro monstris tamen habẽdi sunt. Etenim respublicæ vbi æqualitas maxima fingitur, non durarent, nisi veneratio adesset magistratuum: qui cum breui tempore durent, & metum potentiæ causa, & venerationem post peractam dignitatem, & amorem ob æqualitatem continent. Rem ergo ipsam præpostero tamen exemplo in suis Emblematibus depictis eleganter vt solet Alciatus noster, docuit dicens,

Cum furit in Venerẽ, pelagi se in littore sistit
Vipera: & ab stomacho dira venena vomit,
Murænámque ciens, ingentia sibila tollit.
At subito amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia, cõiunx
Alternum debet coniugi & obsequium.

Vtinam hic Tiresias esset, vt ea fœmina in masculum transformare liceret: Nam hoc certè non honestæ Veneris sed adulteræ exemplum est. At verò in nefaria libidine agens semper patienti obsecundatur, contra verò in honesta ac coniugali. Par enim est in hac semper fœminam masculo parere, quod illi naturæ vinculo subiiciatur, lege verò gentium iungatur, vnde venerationis ratio ea his ambobus æqualiter mixtis consurgit. Domo constituta etiam opes quærendæ sunt, non quæ ad luxum & intemperantiam, sed quæ ad honestam & parcam vitam possint sufficere: tum verò cum his auctoritas & gloria quærenda est inter homines. Est enim gloria vt inquit Cicero, illustris & peruagata multorum & magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. At verò tunc summa est, cum multitudo diligit, & fidem habet, cumque cum admiratione nos honore dignos putat. Et hæc quidem sapientiæ humanæ præmium est, & in morte finitur. Verum solida ac quæ ex naturali sapientia exoritur gloria, est consentiẽs laus bonorum, & incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Hæc, cum ad summum aliquando peruenerit, hominem infœlicem esse nunquam patitur. Est enim ambrosia virtus, ac nectar gloria ipsa, quã cum quis gustauerit, vt antiqui finxerunt, Deus fit: hoc est mortalitatis & infœlicitatis expers. Ergo vt verum fatear, summa hominis fœlicitas, summum bonum est, perfectam gloriam degustasse: hanc intellexit Virgilius cum dixit:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitúmque Acherontis auari.

Hæc est illa suauitas Nectaris, quam cum quis degustarit, adeò animum diuinitate quadam imbuit, vt ad externas infœlicitates velut vt dici solet in igne Carbunculus, aut aurum inuiolabile permanet. Conandum est igitur vnicuique aliquod virtutis exemplum

ædere, cuius memoria sapiens per totam vitam in vniuersis malis, quorum multa homini necessario adueniunt, perpetuo recreetur: quale illud Themistoclis: cum enim ad Olympia processisset, Græci omnes ludis derelictis in ipsum tota die oculos conuerterunt: quod & si non tam perseuerantes accidisse etiam Platoni referunt. Quis, cum hanc dulcedinem aliquando degustaris violentos fortunæ stimulos vnquam sentire poterit? aut quis admiretur Phrynem proprio sumptu voluisse quas diruisset Alexander Thebas restituere? vt modo illo permittente liceret inscribere, Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη, id est, *Alexander euertit, restituit Phryne.* O rem plane immortalem! ô solam veræ diuinitatis imaginem! pro qua vt Plato dicebat: κινδύνους τε κινδυνεύειν ἕτοιμοι εἰσὶ πάντας μᾶλλον ἢ ὑπὲρ τῶν παίδων, καὶ χρήματ' ἀναλίσκειν, καὶ πόνους πονεῖν ὅντινας οὖν, καὶ ὑπεραποθνήσκειν, id est, *Pericula omnes parati sunt sustinere magis quàm pro liberis, & pecunias impendere & labores tolerare, quosdam etiã pro ea mori.* Sed quonam pacto quærenda est? Respondit Agesilaus: si pulcherrima facias, optima verò dicas. Ergo non tam acutè, neque enim adeò solers sum, sed tamen non minus ad rem respondebo, si omnium aliorum oblitus rei excellenti intendens gloriam ipsam quæras. vulgatum enim est, vbi intenderis ingenium valet. atque vt video mea cum Platone sententia satis congruit. Omnium igitur maxima mortalium Christi in vita fuit, vtpote quæ à Deo ipso esset: quamobrem nec tam turpi mortis genere extingui poterat: quanquam non aliud tanto supplicio Iudæi quærerent, quòd cum gloria etiam nomen ac legem illius resurrectura timuissent. Magnam etiam nomen ac legem illius resurrectura timuissent. Magnam etiam Cicero cum Antonianas recitaret, cum in Catilinam inueheretur, gloriam non paruam meruit: cum in altero patriæ libertatem, quæ orbis domina erat, consecutus sit: in altero vt à populo gentium domitore humeris domum referretur. Assurrexit & recitanti Virgilio Romanus populus, Augustus Cæsar comitem ac consiliorum participem habere dignatus est ad vocem illam:

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animámque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani Munere.

Commota tam lugubri deploratione Liuia collapsa est, animóque destituta. Sextum ab his Hippocratem, septimumque Galenum statuam, quorum auctoritas maximis aut regibus aut imperatoribus adeò magna extitit, vt parum à deorum veneratione recederet. Gorgiam Leontinum cum Delphis auream statuã collocarunt sapientiæ titulo, quòd nulla eius tamen extent monumenta his longe inferiorem esse puto. Catonem Vticensem gloria ingens celebrat, quem etiam hostis laudauit, cui redẽũti cũ senatu consules ambo in occursum Roma egressi sunt, qui sanctissimè in corruptissima vrbe vixit. Vnde Aristide eò præstantior, quò Athenis Roma scelerati or: Homerũ ætate sua minime gloriose vixisse qui vitam suam scripserunt testantur. Vt verò vnicuique animali sua summa virtus ac facultas est, Homini inquam ratione vtendi, Aquilæ vt auibus imperet, Leoni vt etiam sola voce terrorem cæteris animantibus incutiat, ea autem est velut vasa vinaria decadentis, lamentabile quiddam in fine ac tremendum habens. Sic vnicuique homini gloriæ quædam portio est, atque certi generis, quam si assequatur, neque quid maius optare debet, neque si occurrat ferre poterit. Igitur vnusquisque diligenter non solum gloriam quærat. qua perpetuo viuere possit fœlix: sed eam quam non solum sperare ausit, sed etiam possit consequi. Ab ea verò auctoritas, ab hac rursus diuitiæ proficiscuntur. Verum cum paucis necessaria deficiãt, nec tamen multi gloriam assequantur, optimum puto docere, quonam pacto fiet vt sapiens honestis opibus non indigeat. Quinque autem sunt modi, quibus breui honestas opes comparare licet: primus vt artem nouam inueniat. nam & si rara auis sit, adeò tamen prosperum habet euentum, vt etiam modica parte illius nouiter reperta ditescere liceat. Velut qui vitrum candidis interlineationibus variauit, quod inuentum iam nostra ætate cogitatum est. Alter modus ab hoc, vt inclytæ arti operam des. Sunt autem quatuor, Medicina, Legalis, Pictura, Mercatura. Verum pictura ab ea quam habebat antiquitus auctoritate plurimum degenerauit. Mercatura honestas præsupponit opes: igitur duæ tantummodo hoc æuo artes honestæ relinquuntur. Est & alius modus comparandi substantiam, si qualemcunque artem nec adeò nobilem nec tantum vulgarem assidue exerceas, nouísque inuentis ornes: velut docere pueros, à secretis esse, vel ab epistolis, vel si quæstorias rationes supputet, vel si gemmas sculpat, plasticen exerceat, aurúmve trahat, vel sericum texat, vel si pigmenta misceat repurgétque aromata. In his tamen omnibus diligentia non parua opus est: quòd si & nouum aliquid atque vtile super addideris, non profectò te operam lusisse queraris. Quo in genere amicus noster Antonius Maioragius non vulgaris eruditionis iuuenis, cum intermissam declamandi cõsuetudinem Mediolani reuocasset, breuissimo tempore non solum in docendis pueris primas obtinuit partes, verum ad publice profitendum vtramque linguam à senatu omnium studiosorum maximo fautore euectus est. Vixque quinque annorum spatio nihil erat, maximus & opinione & re euasit. Nemo igitur artes si modo aliquid liberalis studij in se contineant culpet, non fortunam quæ virtuti comes assistit, sed propriam vel ignauiam vel inconstantiam vel stuporem vel vitia, quibus quatuor maximè ad gloriam prohibetur accuset. Ergo vt ad rem reuertar, si nullam artem profitearis, vel ea qualiscunque sit, admodum tenuis fuerit ac vulgaris, principi optimo adhæreas. Nam Iouem diuitiarum auctorem cum facit Homerus, reges intelligit, dicens:

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἑκάστῳ.

Id est,

Iupiter ipse distribuit fœlicitatem hominibus bonis, vt ipse vult cuique. hos igitur honestis obsequiis promereri oportet, & quãquam

vir us

virius quoddam eorum qui sine virtute aulam colũt principes ipsos obsideat, vt ingennè virtuti vix locus sit. Ambitionem enim antiquam retinent, liberalitatẽ & magnanimitatem amiserunt: vixque magnificentiæ vestigia quædã habent. Verum tamen si excelsam tuam animi virtutem esse cognouerint, non pessundabitor, cum & apud lartones virtus etiam in precio sit: quamobrem eom in piratas Bion Philosophus incidisset, sociis dicentibus, periimus si agnouerint, respondit Bion. at ego nisi agnouerint: seutiens veram virtutem etiam latronibus fore venerabilem. Quanto igitut magia apud illoa, qui vel non mali sunt, vel aliorum potius culpa mali sunt. Sic igitur Demetrius Phalereus apud Ptolomæũ Philadelphum ditatus est, & apud Dionysium iuniorẽ Plato & Aristippus, apud Alexandrum Aristoteles. nimis longum fuerit si horum recensere exempla voluero, com nemo tam infamis fuerit princeps, qui aliquos sapientes ac probos viros non ditauerit, honoribúsque affecerit. Ne mirum sit Plinium Cæcilium à Traiano, & Ausoniom à Gratiano ad consulatus dignitatem euectos, cum Phalaris hæc scribat de Pythagora loquens: τὸ πεντηκοντούτας ἢ τίμιον ἤδη μῆνα συνεῖναι μεθ' ἡμῶν, τοῦτο ἐπαινετόν ἐμός, id est, *Accessisse, & quintum iam mensem adesse, huius vniuersi laus mea est.* Verum illud admirabilius quod cum Stesichorũ poetam hostem infensissimum cepisset, liberauit, additis etiam muneribus: quæ cum ille dum captiuus esset recipere nollet, iam liberato transmisit, hæc addens: τὸ ἀργύριον τὸ παρ' ἡμῶν, ὃ μὴ σοὶ κομίζειν ἐβουλήθην τότε παρὼν, εἰ μὴ λαβὼν νῦν ἔχεις, προδοσίαν σύ, ἴσθι, πρὸς ἱμεραίους κατασκευάσομαί σου, id est, *Argentum quod à vobis est, quod tibi tunc præsens deferre volui, nisi nũc acceperis, id scito proditionem contra te apud Himeraeos comminiscar.* Sed eut exemplis mororr& nunc principes multos egregios viros extollunt, nec sinunt torpescere. Maiórque est forsan copia benefactorum quam eorũ qui ob virtutem extolli merteantur, adeo in fucos degenerauere apes: vt passim sine melle species apum cernatur. Quòd si qui virtute præstantes egent, nil mirum. non enim ex illorum gregẽ sunt. Ac priocipes aora & strepitu ducuntur, qui & si sapiant, parendum tamen illis putãt, ne non sapere videãtur: nam triticum ab inutilibus herbis obruitur. Itaque incertum mihi plane est, an cum Scipio Philosophos & poetas io expeditione ducere soleret, faueret ne auræ populari, an potius virtutem diligeret. Illud planè certum est, seu ob hoc seu ob illud, homines præstantes præmiis ac donis honeste ab illo ditatos, è quorũ numero fuere Nęnius, Terentius, Cæcilius, Pacuuius poëtæ, tum Panætius Stoicus. Sed iam quintom genus vt video parãdorum necessariorum aggressi sumus. Cum quis auctoritate tantum proficit, vt à populo vel ab inclytis ciuibus sustẽtetur. Quo in genere Horarius à Mœcenate egregie ditatus est, vt ipse restatur ibi, dum ad eum scribit:

Importuna tamen pauperies abest.
Nec, si plura velim, tu dare deneges?

Et ibi etiam ad eundem, dum scriberet:

Hoc erat in votis: modus agri nõ ita magnus,
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aqua fons,
Et paulũ sylua super his foret. auctius, atque
Di melius fecere. bene est. Nihil amplius oro
Maiâ nate: nisi vt propria hæc mihi munera faxis.

Et beato Hieronymo Eustochium, ac Paula necessaria omnia, dico libros, tabellarioa, victúmque subministrarunt. Politianũ & Marsilium Ficioum sic iuuit Laurentij Medices liberalitas, vt quantum otij literis impendere vellent, habuerint. Mirum enim in modum ciuitas illa perpetuo quodam literarum amore flagrat, adeò vt cùm Latina lingua ciues caruerint, nouum genus quoddam, vt scriberent, linguæ, fingere aosi sint. Sed tamen in propriis nostris principibus nõ minor semper fuit, si à rebus ipsis explorãda animi ratio sit. Itaque vt ad rem reuertas, Cælius ille Rhodiginus fautores & studiosos sui habuit temporibus nostris, è quibus præcipuus Ioannes Grolierius Lugdunensis quæstor regius erat. Erasmum etiam multi adiuuerunt, quò minus illi fuerat necessarium, vt rei domesticæ, tot libellia frustra scriptia, consuleret, cum sine illis, honeste viuere, cum illia, minus satis superstes fama esse posset. Minuit enim à grauitate, à magnitudine, à diligentia, à rerum scientia, quicquid illis, temporis impendit. nã verborum copia vel sic plurimum abundabat. Sic igitur Socrates amicorum beneficio, quãtum voluit Athenis splendidè vixit. Vnde Aristippus dicebat, Atheoiensem populum, cum ei de auaritia obiiceretur, Socratis penũ esse: iam enim tantum sibi apud illos gloriæ comparauerat, vt Aristoteles, Socratem, breuis temporia tyrannidem esse diceret: nec tam violento mortis casu extingui potuit, quin in inimicos vltio recideret. Quod omnibus contingere solet, qui stabile gloriæ fundamentum in vita iecerint, tum maxime in libera republica: Quod si etiam apud exteros sapiens fuerit, ne cogatur mendicare, Aristippum imitabitur apud Rhodienses dicentem:

Τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ' ἡμέραν
Τὴν νῦν σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασι; id est,
Quis vagum OEdipum præsenti hoc die modicis donis exceperit?

Omnia enim cum honestate studeat sapiẽs; vt non egeat necessariis, cũ haud facile emergant, quorum virtutibus obstat res angusta domi: Si tamen contingat ditari, longe melius est iuxta Aristotelis sententiam, quàm philosophari: nec te seducat Socratis in hoc consilium, quod Æschini dederat, vt à seipso scilicet, peteret: id erat à victu necessario subtrahere: pluribus enim malè cedit res; & nunc cum hæc scriberem, puer inopia adactus, pomis, caseo, pane & aqua com traxisset annum, in inflationem incidit, stuporemque sensuum, deinde attonito morbo, quod vix credi potest, anoum agens ætatis decimum octauum, repente correptus expirauit. Id ego consilium, dum in summa paupertate degerem aneuerti: volui enim carere vestibus, libris, supellectile, agris, ne ad victum necessarium, studioso quicquam deesset: omnia existimans eum repararentur, vestigium haud relictura. Iacturã verò victus, etiã si reparetur, plerũq; ea relinquere incõmoda, quę mortẽ aut perpetuã ęgritudinẽ afferãt. Mouerat me patris exemplum: is cũ Ticini in gymnasio esset, duobus sociis Andreæ Chio, & Petro Bono excellenti ingenij

viris contubernio iunctus est: omnes autem paupertatis incommodis laborabant: tū vnus inquam, ô socij, ait, si simul viuimus, vnà perimus: ineunda est ratio, vt seorsum quisque, manente amicitia, sibi consulat. Cum igitur diuisi essent pater meus, quòd nullæ illi superarant pecuniæ, erudiendis pueris patricij Ioannis Restæ operam dedit, commodisque vitæ suppeditantibus, quamvis minus, vt tūc videbat, prodigoitate, finem tamen honestum & absque vlla iactura consecutus est. Petrus Bonus cum ad imposturam, cui maxime aptus erat, se contulisset, primo quidem vt videbatur fœliciter, post, multorum quos deluserat odio, vrbem illam deserere coactus, ad Ioannem Bentiuolum, tunc Bononiæ principem diuertit; cum quo, primo eadem arte prosperè rem agebat, inde deprehensus in custodia publica veneno extinctus, ne pontificis auctoritate eum liberare cogeretor. Andreas Chius, cum minas auri tres haberet, ita diuisit, vt in tres annos illas sufficere speraret. Panem igitur & rapa, vel nuces edebat, bibebat aquam, qua ratione victus tam enormi, cum annum implesset, quartanâ, quæ illum quatuor annis vexauit, correptus est, quamvis iuuenis ac robustissimus. Liberatus tandem ab ea, capite tremens ac quasi delirus euasit. Et quamvis annos octoginta superauerit, medicinam exercens, semper tamen & corpore debilis & ingenio stupido, præposterâque memoria ac penè ad omnia inutilis habitus est: vir qui alioquin ad maximas res gerendas, nullique prouinciæ non aptus futurus erat. Ergo cur auaris pædagogis in contubernium alendos traditis pueros? vel clausos in cœnobiis ieiunare simul ac date operam sapientiæ cogitis? nisi vt vel non sint sine stultitia eruditi, vel integrâ vitâ sapientes.



DE SAPIENTIA
LIBER III.

IMMENSVM sed tranquillum sapientiæ naturalis mare superasse mihi videbar, iámque protinus in quietis portum peruenisse: cum per angustum humanæ peruenisse: cum per angustum humanæ sapientiæ pelagus nauem ducere cogor, atque inter Scyllam & Caryhdim intempesta nocte veoctotum instibilitati me committere, iamque facies illa vndantis maris, & fluctuosi turbinis, & obscuræ noctis, ac fragor ventorum & tonitrua apparent. Iámque coorta tempestate sæuiunt imbres, micant fulgura, tenebræ adsunt: omnia metu, ignorantia, & turbine complentur: iámque fit fragor, & densi funduntur ab æthere nimbi. Quid igitur? lumine & ductore opus est, vt è vasto hoc tumultu euadere liceat: atque eo magis quòd mare hoc, quamvis augustum, plenum tamen est nauigantibus; at illud, quanquam longe maius, paucos habet mortales: etenim apparent rari nantes in gurgite vasto. Pyxide indigemus Herculeóque lapide: hęc definitionem, hic diuisionem amplectitur. Est enim humanæ sapientiæ ratio, ad homines tota contorta: vtque naturalis, est, esse: sic humanæ, videri, semper finis est. Et quamquam nihil prohibeat, eum qui videtur, etiam esse, plerunque tamen accidit, vt & qui sint, parum videantur, & qui videntur, nullo modo sapientes existant. Ergo quid primum in hoc? non illud Antisthenis vt tacere sciat. ridiculum enim est, cum loqui fuerit opportunum, in taciturnitatete collocare sapientiam, ac velut discipulum Pythagoræ silentium lustricum exercere, sed is verè sapiēs erit qui vt poeta inquit:

Dicenda tacendáque norit.

Atque is demens Horatianus Vulteius, qui vt ventum ad cœnam est,

Dicenda, tacenda, locutus.

Verùm is tacere ac dicere probè nouerit, qui, quæ tacenda sint cognouerit, ac de quibus loqui expediat. Primum igitur de seipso loqui minime licet, ne laudando, leuitatis ac inanis crimen, vituperando, stultitiæ subeas: veruntamen apud ignotos, licet, vt apud Virgilium:

Sum pius Æneas raptos qui ex hoste penates.

Et Homerus de Vlysse,

Εἰμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης ὃς πᾶσι δόλοισιν
Ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

& alibi de eodem,

Οἶος δή με Φιλοκτήτης ἀπεκαίνυτο τόξῳ
Δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅτε τοξαζοίμεθ' Ἀχαιοί id est,

Sum Vlysses Laertiades, de quo omnes propter dolos norunt, & mea gloria cælum vsque peruenit. Et, *Solus me Philoctetes vicit arcu ad Troiam, quando iaculamur Achiui.* Licet & apud minores, exēpli causa: vt apud Virgiliū:

Disce puer virtutem ex me, verúmq; laborē:
Fortunam ex aliis. nunc te mea dextera bello
Eripiet.

Licet & propter vtilitatem, vt apud Salustium, Cotta: Quirites multa mihi pericula domi, militiæ, multa, aduersa fuere; quorū alia toleraui, partim repuli deorum auxiliis & virtute mea: inque his omnibus neque animus negocio defuit, neque decretis labos. Et apud Liuium, Camillus: Quæ tristitia milites? quæ insolita cunctatio est? hostem, an me, an vos ignoratis? vos etenim me duce, vt Falerios Veiosque captos, & in capta patria, legiones Gallorum taceam, modo trigeminæ victoriæ, triplicem triumphum ex his ipsis Volscis & Æquis, & ex ipsa Hetruria egistis. An me (quod non dictator vobis, sed tribunus signū dedi) non agnoscitis ducem? neque ego in vos maxima imperia desidero, & vos in me, nihil præter me ipsum intueri decet: Neque enim dictatura mihi animos vnquam fecit: vt, ne exilium quidem, ademit. Viden totam orationem laudis propriæ plenam? possum id innumeris confirmare exemplis, sed cum ratio ipsa dictauerit, his satis factum puto. Liceat igitur & cōtentionis causa, vt apud Ouidium, dum pro armis Achillis. Aiax & Vlysses, vterque sua facta coram iudicibus extollūt. Quod etiam in calamitate facere cogimur, cum beneficia nostra commemoramus: velut apud Liuium M. Manlius cum in vincula duceretur: Iupiter, inquit, optime, maxime, Iunósque regina, ac Minerua, cęteríque dij deæque, qui Capitoliū arcemq; incolitis, siccine vestrū militē ac præsidē sinitis vexari ab inimicis? hæc dextra, qua Gallos fudi à delubris vestris, iam in vinculis ac catenis erit? Vnde subiungit,

Nullius nec oculi nec aures indignitatem ferebant : magnamque plebis partem mutasse vestes, ex hoc etiam, tandem liberatum è carcere Maolium. Sed vide qoid in secunda accusatione, homines prope sese produxisse fertur Manlius, quibus, sine fœnore, expensas pecunias tulisset, quorum bona venire, quos duci, àdductos prohibuisset: ad hæc, decora quoque belli, non commemorasse tantùm, sed protulisse etiam conspicienda : spolia cæsorum hostium ad xxx. dona Imperatorum ad xl. in quibus, insignes murales coronas duas, ciuicas octo: ad hoc, seruatos ex hostibus ciues produxisse, inter quos, C. Seruilium, magistrum equitum, absentem nominatum : & cùm ea quoque quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum, oratione etiam magnifica, dictis æquando memorasset, nudasse pectus, insigne cicatricibus, bello acceptis, & identidem Capitolium spectans, Iouem deosque alios deuocasse ad auxilium fortunarum suarum, precatusque esse, vt quam mentem sibi „Capitolinam arcem protegenti, ad salutem populi Romani, eam populo Romano in suo discrimine darent: orasséque singulos atque vniuersos, vt Capitolium & arcem intuentes, ad Deos immortales versi, de se iudicarent. Profuit hoc, in crimine regiæ affectatæ dignitatis, eò dum, vt non nisi, eo loco ex quo Capitolium spectare non liceret, damnari potuerit. Ergo in hoc, Ciceronis oratione, antequam iret in exilium vti nobis necesse non est, si modo illius ea est oratio, tum præsertim cum homo ille, nullis legibus, omni in oratione, magnificè vsque ad audientium tædium, seruatam semper rempoblicam prædicaret. Vitiosa enim argumentatio est, quæ tam aduersus præcepta nostra concludit, quàm pro illis. Verum illud forsan tunc popolare erat atque Ciceroni amicum, quòd ab æqualibus suis improbabatur. Licet & interrogantibus, sæpius de seipso dicere, quem morem Virgilius ac Homerus seruant, Alcinoum & Didonem prouocantes fingunt. At demum ad commiserationem sua mala referre, aut ad consilium capiendum, tantùm fas est : quamuis tot modis laudare seipsos liceat, verum non hoc tantum spectare debemus, sed modum potius, quo quis etiam de se loquitur. Namque & Medicis impune, & causidicis, artificibúsque opera sua laudare licet. Verum si id non directè, sed quasi ex transuerso atque sub interrogatione, honestius ac maiore cum auctoritate fiet. Sunt autem modi quibus alia dicimus, alia significamus, plures: è quibus ironia præcipua est, qua poëtæ, oratores, philosophique vtuntur : vt apud Virgilium :

En dextra fidésque!
Quem secum patrios aiunt portare penates!
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem!

Inde vide qoid sequatur :

Non potui abreptū diuellere corpus, & vndis
Spargere? non socios? nō ipsum absumere ferro
Ascanium? patriisque epulandum apponere mensis?

Ergo ironia iam non obscura est, quæ prius ancipitem sensum haboit, frequentissima est apud Virgilium, vt pore qui Deorum & regum mores imitetur. Sic & apud Demosthenem, ὑμεῖς δὲ ἑώρων ἐγώ, διδόντα μὲν καὶ ὑπισχνούμενον Φίλιππον, id est, *Vos autem inquam ego, dantem & promittentem videtis Philippum.* cum ad Messeolos loquitur, subiicit enim protinus, ἐξηπατηκότα δ' ἤδη καὶ παρακεκρουμένους, ἀπεύχεσθαι, εἰ σωφρονεῖτ' ἰδεῖν, id est, *Eum qui iam vos decepit & in fraudem illexit, abominaremini, si saperetis, intueri.* habet vtrunque exemplum amaritatem maximam, cum protinus declaratur: si tardius, minus lædit. Optima cui nunquam subiicitur expositio, velut id cum lætare Pædaretus, Spartæ non electum esse inter trecentos, quod dixit : δεῖν συγχαίρω τῇ πόλει τριακοσίους ἀρείτονάς μου πολίτας ἐχούσῃ, i. *Propterea gratulor ciuitati trecentos me præstantiores ciues habenti.* adeò abscondita hæc est amaritas, vt in apophthegmata relata sit. Et tamen indoluit ille, quòd moris est collegiorum, non eligere ad magistratus, optimos, si Plebeij sint, sed honestati ac persæpe vtili, præferre inuidiam. Est autem, quanquam tot illius genera sint, vt Quintilianus in numerum non audeat referre, triplex ironia: in vita, in facto, in dicto. In vita qoidem, velut Socratis, qui cum se nihil scire diceret, alios appellaret sapientes. inde argumentis illos conuincens, ridiculos ostendebat, vnde sibi, cum gloria, inuidiæ & odij tantundem comparauit. Facto verò nullom accommodatius exemplom, quàm apud Xenophontem Clearchi : is cum exercitum pro Cyro aduersus Artaxerxem regem ducere vellet, nec inuitum posset, cum etiam lapides in eum iacerent, simulauit relicturum Cyrum, ducturus exercitom quo ipsi vellent. Inde dissimulans etiam velle Cyro obtemperare, tum, imperare exercitui : negabat illos io tot difficultaribus existentes, posse, nolente Cyro, euadere. Inde proposita per alios conditione, & Cyro, & sibi obsequentem exercitum reddidit : & in maximum discrimen, nec obscurum scelus compulit. verum hoc ad aliud genus spectat, εἰρωνείας aggrediamur, cuius vis in verbis est solom. Eius optima species ac frequentissima ἀπόφασις, cū dicimus iam, quod dicere velle negamus, vt: mitto primam illam libidiois iniuriam : tum illud: Neque tu, si qua io pueritia peccasti exequar, ne pareotem tuum videar accosare. Vel cum alios dicere hortatur ea, in quibus minime arguere quisquam nos potest, illos ab ea suspitione nemo liberare, vt apud Virgilium Turnus :

Méque timoris
Argue tu Drance, quando tot cædis aceruos
Teucrorum sua dextra dedit.

Et vt generaliter duobus verbis aperiam, ironia ambigua ad occultandam sententiam, est accommodata : quæ aperta fioe ex se seu subsequente declaratione, irascentis animum tantum ostendit : nec nisi incitandum apta est. Plus enim est dicere, Scilicet, is superis labor est, ea cura quietos solicitat : quàm si dicas: Namq; Deos didici securum agere æuum, homanis neglectis rebus. Et maius hoc est, vsque adeò me mori miserum est ; quàm, mori miserum non est. Alter modus est, cum figuris vtimur aut tropis, quibus vnum dicimus, aliud intelligi volumus, hoc autem citra contrariam fit sententiam. Vnde ab ironia differt, velut illud Horatij :

Horrida tempestas cœlũ contraxis & imbres,
Niuesque deducunt Iouem: nunc mare, nunc
sylua
Tereicio Aquilone sonant. Rapiamus amici
Occasionem de die: dúmque virent genua,
Et decet: obducta soluatur fronte senectus.
Tu vina Torquato moue consule pressa meo:
Cetera mitte loqui.

Et ad Atticum Cicero libro septimo: Vt enim alia omittam decem annorum peccata quæ condirio huic fugæ non præstitit, obscure satis in Pompeium inuehitur, qui iam octo antea annis Cæsarem auxerat in Gallia, cum antea Romæ annis fermè duobus, parte alia anni, quæ tunc finiebatur, multos in legionibus, in non suscipienda pace cum Cæsare admiserat errores: vltimò, cum saltem Romæ persistere debuisset, nec conditionem recepit, nec venientem sine milite, repulit. Hæc omnia obscure ibi ac plura continẽtur. Carptim, cum quæ simul iuncta, secure non proferuntur, diuisa, idem apud eruditos sonant, nec tamen deprehendi queunt. Velut cum Brutus de Cicerone: At qui eò tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, vt sit illi Octauius propitius: tum id, Et dum habeat à quibus impetret quid velit, & à quibus colatur ac laudetur, seruitutem honorificam modo non aspernatur. deinde: Quid enim nostra refert victum esse Antonium, si victus est vt alij vacaret? demum iunge: Ego certe qui cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno & & imperiis extraordinariis & dominatione & potentia quæ supra leges est. Collectis omnibus, satis intelligis, quod ex initio præfatus, sed tamen aperte negarat ambitione ductum Ciceronem patriam prodere: multa sunt eiusmodi in orationibus exempla. Hoc consilio, primo Lutherus Romanam Ecclesiam euertere aggressus est: cum sparsim primo multa doceret, ex quibus iuncta oratione enituit, quod in suspicione erat, non in crimine. Et si modo vllus, arte hac, fanda & infanda dicere tentauit, hic fuit, Aristoteles: nam & mundi ortum, & animæ præmia, & Deos ac Dæmones tam callidè sustulit, vt hæc omnia aperte quidem diceret: argui tamen non posset. Proxima huic ratio est, cum alia ratione firmamus, alia concludimus, velut apud Virgilium:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad
vmbras:
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundã,
Ante pudor, quàm te violem, aut tua iura
resoluam.
Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, seruétque se-
pulchro.

Ante tamen rationes in oppositam partem adduxerat, tum lacbrymas quibus Anna soror satis mentem ab his verbis alienam deprehendit, vnde poëta dicit:

Spemque dedit dubia menti, soluitque pu-
dorem.

Hac arte, nobis Erasmus collaudauit pœnitentiæ sacramentum: rationibus verò adegit homines, vt non amplectantur: cum infirmiores ex vna parte, ex altera firmiores collocauerit. Vtque eodem vento, velorum arte in contrarias partes naues simul aguntur, sic eodem libro Carholicis ac Lutheranis satisfecit. Laudo artem, vitupero consilium: quòd in his quæ ad fidei integritatem pertinent, etiam deterius est dubium, quàm prauum. Est & ratio alia occultandi quæ dixeris, cum imperfecte dixeris. Multa sunt apud Ciceronem in epistolis ad Atticum, ac plura quam velimus, quale illud, de Aufidio & Palicano non puto te expectare dum scribam. Vt ex prima epistola sumam facillimum exemplum, dubium tamen est, cuius causa non sint petituri. Est & ratio ambiguitatis, cum in vtranque partem sensus ipse detorqueri potest, quale illud: multa bona commoda hominibus lex Christiana attulit: Nam si de vita intelligitur perenni religiosa est hæc oratio: si de commodis humanis, profana. Sentit enim humanam hanc legem esse: dissoluitur autem sic ambiguitas, leges commoda ferunt hominibus: ad hoc enim institutæ esse videntur, at lex nostra omnium est commodissima. & illud: Aio te Æacide Romanos vincere posse: & pleraque oraculorum, vatum, Astrologorum, & diuinantium responsa. Obscura est etiam omnis oratio in qua quod volumus intelligi apertum, silent conclusionem propter honestatem. Quale illud Machiauelli: omnes qui veritatem tueri sine armis voluerunt, male periere. Deinde alibi Christum asserit sine armis quod esset, ob inuidiam à Iudæis condemnãtum Quis non videt ex his Christum humano consilio, non quòd sponte oblatus sit, periisse illius sententiâ, quam tamen explicare non ausus est. Similis arte aggreditur Mahometus Christum oppugnare, dicens: Omnis qui participem Deo dat vel coæqualem, illi contradicit. Assumit autem quasi pro confessis Iudæorum voces, Quia filium Dei se fecit: & quis es qui æqualem te Deo facis? At Christus nec Deo æqualis est, nec particeps: sed ipse Deus. Vnde ad Philippum: Ergo & pater vnum sumus: & qui me videt, videt & patrem meum. Simili calliditate conatur probare in Alchorano, quòd non passus sit, quia non deceret talem virum pœnas pro Iudæorum calumnia dedisse. Ergo occulti sermones sunt & ancipites, qui conclusione carent. Hac arte Aristoteles ansam mille interpretibus diuersa sentiendi præbuit, quòd imperfectis vtatur argumentis, nec semel sed vniuerso in libri contextu sunt, qui aliorum actorum auctoritate quasi non sua recitent, vt apud Ciceronem Cotta inducitur, Deorum negare prouidentiam, curámque omnium humanarum rerum, sitque Cicero iudex eius quæstionis, cuius est auctor, sed hic fingitur. Aliter & subtilius oppugnat Gellius diuinationem ex Phaurorini Philosophi verbis. Et Erasmus in epistolis, quæ non vult dicere sic dicit, vt cui subscribit, ab alio tantum aduersæ factionis dictum existimemus. Ludimus & exemplis, quæ tamen non pure proferuntur, sed cum irrisione. Ergo multis modis cum & loqui & etiam scribere liceat de seipso, cautè artificibus semper concessum fuit, tum his maximè quibus qualiscunque laus, ob periculi magnitudinem, auctoritatem dat: quod ni fallor præcipuũ est ac quasi solum, medicis, cum metus mortis etiam de seipso prædicanti, fidem faciat, de Deo, rarò ac generosissimè: est enim omnium ille absque

contro

controuersia, bonorum largissimus auctor: Nec quisquam de summo bono maledicendo sperare laudem vllam potest. Itaque nullum genus sapientiæ, Deum vituperare, aut calumniari? aut irridere, aut illudere ei, vel inter illegitima vel praua commemorare docet. De lege, quod quisque à patribus suis accepit, tuto proferet & honestè iuxta Euripidis sententiam.

Οὐδὲν σοφιζόμεθα τοῖσι δαίμοσιν,
Πατρὸς παραδοχὰς, ἃς θ' ὁμήλικας χρόνῳ
Κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβάλλει λόγος:
Οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὕρηται φρενῶν.

Id est,

Nihil enim dæmonibus sophisticemur, patris successionem, quasque æqualem consuetudines tempori obtinuimus nulla hæc oratio abolet, Ne si acutissime quidem ratio inita fuerit. Et tamen misera plebs paucorum ambitione plectitur nulla sui vtilitate, seruantur auctores, in quos si vera dixerint, nihil habes, sed nec in ipsam plebem: si falsa, maiore pœna digni sunt. At quot ex illis sycophantia bene cessit? Quamobrem crudeles ne dixerim principes, qui in hos animaduertunt, modo eos tollerent qui Pileum vel Episcopatum prurientes, tātas inter populos ruinas ferunt, tam ingentibus cladibus genus humanum afficiunt: tam pernicioso veneno religionem inquinant. Ergo malum hoc non humanum est, sed vel ex Deo vel à dæmonio quodam. Nam præterit me quantum Isocrates in hoc præcepto peccauerit, dicens: τίμα τὸ δαιμόνιον ἀεὶ μὲν, μάλιστα δὲ μετὰ τῆς πόλεως: nam subiungit quod ex arte non est, οὕτω γὰρ δόξεις ἅμα τε τοῖς θεοῖς θύειν, καὶ τοῖς νόμοις ἐμμένειν. Causam enim turpem pulchro præcepto subiecto subiecit. De regibus ac principibus honestè loquaris, nam maledicentia periculum afferre solet, laus, adulationis suspitionem. De parentibus ac affinibus, cum illos laudas, memineris partem tui laudare in illis: quamobrem vel non nisi prouocatus, vel sine affectu omnino id facies: cum verò laudi locus non est, pro vituperatione silentium subiicias. Sed iam quid non agere debeamus, sed quid agant videamus, qui sapientiam humanam profitentur. Principio igitur videndum, quid vnicuique hominum generi conueniat. Sunt autem hominum genera tria: principes, & qui seruiunt, & qui in libera habitant ciuitate. Duo etiam modi maxime ad prouehendum idonei: dissimulatio, & eloquētia. Porrò dissimulatio ex animo in linguam & gestus & actiones progreditur, iudicium; hominum non quærit, sed opperitur. Eloquētia iudicium aliorum requirit, & linguam ornatam exigit: his duobus auctoritas apud homines augetur. Principium autem omnis commodi ac felicitatis humanæ est apud homines auctoritas, ab ea diuitiæ, fides, amicitia, dignitates, magistratus, potentiáque profluunt. Ergo eloquentia ipsa iam quærenda est, sed non vt Ciceronis, sed quæ loco, tempori, ac personis congruat, illosque qui audiunt possit persuadere. Hanc & olim & nunc in precio omnes habent. Ille enim plurimum potest, qui plurimum persuadet: vnde non malè apud Tragicum Hecuba conqueritur dicēs:

Τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν ὡς χρὴ πάντα, καὶ ματεύομεν,
Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
Οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν,
Μισθοὺς διδόντες μανθάνειν, ἵν' ἦν ποτε
Πείθειν ἅ τις βούλοιτο, τυγχάνειν θ' ἅμα.

Id est,

Quid disciplinis, vt dignum est cæteris
Sudamus atque singulas inquirimus?
Ac non magis suadela, quæ mortalibus
Regina sola est, examussim exquiritur,
Datoque precio discitur, quo quævelis
Ea quisque persuadere possis & assequi.

Id est, cur mortales, cæteras quidem disciplinas omnes inquirimus & colimus vt par est: verum persuadendi artem, hominum reginam, non plus aliis studemus mercede data discere, vt liceat quæ velimus eum oportoerit persuadere aliis simul ac impetrare? Est enim eloquentia quædam tyrannis occulta: vnde etiam Ciceronem Romæ regnare aiebant illius inuidi, & Romulum Arpinatem appellabant, quod Romulus non solum regnasset sed Romam ædificasset, quam ille natam sub se prædicabat carmine satis ineleganti:

O fortunatam natam me consule Romam.

Igitur cum nihil sit præstantius inter homines, quàm terræ dominari, & omnibus quæ in ea sunt: par enim hoc si non sit, simile tamen Deo est: at ille terræ dominatur, qui hominibus illa habitantibus imperat, quòd cætera animalia omnia, quamuis celeriora & fortiora homini ob ingenium, artes, & concordiam, atque communionem, aut parent aut cedunt: tum etiam maria ipsa, & pisces, arbores, montes, in hominum arbitrio sunt: Itaque qui hominibus præest, terræ præest, atque mari, tum omnibus quæ in ea consistunt. At hominibus præsumus, vel vi, vel consensu, vel mixta quadam via. Vi quidem armorum metu, consensu orationis persuasione & eloquentia, mixta via vt legibus ac magistratibus, qui quidem hominum consensu constant, vi tamen exercentur. Ergo omnium nobilissima artium militaris post legum & eloquentiæ, habet autem eloquentia vt persuadeat, accommodata vt dixi, loco, temporibus, personis. Nam & Lacones suam habebāt facundiam, quæ tamen orationibus breuibus, abruptis, circuncisisque constabat: & in vrbe nostra eloquentiæ fundamentum est, vt quàm breuissimis verbis ostendas negotium illud è re sua esse. Porrò orationem longam odio habent, non solum quòd putent ostentationem in se habere, sed quòd ab illa timeant, velut Romani à Græca facundia circumueniri. Optimè igitur ex Homero dixit Galenus, eloquentiam hominem Deo quodammodo simillimum efficere, cum solus Deus corda hominum quo vult flectere possit, his verbis:

Ἄλλος δ' αὖτ' εἶδος μὲν ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ.
Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει· οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
Τερπόμενοι λεύσσουσιν. ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
Αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν.
Ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς εἰσορόωσιν.

Id est,

Alius vir est forma deterior, sed Deus formā ornat versibus. Alij verò in hunc cum delectatione intuentur, hic verò expedite concionatur cum dulcipudore decoroque se commendat apud concionem, incedentē verò per vrbem suspiciunt. Hæc tamen pars, vt clarum est, multò minus principi

principibus necessaria est, quoniam armorum vi, retinent potestatem. Nemo autem ea quæ habet, quærere re dubiâ vel certâ debet. Male ergo Seneca, Neronem eloquentiam docuit, cum potius Philosophiam docere debuisset. Nam eloquentes, boni principes vix vlli, & pauci felices. At Philosophi, omnes boni principes, & felices: quòd in animo, robur principis esse debeat, non in lingua. Itaque cur admiramur Traianum ac Theodosium, cùm vix scirent literas, optimos fuisse & felicissimos principes: contrà, Neronem & Heliogabalum eloquentes, sed monstruosos ac infelicissimos? Quòd si quis mihi obiiciat, militares conciones quasi necessarias, illi respondebo, non enim qui animo sit sapiens, hoc commissurum, vt eò labatur licentia militaris, vt oratione ad conserendum manus opus sit. Nam nec Alexander, inter tot discrimina opus oratione Liuiana habuit, ad Darij numerosum exercitum superandum, nec Marius Cimbros deuicit oratione, quanquam tamen accepisset à republica militem, sed arte bellica & auctoritate: persuasum enim erat militi, cum Mario vinci non posse. Verùm, dissimulatio, vt magis eloquentiâ principi necessaria, sic, vt quisque minus habet auctoritatis, sic minus necessaria: & ideò in plebe parum aut nihil prodest, si cæteris animi artibus non adiungatur. Et tamen, sic existens, omnibus vtilissima est. Atque vt id comprobem, historiam duorum exemplorum recitabo, in quibus vis humana, omnis furor, omnis impetus, dissimulationi succubuit: vt facile sit, intelligere, nullam artem aut apud reges aut populos huic posse conferri. Erat igitur apud Iudæos, vt Iosephus refert, Tyrannus nomine Alexander, qui omni crudelitatis & libidinis genere, populum vexauerat, hic moriturus, vxorem aduocat, docetque vt ipso mortuo, in ipsum inuehatur; censeat cadauer dilaniandum, proiiciendúmque, hortetur populum vt proprias vlciscatur iniurias; se filiósque, quod nocentes non sint, quod inuitis ipsis ac reclamantibus, iniusta quæque ac nefanda, nec viro, sed feris digna peregerit, quòd paria etiam ab illis etiam ipsi metuissent, quòd grauissimus etiam in domesticos omnes, non solùm, sed etiam in coniunctissimos fuerit: liceat aliquando liberos esse, & absque periculo; cum non æquum esset, vt hi qui ab illo ob populi curam in maximo periculo essent constituti, ab his etiam qui meritò illi irati essent, timere deberent: tantum potuit hæc oratio apud populum, quam vxor ab illius morte publicè habuerat, vt non solum iniuriarum obliuiscerentur, nec dignum quicquam in tyranni filios legibus statuerent, sed inuisum cadauer, publico honore decorandum existimauerint, filiósque, quibus parerent; cum in matris dissimulatione, plus fiduciæ quàm in patris scelerum memoria collocassent. Ergo prudens dissimulatio, salutaris necessariis, populum decepit: Quàm maior vis existimanda est eius, quę regem versutum senémque imò tyrannum fefellit, à consilióque auertit? Cum Herodes ille Ascalonita, Alexandrum filium, veneficij reum & cogitatæ paternæ cædis, in vinculis occidendum haberet, Archelaus, qui filiam suam Alexandro desponderat, è finibus Capadociæ regni, Hierosolymam venit: ac primùm ab Herodis salutatione, illum sic aggreditur: Intellexi ærumnas tuas ô Herodes, filiíque tui inauditum scelus, quòd si filia mea vel verbo particeps est tanti flagitij, pœnas rogo ab illa protinus sumas: quòd si non est, affinitatem nunc disiungi postulo: Quin tu, adeò mitis pater eousque supplicium distulisti? miror sanè, & expectabam, te iam ex filia mea ac filio pœnas sumpsisse: sed video vicit humanitas tua, affectúsque paternus illorum improbitatem: sed veni ego vt non solum tardantem incitarem, verùm & adiuuarem, ne crimini dari posset, quòd in filium sæuieris postquam & ego filiam ipsam sceleris participem punire decreui. Erant sanè hi innoxij, nec hoc ignorabat Archelaus, sed falsis accusationibus Antipatri, alterius filij Herodis premebantur. Ipse verò pater, præ ira, non satia veritatem poterat intelligere. Sed postquàm Archelai verbis consentientis nec retrahentis, ira deferbuit, patuit innocentia nurus & filij: in affectum igitur paternum relabens, filium à vinculis liberat, vtrosque etiam suasu Archelai in pristinam gratiam recepit. Huius generis, bellica omnia sunt stratagemata, atque inter illa nobile illud Zopyri cum Dario aduersus Babylonios; longa est historia, sed notissima. Verùm longior, si velim omnia in hoc genere referre, cùm tamen Homerus suum Vlyssem tam longa dissimulatione in procorum cædem armat; latitat vt mendicus, pugnat cum Iro, pro cœna iacet, nihil non facit, vt vxoris pudicitiam intelligat, domesticorum fidem, procorum scelera, ac vires denique, vt cædis inopinatæ arripiat occasionem: id imitatur Virgilius in suo Ænea dicentem inducens Didonē:

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum.

Et rursus,

Spem vultu simulat.

Et cùm reginam constantissimè mortem quæsisse docere vellet, dissimulantem hoc ipsum, quod animo conceperat inducit, dicens:

Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.

Quin etiam ipsam Iunonem Deam, dissimulasse aduersus Venerem eodem libro his verbis expressit:

Olli, sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiæ Lybicas auerteret oras.

Dissimulationémque dissimulatione aggreditur Venus. Sed quid iam tot verbis agam? duo hi sunt nerui humanæ sapientiæ, Dissimulatio apud omnes, tamen præcipuè potentes: Eloquentia apud illos, quos vel decipere nihil prodest, vel qui tuo non parent imperio. Et si quis me roget, quis mortalium palmam sibi arripuerit in dissimulando? respondebo Philippum, quod & hoc pro laude ab inimicissimo Demosthene sibi obiiciatur: post illum, Themistocles, qui duplici dolo non solum Persarum regem decepit, patriam liberans, sed beneficium accepisse interpretatus, Rex, in exilio vrbibus tribus eum donauit. Est ergo ratio vna, in dissimulatione, optima, simplicitatem profiteri: Cùm tamen in minimis causis non sit dissimulandum, sed apertè agendum, quod & Philippus agebat. Atque in omnibus, nisi de summa rerum agatur, aliquam iustitiæ speciem præferre iuuat. Conferre ad hoc non parum, homines liberæ linguæ amplecti: ac videri illos caros habere, vt dissimu-

lationis

lationis oforem. Sæpenumero enim, res, non magis ſapientum ſed plurium arbitrio reguntur, quibus, fama & externa ſimulatio, pro argumento ſemper fuit. At eloquentiæ virium Demoſthenes Athenis, & Cicero Romæ exẽplum dederunt: fuere enim hi eloquentiſſimi. Iſocratem ne dicas eloquentem, qui ad lucernam declamitat: Æſchinem ſi Demoſthenes non fuiſſet, ſecundum ſtatuam Rhetorum, primum verò Athenis. Sed cum in regum memoriam inciderim, de illis pauca ſeorſum dicam. Rex qui in imperio ſuo tutus eſſe velit, poſtquam regnum ſponte ſua (vt tragicus ait) pondere ſuo ruit, magnam diligentiam & conatum in eo retinendo exhibere debet: nam ſi neglectim vt plurimi faciunt, regni negotia tractauerit, non diu regno potietur. Sunt autem pericula quibus regna amittuntur, vel ex Inſidiis, aut Vi. Vis externa, vel à ſubditis, quæ ſeditio vocatur. Inſidiarum, aliæ violentiam, aliæ dolum ſecum habent. Violenter enim Galeazius Sfortia & Ioannes Galeazius obierunt, inſidiis priuatis, abſque populi conſenſu: ſic & Philippus Macedoniæ Rex: quæ autem dolo fiunt, aliæ quidem à domeſticis & alieno impulſore, aliæ à coniunctis. Ergo aduerſus externam vim, nihil melius eſt, quàm militem habere domeſticum & exercitatum, tum concordem populum, & pecuniam repoſitam: Vnde Galliæ regnum non validum eſt aduerſus externam potentiam, caret enim milite proprio, & quamuis equitem habeat conſtantem, quia tamen exiguus eſt numerus, ideò ad defendendum propria, ſi qua magna ingrueret potentia, debile eſt: ad aliena occupandã, inutile. Et quantò hac in parte debilior eſt, tantò tutior aduerſus domeſticas ſeditiones. Quamobrem hoc ſemper fuit difficillimum, vicinis eſſe terribilem, & tutum à domeſtica fraude. Qui tamen generoſo animo fuerunt, malebant militem habere armatum, cum ſeditionis periculo, quàm inermem prouinciã, tot finitimorum incurſionibus habere ſubiectam, atque in omni belli diſcrimine, ſubditos exhaurire, & alienæ fidei credere. Eadẽ ratio in educãdis filiis, nam fortes, patri imminent; debiles & enerues, ad regnum tuendum non ſunt apti. Sed tamen, Philippus Alexandrum maluit bellicis artibus inſtructum habere, ad gloriam, cum ſuſpitione; quàm effœtum cum ſecuritate: & nunc, pater ob filium celebratur. Ad comprimendas autem ſeditiones, non vt quidam ſtultè excogitarunt, ſeditione ipſa opus eſt: in quo errore Ludouicus Sfortia, cum ſibi videretur ſapientiſſimus, ſe ſuóſque omnes perdidit. Nam conſentiens populus, nũquam Regem, niſi omnino flagitioſum depellet à ceruicibus: quod difficillimum ſit eſſe concordem, nec poſſit tanta multitudo vni eſſe infenſa? At in ſeditionibus, cum parte vna, plerunque etiam princeps eiicitur: quod in Italiæ tyrannis frequentiſſimè contigit. Ergo ad concordiam reducenda eſt multitudo; nec diffidendum tum maximè, quòd populus concors, aduerſus externas offenſas eſt etiam tutiſſimus. Quòd ſi nouum regnum, bellicã virtute vel ſucceſſione, antiquo adiungatur, quatuor modis abſque ſeditione retinetur: vel coloniis in locum deductis, quod Romani facere ſolebant: vel habitatione principis, vt cum Turcarum Princeps in Græciam, ſedem ſuam trãſtulit: vel mixtione populorum, quod Romani cum Sabinis & Hetruſcis fecerunt: neque enim hoc adeò ſeruile eſt vt habitatio, nec tam crudele vt coloniæ deductæ; in quibus quod optimum eſt ac tutiſſimum, antiquos habitatores delere: hoc autem inhumanũ eſt. Extremum eſt, cum vi ac præſidiis detinentur, obſidibus, munitionibus, armorum priuatione, virorum diminutione: quod & Turcarum princeps in Chriſtianos exercet, quaſi neceſſariò, ob cultum relionis diuerſum. Optimum igitur ex his omnibus eſt, miſcere nouos populos antiquis, inde vrbes æquis iuribus regere: Summum autem præſidium regni eſt Iuſtitia, ob apertos tumultus: & Religio, ob occultos. In adminiſtratione iuſtitiæ, vnũ ſeligat gnauum virum ac prudentem, tum legum optimè gnarum: hic ſocios ſibi deligat non pauciores quàm decem, non plures tamen, quàm viginti, qui ſe nouerint ab illo electos, vt ei cum oportuerit obſequantur: omnes tamen municipalibus legibus inſtructos. Porrò primus ille, ſingulis diebus cum paucis aliis, non ex eodem ordine, in ſecreto conſilio cum ipſo principe ſit. Quicquid autem graue eſt, per illum ordinem adminiſtretur: ſic odium princeps, ille vnus inuidiam, multitudo & ordo ipſe periculum effugiet: & tamen vnus omnia exequetur. Habebit & ordo ille facultatem leges condendi, vt maiore eum auctoritate, & abſque ſuſpitione voluntariæ adminiſtrationis, omnia facere poſſit. Et maximè, vbi in quempiam principi inimicum pœna ſit irroganda. Non in pluribus, ſed in neceſſariis princeps ſe miſceat: nec cogat ordinem à recto deuiare. Aliquando etiam aduerſus iniuſtitiam deprecetur, ac in ordinem veniat, illis aperte contradicentibus, ac ius ſuum tuentibus, decernentibuſque. Ius ipſe numquam ſolus exerceat, erratum non retractet, ſed reſarciat. Sic enim Philippus Macedonum Rex, cùm oſcitanter cauſam audiens, damnaſſet Macheram, illo prouocante, cum intellexiſſet Philippus, Macheram iniuſte damnatum, non reſcidit iudicium, ſed mulctam pro eo ſoluit. Sed neque decet principem quicquam admittere humile, aut indecorum publicè: occultè agat, quæ apertè laudari non omni ex parte poſſunt. Sic crudelitatem, libidinem ſecretis locis & inter ſuos expleat, ſi affectibus animi nequit dominari. Super omnia autem ab iniuria caueat: hæc enim eſt inſidiarum mater, & ſeditionum nutrix: Nihil exerceat nimis: nec peritus eſſe velit in artibus, quæ nec ad bellum ſunt neceſſariæ, nec ad iudicia, nec ad corporis cuſtodiam vtiles. Vnde rectè cantor cum à Philippo reprehenderetur dixit: abſit ô Rex vt hæc melius quàm ego teneas. At nunc quidam principes cupiunt vehementer videri in his eruditi: in quo duplicem riſum mouẽt; & quod quæ decet neſcire, ſcire velint, & quod putẽt ſe ſcire, quæ neſciant. O quam iuſte igitur pictor ille egregius è regno pulſus eſt; & Dionyſius Grammaticus. Literas, eloquentiam, Geographiam, Machinatum artem, & nauigandi, ſi mediocriter teneat laudo; non vitupero etiã ſi his careat. Nam & Coſmus Medices, literarum ignarus, prudentiſſimum ſe declarauit, tamen verò & Caſtrucius inſignis dux fuit: cuius

cuius memoria ad id me vocat, vt rectè credam confictam fabulam de illius admirāda in infantia expositione. Sed & illud, ab hostibus tamen retorqueri solet; vt cum Sabini bello certarent cum Romulo, obiiciebant ei quod spurius esset, infamis, humili patre; cùm Deorum genus mentiretur. Beneficia ipse, non ordo conferat, nec expectet certamen: nam longè diuturnior ac maior est repulsę dolor, quàm memoria beneficij: is verò qui ab ordine habuit, non à principe habuisse putat. Illius ordinis etiam princeps, quem, vnum ante alios diximus debere constitui, in rebus magnis sit inexorabilis: & iracundiæ non vitio, sed infamiâ laboret: sic enim multa perficere poterit, antequam cogatur princeps vel mutare decreta, vel crudelis aut pertinax dici. Capitali damnationi semper bonorum etiam accedat amissio: ne quandoque ab affinibus vel filiis, armis, spe indulgentiæ offendatur. Omnis animaduersio capitis, sit sine spe reconciliationis filiorum, vel proximorum: In quo genere satis Astyagem Medorum regem delirasse apertum est: Credidit enim exercitus summam, ei, cui filium proprium tradiderat epulandum. At si per iniuriam coactus, occideris, memento prouerbij:

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, υἱὲς καταλείπει.

Id est,

Stultus qui patre caso liberos facit reliquos.

Crudele hoc sanè, sed illud periculosius. Plutarchus vir grauis, absurdum putat, secus fecisse: cum etiam Philippum Alexandri patrem hanc rationem secutum intelligamus. Tyrannicum certe est, filios ob patrem occidere, sed & prius fuerat, occidisse iam patrem. Damnatorum autem pueros ne occidat, sufficit enim spoliasse. Siquidem in extrema paupertate educatis, animi deficiunt. Iniuriam, crudelitati ingenti, addere adeò inuidiosum est, vt Philippus vltimus Macedonum Rex, hac causa regno pulsus esse credatur. At vero in proditores, lege agere semper licet. In regno, nulla sit suspitio à suis: Quamobrem nec fratribus parcendum, si sint audaces. Stadeo abstinendum omnino ab iniuria: sed si contingat illam fore necessariam, securitati consulatur. Ergo & propinqui potentes, eorum quos occideris deprimendi. Leuius etiam existimato hominem fortem è medio tollere, quàm iniuria afficere. Rara autem est iniuria, à qua violentia absit: igitur ne in adulterium prorumpat princeps vnquàm, ne virginē inuitis proximis corrumpat, ne scortum, inuitum ad turpes vsus impellat. Hac enim causa Philippū occidit Pausanias: quod illum ab Attalo talia passum, non ab iniuria manifesta vindicasset. In vniuersum igitur, iustitia summa, summa securitas: post ipsam autem, summa tyrannis proxima illi est in securitate. Nam duo maximæ crudelitatis antiqua exempla, & summæ tyrannidis, tum diuturnæ felicitatis narrantur. Agathoclis, qui omnes ciues Syracusanos vna die nobiles sustulit: & Nabis qui Lacedæmoniorum octoginta potentiorum, tum Ilotarum multitudinem vna die interfecit. Nec solum à suis tutus, verum T. Quintio Romano qui Lacedæmonios oppugnabat restitit, ac diu terribilem se illi præbuit. Oliuerius etiam Firmij, omnes ciues vna die occidit: occidit: occupauitque vrbem. Verum intra annum pœnas dedit, externa vi pulsus. Hanc vim in Turcarum principe videre quotidie licet, qui tutissimè res suas administrat. Sit autem subitum quodcunque paras: nam res quæ non sæpius repetitur, quamtumvis maxima, in obliuionem transit. Beneficia igitur, contraria ratione paulatim impertienda: nam cùm cumulatè semel tantum dederis, tempore obliuiscuntur. Illud autem summa diligentia cauēdum, ne inimicum relinquas potentem: sed si potes aut illum multis beneficiis deuincies, aut è medio tolles. Quæ ratio etiam in Regibus tenet ac Ducibus. Pontius enim Samnitum Dux, suos perdidit, cum exercitum Romanum nec cecidisset, nec libere dimisisset: laudatúsque est magis consul victus, quàm Pontius victor, quod ille rempublicam suam turpi conuentione seruauerit, hic prodiderit. Eâdem fermè stultitiâ Numantini etiam periere: Ergo in regnis media via periculosa, plerunque perniciosa: ideò nunquam amplectenda. Adulatores, sunt qui vituperent: sed principibus ad auctoritatem augendam, si modesti sunt, propter populum, valde sunt vtiles. Minime ergo audiendi sunt, qui illos explodendos putant. Sed tamen cognoscat illos princeps necesse est, nec vllo in negotio graui introducantur: non solùm, ne consilio suo hominem perdant: sed quod tale hominum genus, leue, & persæpe minus secretum seruat, quod audierit, & quòd facile inflatur, & præmio ad proditionem impelli potest. Bonos ac malos amplectatur: vtrisque enim Rex indiget. Nam iustitiam à malis iuxta Comicum quærere non licet, sic enim inquit:

Iusta autem ab iniustis petere, insipientia est.

Nec iniusta à bonis impetrare licet. Scelerum igitur & facinorum aliquando ministros habere necesse est. Imitemur Deum, qui prauos alit ad pœnam prauorum. Imitemur naturam, quæ humores non bonos, tam sapienter distribuit, vt non minus sanguine ipso videantur necessarij. Sed tamen & in hoc naturam imitemur; quæ non quamcunque bilem nutrit, sed solum quæ non sit pessima, nec sinit sanguinem ab aliis si potest humoribus superari. Sic proditores & infidos, quòd tam aduersus se, quàm aduersus alios paratos videat, ne alat: nec patiatur plures esse in regno malos, quàm bonos; vix enim sic imperare illis poterit. Boni libenter iugum ferunt, vt boues: mali non ferunt, taurorum exemplo. Ipse autem exempla virtutum non pauca exhibeat, non omnium, sed imperatoriarum: fortitudinis scilicet, prudentiæ, & tolerantiæ. Fortitudinis rariora; frequentiora tolerantiæ, prudentiæ semper. Enormes adulationes fugiat, & puniat auctores, prudentiorum moderatas, mediocribus præmiis repenset. Et postquam certamen res viles in precium adducit, quæ certamine carent vilescunt: Vnde Mathematica vtilis & verax iacet, inutilis & fabulosa Philosophia magnis stipendiis decoratur, quòd homines in certamen deducat: diuitiis certamina auferat, honoribus & virtutibus præponat. Fortitudinem igitur, prudentiam, & reliquas aduersus hostes tantum virtutes muneribus decoret, coronarum, infularum,

stemma

ſtemmatum, graduum, tum etiam magiſtratuum: Vnde illæ apud Romanos ciuicæ, caſtrenſes, muraléſque coronæ, quæ in precio habebantur, & ſine iactura dabantur. Eadem Græcis ſapientia in certaminibus, in quibus, coronis oleæ, myrti, lauri & ſimilium pro præmiis victores ornabantur: tamen præ gaudio filij victoris patrem fertur expiraſſe. At verò certamen opum aut virtutum inter ciues proponere, exitiale ſemper fuit. Primum quidem ad omnia facinora impellit, ſecundum ad ſeditiones. Longam nimis hiſtoriam texere videbor, cum ad libri finem ſtudioſe properemus, ſi vnicuique præcepto exemplum adiecerimus: tum maxime, cùm liceat hoc videre ſingulis diebus, ob hæc minima, quæ exiſtimantur errata, integra regna deleta fuiſſe: ſimiliter ſi rationem addere voluerimus, eadem prolixitas conſequatur. Si quis nos tanquam crudeles in ius vocet, quòd in ſeditioſis conſulamus, fratres ac filios tolli de medio, proximoſque potentes, illud animaduertat, ſeditioſi vnius inexplebilem ambitionem, ac auaritiam, in capita tot bonorum, tot innocentium, tot miſerorumque impunè conuerti: An melius eſt igitur vnius aut paucorum ſontium vitæ parcere? an omnium penè bonorum & innocentium iacturæ periculóque ſuccurrere? tum maxime quòd lege promulgatâ, tunc vix vnus videbitur in longo æuo tanti criminis conſcius: Quod enim facere homines non ſine certo exitio poſſe ſperant, facere deſiſtunt: At difficillimum eſt abſque alterius conſcientia, imò penè eſſe non poteſt, vt quiſquam tantam rem aggrediatur. Quamobrem & illud ſtultum eſt quod exiſtimant, Regem tutius amari quàm timeri: aberrant enim tota via. Timeri expedit principi, amari autem ſi contingat, pro corollario habeatur. Imponenda igitur eſt pœna non ſolum nocentibus, ſed his, qui cum iuuare poſſunt non iuuant. Terribilem ſe præbeat in arduis, & inexorabilem in iniuſtis. Liberalitatem, virtutem eſſe non credat: qua multi iniuſte ſpoliantur, pauci ditantur; atque hi, cum mutua inuidia: Cumque in honoribus præmia ſint conſtituta, promiſcuè diuites & pauperes, pro virtute ad magiſtratus eligat: nulla diuitibus ſit prærogatiua: ſatis illis prærogatiuæ, ſunt opes quas poſſident. Diuidatur populus per artes ac tribus, vt Athenienſis ac Romanus, ac tollendam ſeditionem, quæ ab affinium vel opum potentia ac fiducia conſurgit. Religionem nouam non admittat: nam tunc ſeditio eſt in populo: Satis intelligit iam Germania, quid multiplex religionis cultus, ad infirmandum robur poſſit: Quòd ſi permutanda ſit, ſeu quia cogatur, ſeu quia expediat ob vtilitatem, celerrime fiat: Nam eo tutius, vt celerius: velut Angliæ Rex & Saxonum princeps, minore agunt periculo nunc, quàm ſi diuiſum eſſet regnum: tutius tamen fuerat, non mutare: non enim ab initio grauiſſimi periculi expertes fuerunt: nec aliud eos iuuit quàm vicinorum impotentia. Ergo, pericula ſummâ celeritate tranſienda: ab initio autem, minimis motibus acriter reſiſtendum; ſyluam, puer eiuſdem anni totam, vna die, virga euertere poteſt: poſt annos quinquaginta, exercitus, per mendſem, ſecuribus exſcindere non valet, & exciſa etiam, denuo repullulat. Iudicia ſumma, duo ne eſſe permittat: Hebræi enim, & nunc Chriſtiani ob id periclitantur: nam Regum Iudæorum poteſtas, ſumma Pontificis auctoritate infirmabatur, nec tamen ad ſe regiam adminiſtrationem Pontifex trahere poterat ob Dauidis antiqui regis auctoritatem, qui eam Rempublicam mirum in modum auxerat. Optimum igitur eſt, ſi cum Religione Regia auctoritas coniungatur; ſed cum Regna per ſucceſſiones, Pontificia dignitas per electionem transferatur, coniungi hæ duæ res diu nequeunt. Eadem ratio in priuatis regnis: Veruntamen ius priuatum multiplex eſſe poteſt: imò eſſe debet: cum vix vnus magiſtratus tot cognoſcere ſufficiat. Alióque genere tractandi milites, alio ſacerdotes, alio artifices, vel coloni ſi peccauerint. Quod & Romani, Athenienſes olim, & nunc Veneti obſeruant. Magiſtratus verò ipſi publicum accipiant ſtipendium: & fideles ſint principi. Cognoſcuntur fideles principi magiſtratus, qui omnia in principis, non in propriam vtilitatem faciunt, nec vlla ex parte diteſcunt, niſi donis principis: In quos ita munificus eſſe debet, vt nullo modo, pro dignitate, cuiuſquam indigeant. Munitiones & cuſtodes corporis habeat; nunc ex Germanis eligunt, quod experientia comprobatum ſit, eam gentem fide pollere. Contra domeſticas inſidias, ſuis vtatur affinibus, quos etiam diuites faciat, ne ſpe audeant, aut irâ concitati, cogantur mali quicquam excogitare. Caueat autem homines parui capitis, iuuenes, fœminas, celeres in ſermone, ac valde mutabilis conſilij: tum eos qui liberales ſunt in conuiuiis, vel muneribus, aut ludo, aut ornatu. Modeſtis, & tardis, ac his qui iram non continent, vtatur, pignora etiam habeat, ſcilicet filios circa ſe: nec vni vnquam, tantum fidat, nouos homines, nunquam in contubernium & ſecreta domus admittat. Qua cautione diu Turcarum Rex veneni non ſolum iactura, ſed etiam ſuſpitione caruit. Omnia igitur plurium oculis ſubiaceat, habeat miniſtros prægustantes vt moris eſt, raro populo, rariſſimè aliis, tum maxime legatis ſe oſtendat. Hominem enim poſſe, tum eius domeſticos ſæpe videre, & audaciam & commodum ad machinandum præbet. Suis non iraſcatur: ſi affecerit contumelia, illico explodat: plures enim, eâ naturâ ſunt, vt iniuriam obliuiſci neſciant. Aduerſus importunitatem rogantium hac arte vtatur, vt nihil cuiquam det roganti, ſed ſponte atque inopinatò, tum etiam quaſi præter omnium opinionem. Sic nec plura dare cogetur, nec repulſæ illi dolorem ſentient, nec ipſe ab eorum grauabitur petitione. Filiis magnam diligentiam impendere oportet, nihil enim grauius eſt illorum cura. Vnde plures principes illos occiderunt, vt Mithridates, & pater huius regis Turcarum, ab illorum potentia timentes. Alij, ob inſidias, velut Herodes, qui Alexandrum, Archelaum, & Antipatrum ſuſtulit filios, & Artaxerxes, cum Dario quinquaginta alios: Alij, vt regnum vni inuiolatum & abſque metu traderent, vt Deiotarus: de quo ſupra diximus. Diuidere enim regnum, eſt deſtruere: velut Maſſiniſſa qui

qni cum diuisisset inter nepotes Aderbalem, Hiempsalem, & Iugurtam, ipsos neci crudelissimæ tradidit : & reguum in Romanorum manus. Dox verò (vt diei soler)Sfortia Franciscus, quamvis voi soli tradiderit è pluribus regnum, plures tamen illi inuiderunt, illi vni, & dum casu Galeazins, qui rerum potiebatur, proditione ciuis occidisset, causam dedit vt Ludouicus frater prouinciam occuparet. Atque ita seditione exorta transiit in Gallos; inde in Cæsarem, illorum stirpe deleta. Tam frequenria sunt huius rei exempla, velut etiam de Ptolemæi regno, quod propter Cleopatræ & fratris insidias ac seditiones, in Romanos peruenit, vt iam exemplis non indigeamus. Quin & nunc Rex Gallorum, ne regnum diuidat, cum duos habeat filios, nouum minori regnum parare intendit; adeóque omnia miscer, vt Turcarum periculo rempublicam Christianam totam exposuerit. Soler autem vt diximus, media via esse in regnis perniciosa. Itaqne cauendum est in filiis & affinibus illud. Primò, vt in regni causa, obliuiscatur se parentem esse, aut fratrem, aut coniugem : nam qui hanc consuetudinem tuebitur, regnare per multas successiones poterit: Si autem diuider, nunquam fieri potest, vt diu eius proles Regnum obtineat: Ergo in filiis procreandis, vna solum muliere vtatur; fideliores enim & amantiores fratres inter se erunt: Deinde, maiori regnum totum decernatur, quem, omnibus bellicis virtutibus exerceat, ac inclytum reddat. Quòd si à regnandi dignitate multum absit, aliom illo generosiorem instruat: qoos aotem nolit regnare; non literis, non arte bellica instruat, sed in iuxo omnino & otio alat; vnde Philippus, Alexandro, cum quereretur, à patre sibi qui instarent fratres progigni, respondit. Ideò efficies vt non solum ætate, sed & virtute te illis digniorem præstes, cui regnum relinquator. Non diuidendum, (dixit,) Non quòd natu prior esset, illi deberi, sed præstantiori relinquendum: Quid regna Græciæ omnia in Turcarum manus tradidit, nisi fratrum & filiorum æmulatio? Quin Italiæ tot regna in manus tradidit Barbarorum? fratrum ac filiorum æmulatio. Quid regnum Turcarum & Galliæ seruauit incolume? nisi quòd non diuiditur, & fœlix quidam successus aliquot regum, fratribus carentium. Habet autem hoc Turca præstantius, quòd vni & meliori decernit imperium: diutiúsque (vtpote iam per tredecim successiones) in vno tantum mansit. Gallorum non tam inuiolata lex, nec meliori, sed primogenito tantum debetur. Ergo cum adhuc vigilantiâ, liceat Christianis, regibus imminenti resistere periculo; vel caueant, vel si secus cedat, non nisi de seipsis conquerantur. Frater ergo, fratres in priuata vita retineat : & pater, filios quos regnare nolit, nec ad alios transire principes permittat, capitaléque hoc esse decernat : in luxu & deliciis educet. Sic crudelitatem Barbarorum, & periculum Christianorum regum deuitabit. At vero circa religionis cultum, princeps solicitus esse debet; non solum quòd ex hoc, populi in admiratione contineantur, sed qoia Deus ipse, quoquo modo coli vult se : etsi adhuc hoc non desideraret, debetur hoc tamen illi. Quamobrem Senatum ciuitas, sapientiæ exemplum in hoc dedit, quod templom omni arte exædificauit, Patio marmore: in quo soli pars nulla non est elaborata. Quicquid artis, quicquid studij est, in illo reposuerunt : Ætates septem historiásque habent in pauimento : Summus ploteus, capita habet pontificum : picturæ in sacrario, vndique colores varij, & si qoid rarum est, excogitarunt addere: ferunt etiam eam vrbem in tutela beatæ Mariæ esse, cui templum dedicauerant, nec vnquam eâ causâ vi externa captam; & ad antiquitatis fidem, vt cum Romanis certent, Remum cum Lupa habent. Simili ratione Florentia, ædem habet beatæ Virgini dedicatam sub annunciationis titulo : io qua statuæ & imagines pontificum maximorum, regum, militum innumeræ, qui votis & supplicationibus seruati sunt. Aliam habent hi ciues ædem, beatæ Reparatæ, marmore albo, rubeo, nigróque exterios distinctam : tum verò locum, in quo pueri lauari sacro fonte solent, cupreis valuis & vestibulis ornatum. Quid autem maius æde nostra sacra sumptuosiúsve? vel elaboratius templo beati Marci Venetiis? sed & multa feruntur mira de fano Parisij beati Dionysij; sapienter hæc omnia, non solum piè. Cauendum tamen est, ne vel superfluus sit sumptus, vel sacerdotibus somma auctoritas tribuatur. Cum enim plures optimi sint, periculosum tamen est, salutem publicam illis committere, ob religionis apud populum auctoritatem, idque euentu satis manifestum est. Æthiopibus ambitione sacerdotum mos inualuerat, vt cum illi pronunciassent, expedire populo Regem è vita excedere, ob gentis salutem, cogerentur Reges vitam finire, quòd ni sponte fecissent, tanqnam à Deo nunciatum, quod sacerdotes mentiebantur, populus turpiter eos occidebat : mosque hic perseuerauit vsque ad Erganem Regem, qui illorum cognito dolo, omnes sacerdotes delcuit, vt ab hoc commento tutus esset. Nonne Danielis historia refert, Babyloniæ regem à sacerdotibus turpiter esse delusum? quos omnes ille ob hoc interfecerit; igitur præscribenda illis licentia. Circa amicos verò, eos eligant, qui non proprio commodo vnquam, sed principis consulont; qui errata eius ferunt nec probant, sed tamen à maledictis aliorum tuentur; qui virtute & gloriæ amore sint insigoes. Vna eoim vt dixi omnium ratio bonorum est, gloriæ æstimatio ac certamen : quæ vrbem ac principem seruare potest. Porrò, vrbs maxima fiet, tribus : coniugiis, exercitatiooe armorum, concordia. De omnibus autem diximus nisi de coniugiis: igitur nulla maior cura quàm coniugiorum, vt cœlibes omni honore careant: adulteria in vtroque delinquente acerbissimis suppliciis puniantur : exemplo legis Iudaïcæ & Mahometi & idolorum : quod cum contempserint Christiani, deteriores omnibus his, effecti sunt; neque enim vel aduersus Deum vel aduersus Rempubl. aliquid potest adulterio scelestius excogitari; fures capitis pœna puniunt, quid debebitur mœchis? Imperator Opilius Macrinus ioris ciuilis abunde peritus, adulteros vna iunctos, viuos semper cremari voluit. Mitiores omnes, (è quibus

Traianus irreprehensibilis) ante illum, mortem nunquam non mulctauere. Ius perpetuum in homines, vel etiam rusticos nulli tribuat: capitale etiam sit, hoc à principe petisse: ostendunt Venetorum, Galliæ Regis, & Turcarum vires, quantum hoc possit: Vacat enim seditione regnum, cui nullus nisi vnus præest: Ad omnia etiam principis mandata promptiores eaadnnr, qui vni soli parendum sciunt sic imat apud populum, vt carus Deo videatur. Constantinus ob hoc qui magnus dictus est, vt Ambrosius auctor est, clauum vnum freno equi, alterum quo Christus confixus est galeæ infixit: nescio an religiosius, an superstitiosius, an profanius: sed tamen ad opinionem hominum plurimum conduxit. Maledicta etiam de Diis, cum etiam de principibus acriter puniat: alteru seditio tandem, altero contemptus Regis prouenit. Sed qualis sit contemptus, ex auctoritate dignoscitur: vnde Curtius de Alexandro, cum ægrotaret, dixit: Tunc exercitus intellexit, quomodo ex vnius spiritu, totius exercitus salus ac vita penderet: criminis ergo capitalis sit, adorsus Regem loqui; qood etiam sacra scriptura præcipit. Ea ergo ratione non male apud Barbaros, Alexander se Dei Iouis filium, curauit ab Ammonis sacerdotibus pronunciari: & Sertorius, suam ceruam, tanquam Deum consulebat: commenta hominum, sed plusquam hominum. Si contingat alium principem prælio capere; si retentus, viam præbet occupandæ maioris partis regni, non dimittatur: sin regnum secus inuiolab le manet, promptè ac sine præmio vllo dimittas: Homines enim qui nulli subiiciuntur, vi solum aut beneficio detinentur, subiecti, legibus, & pactis. Verùm cùm hæc alias in libris de æternitatis arcanis, & vberius ac sublimius tractauerimus, Regum instituris finem facere decreui: postquam vnius Alexandri magni vitam paucis verbis pro exemplo pertransiero. Hic, occiso patre, cum vltus est, suspenso in cruce Pausania, (quamuis patrem non parum odio haberet) ne vel impietatis crimen subiret, & aliis ansam occidendi se, præbeter: Auteqoam in expeditionem iret, omnes quos habuit suspectos regni, occidit; in quibus etiam Attalum, patris sororium: Thebas rebelles funditus subuertit; omnibus ciuibus qui supra xxx. M. erant, diuendicis, sex M. occisis: Omnibus aut gratum aut terribilem se ostendit: Omnia in celeritate & confidentia statuit: Militem Macedonicum à Patre Philippo veteranum acceperat, non mercenarium; Cum discederet omnia amicis donauit, nec spem vllam reliquit reuertendi: Cum Hellespontum transiit, nihil plus habuit pro stipendio, quàm cibaria dierum triginta secum. Græcis, quòd aduersus ipsum stipendio ac inuidia ducti, militabant, ita irascebatur, vt maximo etiam sui discrimine illos omnes occideret; cùm Persis & aliis indulgeret. Pro tanta igitur sapientia debitum est præmium consecutus, quod enim populus Romanus tot victoriis, tot exemplis fortitudinis, plusquam decies centenis millibus hominum ex sua vrbe cæsis, post annos fermè sexcentos, vix sibi acquisiuit; vnus Alexander nec quadraginta millibus militum, annis octo parauit: cum etiam illorum limites excessisset; siquidem Indos & Scythas deuicit Alexander: Millia quinque etiam oppidorum ex India cepit: quæ omnia Romani intacta reliquete: sed & Arabiam ac Lybiam peruasit: ergo vnus Alexander, Romanis omnibus, ob sapientiæ beneficium, etiam gestis rebus præponatur. Et nunc in Italia est princeps vnus qui si Philippum agere sciret, posset relinquere Aleaandrum, & nos aliquando à Turcarum imminentibus liberare periculis: nam Turcarum vis, nunquam expugnari poterit, nisi vnus consurgat Alexander. Sed quomodo ille consurget, cum totis vrbibus pigmentarij cernantur? militaris omnis ars, obseruantiàque perierit; mulierum arbitrio viri pareant? gloriæ nihil, diuitiis omnia tribuantur? pompa fœminea inutiliter census exhauriat? certaménque de illa sit nobis maios quam apud Græcos in Olympiade? Ipsi Itali principes, filij fortunæ magis, quàm virtutis malint appellari? adulatoribus enormibus, & fucatis viris delectentur? satisque illis videatur, quòd parta retineant? diuidant regna filiis, & pluribus velint bene esse? alius gymnasium erigit ad decorem, alius venationes instruit ad voloptatem; omnes lautis epulis glorientur: Quinetiam hominem præmio afficiunt, qui illis exprobrat auaritiam, quòd non in ganeones, in adulatores, in mimos, in pompas omnia profundant: tamqoam hoc illis turpe videatur, honestàqòe ille suadeat, at saltem illius circumspicerent vitam, si modò dubia eit sententia: expilare populos iniustè, vt profundant in hos, qoi solom illos doceant desipere. Carolum, ille damnauit auaritiæ, ego illum non damno: Non enim in cœlum os ponam, sed vtinam atque vtinam intelligeret, qoàm deceat principem qui maximas velit gerere res, nihil omnino dare, nisi his qui pro illo in acie stant, vel qui consilio pollent, vt administratoribus ciuitatum, & Architectis. Illod etiam scire decet, in quo aberrant aliqui, Equitatum, peditatu præstantiorem esse, si par vtrinque numerus sit; nisi in augustiis montium: nam equorum impetus, in pugna vtilis est, nec peditatui similis; in campis, etiam fatigat & prohibet commeatum: ostenderunt Parthi aduersus Crassom, & Torcarum rex aduersus Christianos. Quanquam etiam inter homines multum interest: Inexercitati equites, peditibus veteranis; tum pauci, multis collati, superabuntur. Par autem sit numerus amborum; quòd immodica differentia sit inutilis, at paritas, aot leuis differentia, optima est. At verò, exercitatio, sit perpetuo bello: id semper leuissimum suscipiendum, nec quærendum est illos superare, quibus deuictis, vicinus fias longè potentior. Quo errore, Ferdinandus Turcarum vim perpetuo habebit infestam. Occupanda igitur semper sunt, non maxime opportuna, sed maxime tuta: donec potentia, auctoritas, experientia, te, vel illi æqualem reddant, aut paulo minorem. Erraoit & longe plus, homo ille, cum munitiones damnauerit. Omnis vrbs, fortis mœnibus, etiam oppidum

oppidum fortissimum habeat; vt semper sint duæ, aut nullæ, murorum munitiones. Hoc errore Ecelinus Paduam amisit: ex quo facinoris crudelis secundus error manauit, atque inde, regni cum tota familia interitus. Dissimulanda sunt studia & decreta belli, tum locus, tempus, ac reliqua, quantum fieri potest, atque in hoc genere, stratagemata vocata, vtilissima. Si multis ex locis aditus pateat, debilissima oppugnanda, velut Turcarum vires facilius multo ex Ægypto frangentur quàm ex Græcia: sicut miles facilius vincitur, si locia petatur inermibus, quàm si vbi armatus est. Subditorum si potentiam reformidat, leniter ac quasi ex transuerso minuat, non aliquorum, sed omnium, lege vniuersali. Quod consilium fuit Francisco Sfortiæ, cum legem tulit, ne quis inconsulto senatu hominem morte damnaret. Iam enim tam leni edicto, plusquam dimidium potentiæ procerum fregerat. Nostra ætas vidit vnum principem Valentinum Borgiam, quamuis infœlicem præpropera ac inexpectata morte pontificis Alexandri patris sui, & morbo letali proprio, simul circumuentum. Et his autem qui aliis parent, ducésque exercitus sunt, Dauali patruus & nepos, qui nunc regit prouinciam nostram Caroli auspiciis, illustres fuerunt: habet enim familia illa quatuor ea quæ in principe requiruntur à Cicerone commemorata, Virtutem, Auctoritatem, Fortunam, & Scientiam rei militaris: quæ si euentu obseurentur, non ob aliud euenit, quàm si fortunâ superioris inclinetur. Nam eorum qui nulli parere coguntur sapientia, semper fortunæ adiungitur, quales sunt reges ac principes. Illud sanè demiror, Agapetum & Isocratem, cum tanta de regno & ad reges scripserint, tam pauca vtilia præcepta illis commemorasse. Plura enim illorum quæ ad iustitiam pertinebant multis modis diuisa, sat erat vno præcepto comprehendisse. Et, si Iustinianus Agapeti præcepta seruasset, non elatus fuisset bellicis artibus imperator, nec gloriari potuisset illis verbis, quæ in proœmio Institutionum ponuntur: Africam atque alias innumeras prouincias Romano addidisse imperio: cum seuerus vindex prætergressorum extiterit: nam Bellisarium exoculauit; per quem Italiam receperat: ingratus ergo dici potuit. In quo vitio Alexander etiam, cum duos Parmenionis filios vnà cum patre occidisset, accusari planè potest. Sed hoc tutum: at, non tutum fuit vxori Iustiniani, Narseti Eunucho illusisse, cum per eum iam pluribus rebus bene gestis, & denuo recuperatâ Italiâ, vnius verbi sola indignatione, multas amiserit prouincias. Ergo securius vt dictum est, occidisse quàm læsisse, in regni administratione, cum maximi viri offenduntur. Historiæ legendæ assiduè incumbat: sed non omni, ac sine delectu; plus enim nocebit quàm iuuabit si has partes non habeat, Integritatem fidei, Annalium secretorum tractationem, Diligentiam in declarandis omnium causis, Similitudinem gubernationis cum præsenti tua, & Iudicij grauitatem. Pro instituendis autem regum pueris, non Sacerdotes aut Rhetores, sed Philosophi: non auari, vel gloriæ appetentissimi eligendi sunt: sic Plutarchus Traianum, inuictum & totius orbis dominum reddit, quod etiam aliàs diximus; & satis ex verbis ad illum de reipublicæ gubernatione, in initio, intelligitur: sic Aristoteles, Alexandrum: nec oblitus est Rex illius beneficij, eius enim charitate omnes fouit Philosophos. Sic Alcibiades & Xenophon, Socratis institutione, incomparabiles exercituum duces extiterunt: alter, inuictus semper: alter, fortunâ maiore, quàm patriâ. Sed iam de his qui in libera versantur republica dicamus.

Cum in reipubl. alicuius gubernatione, ciuis ad illius administrationem non ineptus, accedit, oportet illius mores, cum temporibus consentire: nam si dissentiant, vix boni aliquid perficere poterit: cum videamus etiam Caracallam Seueri Afri filium, quòd Getam fratrem occidisset ad imperij securitatem, malè periisse: Inuisus enim omnibus, populo scilicet, senatui, & exercitui, infirmum retinuit imperium, & oblatâ occasione, cum vita, breui amisit: quòd persuasum esset omnibus, illum qui in fratrem sæuiisset, etiam in alios futurum crudelem: cùm tamen ratio ea minime valeat; non eodem in aliis, quod in fratre existente periculo, scilicet imperij: Ergo, res magnæ legibus primò sanciendæ sunt: sed hie e tot patris sunt, qui inter illos diuisit imperium; cæterùm, quæ aduersus consuetudinem temporum, nisi admodum periculosa extiterint, conseruanda à principe cum sint, quanto magis à priuato ciue? atque is fœlicissimus erit, non solum eiuis, sed etiam princeps, cuius mores (velut de corporibus pro sanitate) æuo illi ac regioni consentient. Sapientia autem in eo genere, summa ac inuiolata. Quòd si ad omnes respexeris, qui ad summum fastigium in sua republica peruenerint: tum ad Reges: videbis ita esse vt diximus. Quamobrem vt pro Rege, Alexandri gesta subiecimus, sic pro ciue in libera republica C. Iulius Cæsar, aut Cato est imitandus: quorum, vt studia diuersa, ac penitus contraria; sic vterque in suo genere admirabilis. Vnde Salustius pulcherrimè eorum naturam ac mores descripsit, dicens: Sed meâ memoriâ, ingenti virtute, diuersis moribus fuere duo viri, M. Cato, & C. Cæsar, quos, quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium; quin vtriusque naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his, genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par: item gloria. Sed alia alij, Cæsar beneficiis ac munificentiâ magnus habebatur, integritate vitæ, Cato: ille mansuetudine, & misericordiâ clarus factus: huic seueritas, dignitatem addiderat. Cæsar dando, subleuando, ignoscendo: Cato, nihil ignoscendo gloriam adeptus est. In altero, miseris profugium erat: In altero malis perniciès: illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo, Cæsar in animum induxerat laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus, sua negligere; nihil denegare, quod dono dignum esset: sibi magnum imperium, exercitum, nouum bellum exoptabat, vbi virtus eius enitescere posset. At Catoni, studium modestiæ, & decoris, sed maximè, seueritatis erat. Non diuitiis cum diuite, nec factione cum factioso, sed cum strenuo,

virtute,

virtute, cum modesto pudore, cum innocente, abstinentiâ certabat: esse, quàm videri bonus malebat. Itaque, quò minus gloriam petebat, eò magis illam assequebatur. Eadem fermè Athenis differentia inter Phocionem & Demadem & Demosthenem, sed diuerso fatia instituto: sic inter Niciam & Alcibiadem: Aristidem & Themistoclem. Dun igitur cum sint ascendēdi in republ. modi, vt Cicero & Plutarchus recitant: Alter, vt in eodem genere, magno viro adhæreamus: medicus medico, dux duci, ciuis ciui: Alter, cùm iam in ea existentem, de statu deiicimus. Velut in primo genere Theophrastus sub Aristotele creuit: Perseus sub Apelle: Pompeius sub Sylla: Antonius sub Cæsare: (Quanquam & Cæsar dictaturam exercuerit.) In secundo genere, Alcibiades oppugnato Nicia, apud Athenienses creuit; Scipio depulso Fabio, cum aduersus eius sententiam, Africæ expugnandæ prouinciam impetrasset: Pompeius depulso Lucullo, iam claro viro, tum Metello: Cicero, superato Hortensio: Aristoteles, contradicendo Platoni: Parrhasius pictor, superato Zeuxi, Timanthes, superato Parrhasio. In vnoquoq; horum generum, non parua est difficultas: nam oppugnationem, molta pericula consequuntur. Auxiliis indigemus, indigemus & virtute, sed longè magis plerunque fortuna ipsa. Adhærere, non omnibus fœliciter succedit: nam vt in arboribus, quædam sunt, quæ hederam aut occidunt, vel non admittunt, aut exilem illam ac tabescentem nutriunt: Sic quidam adeò liuidi vel timidi sunt, vt nemo eis succrescere possit. Verùm, quæ hominem in contentione euehunt quatuor sunt: Autoritas, Diuitiæ, Potentia, & Prudentia. Gloriabatur Philippus, & cum eo Alexander filius, plus profecisse consilio quàm armis, non solùm quòd armorum laus, communis cum milite esset, sed quòd plura longè patrasset, tutiúsque ac minore iacturâ: Neque enim plus bello, quàm corruptis seditionum ducibus, Philippus profecerat. Quantò igitur magis necessaria in priuato ciue? At verò C. Cæsar, quomodo populum primo epulo publico, deinde largitionibus, inde ludis gladiatoriis corrupit, tum verò belluas incognitas primus in spectaculo ostendit. Coniunxit Crassum & Pompeium non solum sibi, sed inter se, idem, tribunos plebis euertit: pecuniâ Ciceronem depressit; coniunxitque in omnibus, consilio audaciam. Autoritas tribus constat, Virtute, Progenitoribus, & Societate. Nam & apud Ouidium Aiax sic loquitur:

Atque ego si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem: Telamone creatus,
Mœnia qui forti Troiana sub Hercule cœpit,
Littoráque intrauit Pegasæa Colcha carina.
Æacus huic pater est, qui iura silentibus vrget,
Æacon agnouit summus, prolémque fatetur
Iupiter esse suam. Sic à Ioue tertius Aiax.

Sic etiam apud Euripidem Electra suum commemorat genus, & verba Salustij iam illud ostendunt. Sed tamen hæc, multò minus, factis præsentibus possunt ad autoritatem: vnde apud eundem Ouidium sic Aiaci respondet Vlysses:

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Et Cicero hoc autoritatis genus, quod à nobilitate proficiscitur, in causa propriâ multis modis eludit: quòd multi humilitatem generis ei obiicerent, vt aduersus Salustium in oratione videre licet. Quamobrem poëta ille bene dixit:

Causam in se virtus, nobilitatis habet.

Plura possem afferre huius rei testimonia, sed cùm Censorini Catonis originem reuoluo, qui Scipionis Africani æmulus & oppugnator fuit, minus hoc me fatigat, longè quàm etiam velim. At in societate; Nobilitatis testimonium est, si cum grauissimis ac potentibus viris versetur assiduè: non solum quòd iudicent de illius prudentia bene homines: sed quòd ab illis non reciperetur, si ea societate indignus esset. Vnde etiam dicitur apud Ciceronē, Catilinam quæsisse contubernia optimorum virorum, M. Lepidi, Q. Metelli, tum ipsius M. Ciceronis, & M. Marcelli: sed cùm à nullo, nisi à M. Marcello eius sodali, receptus sit, auxit potius suspicionem quàm autoritatem. Potentia verò, vt ab opibus ipsis seiungitur, constat Affinibus atque Amicis. Affines quamuis sors ipsa det: nihilominus augent quidam vxorum electione, vt ob id etiam Lucullus impetrauerit triumphum, fauente Catone: qui Lucullo ob id ipsum coniunctus erat, quòd ex eadem vxore Martiâ, liberos genuisset. Tum verò, paucis affinium multitudo deest, si omnes velint recognoscere. Verum, vt in reliquis, non omnes, sed vel Animo, vel Autoritate, vel Opibus præstantes, eligere conuenit. Amicos beneficiis, ac consuetudine retinere licet: at illos elige, in quos beneficia confetas, quos exemplo, in alios gratos fuisse cognoueris. Hoc consilio Lucilium Antonius, Damonem & Pythiam Dionysius Siciliæ tyrannus, in amicitiam receperunt, quòd propriis amicis, (quamuis ipsorum hostibus) fideles fuissent. Verùm parandæ amicorum copiæ, nihil magis conducit, quàm si te in illorum officiis potentem ac vigilantem viderint: Potētiam augent alij amici, autoritas, opes, industria. Autoritatem nihil magis præstat, seu apud Principem, seu apud Populum, siue in Republica, quàm si omnia vel maxima, ductu illius & consilio fieri intelligant. At verò inter multos, quonam pacto consilium, vim, & autoritatem retineat, his modis fermè intelliges: aut enim plures in vnum conspiraut, antequam in consilium ipsum veniant: quo tamen vt nihil est pernitiosius in Republica, sic nec validius, nec tutius, si res male cedat, iuxta poetam. *Et vos defendit numerus.*

Vtinam tantam vtilitatem, medici nostri æui negligere vellent. At aduersus conspirationem ipsam multis modis occurritur: Primò etenim, ratione autoritatéque res confirmanda erit, vt non nisi cum pudore queat illorum repudiari: Sicque omnes apud Liuiū tum etiā apud Græcos historicos nouæ sententiæ autoritate exemplis, rationibúsque confirmantur. Sic quandoq; coactus sum apud medicos, qui non omnino perfrictæ frontis erant, quædam pro infirmi salute aduersus multitudinē defendere. Est & alius modus, vt omnia quæ dici pos-

ſunt, commemorentur, præteritâ concluſione; nam in aliquod eorum quæ dicta ſunt, illos incidere neceſſe eſt. Et vt modus hic ad autoritatem minus facit, ſic, tutior eſt præcedenti. Nec mirum eſt, ob id, homines qui noſtro tempore de rebus magnis conſulunt, omnes fere, ambiguas & difficiles proferre ſententias: vt quoſdam etiam, non ſatis intelligas, quid ſibi velint: alij enim longa oratione nihil dicunt: alij vno verbo plurima, atque etiam diſſidentia inter ſe: ſunt & qui contrariam proferant ſententiam ei, quam animo conceperint. Sed in his, eos ad quos ſpectat, monuiſſe neceſſe eſt, vt ſi amplectantur quam proferunt, ſemet proprio iudicio illi dedant: ſin contrariam, illius ad quem ſpectat opinione. Sed & aduerſus has cautiones, multitudo præpollet. Eaemplo autem tibi ſatisfaciam. Neque enim & eaemplo, & hiſtoria rei opus eſt, ſed in exemplo rationem intellige; ex hiſtoria cullige exemplum. Medebatur Curtius vir magni nominis Venetiis, infenſus tamen illius vrbis medicis, iuxta Heſiodi carmen,

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων.

id eſt,

Et figulus figulo ſuccenſet, & faber fabro.

Itaque cum de more illi omnes, vt amhitioſiſſimo, cederent, poſt conſtitutam omnium conſenſu medendi rationem, ſeorſum ſe inuicem iungentes, omnia perturbabant, & pro calidis frigida miſcebant, pro ſiccis humida, pro purgantibus aſtringentia. Inde ſi illorum fraude periiſſet æger, damnabant Curtium, qui ſolus contra illorum opinionem talibus vti auxiliis voluiſſet: quòd ſi ægro fortuna fauiſſet, oſtendebant, prorſus actum nihil, eorum quæ ille decreuiſſet: cauſantes, illum nec cœlum vrbis cognoſcere: ipſos, in tanto hominis ſtupore, maluiſſe etiam cum infamiæ periculo, ægrum ſeruare, quàm ſine illa, perire: quanquam agnoſcerent in his auxiliis nec dubiam ſalutis ſpem ſubeſſe. Sic vtroque ludificatus euentu Curtius, vnus à pluribus ſuperabatur: admittebant autem me vnum in eorum conſilio quaſi iuuenem, imperitum, & excordem: cùm verò alius videbam medicos ante horam, conturbantes vrinas, vt qui ſuccederent, attoniti nihil ſanum pronunciarent: quidam leuiores, longum morbum, pericula, morteſque prædicebant: tum ſuccedente breui tempore, recuperata valetudo oſtendebat illos fuiſſe deliros. Omnes artes fraudem admittunt, ſula medicina ſponte eam accerſit. Namque cum Galenus, ſummus medicus etiam ſuo tempore eſſet, nec vlli comparandus, ſine dolo tamen artem exercere non potuit, ſed Galeni verſutia, ad ægri perniciem non tendebat, noſtrorum medicorum, à ſalute ſemper abeſt. Itaque vt ad rem redeam, ſi quis auctoritatem acquirit, ſtudere debet, vt omnia ex eius conſilio agantur. Quamobrem, & in Principe longè minus malum eſt, amittere vrbes quàm voluntariè concedere: Nam qui amittit, fortunæ vim, quæ tum non conſtat, accuſare poteſt: qui alteri cedit, iudicio ſuo ſe victum fatetur. Reliquum eſt igitur vt de opibus dicamus. Verùm illud difficillimum eſt, pauperi, fieri diuitem: diuiti autem prædiuitem ac opulentum fieri, facillimum. Neque enim eſt eadem difficultas in fine quæ in principio. Verùm non oportet ad comparandas diuitias, hominem ſegni animo eſſe, aut ſuperſtitioſo: quinimo illud animaduerte, & ſæpius repete Perſianum:

Vare regustatum digito terebrare ſalinum,
Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis.

Tum verò illud Iuuenalis:

Aude aliquid breuibus Giaris, & carcere dignum
Si vis eſſe aliquid: probitas laudatur & alget.

Quin etiam, ad totum hoc ſapientiæ genus, plurimum confert, nihil à morte credere ſuperfuturum: Atque ideò, vitiis ſuæ ætatis ſuccenſeus Satyricus, reprehendit homines qui inferos derident nec eſſe putant, & tamen ob leuem voluptatem, imò ne voluptatem quidem, ſed pruritum, æternæ ſpei renunciant. Nihil hoc videtur, præſenti fortunæ aurâ gaudentibus, ſed cùm vel in mortalem morbum incideris, vel in irreparabile ſenium, pœnitet iam voluiſſe quæ feceris. Subdunt tamen, qui videntur ſapientiores ex illis, vanas quaſdam ac frigidas ſatisfactiones aut preculas ſine pietate, aut ſpem filiorum & lautas ædes, & præteritas iam delicias. Quicquid ſit: qui animum magnitudini, & fœlicitati mortalium bonorum deſpondent, & præcipuè beatitatem, quæ ex opibus prouenit ſectantur, illud ſecum obmurmurant:

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna.
Et contum, & ſtygio ranas in gurgite nigras:
Atque vna tranſire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur,

Quibus ſanè, egregia illa Ariſtotelis & Auerrois Philoſophia, bellè ſubſcribit. Verùm, non hoc eſt nunc inſtituti noſtri tractare, ſed docere, quonam pacto ex paupere diues euadas. Nam diuitiæ autoritatem augent, & ex illa viciſſim naſcuntur, nec mirum. Multa enim ſunt, quæ ſibi viciſſim fauent etiam in naturæ opificio, velut pluuia & humidum, ſanitas & temperantia: quin etiam quædam ſibi ipſis, vt pinguedo pinguedini, tabes tabi, opes opibus. Verum opes illico autoritati fauent, vt Horatius rectè depinxit, dicens:

Scilicet vxorem cum dote, fidémq; & amicos,
Et genus, & formam, regina pecunia donat.
Ac bene nummatus decorat ſuadela, Venúſq;

Optimum eſt igitur, humanâ ſapientiâ præditos diuites eſſe, quòd diues, & ſapiens, & bonus & fortis & fœlix habeatur. Hic autem finis humanæ ſapientiæ, talem videri, nequaquam autem eſſe. Vnde nec diſciplinarũ ſcientia vtilis eſt illis, nedum neceſſaria. Quid enim opus eſt innata pulchritudine, vbi omnia fuco tegenda ſunt? aut, quid opus eſt tot artibus, technis, ac dolis ad oſtendendum te ſcire quod ſcias? At verò non ſolũ inutilis eſt diſciplinarum cognitio humanâ ſapientiâ exercere volenti, ſed omnino illi aduerſatur. Quippe quòd naturalis ſapiẽtia, ingenio profundo, tenaci memoria, multiplici ſtudio, labore, tarditate, veritatiſque amore conſtet. Humana autẽ diſſimulatione, verſatili ac leui ingenio, prompta memoria multa exercitatione, abſq; ſtudio:

hæc

hæc quis non vider pugnare cum illis? Quamobrem, nemo in eodem genere, vtriusque vnquam laudis gloriam assequetur. Sed præcipuum hoc humanæ sapientiæ signum, imò argumentum etiam, artem illam ex toto, quam maximè profitetis, nescire. Ad quod non parum conferre illud videtur, quod Pindarus dicebat:

Ἔχει δὲ μοῖραν καὶ τόδ', οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς
φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

id est,

Est autem hoc fato. Nam qui inter sapientes non probantur, apud multitudinem eloquentiores sunt.

Et, si vsquam optimè, in nostra vrbe amplissimum locum apud plebem habet. Vnde rectè sancitum, Iudæos in ea habitare non posse: Nulli enim leuins aurâ feruntur: auram popularem, nulli magis quàm indocti quærunt, tum maxime illam, quæ lucrifica est. Existimant enim omnia opibus deberi, imò etiam fidem vt poëta inquit,

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Sed nullæ tamen magis dignitatem augent, quàm repentinæ, cùm ad artem conferuntur: existimant enim homines, summæ sapientiæ signum esse, repente ac maximè ditari: quòd opes maximum mortalibus bonum, atque in quo cætera omnia contineantur credant: quorum opinionem, Peripateticus, ille, opulentis gratissimus, fouet, dicens, nummum, potestate omnia continere: igitur in tam magna causa, Pindari verba subscribamus:

Εἰ γάρ τις ἐσθλὰ πέπαται
Μὴ ξὺν μακρῷ πόνῳ, πολλοῖς σοφὸς
Δοκεῖ πεδ' ἀφρόνων
Βίον κορυσσέμεν ὀρθοβούλοι---
σι μαχαναῖς. τὰ δ' οὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται.

id est,

Si quis enim bona possidet, non cum magno labore, multis sapiens videtur inter stultos rem suam sapientibus consiliis augere. Verum hæc in omnibus non sunt sita. Nil mirum igitur, si de opibus non seorsum ab autoritate dixerimus, vicissim illorum iunctâ causâ. Sed non de omni tamen autoritate nunc dicendū erit, quippe quòd de summa illa quæ principem in republica facit, cuius est, omnia propriis auspiciis fieri, iam abunde dixerimus. Sed sunt alia duo autoritatis genera, præter hanc, quæ cum diuitiis causam coniunctam habent: alterum est, vt bonus apud omnes habearis: reliquum vt maximus in tua professione, cerdo inter cerdones, medicus inter medicos, senator inter senatores: quamquam huic vltimo exemplo, propter magistratus potentiam, primum fermè genus autoritatis coniungatur. Est tamen quandoque summæ autoritati, etiam cum opibus, sed summis, vicissitudo, velut apud Romanos, Crassus ille diues, Pompeio & Cæsari, in autoritate apud populum, comparabatur: sic & Nicias apud Athenienses Alcibiadi, & apud Agrigentinos Gillias: Neque enim ob magnam aut militaris artis peritiam, aut prudentiam, maximi habebantur, sed ob diuitias ingentes: cùm tamen Nicias, omnino non esset virtutis expers, & Gilliam commendaret liberalitas. Verùm hæ, vt raræ sunt, tam amplæ opes, sic iam, qui eas possident, si non omnino vecordes fuerint, ad consequendam summam autoritatem, nostris præceptis haud indigebunt. Nunc igitur, quonam pacto magnæ opes acquiri possint, quo etiam modo, reliqua duo autoritatis genera comparentur, dicendum est. Duo sunt in vniuersum hominum genera: vnum quod arte caret: aliud quod ea præditum est. Ei igitur qui nullam artem nouit, nihil melius quàm probitatem dissimulare, dolum exercere. At cùm in mini, si dolus exerceatur, haud latere ob frequentiam potest, expectanda occasio est: sed interim fomes augendus: salutant blande, comiter affantur, vrbani sunt, tum adeò religiosi, vt etiam superstitiosi videantur. nostræ artis professores, tum etiam aliarum, multi longè melius hæc norunt exercere, quam ego docere possim, & est verisimile: Nam omnis ars, vsu & experientia constat plusquam ratione. Ideoque non solum artium inexpertis hoc conuenire puto, sed etiam his qui artem sine arte profitentur, Ergo, postquam sensim opinionem hominibus ingesserunt fidei: iustitiæ, pietatis, integritatis, tum, quasi numine quodam, paulatim ad congerendas diuitias se conferunt. Mercaturam igitur alienis exercent opibus, agunt προξενητὰς tum coniugiorum, tum negotiorum: miscent se publicis rationibus, collegiis sacris, vrbis reditibus: consulunt, recipiunt depositas res, è quibus, trium vnum euenire necesse est, vel vt pereunte domino sine tabulis res illi qui eam recepit accedat: vel vt vsu, interim vtilis sit possidenti, & quanquam non integra restituatur, nihil tamen illius culpæ imputari possit: vel vt illæsa restituta, maximis populi encomiis celebretur. Sic & licitatores, quacunque agant fraude, partem semper eam habent adiutricem, pro cuius commodo fraus ipsa excogitata est. Sed sunt multa tamen in quibus dolus deprehendi non potest: longe plura verò vbi argui nequeat: vix vnum in quo lege damnare licitatorem possis. Sed hunc etiam, qui apud populum, Religionis & innocentiæ nomine, clarus habetur, quonam pacto tu solus quamuis superiore causâ euertes? Hinc igitur ad Reipubl. administrationem proceditur & ad magistratus: hic occasio ditandi latior longe: sed tamen arte opus est, vt aliquo vel pietatis, vel iustitiæ vel Religionis nomine, rapinæ honestentur: Nec tamen id celeriter petendum, sed confirmatâ iam magistratus consuetudine, aut sæpiùs repetitâ. Vix enim hominibus persuaderi potest: eum qui iam diu iustus fuerit, repente mutato consilio, iniustum euasisse. Vnde tutius qui honestas causas defendunt, nouos homines, aut omnino qui in magistratibus consenuerint, adeunt: nam antiquiores ob satietatem, plerunque noui ob sui experimentum, à scelere abstinent, mediis temporibus pecuniæ opera datur. Sed & in his modus est, atque vt in omnibus, fraude, moribus, perseuerantia, virtutéque fermè ipsa, ac voluptatibus: bene iuxta poëtam dicentem,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citráq; nequit consistere rectum.

Cauendum est diligenter ne frequens fiat transgressio, nec aduersus potentiores, nec pa-

lam aduersus leges, neque paruis in rebus: quædam enim horum periculosa, alia, occasionem meliorem eripiunt: vnde, qui non sunt moræ patientes, (cum rara sit auis) vel celeritate frustrantur, vel temeritate præcipitantur. Agnoui tres viros, qui dum Rempublicam administrarent, vnus ex his, commissam fidei suæ, rationem, quod ad fiscum spectare videbatur, prodito pupillo in seipsum transtulit: nam fiscus facilè cessit, cùm intelligeret, sine illius industria nullam ex his bonis ei futuram vtilitatem: Alius cùm testamentum esset suppositititium, bona pupillorum euertit, quòd ad fiscum, non nisi huius inuentione solerti d[eferrentur]: nec tamen leges violasse videtur. Tertius, venalem administrationem, per internuncium tamen habuit. Duo primi leges non offenderunt sed fidem: nam p[ot]entiores, sed miseros fraudarunt pupillos, qui nunc mendicant: omnes tamen amplissimos fundos possident, retinentque cùm auctoritate magistratus, quantum per leges licet, factâ etiam nouâ, aliarum vt moris est in Repub. adiectione dignitatum. Nonne vides, ab initio quàm sanctus fuerit Cicero, donec ad magnam potentiam profectus est? Inde causam Siculorum prodidisse pecuniâ fertur. Sic Hortensius, qui à Vèrre sphingem accepisse dicitur: quamuis honestius inter iudices eum sorte ductus, omnia habuit venalia. Quid Cicero queritur de corruptis iudiciis dum Clodius absoluitur? dum Salustius liberatur? forsan non tutò licet eum teste. apud leges: par habetur vt eum legibus, si sine teste res agatur. Accusas me, quod nefaria doceam: non equidem quæ facienda sint, sed quæ in singulos dies fiunt, vt corrigas, non vt probem, sed tamen interim res illorum vtilitati cedit. Quid enim hoc à furto differt? Aliquando potentem virum interrogabam: quòd aduersus illos lege non licet intendere, aduersus fures licet. Ergo humana, ad homines cum referuntur, eatenus probanda, quatenus ab hominibus aliis laudantur, aut vituperantur. Lex enim est, quam homines sanxerunt: quam irritam esse voluat, non est lex, quamuis pro lege aliquando habita sit. Ergo qui ad hanc sapientiam accedit, nihil pensi habet, quod iure reprehendi nō queat, Sed tamen melius est, vsque ad extremum in eadem integritate perseuerare. Nam nec Aristidi quicquam defuit: potuitque Phocion esse diues diuites etiā fuere Catones. Ergo ad hoc tantum insatiabilis libido te impellit: non vlla necessitas, imò neque commoditas. Præstat igitur his, circa mores esse diligentissimos, lenitatem ac mansuetudinem præ se ferre, cauere ab irrisione. Delectant scommata certe, sed parum iuuant, nihil hoc, ineptius ad autoritatem vel opes parandas. Quòd si aliquos, non leuis autoritatis viros, scommatibus delectatos legas: hoc scias, fuisse illorum vitium. Non ergo à vitio, laudem æstimabis, sed laus ipsa virtutis, facit vt vitium toleretur. At verò v[t] lenis sis ac vrbanus, auaros homines imitare: nulli enim naturâ ad hoc paratiores videntur: cum verborum ea lenitas prò beneficio, pro arrabone habenda s[it]. Nec existimes hanc vulgarem esse ditandi viam, quandoquidem multos cognouerim, qui ex mendicitate penè, intra paucos annos decies sestertium congregauerint: nulla enim fraus, vitæ compendiosior. Proxima huic, est artificum autoritas, in his qui nobilem aliquam artem profitentur, militaris, medicinæ, plasticæ, picturæ, iuris Cæsarei, diuinandi, pædagogij, architecturæ, & generaliter, vbi fortuna aliquem locum sibi vindicat. Nam optimi successus, in artificem autoritate præstantem, infœlices omnes, in humiliorem reflectuntur. Horum igitur industria non est negligenda: quandoquidem humana sapientia hic arcem suam collocat: Primùm itaque considerandum, vt quæ leuis sunt autoritatis, in certamen & hominum voces ducantur: augent enim hæc, quod & prædiximus, mirum in modum rerum æstimationem: Deinde, riuales beneficio fouebis Antoniano: Nam vbi ex toto hominem penè perdideris, tunc leui excusatione ab exitio libera, ne si forsan pereat, calumniam crudelitatis & periculum ab affinibus subeas. Sciunt nostro tempore quot inclyti viri his dolis perierint, aut maximis in periculis fuerint constituti. At si vnus ab vno expugnari nequeat, plures illum oppugnabunt. Verùm, si cui in ea facultate multi & potentes viri infensi sint, seu etiam in republica, nullum fermè videtur auxilium, nisi illorum mors, in qua fœlices hi videntur, quibus opportune ea contigerit: nam quæ cum calumnia aduenit, dedecus, contentiones & pericula adducit: sera verò, alios euehit, vt nunquam magnitudini tuæ locus relinquatur. Porrò auxiliis præter ordinem legum, in republica vti, inuidiosum semper, vix vnquam fœlix. Matthæo igitur Curtio, multum profuit ad dignitatem, quòd duo illius acerbissimi hostes, Marcus Antonius Veronensis, & Tiberius, vno eodemque anno, quasi etiam eodem vt fertur tempore mortem obierint: At si reconciliari possint, aut arte superari, longe melius est quàm mortem expectare, quæ vel sero aduenit, vel si etiam festinanter veniat, inuidiam etiam innocenti conflate solet: Ergo inimici debent aut placari beneficio vel superari potentiâ. Pompeium Cæsar beneficio traxit, deinde etiam affinitate iunxit: Ciceronem, vi è proprio statu, ministris Pompeio, Clodio, Gabinio, Pisonéque depulit: neque enim leue negotium erat, Arpinatem regem tanto præsidio fultum, deiicere: At verò & in his delectus habendus est: Nam qui solum à lenocinio hominum pendent, nec familiæ ac potentum affinitatibus fulti sunt, vi depelli commode queunt: nam & si per se satis prompti sint, cum tamen deciderint non facile restituuntur: quod cū ipsis cuncta ruant, animus, auctoritas, opes, amici, habentque perpetuam inuidiam quæ illis multos alat hostes? At nobiles, & qui factis egregiis illustres sunt, amicos facere tentabis: in quibus verò, inuidia odij causa est, sola vis in his experienda est: nam nullis beneficiis aut verbis, inuidiæ liuor minuitur, sed quantò magis placare niteris, eo crudeliùs infestabit. Rectè igitur Cæsar demulsit Pompeium, protriuit Ciceronem? ille enim, nobilis factis egregiis, at tunc ab inuidia alienus; Cicero, humilis fortunæ, lingua solum strenuus, inuidiâ

quantum

quantum vllus alius premebatur. Vnde nec Catonem ipsum quamuis hostem implacabilem, quòd nobilis esset, accusare ausus est. Tum verò in oppugnatione, brutorum industriam imiteris: Tauri cornua, Canes dentes, Tigres vngues, Leones vtrumque in pugna præferunt: abscondunt illa, oppugnant tantos canes auribus inhærentes, quò minus se tueri possint. Non igitur quenquam aggrediaris, ea parte qua tibi superior est: vnicuique aliquid deest, locum nudum tenta. In aliquibus literæ desiderantur, in aliquibus iudicium, aliis successus deest, multi sunt inornati, alij inconstantes vel parum soliciti; Quis sine vitio dici potest? Vbi magnum discrimen apertum fuerit, sensim comparatio ineunda: semper enim comparatio, cuiusdam æqualitatis, magnæque similitudinis, argumentum præbet. Et si, is, qui expugnandus est, talis fuerit, vt virtute excellat, tunc omnes machinæ in eum, omnes doli, omnes conspirationes intenduntur. Stultum enim est, credere eum, qui falsâ opinione hominum, clarus habetur, diu coram vera virtute suum posse pristinum gradum retinere. Eiectis igitur illis qui verè sunt sapientes, conandum est vt cæteros tui simillimos vincas. Ergo in hoc non parua opus est diligentia, atque primò, vt vitio omni careas, ac principaliter, varietatis ac inconstantiæ studio. Namque illud vulgatum, verum esse credunt, quod scilicet

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Inde fides abrogatur, non solùm ab æmulis, sed etiam à populo: nec minor iactura inconstantiæ morum, ne te illum esse dicant Sardum Tigellium, de quo Horatius:

Nil æquale homini fuit illi: sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem: persæpe velut qui
Iunonis sacra ferret. habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem seruos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo sit mihi mensa tripes, &
Cōcha salis puri, & toga quæ defendere frigus
Quamuis crassa queat. decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat. nil fuit vnquam
Sic impar sibi.

Alter notatur Priscus ab eodem, Sic iuuat repetere.

Sæpe notatus
Cum tribus anellis, modo læua Priscus inani,
Vixit inæqualis: clauum vt mutaret in horas,
Ædibus ex magnis subito se conderet: vnde
Mundior exiret vix libertinus honeste.
Iam mœchus Romæ: iā mallet doctus Athenis
Viuere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

Quid malum? quæ amentia? dicunt hic, nam sapiens esse potest. At verò in riualibus cum superior iam euaseris; vt prius iuuabat contendere, sic tunc diligenter caue omnem contentionem: habes exemplum de Metello Numidico aduersus Cn. Manlium plebis tribunum, à quo apud populum in concione lacessitus iactatusque fuerat verbis petulantibus, itaque sic respondisse illi fertur: Nunc quod ad illum attinet Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se mihi dictauerit inimicum, quem & ego mihi neque amicum recipio, neque inimicum respicio, in eum non sum ego plura dicturus: nam cum indignissimum arbitror, cui à viris bonis bene dicatur: tum ne idoneum quidem, cui à probis male dicatur. Nam si in eo tempore, huiuscemodi homunculum nomines, in quo punire non possis, maiore honore quàm contumelia afficias. Ergo aliud genus dicendi, quandoquidem in necessarios de æmulo sermones incideris, Phauorinus docuit, in quo nec hostilem ostendas animum, & absque maledictione, grauius tamen illum longe vituperes: quod genus quidem, in frigida laudatione consistit: nec hoc adeo simplex est, vt videtur: namque frigida laudatio, amicum ostēdit, qui quod laudare possit, non inueniat: magnæque est argumentum improbitatis illius, cùm vituperatio aperta, odium aut inuidiam prodat; & fidem ob id tollit. Subtilius quidam, eum de quo est sermo, in aliena causa extollunt, in ipsa principali re, tenuiter, nec nisi ex confessione laudant. Acrius instant alij, commiseratione moti, illius casus & malam fortunam deplorant. Quid igitur improbius aut callidius excogitari potest, quàm fingere amicitiam? frangere existimationem? laudare in eo quod omnes vituperatione dignum putant? Misereri illius, qui gloria opus habet? Sed tamen apud ignauum vulgus quandoque leuis laus iuuat: ob id, grauiter accusare apud plebem illos necesse est. Sed sunt qui suppresso nomine, conuitiis maximis æmulos aut inimicos agitant. Namque nominatim carpere quenquam, & iniuriis lacessere, solis concedatur Grammaticis: in cæteris enim non solum rusticum est, & contentione plenum, sed & periculosum. Illud vix vitari potest, quod adeò frequens est, quamuis multis modis exprimi soleat:

Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

id est.

Quale dixeris verbum, tale audies.

Velut apud Comicum, Contumeliam si dices, audies. Erasmus aduersus sycophantam nomen suppressit, reliqua omnia quæ ad maledictum pertinebant, est prosecutus. Quinetiam apertæ contumeliæ, leges resistunt. Nominatim fertur vnus tantùm Archilochus proscidisse Lycambem, vt ad voluntariam necem compulerit: Sed nos, consilia hominum non miracula narramus: Hic tamen poëta, quantò maiore industria soccrum accusauit, eo imprudentius, omnia suæ vitæ probra posteritati mandauit, quæ nunc omnibus notissima sunt, cum potuerint esse, si per eum licuisset ignota. Neque enim decet, (quod & alias diximus) seipsum vituperare: imò nec incommoda sua aperire, nisi cum ea vituperatio seu malorum historia aliquid habet ad institutum & exemplum, velut apud Paulum ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, ἐν θανάτοις πολλάκις. ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον. τρὶς ἐῤῥαβδίσθην. ἅπαξ ἐλιθάσθην, τρὶς ἐναυάγησα, i. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequentior, à*

Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus, semel lapidatus sum, ter naufragium feci. aut eum ad gloriam, quòd prudentiâ euaseris: vt apud Homerum Vlysses, cum infortunia sua Alcinoo narrat: vel vitandæ suspicionis causa, vt apud Virgilium Æneæ se purgantis apud Didonem à proditionis crimine longa historia. Præter hæc, non pauca etiam sunt necessaria huic sapienti, vt ad apicem perueniat. Primùm quidem, vt in omnibus sentire cum vulgo videatur. Vnde etiam vafer ille Aristoteles dixit, loquendum esse vt plures consueuerunt, sed credendum vt pauci, (philosophos innuens.) Hac ratione Homerus passim animi immortalitatem vmbrasque decantat, vt ibi,

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη, ἄϊδος δὲ βεβήκει.
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην.
id est,

Anima autem ex membris auolans ad inferos descendit suum fatum lugens, suum florem & ætatem miserans. Vnde etiam mirum est, aliquos somniasse, primum fuisse Pherecidem, qui animos dixerit immortales, cum ab æuo condito semper hæc opinio, vel solâ hac ratione, quòd populis placeret, vbique inualuerit. Similiter, & conari, diuinationem quandam ostendere, non à sorte, sed prudentiâ ipsâ, originem habentem pulchra, quo in genere, post factum, gloriatur Cicero præuidisse bella ciuilia, quanquam Cæsarem & ipse euexerit: sed intelligebat vir acutus, hoc commentum, vt apud sapientes, ridiculum, sic apud populum, magnam sapientiæ opinionem præbere. Illud Homeri diuinius, & præstigiis quasi simile: cum personam inducat ante euentum prædicentem, & post se, qua potest cautione extendat, si quid est quod & euenit, sic describit,

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο, βίη Τρώεσσιν ἀνάξει
Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Et nunc Æneæ vis Troianis imperabit. Et nati natorum & qui nascentur ab illis. Est & aliud genus dissimulationis, quasi huic contrarium, cùm quæ maximè scimus, nescire nos præferimus, alia profitemur. Inde, occasione datâ, excellentiam eruditionis inexpectatæ ostendimus. Sic illos cogimus, de nobis sentire maiora quàm volumus, stupore enim, qui technam non intelligunt, repentino ducuntur, & modestiam etiam nostram laudant. Quid ne ergo explicare omnes modos conabor? an huic nequitiæ tantum fomitem præbere? Sed tamen non possum rerum ipsarum capita negligere, & quantò res ipsa est inutilior, tantò magis præstat ostendere illorum amentiam, qui adeò his fraudibus insudant, vt non solùm alios (quod propositum erat ab initio,) sed etiam seipsos, sua impostura seducant, persuadeantque se scire quod nunquam didicerint. O profanum hominum genus, atque omni stultitia plenum! Sed non vacat nunc, quod docere volumus, (& si vitium sit) reprehendere, rem ipsam potiùs prosequamur. Cùm ergo aduersus plures contendere cogeris, diuide illos, sere lites, causas quære in aliis, spem præbe, in suspicionem ducito: quod etiam aduersus Hannibalem, cùm apud Antiochum esset profuit. Quomodo enim aduersus plures fœliciter pugnabis, cùm id vulgatum Catulli verum sit:

---Noli pugnare duobus.

Tum illud Græcum:

μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο. id est,

Ne Hercules quidem contra duos.

At verò, quomodo singulos in sententiam tuam trahas, videndum: neque enim facile est: cùm plura sint hominum ingenia; alia enim prudentiâ gubernantur, alia parent ambitioni, auaritiæ, cupiditati, timori, verecundiæ: alia, impotentia & debilia sunt. Quæ igitur, prudentiâ gubernantur, rationibus conuincuntur: Ambitiosos, blanditiis seduces: auaros, pecunia corrumpit: cupidos spe impleas: meticulosos terroribus impelle: verecundos exemplis incita: vtque vnius viri exemplo vtar, Iulius Cæsar in occupanda republica omnia hæc amplexus est: Nam exercitum oratione deuicit: multitudo enim, vt consentiens est, non nisi rationi cedit, quòd ratio pluribus propter ingeniorum diuersitatem persuadere possit: vnde illa Lucani inclyta ad milites exhortatio: sed tamen & tunc ad singulos confirmandos, pro morum qualitate, magnam adhibuit diligentiam: Antonium spe impleuit: Curionem pecuniâ corrupit, Cassium impulit terrore, quo etiam Ciceronem continuerat, Pompeium blanditiis fefellerat, Milites in acie, quotiens exemplo suo incitauit dubitantes, aut retinuit fugientes? Extremum est, cùm vis adhibenda est in implacabiles hostes; quod & in Catone exercuit, neque enim aut rogare, aut corrumpere, aut terrere, vel allicere vnquam, aut hominem persuadere tentauit, sed summa vi, in voluntariam illum necem adegit. Horum autem modorum, fortior omnibus est Vis; inde, Terror; post, Pecunia; inde, Oratio. Nam blanditiæ, spes, & exemplum, rarò magnam vim habent. Ambitiosi enim inconstantes omnes sunt: Exemplum, non mouet nisi cum vel iræ vel disciplinæ coniungitur: Spes, metum à latere semper habet, ob id, quatuor illa sunt præstantiora: Vnde etiam ad proditionem ab aliis nemo nisi duobus modis impellitur, metu scilicet & pecunia: in tanto enim periculo, nullum trium prædictorum, sufficere potest: at nulla oratio, docere vnquam queat, prodendum dominum: vis, aduersus regnum non est: igitur, auaritia & terror, duæ tantum erunt causæ, ad proditionem suadendam. Etenim de auaritia non est vt exemplum adducam: verum terrore inducti, electum Commodum milites, Diadumenum aulici, Aurelianum, Imperatores occiderunt. Sed inter omnes, mira Aureliani cædes, qui cùm crudelis esset, minisq; Mnestheũ quendam à secretis tabellarium terruisset, ille omnes quos Aurelianus occidere destinauerat, atque cum his, plures longe alios, (omnes nobilissimos, sed huius periculi inexpertes) ac seipsum, in tabulam retulit, quam omnibus qui in ea scriptum nomen habebant, ostendit: rati illi, non frustra Aurelianum quemquam morti destinare, quod & verum erat: timore compulsi, in vnum coniurarunt, & periculo periculum pellere tentantes imperatorem occiderunt. Sed iam ad rem vnde digressi sumus reuertamur. Illi maximè pollent in republica, qui alios consilio impellunt ad vota sua: illi inter artifices, quorum auspicio

picio

picio decernitur de rerum summa. Atque hi omnes nouerunt alios in studia sua vertere, qui ex his persuadendi aut cogendi modis, opportuniores eligere sciunt : tales autem, temporum moribus maxime conueniunt. Ergo fœlicissimus quisque in Republica, non solum Princeps, cuius mores, ætatis moribus consenciunt : & nunc, quod & olim, non solum mores, sed & habitus & ornatus corporis, spectari solent, comptique tanquam prudentes in precio sunt. Et mira res, etiam in artificum electione, cultus desideratur: sed tamen C. Cæsar qui rerum potitus est, & malè cingebatur, & togam trahebat, cumque caluus esset, malè audiebat à militibus. Sed tamen apud Homerum (quòd Græcorum mores cum nostris magis consentiant) Nausicaa puella Vlyssem admiratur vestibus ornatum, quem ante neglexerat dicens.

Πρόσθεν μὲν γάρ δή μοι ἀεικέλιος δέατ' εἶναι,
Νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

(i. Ante mihi hic vir tenuis visus est, Nunc autem diis similis est, qui latum cœlum habitant.)

Est & in prouerbio, *εἵματα ἀνήρ*, id est vestes vir. Sed & Quintilianus, grauis autor, dixit de rhetore loquens: Et cultus concessus atque magnificus, addit hominibus. Vitia autem, humanâ sapientiâ præditus, vix vnquam vitare potest. Quod verò in his optimum est, famam non negligere. Adeò enim apud potentiores hmmines, ptauitatis opinio inualuit; adeò eruditi, vitiorum ac flagitiorum opinione apud magistratus laborant, vt nihil in his nisi pudorem requirant. Nam cum publicè mala hæc perpetrauerint, exemplo suo Rempub. non parum offendunt, ex quo potentioribus iouidia conflatur illorum leuitate. Sed tamen falluntur, & in his, Quod vitia sint sapientum: nam non horum sunt, sed eorum qui fingunt se sapientes. Etenim neque Aristoteles : nec Diogenes vel Crantor, non Antisthenes, non Cato, non Phocion, non Aristides, non Hippocrates, non Galenus, non Democritus, non Euclides, non Ptolemæus, & si qui alij vere fuerunt sapientes, vitiis ac sordibus coninquinati erant: Sed vnus Aristophanes, Naso, Catullus, Terentius, Chrysippus, Cæsar, Xennphon, & quicunque sapientia humana floruere, iidem & labe scelerum dehonestabantur : quanquam occultè quantum possent illa perpetrarent. Est etiam illud considerandum, Quonam pacto & in quibus artibus, multitudo vnum possit opprimere. In his certè, vbi iudicium solùm habent artifices, atque in his, vulgus, nullam habet autoritatem, velut Architectura, Medicina, Militarisque disciplina. Nam de his cerdonibus & fabris ac rusticis nullum permittitur iudicium. Multi igitur cum in vnum conspirauerint: si cedit loco, deiectus est; si resistit, nec tamen vincit vnus, plures : cumque etiam vicerit, si res male cedat, euentus in illum retorquetur : Et quamuis doctissimus sit quicunque pluribus repugnat, vulgi iudicio insanire videtur. Sed si ars ipsa conspirationem non admittat, velut pictura, plastica musica, fabrilis, tum fullonum, indusiariorum, ciniflonumque artes, in quibus vnicuique extra artem iudicium relictum est : assiduitas, pro sapientia subiiciatur : Hæc adeò ab ambitionem, grata potentibus est, vt in manifestissimo etiam eruditionis & excellentiæ artificum discrimine, deteriorem tamen præferant meliori. Ergo diligentia plurimum valet, non solum apud reges, sed ciues ipsos : & ea pro excellentia opificis habetur. Extremum tandem est, vt ostendam quonam modo sine scientia se scire, possint ostendere, idque duobus modis fieri solet: primum vt generalia quædam dicta memoria teneant, eaque vicissim ac alternando, vt maxime proposito conueniunt, recitent: altero, vt verbis ambiguis vtantur, velut in medicorum interrogatione, cum non sat teneant memoriæ, quid propinauerint ægro, quasi non succurrente rei nomine interrogant, an rem illam acceperit: illi existimantes rectè interrogare, quamuis rem ipsam non exprimat, respondent accepisse quidem, sed non purgasse, aut amarum fuisse : tamen sic in memoriam reuocat medecinam propinasse: ecce quàm leui solertia, magno suo stupori impudentique negligentiæ succurrit: & tamen hac sapientia hominum vitam tractant, requiruntque mores & cultum ægri ab eo, qui quod dederit nec mente retinet: Quonam pacto dies ac tempora & genus & causas & symptomata morbi ille nouerit, qui nec recordatur hesterno die quid iusserit dari? Cum verò an periturus sit æger interrogant astantes, respondet callidus, morbum quidem non vacare periculo, multaque adducit verisimilia: Si tamen succedenti die critico (sic enim vocant iudicij dies) aliquid effluxerit, sanitatem polliceri; à cuius spe non multum abesse nisi nouum aliquod symptoma superueniat: Atque in dies producendo prædictionem, modo vnum modo alterum causando, eo perueniunt, vbi vel salus vel pernities adeò manifesta est, vt puerulum nec latere possit: tunc commemorant, quæcunque in eam partem prædixerint, obliteratis reliquis, eaque tam bella prædictione, tamquam cauti ac prudentes, nec leues plus sibi gloriæ vendicant, quasi vniuerso Galeno euoluto, quicquã clare protulerint. In vno enim inter plures, cum manifeste, aberrare, contigerit, cæterorum prædictio, vanitati hominis, euentus fortunæ ascribitur: ergo tam modica sapientiæ humanæ portio, tot vigiliis, tot laboribus; tot experimentis apud omnes præfertur. Et quamuis hic quasi ludendo hæc scribamus, experimento tamen intelliges, nos veriora dicere, his quæ apud Sagram contigerunt. Est & Socratica illa disputatio, cum, quæ non nouerunt, adducis in medium, constanter negant vera esse, ac disputant: dùmque persuadere niteris: doces quæ nesciunt: nec tamen vlla tibi ex hoc ab illis gratia debetur cum contradicant: id mihi frequenter euenit cum amico quodam : rogabat quid sentirem de re, eâ expositâ, affirmabat id esse non posse, me acrius instante, ille vehementius resistebat: Ego à primo congressu intellecta amici vrbanitate, reclamantem nec confitentem deserebam, nec iniquo animo tuli eam rem; non solum quod amicus esset, sed quod quæ didicerat nunquam, tanquam sua venditare voluit. Quod vitium in pluribus est,

est, tum maxime in Ioanne Colla, his homo vulgaris, sed stud o Mathematicarum egregius, Italiam circoibat cum omnibus claris congrediens: multa passim quasi ea nosset proponebat: quibus solutis, vtebatur; autoris suppresso nomine, rantumque profecit in nostra vrbe, vt optimus existimaretur: atque ego, cum quæ proponeret, illum scire existimarem, æmulationis stodio multa inueni, quæ nunquam antea cognita fuerunt. Sicque vir hic, causam præbuit suâ hac sapientiâ, vt Geometriæ & Arithmeticæ opera inchoarem, quæ denuum fœlici successo suspetaucta, æterna manere poterunt: obscurum enim non est, Arithmeticæ secundæ æditioni, nihil pro rei magnitudine adiiei posse; sed sat fore homini, qui tot tantasque numerorum & quantitatum vires, quæ illic scriptæ sunt, vel ex his plane consequuntur, intelligere poterit. laudamus nostra, non magnorum solùm exemplo virorum, sed veritate suffragante. Itaque his atque aliis etiam argomentis, humana sapientia constat; qua opes & autoritas, seu in Republiea, seu inter artifices conflantur. Sed tamen reliqua quæ ad hoc genus pertinent iam nunc explicanda sunt: nibil enim quod ad rem pertineat præterire decreui, tum maxime, quòd hic modos, optima quæque, hominum iudicio, amplectitur & vulgatissimus est. Propria igitur vox, vt etiam diximus, iu necessarijs artibus, si sapienter proferatur, multum iuuat, tum maxime, si quasi è latere aduen at. Nam & animalia ipsa, facilius impetu à latere facto, euertuntur. Gloriantur se detentos publicis negociis quidam: alij conqueruntur inopportuno tempore emisse prædia vel ædificare cœpisse: vt ex hoc, homines lucrum intelligant: ac ex illo, rursus coniiciant homines, existimationem: iactant alij magis apertè, potentum homioum congressus, ardua negotia. Sed tameo omnia pro audientium qualitate proponenda sont: cum non desint qui in suis negotiis, totum vellent occupari hominem, nec putant ambitionem artificis, quicquã ad se pertinere: quinimo, somma quæque imis etiam coæquant. Illud certe obseruandum (in quo plurimi peccant) Ne coneris quicqoam: omnis enim conatus ab autore tantum dettahit fidei, quantum est, quod oratioois vi, adiicere se putat, cum firmitatem orationis, ipsi præsentes labefactent. Eadem ratio. Circa ritus ac motes nihil damnare; suspensum esse, tum admirati, optimum est, si modò onn extra aleam fuerit: namque ridiculus fiet, si de Deo, aut etiam de religione dubitare se ostendat: liceat ergo in his tantum suspensam habere mentem, quæ in controuersia hominum versantur. Simulare autem cultum Deorum iam diximus, profanum; quandoquidem etiam verè colenti nihil perit, sed tamen omnes sapientes, etiam si id non credant, vulgo plaudunt. Persuasum enim est, omnem legem, deos habere suos, qoi coli velint. Vnde rectè Euripides fingit, Venerem Hippolyto indignatam de illo conqueri ac dicere:

Ἔνεστι γὰρ δὴ κἀν θεῶν γένει τόδε,
τιμώμενοι χαίρουσιν ἀνθρώπων ὕπο.

(i. Id etiam deorum generi inest, honorari ab hominibus (gaudent.)

Quod & Virgilius sic imitatur,

----Et quisquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut supplex aris imponat odorem.

Sic vt libet: nam & ἄθεοι inueniuntur. Sat est: Hominum genus cum Diis coniunctum esse, iotellectu, ordinis similitudine, ac etiam, (vt meliores existimant) animorum immortalitate. Par est igitur, ne ingrati videantur illos colere, etsi Epicurus Lucretius dicat;

Primus in orbe deos fecit timor.

Multa auribus audientium conceduntur, cùm populus adeò Religione gaudeat, vt etiam faueat soperstitioni. Quam rem cum iam Philippus Macedoniæ rex, optime intelligeret, milites omnes contra Phocenses pugnaturos, lauro coronauit; quod illi videntes, cum Delphia oraculum spoliassent, immemores se post hoc latrocinium, tamen superasse Bœotios, superstitione moti, ante pugnam Regi terga dederunt, incruentámque, cæsi, victoriam illi tradidere: quæ omnium postmodum ei fœlicitatum causa fuit. Sapientum verò ac potentiorum alia ratio: plus enim habent in fronte quàm in recessu: alij enim laborant Philosophiæ morbo, alij supetstitionis, alij nec hoc nec illud credunt, iocundum tamen est ac risu dignum, eum summos fœneratores, Chrysostomo & Augustino (nec pudet, Hieronymo) operam dare cernis. Pauci vt video, saoæ mentis sunt, quamobrem ex hominibus polypi fiunt, vt videantur sapientes. Sed hæc fermè in re omnia sunt. Videndum est etiam, quonam pacto ex aliis gloriam aucuperis, namque si cognitores causarum & aduocatos cernas, magnam secum turbam clientum per vrbem ducunt quotidie, & quãuis illorum negotia perfecerint, suspensos tamen ac incertos, ne discedant, dissimulato fine rei, fame, siti, æstu, labore, curis, languidos per totam vrbem, ac etiam miseros trahunt. Succedit huic arti, alia certior: cùm multos tibi adiunxeris illorum qui arti eidem sed diuerso modo inseruiunt, velut rhetoribus iureconsultisque, aduocati, cognitores, tabelliones: Medicis, pigmentarij, chirurgi, tonsores: Architectis, fabri lignarij, ferrarij ædificatores: Ducibus, tribuni militum, centuriones, signiferi, antesignani: Antistitibus, sacerdotes gregarij, & qui cucullam gerunt, tum ex plebe, hi qui Religionem profitentur. Apud nos, ob multitudinem, non est inuenire nomina: Iudæis erant Esseni, Pharisæi, Saducæi: Verùm hoc genus hominum omnibus confert, quòd ob pietatem commune sit. Quantum verò apud mortales, Religionis opinio valeat, ostendit Iacobus Bussularius, qui Ticinum annis quatuor in sua potestate retinuit: & Ioannes Vicentinus qui Bononiæ per annum præfuit: vterque, vi externa tantum pulsus: Sed & Hieronymo Sauonarolæ parum defuit, quin eadem ratione Florentiam occuparet. Igitur opinio Religionis, apud populum, Rex est: & Romani quanquam diuersa ratione, Sacrorum Regem habebant. Ergo in omnibus his, comem se, liberalem, mansuetumque exhibere, optimum: sed longè melius agunt conludentes cum eis, quod in triremibus factitari non occultè solet, medico tonsorem & pharmacopolam ducente: Et nobiles Ipsi Veneti, (cum suffragiis

res

tes decernatur) aliorum nobilium, sed pauperum, auxilio euehuntur. Latè patet hic ambitus huius negotij, neque enim omnia, singulis scribo; sed omnibus, arte opus est, vt ars intelligatur. Nulli, nisi generoso viro, vnquam magnitudinem periculi ostende, ad quod te suasore impellitur. Quod sciri non vis, nulli dixeris. At si beneficij erga te collati magnitudinem ille intelligat, tu prius verbis illum doce, non ignorare te quantum ei debeas. Multa præterea, ad rei apicem festinans, sed tamen reuerti post modū necesse est. Diximus enim, iactantiam plerunque inutilem fore, quibusque in causis probanda esset: At loquacitati modúsne vllus imponetur? equidem vt video, aliquot in casibus, ea etiam vtilis erit: tum primò, cùm cotam ineruditis cum doctissimo sermo inciderit: nam verborum multitudine, vt in cibo venenum, plerunque sic in eis veritas sepelitur: tum qui tecum contendit, obstupescit, tantum nugarum audiens, adeóque ab ipsa re proposita distraitum; nec in tam absurda oratione, facile succurrit, à quonam exordium contradicendi ineat: quare sui oblitus & hærens, ab indoctis, (qui nugaciori palmam semper tribuunt) haud dubiè victus existimatur; Confert & loquacitas, sermonem habenti cum his, qui sensu non integro sunt: velut cum mulieribus puerisque, si non admodum ambitione laborant: hoc enim genus, & nugis, & ineptiis plurimum gaudet. Quod & Ouidius ibi sensit in amatoriis de Calypsone loquens & Vlysse, cum dicit:

Hæc Troia casus iterúmque, iterúmque regabat,
Ille referre aliter sæpe solebat idem.

Qua ratione, Virgilius eam longam Troiæ narrationem, Æneæ tribuit, cum Didone loquenti, sed nos de amatoriis rebus sæpius ac copiose aliàs diximus: licet & ociosis, ad relaxandum animum, præcipuéque in aula dum pernoctant cubicularij; atque inde exorta consuetudo scommatum ac cauillandi, tum lacessendi quemque optimum ac frigi virum falsis dicteriis: scommatibus igitur hic locus est, cùm irridere volumus absentes; præsentes, non nisi cum incessere; sed hoc, vt dixi, non solùm inurbanum, sed & periculosum: apud principes tamen, fertur & iuuat, seu in scurræ personam te ipsum effinxetis, seu omnino, surgentem (quasi è casu) deprimere velis, seu principis naturâ, (quæ bis gaudeat) ad hoc prouoceris: At in scriptis lepidissimus est insectandi modus, tum præcipue ludens & multum salis habens, quale illud Ioannis Bocatij: O benigna atque pia mulierum Bononiensium ingenia, & nullas amantium preces surda: quibus laudibus, quibus ego vos præconiis efferam? en vides quomodo fœminas omnes infensæ vrbis, Florentinus ille, absque conuitio mœchas appellet. Simili ratione alibi, dum quendam proditum ab amico refert, subiungit: Seruauitque illi Venetam fidem: quòd qui fefellerat, ex ea patria esset. In quo genere, dicendi palmam Horatius inter omnes tulit, Vnde Persius:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

Sed & apud Græcos, Aristophanes satis lepide perstringit inimicos, quòd Græca comœdia satyricum quid redoleat: quod & animaduertit Quintilianus. Itaque poëtarum lectio, tum præcipuè Comœdorum & Satyricorum, humanæ sapientiæ aptissima, quod & Terentius ita expressit, vt in laudem eius multa carmica scripta sint. Ego Plautum, quamnis ab Horatio vituperetur, hac in parte Terentio præpono. Sed his, vt satyrici præstant, sic illis, historici: atque ex his omnibus, (quæ minus probantur,) Annalium scilicet secretæ narrationes. Sed nulla in parte vt plerumque accidit, quàm in hac, pauperior est historia; eò quòd sit vtilissima, magna enim scribunt, quæ magis delectare solent: verùm, minima in vsum veniunt, & vtiliora longe sunt. Petrus Bembus epistolas quasdam Leonis Pontificis scripsit latine, quæ vestigium aliquod continent. Sed quid epistolæ cum historia; Licet aliquid, ex Liuij locis aliquot, colligere. Sed verè, adhuc hoc scribendi genus intactum est: ex Siculo Diodoro, ex Demosthenis orationibus, aliqua surripete licet, confracta atque tenuia: nec tamen vlla te huius capiat admiratio: primùm, secreta colloquia, paucis admodum cognita sunt, & neque tunc, absque periculo in publicum ab ipsis autoribus, nec post, absque errore ædi possunt: cum ex his etiam qui talium sont participes, vix vnus inter multos, scribere illa aptus sit: Et quanquam Turcarum Princeps, maiorū suorum gesta, hac tam insigni diligentia conscripta, vt etiam pleraque alia, memoratu digna, eâdem curâ inuenta habere, & legere etiam, maxima cum vtilitate eredatur: Hoc tamen genus quod est preciosissimum apud mortales, est etiam rarissimom, nec nos vlla maiore in difficultate versati sumus, quàm vt hæc pauca, quæ hoc continentur libro, ad hominum vtilitatem colligeremus: enimvero, si quis recte animaduertat, vt difficillima est hæc ratio, sic vtilissima ac iucundissima est: cùm, quibus modis deludantur homines, quibusque modis has præstigias vitare possint, edocentur. Est modo dicendum à nobis, in leuioribus causis, quonam pacto res exigua, in magnam veniat autoritatem: & cùm tamen illud magis ad librorum compositionem pertineat, seu quia prætermissom, seu quòd ad conuersationem etiam confert, nunc est explicandum. Cùm enim leuis res tractanda est, in speciem magnæ rei euadit, si singula eius capita diligentius, tâmque principalia, seorsum excusseris, interpretando, contradicendo, soluendo ea quæ difficultatem facere in proposito videntur. At contrà magnæ res extenuari solet, cum indiuisa tractatur, tum verò exemplis, ac verbis ipsis mitioribus: vt enim acriora, res grauant, sic lenia, eleuare possunt: Eâ arte, quidam minimæ eruditionis, se ostentant: Alij, rara rerum nomina expiscantur & obsoleta iam: quod genus quanquā in Salustio admittatur, solis tamen pædagogis consuetum est. Rerum multiplex scientia laudabilis semper fuit: augere, ad ostentationem humanæ sapientiæ, opus. Vtque vnum ex his, qui tales fuerunt plane exponam, Thessalus ille Galenicus, mihi vnus videtur, qui artem medicinæ in sex mensibus docere

se

se posse iactabat, qui ad tam artem euectus, nescio an inuidia an indignatione, Galenum potius prouocauerit: sed tamen melius fuerat. Galeno si eum oderat, nullam in scriptis rationem eius habere: nam & nunc quòd aliquis fuerit & talis, cui maledicere, dignum Galenus existimauerit, pro confessu, illius laboribus habetur. Est etiam, cùm in collegiis omnibus, in administratione Reipubl. inter etiam illos qui cucullam ferunt, & denique vbi plurium nomine res tractantur, & tamen paucorum arbitrio omnia fiunt. Etenim noui Respub. quasdam, quas Dij boni, quot ceremoniis gubernant, vix octo aut decem hominum voluntati subiacere, in his, quos in successiuis temporum patribus, (quas vacationes appellare solent,) ne ordines negligi videantur, eligunt qui personam agant, non potentes, sed (si etiam prudenter) nunquam audaces. Hi pauci, donec inter se non discordes fuerint, nec nisi mortis causâ alios nouos induxerint, manent. Sed cum inter se dissident, soluitur dominatus ille & oligarchia. Quam rem cum Franciscus Gadius non intelligeret, quamuis acutus, premeretque socios, ac vrgeret, odio & indignatione repulsus, ac in carcerem coniectus est: Nemo enim est tam patiens, qui non sibi malit bene esse quam alteri. Illud etiam animaduertendum, (in quo & ille peccauit,) Tyrannidem quæ contra leges est, sine armis non posse vnquam esse diuturnam: Vel ergo cum pluribus ineunda est, vel lege fauente, vt Dominicani qui vnum patiuntur dominum perpetuo: aut fulcienda est ipsa dominatio armis. Quod si his neglectis modis, aliam tentaueris, absque dubio male peribis: Quinimo optima conditio in Repub. Si cum inuidia sit, & non habeat participes, perniciosa tandem necessario est: Quæ res vt Dionem fefellit, sic Timoleon in ea seruatus est: Nam Timoleon administratione, etiam citra inuidiam se abdicauit: Dion cum affinem Dionysium expulisset, in ea perseuerauit, donec ipse vnà cum vxore prægnante neci traditus est; nec immeritò, cùm amicum & affinem, frigidis Platonis argumentis ingratus è regno depulerit: Nemo enim amicum è potentia deturbare debet, sed reddere meliorem; quòd si ille tyrannidem exerceat, nec admonitionibus pareat: nec affinis, nec amici, nec benemerentis est hoc opus, sed vitionem, his in quos peruenerit iniuria, derelinquat. Hanc rationem Sylla secutus est: intelligebat enim dominationem præter leges, non posse aut cum pluribus esse communem, aut perpetuam; at tyrannidem populo Romano inducere, impium existimauit; quamobrem C. Cæsare melior extitit: quinetiam illud consideratione dignum, nihil amplius Syllam voluisse quàm libertatem populi Romani, quæ in paucorum gubernatione, tum maximè senatus, diuturna tantùm esse poterat. Adepto summo gradu, consistendum est in illo, summa ope, aut vt dicimus, sponte discedendum. Nam deiecto, difficillimus semper reditus fuit: cum etiam in cadentibus, plerumque exilia, proscriptiones bonorum, & mortes succedant: Illud sanè nemo effugit, quin cum infamia & ignominia decideret: Ergo tria sunt præcipue obseruanda: Primùm quidem, vt non statuat secum, præterita opera, ac iam exantlatos labores, sibi ad retinendam gloriam sufficere: pingi solet, & rectè Occasio, fœmina, alata, occipitio calua, sphærulæ insidens, quòd nequeat apud aliquem diu manere, & si modo maneat, histrionum more secum ludit, sphærulam rotans: Et ideò moliri semper noui aliquid oportet, & nunquam fidere præteritis: senescunt humana omnia, nec longo tempore, autoritas, potentia, memoria virtutis, & super omnia, gratia ipsa celerrimè: quamobrem cuncta perpetuis laboribus & assidua industria reparanda: Ergo in amicos continue beneficia, in populum noua, nec præteritis similia, virtutis exempla edes. Nouis legibus, nouis apparatibus, nouis artibus, quod iam partum fuit, erit etiam retinendum; seu id sit violenta tyrannis, qualis Dionysij & Phalaridis aut Cæsaris: seu voluntaria, vt, Pisistrati & Periclis, & Cosmi senis ac Laurentij Medices: seu mixta & studio partium conflata, vt Syllæ & Pompeij; & Genuæ, Ducum Fulgosiorum Adorniorumque: seu quædam summa apud omnes bonitatis opinio; vt Aristidis & Catonis: siue inter artifices eminentia; nam qui veteribus gloriæ ornamentis institerunt, aut confisi sunt, omnes ex illa deciderunt: Qui autem mortalium rerum naturam contemplati, aliis atque aliis inuentionibus reparauere gloriam, firmiter in illa vsque ad vitæ exitum manserunt. Etenim vt morbi tempora quatuor sunt, sic & gradus in nomine: Primus humanitatis, ad conciliandos hominum animos, amicitiamque ac benignitatis nomen comparandum. Secundus, liberalitatis splendorisque, ad occulte occupandam inter omnes coæquales dignitatem ac autoritatem. Tertius, audaciæ & crudelitatis, ad tyrannicam ineundam potestatem. Quartus, iustitiæ ac prudentiæ ad Regium nomen obtinendum. Cumque pauci admodum sint qui in vna parte clari extiterint; paucissimi, qui opportune pro tempore tantam morum varietatem subire nouerint: ideò etiã fit, vt pauci ad dignitates conscendere, paucissimi verò summum gradũ occupare possint: si tamen aliqui id potuerunt, omnes hanc viã inierũt, cùm quidam extremam mutationem, quæ omnium difficillima est, ferre nòn possent, in ipso tyrãnidis vestigio, non sine maxima etiam difficultate ac misere permanserũt, quorum numerum non est explicare: at qui vsque ad Regium nomen euasere, fuerunt Iulius Cæsar & Octauius, ac Franciscus Sfortia: primi horum omnium, ac reliquorum, qui tã ingentem fœlicitatem consecuti sunt, si vitam vestigiaq; insectere, videbis ex initio humanitatem; post, splendorẽ ac magnificentiam; inde, vim ac crudelitatem, dolos, impietatem; vltimò, iusticiam cum prudentia & summa maiestate exercuisse. Non est quòd in artificibus ob obscuritatem, hoc exemplo vtar: omnia enim in his, minora & minus clara: quia etiã finis longe minor est, quanto inclytus Artifex à Rege distat. Verùm, illud (ne totiens repetam) memoriæ semper inhæreat, Beneficiorum tempus diuturnum esse debere: Impietatis breue, Maiestatis perpetuum, Humanitatis

nitatis cum occasio dederit, ac Iustitia, Maiestatemcum populi beneficio retinet. Quamobrem nulla virtus adeò Regna tuetur vt illa. Alterum, quod qui summum iam apicem pro voto adeptus est, obseruare debet, Ne quenquam lædat, nisi necessariò: nam tunc, non solum rarò, sed longè minore cum odio id efficiet: Quod si lædendo vnum, alterum iuues, reliqua autem sint paria; omitte officium, vt ab iniuria abstineas: nam iniuriæ memoria (vt iam diximus) longè viuacior ac diuturnior est beneficij recordatione: causa huius est, quòd Ira ac Iracundia, fortiores animi sint affectus Iustitiâ ac Gratiâ: omnes etiam his affectibus mortales ferme laborant, non omnes, virtutibus: itaque patet, vt plures ab iniuria prouocentur, quàm beneficio obligentur, tum etiam fortius: videtur etiam beneficium magis à natura proficisci, iniuria contra naturæ inclinationem: fortius igitur iniuria mouet homines ad vindictam, quàm beneficium ad retributionem: Contraria fermè ratione, si in republica res agatur, difficilius erigimus quàm prohibemus: nam qui erigit, vni tantum benefacit, paucisque eius amicis; qui autem prohibet, videtur omnibus conferre, paucis tantum obesse, quòd in rebus dubiis ac incertis, quilibet aliquid spei collocat: Ergo ad prohibendum, plures longe inuenies fautores, quàm si aliquem coneris euehere. Alios igitur euehere, inuidiosum magis, quam oppugnare: sed tamen oppugnare maius odium irritat, quàm erigere. Igitur, ad solidam potentiam euehere, ac dissimulanter conuenit: ad auram captandam popularem, oppugnare. Qui ergo propter se alios oppugnat, vbi victor euaserit, auctoritatem ac potentiam non solum acquirit magistratu auctus, sed alios oppugnando, etiam apud multos gratiam: Nec vlla in re C. Cæsar ideò pertinacior, nam C. Rabirium perduellionis, Q. Catulum, de refectione Capitolij accusauit, & Pontificatum aduersus duos potentissimos viros obtinuit. Tertium, quod quisque, vt fastigium dignitatis ascenderit, obseruare debet, Ex insidiis ducitur: nam cum vi amplius locus non est, cumque res ipsa dubio non caret, omnis spes in insidiis collocari solet: alios enim opprimere, vel sperare ab aliis oppressos, eum qui iam super omnes emineat, non licet: quamobrem ad insidias omnis ratio omneque consilium vertitur. Memineris autem eius, quod iam in Regum administratione diximus, Vt beneficia per te, pœnæ per alios inferantur: Tum vt dissimulatione vtaris; namque amici, dissimulatione patientiæ, promptius ineunt officia, iram timentes: inimici contrà, dissimulatâ indignatione, sine negocio opprimuntur. Porrò præter Tyrannos qui rempublicam occuparunt insines fuere humanâ sapientiâ, Crassus, Alcibiades, Cicero, Messalla, Demosthenes, Agrippa, Mecœnas, aliique certe absque numero: & nunc, plures huius sapientiæ studiosos, facile inuenias, quam sapientes. Calluit eam non parum Erasmus, non solum in vita, sed etiam in gloria sibi paranda; vixit enim in magna mortalium admiratione, & rem suam non leuiter auxit. Nempe, & qui humanæ incumbunt sapientiæ, gloriæ magis sunt auidi quàm compotes, Regibus ipsis exceptis: nam hos, non vnus, historiæ suæ infert. Quamobrem multi nefanda ob hoc, & inaudita adorti sunt, vt tyrannos alij trucidarent, alij vt molirentur magnifica opera, alij vt violentos exitus haberent, auderentque supra vires inter cæteros. Cum Pausanias de iniuria ab Attalo accepta, esset solicitus, Hermocrates sophista dixit, non alia via facilius posse gloriam parari, quàm si gloriâ inclytus Rex, occideretur: eoque dicto, incitatum illum, patrem Alexandri occidisse. Quod etiam consilium Hieronymo Olgiato, Colam pædagogum dedisse ferunt: vnde ille Galeazium Sfortiam obtruncauerit, iam accepta vitiatæ sororis iniuria. Sic Herostratus Dianæ Ephesiæ templum combussit, vt posterioribus seculis tam nefando celebraretur scelere: Alij manus ob hoc solum sibi intulerunt, velut Porcia Catonis filia, Arria Pæti vxor, P. Carienus Philotimus, Cleanthes, tum Chrysippus, & Calanus Indus, Cleomenésque Lacedæmoniorum Rex, Monyma quoque Milesia Mithridatis vxor, aliáque cum illius sororibus. Sic Othryades Spartanus, sic Anchurus Mydæ Regis filius, & qui se denouerunt, Bruti; & pro finibus Phileni Carthaginienses fratres: & T. Iubelius Campanus, & Meles Atheniensis puer. Non est multitudo horum recensenda. Alij, patientiâ, hanc aucupati sunt gloriam, vt Scæuola & Pompeius: alij, fortitudine, vt Attilius Romanus, & Atheniensis Cynegyrus: alij solicita nimis ac quasi stolida cura, vt Decius iurisconsultus, qui propriam vitam scripsit: alij vindicta, alij crudelitate, alij incredibilibus disciplinæ experimentis: Hinc alius iubet filium victorem securi percuti: alius oculo execæcari. Mira nimis sunt, prodigiosæ cupiditatis gloriæ, exempla, paupertatis, potentiæ, iræ, gulæ, libidinis; omnia sine discrimine proferuntur, modò spes propagandi nominis non desit. Sic Nero etiam, inclytis modis, æternum sibi nomen parare molitus est: occidit matrem, vxores duas, fratrem, magistrum, cremauit vrbem, saltauit, cantauit, omnia cædibus polluit, transformauit puerũ, iniit inguina deligatorum, conficiebaturq; Doryphoro, tãta est hæc sitis inanis gloriæ quam non dissimulauit: vrbem enim, ac menses etiam, nomine suo tentauerat defœdare. Sed iam ad institutam rationem reuertamur, ab initio enim illud propositum erat, vt ostenderemus, Quibusnam modis, humanâ sapientiâ potiremur: tum Quonam pacto, ex illa opes pararemus. Ergo, vt à virtute ab fide diuina, à disciplina & studio, Naturalis, sic, ab exercitatione & Rhetoribus ac Poëtis, Humana sapientia habetur: palma autem horum Plutarcho dabitur, qui tot excellentium virorum acta in vnũ contulit, artem, consilium, fortunam, successusque edocet: Vt nihil ad Grecam calliditatem, nihil ad Romanam audaciam desit, Plinium habes, etiam Cæcilium ad Dionem, tum Euripidem, Sophoclem; Satyricos iam diximus & Comicos; Horatius vbique singularis vir meo iudicio est, Homerum & Virgilium, altiora sapientes, non tam vtiles existimo. Iurisconsulti omnes in hoc versantur genere, præcipue Plato: nec tamen Aristotelem

stotelem in hac causa negligo: nam Plato callidissimus omnium est, non tamen vtilissimus, nisi illi qui aliud sub cortice, aliud credat esse in superficie: Lucianus noster totus in hoc genere est: Plutarchi Moralia sanctiora sunt ac diuiniora, quàm vt in hoc genere reponantur: Ad summum, illud videtur sapientiæ humanæ, ab aliis generibus discrimen, quòd nec cum periculo malè agit, nec cum virtute bene: sed mala quidem, sub pietatis & iustitiæ vmbra, bona vero, in auaritiam & ambitionem semper agit ac dirigit. Etenim cum sicarij & manifesti fures legibus sint obnoxij; Iniusti iudices, facinorosi magistratus, perfidi caussarum patroni, Medici infidi, tutores rapaces, mœchi, spoliatores, falsi seplasiarij, artificésque, in quo illis sunt meliores? nisi quòd pœnæ non subiacét: nam tutò peccatur, cum lex nulla prohibet, vel quæ prohibet, iam est antiquata, vel deest testis. Sic iudices, cùm à litigantibus pecuniam extorserint, securiùs, causa dio protractâ: alteri, temporis commodo, alteri tandem, exitu satisfaciunt; cumque vtrunque explicauerint, vterque tamen illis gratias habet, neque enim parum videtur bis temporibus, aliquando potuisse iure vincere, Causidici cum aduersa parte paciscuntur, Morbos producunt Medici, Pharmaca, (vt sic dicam,) qui miscent, pro preciosis adulterina, vitiata exesáque supponunt; quicquid non impenderint, pro lucro illis præsenti est: Tutores, pupillorum res spoliant, atque vt vno verbo dicam, admittitur sapienter apud hos, quicquid periculo & infamia vacat, (cùm tamen sint, qui nec vereantur infamiam) quid mirum est igitur, præsenti exitio, Asclepiadem tamen voluisse pensiles lectos, vina, balneáque ægris impendere, cum non illorum saluti, sed propriæ ambitioni hæc nouanda excogitasset? Vbi enim summum artis apicem apud homines obtinueris, quàm facile sit ditari, nunc intelliges; Eupompus Apellis magister non nisi talento docebat discipulos; sed sunt qui verius legant, in annos singulos: aureos sexcentos continet talentum, cum absolute profertur; aut igitur aureos quinquaginta pro mercede annua intellige, vel pro singulis discipulis sexcentos; At Raphael Cumanus, refert audiuisse à Baldo, dum titulum legis, De vulgari & pupillari substitutione, auspicaretur, In hac sola materia pro consulendo, aureos quindecies mille habuisse, scilicet auri talenta vigintiquinque: Maius tamen est Thadæi Florentini, Medici exemplum, qui non nisi quinquaginta aureis in singulos dies extra vrbem ducebatur, cumque ab Honorio quarto Pontifice vocatus esset, non prius exiuit, quàm de mercede, duorum argenteorum talentorum, id est, aureorum centum in singulos dies pactus esset. Inde, Sanato Pontifice, aureos decies mille dono accepit. Ergo ad diuitias comparandas, nulla sapientia, humanæ comparari potest: quandoquidem Galenus cum sua subtili dissectione, cum tot pulsuum differentiis, cum tanta librorum multitudine, nunquam ad tantam gloriam accessit, nunquam tot diuitias adeò breui comparauit, quantas barbarus vir, & cuius nunc non dignantur scripta vel videre, nedum legere, hac sapientia meruit. Recte quidem dixi meruit, nam vt naturalis sapientiæ præmium est, corporis incolumitas & animi tranquillitas, sic humanæ, opes ac gloria. Nec tamen in vilissimo quocunque genere artis, ac exercitationis, summam laudem quæras, sed vel in nobilissima, vel saltem mediocri: Imò omnis ars, cum ad vltimam ascenderit perfectionis opinionem, hoc præstare potest: nam & tonsor ab Augusto, ob artis excellentiam ditatus est; nec præmio vacauit, qui circino circulum exactè describebat, & nunc Principes nostri adeo delitiis gaudent, vt illos dignos magnis præmiis ducant, qui mappas in plicas elegantes sciant flere, aut corollas fabricare curiosius. Ergo nisi prorsus inutile sit, id in quo excellueris, præmium ingens te manet. Nam neque male mihi videtur: nec contra banc tationem, quòd ille, collineanti cicere, nec aberranti scopo, modium ciceris dono dederit. Quorsum enim tantum studij collocauerat, vbi nulla vtilitas, nulla delectatio esset?

Succedit humanæ sapientiæ, altera ditandi spes ex fœnore; sed fœnus impediunt leges, infamiáque subsequitur. Sed quid saluis infamia nummis? à legibus cauendum est, eludenda lex in primis; cambia sic vocant mortua, sicca, fictaque consurgunt, hypothecæ, venditiones vanæ, mutua, in his omnibus, quanti pluris adscribitur, vsuraq; cum sorte computatur; miroque ac præstigioso modo, detrahitor ex sorte, antequàm nata sit, aliámque ex alia, velut in muribus Persicis progignunt: nec vnquam fœneratorum aut potentia, aut auctoritas, minima vel mediocris fuit, seu apud Romanos, seu Græcos, seu nostros, velus: Sed nobis res ipsa manet, mutato nomine: alij enim Mercatores, Nummularij alij dicuntur: Præstabat forsan (vt multa alia) non mutasse in lege antiqua, permitteréque potius, vt besse semisséque ac triente, pro casuum varietatē mutuarētur, quam tam enormibus vsuris, miserorum ciuium profligare patrimonia: hæc tamen ratio ditandi, adeò summa est, vt non vlla, Regno propinquior: nam plures Principes, auos aut patres habuerunt fœneratores: Diuitiæ enim, vt modum excesserint, Potentiā Regno simillimam efficiunt. Inanes autem sunt omnes artes, si ad fœnus pro comparandis diuitiis conferantur: nam talenta quadraginta, in annis quadraginta, fiunt quadraginta millia talenta: nec vsura in anno, quintam partem sortis æquat, quæ nostro tempore, portio minima fœnatorum est: Quamobrem diuites ve opulentiores euadant, compendiosam hanc ineunt rationem.

Aliis, aucupium orborum arridebat, nunc rara quidem auis, nam horum loco pietatis prætextu sacerdotes subintrarunt: & tamen, nostris temporibus non desunt, qui alieno patrimonio turgeant: aliis quidem, simplex voluntas arrisit: aliis, cum adoptione coniuncta. Sed antiquo tempore nihil frequentius: nam Seneca & Cæcilius, Plinius, & Cicero, etiam aduersus Salustium, non parum de hoc gloriatur: atque hic egregius Stoicus, si Budæo credendum est, hac nobili inuentione, decem ac septem villarum dominus factus est. Inde lusus ille frequens Luciani, sed

ridiculus,

ridiculus, in Plutone ac Therpsione, tum in Zenophante ac Callidemide, nec vlla res tam frequenter arguitur à Satyricis, vel irridetur à Comicis. Sed tamen vt pleraque alia, optime cedit, non res est vulgaris, aucupari, sed magnæ sapientiæ maiorisque studij, quam vnus mihi Horatius satis bene pinxisse videtur, dum dixit:

Si cui præterea validus male filius in re
Præclara sublatus, aletur: ne manifestum
Cœlibis obsequium nudet te: leniter in spem
Arrepe officiosus, vt & scribare secundus
Heres, & si quis casus puerum egerit Horco,
In vacuum venias, perraro hæc alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi, cumque legendum
Abnuere, & tabulas à te remouere memento.
Sic tamen, vt limis rapias, quid prima secunde
Cera velit versu solus, multisve cohæres
Veloci percurre oculo, plerunque recoctus
Scriba, ex quinque viro coruum deludet hiantem.

Sic mihi videtur, obsequium & citra suspitionem sufficere, dummodo recte pes ipse figatur, non sit violentum non captiosum, non fictum, non cum iactantia, non inane. Si careat affinibus, tutius collocatur tantus labor, multum iuuat conuictus, si patiaris. Eadem est ratio, sed facilior captandorum amicorum. Verùm quia de his qui alienis seruiunt, dicendum est, simul huic rei quæ illi affinis est, tum extremo ditandi modo satisfacimus.

Qui sub principum potestate degunt, mores illorum æmulari consueuere. Sunt autem mores occidentalium Principum delitiis affluentes: (Et si Carolus Philopœmenem exhibet:) sed adeò sunt corrupta hominum ingenia, corruptæque leges regnandi, vt potius sua tueatur, quam quod aliena possit inuadere. Itaque qui sub Rege est, & cum Rege, & cum aulicis debet conuenire, facile est autem cum aulicis conuenire, ei, qui cum Principe, moribus non dissidet, cùm omnes Regem æmulentur: est enim vita Regis, vt Isocrates dicebat, populo exemplaris, quò magis ergo aulicis; illud satis ab omnibus confessum est, non solum perspectum, ea studia vigere in ciuitate, quibus Princeps ipse delectatur: Verùm illud apertè noris, nunquam palam Principi contradicendum; quòd ad existimationem lædendam illius faciat: Nec apertè adulandum, voléti auctoritatem suam retinere: mimorum enim ac scurrarum est: verùm quasi ex transuerso tela vibrare solent. Offensiones autem in Principe sic deuitabis, vt existimes nunquam inultas esse, si directè & consultò factæ sint. Igitur eum qui naturâ cum Principe non conuenit, antequam offensionem incurrat, optimum est ab illo prius disiungi, iræ enim Regum, maximæ sunt, & implacabiles. Minima autem offensio est, quæ proditione caret, nec commodi alterius, sed proprij causâ, atque ita obscura, vt penè lateat: sic Cosmus dux, Carolum non offendit, arce aliâ exædificatâ, cum arcem primam Cæsar haberet, quòd propter populi timorem exstructa videretur: cumque congessisset in illa populi arma, populum exarmauit; & tamen aduersus externam vim (si ingrueret,) parata videbatur: sic populus, duplici arce, & Principis, ac Hispanorum metu cōtinebatur. Principi populus præsidio erat aduersus externam hostilem potentiam, nec tamen aliquid contra Cæsarem molitus est, imò carior illi habitus, quòd absque iniuria tutum se reddidisset. Tolerandum igitur est à Principe, quicquid sine iniuria illius, in propriam vtilitatem conuertitur sed hæc, Principum Principibus seruientium: at priuatis nihil tutum omnino, nisi quod cum manifesta Principis fit voluntate. Cúmq; viuendi formæ quatuor sint: alij enim bene dicunt, beneque faciunt: alij cum bene dicant malè faciunt: rursus alij cum malè dicant, bene faciunt: extremi & malè dicunt & malè agunt, quorum, odiosa, est, non solùm aulicis ac Principibus, sed omnibus vita. Eorum autem, qui bene dicunt malè autem faciunt, vita communis est, & numerus infinitus; dissimulatores enim cum sint, populum & amicos sic decipiunt. Qui autem bene dicunt, beneque faciunt, simplices ac verò boni habentur: sed adeò mores hominum corrupti sunt, vt nec his apud Principes, summa sit auctoritas: maxima ergo illorum, (nam hucusque suspensum te habui) qui alios vituperando, ipsi recte & agunt & consulunt. Duo enim cū sint auctoritatis principia, male dicere de aliis, & rectè agere, multis quidem primum concessum est, paucis hoc extremum. Arripiunt homines quodcunque possunt, tum maximè, quod eam æmulationem frequenter principes amorem illorum erga se interpretātur. Scommata etiā & cauillationes, delectant curis distentos, & laboribus fastiditos: Ergo maledicendi studium moderatum, nec quasi voluntarium esse videatur, nec lepore careat: qui hæc tria seruauerit ex vituperatione aliorum, etiamsi illi, Principi gratissimi sint, illius nunquam offensam incurret. Sed tamen ingrati suspitionem caueat; id fiet, si à propriis benefactoribus abstinuerit. Licet enim de illis tantum his dicere, qui scurras agunt. At verò, in mutua aulicorum consuetudine, sermo blādus, ac ad personas accommodatus fieri debet: cum mulieribus de ornatu & pulchritudine: cum diuitibus, de agris ac negotiis vrbanis: cum magistratibus, de administratione; cum tribunis militum, de fortitudine: res tamen amatoriæ nostris temporibus vbique placent, ob Rgum ipsorum delitias ac mollitiem: fortes enim plures sunt, aduersus pericula quàm luxuriam; ob id, imitandus est aulæ mos, qui pro principis moribus, semper æstimandus est: Et nunc, quantam diligentiam in verborum lenociniis posuerunt, vt illorū Epistolas facile intelligas, plus habere fuci quam pulcbritudinis. Heu miseram conditionem temporum, in quibus expectamus, imò expostulamus verba compta, animum rudem: lenocinia sermonis, & sententias inanes; spem magnam, euentus infœlices; grandia verba, & timidos homines; leporem in dicendo, atrocitatem in agendo. Sed iam extra vallum: redeundum quo digressi sumus. Auctoritas ipsa, in his qui ab aliis reguntur, arbitrio rectoris est; idcóque omni diligentia conandum, vt illius consequaris beneuolentiam; at si te ob artem alet, summum studium exhibēdum, vt in ea præcipuus videaris, alios verò cōtemnas, vnde, plurimi lenites

suos riuales salutant, quasi eos paruifacientes. hócque maioris vtilitatis est, quàm si vel ex toto contemnaur publicéque maledicant. Nullum enim inuenies ex his, qui aliis seruiunt potentem huminem, sed vt dici solet:

Maxima quaque domus seruis est plena superbis.

Sunt & qui ob hanc gloriam, opera sua venalia non habeant, sed donare malint: quòd Regibus ipsis, nullo precio dignè posse persolui, insinuent; velut Zeuxis, qui Pana Archelao Regi donauit: Alcmenam autem in tabula, Agrigentinis; & Cicero (vt mihi videtur) eâ causâ, nulli, vt refert Plutarchus, operam suam mercenariam locauit: verùm, hæc, vt apud Principes, glotiam sæpius arguunt artificis, sic apud plebem, plerunque inutilia, nisi in exercitationis initiis, ad aucupandam gratiam, vt medicorum plerique, & cognitionem aliqui, facere solent. At qui secretis intersunt consiliis, grauissimi, quicunque machinas ac dolos apud tyrannos docere norunt: vnde pulchnm certamen visum est inter Ofenium Tigillinum, & Fenium Rufum; hic enim minister volnptatum apud luxuriosissimum Neronem: ille veneficiorum, apud eundem tyrannum: vicit autem gratiâ Tigillinus, perdiditque Fenium. Vnde nihil apud eos validius, quàm scelerum gratia, cum multos in volnptatibus ministros habere posse sperét: ergo cædium, vectigalium, proscriptionum, veneni auctores fiunt; apud Reges verò, potentiæ & gloriæ opúmque augendarum. Tribus enim causis tyranni, cædes & sacrilegia, (quæ Reges non admittunt,) coguntur exercere. Primò quoniam non fundatâ dominatione, prius damnant quàm leges condiderint: quòd, & si post leges damnauerint, recenti adhuc promulgatione, in gratiam facta tyrannidis videtur. Quis enim, si videat in Italia, ob inobedientiam palo hominem affigi, non dicat esse tyrannicum? apud Turcas non est, quia diu lex illa vim habet, quam & olim, vt Euripides in Iphigenia in Tauris scribit, Barbari circa Pontum & ipsi obseruabant: altera causa est, quòd tyrannus cum in Regno nouus sit, non habet obsequentem populum: vnde atrocibus edictis & pœnis, illum cogitur sub imperio retinere: Quamobrem eos qui primo Rempublicam occupant, sollicitos circa initia esse oportet, donec extinctis his, quibus libertatis memoria adeò iucunda est, successores, in seruitute nutriti, nihil audeant nouum, nec quærant moliri: Vnde non parum ad Romanorum seruitutem contulit, tam longa Augusti vita, quod & Cornelius Tacitus animaduertit, cum nulli à morte Augusti superessent, qui, si vel à Deo aliquo, libertatem essent consecuti, amplecti sciuissent eam. Vnde, cùm, mortuo Caligula, per Chæream forma quædam reipublicæ inducta foret, nec mensem potuit attingere. In parua auté republica nil prohibet, de nouo tanquam in parua mole instaurari, velut post Tarquinij exilium: sed in vasta, vbi nec vnus, vel duo populum regere possunt, omnino libertas, post primam generationem hominum, reuocari nequit: Tertia causa est, quod in Regno, auctoritas, non solùm in Principe, sed in Magistratibus est: quoniam qui magistratus gerunt, iam diu ad eam dignitatem apti habentur, seu lege, seu administrationis dignitate, seu nobilitate illius qui eo fungitur. In tyrannide, omnia noua cum sint, cogitur omnia tyrannus aut facere, vel videri facere. Sunt tamen & in regno Tyrannici Reges, vt Ptolemæus Euergetes; & in tyrannide regij tyranni, vt Pisistratus & Pericles, ambo Athenienses. Quibus igitur sub tyrannis immanibus esse contingit, nihil magis profuit, simulatâ stultitiâ, velut Bruto, qui cum videret affines omnes, à Tarquinio occisos, stultitiæ simulatione, non solùm tyranni vim effugit, sed illum etiam è regno depulit. Ergo simulata stultitia, duplicata est sapientia; neque enim maius aliquid in humana sapientia est, stultitiæ recta simulatione. Vnde etim Homerus suum Vlyssem, cum sapientissimum vbique prædicasset, stultitiam coram procis, & Philostratus, dum boues ageret simulasse narrat: vnde ille in Palamede, Ὀδυσσεὺς δ' ἐν Ἰθάκῃ μανίαν ἐπλάττετο, καὶ πρὸς ἄροτρον βοῦν ἵππῳ συνέβαλεν, παλαμήδης τε αὐτὸν ἤλεγξε τῷ τηλεμάχῳ ὑγιᾶ ὄντα, id est, *Vlysses autem in Ithaca insaniam fingebat, & ad aratrum bouem equo iungebat. Palamedésque ipsum conuincebat per Telemachum qui sanus esset*: quod & apud Ouidium Aiax illi obiicit dicens:

Vltima qui cœpit, detrectauitque furore
Militiam ficto: donec solertior iste,
Et sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitatáq; traxit ad arma.

Sed quid opus est fictione? videamus quid egerit Solon vir sapientissimus, cum Athenienses amissa Salamine insula, decretum, ob malè gestas res cum Thebanis edidissent, Ne quis de renouando cum Thebanis bello verbum faceret, sub capitis pœna, Solon auertere tam stultam legem, stultitia aggressus est; Nam insanum se fingens in publicum prodit, carmina decantans, quibus illos ad insulam recuperandam, instaurandúmque cum Thebanis bellum, accendebat: atque ita magno consensu populi, lex perniciosa sublata est, & insula recuperata. Simili quoque argumento, verùm non tã fœlici, Meson abstinuit à bello Siculo exitiali, cum iam antea, conatus esset illud ciuibus suis dissuadere; peritus enim astrorum, ingruentem dicitur præuidisse calamitatem: & cum illos in sententia pertinaces, ducum ambitione, intellexisset, vt furori fidem faceret, face domum suam accendit; itaque à Principibus ciuitatis pro insano habitus, vacationem habuit. Nos dum hæc scriberemus, Constantium Maxeum, ciuem nostrum, accusatum, quòd liberius in potentiores debaccharetur, furore simulato pœnam omnem, cum periculum euasisse vidimus: Quis hunc sapientem esse hac in causa neget? Sed forsan etiam, prudentius tantæ sapientiæ experimentum non quæsisset, cum intelligat, in non libera ciuitate, non minus periculum esse in verbis, quàm sceleribus: in libera etiam, eos iure damnari, qui innocentes deferant: Nec vllibi tutum esse, res supra proprias vires aggredi. Eandem, vt video, rationem secutus est Nicias ille Egionensis: Is, cum vnus esset è ciuitatis principibus, frustráque consuluisset suis Siculis, vt in fide cum Romanis perstare vellent: vbi illos ad

Annibalem

Annibalem iam deficere prospexit, amentiâ dissimulatâ, effugit extra vrbem, & cum suis quos monuerat, ad Romanorum castra; seruatus ab vtroque periculo est, Carthaginiensium, contra quos, ciues suaserat, & Romanorum, à quibus ciuitas erat abalienata. Maiora sunt, quàm credi possint, simulatæ stultitiæ præmia, cum ipsas historias reuoluo: nam Eunus, Syrus seruus, simulato furore, inde sub Religionis quadam specie, seruile bellum peregit: in quo plusquam millia quadraginta seruorum, in Sicilia aduersus Romanos armauit, & quamvis à consulibus victus fuerit, gloriosius tamen est, sic victum fuisse, quàm in fœda seruitute manentem, nihil ausum fuisse simili dolo, quòd hic (vt mihi videtur) solus, sit inexpugnabilis. In eadem prouincia, Gallis auaritiâ, crudelitate, luxuriáque cuncta fœdantibus, Ioannes Prochitius, stultitiam simulans, & per vrbes circumuagans, cannâ auribus appositâ, admonebat conscios; vt ad horam constitutam, suos hospites Gallos cæderent: itaque vnâ horâ, octo millia Gallorum cæsa sunt, atque prouincia tota liberata. Sed illud nunc mihi succurrit, (cùm nihil sine causa, vt refert Aristoteles) cur Galli nunquam diu prouinciam retinere potuerint, non Hispaniam, non Italiam, non Siciliam, non Asiam; & tamen has omnes inuaserunt: facile hoc est intelligere; fortissima gens erat. Ad retinendum, potius sapientiâ, quàm robore opus est, vt optime dicebat Sophocles:

Οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς
Οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι,
Ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ, κρατοῦσι πανταχοῦ.
Μέγας δὲ πλευρὰ βοῦς ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως
Μάστιγος, ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.

Id est,

Non vasti neque viri latis humeris fortissimi,
Sed bene sentientes vbique dominantur. Bos autem magnus lateribus paruo flagello, vt rectam viam ambulet impellitur. At verò fortissimæ gentes, naturâ, non disciplinâ; eò sunt imprudentiores, quo fuerint audaciores. Quin etiam in hominibus ita esse censet Homerus, Aiacem Telamonium fortissimum facit, sic prudentem minus: & in eodem homine, cum sæuit ira. Cum crescit animi furor, consilium abest: Itaque Gallos impotentes, nullus populus ferre potest: quod verò in illis erat fortitudinis, contrariâ disciplinâ amiserunt, vt nunc sola ferocia remanserit, cum licuerit prioribus Regibus, (vt erant deliciis intenti) fortes reddere ac moderatos: Quare, non nisi deductis coloniis, (quòd vi ibi solû opus sit,) ciuitates & regiones continere potuerint: At nunc nec illud bene cederet, nam cum coloniæ, maxima cum inuidia finitimorum deducantur, fortissimis viris indigent: Eâ etiam causâ (quamvis videar extra propositum digredi) nullæ Respublicæ, Regnum obtinere potuerunt inter illos, imò inter nullos barbaros; sed in sola Græcia atque Italia, quòd prudentissimæ fuerint. Harum regionum Gentes, Respublicæque claruere, quanquam & Carthago olim regnauerit. Sed & hi procul à barbarie videbantur, cùm illorum solùm, inter barbaros Aristoteles meminerit, deque eorum Repub. quin etiam commercio Græcorum, qui in Sicilia habitabant, vtebantur. Ergo cùm Persæ, Medi, Assyrij, Ægyptij, Afri, Galli, Reges habuerint, Respublicas quæ dominarentur non tulerint, longè faciliorem & minoris sapientiæ gubernationem Regiam, quàm Populi vel Paucorum esse necesse est, quod & Tacitus refert, dicens, communem fuisse, vigente imperio Romano, Populi vocem: oportere omnia deuolui ad vnum, quòd in Republica, frequentissimè inconuenientia acciderent: ergo dominationem Augusti cum temporibus Syllæ, Pompeij, Cinnæ confert. At verò quæ propinquior Regiæ potestati, tranquillior est: ob id Venetorum Oligarchia facilior ad tractandum fuit, quàm Romanorum Popularis status: quanquam, quod in Romanorum Republica firmum erat, id totum etiam ex Oligarchia dependebat, senatu summam obtinente auctoritatem: sed quod ad tranquillitatem deerat, in robore supplebatur, nam popularis status, Venetorum Oligarchiâ, fortiorem reddebat ciuitatem. Quamobrem Veneti, nec populo, (qui paucis seruit) nec belli duce, (quem in terrestri prælio ex suis non eligunt) ad res gerendas vti possunt. Imbecillius ergo longè euasit regnum Venetorum, quàm Romanorum, eóque magis, quòd Romani sua Religione ad belli commoda vti poterant; non sic Veneti, cum sanctissimam colant. Intrinsecus igitur, longe melior Veneta, foris splendidior Romana: sed tamen Romana longe tutior, quæ si situm inexpugnabilem, qualis Venetis contigit, habuisset, profectò etiam nunc maneret: Veruntamen situs confidentia, plus Venetis obfuit quàm iuuerit: Atque eâ causa Lycurgus, muro Spartam carere in posterum perpetuò voluit; nam & Sparta à populo regebatur, eligebanturque trecenti, quorum sua esset potestas: Horum, erat supremus quidam magistratus, & qui illum administrabant, Ephori vocabantur; numerus illorum quinque: hi Regiæ potestati opponebantur; quòd Lycurgus Reges creauerit; hi aliquando duo erant, quandoque vnus. Ferebantur autem illorum Reges ab Hercule genus ducere. Itaque vim Regiam Lacedæmoniorum Veneti in suo Duce, imitantur, cum Ducem, non Ducem, nec Principem habeant, sed subditum legibus, & qui non solùm per se nihil decernere possit, sed neque cum paucis: atque inter multos, licet auctoritate superemineat, suffragio tamen illis par est: Estque adeò humilis potentia Ducum istorum, vt vnum aliquando ex his, capite, ob regni affectati suspitionem, mulctauerint: quod & in suis Regibus Lacedæmonij prius aliquando fecere; nam & Agis publico Ephorum mandato strangulatus est in carcere. At verò multitudinis dominationem, & trecentorum electionem, imitabantur Athenienses; sed horum numerus, apud quos summa esset potestas, quingentorum erat; inde etiam, ab illis Socrates damnatus est: Aderat & Athenis Senatus ille inclytus Areopagitarum; sed non vt Ephoris, certus numerus: ergo hæ duæ ciuitates tanquam duo Græciæ oculi, totam regionem imò gentem omnem illustrabant: sic duæ in Italia, Romana, Venetaque. Sed Romana, Laconicæ proximior; Veneta Atheniensi: non solum bonarum literarum cultu,

& moribus mansuetioribus, sed & situ & peritia rei militaris: Nam vt Venetiæ inter aquas, sic Athenæ, iuxta littus maris, in colle humili sitæ erant: At Romanis & Laconibus, mediterraneæ regio, mores agrestes; pugnæ genus, quale militibus conuenit, equestre pedestreqoe: vtræque autem, cum viribus summis se inuicem premerent, Sparta Athenas deuicit, & in seruitutem traduxit tempore triginta tyrannorum, etiam demolitis muris: Athenæ, Spartam nunquam occupauerunt; seu quòd plus valeat exercitus, quàm classis, & milites quam epibatæ: seu quòd robur & audacia, in bello, plus orationibus & prudentiâ possint: Illud etenim & in Romanis cum Carthaginiensibus visum est: nam Romani, audacia & robore, cum milite pedestri equestriq; abundanerunt; Carthaginienses astutia & dolis, tum classe præualebant: Imperium verò Atheniensium latius patuit, sed non adeò validas vrbes continebat; nanque Lacedæmonij Thebis aliquando potiti sunt: Erant etiam studia ciuitatum harum, dissimilia; cùm Athenienses dominari palàm se velle dicerent; Lacedæmonij, libertatem Græciæ, titulo præferebant; re autem ipsa, regnabant: quamobrem, sub initiis, Lacedæmoniis semper magnus applausus; succedente tempore, maiore cum inuidia totius Græciæ, regnabant; tanquam dolo & fraude, amicos, non hostes opprimerent: Inde factum est, vt Platonis ætate, quodam miro Græciæ consensu, finito Peloponensi bello, & clade Sicula iam senescente, tum Tyrannis sublatis, Athenienses, Græciæ Principes, (cuius tamen non exiguam partem possiderent) ab omnibus haberentur, præterquam à Lacedæmoniis. Inde, si ad diuturnitatem spectes, prius Lacedæmon condita est quàm Athenæ, seriusque in seruitutem acta à Philopœmene, (cùm iam annis mille quingentis triginta quatuor in perpetua libertate nec non longa dominatione stetisset,) celerius à Xerxe dirutæ Athenæ, cum tardiùs essent ædificatæ, (si quidem à Cecrope annis centum & sexaginta sex post conditã Spartam à Phoronæi filio Sparto) semper autem reparatæ, cum indignum Romanis visum esset, Spartam non esse, tanquam æmulam Romæ, aut Athenas, nutricem tot florentissimorum ingeniorum. Erant enim Lacedæmoniorum mores, ac disciplina militaris, adolescentis reipublicæ Romanæ, simillimi: Spartæ, nulli (vt diximus iam) muri; Romæ tales, qui potius ad ornatum, quàm ad munimen, esse viderentur: neque enim vnquam, vel illis confisi, hostem repulerunt, vel si exercitu carerent externo, expectare voluere: Quinetiam, amnis Tyberis, vt Romam diuidebat; sic Eurotas Spartæ circumfundebatur. Sed tamen tam ingentium, tam nobilium vrbium Græciæ, nulla nunc vestigia supersunt, Turcarum Rege in speciem desolati cuiusdam pagi illas vertente, vt nec nomen supersit: Sethine enim, arx est in Athenarum colle, & Misistratus vbi Sparta. Ergo Sapientes, qui futura prospexerunt, hoc est quod ait Sophocles:

προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.

Id est,

Non possunt homines, prouidentiâ & mente sapiente, melius lucrum capere.

Poterant primò, dominari orbi, si concordes fuissent; maluerunt parere Romanis: Poterant & in pace splendidam tueri libertatem; voluerunt potius in Turcarum seruitutem, intestinis odiis labi, & excelsas suas vrbes dirutas videre, amœna viridaria & syluas odoratas, in barbarorum manus tradere, filiosè sinu parentum abstrahi sinere; nam non ea tantum occupat loca Ottomanus, sed sua virtute bellicâ, & nostrâ perfidiâ, obtinet Pannoniam vtramque, Sarmatiæque partem Australiorem, Macedoniam, Epirum. Achaiam, Peloponesum, Eubœam, Thraciam, Iazigum, Metanaste, Daciæ partem, Mysiam vtramque totam, Getas, Tauricam Chersonesum: hæc in Europa. At in Asia Pontum, Bithyniam, Asiamque minorem, Lyciam, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Armeniam minorem, Syriam, Palestinam, Arabiámque petrosam, & Mesopotamiam, Assyriæ & Babyloniæ partem optimam, quin etiam fœlix Arabia eius imperio obsequitur, aut tributum pendet: habet & Africæ meliorem partem, Ægyptum scilicet: minus Alexandri imperio hoc est, quod Parthiam non contineat, nec Indiæ illa millia quinquies oppidorum; sed, nec Alexander habuit Achaiam, Eubœam, Peloponesum, in qua Lacedæmonij habitabant, nec Iaziges, Metanastas, vel Pannomiam vtramque, vel ambas Mysias, aut Daciam; quarum ego robur, longè Indis etiam totis ac Parthis prætulerim, quos tamen omnes, non suo subegit Imperio: Habet certe Romanis minus nunc, Galliam, Hispanias, Italiam, Cretam, Cyprum, Britannos: quid aliud in Europa? at in Aphrica Numidiam & Cyrenaicam, reliquaque, præter Ægyptum: sed tamen inter hæc, multos Reges amicos, multas ciuitates liberas; nec Mysiam tamen, nec totas Pannonias, nec Getas subigere potuerunt, quas ille tamen possidet. Amplissimum igitur Alexandri Regnum, Imperia validissima Romanorum & Ottomani. Sed iam, qui nostram non artem intelligit, tanquam longius digressos increpabit; ad institutum igitur sermonem denuò reuertamur; erat autem hic. Quod hominibus licet, ob ingens facinus, dissimulare prudentiam; quandoquidem, non paucis fuerit gloriosissimum & salutare, simulasse stultitiam: quod etiam in sui laudem satis rectè, aut finxisse, aut narrasse, video Ludouicum Romanum: Quandoquidem nec illum reprehendam, qui se stupidum simulet in negotiis, cum liceat, etiam se mortuum fingere; nam & Boëmundus ac Iacobus Picininus, per castra hostium delati, loco fictæ mortis veram vitam pro præmio receperunt. Non existimes exquisitâ opus esse stultitiâ, ad Tyranni metum eludendum: exquisitâ vtimur, vbi magnum facinus aggredi oportet. Sed iam ad alia, hominis sapientis, sed non liberi, instituta transeamus: in quo, illud diligenter obseruandum, ne mutuis assentationibus, etiam si veris, vicissim blandiamini: subolet enim fucus; & res minorem habet auctoritatem: In quem errorem, adeò impru

imprudenter Budæus & Erasmus lapsi sunt, vt nauseam moueant. Priuatim quandoque, non tam licet, quàm necesse est: sed tamen & ibi, mutua esse non debet. Verùm illis licuit, quòd Grammatici, non Philosophi essent: quamobrem etiam, ex turpi adulatione, in iurgia & turpiorem venêre contentionem. Est etiam illud cauendum, ne ad idem, sermone reuertaris; sed vt in cæteris, varietas delectat, sic assiduitas ac repetitio, fastidium non leue audientibus affert. Est & in hoc genere apud nos, vxorum consuetudo; quas cum multi instituere docuerint, nihil tamen egregium sunt consecuti. Maxima est hæc difficultas inter mortales; Sine coniugiis viuere vix possumus, at proferre genus nostrum difficillimũ. Ducenda ergo est vxor, quæ si perpetuo vinculo alligatam se sciat, furit in incommodis, & audet in sceleribus. si pateat diuortium, filij negliguntur, superinductâ nouercâ: Tantam in hoc genere difficultatem Plato videns, quasi ludens, consuluit, vt communes essent vxores: atqui vir ille, vbi maximè irridetur, summam ostendit sapientiam: quasi dixisset, vtcunque egeris, tam multa sequuntur inconuenientia, vt errasse legislator iudicetur: Ergo ille rectè reipublicæ consulet, qui etiam coniugum securitati & tranquillitati, optimas leges statuet. Verùm, (cum nunc nobis ea facultas non sit) vt legem de hoc vniuersis statuamus, potiora præcepta deligemus: In primísque vxor sumenda, quæ honestos parentes habeat: non amoris nec formæ, aut consuetudinis, vel opum causa petenda est: solet autem dici, malos parentes, bonos non progignere filios, quod & Euripides pulchrè expressit dicens,

Φεῦ, φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει.
Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

Id est,

Heu heu quàm pulchrè habet vetus fabula,
Non enim unquam fueris bonus ex malo patre.

Atque alibi,

Ἐκφέρουσι γὰρ
Μητρὸς ὀνείδη. τοῦτο καὶ σκοπεῖτέ μοι
Μνηστῆρες, ἐσθλῆς θυγατέρ' ἐκ μητρὸς λαβεῖν.

Id est,

Efferunt enim materna probra. hoc etiam considerate mihi proci, vt filiam accipiamus ex bona matre.

Honesti sunt parentes, Qui pudorem in fœmineo sexu, & iustitiam in masculino colunt: At verò iam sumptam, moribus his decet instituere, vt quemadmodum anima corpori, summâ beneuolentia iuncta est, illúdque eius voluntati paret: illa, in omnibus eius commodis consulit; nil ibi durum, nil violentum, coactúmve; omnia composita, iucunda, gratáque sint. Solet autem Venus testudini insidiens, pingi; quòd testudo, nec vagetur, nec vocem emittat: sic mulier, continens se domi, ac minimè loquax esse debet: vt autem illa, hæc faciat, exemplum & tu, taciturnitatis exhibe, & ea illi præstes, propter quæ, vagari minimè cupiat, ideóque omnia honestè, omnia moderatè, omnia cum virtute geras. Qui enim, vel vitiis abundabit, continentemque volet esse vxorem; aut ipse profusus & luxui indulgens, parcam illa & moderatam: ei non erit absimilis, qui se hostibus dedat, iubeátque vxorem, cum illis, ad mortẽ, pro libertate pugnare. Illud verò ad concordiam plurimùm conducit, vt vterque mutuò, affinibus alterius vtatur: nam hoc est, magnæ concordiæ fundamentum: Imitabitur autem & in hoc, naturæ quendam affectum, quo pater, filiabus; mater autem, filiis, commutatâ sexus vicissitudine magis blandiuntur. Prohibeat malarum mulierum congressus, ne illud postmodum dicat,

κακῶν γυναικῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν.

Id est,

Malarum mulierum introitus me sepelierunt.

Intelligat autem sic virtutem tuam, vt non solùm amet, sed & colat ac veneretur. Quod si his, non etiam profeceris, quid aliud tibi dicam, quàm illud rursus eiusdem poetæ?

Χρὴ δ' ἐν δόμοισιν ἄνδρα τὸν σοφὸν, τρέφειν
Γυναῖκα χρηστὴν κἀγαθὴν, ἢ μὴ τρέφειν.

Id est,

Oportet in ædibus virum sapientem alere vxorem probam & bonam, aut non alere. namque causam aliàs tam bene depinxit, vt nihil melius, cum dixit:

Γάμοι δ' ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσι βροτῶν,
Μακάριος αἰών, οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ,
Τά τ' ἔνδον εἰσὶ τά τε θύραζε δυστυχεῖς.

Quasi dicat, nuptiæ si bene constitutæ sint, beatam efficiunt vitam: Si malè, & domi & foris reddunt infœlices. quare postmodum Chorus subiungit, cui se periculo exponat homo dicens,

Αἰεὶ γυναῖκες ἐμποδὼν ταῖς συμφοραῖς
Ἔφυσαν ἀνδρῶν πρὸς τὸ δυστυχέστερον.

Id est,

Semper vxores virorum calamitatibus incrementa attulerunt ad maiorem calamitatem. Sed tamen, Mediolani hæc præcepta confusa sunt, cum & in reliqua Italia, mixta est infamia laudi, periculum lucro; inde, omnia confusa. Verùm, quod in hoc genere optimum est, atque maximum hoc tempore, est, vt vxor diues ducatur; vt eam, affinibus tuis mulieribus, cingere possis: nam γυνὴ γυναικὶ ἰὸς, id est, *Mulier mulieri venenum*. quod si hoc illa grauatè fert, aut eas insectatur, iam nullis aliis indiges argumentis, nullis propemodum testibus, vt illam pro impudica habeas, vt in hoc, quod tutius sit iam expresserim. Quod melius autẽ, illud existima in vnoquoque loco, Quod plures ac sapientiores faciunt: nam hoc est indicium & regula sapientiæ humanæ, Vt potius aliorum arbitrio viuas, quàm recta ratione. Sunt autem Sapientes; iidem qui & Potentes, in hoc sapientiæ genere; (quod iam superius diximus) eóque magis, si potentia, non ex hereditariis opibus originem habeat, sed ab eo parta sit. Igitur in generalibus rebus, hoc etiã sit generale præceptum, Vt potentiores imiteris: Sunt autem generalia, Sermo, Vestitus, Societas, Coniugium, Domus, Ars. at in qualitatibus: horum, & fortunam tuam, metieris, & tui coæquales æmulaberis. Socrates igitur, cum nudis ambularet pedibus perpetuò, sapiens esse potuit: quòd mores, ab instituto nõ vacarent, essétque Philosophus: Cato, cùm Prætor id faceret, sapiens in hoc, dici non potuit: quod administratio Reipub. ad sapientiam humanam, non veram, spectet: perdidit

ergo se suósque, & Rempublicam. atque in hoc, sapientior Cicero, quamvis ab affectibus animi vinceretur. Ergo magistratus, sapiens nunquam reiiciet: nam si malus sit, ditabitur; si bonus, Reipub. vtilis erit: atque in hoc, meritò laudabimus Catonem, quòd Præturam, metu Pompeij & Cæsaris ambiret; inieritque tribunatum, ne Respub. à Metello, viro seditioso opprimeretur: Suasit & rectè L. Domitio sororio, vt consolatum peteret, ne Respub. ambos consules haberet Tyrannos, Pompeium & Crassum, qui duo concordes, eum magistratum petebant. Vtinam igitur, tam sapiens fuisset in quærendo, vt fuerat in eligendo optandóque. Est etiam obseruandum, vt quæ magna sunt in te, aut gloriosa, in publicum ædas, manifestes: occultes autem exilia, atque infirma. In quo genere multi aberrant. nec perduelliones imitantur, qui armatam & robustam partem semper inimico ostendunt: Sunt autem inimici omnes, id humanæ sapientiæ genere, nisi qui verè timent: verè autem timent solum hi, qui vel tuæ potestati plene subiecti sunt, vel qui sperant proculdubio à te consequi beneficium: Cum verò summa sapientiæ humanæ ratio, quæ nec ad iustam Reipub. administrationem pertinet, in simulatione consistat, cauendum est omni diligentia, ne fucus ipse deprehendatur, tuámque proferas ignorantiam: aduenit enim illi duplex incommodum; primum vt inanis & imprudens existimetur; secundum vt (quemadmodum Aristoteles dicit) mendax, hoc lucrifacit, vt ei etiam veritas ipsa non credatur.

Est & aliud humanæ sapientiæ genus, quod iam opulentis, conuenit, scilicet vt sciant voluptatibus vti, deliriásque amplexari. Est enim circulus quidam in rebus humanis: laboráre, vt diues euadas: diuitis hæres, aut ad opulentiam tendit, vel ad luxum: ex luxu tandem fit paupertas; ex hoc rursus labor atque industria. Ergo in hoc genere, Lucullus, qui non expectanit successorem, & Apitius Hortensiúsque, tum Octauianus celebrantur: Neque enim ita voluptatibus indulgendom, vt miseria tandem te corripiat. Quamobrem nec Heliogabalum, nec Neronem, non Caligolam, quorum vita turbulenta anxiáque fuit, exitus funcstus: sed nec Crassum illum qui parare quidem nouit opes, vti autem illis non nouit: nec verò Attediom Pollionem, qui quamvis funesto exitu caruerit, coniuncta tamen illa sapientia cum summa crudelitate erat, atque in dæmoniaco genere: ergo nec triumvir Antonius, sapiēs erit in hoc genere: turbinis enim & molestiæ, vita plena fuit; mors, mœroris; voluptas, cum suspitione coniuncta. Itaque huiusce vitæ multa sunt capita: Vt Nobilis vitam exerceas, aut aulici, vel peregrinantis, vel genio omnino indulgentis, aut disciplinis incumbentis. Statuendum autem est pro cuiusque ingenio. cauendi tamen excessus semper, qui vel pericula, vel damna, vel infamiā, parere possunt. Generaliter autem, omnibus varietas conducit vitæ, quandoquidem & delectatio ipsa, vt ostensum est, in varietate ac nouitate consistat: Excessus autem si fiant, cum splendore & magnificentia coniungantur: cujus rei, duo exempla apud Lucullum habes; primum, cum Ciceronem ac Pompeium inuitauit ad cœnam hac lege, vt nil adderet conuiuio; promisit Lucullus; dum tamen sinant, locum in quo cœnaturi sint, seruis dicere, assentiuntur: vocat seruum, cui ea cura mandata est, dicens, scias nos hoc vespere in Apolline cœnaturos: cœnauerunt ergo lautissimè, vt apparatum omnem, tanquam ex composito constructum existimarent: intellecta postmodum est ab illo ratio, quod vnicuique cœnaculo, ratio impensæ constituta erat: alterum exemplum fuit, cùm mediocri apparatu cœnasset Lucullus, coquum & dispensatorem domus reprehendit: illis dicentibus. Quòd solus cœnares, impensam remisimus; tunc Lucullus indignabundus dicebat, illos nescire, apud Lucullum cœnaturum: vt intelligerent, non gulæ causa, aut impensæ rationibus, sed magnificentiæ ac gloriæ, eam liberalitatem destinatam ac introductam fuisse. Huiusce generis igitur, sapientes fuerunt, Lucianus ille dialogorum scriptor, & Speusippus: sed omnium princeps, Epicurus, qui & in ea facultate, libros composuit, quos nostra Religio sustulit; sed habemus tamen illius placita, in Laërtio Diogene, legimúsque Epicurum in Cicerone, qui apud populum, quamvis Stoicus esset maximus, in domo tamen, Epicureus fuit; nisi quòd, gloriæ studio, & fœlicitate ingenij, ac dicendi facilitate incitatus, multa scripsit: cùm Epicurei, & illud ferme contemnant: non in ea re, suum secuti autorem. Multorum autem sapientum, cur plerunque finis, aut turpis, aut infœlix fuerit, ratio exploranda, nunc est. Nam Cyrus, à Tomiri fœdè occisus, etiam ludibrio addito; C. Cæsar, à coniuratis interfectus; Antonius, seipsum occidit; Ciceron, vltimò proscriptus, capite & manu dextra mulctatus, spectaculum Romanis nefarium exhibuit; Demosthenes, eò miseriarum peruenit, vt venenum cogeretur ebibere; Crassus, filium apud Parthos occisū vidit, & ipse miserè ab his confossus est: Quid de Themistocle, Alcibiade, Miltiade dicam? & vt paucis multa comprehendam, maior pars sapientum huius generis, miserabiliter periit. Ergo

---Quid tam dextro pede concipis, vt te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Euertêre domus totas optantibus ipsis
Di faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia, & torrens dicendi copia.

Sed si modus (qualem diximus) rebus imponatur, non hæc succedent. qua enim parte infortunati fuere, ex ea etiam non sapientes: sed in his (vt plerunque fit) vicit metum, affectus voluptatis, auaritiæ, vel iræ. Cyrus vnus, casu potius, quàm errore lapsus est, cum tamen infœlix dici ex hoc nequeat: nam quod ad mortem attinet, nec probrosa, nec crudelis fuit: quinimo si Virgilio credimus dicenti,

Pulchrúmque mori succurrit in armis.

Optanda erit: quæ verò post fata illi corpori acciderint, fœmineæ potius insolentiæ ac stultitiæ, quàm turpitudinis lethi argumenta fuerunt: At Caius Cæsar, remisit Hispanorum custodiam, cum vellet in ciuitate libera regnare: Antonius, vt Cleopatram sequeretur fugientem, legiones reliquit: mitto, quòd

sororem

ſororem repudiauerit Octauij, vt barbara muliere potiretur. Cicero, exitum, non pro virtute ſua, ſed pro iniuria in Antonium, quem priuato odio proſequebatur, habuit: Demoſthenes, auaritiâ motus, non ſibi ſolum, ſed & patriæ exitium approperabat. nec mirum, cur ſic mortuus Demoſtheoes, ſed quòd tam diu vixerit, Macedonum regum potentiam oppugnans, quorum viribus, virtuti ac fœlicitati, omni ex parte, Athenienſium ciuitas impar erat. Craſſum quis non irrideat, ſenem ac aſſuetum potius ciuilibus contentionibus, quàm bello, aduerſus fœdera, ob auaritiam, contra potentiſſimum regem, ducentem exercitum: deinde ſe credentẽ Arimanis hoſtis, conſiliis, cuius fraude, vix etiam perire potuit; tanta fuit Romani exercitus virtus. Alcibiades adulterij aduerſus Lacedæmoniorum Regem, ſeruatorem ac hoſpitem, proculdubio pœnas dedit, aliàs ſecurus futurus apud Perſarum regem. Themiſtocli, ne quiſquam mortem obiiciat, quæ vel fuit naturalis, vel adeo cum virtute coniuncta, vt omni vita etiam honeſtior fuerit. Ergo illud firmum maneat, Sapientem, qua parte ſapiens eſt, ſemper fore fœlicem: Accidit tamen (velut in omnibus mortalibus rebus) monſtra, ſed raritas illa, extimeſcenda non docet, & admiratio, rectæ rationi potiùs ſuffragetur quàm deroget. Dionyſius iunior, ad ludum literarum compulſus eſt; è regno depulſus, noo accuſet fortunam, ſed errorem: Pater, Platonem vendidit, ipſe aluit: Pater, Dionem impotentem reddidit, filius, extulit inimicos: Igitur tyrannidis gratiâ, alens potentes, atque Philoſophiæ etiã nomine, apud vulgus gratos, quid mirum ſi ſe ſuo conſilio, ſuiſque viribus perdidit? ſed tanto ingratior Dion atque Plato: Verùm Platoni, gloriæ cupido, ſolùm id in oculis erat, vt aliquid ageret, cuius causâ, toti Græciæ foret admirandus, potitiſque voto eſt ſtultitiâ Dionyſij. Periit infœliciter Socrates, Naturali Sapientiâ prædirus: Ego non dixerim, eum infœliciter mortuum, qui voloit mori: vel ergo mortis genus infœlix non fuit, quod ſponte ſuſcepit, vel ſi infœlix fuit, & ſponte ſuſcepit, non fuit ſapieos in electione. Inconcuſſum igitur, quod ab initio dictum eſt, mánet, ſcilicet Sapientem, in eo quod ſapiens ſit, ſemper fore fœlicem.

Eſt & tertium ſapientiæ humanæ genus laudabile, atque adeò, naturali proximum, vt parum ab illo differre patem. Eſtque admirabile, cùm verbis cauillatoriis illum deludimus hoc, Seruator verſus eſt: Cùm enim Iudæi, calumniæ cauſa illum interrogarent, adductâ adulterâ, an eam deberent lapidare? intelligens dolum: (nam abſoluenti, lex & malum exemplum obſtabat, condemnanti, crudelitas obiecta fuiſſet) reſpondit, qui ſine peccato eſt, illam veſtrum primus adoriatur: atque ita, nec damnauit nec abſoluit, cùm non eſſet, qui in illam, ex hac ſententia, primus inuaderet; quo ſublato, cum omnes per ſucceſſionem, locus ille occuparet, mulier nullo accuſante, nec pœnam legis repoſcente, dimiſſa eſt: Cùm verò interrogaretur, an tributum Cæſari dare liceret, vndique anguſtiis vrgentibus, (quòd neganti, crimen in Cæſarem intentatæ ſeditionis obiici poterat; concedente, lex omnis Moſis ac diuina ſoluebatur) nummum videre voluit, ſciſcitatúſque imaginem, cùm dicerent, Cæſaris eam eſſe, reſpondit, quæ Cæſaris eſſent, Cæſari reddenda, quæ Dei, Deo. Rurſus, cùm interrogaretur, in qua poteſtate doceret, cognouit calumniam: nam diuina autoritas periculum ei afferebat, quòd odioſa eſſet illis: ſacerdotio autem carens, humanam præferre non poterat. Reſpondit igitur interrogando & ipſe, in qua poteſtate Ioannes baptizaret: cúmque illi eodem in diſcrimine eſſent, ſiluerunt. Nam dicentibus inuentum hominis fuiſſe, periculum ex populo imminebat: ſatentibus à Deo habuiſſe originem, infamia præſens illis aderat, quod illi non credidiſſẽt: ita periculum periculo, infamiam infamiæ oppoſuit. His ergo tribus reſponſis, tantæ admirationi apud populum fuit; vt non magis, miraculis ipſis, celebraretur. Refert enim Apoſtolus, (quòd in miraculis nunquam acciderat) tum maximè in ſecundo reſponſo adeò illos obſtupuiſſe, vt per totam diem nunquam vel interrogare, vel hiſcere aduerſus eum auſi ſint. In eodem etiam genere Sapientiæ eſt, quæ efficacibus rationibus ac veris, vtilia perſuadet: quale illud, quod ex contrariis ſumitur. Velut ſi ad celebrem virum, eruditus verba faciat, poſtulans ſe ab illo euehi: vtatur autem hac ſententia: Quoniam ſi clarus euaſero, omnino eam dignitatem ſum conſecuturus: at vide ſi conſequutus fuero, an præſtet me tibi amicum eſſe, vel non? an me tibi debere, an non? an ad tuam gloriam faciat, quòd non ſolùm, tu propria virtute clarus euaſeris, ſed etiam alios erexeris; vt & multiplex commodum literaria reſpublica ſentiat, intelligantq; homines, te non ſolùm eruditione ſingulari eſſe, ſed nec minore animi virtute: cùm non ſolùm, non inuideas alicui, ſed etiam eruditos foueas eleueſque: At ſi contrà, res ceſſerit, maiore beneficio ornatum, quàm pro virtute mea merear, à te me ſentiam, obligatumque perpetuo merito, ac ex tuis veſtigiis pendentem habebis, vt quod à tua virtute ac dignitate ſemper abeſt, & ſi longe melior eſſem, nunquam dubitare poſſis, etiam ſi vellem, aduerſus te quicqoam moliri: & quanquam gratiſſimum me ſemper experturus, ego tamen non pro ea ſpe, ſed pro virtute tua, rogo atque confido, te mihi non ſecus ac coniunctiſſimo, quòd eiſdem ſtudiis teneamur auxilio futurum. Hæc igitur de Humana Sapientia dicta ſint, quæ nunquam cum Naturali ipſa coincidit, ſed illarum alteram imperfectam eſſe neceſſe eſt, non ſolùm, quòd earum tum fines diuerſi ſint, ſiquidem alterius, quies, probitas, innocentiæ laus, finis eſt: Alterius, opes: potentia, gratia: Nec quod re ipſa pugnent, cum in altera natiua pulchritudo, labor, veritaſque ſubiiciatur: in reliqua, fucus, deliciæ, doluſque. Sed quòd humana natura, tot rebus ſufficere non poteſt. nam tria ſunt genera humanæ ſapientiæ quæ laudem mereantur, regia admioiſtratio, cíois in repub. innocentis, qualis apud Romanos Catonis: vnde Lucanus ipſum inducit dicentem,

Crimen erit ſuperis & me feciſſe nocentem.

Et tertium de qoo iam nuper diximus, quod ad vitaodam calumniam inuentum eſt Sed ad perſuadendum vtilia ac iuſta hominibus, non ramen

tamen vel hoc, vni homini, naturali sapientia abunde prædito, conuenire poterit. Sed in caussis ac temporibus diuersis, maximáque cum difficultate, rari vtraque pollere visi sunt. Quid mirum, cum etiam rarissimi in vno genere absoluti fuerint? neque enim capax est mortalis natura, tantæ lucis vel tot nodorum: verum vt maxima est Naturalis, sic Humana, rarior: verùm cùm hæc, illius loco succedat, qui mentis compos veram pulchritudinem relinquat, vt adulterinam habeat? vel aurum dimittat, vt aurichalcum possideat? ergo sapientiæ humanæ genus, ad supplendum inopiam naturalis inuentum est, quod (si recte expendatur) totum, præter tria illa genera, (salubria humano generi, vrbibus, omnibúsque bonis) exitiale est: atque ideò non quærendum esset, sed maxima vi euitandum. Verum imbecillitas humani consilij, & affectuum pertinacia, ignorantiaque finis ac naturæ nostræ, in hoc vitiorum ac scelerum mare incautos nos protrahit, delinitósque fuco, extremo supplicio pessundat.



DE SAPIENTIA

LIBER IV.

EVASARAT vastum iam pelagus, & turbulentam humanæ sapientię tempestatem, nauis nostra, ingressique profundum caliginis vorticem, vbi nil nisi furta, incendia, veneficia, cædes, falsæ imagines, execranda sacrificia, delusiones, vmbræ, vanitatésque erant: & velut in somnis, cùm turbatá mente, modò atras nubes, modò obscuram caliginem, & spectra terrifica, laruas ac præstigias, lucentes media nocte soles, & sanguineam lunam, monstrosáque horrifica videre putamus: sic æterna hæc malorum omnium spelunca, vel vortex scelerum, aut potius vanitatis antrum, seu calamitatum infernus, nunc se offert. Esse verò huiusce rei aliquam sapientiam, hoc est argumentum; quòd, cum multi nefanda aggrediantur, pauci ea possunt perficere, aliíque inclyti habentur diutius, alij inanes & stolidi existimantur: vides quot conati sint Principes occidere, nec potuerint: alij etiam, cum occiderint, euaserunt. E quibus tres nûc numerantur, Laurentius Medices, qui Alexandrum Florentiæ Principem occidit, qui etiam Cæsaris, quod maius est, gener erat: Bonifacius, qui Franciscum Sfortiam vulnerauit; quamvis enim mortuus non fuerit, defuit potius fortuna, quàm industria vel audacia. Andreas Bagius, qui Ioannem Galeazium interfecit. Horum autem historiam narrare ad Principum custodiam optimum duco, vt intelligant illi, semper oculos intentos habendos in eos, qui vel sint audacissimi, vel qui quærant nimiam cum Principe familiaritatem, vt qui regna tractant; Nec valde iuuenibus, nec his quos aut læserint, aut quorum affines perdiderint, vnquam confidant. Igitur Laurentius Medices, cùm diu (vt coniectura assequi licet) Alexandri (vt ferunt) iustissimi Principis mortem moliretur, essétque illi affinis, damnatum primo quendam ad mortem, indulgentiâ Principis liberat: Inde, illum edocet, se cum aulico, inimicitias gerere, haberéque in animo, vt oblata occasione illum occidat: habebat hic, domum propinquam Principis domui, in eam seu affinitatis securitate, seu mulieris consuetudine, Ducem eum corporis custodibus per noctem deduxerat: consultò verò, frequenter miscebat ludos, pugnas, clamores, contentiones, iurgia: inde, accedentibus, risus oboriebatur. agebat autem hæc, ne si quando in scelere occurrisset strepitus, accurrerent corporis custodes: Inde, cùm vrbs clausa in nocte haberetur, ad Episcopum, qui claues retinebat, (deducto prius ad domû suam Principe) pergit, claues postulat, equosque cursores, vt fratrem ægrotantem, qui in villa erat inuiseret, confictis etiam ad hoc, vt puto, literis (nam frater valebat.) Igitur rediens ad Principem in eius lecto cubantem, cùm quasi obiter, ensem illius, (ne euaginari posset) inuoluisset, seruum tunc alloquitur, facinus detegit, ille facinus patrare se negat, affuturum tamen auxilio, si vel ille exurgat, vel impediatur ab aliquo: ianua domus occlusa erat, peragit facinus; cùm ille clamaret, manum ori apponit, mordicus ille digitû proditoris apprehendit, sed vulnerum atrocitate, linquitur animo, ac moritur: exit è domo, obligato digito; equos paratos inuenit, portam vrbis apertam cum seruo egreditur, ac seruat se: & nunc apud Turcas est. Bonifacij facinus audacius, sed non tantâ industriâ: Cum enim Franciscus Sfortia, illius affinis, cædem vltus non esset; dissimulato dolore, equam pernicissimam emit, obseruat diem æstiuam, in qua dux iter facturus sit, ob pulueris molestiam, equites corporis custodes præmittuntur: dúmque in viam, quæ crucis præferebat similitudine incidisset, adoritur scelus: Nihil autem principi magis auxilio fuit, quàm quòd ipse paruus, mulæ humili insideret, vnde ictus breuiori gladio, non profundum, etsi amplum vulnus accepit: cúmque denuo instaret, prohibitus, fugâ sibi consuluit; cùm equa illa, sexdecim millia passuum in horæ spacio superaret: euasit igitur, quamvis plurimi illum insequerentur: seruatúsque, post aliquot annos, sponte morbo decessit. Andreas Bagius, facinoris multos conscios habuit, inde, occiso Duce vi prouinciam retinere conatus est, inde, per varia prælia fugatus, cum illis euasit, & in Turcarum regionem concessit: alij ex coniuratis ad Ægypti Regem transfugerunt. Sed & in priuatis eadem apparuit scelerum industria: Quorum pauca exempla quæ nostra ætate contigerunt subiiciam. Ansalus Hispanus, à Canedio patritio Parmensi iniuriam passus; cùm ille diligentissimè inimicum caueret, nec viribus Canedio par esset: (habebat enim ille duos seruos, qui cum perpetuò comitabantur) arte hac Ansalus vsus est: Vestes induit pannosas, similésque his quas qui onera ferunt gestare solent; obseruans verò diem qua Canedius negotiis vacuus, in porta sedebat, auram captans, Ansalus incuruis humeris fœni fascem gestans, procliui capite, sicâ verò breui inter manicas ad illum accedit, vulneréque inter inguina letali impresso, simúlque onere excusso, fugam arripuit, seruauítque se. Alius, cum nubilem sororem, cuidam destinatam à patre,

patre, magna cum dote, intellexisset parum pudicè viuere, duos equos cursores emit, eósque per mensem, & currere simul & habitare assuefecit: inde, vni eorum molle frenum, & arctas stapedes addit, consilioque cum patre inito, (qui nil tale metuebat) sororem in villam ducit: huic equo eam imponens: dum iter agitur, certamen de equorum celeritate inter socios serit; donec deposito pignore, cursum omnes ineunt: ad cursum socij, equus, cui soror insidenat, cursum & ipse arripit, frustra habenas illa retrahente, cùm nullus clauiculus freno adesset: Itaque excutitur misera, nec pes è stapeda exit, trahitur equi cursu, capitéque lapidibus illiso, animam efflat: fortè via illa, tota lapidea erat. Actum hoc, me in ea ciuitate moram ducente; res publica & omnibus nota fuit: tamen, & lege age, & si dignus esset frater supplicio. Alius, cum vxorem formosam sed mœchan haberet, vocem spargit, illam animo per noctes linqui, conclamat ancillas seruosque, illa vt dormiebat, nihil sensisse omnino se aiebat. ille, detectam, (nam hiems erat) frigidam ostendebat domesticis. cum bis aot ter hoc fecisset, serio rem agit, strangulat, cumque infrigidari iam sensisset domesticos inclamat, adueniunt, de more frictiones admouentur, non reuiuiscit: vocantur medici, attonito morbo detineri existimatur, omnes medicæ machinæ admouentur: tandem fabula peracta est, traditur vespillonibus. Ergo demoniacæ sapientiæ quatuor capita sunt, vel vt scelus perpetres, Vel vt vanis rebus incumbas, Vel vt rem non malam, malo tamen modo quæras, aut vt decipias. In primo genere sunt incendia, furta, lattocinia, venena, cædes, incestus, & penè quæcunque ad ius Areopagitarum Athenis pertinebant. In secundo verò, vaticinandi modi omnes, tum philtra ac veneficia quæ solis verbis fiunt. In tertio, præcantationes, veneficia, philtra, idolorum sacrificia. In quarto Alchymistica, falsatij atque lusores, qui adulterinis etiam pecuniis operam dant. Ergo primi generis omnia iam diximus: nam turpe esset ea docere, quæ omnino boni in se continent nihil: nimium est, quod docuimus, ad augendam Principum securitatem: de aliis autem nunc dicemus. Ergo cum omnia imperia omnesque leges aliquo diuinandi genere vterentur, vel, vt sanè, illi crederent; aut vt militum animos & ciuium, ad ea quæ vellent, flectere commodius possent. Harum prima diuinatoriarum Magia., & tanquam mater fuit: Conantur persuadere Magi, collo appensa vel sub lingua detenta, diuinationem facere, quandoquidem & mens, in pluribus per se possit diuinare, tum maximè in infortuniis iuxta poeticum illud, Mens præsaga mali: res ipsa, haud esse non potest; sed quibus hoc fiat, scire, hoc opus, hic labor est. Affirmant linguam vpupæ, collo suspensam, vel lapidem Hienæ, vel cor ranæ viridis, vel smaragdum sub linguâ retentum, hoc præstare. autor tantæ vanitatis Zoroaster, Democritus vt alias diximus eam auxit: nunc etiam non desunt, qui orbem fabulis coinquinent. Anthropomantia huic proxima est, vsus est ea Heliogabalus: exta puerorum quos pro victimis iugulabat, inter impia consuluit sacrificia. vanitatis artis, argumentum præbet exitus illius, cum crudeliter excarnificatus, occisus in latrina insepultus iacuerit, abrogatis ex toto, publicè omnibus illius actis. Necromantia affinis illi est: hæc antiqua & ab Homero celebrata. Libet autem illius artem paucis describere ea lib. λ.

Ἔνθ' ἱερήϊα μὲν Περιμήδης Εὐρύλοχός τε
Εἶχον. ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
Βόθρον ὄρυξ' ὅσσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χεόμην πᾶσιν νεκύεσσιν.
Πρῶτα μελικρήτῳ μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ.
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι. ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.
Πολλὰ δὲ γουνούμην νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα,
Ἐλθὼν ἐς Ἰθάκην στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστη
Ῥέξειν ἐν μεγάροισι πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν.
Τειρεσίῃ δ' ἀπάνευθεν ὄϊν ἱερευσέμεν οἴῳ
Παμμέλαν', ὃς μήλοισι μεταπρέπει ἡμετέροισι.
Τοὺς δ' ἐπεὶ εὐχωλῇσι λιτῇσί τε ἔθνεα νεκρῶν
Ἐλλισάμην, τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα
Ἐς βόθρον. ῥέε δ' αἷμα κελαινεφές. αἱ δ' ἀγέροντο
Ψυχαὶ ὑπὲξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων,
Νύμφαι τ' ἠΐθεοί τε πολύτλητοί τε γέροντες
Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι.

i. *Ibi victimas Perimedes & Eurylochus tenebant. Ego autē ensem acutū trahens de femore, foueā fodi cubitalem in omnes partes, circa ipsā autem fundimus inferias omnibus mortuis. primum de mulso, deinde de vino, tertio de aqua, deinde albas farinas commiscui. Multum autem venerabar infirma mortuorum capita, si aliquando in sterilem Ithacam redijssem, me domi optima boue sacrum facturum esse, & rogum bonis impleturum. Tiresia autem pracipue me nigram ouem sacrificaturum esse, qua in nostris gregibus esset prastantissima, postquam autem claudis precibus mortuos precatus sum. Deinde pecudes excoriaui, & in partes secui, in foueam fluebat niger sanguis. anima autem ex Erebo mortuorum defunctorum congregabantur, puella innupta, pueri, senes arumnosi, virgines tenera, adhuc recentem luctum sustinentes.* Vnde Homerus, verisimiliora Virgilio confinxisse videtur: audaciores posteriores, inter quos Euripides, iam & ipse Herculem ab inferno reducit viuentem, vt ille Æneam. Circumferuntur in hoc genere sub Salomonis nomine, libri confictí, & Petri Apponensis celebrati hac arte, quos pater meus expertos se fuisse refert, inanésque & nullius vsus: nam ipse publice fatebatur dæmonem habere familiorem. Ego, næ illum arguam mendacij, iam verò multa, per triginta annos expressè de futuris predicebat. Habet autem hæc ars tria alia capita, Oraculorum scilicet, inter quæ clarissima Dodoneum Delphicum, ad quod Græci passim concurrebant: atque Ammonis, insigni mendacio Alexandri, celebre: Pythonum est aliud genus: vbique tamen idem modus; euocati creduntur seu mortui, seu spiritus immundi: Hos sacra scriptura commemorat, non solum apud Iudæos clarâ historia, Saulis Pythonissam consulentis, euocantisque Samuelis manes, sed & in Apostolorum historia, dum Paulus illam mundauit à spiritu. Engastrimythi olim, qui postea Eurycli ab autore vocati sunt, cum prius à ventre nomen haberent. Vnde Aristophanes in Vespis, μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν. imitatis (inquit)

Euriclei

Euriclei vaticinium & mĕtem. Sed ab Engastrimythis Pythones differunt, quòd Pythonibus, vox ex lingua prodit, Engastrimythis autem, è ventre ipsa immota lingua: quòd Rhodiginæ Ioannæ accidisse per multos annos nostra ætate constat; cùm id Cœlius, & ipse Rhodiginus, locuples testis, affirmet. Cum verò hæc scriberemus, mulier quæ dæmonio laborabat, dum excantaretur, non aliud passa est, quam quod hæ quæ vuluæ strangulatione laborant, sed spumam non emittebat; collum ad mentum vsque perueniebat; linquebatur animo; oculi intendebatur, vt voluntariam diceres præfocationem; ex sulfure, suffitus aderat, aquam, nescio quam præbibebat. Certum est, hanc non admodum sui compotem fuisse: sed potuisse, tanquam limphaticam ac phanaticam diuinare. Aristoteles vniuersum hoc diuinandi genus, in vim terræ, aut animum refert collimantem: tertium genus, est illorum qui animas consulunt eorum, qui sponte hac causa se deuouerint. Et quamvis non certa historia, plurimi tamen putant, Antinoum puerum Adriani, spe immortalitatis ac gloriæ, voluntariam mortem hac causâ obiisse: argumento fuerunt primò, quod illum inter sydera collocauerit: splendidissima enim stella ex sex iuxta aquilam existentium vocatur Antinous à Ptolemæo, & in Mantinea, ludos, gymnasia, sacra, delubráque constituit: ciuitatem etiam in Lybiæ Marmarica Antinoum appellauit: tum verò etiam oraculum illius nomine ibi constituit, nec non templum & sacra & sacerdotes, vt non tot honoribus, nisi prorsus insaniret, mortuum Catamitum censuerit decorandum. Parte altera quis vnquam vel sapientiùs elegit successores, vel futura adeò exactè præuidit? nam duos optimos, firmos, diuturnos, vnúmque post alium reliquit Imperatores. Nec tamen primus, certum Imperij hæredem extimuit, nec secundùm morem impatientiæ, stimulauit: tum verò codicillos scripserat, agenda continentes, vsque ad diem obitus. Erunt ne hæc argumenta Astronomi an potius dæmonis? quicquid sit, næ ego vnquam tantæ vanitati fauerim, cùm duos amicos sciam, qui se iactabant animas habere deuotas, pessimè tamen rem domesticam tractasse. Lecanomantia, etiam huius generis esse videtur, in peluim aquam iniiciunt, obmurmuratísque quibusdam verbis, interrogãt, ferúntque, vocem exilem, ac ad instar sibili, exaudiri. Refert Petrus Crinitus Hermolaum Barbarum, (quem ego potui videre) græcè latinéque eruditum, ac philosophum haud vulgarem, se hoc sæpius non frustrà expertum: quod & Gualterius Corbetta vidisse refert, succedente etiam furti cognitione. Gastromantia, huic fermè similis, nisi quod oculis cernitur, quod in Lecanomantia exauditur: Vasis enim vitrei [illegible] undis aqua plenis, circumponuntur cærei accensi, tum obmurmuratâ euocatione, puer impollutus, vel mulier prægnans admittitur, quæ inspiciat, roget, imperet, ferúntque imagines rerum quæsitarum apparere: nec vulgo quicquam tritius hoc, vel magis creditum. Catoptromantia autem, eodem modo ex speculo fit, vt illa ex vrceo; sed in hac, oculi pueri vel prægnantis præligantur: sunt qui credant prægnantem, non ni nono mense, videre posse. Refertur Didium Iulianum Imperatorem, Mediolani oriundum, qui ante Septimium Seuerum regnauit, hoc diuinandi genere vsum, cunctáque quæ ei successerunt, ad vnguem vt dici solet, præuidisse. Ferunt, iuxta Patras, olim fuisse Mineruæ templum, cum fonte, in quem si speculum dimitteretur, effigies ægri appareret sub ea forma, qua futura esset, cum finem habiturus esset morbus, scilicet mortui aut sani. Onychomantia, fit oleo & fuligine, vngue pueri illito, qui maximus est. Spectra enim & imagines in illis videri putant, verbis quibusdam tacite prolatis: sunt qui in palma idem efficiant. Cũ hæc scriberem, amicus noster Sigismundus Paulucius, conatus est mihi persuadere: ego cũ nihil crederem, cupiebam technam intelligere, exhibui filium meum primogenitum, Ioannem Baptistam annos nouem natum, cuius cum palmam oleo & fulgine intinxisset, Soli exposuit, igitur ex radiorum refractione, imagines ac colores diuersi videbantur porro tum formæ, ob lineatum quæ in vola sunt, cauitatem, nihil tamen certi: cum interrogassem illum diligenter, se vidisse affirmabat; sed & puer, radiorum reflexione oculorum aciem perstringi cognouerat. Hydromantia verò, magis ad naturæ rationem accedit, eáque multiplex est. Impletur primo cyathus aqua, annulúsque suspenditur filo, petitur res quæsita verbis conceptis: manu filum tenemus, eâ parte qua volumus, quasi ancipiti voluntate: annulos percutit cyathum constitutis ictibus, non sine quadam astantium admiratione. Cum quidam dixisset vi verborum hæc fieri, dixi ego vt clauo appenderet: Et tamen inuenit aliquos hæc amentia, qui eam admirarentur. Alius modus, vt in aquam silentem tres lapides coniiciantur, obseruentúrque orbes impliciti trifariam: nam ex his, non secus ac ex Geomantia veritas rei eruitur. Non sunt hæc omnino certa, sed tamen Galenus vir grauissimus, putat aliquam esse exitus rei cõiecturam, atque in his sufficere credit, vt artis præcepta seruemus etsi veritas ipsa, ex hoc non possit haberi: Satis enim est, (vt quis Sapiens dici possit) quòd in prædicendo, omnes artis regulas ad vnguem teneat. Tertius modus, cùm ex certis fontibus auspicabãtur antiqui, qualis erat in Lacedęmone, vocatus Inon: in quem placentæ ex frumento proiectæ si submergebantur, propitium exitum significabant: dirum si reiicerentur. Geomantia verò, nunc illa notior est, cum in vsu sit, virgâ, in arena sex ac decem series punctorum, quasi rectâ lineâ, describuntur, inde abiectis binis semper, donec duo vel vnum tantum supersint; quatuor formant tetradas quas vocant matres, è quorum capitibus, filia prima gignitur ex humeris, altera ex illis, tertia ex pedibus, quarta ex his octo figuris binis simul iunctis, quatuor procreant nepotes, à quibus duas testes, ex quibus iudex, à quo, & primâ figurâ, quidam maiorem iudicem faciunt. Si igitur iudex imparibus constet punctis, falsa est figura: si sit carcer, prima autem figura via vel lætitia, vel tristitia, vel caput, aut cauda, nihil prorsus significabit, eadémque ratione in aliis, quod iudici è directo, qui supra iudicem est aduersatur. Genera autem figurarum,

vt

vt & figuræ ipse, sunt sexdecim; è quibus, omnia quæ aucta sunt supremâ parte, id est quæ plura in ea habent puncta, fœlicia sunt, preterquàm tristitia; & è contra aucta, parte inferiori, infausta; excipitur lætitia: communes, quæ tot habent in superiore, quot in inferiore parte, quamvis carcer non sit communis.

Pyromantia verò, duplex est. alia quæ in Ætnæ ignibus ad sacrificij instar peragebatur. immissâ enim victima si absumebatur, fœlix euentus prędicebatur, si reiicebatur malus: At nunc, in ignem ex tæda, pix trita spargitur, si coit flamma, fœlix est auspicium, si diuiditor extrà, quærenti sinistra, illius inimico ascribitur, tricuspis fœlix: si quasi à fomite ad cœlum tendar, gloriosum, in ægro, significat mortem multiplex, diuisum; pugnans, in diuersa tendens, crepitans, pallens, malom: pessimum si extinguatur. Habet plus aliquid cæteris virtutis, Ignis, cùm solus inter mortalia, innatam edat lucem, vt ob hoc diuinitate participare credatur. Libanomantia, eiusdem fermè generis est: etenim apud veteres Apolloniatas, oblato thure, si ignis, illud avide consumpsisset fœlix erat, si refugeret, abominandum. Porrò de morte vel de nuptiis, Libanomantiâ sciscitari quicquam non licuit.

Cæromantia verò nostro tempore visa est: Detulit eam quidam ex Torearum regione, vbi artes hæ plurimum in vsu sunt, non refragante lege: nam & Geomantia ibi celebris est, deferúntque vates arenam secum, vt nihil ad persuadendum desit; cùm nostri, calamo & charta eam soleant exercere: vt non Geomantia, sed Chartomantia potius mereatur appellari: itaque vt ad rem redeam, Cæromantia fit quadrante ceræ ab igne soloto; inde in aquam proiecto, multę consurgunt figuræ, vt par est: verùm illarum tria cacumina, tribus palcis, singula singulis aptando, signant; deinde mensoras, distantias, qualitátésque inspiciunt, & ex illis iudicant: Adeo verò exquisite quidam diuinabat, vt fucus subesse à nasutis crederetur. Capnomantia hac inferior est: eandentibus prunis semen papaueris aut sesami inspergitur; obseruant autem, vt in Pyromantia, varias figuras motúsque: existimant quidam ab impollutis pueris, ac etiam mulieribus virginibus, aut prægnantibus, simulacbra & formas videri. Sacrificia, plus habent operæ & autoritatis: apud veteres viscera & partes victimæ, ignibus imponebantur; si eas ignis apprehendisset, litare dicebantur, faustissimúmque hoc erat: si refugisset dirum: vnde non vnam cædebant victimam, verum totidem quot litare potuissent: enarrat Suetonius, C. Cæsarem ea die qua occisus est, pluribus hostiis cæsis, litare nunquam potuisse: Aruspex, antequam igni imponerentur exta, inspiciebat, ex hisque diuinabat: præcipua autem erant iecur & cor: corde enim, principiom semper declarabant, iecore exitium rei, victoriam, exercitum, lęta prosperáque aut aduersa vel tristia: cùm Spurina sacrificaret, duabos victimis sibi succedentibus, cor defuisse vidit: Fuerat autem hoc Idibus Februarij, alij putant Kalend. Martij: propterea dixit, periculum hoc non vltra Idus Martias posse extendi: Erat autem periculum, Cæsaris cædes, quæ ea die consecuta est. Idem Ælio Pertinaci ante cædem, qood Iulio Cæsari accidisse referunt. Ortum habuit hæc superstitio, quod in locandis castris condendísque ciuitatibus olim viscera pecudum inspicerent. Nam si sana essent, locus salubris habebatur: si lapidosa vel macilenta, vel marcida, habitatio perniciosa credebatur: Cicero hæc irridet, nec putat esse diuinatoriam; sed modò sit, melius tamen consiliom illius, quamvis à Christi fide alieni, putandum est,

Tuere Deum placa, vitulum sine crescat aratro,

Auspiciom verò à volatu auium. limo enim posito vt regiones diuiderent, certa auium genera obseruabant, vt si ex dextra, vel ad dextram, aut rursus à sinistra, vel ad sinistram; numerum etiam, & à qua cœli religione: Autoritatem sumpsit hæc superstitio, ex Romuli & Remi contentione, non solùm de Vrbis nomine, sed Regno, cùm Romulo duodecim, Remo, sex vultures apparuisset, vicit Romulus, Romáque vocata est: Hethrusci ei dederunt initium, viguírque in Italia, cùm in Grecia oraculis fidem haberent. Auguria non minoris vanitatis erant, sed tamen minoris autoritatis: Pullos ad id alebant in cauea, inde ablatâ escâ, si alacriter cibum sumpsissent, sparsissentque in pauimento, solistimom tripudium vocabatur, omen admodum faustum: si verò vocem emitterent, oscines aues dicebantur, nec semper lætum: si reiecissent escam, adeò infaustum habebatur, vt L. Papyrius, aduersus Samnites, ob id, malè pugnasse crederetur: Erat & auspiciorum genus aliud ex toto diuersum, in quo fulgura, tonitrua, monstra, terra mariqoe nata, signáque è cœlo considerabant: Omnia his etiam absurdiora, Nisi quòd ad seruandam Rempub. ad debellandos hostes, omnia, laude digna videbantur: ergo, in his si quis occurrisset, aut inter loquendum incidisset, si quis etiam oscitasset, aut preter morem egisset, inter omnia censebatur: vt cùm Paulus Æmylius, aduersus Persam, Macedonum Regem, ducturus esset exercitum, offendens filiam flentem, interrogaret quid fleret, illáque responderet, Persa occidit; pro auspicato omine habitum sit: Erat Persa catella Melitea, in delitiis à puella nutrita. Hoc tam graui ostenro, maximus vir, cui periculosissimum bellum concreditum erat, tantam accepit fiduciam, vt T. Liuium & Valerium Maximum non puduerit referre inter res, æternâ memoriâ dignas, quòd catula, pro Rege, fœmina, pro masculo sopposita sit in totius orbis penè iudicio: cum altera Gens, Imperium mundi paulo pòst occupauerit; alterius, nondum (vt dici solet) Monarchiæ, arma deferbuissent. Quinetiam in Imperatoris obitu significando, adnoratum est; ex singulis fermè ordinibus eo anno obiisse. Iter agentibus, auspicatom ducebant maximè, decidentem rorem: enatas arbores pro miraculo colebant, tum maximè palmam: existimo nucleum rectâ apicem habuisse, nam sic facillime pullulat. Cefaleonomantia fit, capite asini super prunas assato, nec solùm diuinare fumo posse & igne, sed amátium iras sedare, alios impellere creditum est: Frequens in Germania sacrificium erat, vt

Martinus Lutherus in suis affirmat concionibus, atque ideò accusat, quòd flamma prunas extingueret; non absurdum forsan, credere existimo, illud esse excantationis genus, de quo Propertius dixit,

At vos deducta quibus est fallacia luna,
Et labor in magicis sacra piare focis.
En agedum domina mentem conuertite nostra,
Et facite illa mee palleat ore magis.

Aëromantia verò duplex est: Nam quidam ex aura conceptis verbis prædicunt: oriens fœlicem, aduersam occidens, celerem meridies & manifestam, obscuram & tardam Boreas prædicit. Alij, plicatam mappam sincipiti imponunt, hoic semperponunt cyathum aqua plenum: seu igitur arte aliqua, seu vi verborum, seu ex leui capitis motu, aut quod naturale sit, aqua in ampullas, obmurmuratis verbis quasi ferueat resoluitur. Ergo non solùm dignoscere ex hoc, sed etiam morbos se posse sanare affirmant. Tephramantia, ex cinere ad auram exposito fit, prius, quærentis ac quæsitæ rei nomine, iam inscripto. Nam ex literis relictis futura præsagiunt, sunt qui credant, exitum rei, aliquando verba declarantia aperire. Botanomantia, saluiæ foliis constat: inscribunt nomen quærentis, quæsitæque rei, & prodigiosas illas voces, sub diuóque exponunt: Affirmant nomen furis, in furto, in re dubia, exitus rei, ostendi: nimia certè deorum cura. Aliud genus quod Sycomantia posset dici inuenerunt: folia fici, nocte certa, sub diuo exponunt, nominantes illum de quo quæritur, si exaruerint, dirum: quanto viridiora remanserint, eo auspicatius: Nec in hac tanta vanitate diuis parcitur: habent selectos singulos vt meliores. Ichtyomantia succedit, in qua pisces consuluntur; qui cum nesciant, quæ præ oculis habent, deuitare retia: hominibus (adeò insaniunt) magnorum operum ductores sunt: Fuit enim apud Lycios, in luco Apollini sacro, fossa arida, in quam (vt refert Athenæus) qui de futuris quærebat, singulis manibus frusta decem carnis veru infixa tenens, demittebat, precatus numen: implebatur autem aquâ maris, quod non procul erat a fossâ illâ, occultâ causâ accedentibus piscibus; tum maximè orphis ac glaucis, tum incognitis aliis illorum generibus, nec deerat quandoque cete: porrò, carnes assatas exhibebant, non crudas, fossa, Dina vocabatur. augurium, à piscium forma desumptum est: Aquam illam, sacerdotum arte, tum pisces, reseratis claustris, emersisse putandum est. At verò, in eodem Lyciæ tractu, iuxta Myram, lacus erat in quo pisces sumptâ escâ, fœlicem successum pollicebantur, reiectâ, infaustum: Rursus inter Myram & Phellum, iuxta vicum qui Syrrhus dicitur, fons erat, in quo ex piscium natura, forma, motu, vita, cibóque diuinare solebant: Est & genus aliud diuinandi dissectis piscibus, ex extis, in quo excelluisse Triresiam ferunt, & Polydamantem; vt aruspicinam in piscium genere exercerent: hæc igitur naturale principium quoddam habere videntur; verum fortuita. Onomantia est: assumunt nomen proprium & matris, & per numeros literarum resoluunt, vt latinè solent scribi: Inde figuras, astronomicis signis, ac erronibus similes constituunt, iudicántque per ea: Sunt, qui & lunæ diem addunt, seu in quo fit interrogatio, seu in quo natus est. Arithmomãtia verò, ex numeris constat, resoluto nomine quærentis in numeros ipsos, additoque lunæ, numero dièrum; extat autem tabula de hoc, Pythagoræ attributa: sed crassâ Minerua vt dicunt, satis constat, cuius adeò puduisset philosophum illum, vt manes eius, si sentiant tristes hac causa esse credam: Nihil enim impudentius hac arte, quæ sine arte omnino est: solùm enim iudicant, negantes aut affirmantes. quamobrem de morborum exitu aptè quærunt. Cleromantia autem multiplex est: famosissima sors Prænestina, & Antiatina, vt Suetonius recitat, eo anno quo occisus est Domitianus; Prænestinam, sortem antea lætam polliceri solitam: tristem, nec sine sanguinis memoria dedisse, dicebatur autem Prænestina à loco, Præneste enim oppido, columna erat, in qua tesserulæ, variis inscriptæ dictis erant, quæ kalendis Ianuariis, magna celebritate educebantur, sub rogantium nomine. quem morem, etiam nunc in Magorum festo, obseruare magna licentia solemus. Antiatina, C. Caligulæ cæde insignis, cum antea præmonuisset, vt à Cassio (à quo occisus est,) caueret: illud, perperam adiectum non esse putem: stultè fecisse, illos Imperatores, qui de se consulere, his nugis permiserunt: Nam cum vanissima hæc semper fuerit ars, audaciam tamen sceleratis plerunque ad immania facinora dedit: existimantibus (quod verum certè est) quæ futura sunt, causam habitura aliquam. Ergo quietis rebus, non consulet sortes Princeps, sed in periculis; electione proposita, non sorte: vt cùm dux ille egregius, manui, auersis literis inscripsisset, *aude, victoria tibi Deorum dono decreta est*, iecur victimæ; manu adhuc humida apprehendens, tam diu continuit, vt literarum vestigia, in iecore apparerent, nec prorsus humida, sed iam siccata: itaque dum vltimò consulitur, iecur non dubiam habuit sententiam: Hoc tam simplici commento, exercitus animatus, spémque indubiam victoriæ concipiens, adeò fidenter pugnauit, vt ex conficto oraculo, verum euaserit. Aliæ ex alea sumebantur sortes, vt in Aponi fonte, Geryonis (vt credebatur) oraculo: in quem, cùm Tiberius, adhuc priuatam agens vitam, (tribus superstitibus Octauiani nepotibus, Caio, Lucio & Agrippa) de se consuleret, iactis talis aureis, summum punctum, qui tempore etiam Suetonij visebatur, ostenderunt. Simile oraculum, apud Buram Achaiæ oppidum ab Hercule reddi credebatur: sed illic, tali quatuor, ex victimarum ossibus proiiciebantur. Ridicula planè sors erat, quæ in Pharo reddebatur: Erat enim ibi Mercurij statua, ad quam fusis precibus thuréque suffito, oleum lucernarum accendebant, insusurrantes ipsi statuæ quæ peterent, numóque dato, occlusis auribus, in forum properè accurrentes, quàm, primùm vocem reseratis auribus accepissent, pro omine interpretabantur. Tu verò tecum reputa, qui risus oboriretur, cum nasuti, rem intelligentes, vocem, ex consulto, aut praui aut fœlicis ominis, proferrent. Est aliud sortis genus ex somnio, quod apud Calabros in

in vsu erat, cum iuxta sepulchrum Podalirij filij, dormirent, amicti agninis pellibus, & quicquid occurreret in somnio, pro omine certo habebatur. Virgiliana sors omnibus tamen prælata est; nec desunt vnquam, qui existiment, aliquid in illis esse veritatis. Porrò, quantum antiquo tempore illi autoritatis tribuerint, vide quæ referant. Adriano, de Imperio consulenti, hæc euenit,

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundauit curibus paruis, & paupere terra.

Putant, his carminibus Imperatorem pacificum, & qui Vrbem ornaturus esset, designari: quæ omnia tamen euenerunt sic, vt nihil aptius dici potuisse credatur: Verùm Alexandro Seuero, dum illi Heliogabalus insidiaretur, hoc euenit,

Si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Tum aliàs, dum puerulus consuleret,

Te manet imperium cœli, terraque, marisque.

Adeò verò accumulatè noster hic Virgilius illi fauit, vt cum animum ad bellicas artes ac exercitationem à liberalibus artibus traduceret, hanc acceperit sortem,

Excudent alij spirantia mollius ora,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio: & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes; pacique imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Tam bene cessit sors euentui. Sed audi quid Gordiano iuniori pro sorte euenerit: Carmina enim hæc, à patre frequentari dixerunt, in mortis non obscurum omen,

Ostendent terris hunc tantum fata, neque vltra
Esse sinent: nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.

Ergo his nugis, Antiquitas tantum detulit, quantum nos Religioni, in Reipub. administratione: habemusque & nunc, harum sortiũ librum, planetis animalibusque signiferis, tum regibus ac prophetis, variegatum atque distinctum. Sunt & minores à fabis sumptæ sortes: Vetulæ enim quinque fabas proiiciũt; ergo, si vnâ permutatâ, crux fieri potest, amatorium est, si non, hostile: Firmior autem tantò amor, quantò crux ipsa exactior. Axinomantia, securi perficitur: Non admodum trita res fuit; trunco rotundo ligni, infigebant illam, deinde perpendiculo aptantes; sub cuius nomine, vel leui impulsu, circumageretur, illum, culpæ reum fore aiebant. Aliud eius fertur genus, cum igne: in quo, si Gagates lapis non exuritur, lætissimum est. Concinomantia, forcipe & cribro fit, vrbibus ac villis notissima. nam pendente inter duos digitos forcipe, cui cribrum circumuettitur, (plures enim, ac omnes suspectos, nominant,) is creditur sceleris autor fuisse. Sunt & qui vi naturæ, diuinare creduntur, vt apud Iudæos Agabus, qui famem & captiuitatem Pauli prædixit, & apud Ægyptios Heraiscus, qui mulieres corruptas cum proximæ illi essent, agnoscebat, auersabaturque: Multa in hoc genere de Tyaneo Apollonio referuntur, quàm dicere hic expediat, vel etiam credere. Sustulit hæc omnia Lex nostra, quòd multorum malorũ causę essent: nanque cùm veritatis nihil omnino subesset, quos vellent consultò, vel etiam innocentes, obiter accusabant: inde rixæ, iniuriæ, odia, & iniustæ accusationes: quamobrem & Ciuili Iure cautum est, ne quis Mathematicos (sic enim omnes hos vocant) adeat consulátve. Sortes verò, quæ non ad diuinationẽ, sed ad electionem sunt, non omnino ab vtilitate humanæ vitæ absunt, quòd comparationem tollant: Vnde, optimè in eligendis magistratibus, Venetiis, sors voluntati admixta est: etenim & apud Apostolos, olim Matthias, sorte, non iudicio prælatus est Barnabæ, quem constat fuisse optimum virum: sic apud Plautum, senex, vxorem pro villico suo sortitur. Sunt & qui diuinandi modis, ad prudentiam humanam vtuntur, commodaque vitæ, certius, quàm ex præscientia illa admirabili, velut cum de furto quæritur, Adornant suppositiium vatem, nempe gallum gallinaceum, sub æneo vase coquinario collocant; oleoque superiorem illinunt partem, quæ ab igne exusta, fuliginem traxit nigerrimam; inde, omnibus vocatis qui ea in causa suspecti creduntur, quibusdam precationibus gallum adiurant, vt cum tetigerit culpæ conscius lebetis summum fastigium, illum cantu prodat. Multi sunt, qui tam pulchræ inuentioni credant, tum maximè, cùm vati, præmium ob hoc, non leue propositum fertur: Accedentes igitur qui expertes sunt criminis, tangunt securè: at qui se nouit conscium, simulat se tangere, nunquam canente gallo, expeditâque fabulâ, qui scelus patrauit, candidum habet digitum, cum reliqui omnes, oleo & fuligine tinctum habeant: tangentes enim, denigrantur in digiti summitate. atque ita callidè dum putat se à culpa eximere, maleficium reus prodit.

Tim. I.

Reliquarum partium nunc exequamur industriam. nam & incestus nomine, nunc omnia libidinis nefariæ genera intelligimus: nihil aliud quæritur in omni scelere quàm peccati participatio: Hominem noui patritium, qui nunc etiam viuit, si tamen patritius tanta cum impuritate, aut viuere cum tanto scelere dici potest: hic enim, totam domum vnam euertit, Ticini studens; erant autem in domo, ancilla, matrona, cum filiis duobus, duabusque filiabus; ancillam occupat primò, inde dominam, quamvis non secundum poëtæ præcepta dicentis:

Fac domina potiare prius, comes illa sequetur,
Non tibi ab ancilla est incipienda Venus.

Verum hoc, vt dubium tamen, anteà reliquerat, dum dixit,

Quæris, an hanc ipsam prosit violare ministram?
Talibus admissis alea grandis inest.

Itaque huic optimo viro; bene cessit hoc initium: solicita enim de pudore suo matrona, nefarium virum non audebat reiicere à filiabus. Erat autẽ altera annorũ decem ac nouem, altera quindecim: in filiis, causatus est domi solitudinem: & quamvis nefas illa intelligeret,

occurrebat, illud quod in his quæ ad pudorem pertinent vix fallit:

Aut nunquam tentes, aut perfice: tollitur Index,
Cum semel in partem criminis illa venit.

Sed hæc nimis in tam scelerata re, plúsque intelligitur quàm volumus; sed non quod volumus: forsan hoc esset tutius, vt libri omnes tam pernitiosi exempli, igni mandarentur, velut libri de arte amandi, & fabulæ Bocatij; hoc ad Reipub. bonum pertineret: quæ enim populos, ad seditionem impellunt, si igni tradantur; cur quæ corrumpunt, relinqui debent? Sed forsan quæret quis, quid inter venenum, veneficium, philtrúmque intersit. Venenum est, cum mors quæritur, quale in boletis ab Agrippina Claudio subministratum fuit: Veneficium, cùm amor, læsâ tamen mente, quale Caligulæ Cæsonia; Antonio, Cleopatra, dedisse creditur: Ferunt Lucretium poëtam, tam vehementi veneficio peritum, vt seipsum interfecerit. Philtra, amatoria sunt, sine offensa. Est etiam veneficij genus, quo dæmones putant euocari. Antiquo enim tempore, pro semen deo Molochio sacrificabant, quod Moses sanctè prohibuit: Alij, humanas immolauere victimas, è quibus olim fuere Athenienses, Lacedæmonij, Carthaginiensésque, Scythæque: Et Romani qui ab hac consuetudine Carthaginienses retraxerant, ipsi (superstitione suadente) bello secundo Punico, duos viros ac totidem fœminas insontes, viuos sepelierunt. Verùm, quid mirum de antiquis, cum etiam nunc referant, Idolorum cultores Indici maris, hoc facere: Constat sanè Moab Regem, immolato primogenito filio suo, super muros, obsidione liberatum, cùm ob id, Iudæi illam reliquerint. Est autem his proxima præcantatio, quæ & antiquissima est. Vnde Homerus,

Ω'τειλὼ δ' ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο,
Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπ' ἀοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον.

Id est,

Vulnus autem Vlyssis magni ligarunt scitè, propter carmen autem niger sanguis sistebatur.

Multiplex hæc etiam, non ad sanguinem solùm sistendum, sed ad dolores sedandos, præcipuè dentium; in qua causa, euentus artem quandoque comitatur; eiusmodi penè sunt Domorum expiationes, de quibus apud Homerum,

Οἶσε θέϊον γρηῦ κακῶν ἄκος. οἶσε δέ μοι πῦρ,
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Id est,

O anus fer sulphur, remedium malorum, atque adfer mihi ignem, vt suffitum in ædibus faciam. Vnde sulphur & nunc, ad depellendos dæmonas creditur habere virtutẽ. Sunt & qui præcantationibus, in eculeo dormiunt, putant nihil has valere, si funis per muri fracti foramen reducta, repente illum ac nescium trahat, cum pertinaces ac mortis timidos, silentium tegit: Mira tùnc ministrorum diligentia, tondent, radunt, purgant, denudant, vbique latere putantes præcantationem: sed valeant præcantationes; vnum mihi illarum admirabile exemplum legisse memini, seu ad sacrificia idolorum referas, non contendo: Hoc autem tale est; cum sub Aureliano Imperatore, Marcomanni Italiam vastarent, consultis Sibyllinis libris, intellexerunt quædam genera sacrificiorum peragenda esse, quibus perfectis, ita barbari obstupuerunt, vt nec retrocedere, nec procedere, nec vnà manere scirent: sed hærentes & sparsi, Aureliani exercitui se obiicerent, atque intra breue tempus ad vnum omnes cæderentur. Sunt & quædam naturæ miracula præcantationi similia, vt cum ad eum quem occiderit, aut vulnerauerit, qui hoc peregit, intra horas septem, paulòve plus aliquando, accedat; sanguis, è vulneribus etiam prorumpit. Rhodiginus noster credit, sanguinem in vltionem iam commotum, percussoris illius intuitu, inundare, defluerèque à locis his, quibus pateat exitus. Multa sanè mira, quæ præcantationi tribuuntur, opera naturæ sunt: alia etiam hominum figmenta: Facile enim est intelligere Aureliani sacrificia, non fuisse in causa vt barbari cæderentur, sed ab infensissimo Christianorum hoste, confictam fuisse fabulam, cum tantum eleuet Tyaneum illum, miraculáque de eo absurda narret, tum Christianis apertè detrahat: Ergo manifestũ, quantùoi voluntate nimis anxia nocendi, sibi fidei detraxerit ab historia, & à conficto miraculo, Religionis suæ autoritatis: poterat præterito nomine Christianorum, Apolloniíque, multum nostris sacris detrahere. Ergo quàm pauci nunc cum iudicio scribant, qui antiquos contemplentur, vsque adeo diligentes, facile est intelligere. Sed ad rem redeo; Extrema pars dæmoniacæ sapientiæ est Dolus. Sunt autem eius genera multa, prodere, decipere, compilare concredita, alchymisticam exercere, syngrapha falsa conscribere, adulterinam monetam fabrícare, dolóque (quod leuissimum existimatur) rem subtrahere. Satis intelligis, cuius generis Sapientia sit, quæ vltimo est digna supplicio: euertit ciuitates, perniciosáque est Reipub. hæcque sola, indigna est vt sciant. Nam cum non alio differat is qui nouit, ab eo qui ignorat, & tamen mala patrare vult, quàm quod ille qui sapiens est, mala ipsa exercet, assequitúrque flagitij sui finem: Vterque autem, ex æquo reus est, tam culpæ, quàm pœnæ: nihil aliud igitur maius habet hic Sapiens, quàm facinoris detestabilis effectum. Præstat itaque (etsi cupias tentésque perficere) hoc nescire: quantò magis (cùm multa agamus, quia scimus, sperawúsque finem intentum à nobis habitura) melius erit nescire quàm scire? ergo cum bonis, sceleris odium sit propter culpam, iuxta illud,

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Malis vero ob pœnarum atrocitatem; etenim

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Vtrique expedit hoc nescire; bonis scilicet vt culpam fugiant quam ex scientia ipsa subeunt, cùm ad ea mala animus paululum ex commoditate flectitur: malis vt pœnam, quã patrato scelere dant: Neque enim Ioannes Lignarius, qui nuper crematus est ob adulterinas tabellas, si nesciuisset quomodo illæ facile latere potuisset, tantum facinus ausus esset. stupidos aut mortuos eligunt testes, quósque facile possint euertere sensu. Est tamen (vt in omni genere etiam pessimo)

summæ

ſum mæ induſtriæ quædam laus.nam & Circe & Medea, tanquam veneficæ clariſſime celebrantur:ſic & Horatius nimium ſuam Canidiam, & Lucanus Erichonem, de qua in Pharſalicis:

Hos ſcelerum ritus,hac dira carmina gentis
Effera damnarat nimia pietatis Ericho,
Inque nouos ritus pollutam duxerat artem.

Credo inquam, nullum genus vanitatis vberiores nugas,poëtis ſuppeditaſſe.atque ob id celebratam artem,omnibus in id certaminis genus deſcendentibus;Homero & Virgilio in Egloga Pharmaceutria, & Theocrito atque aliis. Verum Apuleius rem hanc ſeriò agit, non ſolum longâ illâ Aſini fabulâ, & ſparſis de hoc paſſim documentis:ſed in Apologia ſeorſum, vbi nihil magis videtur velle, quàm ſua vitia prodere; forſan exiſtimans quod veneficij ars, amotéſque puerorum, & hæreditatis ingens, calliditate parta, magnæ laudi tribui debeant:ſed hæc, potius quæſita quam impetrata,illa verò fabuloſa:At, quòd omne ingens opprobrium, apud ſceleratum principem,gratiam conſequi poſſit,declarant Locuſta,Tigillinus, & Tyrydates olim apud Neronem. Nam Locuſta venenum compoſuit, quo Claudium patrem fratrémque Germanicum & Burrum,Imperij ſui autorem,ſuſtulit:ob id ergo,meruit vſque ad vitæ exitum illa chara eſſe,atque in precio. Tigillinus ob ſcelera,ob crudelitatem & luxum, in adminiſtratione perpetuo perſeuerauit. Quid Armenius Tyridates, qui ob excellentiam magię ac veneficiorum regnum accepit Armeniæ:& in diſceſſu,millies ſeſtertium, dúmque maneret, in ſingulos dies nummûm centies mille? Et apud Tyberium plures ob egregiã libidinis,aut comeſſandi pertinaciam, honores ac præmia conſecuti ſunt:Ergo in omnibus malis,& fortuna & apex aliquid poſſunt. Veruntamen, ne qui valde admiretur, quòd Medici hæc ſcelera non admittant:Sapientes enim plerunque cum ſint,rarò hoc genus Sapientię,quod ad ſtultitiam magis attinet,amplexantur:carent igitur vitiis adeò manifeſtis,adeóque periculoſis, qui aliquid ſani in mente retinent. Ergo quales ſint horum vitiorum ſpecies iam dicamus:etenim quamvis longo interuallo diſtare videantur, omnia tamen ſcelera, ad Vim vel Dolum,præter amatoria reducuntur:vnde & illa, niſi multiplicia ſint, omnibus ſunt leniora: tum verò præcipuè,quod reliqua, nullum à natura fomitem ſuſcipiunt:At fallere vel cogere, non nobis à natura inditum, atque eâ causâ Cæſar fidem frangendam (ſi modo frangenda eſſet) ſolum regnandi cauſa exiſtimabat, iuxta Euripidis ſententiam.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Id eſt,

Siquidem iniuſte agendum eſt,regnandi gratia id pulcherrimum eſt,in aliis pietatem colere oportet. Nunc equidem, ſiue iuſtitiam, ſiue fidem ſeu pietatem dicas,non admodum intereſſe puto: ſatis enim arbitror eſſe, vt homines intelligant,quàm ſtultè ob exiguam rem, omnia iura diuina humanáque, ac etiam naturæ confundant: tales igitur nimirum, eſt, breui ſcelerum dare pœnas. Inter hæc tamen vitia minima ſunt,in quibus dolus ex compoſito ſtruitur. Memini autem me vidiſſe non pauca. Semel enim cum in Saccenſi oppido morarer,aduenit ſycophanta,exploratum habens, apud ſenem quendam præparcum ac ſolitarium, eſſe circiter ducentos coronatos: in corte igitur illius,tabulam defodit æream, marcidam ac literis quaſi obſoletis,continentem hanc ferme ſententiam:Sub hac defodito The. (hoc erat ſanè manifeſtum iudicium.) Occultauerunt igitur tabulam iuxta ædes, cũ cortis murus,humilis eſſet:inde, palàm Venetiis profitebatur, ſe omnia quæ ſub terra laterent,facile inuenturum,fortè aliàs ſeni perſuaſum fuerat,latere in domo ſua, ingentem auri atque argenti quantitatem,(ſeu quòd ad hoc, aliqua coniecturâ bonâ inductus eſſet, ſeu an alio, qui eundem dolum moliretur,hoc illi dictum foret)Aduenit ſycophanta, prædicat de ſe mirabilia,rogatur à ſene, pollicetur omnem operam: vt ad locum venit, docet quantitatem ac profunditatem: dicit etiam, ſubeſſe æream tabulam, literis quibuſdam inſcriptam.defodit clam ſenex,inuenit tabulam, oſtenditque ſycophantæ, rogat de theſauro recondito, dicit, opus eſſe vt Venetias reuertatur,quòd & aliis cogatur operam ſuam impendere,caueat,ne quicquam defodiat ſe abſente,quod non ſolùm fruſtrà,ſed etiam cum periculo id facturus ſit: ſcribat, poſt tres dies venturum ad ipſum,ſed opus eſſe in peragenda re, vaſa ſtanneo; dat ſenex pecuniam ad emendum;ille duo emit vaſa, ex toto ſimilia atque æqualia;interim literæ à ſene veniunt; cùm primùm tres dies elapſi fuerant, aufert ſycophanta imaginem ſigilli integram, ſeruátque ſeorſum,inde,ſocio vas vnum dat, redítque ad ſenem cum vnico vaſe:Socius diuertit in cauponam;rogat ſenex vt abſoluat negotium, paciſcitúrque de pecunia:ſycophanta dicit opus eſſe ſacrificiis, nec poſſe erui aurum ſine auro, argentúmve ſine argento:nõ plus defodi poſſe, quàm inditum eſſet, nec mentiebatur,nullum enim aliud aderat aurum vel argentum:ſolùm opus eſſe, vt maneat ibi quod ſepelitur,quandiu peragitur ſolenne ſacramentum,quod Miſſam vocat vulgus. Tandem impletur vas auro argentóque à ſene, vt nihil reliqui eſſet in domo:Sentit ſycophanta pondus,ſociúmque iubet tantundem plumbi & adulterinorum numorum in reliquum vas mittere; ſenex claudit ſuum, & ſycophanta reliquum,imponítque imaginem quàm è literis eraſerat,iubet ſenem ſigillo vas ſuum claudere. quid tandem?duo paria vaſa erant, formâ, pondere, atque eadem imagine munita: collocauerat & retro ſenem tabulam; iubet depoſito iam vaſe illam imponere, vertit ſe ſenex:ille vaſa permutat, inane reponit, aureum ſurripit:iubet & aptius collocare,abſceditque ille,aptat vas, videt imaginem, ſentit põdus;quis dubitaſſet?tandẽ terram imponit. Sycophãta ad ſacrificium ire ſe ſimulat, monet etiã,poſt ſacrificium illi neceſſe eſſe, paululum abeſſe, quarundam aliarum domorum cauſa: attamen illico, vt ſe expedierit, ad prandium rediturum: abit, conuenit ſocium, diffugiunt ambo:Senex cum hora trãſiret,nec vſquam ille appareret, cœpit dubitare;ſed tamen de quo dubitaret non habebat; tandem

circuit villam, suspicione plenus, domum defatigatus reuertitur;nec dum audet defodere vas: Incusserat illi religionem, si se absente, defodisset:quasi sibi metuēs ne à sene deciperetur. Tādem ne per noctē illic maneret, effosso vase, primò lætatus est:existimabat enim, illum aliqua arte, oculis delusis, vas ita surripuisse, vt nullum illic esset:sed vt aperto vase videt plumbum, ferrique fragmenta, & nummos rationum:dolore maximo & amentia correptus, breui migrauit è vita. Similem euentum Papiæ accidisse ad vnguem referebat pater meus. Quid plura dicam, cùm etiam audeant de his coram iudice contendere? Bernardus Gallus, vir mihi notissimus, ac sycophanta celeberrimus, cum Vincentio, nostro ciue, paciscitur trecentis aureis, se docturum conficere ex luto chrysocollam, sciebat enim ex quadrante excipere, sed vtilitatem superabat sumptus. Vincentius existimabat, illum scire vertere ex pondere:qua industriâ Venetus quidam ditatus est. Dat ergo pecuniæ partem; Vt comperit, experimento rem non succedere, repetit datas pecunias; ille residuum postulat;res sub iudice acta est diu. Cum ille, tantum extracturum se pollicitum affirmaret, hic, facturum, quod ars damnosa non solcat trecentis aureis emi. Idem, Paulum Illyricum atque alium Gallum, spe factitandi cœlestem illum colorem (aliàs cœruleum dicunt) qui proculdubio ex Armeno lapide trahitur, ac in precio maximo est, vt etiam aurum superet, omnibus facultatibus euertit. Erat autem Paulus Illyricus Pharmacopola, & amicus meus antiquus, quem ego monueram sæpius, sed tamen homini persuadere non potui, & nunc, vix arte familiam sustinet. Factitant alij falsas gemmas, mercatoribus vendunt, plerunque habentes & veras, vt qui decipi adulterinis nequeunt, permutatione cum natiuis fallantur. Alchymia omnibus adeo nota est, vt nemo illi iam fidem habere debeat: & tamen non desunt indies, qui patrimonia integra in tam aperta deliramenta, seu fraude: seu amentia effundant: Credo, allecti spei dulcedine, quanquam ementitæ: imitantes illos, quorum non paruus numerus est, qui magis fauent medicis, spem præter spem, de ægro pollicentibus donec moriantur: quamvis ignorantiæ non obscuræ infamia laborent, qui non moriturum certis indiciis prædicunt; quòd in aperto etiam mendacio, quoddam dulce pruriat: cùm quæ volumus audimus. Sic Franciscanus quidam, gloriæ cupidus etiam malè partæ: tribus sacerdotibus persuasit, se admodum peritum in transmutandis metallis: cúmque magnam quantitatem pecuniarum huius rei gratia, contraxisset, ædem sacram diuæ Mariæ quæ extra oppidum Saccense est, nec non domum in qua habitarent Franciscani, non solùm aptè, sed etiam pro loci qualitate sumptuosè exædificauit; interim vasa ostendebantur: peracto negotio, vir ille nusquam apparuit: Ædes manet, & vt dicunt Monasterium pudebat illos quicquam petere, non solum quòd non esset, à quo exigerent, deessentque testes numeratæ pecuniæ, sed etiam quæ vt diximus habeant hoc in se flagitia, vt cum quis manum dederit, non solum pœniteat facti, sed etiam pudeat. Vnde tutius est, adegisse semper socios: nam dum abstinent, res in periculo apud autorem manet: cùm illos in flagitij societatem traxit, pudoris vinculum eos continet: Quamobrem lex reuelantibus non solum veniam, sed & præmia largitur, quod verecundiæ vis, timori pœna opponatur: nec facile sit diuinare, quid superare, debeat: Erant & qui existimarent, Franciscanum non vituperandum, quòd religionis causa, fœneratores supplantasset: adeò hominum iudicia peruersa sunt. Reuocat me Franciscanorum memoria ad cuiusdam facti recordationem. Conuenerant aliquando cum pictore satis bono, (sed vt est eiusmodi hominum genus irritabile ac leue,) cum in pactione, Franciscani de vino nullam fecissent mentionem, negabant se debere, ille iratus, deductis linteis, dum virginis funus pingeret, iuxta conuentionem pinxit: & Apostolos motionum habitu, cum affinibus Mariæ saltantes, & beatum Martinum, inflantem tibias. cumque illi sub operis fine, pecunias pactas dedissent, quòd ille dissimulatâ irâ, eas ad vini emptionem necessarias sibi fore dixisset, perfecto opere delusos se videntes, accusare illum cœperunt: tum ille, quid mecum conuenistis, nonne vt funus Marię pingerem? nonne pinxi? dixistis nil pręter pacta obseruandum, placuit sic reliqua pingere, cùm nullum de hoc inter nos pactum intercederet: nam neque ego conquestus sum, quòd vinum non dederitis: & si pingendi consuetudinem ac funerum opponitis lachrymas; hoc vobis prodesse non debet; cum & ego, pro consuetudine vinum peterem, & negaretis: Forsan confictum quis hoc putet: ego non negarim: cùm tamen fide dignos testes habeam huius rei: sed cur mirum? nonne etiam nunc, in porticu beati Michaelis, ad nemus Bononiæ, quidam fabulas Iouis ac Mercurij, cum historia Christi ac virginis Marię permiscuit? cùm non minus hoc, illo absurdum videatur: tum maxime, cum inter Diuinitatis acta, & illibatæ Religionis exempla, nefaria Deorum antiquorum commenta posuerit. Inter dolos etiam, lepidissimus ille Ciceronianus, (ne quid desit) referendus erit, isque verbis suis (si non speramus melius nos dicere posse quàm Cicero, & quamvis deformis sit hæc sutura auri, cum lino, licet tamen & lineis vestibus, limbum apponere aureum.) Verba igitur illius sunt hæc: Caius Cannius eques Romanus, homo nec infacetus & satis literatus, cum se Syracusas, ociandi causa, non negociandi (vt ipse dicere solebat) contulisset; dictabat se hortulos aliquos velle emere, quò inuitare amicos, & vbi se oblectare sine interpellatoribus posset: quòd cùm percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, dixit venales se quidem hortos non habere, sed licere vti Cannio, si vellet, vt suis, & simul ad cœnam, hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius (qui esset, vt argentarius, apud omnes ordines gratiosus) piscatores ad se conuocauit, ab his petiuit, vt posterâ die ante suos hortulos piscarentur: dixitque quid eos facere vellet. Ad cœnam, tempore venit Cannius, erat opipare à Pythio apparatum conuiuium: cymbarum ante hortulos multitudo,

do, prose quisque, quod ceperat afferebat, ante pedes Pythij, pisces abiicebantur. Tum Tannius, quæso inquit, quid est hoc Pythi? tantum ne piscium? tantum ne cymbarum? Et ille, quid mirũ? inquit: hoc loco, est Syracusis, quicquid est piscium, hic aquatio: hac villa ipsi carere non possunt: incensus Cannius cupiditate, contendit à Pythio, vt vẽderet: Ille primò grauatè, quid multa; impetrat: emit homo cupidus, & locuples, tatri, quanti Pythius voluit; & emit instructos, nomina facit, negotiũ conficit. Inuitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature: Scalmum nullum videt, quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quòd eos nullos videret: Nullæ quod sciam, inquit ille, sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar quid accidisset. Stomacbari Cannius, sed quid faceret? Breuiore sermone explicabo; quid Teneto cuidam tabellario successerit; Is aureos quinquies mille Romam deferendos suscipiens, in vini dolio collòcat, plumboque sarcinas implens abit, dumque in luco, prædonibus infami esset, abscondit sarcinas, equum occidit, seipsum (pudet dicere, sed res nota est) paulominus viginti vulneribus fœdat, semiuiuus ad hospitium redit, conqueritur ereptam sibi pecuniam, ereptum equum, seminecem se, pro mortuo tamen derelictum. Quis secus existimasset? interim sanatur ac datâ etiam operâ, morbum diutius trahit: tandem redit, res verisimilis habetur, fideiussor, cogi lege nõ potest: quoniam exceptio tutum eum reddit. Cum tamen aliquot menses transissent, veritas rei enituit, condemnatusque est. Latrocinia, priuatis periculosa, gloriosa Regibus: quamobrẽ nec laudare illa possum, nec vituperare audeo: siquidem cum captum piratam, Alexander duci iussisset, exclamauit; O hominum conditionem! Alexãder, cùm maria maximâ classe occupet, cum Regna integra, vi occupet, Rex, & inclytus Rex vocatur; ego qui vna tantum naui, paucis sum infestus, & pirata vocor, & plector ab illo: Id cum intellexisset Alexander, iustam arbitratus hanc defensionem, (quę nil in se falsi contineret) illũ dimisit. Ergo dæmoniaca sapientia, perniciosa priuatis semper est; at Potentibus, ac Regibus, aliquãdo conducit. Optare enim ea frequenter solẽt,

Quæ nisi seductis possint committere Diuis,
At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Optimum tamen est Principibus, secundum leges viuere: Leges autem, fore bonas. Nam & si plures Principes, venefica, tãquam in communi periculo, abhorreant, non tamen illi probi sunt, qui nefas, solo metu odio habent: sed qui diuina quadam bonitate, refugiunt: videntur enim omnes viri magni, diuino quodam spiritu agi, aut dæmonio: Nam Socrates malè periit, & ante mortem somnio de die mortis admonitus est. Dion quoque spectrum in domo vidit: Caio autem Cæsari, quidnam nocte quæ cædem antecessit, cubiculi fores aperuit? aut, quid est quod Bruto dixit dum solus esset, malus sum genius tuus, in Philippicis iterum me videbis? aut qualis fuit illa augustior forma, Cassio visa in castris, quæ simillima Cæsari erat? Quid, Syllam præmonuit per somnum de imminente fato? quidve est, quod audiuit sereno cœlo, tam iucundũ? quid, vocauit è Mausoleo Neronem ante obitum? Quid de nece per somnum admonuit Caligulam? cur Antonius, discessum Bacchi ex Alexandria audiuit, nocte quæ interitum illius antecesserat? Quid, Adriano soporiferam per somnum ante illius obitum miscuit potionẽ? dæmonium sanè quod in illis erat: Nanq; humana natura, cùm efferatur, ad dæmonij vim accedit: omnes hi obitum præuiderunt, & cauere illius violentiam tamen nequiuere. Nec tamen hi soli, qui hac sapientiâ præditi sunt, violentos habent exitus: Quinimo, cùm Paulus arcana Dei, Diuino adiutus spiritu, videre potuerit: & Stephanus Cœlos apertos, & Philippus per desertum, oculis etiam mortalium se subtrahens, ferretur; omnes tamen aliena manu mortui sunt. Verum illud potius inter hos spiritus discrimen est, quòd Diuinus, iustitiæ pietatique copulatur, cæterisque virtutibus, tranquillitatem autem ac requiem, perpetuos habet comites: Dæmoniacus, cædibus & rapinis ac dissimulatione excitetur; comes illi, perpetua suspicio, ac multiplex turbulentia. Quis sanè, nisi impeditis sensibus laborantéq; animo, dæmoniacam amplecti mallet sapientiam? Sed & in hominibus, velut in ægris, infirmus gustus, dulcia & pinguia abhorret, magisque delectatur acribus & insipidis; sic vitio corrupta natura mortalium, horret optima, pessimisque adhæret; tum maximè hoc fit, similitudine horum duorum generum, quæ quanta sit ex hoc satis intelligi potest, quod Symon & Elimas magi, pro diuinis habebantur hominibus; & Christus, qui Deus erat, à multis dæmonium habere existimabatur.



DE SAPIENTIA

LIBER V.

SCRIPTVRVS sapientię præcepta omnibus, næ mihi satis fecisse videbor, si tantum illis prodesse possim, quos nondum vlla aut fortunæ violentia, aut stultitia læserit: verùm, necessarium existimaui, velut & in medicinę partibus, ac militaris disciplinę, si quicquam iam laboraret, si error nocuisset, id totum, quod ex eo periit, restituere. Videntur autem maximè tria, ex quibus homines lædũtur, vt etiam si sapientes ac prudentes sint mediocriter, fructum tamen illius sapientiæ percipere nõ possint: Primum quidem, cùm ab initio summa paupertas aut mala valetudo, hominem occupat, Secundum, cùm ex imprudentia, in infamiam aut magnam calamitatem quis inciderit. Tertium, cùm iam senescẽti, per multos casus, opportuna vitæ, fortuna eripuerit. Vtque clarius hæc expediam, tria omnino sunt, quæ vsum sapientiæ intercipere vidẽtur, Infamia ingens, Valetudo deplorata, & Mendicitas. Equidem mendicitas senectuti coniũcta, & valetudo mala ac irrecuperabilis, Diuinæ sapientiæ munere magis indigent, iã quod alio sapientię genere possint leuari: quod si nec hoc satisfaciat, vel etiam haberi non possit, ad illos scripsimus præcipuè, De consolatione libros: tum verò nec his auxiliantibus, librum De animi immortalitate, nostrum legant. Maiora enim & iucundiora, & si non

adeo certa, in granibus miseris, plus consolationis afferre solent, mediocribus quanquam certissimis: Vnde non parum ad humanam leuandam calamitatem confert, firmam habere de Religionis veritate fidē: Verùm, cum hic, nihil minus, quàm consolationem quæramus, sed auxilium, ideò ad tractandum de his, nunc descendere oportet, in quibus aliqua spes est salutis: Manifestum est autem, quòd nec in senis médicitate, nec in irreparabili morbo, vlla fermè est salutis spes. Ergo de reliquis tantum duobus membris dicendum erit; atque primò, (vt moris est scribentium) generaliter, deinde per singula diuidente capita, vnumquodque impedimenti genus attingemus. Igitur, omnis infamiæ ac decoris vna medela certissima, obliuio est. Obliuio autem quatuor modis inducitur, Tempore, Gloriâ, Mutatione loci & morum, vel Substitutione. Horum omnium fortissimum Glotia est, non quòd Tempus non omnia vincat, sed quòd abducat à memoria, simul & vitam. Atque in hoc sensu, Pindarus tam benè mihi videtur hanc auxilij ratiunem descripsisse, vt verba illius subiungere vélim, ea autem sunt hæc:

Τῶν δὲ πεπραγμένων
Ου δίκα τε καὶ παρὰ δίκαν
Ἀποίητον, οὐδ' ἂν
Χρόνος ὁ πάντων πατὴρ
Δυνάιτο θέμεν ἔργων τέλος.
Λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν.
Ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων
Πῆμα θνάσκει παλίγκοτον δαμασθέν, id est.

Horum verborum sententia hæc est: *Iustarum aut iniustarum operationum, nec tempus pater omnium, finē imponere queat, verùm bona fortuna quæpiam, obliuionem earum largiri potest: cum malorum sensus, frequentiam bonorum præsentiâ oppressum euanescat.* Conandum est igitur illis, quasi nihil seuserint, magnis conaribus Gloriam capessere: Est enim adeò inuiolabilis eius possessio ac prævalida, vt non solū in posterum deleri non possit, sed ad instar matrimonij retroagitur, opinionémque hominum immutans, facta quasi infecta reddit. Ergo stultè agunt, qui præteritorum malorum memoriam retinere videntur: stultius, ac longè, qui repetunt; eum malum ipsum cum decore coniunctum fuerit: Quamobrem scitè ignominiam suam Augustus sustulit, non solū Gloriâ rerum gestarum, sed & Mansuetudine ac Iustitia incredibili, cum anteà Mollis, Crudelis, & Patriæ proditor haberetur. Sic & Fabius Gurges ex intemperantissimo iuuene, in Censorem morum senex euasit: Et Manlius Torquatus, qui ob segnitiem ac stuporem, relegatus à patre in villam erat, audaci ac quasi temerario facto, adeò opinionem segnitiei à se depulit, vt consul (sine exemplo) mereretur creari, & seueritate tantâ in filium, quem securi percussit; omnem stuporis maculam, ingēti facto sustulit. Sp. quoque Posthumius, pertinaci assensu, quo se dedi cum collega, Samnitibus postulabat, ab infamia turpis deditionis, & Caudinæ seruitutis se liberauit. Vnde T. Liuij admiranda, verba subiicere placet, ea sunt: (*vt clariorem inter Romanos deditio Posthumium, quam Pontiū incruenta victoria inter Samnites faceret.*) Paulus quoque, infamiā persequendi Christianos inuisus, immensa fortitudinis & tolerantiæ exempla reddidit: Et Augustinus, hæresi infamis, pro lege Christiana, & ipse gloriosè adeò depugnauit, vt non magis illi, Manichæi nomen, quàm Paulo persecutoris, obiici posset: Sed nec adhuc vtilis solùm est, Gloria virtutis ingens: verùm, inuidiā superare potest: Namque præter mortem inimicorum, magna Gloria aut Ingens beneficium, illam tollere tantùm queunt: eadem, in nouis dominationibus, in vili etiam stirpe, auxilio maximo est: Optima in Principe, Gloria, quæ ex re militari habetur, non ex reliquis virtutibus: Nam, quo consilio Pericles tot bella gessit? an ad vtilitatem Atheniensis populi tantùm, quem prope perdidit? an potius ad firmandam dominationem suam? Equidem ex bello, nouo Tyranno, quatuor magna cōmoda aduenniunt; quibus firmius retinere potest Tyrannidem: primum est, magnitudo Gloriæ, qua apud populum, ille maximè dignus videtur Imperio, qui etiam maximè illud tueri, administrare, augeréq; potest: secundum, quòd populos ac proceres, ad parendum assuefacit, vt non tam leuiter postmodum, in illum arma eōuertere audeant. Neque enim Imperia Belli, & Pacis, similia sunt; nec inuicem comparanda: eùm in bello, ex simplici edicto, vitam ad manifestum periculum exponant: vnde, assueti parere, non tam audaces ad tumultum redduntur: interim etiam occupati animi; nec tam facile, quæ patiūtur ex seruitute, animaduertunt, nec tam prompte, (vt qui ex ducibus iam pendeant, non ex ciuium consensu aut fortunis) in Principē possunt coniurare: quartum est, quòd pugnando, aut morientes odium in tyrannum deferunt, aut viuentes, illum habent chariorem, pro quo vitam exposuerunt, cuiusque vtilitati consulere: additur & his, aduersus proditores, præsidium, cum ex frequenti mutatione occasionem capere non liceat: Ergo Phalaris & Agathocles & Nabis perpetua fermè bella gessere: Eadem verò ratio, & in his, qui non ex stirpe Regia existentes, Regnum tamen arripuerunt: quamobrē Darius, qui tam facile victus est ab Alexandro, cùm non hac viâ, partum Imperium tenere tentasset, leuiter ab Alexandro pulsus est, inuenítq; sui proditores multos; alios, qui mandata Regis deseruerunt; alios etiam, qui non pro illo (& hi maxima pars suorum erant) depugnarent. Quod si Persarum Regnum, in Xerxis & Artaxerxis prole fuisset; non tam leue fuisset Alexandro, Asiam occupare: Quare & hoc ad Alexandri fortunam multum fecisse videtur; Darium hostem, non ex antiquo Persarū Regum sanguine, extitisse. Verùm si Regnum amplum sit, & vir qui illud occupat, valde humilis, vltra Bellicam virtutem, etiam Religionis auctoritatem adiungere sibi debet: Quod Dauid & Vespasianus fecerunt, cessitque optimè res: Numæ verò, quamuis Regnum esset exiguum, quia tamen Virtus Bellica aberat, Religionis commentum, fuit necessarium. Ergo, quando facillimè occupabitur Regnum, & quomodo in noua administratione sit retinendum. facilè est intelligere: cùm verò Religio in populis multum possit, nec eius opinio nutriatur, nisi cum Iustitiæ fama; Necessarium est, Tyrannum qui diuturnus esse velit, vel nouum omnino Principem, tueri Iustitiā: Quod

si nouo

si nouo Principi, antiquæ familiæ & proceres obsistent: duabus legibus tantùm, facilè occurritur, atque etiam omnino sine iniuria: primã iam diximus: altera est, vt nullo magistratu nullâve dignitate fungi possint, ni creditoribus plenè iam satisfecerint: quæ lex, olim Romanis in vsu erat, vt ex Tranquillo in Dictatore apparet: qua fit etiam, vt in reliquos, tanquam sordidos, audaciùs agere liceat. Sed iam vt video, extra propositam rem egressi sumus: Nam Temporis causa, à nobis exploranda est, quonam illius auxilio infamia possit extingui: Ergo in mediocribus ac lenibus causis, si nouũ nihil aliud superueniat, Silentium & Incuria, omnem memoriã factorum obliterare solent: Studeat igitur, ne reuocando in memoriam, diutius eam producat: Quamobrem nec serat de illa re sermones vnquã: interim nec à causa illa in totum discedat; nec eam prosequatur: sic, multis post longum tempus, quotidie restituũtur honores; longeq; faciliùs infamibus, quàm his, qui propter inuidiam dãnati sunt. Non ignotum fuit Romæ, Cæsarem cùm M. Crasso & P. Sylla & L. Antonio conspirasse: euanuit tamen fama, succedente tempore, atq; in vniuersum, Non conuicta crimina, famam quanquam lædãt, homines tamen audaces, ad obtinendum magistratus non deterrent: multò ergo minus, in quibus non crimen, sed iniuria, aut casus, infamiæ causam præbent. Sunt &, qui falsò in eadem causa, accusari curent, vt falsum crimen, vero fidem abroget: In quo etiam genere, quidam conuicti scelerum, ea miscent, quæ nec verisimilia sunt, vt iudicium dissoluatur aut trahatur: Tertium genus auxilij, à Loci mutatione tum Morum habetur: nã cum permutatur locus, absentia obliterat infamiam in patria; & ignorantia, non sinit extra patriam, illam ali. Et mehercules, (quemadmodum in recuperanda corporis valitudine) sic non vno modo, exitus è patria, multa persæpe commoda ad leuandam infamiam adducit: Desiderium primò absentis, Commiserationem fortunæ, Obliuionem sceleris aut iniuriæ aut saltem qualitatum eius: neque enim vlla est rês, tam turpis aut fœda vel flagitiosa, quæ, si non circumscribatur, non admittat apud plures defensionem, vel excusationem: minuit etiam absentia, inimicorum odium, fomitem omnis liuoris omnísque maledicentiæ. Itaque Timoleon cum fratrem occidisset, secessit à patria per multos annos. Eadem fermè ratio illis conducit, qui Principis iram timent; semper enim in absentes, non solùm maiore difficultate, sed etiam minore sæuiunt iracundia. Extremum auxilium in Substitutione est, velut cum latro Religionem ingreditur, vel omnino contraria vita, anteactæ subiicitur; vt cũ luxui parsimonia, vel auaritiæ magnificentia eximia succedit. Sustulit & audax factum, retinendi Romanos ciues post Cannensem cladẽ, in patria, omnẽm priorẽ eneruis ac mollis vitæ, Cornelij Scipionis Africani opinionem. Itaque studendum est, optimis ac præcipuis auxiliis; atque vbi vnum non succedat, plura, (velut in funibus) melius pondus infamiæ ferunt: sunt & in hoc genere, defensiones Apologiæ, certamina singularia, quibus omnis, quantumvis grauis infamia deletur.

At verò Paupertatis incommoda leuius expelluntur, sed difficilius: ars tollendi illa, docetur, cùm non generaliter, sed per capita tantùm, ea possit explicari: Sed tamen, cùm de Iniuria, prius aliquid dictum esset, sermonem de illa absoluamus. Omnis iniuria, quantum ad ad eum ad quem pertinet, obliuione tradenda est: nam cum non recordaris, non secus est; quàm si non eam acceperis: Quamobrem optime mihi videtur Euripides dixisse:

ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφὴ,
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν εὐκταία θεός. id est,

O veneranda obliuio malorum, quàm es sapiens & calamitosis optãda Dea. Probat & hoc, Aristotelis in libello de virtutibus, sententia; volentis ad magnanimitatem pertinere contemptum vitæ, honorum, atque iniuriarum: Ad eum verò qui intulit iniuriam sic paratum esse expedit, vt cognoscat potuisse sed noluisse vlcisci. Aliter, illud tibi continget Laconicum, Veterem ferendo iniuriam, irritas nouam: Quonam pacto igitur intelliget defuisse solam voluntatem? si te amicis fultum ac potentem agnoscat: multis assuetum prodesse: nocere nemini. Qui omnem minimam vlciscitur calumniam, nunquam in magna iniuria, videri poterit voluisse cõdonare. Stultè igitur existimãt quidam, Socratem, Diogenem, Zenonem patientiâ solâ fuisse ab iniuriis tutos: non enim patientia ipsa tutos, sed admirabiles reddidit, potẽtia verò & auctoritas defendit illos. Quid est, quòd bis, térve, aut quasi volentes iniuriã tulerint? Quis hominum ac prope Regum dicam, qui nunquam in vita iniuriam passus sit? pudor ergo & timor, illorum hostes, sicut & reliquorum hominum, ab eorum offensione prohibuerunt. Veruntamen, nec omnis etiam iniuria ex æquo ducenda est, sed quæ, pertinaciâ & scelere caret: Nam quæ cum scelere cõiungitur, prorsus est vindicanda: quòd cum iniuriâ, iactura etiam publica coniungatur. Næ igitur male constitutum à legibus credam, heredem, qui non vlciscitur defuncti iniustam necem, hæreditate indignum, ab illa excidere. Quanquam & hęc lex, cum multis boni exempli, antiquata sit. Sic & pertinax offendendi propositum, ad securitatem tuam spectare videtur. in qua, nulla lex, nullum consilium dissuadet, quin magis, malè velis alteri esse, quàm tibi: Mihi tamen vindictam, & ego retribuam, dixit scripturæ sacræ auctor Spiritus: negabone? Sed eodem suasore opes omniáque commoda relinque, (perfectionis enim & non humanæ sapientiæ hoc præmium est,) vt etiam viuens, beatus sis. Sed iam ad ea veniamus incommoda, quæ singularia sunt, (quandoquidẽ vt dictum est, etiam omnia quæ ad paupertatem pertinent depellendam, præcepta singularia sunt) illud tantùm docentes, Principi nullo modo expedire, vt iniuriam à subditis patiatur; cùm nec eum ferre debeat, qui iniurius in suos magistratus, vel etiam contemptor legum sit: nec tamen sæuiendum, vt Tyranni facere solebant. Eccelinus Phalaris Italus, exitiũ familiæ suæ, nimiâ crudelitate peperit, Ioan. Galeazius, sibi. Igitur ad reliquorum curam, duabus rationibus cõmunibus opus est, altera quam Græci verterunt in prouerbium *γνῶθι σεαυτόν*, i. *Nosce teipsum*, altera, vt quod per te videre non potes, ab alio discas, amico fideli atque prudente, qui non plebis iudicium infideles,

dele, iniquum, damnosum respiciat, sed ipsam rectam rationem, meliorúmque consensum. Difficile est & hoc sanè, alteri se credere, cum non leue sit, sibi ipsi Oportet & aliquam spem in calamitate collocare, dierúmque euentum obseruare, tum occasionem: ac cum venerit, arripere ac retinere. Multi enim cum sæpius, à fortuna, ad dignitates ac opus; restituti sint, stabilem ac tanquam cubũ sibi eam fingunt: Itaque vtrunque extremum cauendum est, & Desperatio in calamitate; & Securitas in fœlicitate: vt ex illa, contẽptus ac noua spes recuperandi, incidat: etenim his qui humanas res tractãt, non frangi animo, sed in diuersis bene sperare, iuxta poëtæ sententiã dicẽtis, expedit:

Multa dies, variusque labor mutabilis æui
Retulit in melius: multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

At verò, animo constanti multæ se inferunt occasiones, quæ hominem seruant: multa etiã, studio ac industria perficere licet: Illud te non ignorare volo, Omnium magnarum rerum, (quod etiam aliàs diximus) exiguos esse ortus & imbecilles; quapropter, etiam in minimis, non negligenda cura. Memini, cum Florentiã irem, ascendentibus nobis Apenninum, obseruasse, quod Geometræ dicunt, longiorem lineam, minorem, ad parallelum, angulum facere: ob idque, tutiùs minoréque cum difficultate & equi lassitudine, iter agebam, admirantibus cunctis; vt omnes me vnum sequerentur, qui nunquam iter illud fueram ingressus, ipsis, viæ gnaris: quidam antea ex illis, etiam sub equo ceciderant: vel mirum, nostra minimis constare, cum & nos ipsi, minimi sumus: At verò, ne quicquam è diuerso, tanquam esse non possit, paruifaciendum: Plura enim sunt extra opinionis nostræ fidem, & intellectus magnitudinem. Plerunque illud enim accidit, quod Virgilius Æneæ, futurum, sub Sybillæ persona prædixit, dicens:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito
Quàm tua te fortuna sinet, via prima salutis,
Quam minimè reris, Graia pãdetur ab vrbe.

Quis inuenit in Musica curam venenis? corãque coxendicis doloris? ergo minus mirum, tã euidenter excitari mentes, cùm etiam corporum affectus illis subiaceant. Ferunt Agamẽnonem, reliquisse domi musicum tam excellentis artis vt Ægistus potiri nõ potuerit Clytemnestra, nisi musico occiso. Longè igitur magis dolendum est, musicam illius amissam, quàm Doricum modum, quo Alexander prosiliit à mensa. Neq; tamen, contraria ratione, omnibus fidendum, sed delectus habendus: atque si peccandum: tutius, non credendo vera, quàm falsis, fidem adhibẽdo peccatur: meliusque longè est, carere fido consultore, quam habere infidum. Vnus narratur Ventidius, rectè vsus proditoris Pharnei Cyrrestensis societate: cùm enim ille, missus à Parthis pro exploratore, Ventidio duci exercitus Romani se insinuasset, dolus dolo victus est: Omnia enim dux exercitus, illi patefacere simulat, ille rursus Parthis renunciat, quæ illis pessima ex vsu forent: quoniam amicum, Vidio se frustrà crediderat: quamobrem illi, cum Crasso rem agere putantes, quam amplissimo ciui Romano victoriam extorserant, seruo concesserunt: sed hoc Ventidius, quamuis illum deceperit, vsus tamen est eius consilio, quanquam rari sint Ventidij: Enimuero perniciosum nimis est Principi, à prauis vel adulatoribus aut imperitis consuli, vel qui vitio iræ aut odio liuoria detineantur: Docent inutiles pecuniarum profusiones; inde noua excogitant vectigalia; auaros & ingratos, (sic enim appellant qui parciores erga hos lurcones sunt) multis ac magnis probris insectantur. Ergo inter tot conspirantes aulicos, rectè Princeps etsi ἐξ ἀδάμαντος esset, diiudicare poterit, vel suam retinere integritatem. Peccat autem, non solùm populos spoliando, sed ditando parasitos illos, imò grauiore exemplo, sint pecuniæ principũ, solius præmia virtutis: At vectigalia noua, vel graues exactiones, necessitatis tantùm causa imponantur: Ergo, cùm effundere intemperãter & exugere violenter assueuerint, paulatim in alia probra deueniunt, cædes, sacrilegia, stupra, adulteria: fiuntque antiquis Tyrannis lõge deteriores: siquidem Dionysius senior, cum filium deprehendisset adulterasse, dixit, Num talia in se vnquam vidisset crimina? tũ filius, At tu patrem non habebas Tyrannum; indicans, quasi cum cuperet, defuisse licentiam: tũ Dionysius? Et tu si talia facere perges, filium non in tyrannide relinques: quod & euenit. Succedũt ex his, si non deteriora, sanè procul dubio turpiora, contemptus scilicet Superũm, opinio impia quæ doceat confidendum esse viribus solum, ac potentiæ & diuitiis, Deum vel non nosse, vel non curare mortalia: in qua sententia fuit & auunculus Plinius, dum de Deo loquitur. Ergo ea solũ fugienda, quæ vel infamiam Principi, vel exitium afferant. Hisque modis, tã perniciosi consilio, Principibus quàm sibi vtiles, per inertiã & luxum ac fraudes, ad summos euehuntur honores. Ostendimus enim in libro de Arcanis, esse Dei etiam de singularibus prouidentiam: sed adeò moderatam, vt nos, nec metu deterreat, nec vi prohibeat ab agendis; vt sit omnino, quod in nobis est, voluntarium, etiam vndequaque liberum. Nam nullo externo metu, (& si effectus persæpe) nunquam voluntas inhibetur: sola diuina animaduersio, etiam volũtatem immutatet. Itaque stulta Prodigalitas, Tyrannidis in Principe mater est, nec vnquam inuenies auarum Principem, Tyrannum; nec à Tyrannide immunem, qui prodegerit: vides Heliogabalum, Neronem, Caligulam, eò maiores Tyrãnos, quo profusiores: Contrà Antoninos duos, Alexandrum, Seuerum, Traianum, Vespasianum, tantum à Tyrannide abfuisse, quãtum à largiore pecuniarum effusione. Tuta igitur in Principe parsimonia, execranda profusio. At in occupando quæ aliorum sunt, diuersa ratione vtendum est. Philippus alienos semper ditauit, suos habuit pauperes. Expedit autem Principi, subditos habere, nec potẽtes, nec mẽdicos: illi, seditione debilitant illius potentiam: nec Principi auxiliari possunt, & cum fortunarum amissione, infirmantur & animi: vbi enim videbis in summa narum egestate, qui egregium fortitudinis exemplum vnquã ediderit? Cadit cum magna calamitate plerunque animi vis, quonam pacto igitur nutriri in ea poterit? ergo, ridiculus Agapetus? nequaquam, imò astutus, qui Iustiniano largitiones suadeat, vt nec illum puderet accipere, quod

Impera

Imperatori, pulchrum esse dare persuasisset. Meminerint Reges, nullum esse Principem absque finitimis: vbi finitimi, ibi belli periculum: vbi belli periculum, pecuniarum adest necessitas. An ergo melius est habere, sine cuiusquam iniuria, sine odio, sine malo exemplo, sine seditionis periculo, an cum his omnibus? Stomachum mouet, insulsa liberalitas Io. Patriarchæ, qui integra patrimonia hominibus ignauis effundebat. Cũ verò Barbari ex Africa Mahumetani superuenissent, exhaustum ærarium, huius ne dicam stultitiâ inuenere, atque ideò impotentes accolæ ad repugnandum; Religionem, vrbémque cum libertate amiscsêre: Hæc sunt, illius egregiæ liberalitatis præmia, hi fructus. Hei quantũ præstaret, vt qui docerent alios, ipsi per se scirent, viriq; essent non fœminæ, studiosioresque Reipub. qoàm priuati commodi: & veræ virtutis quàm auræ popularis: Neque enim vnquam res nostræ finem aliquẽ bonum habebunt, nisi cùm, abiectâ omni simulatione, omniq; vitio, tum adulatione, Verita ipsa amplectetur. Non est (crede mihi) Religio vlla, quæ bonum publicũ euertere doceat: nec vlla ratio, regendæ Reipub. vtilis, quæ à Religione disiuncta sit. Sed non hic error Principibus solis accidit; priuati etiam ipsi, malo multorum consilio pessundantur. Quamobrem illod Horatij carmen:

Nil ego prætulerim iucundo sanus amico.

Sic ego verterim vna dictione,

Nil ego prætulerim prudenti sanus amico.

Nec enim in nobis ipsis, facile est errata corrigere, nec melius illo, quicquã extra nos esse potest: comparandus primo ante omnia. Hic est, qui si vltra amicitiam & prudentiam, etiã habeat auctoritatem, iam in vno omnia te consequotum intellige: si non, multis modis quærendum est, quod ab vno, fauente fortuna impetrari poterat. Pòst verò, diligenter cauendũ, ne aberres: miseris enim error imputatur, & plus nocet: beatos, (si sit mediocris) parum lædit, plerunq; etiam latet: Multis autem modis errare contingit: grauiusque ac facilius, ab his qui calamitosi sunt, vt etiam quandoque insaniant, ob animi mœrorem vel affectum, quapropter, semper à curis animus subleuandus est. Sed si nimium opprimatur, liberant à stultiria curæ iucundæ, at nihil iucundius est Inuentione: igitur Inuentio obliuionem inducit eorum, quæ in vitâ, aduersa contigerint, atque eo modo à stultitiæ periculo liberat: sed tamen caue, ne nimiâ etiam animi intentione laborans, iosanias, fiatque remedium venenũ: fertur enim, Carpentratem Musicum, dum nimis ad artem, cuius studiosissimus erat Pontifex, elaboraret; è proprio sensu decidisse: nec tamen quicquam iucundius ædidit (Imitatus olores) extremâ illa cantione. Iuuat etiam, in his periculis, permutare curas; sed in eas, quæ prioribus opponuntur: velut ludus, paupertati, amor, luctui est medicina; sunt & qui patriam mutant. Et equidem, tria magnum momentũ afferunt miseris, Mutatio vitæ, morum, loci. Stultitia verò contrariis affectibus gignitur, Mœrore scilicet, Odio, Studio, Amore, Timore confirmatis. Atq; ideò magna res est cùm cœperit, vt cum veritate iuuetur, augeatur perseuerantia: At contrà, perseuerantes, ac sui similes, prudentes iudicamus: varios verò, stultos ac inconstãtes. Ideò difficillimum est mederi stultitiæ, & sapientiam præ se ferre. Ergo Inuentio, optimum auxilium in stultitiæ timore; optima ac perpetua in Geometricis atque Arithmericis; Vindicat ergo à plena stultitia, harum artium studium, tum maximè vt dixi Inuentionis. At contrà, artes ipsæ, à Sapientia procul absunt. Magnitudine enim studij, mouent atram bilem, & consuetudine demonstratinnis, simplices efficiunt homines; ob quam causam, omnes qui Mathematicis operam dederunt, iofœlices à iuuentute fuere, nec regula vnquam exceptionem passa est. Alienantur enim à prudentia humana, & consuetudine aliorum, sapientioresque aliis se putant, quòd ostendere nouerint, quæ alij nesciant: Itaque propemodum stulti, ac ab aliis contempti euadunt: quæ causa etiam perdidit poëtas; vt filij, Sophoclem malæ tractationis rei familiaris, accusauerint, cùm propter tragœdias, domus curam desereret: sed Areopagitæ illum absoluerunt: Succedente tamen tempore, aliqui non omnino sunt imprudentes existimati. Sunt & exercitia quæ sua natura stultitiam gignunt, velut Pædagogium; non solùm assiduitate docendi, sed irascendi frequentia, tum verberandi consuetudine, iuxta Græcum distichon:

Οὐδεὶς γραμματικῶν δύναταί ποτ' ἄρτιος εἶναι,
Ὀργὴν καὶ μῆνιν, καὶ χόλον εὐθὺς ἔχων. id est,

Nullus Grammaticus firmus esse potest, iram, furorem, & indignationem statim obtinens.

Ac etiam propter ipsam conuersationem, vt aliàs dictum est. Cum pueris enim ac mulieribus & stultis versari, Sapientiæ est inimicum, adeò vt, pueros consulam à mulierum familiaritate, cùm primùm decimum exegerint annũ, abducendos. Educati enim cum fœminis, nihil honore vel virtute aut gloriâ dignum excogitant: sed superstitionibus & luxui ac ornatui tantum intenti, nihil magis oderunt quàm quod & fœminæ ipsæ, bonos scilicet mores: an mulier, puerum de fortitudine aut studio, aut de gloria vel temperantia instruet? quatũ aut expers omnino est, aut (si præclara etiam sit) vix vnius aut duarum, labia degustauit: vnde fit, vt maxima pars eorum qui male pereunt, cum matre sola adoleuerint. Vitanda est etiã, vt diximus, ea victus asperitas, quæ multos, candido ingenio, firma memoria optimæque spei ac pudoris casti, eneruat ac corrumpit. Nihil verò supra mediocritatem exerceas, sed quemadmodum & in itinere, cum nescis, alios sequaris: adeò placet vulgo, nihil extra semitam moliri, vt qui medeantur vno tenore ac quasi ex prælo, pro optimis medicis habeãtur; putant similitudinem quæ in moribus est, etiam in arte esse laudabilem. Verum vt dixi nec in artibus; ea æqualitas seruanda est, nec temere permutanda, sed magno nixu, ac sensim, innouãdum aliquid: aut si non audes, persistendum in his, quæ quanquam bona non sint, vsus tamen ea defendit à vituperatione. Sic nec in humanis negotiis, omnibus credas, nec illa tamen, velut Geometrica tractes; sola enim illa, vere sciuntur; in cæteris, si firmam desideres demonstrationem, operam luseris: nam, non solũ negotiationes, certæ non sunt, sed nec aliud quicquàm. Scimus, sonum ex aëris vel loci concussione fieri: quomodo tamẽ

fiat,

fiat, nescimus: nam si materia omni caret, cur non videmus vltra muros? si habet, quomodo audimus? videmus, radiis luminis (quod experimento cõstat) at quid est, quod radios toties infinitos multiplicat? Calefacit Sol: quomodo? si calidus non est? Eadem ratio in opinionibus tuendis: alij, negant Astrologiam diuinitoriã: alij, pro illa depugnare parati sunt: alij, lemures circumuagari volunt; alij, vt amentes irrident, qui talia credunt: alij, Alchymisticam extollunt, alij, vanam esse putant. Tu verò vbi nec Reipublicæ nec Religionis iactura est, precariò faue opinionibus. Vidi multos qui ob inutilium rerum disceptationem, (nam quę dixi pro exemplo sunt) in graues inciderunt contentiones; Pro quibus etiam, inimicitias suscepere: at contra, ne etiam effusus sis, coràm, laudando aliquem, sed si maiut, potiùs seorsum: multi adulatorium illud præ se ferunt, quod vt dicit Euripides:

βάρ℘ τι κἀν τῷ δ' ἐςὶν αἰνεῖσθαι λίαν. id est.
Nimia laudes cum onere sunt.

Etiam in deterius exit; irrisionis enim loco plerunque interpretatur, nec pœnitentiæ locum relinquunt. Ergo illud Horatianum imitandum erit:

Virtus est medium vitiorum, vtrinq; reductũ.

Illud etiam magnâ diligentiâ deuita, ne quẽquam laudes iudicio, vel verbis, aut re, qui te tuáque non prober. Nam sic non solùm teipsũ damnare videris, sed vili assentatione in amicitiam velle insinuari, quod turpius sit an dãnosius, non facilè est intelligere: huius etiam causâ, præstat ingratum videri. Quod si iam in infamiam singularis facti incideris, iuuat quãdoque transmutare vulgi voces in minus noxium crimen; naturam imitantes, quæ & ipsa, morbos è ventre in crura transmittit: Alcibiades, vir vafer inter Græcos, cum infamia laboraret, quòd Respublica ab eo euerteretur, canem pulcherrimũ magno emit precio, inde auribus & caudâ abscisis deformẽ, emisit nulla cum custodia: amicis admirantibus respondit; Non poteram aliter, plebem à maledicendo de me, in his quæ circa Rempublicam tractaui, auertere: nunc, huius insaniæ admiratione detenti, obliuiscuntur maiorum negotiorum: In qua causâ, diu populum illum ad sua flagitia conniuentem habuit; & nisi statuarum casus, mouisset indignationem, diutius deludere, bene dicendo & malè agẽdo, illos poterat. At verò, si iam in opinionem stultitiæ apud populum decideris, dissimulanda est opinio illorum, blandiendumque illis: quòd si iustam causam habeant, infamis opinionis, permutanda sunt ea, quibus in illam descendisti: si nullam, vlciscenda leniter, morum petulantiâ: semper tamen illud memineris, Apud populum, improbitatis opinionem, à stultitia abesse: at vltoris à probitate. Sunt & auxilia, quæ ad hoc diximus, Diuitiarum comparatio, & Magnæ gloriæ exemplum, & Loci mutatio. Ego tamen vt Horatius inquit, Odi profanum vulgus & arceo. Improbum enim est, & omnium malorum origo, quod nec sibi tẽperat, nec bonos æquo animo fert: At si in turpitudinis opinionem perueneris; & nunc, non pauci illa laborant, ne coniecturis vnquam à te illam abigere tentes: plerumque enim frigida defensio, validiorem reddit accusationem: Ergo vel certis testibus eradicanda, vel obliteranda silentio, nec tamẽ hæc (vt stultitiæ opinio vindicari debet) quòd simul coëant potentia & flagitiosa vita: imò plerumque vt docuimus coniunguntur. In erroribus autem, qui accusationi non subiacent, magnos viros ostendere, eadem in causa aberrasse, pro plena excusatione plerumque habetur: velut Cicero cum pro M. Marcello & pro Q. Ligario peroraret, vt ibi, Non enim consiliis solùm & studiis, sed armis etiam & castris dissidebamus: Tum ibi, Dolebam enim Patres C. ac vehementer angebat, cùm viderem virum talem, qui in eam causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna; & rursus; Iisdem in armis fui. Quid autem aliud egimus Tubero? nisi vt quod hic potest, nos possumus? in quo, duplici genere insinuationis vtitur, & criminando aduersarium, & communitatem criminis docendo; verum hoc, illo facilius est. At si cum periculo, aliorum memoria inducitur, ostendisse sufficiat, non docuisse: hostes enim habebis, quos prodideris, non defensores: quamvis multi, in animi dolore nequeant sibi temperare: sed qui honori inter homines ac potentiæ student, (quod sæpius dictum est) non iræ indulgere, nec iniuriæ rationem habere debent, sed cuncta pro commodo & vtilitate metiri: atque in his, grauitatem seruare expedit; non longos sermones frustrà, serendo, vt mulieres ac pueri solent: neque obiter ac sine ratione commemorando, quæ præter propositum sunt, vt scire videaris: necnon, opportuno tempore inducenda, quemadmodum Ægyptij, ossa olim mortuorum conuiuiis inferebant, vt conditionis nostræ reminisceremur: res quidem, Sapientis; sed opportunitas deest: cùm conuiuia ad relaxandum animos, & exhilarandum, tam horrendo spectaculo non indigeant: Etenim vt amarum, rectè omni sapori misceatur, præterquam dulci; sic triste, omnibus horis potest conuenire, nisi inter gaudia: Atque eadem ratione, importuna est etiam iocunditas ac risus, in mœrore tristissimo, vt Tyranni, hoc genus voluptatis inter maiores reponerent cruciatus: nempe C. Caligula, sæuitiæ monstrum; patrem eius quẽ occidi iusserat, cœnæ adhibuit, omnibúsque modis ad hilaritatem & iocos prouocauit, ea die, qua pœnæ filij interfuerat: Cum Principibus verò, dicteriis, tum maxime salsis vti, nunquam profuit, quandoque etiam grauiter nocuit: nam cum Dionysius senior quæreret ab Antiphone, quodnã genus æris esset pulcherrimum? respondit ille, quo Harmodij & Aristogitonis statuæ ab Atheniensibus sunt conflatæ: Harmodius enim & Aristogiton, filium Pisistrati Tyrannum occidentes, tanquã libertatis Athenis, statuas promeruerant: Intellexit Dionysius ad ipsum pertinere scõma, occiditque illum, & meritò. Quorsum hæc, in quibus nulla prorsus vtilitas, sed libertas tantum loquendi maxima? Simili conditio Lysimachus irritatus à Pantaleone, quod in Arsionẽ illius vxorem, vomere solitam, hoc carmẽ iactasset.

κακῶν κατάρχεις, τὴν δ' ἐμοῦσαν εἰσάγων. id est.
Malorum principium facis, hanc vomentem introducens.

In cauea illum conclusit, aluítque vsque ad mortem: Mitior fuit aliquando in tempestiuã dicacitatem Ludouic. Sfortia Mediolani Princeps:

ceps: cum legato enim Venetorum deambulans, liberæ linguæ aulicum quem diligebat interrogauit; quomodo valeret? at ille (seu ira seu stultitia, siue quod ita succurrisset, verbum non consideratum) respondit: malè; cum Princeps causam quæreret, dixit aulicus quod vulgatum est. Quando caput dolet, cætera membra dolent: tum Ludouicus confestim, Facede è conspectu meo illicò mastigia, & vbi primum te videro, scias, fune luendam capitis pœnam. Propterea, cautè cum omnibus cùm sit agendum, cum Regibus, tam sapienter, vt intelligas quod iactabat Artaxerxes; non solùm quæcunque liberet, dicere, licere illis, sed etiam facere: vt perniciosum sit, vel aduersari illis, vel maledicere, sed etiam despondere vitam, verbis. Exitio enim apud multos hoc fuit, cùm existiment Reges, adulationis hoc esse pessimum genus, ac simulatæ cuiusdam incredibilis beneuolentiæ: Nimirum igitur si captatores, captari soleant ab his Principibus, quibus omnis occasio grata, quæ etiam est ad explendam sæuitiæ libidinem commoda: Insani est, etiam ac amentis hominis, ea aliis exprobrare, quibus ipse laboret. O quoties dixi, O homo, carere debet omni culpa qui in alium dicere paratus est: Ne forte tibi illud Horatianum insusurret:

Tu cũ sis quod ego, & fortassis nequior, vltro
Insectere velut melior, verbisque decoris
Obuoluas vitium.

Multa forsan hæc videbuntur, ac quasi extra propositum, cùm labentem paupertate hominem confirmare propositum sit, non de moribus loqui: sed qui omnia diligenter considerabit, *Nullam esse rationem maiorem ineundæ fælicitatis, quàm morum disciplinam inueniet*: videbis etenim duos eadem arte, pares Nobilitate, æquales industria, quorum alter amicis & pecunia abundabit, alter in vtroque miser erit: ergo componendi sunt mores prius, atque omnia vitia explodenda, antequàm ad reparandam pecuniam veniamus, quòd sine morum suauitate nequeant parari opes; & partæ, etiam frequentius dilabuntur: tum verò, quod multa sint, præter opes etiam, quibus homo indiget, & sine illis, contempiui, non minus quàm pauper habetur. Nec tamen Iudæorum more, omnia denuò in medium reuocanda erunt, nec semper à tribus patribus exordium sumendum. Progrediamur quò nos rapit oratio, ostendamúsque quonam pacto ex minimis, omnia humana constant. Mentem adhibui quãdoque Hispanis militibus, qui cùm domum ingrediuntur, simulant se totam velle inspicere, vt optimum eligant habitaculum. Inde, lustrantes cum domino domus omnes ædes, quonam ille coniiciat oculos, obseruant; raróque falluntur, quin ibi, quo coniecit oculos, thesaurus etiam illius sit reconditus: Ergo ex duobus Euangelij dictis, quorum alterum est, Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum, & Oculus est lucerna corporis: melius diuinant, absconditas pecunias quàm ea humano cereo: sic morande, tria auri talenta sustulerunt; sic mira illa latebrarum inuentio, nec terebris, nec vasis æneis indigens. Nulli (crede mihi) fortuna deest, sed Sapientia ac Industria, Qui è Roma veniunt, deuorant aureos; in latrones igitur inciden-tes, non solùm pecunias sed seipsos seruant: Quis enim latro tam dirus aut tam securè agit, vt hominem occidat, requirátque in visceribus, an aureos habeat reconditos? verùm si aureos inuenerit, ne latius diuulgetur, hominem etiam iugulat: ergo nihil non industriæ patet. Hominem agnoui, qui centum ac viginti coronatos deuorauit, cúmque incidisset in latrones, seruatus est, cum multi, longè paucioribus amissis etiam vitam perdiderint. In villa quadam, iuxta nostram vrbem, cum milites expectarent, omnia nefanda patraturos; tres puellæ nubiles, singulæ gallinas laceratas inter mammas collocarunt; cùm verò milites vesperè venissent, fœtorem sentientes, interrogabant quid hoc esset? responderunt puellæ, carcinomate laborare: (sic enim inter eas quamvis diuersis habitantes domibus constitutum erat.) Itaque illi & commiseratione & fœtore deterriti, intactas reliquerunt, seruauerúntque hac solertiâ pudorem puellæ. Plurimos me vidisse memini, qui sine scelere, sine fortuna, sine arte, honestas facultates sibi parauerunt: ita vt malim industriam quàm artem: Sic è diuerso, stupor hominis, artificibus maxime noxius, noménque ingrati, ei, qui in Republica versari vult: habent singula bona, suos morbos. Sed tamen ad rem institutam redeundum: Quatuor videntur maximè necessaria ac difficillima in hac tractatione, quæ tamen omnia ad vnum genus pertinere videntur: Primum, cum ex magistratu quis exciderit: secundum, cum ars inutilis efficitur: tertium, cum quis arte caret & pauper est: quartum, cum est in exilio. Ergo, ars inutilis fit, vel ob vilitatem, vt fodiendi terram: vel ob imperitiam artificis: vel ob aneaam conditionem contrariam: velut si pædagogus, pueros corrumpere existimaretur, aut tabellio falsi damnatus esset, & generaliter, quæcunque è directo pugnant cum artis vtilitate: Negligentia etiam & quam Greci vocant [illegible], omnibus artibus contraria est: Item multiplex exercitatio & cura diuersa; homo etiam incognitus, perfidus, vel inconstans, omnibus in causis fermè inutilis. Igitur singula singulis opponenda: negligentiæ diligentia, ἀοκνία, assiduitas: inde, fidem, constantiam, perseuerantiam, virtutémque, in omnibus præ se ferat; exhibeat se blandum, comem: rarò necessaria est permutatio: ars enim rara est, quæ hominem alere non possit: verùm si modò permutanda est, in nobiliorem vel vtiliorem permutatio fiat: in affinem, fit transitus facilior, & minore admiratione: in valde dissidentem, periculosa est transmutatio. Porrò affines sunt, velut ea tabellione, cognitor causarum: ex illo rursus, causidicus, ea Chirurgo vel Pharmacopola, medicus: (nam & olim hæc tria, ac Græco more, ab vno eodémque viro exercebantur) ea Grammatico Rhetor: ea tonsore Chirurgus: ex Mathematico diuinator; ea pictore statuarius & architectus: (nam & omnes hi ab initio picturam exercent) fiunt etiam ex pictoribus textores nobiles, & flammearij, tum limbolarij ac cerdonea, (est enim ars illa etiam fabris lignariis non parum vtilis.) Clari tamen, etiam facta magna permutatione quidam fuerunt, vt Philistus Mile-

fius, qui ea Musica, adortus est Rhetoricen: quam sub Isocrate professus est: quapropter & Isocrates αὐλοτρίβην, vocabat eum, scripsitque in arte nonnulla, adeò excelluit: & Thessalus, cum lanariam exercuisset medicus factus est, vt Galenus recitat: floruit Neronis temporibus, & maximas sibi diuitias, posteriore arte comparauit. Sed ne tam multo ex vetustiore seculo repetam; pater meus Facius Cardanus Medicus primò, inde Iurisconsultus factus est. Fata hæc sunt hominum, nam nunc & noster Maioragius, Rhetoricen deserens, iam fermè trigenarius aggreditur Ius. Quid mirum? nam & inter reliquas adhortationes, Bernardus Macius inducitur, qui cum coriariã exercuisset, iam iuuenis factus, Grammaticæ operam dat, inde ex hac, ad legum scientiam accedit: quid multa? tandem publicè alios eas docuit: donec alio prædominante humore, fit Frater (nam sic nunc volo intelligi ex materno, nomine Latino deducto: ne tot cucullis aut circumscriptionibus vti cogar) Sed næ ego incassum hãc referam electionem? nequaquam. Optimum igitur consequutus gradum, nec sibi timens, artem aliam iure aggredi potest, aliqua ex parte similem: si modo posterioris studium, prioris obliuionem non inducat; sed hæc Voluntaria; nobis de necessariis sermo est institutus. Sed quid si ars ipsa non alat, nec vllus ad aliam ea detur trãsitus, nouum aliquod inuentum excogitandum est: semper nouitas rei gratiam parit, & solum esse in quacunque re, magnam affert vtilitatem: Cùm in hac vrbe, inuidiã laboraremus, nec lucrum suppeditaret impensis, multa vt noua inueniremus, tentauimus in arte: nã extra artem, nihil non cessit. Tandẽ Phthisis [quam Phthoen vocant] multis seculis curam deploratam excogitaui, sanauique multos, qui nunc supersunt: nec difficilius quàm Gallicum morbum: Rationem etiam curandæ aquæ quam intercutem dicunt, multis iam sanatis inueni: Sed pro Inuentione, Ratio dua erit. Experimentum autem, magister: Aliorum opera, incitamentum: At pro experimento si periculosum sit, tentandum leuiter ac paulatim: sic & pueros ac homines fidos, reliquáque si non neglexeris explorare, facilè agnosces suppositis, qui rem ipsam caute tractent: sic amicos, sic vicinos, sic magistratus: omnia humanæ subiacent industriæ, verùm, vt video, magis peccamus negligentiã, quàm ignorantiã. At si quis, è magistratu exciderit violenter; si vitio, medicandus est morbus; si inimicitiã, placanda vel superanda. Decet autem illum qui in Republica versatur, (velut prata) quotannis reflorescere: nulli rei parcendum, nec sumptibus, vt honor recuperetur illico: iuuat quandoque: si minus licet, interponendum spacium, donec oppugnatio deferuescat: Quidam adeò sunt infœlices, vt cùm omnibus artibus magistratum retinere quærant, non possint: velut Pontanus, alioquin non ineruditus, qui cùm à secretis Regis Parthenopei esset, excidit, & tamen omnia fecit vt in officio permaneret: Nam per assentationes, miser ille Princeps, sic corruptus est, vt cum in iuuenta strenuus, & rei militaris peritissimus, Regnum firmasset, pulsis hostibus, senex, dum tantum artibus, luxui, & liberalitati studet, à Carolo Gallorum Rege, (qui omnibus rebus erat inferior, præterquam consilio & audacia) nondum illius inspecto exercitu, Regno pulsus sit: Hæc sunt Regibus præmia adulationum & prauorum consiliorum, audétque cum eo existens, duplici modo turpissimo, poëta ille se vocare Sapientem. Nullum minus idoneum consilio Regum genus, quàm poëtarum, cum nec in Republica, Socrates illos apud Platonem recipiat. Hæc igitur auxilia illorum sunt, qui malè artem tractant: sed si nulla sit ars, cum tres sint viuendi modi his qui facultatibus carent: industria, seruitus, & ars, hac sublata duo reliqua genera supersunt. Industria multiplex, licitatorum, causis vel litibus assidentium, tabellariorum, eorúmque qui omnia vendere ac emere probe nouerunt, ac eligere meliora ac optima quæque. Multi longe celerius hac solertia ditati sunt, etiam absque dolo, quàm vlla arte ditari quenquam contingat. Sunt & patrocinia magnorum virorum & principũ: promerendi ergo omni cura sunt: illi nihil in hoc melius, quàm illorum nouisse ingenia & obsequi. Nam, quis credat? Tiberius proconsulatum dedit Nouellio Tricongio Mediolanensi, quod absque omni fastidio vno spiritu tricongium vini hauriret. Alexander Seuerus illum notasset infamia; at contra occidit Grammaticum, quod præmeditatus ad disputationem accessisset. Ego laudi maximæ tribuo Alphonso Aualo, principi, non solum sapientissimo, sed etiam fortissimo, quòd exigeret à nobis, ne ad illum Inconsulti de re aliqua sermonem haberemus. Ergo nouisse mores hominum tantum confert, vt nihil magis. Verum si paupertati accedat exilium, eligendus est locus natura ac legibus & moribus patriæ similis. Quod & Cosmus Medices vir prudentissimus obseruauit, cum è Florentia Venetiis exularet. Ibi nec magnifica nec humillima vita ducenda est, locusque ipse pro patria habendus, amicos & necessaria sibi comparando, vt nec reditum quæras in patriam, nisi sponte casu aliquo tibi sese offerat. Nam vita hominis vt inquit Hippocrates breuis est, & quicquid curis impenderis tristibus illi perit. Adeo vero mores ibi colas, vt existiment te vel non exulare, vel cum inuidia potius ciuiũ tuorum quam scelere tuo. Cum verò nec affinibus, nec multitudini amicorum possis illic confidere, cautior vita deducenda erit. Cum liberius etiam agere liceat in aliena terra, quàm in propria, seu ad contemptiorem vitam, seu gloriosiorem tendere velis. Quamobrem & Bononienses pulchrum putant etiã nobiles seruire in aliena vrbe, quod in sua turpe ducunt. Hæc sunt propemodum auxilia restituendæ lapsæ rei familiaris. De singulis verò ingeniis in tribus libris De varietate rerum scripsimus, quibus non paucis hominibus, non sperata accedet vtilitas. Oportet tamen non studendo tantum, sed exercendo hæc comparare. Nam qui cum propriam faciem sæpius in speculo intuiti, vt sublatum fuerit illud, obliuiscuntur sive ipsius imaginis. Requirat forsitan quisque huius rei causam, [illegible] docenda tamen est. Duabus igitur hoc causis euenit, prima quod non adeò fortiter imprimit reflexus radius imaginem vt primarius: altera quod lux ipsa speculi

memoriam

memoriam perturbat, vt quidam eum aduersus Solem ex composito orantem statuisset, oblitus sit ille totius orationis.) Ergo exercenda hæc magis, quàm etiam discenda. Sed nec in his, paruarum omnium rerum cura habenda est, ne Bononienses imitemur, qui fabæ pistillo publicè codones partios adduot; & Necuriæ præfectos, qui, quot sunt equites extra vrbem transeuntes, totidem ictus campanæ edunt: At nec è diuerso, cùm parum magnum habeant momentum, negligenda erunt: in quo errore Galli dum Imperatas pecunias exigerent, peccauerunt: nam cùm non ad Rempublicam, exactionem deferrent, illos non solum lædebant, qui in ea plurimum poterant; sed inæqualem etiam distributionem faciebant, & violentiam præferebant, cùm non per ipsius ciuitatis capita, onus singulis imponeretur. At cum Hispani ac Veneti in subditis vrbibus hoc seruent, scilicet vt ciuibus exigant pecunias, inualidam ad seditionem efficiunt ciuitatem, æquiusque diuidunt onus, nec videntur violenter auferre, quod ciues ipsi sponte offerunt. Facile ergo quisque intelliget magnitudinem erroris Gallorum, qui illorum turbulentas exactiones (quamvis locupletiore adhuc ciuitate) cum quietis istis comparauerit. Atque vtinã, quod in mala causa (quamuis necessaria) exhibetur diligentiæ, in melioribus præstari consueuisset: Nam cum olim (vt apud Athenienses Demosthenes consuetum fuisse docet) iudices, non in nube, sed de singulis capitibus rerum, iurarent: sic & nunc. At non peccatur? fateor, melius tamen est, Legibus ac consuetudinibus bonis fidere, quàm optimis viris: Est nunc Senatus integerrimus; cuius caput singulari quadam virtute præditum est: cum morientur, non facile erit, non dicam, omnino fieri non posse, vt restituantur æque boni: at fac vt fiat; nunquam capiti tam bene accommodabuntur membra: quoniam, non solùm illi necessarij sunt sensus, sed quòd ex illo, (vt etiam in homine) cætera membra exoriantur, vt illi parere possint: Ergo tutius, confidendum est Legibus, quæ perpetuò manent: nam si his, optimi accedant postmodum viri, Diuina eius Reipublicæ administratio euadit. Similis est hæc ratio, iuri municipali nostro, quo cauetur, vt maritus vxori sit hæres necessarius: pauca certè pro vrbis magnitudine, sequuntur inconuenientia: attamen si ius illud non extaret, hac nostrorum ciuium bonitate, hac fide non indigeremus. Eadem ratio in custodienda domo, quæ in ciuitate, leges optimæ sint, nec tamen extrema seueritas adhibeatur: nam vt in optimis legibus, non facilè inuenias prauum iudicem ac execrabilem: ita in arctis admodum institutis, plura vel in ciuitate vel in domo flagitia quàm in mediocribus admittuntur: asperiores parentes, filios adultos, ad furtum; teneros, ad impudicitiam auaritiâ impellunt; coguntur enim nefariè quandoque quærere ab alienis, quod seuerè nimis à parentibus denegatum est: Eadem cura illos perdit, cùm à mulierum conuersatione arctius prohibentur: Ergo mediocris indulgentia, summa est custodia; laxare frena aliquando prurienti ætati, hominúmve diuturnæ consuetudini, non secus iuuat, quàm si vino in vasis feruente, summum detrahas operculum, sinasq; modicum atque non syncerum effundi: ne abrupto vase totum pereat. Solent enim quæcunque arctè vndique constringuntur, si paululum efferbuerint, disrumpi. Et si omni diligentiâ hæc tuearis, nec tamen bona fortuna succedat, imiteris medicos, dicentes, Omnia secundum rationem facienti, nec prosperè succedentibus rebus, non est transeundum tamen ad alia, eo stante quod à principio visum est. Multa sunt, quæ tempus desiderant, Vt quæ magna sunt & ardua: vel si humilis fortuna tua sit: vel ætas valde iuuenis: vel si quid ab initio peccatum sit (est enim, vt rectè dixit Aristoteles, Minimus in principio error, maximus, in fine) vel si ars hoc non patiatur: velle enim celeritur ascendere in ea parte, quæ non admittit, dementiæ potius est, quàm cupiditatis. Ergò, cùm in omnibus, tum maximè nouis rebus sectandis, opus est, vt tuas vires rectè metiaris, infraque metam etiam de te statuas: sic enim, in aduersa fortuna non adeo tristaberis, nec in secunda frustrà euceheria: & in vtraque eris diligentior, cum nec desperandum, nec assecutum quæ oportuerit, te fuisse, intelligas. Nec tamen vnquam tuarum virium imbecillitatem tenuitatemque alicui, nisi qui tibi patrocinari velit, prodere bonum est: Aristoteles cum esset gloriæ valde cupidus, in facilibus copiose disseruit: at in his, in quibus argui se non posse sperabat, dilucidè multa docuit: quæ, vt non licet redarguere, sic scimus, illum tamen non potuisse probare: Ad bonos verò mores pertinet, non solùm detegere nulle suarum virium infirmitatem, sed etiam eludere eos, qui te dolosè aggrediuntur. Nec pudebit anctoritatem vulgati libri adducere ad confirmationem horum, dixit nanque ille:

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:
Tu quoque fac simules, sic ars diluditur arte.

Multa essent à nobis certe dicenda: sed necessariorum tantum meminisse volumus: Hæc sunt quæ ad optimum finem pertinent: quæ optima viuendi ratio: quid stultum; quidque cuique necessarium, quidque maximum sit in vnoquoque genere: Tum verò de nostra natura aliquid differendum; ne, cùm omnes omnia docere velimus, nos ipsos ignorasse videamur: dissoluendæ etiam dubitationes quædam quæ ab initio propositæ erant. Deliacum igitur responsum est:

κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ' ὑγιαίνειν,
ἥδιστον δὲ τυχεῖν ὅτις ἕκαστος ἐρᾷ. id est.

Honestissimum est quod est cum maxima iustitia, optimum autem valere, iucundissimum autem id consequi quod quisque amat.

Quod est: optimum bene valere est, honorari pulcherrimum: iucundissimum verò, frui eo quod quisque maxime cupit; hæc Reges, sibi quantum possunt præstant: alij, quærunt. Veruntamen, quia maxima pars delectationis, in amore posita est: ille verò effrænis, & contumax: optimum est, modum desiderio ponere: tum maximè, ne cum amare te intelligit, sumptus pereat: aut enim, non potiri castis, in tormento ponitur, aut si scortis potiaris, & vehemens sit desiderium, res perit: *Optima verò viuendi ratio est, quo cũ moderatione, consilio, & grauitate perficitur. Magnitudinem,*

dinem, moderatio definit operationum: qualitatem, consilium præstat: grauitas addit efficatiam. Ergo neque plures nec pauciores esse possunt benè viuendi rationes, vnaquæque tamen harum pluribus constat. Grauitas verò nobilior omnibus his est, quæ Principes decorat, ornat Magistratus & Nobiles, Plebeios autem tuetur. Vnde illæ Regum tot ceremoniæ? vnde illæ Pontificis? proficiscentem antecedit εὐχαριστία, ipse in Palmæ solennitatibus, defertur à Cardinalibus: Vnde purpuræ amictus? tot arcana? tanta pompa? quoniam decet ad Religionis cultum, grauitatem seruare; stultèque putant qui simplici ornatu & absque potentia, credunt, Religionem (quæ vix sic in hominibus manet) posse retineri. Eadem nobis ratio ostendit, obscœnos amatores omnes esse infœlices; quæ grauitatem docet ad facilitatem plurimum conducere: Nam qui amant flatiosè, vt aliàs ostendimus, vehementer amant: at vbi amor vehemens, ibi incontinentia & leuitas, atque iuxta Comicum, continuò, pro imbre amor aduenit, is vsque in pectus permanauit.

Permadefecit cor meum: nunc simul res, fides, fama, decusque & virtus, deseruerunt.

Consilij autem, maior longè necessitas, quamvis nobilitate, cedat Grauitati; sed non hoc, tam clarum, quàm quod Consilio; nihil melius apud homines: multa (fateor) eueniunt extra opinionem hominum, ac quasi Deorum voluntate, vt Euripides ait:

πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ', οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός. id est.

Multa ex insperato perficiunt Dij, quæ autem cum certa spe fuerunt, infecta manserunt. Non speratorum verò Deus viam inuenit.

Horum tamen & maxima pars à nobis originem sumpsit, seu quia prohibemur à Nomine, seu quia sors ipsa hoc ferat; vtcunque sit, Maxima hominum pars, consilio caret, qui nesciunt, nec vti possunt consultore: quid mirum est carere eos consilio? Qui sibi sapiunt, nimiū sapiunt. Estque hoc illibatum amentiæ genus, Principes qui aliis se credunt: ab adulatoribus, si non alio dolo corrumpantur, consultores (nam & hoc frequens est) decipiuntur. Priuati, non inueniunt qui suo periculo consulant; negligenter ergo res peragitur; vnique fidere periculosum; dum multi consulunt; res, dubiis plerunque sententiis, in incerto iacet; sibi ipsi consulere (quod optimum est) tam paucis concessum, quam etiam, posse suum totum corpus inspicere: Ergo videas homines qui post actam rem videri volunt sapientes, quibus nulli sunt ridiculosiores, vt illud meritò illis dicas, ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. i. *Factum etiam stultus agnouit.* Alij, omnibus se credunt: alij, nulli: magnis alij diffidunt viribus, aliqui tenuibus initiis ac vmbris maxima moliuntur, non illis propemodum absimiles, qui libellis Turcam adoriuntur, nec satis facetis: cùm ille Religiones nostras, ferro, flamma, seruituteq; destruat. Stomachum mouent eruditis, multi, qui vix prima elementa rerum percipientes, statim ad scribendum se accingunt; quorsum? ne vt charta pereat, tibique fama, legentibus tempus? Dij boni? quæ impatientia illorum; qui grandem se putant ac strenuam operam nauasse, quod prima alicuius disciplinæ rudimenta, satis latinè, ne ornate dicam scripserint: in quo genere Germani Gallique peccant, existimantes tantam aliis debere, videri illorum in ædendo industriam, quanta illis fuit, ob natiui sermonis à Romano distantiam, in discendo difficultas. Non vitupero gloriæ stimulos, non deterreo ab ædendo, modo aliquid nouum inueniant, aut vel suis saltem, hac audacia, rebus consulant. Nam & hoc antiquum erat, cum Horatius & ipse de hoc queratur dicens:

Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Nullus à me patet patriam sibi obiici: inuertant licet enim illud Anacharsidis: nos patriæ decori sumus, cum tibi sit patria. Verùm illud displicet, quòd res serias tanquam leues tractamus, argumentáque passim ex omnibus sumimus, vt qui nominis interpretatione miseros dixit ἀθλητάς, quod ἄθλιος miserum significat: æmulamur enim vitia non virtutes, & partem exiguam, foliáque, ac surculos, stipitem derelinquimus. Licuit ac decuit illum hoc, qui tanta arte caput aduersæ sententiæ oppugnauit: alium minimè decet, leuibus insistere argumentis: sed elaborandum tibi est, seu scribendo, seu legendo, vt ad intima penetres. Nam qui rerum profunda adeunt, sibi gloriam aliis vtilitatem parant. Ea etiam causa, grauitatis scilicet, per ætates distribuitur. Nam senum sapientia plurimum habere debet grauitatis, iuuenum moderationis, adolescentum & puerorum ingenij; atque in hoc velut & apud Gellium scribitur, acerbus stylus ac paulo durior ab initio, meliorem fructum fert molli ac mansueto, sic etiam de ingeniis. Moderatio igitur vt melioris ætatis præmium, sic & optima est in cunctis. Temperat enim non solum affectus, sed etiam debita contraria quibusque vitiis aut malis opponit, leuia leuibus, iucunda tristibus, remissa seueris. Adeóque hoc visum est vtile, vt sapientissimi viri Augustus & Laurentius Medices duas personas habere viderentur: alteram humana quidem sublimiorem: alteram quasi puerilem. Nam qui sanè rem tenent, illud norunt, omnem immoderatum affectum stultitiam gignere: dico autem lætitiam, tristitiam, spem, metum, amorem. Galeazius Ruber inuenta quam diu quæsierat hauriendæ aquæ cochlea præ gaudio insaniuit, atque in eo stoltitiæ genere sibi fœlix videbatur; semper enim ridebat. Verum stultorum vitam ego fœlicem nequaquam dixerim, beatiorem tamen illorum qui vulgarem sequuntur morem, literisque carent, quàm qui in illis grauiter laborant, si ad animi tranquillitatem spectes. Verum dulcis est fructus sapientiæ; multis autem contingit in radicibus semper hærere. Quamobrem sapientum naturalium optima post diuinos homines vita est, proxima illis eorum qui ignari omnium ac sine fastu priuatam agunt vitam, pessima illorū qui vel laborant vt sciant, vel nescientes ostentare se cupiunt. At si ad vtilitatem spectes, quæcunque sapientia præter dæmoniacam vtilis est. Ergo ad vtilitatē eadem ratio totius sapiētiæ est, at partis ad beatitudinem nequaquā. In parua enim parte desideriū & labor & æmulatio ac pudor adsunt, quorū omnium expers est,

qui

qui id sapientiæ genus non attigit. Et cùm tamē non omnis sapientia vtilis sit, omnis stultitia damnosa est: ignorantia verò non omnis. Nam cum vnicuique sapientiæ generi, stultitiæ genus suum opponatur, manifestū est tamen, vtili sapientia stultitiam esse inutilem, at verò & in dæmoniaco genere, deterius est stultum esse, quàm sapientem. Quamobrem nec omnis sapientia vtilis, neç inutilis omnis ignorantia. Stultitia tamen omnis damnosa est; vtilissima verò sapientia est, quæ maximè necessaria, ac gloriosa docet. Post Diuinam igitur, Naturalis: post quam, Humana, quæ Regnum aut Rempublicam gubernare docet, constituenda est. Sed si ad externa bona, mentem solam adhibueris, quis dubitat, hoc Humanæ Sapientiæ genus, esse præstantius? Sed cum tranquillitas, in quadam priuatione solùm consistat, pauci veriorem fœlicitatem amplexantur: Verùm vt video plurimū alia aliis suadent, quæ ipsi nec sponte recipiant. An credis Platonem aut Aristotelem eadem docuisse quæ senserunt? aut iisdem moribus vixisse, quibus libri sui referti sunt? Multi etiam, meliores in consulendo, quàm in agendo sunt, atque hi ingenio præstant, sed voluptate vel timore vincuntur: alij, melius longè viuunt, quàm alios docere sciant, quod in his moderatio sit affectuum, at ingenium nequaquam excellens. Consuetudine igitur, qua magna humanarum rerum pars constat, se tuentur. Non ergo iidem Sapientes, qui & Sapientiæ Doctores semper. Omnibus verò, cùm sapientia conueniat, ac quædam eius etiam partes, non tamen omnia genera ex toto, omnibus, sed alia aliis pro vitæ instituto: atque Beatus ille qui eam partem Sapientiæ adeptus est, quæ cum instituto vitæ, & temporum moribus conuenit; quibus hæc tria simul consentiunt, beatissima in suo genere vita contingit: at contrà, infœlicissima omnium, nisi stultorum: Est autem quasi stultitiæ pars, à seipso dissentire moribus ac consilio. Quare, siquis quærat, an plus Fortuna in rebus humanis dominetur an Sapientia; non dubiam habebimus respondendi rationem: nam ad omnia comparata, plus fortuna dominatur, in vno tantum sapientia præualet: ostensum enim est, quicquid extra Sapientiæ limites vnicuique accidit, pro Fortuna computari: hominem autem nullum ex toto Sapientem in vnò genere esse posse, in pluribus autem, multò minus: plura ergo, Fortuna quàm Sapientia sibi vindicat. Sed si ad vnum genus tantùm referantur euentus: vt gratia exempli, mihi in medicina plus Sapientiæ est quod subiacet, quàm Fortunæ: ergo Sapientia ob ipsam electionem tantùm, fortunā vtilior. Neque verò, quamuis aliàs dubitauerimus, difficile est videre, neminem posse ad sapientiæ verticem ascendere. Nam quanquam quæ humani generis est, ad hominem pertineat, ipsa tamen, prorsus etiam est infinita, quando ille verticem obtinuisse dicitur, qui à nullo alio superatur. Moderatio igitur cum Grauitate iuncta, ac Consilium, hominem ad hunc verticem perducunt. In moderatione igitur, & operis & affectus, non solùm quædam mediocritas requiritur, sed etiam otium; atque in ipsa operatione, interposita quandoque quies, ornamentum actioni ipsi & facilitatem præstat, redoléntque opera suauitatem actionis, adeò remanent vestigia quæque causarum in rebus ipsis. Est autem nobis mediocritas hæc, necessaria, ob corporis ac animæ vinculum: nam etsi anima sit supremarum substantiarum vltima, & corpus mortalium suprema, ambo tamen in vniuerso rerum genere in medio cōstare dicuntur. Atque eâ causâ, quòd tam affines sint, hæ partes, maximo amore se inuicem diligunt, nec vlli animanti, tam grauis ob hoc est mors, quàm homini: Eo etiam fit, vt homo præterita simul nollet præteriisse, & tamen futura concupiscat; animus enim vt immortalis, quanquam processu temporis ad mortem propius accedat homo, futuræ tamen libertatis desiderio flagrat: at corpus quicquid præteriit temporis, sibi ademptum esse putat. Diuersis igitur feruntur affectibus, ille quidem gloriā, eruditionem, virtutem, supernáque ac Deum amat: cum corpus voluptatem, socordiam, terrestriáque, ac sensibus subiecta diligat: tū verò, somnum, quod quasi arctius sit vinculum, animus, vigiliam optat, ea enim libertati illius proximior videtur, tria sunt ambobus tamen grata, Sanitas, Harmonia, & Pulchritudo: Verùm sanitas vtrique æqualiter iucunda est, reliqua, animam potius quàm corpus delectant, ob id nec belluis ipsis multum placent, quod virtute, ratione vtente, careant: quantò ergo magis belluas omnis sapientiæ expertes esse necesse est, vt quamuis bene valere iucundum illis sit, non tamen id eos delectat, quòd sentiant se bene valere: Est verò in nobis etiam imaginandi virtus singularis, ac belluis non eadem, quippe quæ termino nullo claudatur. Diuina etiam potestate, amplius quiddam habet, quòd infinitum actu cōprehendat, ac fingat, præteritáque, quasi non præterita præponat: ac quod maximū est, contraria simul efficiat: velut cum in somniantibus homo idem sibi videtur duplicatus, atque vnâ æger atque etiam sanus. Hoc autem quis non videt, quod oculis etiā accidat, ad sensum potius pertinere? sed tamen hæc potestas quia à diuina parte auxilium sumit, admirabilior ipsa vi intellectus euadit; hæc ergo internum est. Extrinsecus autem pulchritudo tanta homini concessa est, vt omnia superet: nam homo si ætas, sexus, & natura in vnum consenserint, ad eam formæ excellentiam peruenit, vt nihil sub oculis cadat, quod illi sit comparandum. Vnus inter viros refertur Alcibiades, nescio an historici plus æquo illi fauerint, per omnes ætatis gradus summo cum decore transisse. Ergo & illud iure factum est; viuentia enim, nō viuentibus decuit pulchriora esse. Horum autem quæ sensum haberent, reliquis: atque inter hæc denuo ratione prædita formosiora, quam rationis expertia, inter hæc vbi sexus natura & ætas conuenerunt. Rursus totius hominis pulcherrima pars facies est, cuius oculi tanquam duo cœli luminaria illam illustrant, vt omnium quæ in orbe sunt rerum, si quispiam recte consideret, excellentissima ac formosissima sit facies humana. Hanc ergo tantam, seu animi, seu corporis, siue totius nobilitatem: si quis recte consideraret, vitæ id genus amplecteretur, quod tantis priuilegiis dignum esset. Verum cum non in agendo solū, sed etiam in optando

grauiter aberremus, Thesei fabulam imitati, qui cùm sine consilio, ab auo Neptuno impetrasset, tria sibi quæ in votis essent perfici, quanquam duobus primis, descensu scilicet ad inferos, & Minotauri cæde, fœlix videretur: extremo tamen voto, Hippolyti scilicet nece, miserrimam senectutem, orbitate ac scelere fœdauit; vt intelligamus quantamcunque potentiam (imò etiam vix vota Deorum) fœlicitatem parere non posse, si Sapientia non adsit. Etsi bona quandoque sine Sapientia, (quamuis rarò) contingant, mala tamen absque stultitia nunquam euenire possunt. Non ergo tam curandum est, vt Sapientes simus, quàm ne stultitiâ laboremus: Quod si cui hoc euenerit infortunium, vt apud populum in stultitiæ opinione sit, (non secus ac in oris fœtore) vel causâ sublatâ illam extinguat; vel insignis facti ac laudabilis permixtione, obumbret ac superet. Nam plerumque accidit, vt non iidem homines, sint, ac apud populum Sapientes existimentur. Cum enim Sapiens, moribus à populo dissidet, aliáque ex parte infœlix est, in his quæ maximè apud populum sunt, in veneratione, pro stulto habetur. Ac non eadem in omnibus prouinciis atque ætatibus probantur, aut damnantur; antiquo tempore, non graue erat furtum, nunc capitis pœnâ punitur; nunc adulterum esse nihil est, antiquo tempore & pro flagitio summo, & pro maxima infamia habebatur adulterum esse: vnde Suetonius alium corruptelis adulteriísque famosum, nihil amplius quàm monuit. Itaque stultum habetur, plerunque quod male cedit. Sed tamen stultum est etiam, etsi Sapienti (vt diximus) pleraque aduersa contingere possint: ergo loci & temporis ratio habenda est: illéque sapientissimus creditur, qui medium in moribus, pro ætatis, temporum, regionis, consuetudinis, conditionísque propriæ obtinet, atque in eo manet, illius flatum & auram sequens. Hæ igitur Moderationis partes; Consilij verò, scire quidnam sit eligendum, tum verò illius optima pars, Ratio, quæ & Iudicium à quibusdam appellatur: necessaria igitur non ignorando, tum etiam quæcunque valde decora, velut Geographia; nam si turpe quasi illis erat peregrinantibus, nescire quo irent, vt Lucanus aiebat dicens:

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem.

Quanto absurdius, nescire, vbi scimus talia? Ergo attingenda sunt sic, cultus agrorum, rationes metiendi & ponderum, vsúsque fori. Multa enim sunt, quæ quamuis exigua videantur, magnam tamen si ea ignoremus iacturam afferre soleant, ac æmulis, tum etiam plebi, risum. Sunt etiam quædam communia, quæ prouerbiorum loco vsurpantur, vtilia vsu, & si crassâ Mineruâ dicta sint, quale illud, dicam vt potero (nam patrius sermo leporem addit) molendina molunt, casæ cadunt, hypothecæ finiuntur, terra tenet; vt intelligamus tutius pecunias in agrorum emptione collocari. Quædam alia non ad vsum spectant, sed ad iocum, velut quod de Liguribus dici solet, habere mare sine piscibus, montes sine lignis, exercere mercaturam absque pecuniis, latinéque scribere cum nunquam ad ludum literarum profecti fuerint. Horum non eadem quæ in priore sciendi cura esse debet: quandoquidem vita mortalium breuis est, & cum Sapientiæ genus necessarium, valdè amplum sit, quicquid nugis impenditur, ab illius cognitione detrahitur, & quamuis multa nolentes etiam discamus, meminisse tamen oportet, nihil velocius esse tempore, cuius partem quæ nos fugit assequi nunquam possumus, quæ venit, multò minus effugere. Collocandum est ergo quicquid nobis ipsius concessum est, in luptate firma. *Est autem firma voluptas, quæ præsentium delectationem habet, futurorum indubiam spem, absque præteriti pœnitentia.* Sed, cum non nisi his, qui ab initio Sapientes fuerunt, concessum sit, præteritorum non pœnitere, sufficiet (quoniam id leuissimum sit in voluptate vel dolore) satisfecisse præsentibus tantùm, atque futuris. Ea autem ratio est, vt hoc assequamur, vt quod in Diis optimum est imitemur; est autem in Diis optimum, Nullo indigere, Omnia scire, Diutissime viuere, ac Securitate frui; fortitudo animi & probitas securitas præstant, vnde illud Lucani rectè dictum sub Catonis persona.

Quo me fata trahunt, virtus secura sequatur.

Sed si Sapientiam Diuinam habueris, nec fortitudine opus erit; at verò reliqua, vt docuimus sunt ipsius Sapientiæ absque dubio præmia: Quamobrem omnia in Sapientia contineri Theognides rectè scripsit, dicens:

Ὁ γὰρ φρονῶν εὖ πάντα συλλαβὼν ἔχει. id est.

Nam bene sentiens summatim omnia obtinet.

Est etiam ad illam compendiosus quidam aditus vt in reliquis omnibus mortalium bonis: vt enim intellectus, est aliquis intellectus; & rationis, ratio; sic Sapientiæ, sapientiæ, sapientia. De qua & Apponensis, Conciliator dictus meminit: cuius, quia in secundo Epistolarum libro diffuse historiam tractauimus, ne quorundam more eadem diuersis in locis repetamus, ad augendam librorum superuacaneam molem, hic demonstrationem præteribimus.

Finis Librorum de Sapientia.

DE

DE SVMMO BONO LIBER.



VONIAM ſummum bonum vnicuique illud eſt, quod nec vlla in parte deficitur, & in optima operatione conſiſtit: hominis autem optima operatio eſt intelligere: propterea ſummum hominis bonum eſt in intelligentia, ſine defectu alicuius rei. At ergo ſi bonum ſummum eſt id poſſidere, ſciteque poſſidere (nam ſi neſciamus, id iam defecit quod ad columen beatitudinis maximè pertinet) ideo quid ſit ſummum bnnum, & ſi multipliciter dicatur, & quomodo parari poſſit, ſcire oeceſſarium eſt. Iam verò de ſummo bono, quanquam id optimum ſit quod poſt mortem baberi ſperamus, ſermo non eſt: quoniam id neque adeò apud pleroſque certum eſt, nec noſtri arbitrij eſt ipſum conſequi: & id vbi fas ſit conſequi totam felicitatem animæ amplectitur. Verùm de eò tantum quod viuentes aſſequimur, nunc dicere propoſitum eſt.

Eſt igitur primùm dubitatio, an omnium ſit vnum ſummum bonum, an per paronymiam dicatur de omnibus, an vnicuiqoe ſuum ſit ſummnm bonum? Ergo vnicuique ſuum eſſe ſummum bonnm, & dici per homonymiam, perabſurdum eſt. Vnum verò eſſe ſimpliciter, & ſecundum eandem rationem dici, Regib. & mendicis, ſapientibus & idiotis, flagitioſis & ſecundum virtutem viuentibus, impoſſibile eſt: nam ſic vel miſeri ſummo bono frui poterunt, vel ſoli reges: at reges quidem pauci: ſummum aotem bonum bumanum maiori parti, aut ſaltem pluribus communicari debet. Sic etiam in cæteris animalibus: in viris autem proculdubio vniuerſis. Quocirca ſi pluribus commune eſſe poteſt, pauciſſimi autem eo fruuntur, id aliter contingere non poteſt niſi quia ipſum adipiſci non norunt. Quapropter ſcientia de ſummo bono maximè neceſſaria eſt. At qnoniam diffusè in libris de vtilitate capienda ex aduerſis tractata eſt, reliquum eſt vt hìc compendioſè doceatur: non ſolùm vt promptior paratu ſit, ſed vt anteactā de Somniis doctrinam huic negocio perneceſſariam eſſe doceamus. Dubitari igitur poteſt, an hoc ſummnm bonum io re aut opinione ſolùm conſiſtat, aut in vtriſque. Deinde, an præterita aduerſa hominem prohibeāt à ſummo bono poſſidendo: nam de præſentibus & futurorum expectatione haud dubium eſſe debet. Rurſus qualia ſint quæ hominem à ſummo bono poſſidendo probibere poſſunt: ac etiam quæ maximè ad hanc poſſeſſionem conferant: neque enim veriſimile eſt in tanta diuerſitate bonorum animi corporis & fortunæ, in tot generibus actionum, omnia eſſe neceſſaria: vtpote exercitationem In arte glorioſam, & ocium: & quæ ſunt neceſſaria, omnia ex æquo eſſe neceſſaria: ſed bona animi atque corporis præcedere: & in ipſis fortunæ bonis potiores amicis eſſe filios, & honoribus potentiam, atque huiuſmodi. Vtrum etiā ſummum bonum ſeni conuenire poſſit, & mulieri? nam de puero haud dubium eſt, non poſſe. Demum, quæ & quanta & quomodo neceſſaria ad ſummum bonom parandum, retinendumque. Vnde illa: Mortis expectationem non impedimento eſſe ſummo bono. An ſummum bonum excidere poſſit nobis? Et rurſus, an reparari? An ſummum bonum in aliena poteſtate? An ſint plura genera ſommi boni? Quinam fuerint potiſſimè beati? vnde totius operis conclusio.

Duo igitur ſunt capita adipiſcendi ſummum bonnm: ipſum dignoſcere primum, deinde quo adipiſci poſſit intelligere. At ſummum bonum eſt io operatione animæ perfecta, ſine defectu. Vtrum verò ſine defectu vllius rei? certè non: nam ſic nemo ſummi boni compos eſſet, quandoquidem etiam maximis regibus plura deeſſe neceſſe ſit: Ergo quinam defectus impedient ſummum bonum? an neceſſariorum tantum? Non: nam ſi alia ſuperueniant bona, habebit aliquis ſummo bono quippiam maius: hoc autem eſſe non poteſt, vt ſcilicet ſummo aliquid in eo genere maius ſit: licet enim filios habens beatior ſit non habente, & probos improbis: voicuique tamen (velut vaſi alicui, cum pleoum eſt, tunc ſummum quod continere poteſt, adeptum eſt) ſuum ſummum bonum eſt, cuius eſt capax: quo fit, vt & ſeni ſuum ſit ſummum bonum, cum quæ ſeni congruunt, adfuerint. Mulieri autem & puero non ita: quoniam non ineſt ſapientia: quæ ſi adſit, nihilo minus ſummum bonum poterit adipiſci ac conſequi quàm vir. Seni enim nihil obſtat niſi vitæ breuitas: at omnis vita breuis eſt, vt in libro de Minimis edocuimus. Cætera paria ſunt, aut etiam maiora in ſene quam iuuene: vt mortis certa expectatio, imbecillitas, ac reliqua. Summum igitur bonum dici debet id, cuios quilibet eſt pro natura capax: vt enim vas, velùt diximus, exactè plenum dicitur, non cum certam menſuram liquoris continuerit, ſed cùm nil ei deeſt ad oram: ita ſummum bonom dicitur, cum quis habet quod natura & per ætatem ei conceſſum eſt. Et vt plenum dicimus vas, etiam quum aliquid deſit, ſed minimom, ad oram vſque: ita etiamſi aliquid deſit ad ſummam perfectionem conditionis ſuæ, nihilominus, modò exiguum ſit quod deeſt, felix &

summo bono potiri dici potest, ac etiam meretur. Quæ ergo erunt quæ deesse non oportet? non necessaria solum, non prorsus nihil: sed, vt diximus, ea erunt, quorum ille capax fuerit: non omnia hæc: nam capax ego sum regni, an ergo non beatus nisi Rex fuero? nemo prorsus sic beatus erit: atque eo magis, quod omnes maiorū quàm sint capaces se existimant. Quæ igitur deesse non oportet, palàm est necessaria esse, non simpliciter, sed ad commodum victum. Iam ergo scimus, in quo summum bonum consistat necessariorum ratione.

Quæ verò efficiunt summum bonum: quoniam in anima id consistit, est scientia possessionis eius: possessio autem aut est in virtute, aut in scientia. De scientia & experimentum docet, & exemplum: nam Dij qui summum bonum possident, sapientissimi sunt. Discendo quoque cùm summam capiamus voluptatem, iudicium est, in scientia summum bonum cōsistere. At de virtute maior est dubitatio: rectéque fecisset Aristoteles, si paradoxum hoc euidentius demonstrasset, quod etiam & ipse & qui eum secuti sunt parùm obseruauêre. Nanque virtutum operationes non solùm felicitatem parere non videntur, sed omnes fermè nos contristant: continentia, patientia, fortitudo, mansuetudo, misericordia, liberalitas. Prudentiæ etiam habitus nos reddit solicitos, licet opus ipsum commodum pòst sit. At contrà voluptates omnes in vitiis repositę sunt: concubitus, lautæ comessationes, vindicta, rapina, dolus, inertia, atque flagitiosa denique vita tota, alea, ebrietas: & quantò nequiora, eò iucundiora.

Itaque summum bonum in sapientia collocauerim, & vt nil desit commodi: optarim autem, & secundum virtutem hominem viuere, saltem ob eam quæ post obitum felicitatem expectatur. Atque sic iam habemus alterum membrum ac principale summi boni, scilicet sapientiam.

Sed qualis sapientia? rerum aut nobiliorum, aut certiorum, aut vtilium. Nobiliorum quidem, Dei, Mundi, Vitarum, originis Animæ, Dæmonum, certiorum, hæ sunt Mathematicæ: vtilium, naturalium, & ornatus dicendi, dialecticæ. Quamobrem magna stulticia laborant perlegendis his libris, qui nil horum continent: eripiuntque nobis charissimam omnium rem, tempus scilicet. Dum etiam illud iactant, nullum esse librum tam malum qui non aliquid boni contineat. At cur ergo nucem asse non emit? hoc tam stultum putat, perdere assem, cum quadrante decem nuces emere liceat: & tamen nux aliquid est boni: & non summam dementiam esse putas, perdere octo dies in lectione inutilis libri? At qui sint libri vtiles, aut de rebus altissimis, aut certis, aliàs diligentissimè docuimus.

Nunc verù illud consideremus, in quo felicitas optima consistat: an in rebus, an in opinione, an in vtroque? Siquidem in rebus ipsis, homo summum bonum possidere poterit, nec scire se possidere: itaque non in solis rebus consistit. Si verò in sola opinione, stulti ac miseri summo bono frui poterunt: quod absurdissimum est: relinquitur igitur, summum bonum consistere in rerum optimarum possessione, & opinione recta.

Porrò opinio hæc triplex esse potest: aut vt arbitremur habere, quod habemos, tanquam necessarium: aut non habere, nec esse necessarium, nec esse: aut esse vtile: nam existimare se habere quod non habemus, aut non esse necessarium quod necessarium est, nō est summi Boni, sed amentiæ non mediocris pars. Ergo existimare necessarium esse quod est, & non necessarium quod non est, ad summum bonum facilius consequendum conducit. Quod verò vtile est, bonum est existimare non esse necessarium, esse tamen vtile: velut, qui vas plenum habet, non tamen vsque ad marginem, si etiam curauerit æquare, rectè fecerit, & si neglexerit: ita de vtilibus, non autem necessariis dicendum erit.

Porrò necessaria vt cognoscamus, non alia ratione fieri potest, quàm si illorum genera constituamus, & magnitudinem: veluti genera sunt certè, sapientia, incolumitas, opes, ac libertas: reliqua omnia, præter filios, non nisi ad vsum, & ob ipsum conducunt: honores dico, gloria, magistratus, amici. Nam huiusmodi non necessaria sunt: & si eis non indigeas, inutilia, & etiam gratia. Quamobrem & Aristoteles, qui adeò amicitiæ fauit, paucorum admodum esse vult: nostra autem ætate præstiterit forsan nullius: quandoquidem hoc vnum illud omnes considerant, amorem amanti inutilem esse.

Sed neque familiares, neque coniunctos habere bonum est, nisi pro ratione opum. Quatuor igitur illa sufficiunt.

De filiis autem dubitatio magna est: nam seu animus sit immortalis, seu communis aliquando omnium hominum interitus, filios non habere aut melius erit, aut summum bonum non impediet: at si animi interirent, generatio verò animantium æterna esset, ei qui suscipere potest filiorum generatio inter necessaria numeranda erit: nam filij ob id suscipiuntur, vt quod mortale est, per propagationem reddatur immortale: sed si animus est immortalis, non indigemus, cùm simus nos ipsi nobis superstites: sin autem generatio aliquando tota extinguetur, frustra quærimus quod haberi non potest. Itaque meo iudicio, ne nimis non premamur, inter vtilia tantum reponi debet.

Quantitas verò sapientiæ definienda non est: sed quantò maior fuerit, eò capacius fiet vas illud summi boni: reliquis modus imponendus est. Verùm libertas modo opus non habet: perfecta enim esse debet incolumitas tanta, vt neque aduersa valetudine vita breuior reddatur, nec incommodè ad negocia peragenda se habeat. In opibus solùm quæritur hæc mediocritas. Aristoteles sic metitur, vt se & ancillam alere queat. Diximus autem de hoc suo loco, nempe in libris De vtilitate capienda ex aduersis.

Reliquum est, vt agamus de impedimentis summi boni: quandoquidem summum bonum in scientia possessionis eius consistat. Sunt autem duo quæ maximè obstant, ne adipiscamur: non dicam, quæ adeptum euertant: neque enim hoc adeò tam facile est. Siquidem quæ prohibent adipisci, sunt, inconsulta ratio viuendi atque loquendi, & non satiati bonis: vno enim impedimur, ne parare possimus necessaria

cessaria beatitudini altero, vt etiam partis vti non liceat. Quocirca deterius hoc est primo, cum vtrique periculo, qui hoc vitio laborat, obiiciatur. Ergo qui iam adepti sunt summum bonum, his vt iis carent:& si earent, non facilè amittunt, nisi fortuna aut casu. Principio igitur summa diligentia vti decet. vt sub tyrannis non viuamus: nam nulla felicitas, nulla sapientia tanta esse potest, quæ summum bonum nobis præstet, vbi iusticia non colitur habitantibus.

Duæ enim virtutes maximè faciunt ad benè beatèque viuendum: priuata vna, prudentia scilicet: altera publica, siquidem iusticia. Ergo qui hanc curam neglexerit, is operam, (vt dici solet) atque oleum perdet. Sunt autem multa genera tyrannidis & regni, de quibus loqui præsentis non est instituti.

Patria inuenta optima, obfirmabis animum ad fortuita, & ad moderationem, ne vel repentinorum aduentu frangaris, vel nunquam contentus viuas: itaque imponere modum omnibus decet. Et id cogites, quòd si mortem aliquando perferre cogeris, multo facilius alia minora pati decet. Inde in victu parcus & diligens, & rei simul & valetudini consules. Caueb is verò ab ignotis, ab inimicis etiam reconciliatis, ab improbis, mendacibus, lusoribus, vanis, inconstantibus, qui nulla arte viuunt, quive mendici sunt. Et secundum loci mores viues. Id tecum etiam reputa, nemini esse curam recti aut æqui, vel fidei vel amoris: verba omnia simulata, ficta, & ad fraudem detorta: quanto blandiora, tanto magis metuendum: homines omnes in suo commodo felicitatem reposuisse: aliquot etiam in alieno incommodo: amicitiam constare vtilitate communi: reliqua omnia esse inania, præter impudicitiam, quæ & ipsa locum inuenit: qua tamen exacta, gratia etiam perit.

Cùm verò aduersa fortuna premeris, noli pugnare acriter: sæpe enim nauigantes aduersis ventis, etsi eos superent, submerguntur. Multo minus iratus verbis contendes: hoc enim prorsus leuis hominis est, & magnorum malorum causa, boni nullius.

Coniecturis ages, & somnia expende: eáque ratione quæ in priore libro dicta est, viteris. His in casibus nil nisi consultò age: meditare singula verba: cum his qui inimici non sunt, blandis vteris verbis: cum inimicis autem si loqui cogaris, puris, sed ambiguis, quæ tamen à minis omnino absint. Ventosi enim hominis est minari, nec lædere: stulti autem, minari, cùm velis lædere, si per minas ille se tueri possit: quanto stultius, cùm etiam offendere? Pati oportet: & tum Epicteti illud maximè conducit: Patere & abstine. Vide etiam cum quibus rem habeas, quæ tempora, quæ regio, quæ aliis eueniant. Absurdum est, proæul exemplum petere, quod tibi propius est:

Multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Iam verò videamus, an præteritæ infelicitates, quæ non manent, euertere possint summum bonum, aut prohibere: velut mors vnici filij, amputata manus iudicio publico: quorum malorum vestigia extant: nam de his quæ nihil relinquunt, non est dubium: quinimo creditum est, etiam augere felicitatis opinionem. Itaque de his sic statuendum est: quod quæ aliquid de necessariis minuunt, vt manus amputata, & totius patrimonij amissio, prohibent summum bonum: quæ verò de filiis dicuntur, si spes stirpis auferatur, tollunt summum bonum, si filij inter necessarias partes connumerentur: si non auferatur de summa plenitudine, & ad marginem vsque aliquid auferunt, non tamen summum bonum prohibent retinere aut adipisci: præsertim in excellenti virtute. Ergo in bonis ipsis ordinem constituere decet: vt primùm vitam præponamus, inde vnicum filium, inde corporis incolumitatem, pòst libertatem, inde patrimonium vniuersum, pòst filij salutem, vnius de pluribus: nam honores, gloria, gratia, omniaque huiusmodi, faciliùs reparantur.

Vitia verò, quæ obsunt post illa duæ: & virtutes, quæ prosunt ad possidendum beatitudinem, hæc sunt: stulticia, vanitas, ira, garrulitas, prodigentia, simplicitas, inertia summa, timor, & immẽsæ cupiditates, ac voluptatum desideria: atque hæc tria præcipuè summo bono, etiamsi nil desit, frui prohibent. At quæ iuuant, sunt: continentia, prudentia, efficacia, parcitas, grauitas, fortitudo.

Quomodo verò quis ferat mortis expectationem, nec summum bonum amittat, nunc est considerandum. Videtur enim graue, mori necesse esse, & felicem viuere talia meditantem. Verùm, vt dixi, summum hoc bonum, hominis summum est bonum, velut formica magna, non simpliciter bonum: nam si nihil superesset, nihil est bonum: sin autem superest anima, in illius successu bonum omne ac malum repositum est. Bonum ergo hoc summum est, velut lusus puerilis, exiguus, breuis, inconstans, impurus atque imperfectus. Et tamen summum est bonorum humanorum. At dices: Huiusmodi bonum summum minus est alterius non summo bono. Verum est: sed quoniam capacitatem illius non explet, nec summum est, nec etiam felicem magis reddit illum: sed velut vitrea vasa, si árca contineantur, ita vt nil desit, nilque vacui relinquatur, tutò deferuntur: si non expleantur, franguntur: in minore etiam idem accidit: ita vnicuiscuiusque summum suum bonum, felicem illum reddit, etiamsi paruum sit.

Maxima ergo pars summi boni est, non torqueri aduersis. Et si quis iniuriam passus sit, & non discruciatur, summo bono potiri potest: at cùm dedecus & infamiam cogitat, pudet exire, libertatis partem amisit: ideo neq; summo bono potitur.

Sapientiam discere ad summum bonum pertinet, libros scribere minimè: itaque quædam non faciunt ad summi boni possessionem: vt gloria, decus, honor, forsan & filij: quæ tamen amissa impediunt. Scribere libros magnũ est labor: non quicquam adiicit ad ea quæ summi boni sunt partes, nisi quis nouam inuenerit sapientiam. At legere ac scire, ad summum bonum conducunt: imò ipsum scire, vt dixi, præcipua pars est summi boni.

Vitandæ ergo sunt causæ dedecoris, ne libertatem amittamus. Quod si in illud inciderimus, aut ferendum constanti animo, aut abeundum in aliam regionem: quod multos fecisse vidi. Vitandi labores superflui: expensæ

magnæ,

magnæ, & causæ inopiæ, & impedimenta sapientiæ.

Videretur autem absurdum, summumbonum excidere posse in nobis, si quicquam in nobis aliud perpetuum esset. Verùm cum cuncta non solùm caduca, sed etiam breuis temporis esse videamus, haud mirari debemus, & hoc ipsum quod natura sua perpetuum est, ac quasi perfectum, excidere: ob id errarunt plerique philosophi, maximè Stoici, non ad hominis, sed solùm rei naturam respicientes: qui dixerunt, felicitatem esse constantem, & ob id eam in virtute sola collocarunt: ita ex vno falso supposito multa absurda euenerunt. Sed non est ita: nam nec summum bonum, vt dixi, in ipsa virtute: multo minus sola, collocatum est: & si esset, morte etiam abrumperetur: & nobis etiam viuentibus, dum ex virtutibus, quod homini familiare est, ad vitia prolabimur.

Quo fit, vt si excidere possit, possit & reparari: ea enim est natura rerum, vt quæ excidere possint, & possint reparari, modò subiecta res maneat. Non facilè, vt nec alia, in senibus huiusmodi reparantur: vt si obliuionem aut morbum quis euadat infelix: at si amisso patrimonio, vel libertate, quid prohibet? Sed neque exilium tollit summum bonũ, sed solum illud absolutissimum, quodque ad marginis limbum peruenire deberet. Minúsque quàm mors filij: siquidem minus graue est, & in integrum restitui potest. Cauenda est enim diligenter in his qui summum bonum (vt nos, & rectè) in sapientia, cui commodi nihil desit, constituunt, ne in aliquo irreparabile malum quod summo bono obstet, tametsi minus sit, incidant. Vnde melius est in exilium mitti, quàm digito manus priuari, aut debilitari oculo, aut claudum fieri. In exilio enim solum est læsio libertatis, ac diminutio, non ablatio: & restitui potest homo, & interim spe alitur, quę omnes miseros sustentare solet. At si vincula & periculum mortis iungantur, vt etiam labor, velut triremis: tunc debilitari crure minus malum est, aut etiam oculo, quàm sic damnari, propter mortis periculum.

An verò mors sit summum malum, atque oppositum summo bono, considerandum est. Ergo mors ipsa cum sit vltimum terribilium, teste Aristotele, summum erit homini malorum. Mortuum autem esse summum aufert bonum, & prorsus: sed & omnia mala, ipsumque mori. Ergo mori summum est malorum, præsertim his qui (vt nos) de summo bono rectè sentiunt: mortuum autem esse, omnino indifferens, neque bonum neque malum. Itaque & mortis dilectissimorum recordatio dolore nos afficit, & meritò: at quòd iam obierint, discruciare non debet: quandoquidem à summo malo iam liberi, scilicet morte, atque illius formidine, quod tam magnum est vt ægrè tueri possimus dari in hac vita summum bonum. Ob hæc, si summum bonum ad mortis tempus referatur, eiusque memoriam, in illis erit aliis in rebus quę eam memoriam tollunt collocandum: quod & plerique faciunt mortales: sed hoc nõ est summo bono frui, sed malum malo, & forsan etiã deteriore trudere.

Vnde difficillimæ quæstionis solutio emergit. Dicet enim quispiam: Purpurati & procures, ducesque, qui plus habent quàm quod commodum sit, nonne beati sunt, & magis quàm in mediocri fortuna? vel ergo aliquid maius est summo bono, vel illi non sunt beatiores quàm in priuato statu. Cur ergo tanto impetu ad potentiam & opes & gloriam feruntur, vt vitam periculo non semel exponant, obliuiscanturque Deorum, recti, amicorum: ac quod maius pluribus videtur, his voluptatibus scilicet, & propria salute? Et vulgus etiam eos suspicit, & beatos esse affirmat.

Dicimus ergo, esse in summo bono idem quod & in cæteris rebus mortalium. Optimus cibus beneualentibus, panis & caro: potus, haud dubiè vinum: ægris tamen nihil horum, sed aqua pro vino, ptisana pro pane & carne danda est: ita his qui mortis aduentum timẽt, & qui cupiditatibus vexantur, nulla est via ad summũ bonum possidendũ, vt diximus. Quare ipsa mortalibus admirabilia, potentia, gloria, gloria, honores, opes, pro medicamento sauciæ sunt: tametsi cum dolore, tristicia, metu, periculo, vitæque iactura sint. Simili enim modo qui scabie graui laborant, solatiũ scalpendo & cutem vnguibus laniando recipiunt, nulli tamen sano hoc iucundum est, nec simpliciter inter bona & voluptates hoc numeratur ab aliquo rationis compote, imò ne ab ipsis quidem ægris, sed necessitatem omnium dominam solum excusant. Vt verò his melius tamen est scalpi, & cutem proscindere, quàm prorsus disrumpi, quod in tam leui (vt videtur) affectu summum malum sit, adeò vt tyranni regesque Persarum, quos oderant maximè, omissis gladiis, rotis, palis, ignibus, melle oblitos & nudos in Sole muscis exponerent, vt sic grauius perirent: sic huiusmodi homines suis immoderatis in cupiditatibus exerceri permittere oportet, non quòd sic agendo summum bonum possideant, sed quod à summo tantùm malo, scilicet irritis cupiditatibus liberentur. Cæterùm rectè consideranti, hi homines nequaquam sibi, sed aliorum votis viuunt: & quanto celebriores fuerint, & maioribus in dignitatibus constituti, præsides prouinciarum, Senatus, Quæstores, atque etiã Reges ipsi. Quòd si modò quid blandum excogitari possit, est spes potentiæ successorum: quæ quàm fallax sit, quàm parum (etiamsi bene cedat) compenset tot labores, molestias, curas, pericula, metus, atque iniurias in Deos, facilè quisque intelligit: non est ergo huiusmodi hominibus beata vita in his, sed miserrima, si cessare cogantur.

An verò summum bonum in aliena sit potestate, præstandi quidem, vix vnquam tollendi, nemo dubitare debet: quandoquidem in illa mera virtute, vt Philosophi antiqui, illud non reposuerimus: nam nec res ita se habet, nec experimentum suffragatur: stultumque existimamus, in mortali re immortale aliquid comminisci velle: habeat hoc anima vinculis soluta corporeis: dum detinetur, mortale illi sufficiat bonum. Magnis casibus itaque concidere solet: at raro: quod frequens est, ob immoderatos amores rerum caducarum: obid, qui summo bono potiri cupit, studeat nil plus amare quàm præstet, sed minus potiùs quàm debet: id enim vtilius est.

Verum verò summi boni humani seu beatæ

vitæ

vitæ ſint plura genera, conſiderandum eſt. Videmus ſanè, vt dixi, vera ſumma bona in eiſdem conſiſtere, pro ratione perſonarum. Quæ autem non ſunt verè ſumma bona, & quæ parum aut multum deflectunt, varia habent genera: vt adulterina in omnibus rebus. At ſutorum, fabrorum, ſtudioſorum, nobilium, differunt beatæ vitæ, non quidem genere ipſo, ſed magnitudine: quandoquidem in illis quatuor aut quinque rebus, quas diximus, ſint conſtitutæ.

Beati ergo fuêre plerique philoſophi, ac fermè omnes præter Diagoram, ob pietatem: ac Epicurum, ob eandem cauſam: Diogenemque ob nimiam paupertatem: Anaxarchum, pauculoſque alios. Xenophilus muſicus, & Aglaus Pſophidius, Gorgias quoque Leontinus, Antonius, Caſtor, Euhippus Argiuorum rex: nec deſunt ſingulis temporibus multi in ea conditione.

Sed ediuerſo vnnm ſufficiat exemplnm alienæ, ſed quam pluris homines faciunt, infelicitatis. Franciſcus Buffalus Romanus ciuis, duos filios vidit ob ſeditionem ſecuri percuſſos: duos alios, qui ſe mutuis vulneribus conficiebant: alium, qui nouercam occidit: filiam, quæ præſente marito venenum ſumpſit: hæ ſunt ſcenæ mortalium, & calamitates maximæ: quas tamen ſi quis eo iudicio ſecum reputet, dicens: Nudus in hunc mundum veni, quicquid habeo pro luoro eſt, precariò id accepi, omnia ſum relicturus: æquo animo cuncta feret ac tolerabit. Phratrios in hoc negocio libenter adnumerarem, ſi qui ſponte adiecerint: his enim neceſſaria non deſunt, ſtudiis operam dant: libertatem habent, ſed non abſolutam: plurimi grauius premuntur.

Cæterùm illud conſideratione diligenti indiget, an exercitatio in arte, vtpote medendi, vel cauſas tuendi, vel alia huiuſmodi, ad ſummum bonum conferat, an illi repugnet. Videntur enim aliqui ex ocio torqueri, alij ob nimios labores: alij feliciores eſſe ob lucrum & gloriam. Verùm omnia hæc ad ſummum bonum, in eo qui iam commoda conſecutus eſt, nihil pertinent; atque ita eſt. Niſi enim filios habueris, aut fratrum vel ſororum germanarum filios, nihil proſunt hæ curæ, ſed pro deliciis, & exercitatione diurna habendæ ſunt: ſecus verò, graues & moleſtæ. At ſi filij adſint, alterum genus ſummi boni exſurgit, vel ſi filij fratrum ſcilicet, vt illi poſſint commodè viuere. Id autem quomodo, iam ſuperiùs dictum eſt. In vniuerſum ergo ſi felicitas, beata vita, ſummum bonum in habundo conſiſtit, quod optimum eſt, & vt non deſint commoda (omitto modò quæ de libertate & incolumitate dixi: optimum autem eſt ſcientia, eáque ſola vix auelli à nobis poſſit: vt ſit nobiliſſimum non ſolum, ſed etiam ſecuriſſimum eorum quæ optari poſſunt) manifeſtum eſt, omnium aliarum rerum curam & amorem deponere oportere, aut maxima ex parte imminuere, eum qui optimum bonum poſſidere velit. Itaque hoc ſnmmnm bonum conſiſtit in ſapientia, & ſummo illius amore: tum libctate, incolumitate, & commodis: eademque in his qui ad perpetuitatem attinent, ſcilicet filiis, fratrumque vel ſororum filiis: & vt nihil aliud ita ames, vt ſi pereat, tibi lugendum ſit, aut dolendum. Quæ autem maximos æſtus leuant, etiam luctus, ſed præſertim amoris, ſunt, concubitus vſque ad virium defectionem: ſunt enim ex eodem fonte, & hauriunt, vnde ignes: & ſanguinis ſimiliter ad deliquium animi euacuationes, & dolores atque labores magni, & per vim tolerati: & longa rerum obliuia, vel per ea quæ omnem ſenſum obtundunt: & ludus, præſertim latrunculorum, quamvis alioqui malus: & cogitatio eius æqualitatis quæ eſt poſt mortem, maximum hac in cauſa auxilium afferunt.

FINIS.



DE CONSOLATIONE LIBRI TRES.

PROOEMIVM AD LECTOREM.



STATVERAM ab initio, hunc librum alicui amicorum dedicare: sed venit in mentem, quòd argumento rei protinus eum ipsum, cui dedicassem, offensurus videbar: namque illud naturâ omnibus insitum mortalibus videtur, vt se miseriores quàm sint, existiment, fœliciores verò videri cupiant: Quapropter diuites, opes suas; Reges, potentiam; milites, robur ostentant; eruditi, nugas suas, etiam audire nolentibus effutiunt. tam magnum studium hominibus est, tales velle apud homines videri, quales minimè sint; inde è diuerso, vitia & turpitudinem suam, suorumque omni occulunt industria: tectoque igne, tormentum maius ob inanem hanc gloriam tolerant. Quid igitur si cuiquam libros hos dedicassem? nonnè, tanquam ad illius medendam egregiam aliquam calamitatem inscripti, aut potius destinati viderentur? Absit igitur vt tam compendiosâ operâ quenquam offendam: alios verò, si non hæc ratio moueat, omen ipsum tituli, & rei series perterrebit: tanquam ad eum missus hic liber videatur; qui quamvis fœlix nunc sit infœlix euasurus. tantum, omnes, quod ridiculum est, sapiunt! At ego magis illis insanirem, si hanc illorum superstitionem, aut dissimulare viderer, aut corrigere tentarem. Sit igitur hic liber, nullius nomini addictus: sed ex libro, liber euadat. Fuerat autem ab initio eius nomen, Accusatoris, vt qui vanos hominum affectus, atque falsas argueret persuasiones: at post, mutato nomine, & in tres libellos diuiso, de Consolatione, eum inscripsimus, quòd longè magis, Infœlices consolatione, quàm Fortunati reprehensione indigere viderentur. Verùm quovis modo titulum eius appellaueris, seu de Consolatione, seu Accusatorem, res ipsa pertractata, à nomine suo non abhorrebit. Vale.

DE



DE CONSOLATIONE
LIBER PRIMVS.



TINAM ex tot tantiſque rerum monumentis, quæ Barbarotum bellis interierunt, ſaltem libri Tull j de Conſulatiune in morte filiæ ſeruati eſſent. Cùm enim, propè Diuinus ille homo in ſingulis cauſis perorandis eſſet; maius tamen aliquid in eo genere excogitaſſe putandum eſt, quòd neque à vulgari, neo ficta, aut aliena re, ſed à naturali affectu, ingentique animi perturbatione proficiſcebatur. Ea verò conſolationis tatio eſt, vt quanquam nullis argumentis muniatur, nullaque facundiâ ornetur, ex ſe tamen, locupletiſſimam materiam ſuggerat: in quam cum tanti ingenij ac eloquentiæ vit, tantoque ſpiritu incidiſſet, præclarum ac ſuper humanam omnem expectationem, opus elaboraſſe eredeudum eſt. Verum, quanquam huius præſidin deſtitnti, res ipſa tamen aggredienda erit: non ſolùm quòd adeò ſit laudabilis, vt malè laudari non poſſit;ſed, quòd etiam tam neceſſaria, (vt quemadmodum in cæteris. quibus carere non poſſumus) præſtat qualemcunque habere, quam nun umnino habere: etenim ædes (quoniam ſint neceſſariæ)qui lapideas habere non poteſt, luteas poſſid bit, at qui & his caret, tabulatas: quarum ſi nec copia vlla ſit, iunceas, aut ſpeluncas inbabitabit: ita omnino in his, peſſimam melius eſt habere, quam nullam. Hoc verò conſolandi munus, tam eſt neceſſarium, vt neminem effugiat: quamuis enim ſatis compertum ſit, nullum hominem vndequaque fœlicem inuentum fuiſſe:ſi tamen à mortalibus umnes auferrentur calamitates, mortis nunquam moleſtia, ac metus cuiquam defuturus eſt: At vide quot & quanta nobis præter eam relicta ſint mala; niſi repulſa erroris nebulâ, veritatem ipſam, ac cum ea doloris lenimentum amplectantur, habet enim hæc reliquis neceſſitatibus, maius aliquid: quod cum reliquæ, adhibitâ re quæ quærebatur, conquieſcant, vt fames, cibo;ſitis, potu, labor, quiete:ſola malorum memoria adeò tenax, adeoque multiplex eſt. vt niſi rectâ ratione ſedetur, hominem nunquam derelinquat, nunquamque deſtituat: ſed ex vno in alium mentis æſtum tranſiens, perpetuam quandam viciſſitudinem, modò malorum, modò miſeriæ pariat. Quòd ſi non ex voto noſtro cuiquam 'perſuadere quantum debeat licuerit, vt depoſitâ tam ingenti animi anxietate, ad tranquilliorem vitam ſe conuertat: nobis ipſis tamen non parum, (ptoptet quos hanc inſtituimus orationem præcipue) ſatiſfaciemus? atque eâ causâ, [vt olim Aſclepiodorus fertur non inelegantet abſque coloribus pinxiſſe] ſic nobis continget, vt nudam, & abſque fuco veritatem oſtendentibus, quãtum quiſque erret in Vita, in Conſilio, in Exiſtimatione, atque in Voluntate, intelligat, agnuſcatque quædam, (etiamſi non elaborentur) tam fœliciter à natura ipſa inſtituta, vt ſe ipſa probent: Quod genus, tum in his quæ de noſtra inſtabilitate, ac vita fragili, & vana gloria, tum in eis quæ de rerum natura ſcribuntur, locupletiſſimum ſemper fuit: etenim in his omnibus, quantum ſermonis elegantia voluptatis affert, & iucunditatis, tantum ſinceritati & fidei, perſæpe detrahere ſolet: Marmoreas colomnas, & periſtilia porphyretica, & alabaſtri vaſa, pingere quis velit?cum nuda, vel ſimplici ornamentu, dignitatem uperi addant: cruſtacea & cementitios parietes, pingimus & ornamus: vt quod naturæ deerat, ars ſuppleret. Neque verò nobis tam magnum negotium, vt ab initio putabamus relictum eſt:cum enim moleſtiarum, & curarum genera, prorſus plura viderentur, quàm quæ breni compendin tranſigi poſſent, mente diligentius adhibitâ, cognouimus, plurima ex illis, medicinâ nun indigere, quod ea ſibi ſponte homines accerſant, qualia quidem, quæ ob animi præſtantiam, primò à multis voluntariè perferuntur, vt M. Attilij Regulij, viri Romani apud Carthaginienſes pœna: quis enim talem hominem, etiamſi viuat, conſuletur? quem non filiorum pictas, preceſque affinium, properantem è Roma ad cruciatum, retiocre potuerunt. Tales fuere ingentes martyrum ſpiritus, Pauli, Georgij, Laurentij, Catharinæ, aliorumque penè innumerabilium. Alia etiam ſunt laborum genera grata: quæ etiam, imbelles non faſtidiunt, ob iunctam aut gratiam aut præmium. Sic Regibus quidam vltro ſeruiunt, alij amãtibus, alij ſtudiis, alij negotiationi, alij magiſtratum gerunt: tantum verò abeſt, vt in his ærumnis diſcrucientur, vt etiam inde amoti, plurimùm doleant: Aliis, ſola ſpes, volũtarios edulcat labores:vt qui in eremo ſolitarij, in vrbibus continenter, in clauſtris religiosè viuunt, ſummamque exercent non tantum in orando & abſtinendo, ſed & in patendo, patientiam:quorum aliquib. ſi dicas, cuius gratia id agant?reſpõdebunt: propter inexplebilem poſt obitum fœlicitatem. Sunt & qui grauia mala, ob ſuauitatem, ſibi(vt putant)admixtam, libentius ferant: velut ruſtici, qui ſub æſtu canis, ad tibiam ſaltant, quanquã & Sole, & ſudoribus, & labore premantur: ſic alij, frigentibus pedibus, aleâ decertant, & licet frigus vrat, vincit tamen dolorem luxuria:

longè etiam maiore versantur incommodo, qui furtiuam Venerem cum capitis periculo sollicitant, & tamen omnia patiuntur, vt omnia agant. Alia etiam sunt, quæ, quamuis mala videantur, vel ob necessitatem naturæ, vt senectus; vel ob comparationem, vt fuga è carceribus; æquiore animo feruntur: quæ enim tantùm, antè quàm adessent, desiderata erant, cum venerunt, ingrata esse non debent: Igitur si de his omnibus dicere voluero: vltra id, quod fructum nullum pariam, tædium etiam atque molestiam addam: melius itaque est, de eis solùm dicere, quæ homines, tanquam mala, & fugiunt, & damnant: In eis tamen, quædam etiam ex prædictis, admiscere solent, quòd non omnibus ex æquo, iucunda eadem sint, aut tristia. Præcipua tamen inter hæc, senectus esse videtur, quæ quanquam calamitas non sit, & (qualiscunque), vocari possit munus, naturæ optatum; inuiti tamen plurimi eam ferunt: vnde etiam Ciceronem de ea scripsisse curiosiùs videmus: vt verò ipsa se habeat, & quamuis vere inter mala numerari non possit, à nobis tamen non prætermittetur.

Sunt itaque eorum quæ mala putamus, in vniuersum genera tria: Communium, & Propriorum Simplicium, ac Propriorum sed Multiplicium. Communia quidem appellare solemus mala, famem, pestem, euersionem patriæ, atque eiusmodi conturbationes, quæ omnibus notis nobis, aut maxima ex parte, accidere solent. Propriorum autem Simpliciúmque infortuniorum, duo sunt genera, alterum quidem Vituperabilium, vt si latro doleat, quòd iugulandi quempiam occasio prærepta sit; aut etiam Turpium, velut Vrsi fletus apud Papinium: reliquum Honestum, & minime vituperatione magna dignum; vt casus domus, filiorum mors. Propria verò atque Composita mala sunt; cùm plura infortunia simul hominem exagitant, quemadmodum de Iob sacra scripta commemorat: cui filij mortui, greges armentorum direpti, domus euersa, ipse vlcere fœdo percussus: sunt enim qui contendant, hominem, quanquam ad vnum calamitatis genus sufficiat, tot tamen, tantáque mala, simul ferre non posse. De Propriis igitur atque Simplicibus generaliter primò dicendum erit, tum verò de his quæ ad luctum, mortémque pertinent, seu propriam, seu necessariorum, in secundo libro, vltimo verò de cruciatu, seruitute, carcere, exilio, iniuriis, senectute, paupertate, de malis pluribus aceruatis, déque communibus dicemus.

Hic igitur à propriis auspicemur, ostendentes, nihil omnino interesse ad bene, beatéque viuendum; quam quisque fortunam subeat: sed omnem fœlicitatis fructum, quemadmodum Plato ait, in virtute esse, & vt Poëta dicebat.

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Verùm ex initio mihi cogitanti, plura occurrunt, quorum vel vnum si diligenter inspexeris, videbis quàm frustrà quisque in aduersis torqueatur, atque (vt primò dicam) quàm inanis sit hæc vita, quàm breuis, quàm turbida, quàm futilis; quæ si ob miseriam deflenda est, tota deflenda est, ac Heracliti more perpetuo lugenda, etenim vt ait Palladas,

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω.
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενὲς, οἰκτρὸν,
Συρόμενον κατὰ γῆς καὶ διαλυόμενον. id est,

Lachrymans natus sum, & lachrymans morior. Inueni autem vitam totam in multis lachrymis. O genus hominum lachrymabile, infirmum, miserabile tractum super terram & dissolutum. At si quandoque finis faciẽdus est, semper est faciendus: aut enim semper deploranda, aut numquam. Quid enim inter cætera miserius esse potest, quàm cum è lecto surgis, nescire an iterum possis recumbere? cum recumbis, an iterum surgere? demum, tot laboribus, periculis, curisque esse expositum, tam imbelli corpore, tam eneruí robore, tam incertâ vitâ, vt equidem non melius, ac pro rei qualitate, ab vllis gentibus homo nuncupetur, quàm ab Hispanis: hi enim, Vmbram sua lingua vocant: quòd certè nihil aut tenuius, aut incertius vitâ hominum sit; nihilque vmbræ ipsi similius: & vt sæpe mecum reputo (si admodum opinio hæc Christianæ legi non aduersaretur) dicere auderem, malorum dæmonum animas, in hominum corpora transeuntes, sceleris pœnas hic dare: vt non alius esset à morte cruciatus expectandus, tantus est miseriarum nostrarum cumulus, vt nonnisi improbis, vel ab improbo Deo, vita hæc decerni possit. At cum verè rem ipsam intueor, vulgarémque ac falsam hanc opinionem relinquo; neque hac in vita bonum, aut malum vllum cernere possum, sapientésque reor Scepticos illos Philosophos fuisse, qui omnia, sola opinione constare putabant. Enimverò qui Mos, quæ Lex, quæ Opinio, tam certa est, quæ careat aduersantibus? Non tantùm sibi inuicem, mihi crede, contradicerent Philosophi: si res ipsæ de quibus concertant, extra hominum opinionem essent: quis enim nisi amens, nigrum olorem, candidum dicat coruum? cum sensu res ipsa deprehendatur: at de bonorum finibus, ac malorum, Deus, quanta verba, quantæ contentiones, quot opiniones existunt? cæci, festucam quærunt: Quonam pacto rogo non dissentient inter se, cum res ipsa, à seipsâ, tum ab ipsis, apertè dissentiat; vtpote quæ nusquam sit, atque vt mihi in mentem venit; apposite fabulam à poëta antiquissimo confictam fuisse arbitror; quæ vitam humanam pulchrè doceret. Fertur enim, cùm Iupiter vniuersa quæ in orbe sunt fabricasset, cœlum, terras, maria, tum beluas, atque homines, diligenter animaduertisse, futurum esse, vt nisi hominum vitam suppliciis & præmiis pensaret, fore non solùm, vt homines ad omne genus flagitij impellerentur, verùm & vt Deos contemnerent: ea de causâ, Vulcanum iussisse, vt duo vasa ærea fabricaret, in quorum altero bona, in reliquo mala conclusit: fecit verò ea pennata, vt ad mortales pro suis quisq; meritis transmitti possent: at Pandora Diua, cum esset admodum cupida visendi dolia, reseratis operculis, cuncta mala, bonaque euolare permisit: bonáque per cœlos, mala autem vsque in

in Tartara descenderunt: sola autem Spes, in malorum; & Suspicio, in bonorum doliis velut illorum alimenta mansere: (nec enim vinæ erant, nedum vt alatæ forent) quod cum rescisset Iopiter, (vt est Deorum maxime iracundus,) vasa ipsa inania in terras deiecit: accurrêre autem mortales omnes, ob nouitatis studium, vacua vasa amplexantes, illi bonorum, alij verò malorum: at qui vasa susceperant vacua, nihil minus & bona & mala apprehendisse se crediderunt: verum neque bona, nec mala, vlli mortalium accessêre; sed illis quidem, bonorum opinio, cum suspicione; aliis, malorum, cum spe contigit. Ita factum est, vt quemadmodum in terris Arabum, qui nocte, sertum, aut aliam leuem ac frigidam rem presserint, exanimantur præ metu, quòd serpentem calcasse suspicentur; quanquam re ipsa nihil subierint periculi, iacturæ verò multo minus: sic mortalium genus, boni & mali opinione sola distorquetur, cùm solùm apud superos bona, in tartaro mala sint: eaque de causa, Iupiter postmodum desiit hominum acta curare. Verùm, hæc quanquam fabula sit, non tamen minus rectam bonorum malorúmque originem docet: quàm si ex ipsa Academia profecta foret. At verò contrà, vt hæc, vana & inania; ita alterius seculi, certa, tuta, perpetuáque omnia sunt: ad quæ, nos æternus amor, per hæc quæ vocamus tum mala, tum ærumnas, vocat, atque iuxta propheticum illud: Quia acceptus eras Deo necesse fuit vt tentatio probaret te: Deus, non secus ac pater, quos maxime filios probat, ac amat, omni genere continentiæ exercet, ab omni voluptate coercet, admittentes aut turpia, aut probrosa, castigat: at contrà, seruos, cóque quantò magis inutiles, negligit: vt ecquam scortari & inebriari sinat: tum verò, fœliciorem illius serui vitam, quàm filij, ac magis optandam dicemus? non in eas voluptates admittetur, nisi omnis sceleris expers omnis flagitij purus, ac, vt in fornace aurum, sic iusti vita in hoc mundo per aduersa probatur: Neque tamen, si ad eam spem, vniuersa hæc seu, bona seu mala conferantur, granum, in aceruo superabunt: quamobrem Paulus, rectè dicebat, non esse condignas huius seculi passiones, ad promerendam alterius seculi gloriam: Itaque si hæc, Fide quis amplectatur, nonne in aduersis gaudio exiliet? in secundis verò, tristabitur? illud, in calamitate cogitans, iam probari se, forurum paulò pòst, vt probatus eligatur, quod si in adipiscenda laurea, tantùm gloriaris, cum iam tentaris, cúmque vicisti, & eit illud præmium leue, mortale, fragile, quid in perpetuo, maximo, ac tutissimo faciemus? tanta verò est huius solatij fœcunditas, ac robur, vt si in Fide degeneres cum plurimi non essent, iam absolutum esset vniuersum munus consolationis: quis enim breuem hanc vitam, cum sempiterna, tristem cum iucunda, fragilem cum firma, infelicem cum fœlicissima, turbulentam cum clarissima commutare nolit? Sed est in incredulitate peccatum, atque rursus in peccato incredulitas, vt nostra conditio, amplissimo & Spei & Fidei beneficio priuetur, quid enim homini, aut vtilius post obitum, aut in hac vita gratius esse posset, futuri seculi expectatione? at quamuis hæc etiam nulla foret; nihil minus in aduersis contristari nemo deberet: quod pleraque hominum mala, in bona etiam conuertantur: neque vlla est tam firma mortalibus lex, quàm quod nihil est firmum, neque solùm mala, pluribus magno commodo extitere, sed etiam bona, incommodo. at nunc hoc non est præsentis negotij ostendere, quanquam etiam frequentius sit: de malis etenim sermo tantum institutus est.

Vix sufficiat liber hic, si velim narrare, quibus infortunia lucro fuere, neque aliud magis puto sacram paginam velle in beati Iob historia insinuare, quàm eam fortunæ varietatem, quam gentiles pluribus exemplis docuerunt, vnico exemplo voluisse comprehendere; siquidem Iob primò filiis, agro, gregibus, valetudine fœlix: post omnibus spoliatus, amicos non auxiliatores, sed reprehensores habuit: rursus meliore fortuna vsus; copiosius omnia recepit: Tantæ sunt bonorum, malorúmque occasiones, vt nihil his certius sit: Ventidio seruitus attulit consulatum, ingentiáque trophæa: quæ sperari nullo modo poterant, nisi Romanorum fortuna decidisset: at per seruitutem, virtus hominis, & occasioni, & fœlicitati coniuncta est: frequens nunc hoc apud barbaros exemplum, Turcas siquidem, & olim apud eos qui Mamaluchi vocabantur. Quid morbo mortalibus intolerabilius? profuit tamen hic Octauiano Augusto plurimùm, cùm in Actiacis castris esset: monito enim Medico vt se è tentoriis subtraheret, causam salutis per somnium habuit: cui si citra malam paruisset valetudinem, turpissimâ maculâ ignominiæ adiecta esset: manenti autem, aut mori aut fugere necessarium erat; Brutus enim ea parte prospere in eius castra victor se intulit. Habebat Plotinus, Platonicus Philosophus, Oruntium Marcellinum discipulum, qui morbi tædio ad eum se contulerat; podagricus enim erat, & articulorum doloribus grauiter conflictabatur: audiebat autem attentissimus (mira etenim illis Philosopho orandi vanitas erat) inde ciborum penè oblitus, & Philosophiam studio, & valetudinem abstinentia recepit: sic morbus eruditionem pariter & sanitatem dedit: Animi equidem virtutibus, aduersa corpori valetudo planè conducit, hos temperatos, illos mitiores, alios reddit religiosiores: Corpori verò etiam plerumque vtilis est, inde plures, inualido corpore, ad senectam perueniunt, quàm robustissimi: Tanta verò est rerum vicissitudo, vt quemadmodum in ceruí cauda, venenum latet præsentissimum, cùm alioquin tota caro sit saluberrima; at contrà tirus serpens, cuius venenum, mortalibus est perniciosissimum, carnem habet omni alia medicina aduersus venena vtiliorem: Paulus, huius nominis Pontifex tertius Maximus, vir sanè eruditus, & ad summum Sacerdotium non ineptus, magnum tamen auxilium ad consequendam tantam potentiam, ex opinione senectu

senectutis, & aduersæ valetudinis consecutus est: Spartacum olim ad ludum gladiatorium condemnatum, gloriosum nunc, at dum viueret etiam Romanis formidabilem, maxima calamitas effecerat, & nunc, fama latronis illius viret, cùm plurimorum Regum exciderit. Habet & prætet reliqua, omnis infœlicitas, vt suauiorem vitam, cum abierit relinquat: Quisnam capit voluptatem in incolumitate? nisi qui æger fuit: quis in patria? nisi qui olim exul: quis fœlix in diuitiis; aut vel nouit eas? nisi qui expertus est paupertatem. Cur tantùm, senes filios tunc primùm natos, diligunt? nisi quòd tam diu filiorum voluptate caruerint: Legimus ea ætate Agesilaum Lacedæmoniorum Regem, virum grauem, tum sapientissimum tum seuerissimum, vsque ad ineptias amasse filios: Qualis salis asperitas in condimentis, talia vitæ mala, præsertim si non sint diuturna. Vnde & Virgilius optimè inducit Æneam sic solantem socios:

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllaeam rabiem, penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa
Experti: reuocate animos, mæstúmque timorem
Mittite, forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Quid inter tot egregiè res gestas, Ciceroni, exilio plus profuit? in quo & publicata bona, & euersa domus, & interdictus commeatus: tunc solum sensit, quam gratus esset ciuibus, quàm vrbi necessarius, quàm amicis carus, & si desiisset ineptire, nihil ei splendidius acciderat in vita: inde, in reditu potentissimus euasit. Est & aliud consolationis genus, in omni aduersa fortuna non leue, quod à necessitate proficiscitur: siue enim feras, seu non feras, ferendum est tamen: neque aliud tristitia efficit, quam quod grauiores molestias videri facit, mentemque è recto consilio deiicit: inde spem leniendi doloris, nedum tollendi infortunij aufert. Quid porrò boni, aut auxilij; luctus lamentatióve, aut desperatio afferre potest? equidem illud cum in tua potestate positum sit, aut lenire dolorem, aut augere, non solùm prudentis viri est, & melius rebus suis consulentis, leuiorem efficere molestiam, lætoque animo aduersa ferre, illud frequenter memorando.

Animus æquus, optimum est ærumnæ condimentum.

Quid tibi prodest animi mœror, ac dolor? sæpe etiam fortibus viris, ipsa patientia auxilium attulit: miseremur certe illorum magis, qui fortiter quæcunque ferunt: ac insontes iudicamus qui tantam etiam in calamitate virtutem ostendunt: Agis Lacedæmoniorum rex, cum ab Ephoris (id magistratus nomen erat, etiam Regibus imperantis) ad mortem laqueo indictâ causâ traheretur, ploranti cuidam ministro è suis, dixit: Desine ô homo flere propter me, nam adeò iniustè, & iniquè moriens, melior his sum, qui me interficiunt, cúmque hæc dixisset, sponte se strangulauit. At verò, etiam sæpè generosus animus misericordiam meruit: Scæuola cum decreuisset Porsennam Regem occidere, voluntaria & audaci confessione, liberatus est: qui si negasset, veniámque orasset, vltra dedecus, etiam acerbam mortem subiturus erat. Lucillus, captus pro M. Bruto: Seruius Terentius pro D. quanquam in Antonij manus inciderint, & vitam, & amicitiam hostis, constantiâ magis, quàm precibus meruerunt: Quid plura? & in hostibus, & in seruis tolerantia, & in pessima fortuna bonus animus, laudem semper, sæpius etiam auxilium peperere: Denique illud concludendum est, quòd cùm sola animi conscientia; molestiáque infœlicem hominem reddere possint, illum sibi pessimè consulere, qui animum infortunio subiicit, ex quo, liberum totum hominem esse licet: *totus enim homo, animus est*; is si doleat, homo malè se habet, etiamsi vniuersa rectè cedant: at si hominis animus iucundus sit, nihil est mali, etiam si vniuersa ruant. Memini quendam ditissimum insanisse, captantémque paleas, ac plorantem, quod fame esset interiturus: nihil enim tritici in inanibus stipulis esse: nonne miserrimum illum sola animi tristitia faciebat? alius, se cùm vitreum esse putaret, singulis momentis timebat abrumpi, nonne hic absque calamitate, in maxima calamitate erat? Sed sunt etiam quidam qui sibi malorum causam præbuerunt, non solum animi vitio, sed errore, quos etiam æquiore animo longè pati aduersa decet: ac velut pueri, si sibi manus mordeant, etiam grauiter, silent; si alius vel leuiter læserit, plorant: vt verò non decet pueros imitari, turpe tamen est, illis nos esse imprudentiores, ac inconstantiores. Quid enim stultius potest cogitari, quam seipsum lædere, & deinde dolere? quin potius, vt poëta dicit,

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est,
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

Quid autem meritò magis, nobis contingere potest, quàm id cui nos seu per imprudentiam, seu per metum, aut temeritatem, aut etiam quod est deterius, per intemperantiam, causam dedimus? cur autem quereris, cùm non aliunde malum suscitatum sit? aut aduersus quem, cùm tu tibi fueris inimicus? aut quem vlciscêris? nempe teipsum. Est autem, (si rectè animaduerteris) omnium malorum plerumque in nobis causa, hocque in libro De arcanis æternitatis quanquam aperte ostensum sit, nihil minus, quantùm huic causæ necessarium videtur, denuò demonstrandum erit: neque hac ipsa demonstratione indigeremus, si homines non nimis seipsos amarent: cùm enim quique quantumuis rudes, plurimùm sibi sapere persuadeant, euentus bonos, in propriam prudentiam, sinistros autem, in fortunam referunt: neque fortuna illis satis fuit, quæ accusaretur; malum genium, dæmonem obscurum etiam subiecerunt: in quo genere Principes, etiam priuatis longè stolidiores sunt, quod non tantum insita omnibus hominibus laborent amentiâ, sed singulis horis aures adulatoribus præbeant: qui dona Deorum, Sapientiam, in his admirentur, quotum maximum studium

ſtudium eſt, vt oihil prorſus ſciant: neque enim Gnathones illos aliter alerent: Quam melius igitur mortales cuncti, fœlices euentus in Deum, aut ſi pudet, in fortunam referrent: aduerſa in petulantiam, ſocordiam, ac imprudentiam propriam. Vis verò te primùm agnoſcere quàm ſis imprudens, quòd prudentem teipſum exiſtimas: Socrates qui Apollinis oraculo, Sapientiſſimus eſt iudicatus, hoc tantum vnum ſcire ſe dicebat, quòd nihil ſciret: tu cum nihil ſcias, fœminarum more, Maſageras, & Indos, & cœli penetralia loqueris: Ptolemæus ille inclytus Aſtronomus, dicere ſolitus erat, eum qui ſibi placeret, Deo inuiſum eſſe: Is ſibi placet, qui prudentem ac ſapientem ſe putat, omnia verò in proprium commodum vertit: tales ſunt plerique mortalium: inde quiſque ſibi mala parit; & fortunam, & dæmones accuſat. At iam, ex proprio paululum ſeceſſeramus inſtituto: nempe probandum eſt potius, quàm arguendum; nos noſtrorum malorum cauſas eſſe: Et ſi ad vniuerſa malorum genera inſpiciamus, ſic ſe habere res videtur: Quis tam immitis tyrannus, vt in humiles & innoxios ſæuiat? quis tam pauper artifex, vt victum quærere non poſſit? quis tam atrox, vt in mites ac prudentes irruat? eſt prudentis viri obſeruare tempora, homines, potentiámque illorum, cum quibus verſaris: Fuit Nero crudelis, Veſpaſianus tamen inoffenſus non tantum manſit apud eum, ſed & magiſtratus geſſit: fuit & Tiberius in ſuos ferus, Thraſillum tamen Mathematbicum perpetuò, ab exilio amicum habuit: & Grammaticos complores: Illud verò tutiſſimum eſt, cùm in has truculentas beſtias inciderimus, *ignotum eſſe*. Eſt autem firmiſſimum argumentum, abſque propria culpa, tarò infœlices homines fore, qoòd cum reliquæ virtutes, aut è mortalibus diſceſſerint, aut contemptui habeantur, ſola inter omnes prudentia, ſemper propriam retinuit dignitatem: nam iuſtitiam, fidem, liberalitatem, humanitatem, non aliter quàm peregrinas quaſdam aues, admiramur, cum etiam plerunque male cedant: fortitudo frequentior, ſed omnibus expoſita periculis, iacturam magis quam fortunam tandem affert: Eruditio ipſa ludibrio eſt, & nullis non laceſſentium iniuriis expoſita: at prudentia, quaſi Diuinum quoddam munus, inter mortales cum veneratione cohabitat. Hanc Reges quærunt, populi admirantur, plebs laudat, vndique & vtilis & neceſſaria: Itaque ſi prudentia caruiſti, non eſt quod queraris: Offenditur autem prudentia pluribus (vt etiam valetudo) cauſis; Ira, Voluptate, Ignauia, Stupore, Amore, Ambitione, Auaritia: denique omni vitio animi, prudentia læditur: ſtultiſſimum verò puto, velle eos ſolari, qui ſeipſos ex animi impotentia in calamitates trudunt, vt in obſcœnis voluptatibus, in præcipitique vindicta. Sunt enim quidam qui non ſecùs ac mugiles, cum in eſca hamum latere agnoſcant: gulæ tamen impatientia aut Veneris, aut alterius voluptatis, manifeſtis diſcriminibus ſe obiiciunt. Callidè enim fertur mugil (verumtamen ſtulte) cauda elidere ex hamo eſcam: & ſi minus liceat, ſummis labris arrodit. Quorſum tanto periculo, paraſiticam exercere, cum ſecurè aliter viuere poſſis? ſed his beſtiis inſulſiores, nedum præ importunitate eſcam excutere ſuſtinemus. Quid igitur habet hæc amaritudo doloris, quam tanta voluptatis dulcedo irritat? At velim & voluptatibus indulgere, & carere doloribus: ſi hæc te tangit moleſtia, inſanis impoſſibilia omnino quærens: Etenim omni voluptati, ſita amaritudo coniuncta eſt, gloriæ inuidia, ſapientiæ labor, diuitiis curæ, ſoboli ſolicitudo, intemperantiæ morbi, quieti paupertas, ambitioni odia, potentiæ metus, tranquillati contemptus: quiſnam tandem mortalibus rebus, exitus patet? Eſt verò & illud in moderāda triſtitia ſuauiſſimum, quòd omnes homines aliquo laborant infortunio, & (vt dici ſolet) quiſque ſuos patitur manes; alium nempe paupertas; alium orbitas; hunc morbi, illum timor; alium iniuria; hunc inſidiæ; illum filij; alium vxor, alium inimici diſcruciant: quodque maius his omnibus eſt, ac admirabilius, tantò pronior eſt humana conditio ad calamitatem; vt hoc etiam calamitas ſit, eſſe quàm fœliciſſimum ac nulli omnino dolori obnoxium: quamobrem ferunt Polycratem, fœlicitatis ſatietate, annulum in mare proieciſſe, vt haberet quòd doleret, erat enim ei chariſſimus: verùm fortuna, ilicò expiſcato piſce, annulum iterum ei reddidit. Sed ne omnino fabulari in hoc genere videar; quam voluptatem in prandiis capiunt Reges? quod ex conſuetudine, palatum ſaporum delicias non ſentiat: Referunt Medici, delicias eſſe, cum quis ex triſti ſenſu in propriam redit naturam: quonam modo igitur; qui omni caruit moleſtia, fœlix eſſe poteſt? Vides quàm beati ſint pauperes, cum ad diuitum cœnas inuitantur: quænam cauſa eſt, cum nihil pauperibus melius apponatur? nulla nempe, niſi nouitas rei: Non poteſt igitur homo beatus eſſe abſque calamitate, nec iucundus abſque moleſtia: In' his igitur incommodis non vnum hominum ſocium habere, ſed vniuerſum humanum genus, nonne plurimum confert? ac vt vulgo dicitur, Miſerorum eſt ſolatium, habere calamitatis ſocium.

At quantò præclarior erit tua conſolatio, ſi intelligas non fortuitò mala vndique, ſed etiam pro bonorum magnitudine, vnicuique contingere? Atque (vt id primo à genere rei exordiar) Nihil tam pulchrum eſt, quàm Reſpub. rectè inſtituta; at nihil tam durum, quàm in ea eſſe: ab initio talis fuit Romana, & his ordinibus, Imperium vniuerſi adepta eſt; ſed quid aſperius his inſtitutis, in quibus ciues, ad laborem, prolem, & militiam tantùm inſtruebantur? horum labor (præſertim ruſticus & aſſiduus) ſolo ipſo nomine grauius eſt: educatio filiorum, præcipuè multorum, & inopi, omnem moleſtiam ſuperat; nam vt grati pauci, in deliciis habentur, ſic multi, pauperibus tædium omni mortali curâ grauius efficiunt: militiâ quid atrocius? foſſas fodere, vallum geſtare, hyeme inter niues dormire, æſtate ſub Sole exerceri, noctes inſomnes agere, maria, montes, atque omnia inuia ſuperare; modò fame

vrgeri; modò siti enecari; denique occidere, aut occidi; ipsâ miseriâ, hæc omnia miserabiliora sunt: vt non mirandum sit, tam læto animo signum pugnæ expectasse semper milites, vt vel victoriâ lætâ, soluerentur, vel morte, maiores ærumnas finirent: Sic Lacedæmonij tam tristem domi agebant vitã, vt nunquam in castris esse tæderet: Apparet itaque in benè instituta Republica, homines esse infœlices: Beatos verò ciues, miseram Reipublicæ conditionem ferre. Reges verò (quos homines Diis simillimos stultâ cogitatione efficiunt) atrocioribus furiis agitantur, vt non ineleganter Tragici Poëtæ, in Regum tantùm domibus, & furias, & tragœdias finxerint: non verò in priuatorum, comœdias: patet enim aula Regũm, ingentibus malis, neque eam vnquam, tartari monstra deserunt: inuidiæ, odia, simultates, venena, cruciatus; omnium verò quædam sedes, animus ipse Principis est, quem nec diurna quies, nec nocturnus somnus, tranquillum permittunt, hinc memoria scelerum, hinc suspicio familiarium, illinc populorum & Regem reliquorum timores, insidiæque in alios paratæ, noctes diésque perpetuò obseruantur: Sed sit iustus, sit sanctus, qui imperat; metus abesse non potest: ac vt de Ixione, & Lapithis poëta fingit,

Quos super atra silex, iam iam lapsura cadenti
Imminet assimilis, lucent genialibus altis,
Aurea fulcra toris, epulaque ante ora parata,
Regifico luxu furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitque facem attollens.

Ea est conditio Principum, quàm maximè nouerat Virgilius, in illa Augusti quanquam fœlicissimâ aulâ obuersatus. Sed paululum ab illis deflecte, in priuatorúmque vitam descende: quemnam reperturus sis ab omni infortunio liberum, non video: cum maxima diligentia quosdam tanquam rhinocerotes. Plinius in historia venaretur in toto orbe, atque longissimo æuo tandem nullum inuenisse fatetur: Si igitur mortales cunctos, iam intelligis aliquo infœlicitatis genere premi; quis tu es, qui solus euadere cupis ab ea lege, quæ neminem præterit? Cur non te & Immortalem factum, & Vniuersi orbis Regem, & Volucrem, & Inuiolabilem doles? quandoquidem pro eximia aliqua causa magis dolendum est: quod si hæc, æquo fers animo, quòd naturâ aliter fieri non potuit, idem in hac lege, quæ non minus vniuersalis est reliquis illis, faciendum puta, ac iuxta fabulam illam, tantò minora detrimenta tua existima, quanto aliorum sunt maiora. Ferunt enim aliquando lepores, desperatione quòd ab omnibus animalibus persecutionem paterentur, destinasse se in flumen proximum præcipitare: gregatim autem cùm ad rem exequendam progrederentur, sentientes ranæ, [quæ in ripa erant fluminis] timore perculsæ, in aquam prosiliere: quo audito strepitu, lepores rem intelligere studuerunt: cùm verò cognouissent, ranas eorum metu aufugisse, consilio inito decretum mutauere; ea ratione, quòd ranæ quanquam ipsis essent miseriores, nihil minus, vitæ consulerent: & nunc vsque, seruantur lepores. Mihi hercle, aliorum mala, nunquam minus difficiles fortunæ casus fecère: verùm necessitas malorum ipsa, quæ ex cæterorum omnium incommodis dignoscitur. maximum ærumnarum lenimentum extitit; cum enim cogitat quisque hæc non ab iniuria, sed à lege naturæ, damna mortalibus proficisci, æquo cuncta feret animo, nisi omnino vecors sit, aut stolidus: Itaque cum iam diu anteà; Sapiens, multorum malorum necessitatem præuidet: in omnibus autem, conditionis, ac fragilitatis humanæ meminit; bono animo ventura quæque mala expectat: Cùm igitur imminent, parem ostendere fortitudinem decet, ne mutatus, ob præsentiam illius à tam honesto proposito, aut impræmeditatus accessisse videatur: Illum etiam considerare expedit, quòd omni dolori, tempus, est medicina; ipsum, luctus extinguit, iniurias obscurat, detrimenta obsoleta facit, denique ad omne mali genus & obliuionem & incuriam affert: Quis enim tam impatiens amoris inuenitur, qui filium iam annis triginta, amissum, aut substantiam perditam, deploret aut lugeat? Temporis hæ sunt vices, vt gaudia & mœrores extenuet primò, dein atterat, tandem, penitus deleat ex animo: Quod igitur, omnibus quantumuis rudibus, temporis auaritia eripit, tu id vtilitatis tibimet illicò præsta: quodque mox æui beneficio facturus es, id constantiæ, eruditioni, ac moderationi, exemplóque bono, ac laudabili condona: fingéque tibi iam hoc tempus præteriisse, melioresque spes tuas ante te colloca: reminiscere quot viri illustres, & immerito, & crudeliter à fortuna iactati, sæuos eius fluctus æquo animo tolerarunt: Nihil est magis Sapienti necessarium, quàm moderatè vtramque fortunam ferre: Qui enim secundam non potest, obliuiscitur se mortalem esse: qui aduersam, hominem. Nullum etiam prudentiæ argumentum maius, quàm ea exemplo facere, quæ rectè alij, temporis beneficio didicerunt. Itaque noli tibi grauis esse, atque cum in vmbram calamitatis incideris, te ipsum in veram infœlicitatem inijcere. Cogita in singulis malis, plures fœlices inuentos esse: Omnium verò consolationum, fidelissimam, ac firmissimam, tempus ipsum exhibet, non illam quam nuper explicauimus, sed eam quam Auerroes aliique Philosophi ostenderunt: Cum enim illud consilio exploras; quòd vita hominis, si ad æternitatem ipsam comparetur, puncti vicem obtinet, atque quæ in humana vita omnia, & tam breui curriculo temporis, & tam certa lege finiuntur; vt prorsus nihil omnino intersit, qualisne fueris & an etiam fueris: & mihi cum de his cogito, illud succurrit, quod in libris vulgaribus, homines quidam finguntur opulenti, potentésq; heroes, ac viri tam fortes, vt Herculem longo vincant interuallo: Quid verò inter hos fictos viros, & Cæsarem, ac Pompeium intersit, nunquam intelligere potui: nisi vel ad eruditionem nostram, historia à fabula distinguatur, vel animorum superstitum ratio habeatur: cæterùm cum amplius

non

non fueris, qui fueris nihil penitus refert. Sola hominum stultitia & hanc commenta est inuentionem, vt non tantùm in vita, sed etiam post mortem, aliorum indicio, & fœlices & infœlices efficiamur. Plurimùm verò, video quosdam esse solicitos, vt nomen, & diuitiæ relinquantur post mortem: & ea insana libidine Herostratus Dianæ Ephesiæ templum incendit, vt nomen eius etiam in scelere agnosceretur: sed quis modo est hic Herostratus? quo patre genitus? qua matre? qua patria? qua forma? qua vita? quid hoc aliud est sic scire, quàm nihil aut scire, aut nomen hominemve fictum? Quid igitur infra trecentos annos, etiamsi gloriam obserues, refert an beatus, an omnino infœlix fueris? at (si gloriam subducas) quid vel ad summum post annos quinquaginta, inter Regem & rusticum, inter Lucullum & Irum, inter Xenophontem & Cleonem, denique inter seruos & liberos, fœlices & infœlices distat? At verò tempus hoc, quàm citò, quàm necessariò præteribit: id ne forte dubitas; ne tempora hæc morentur, aut syderum cursus alligetur: quam rectè ille sculpsit in gemma (quisquis argumenti inuentor fuit) trigeminam faciem simul, infantis, iuuenis, & senis. Nihil celerius ea mutatione, nihil his vicissitudinibus coniunctius, ac (vt poëta ille) rectè fugitiuam ætatem vocauit: cogita quot ab initio rerum anni transierunt, qui iam ex ætate tua dilapsi vt vmbra; velocius tempore, nihil esse ostendunt: finge igitur (quod certè erit) dilapsa iam nunc tempora, omnia in nihilum redigi compertes. Illud enim non absimile his, qui in carceribus cum certa salutis spe detinentur; quanquam enim in malo, parum dolent: præcipuè si ingenio generoso sint: sic homines in hac vità ærumnosá, cum certam æqualitatem expectent, vix puto fieri posse, vt fœlicibus non magis contristentur. Equidem si nunc principis edictum promulgetur, vt (quemadmodum Lycurgi Lacedæmonij ætate,) omnes opes, omnésque agri, ex æquo diuidantur, distribuanturque, an putas pauperes & mendicos, an diuites in tristitia futuros? hercle nulli in mentem incidere posse spero, vt diuites lætentur, inopes iniquo ferant animo. Si igitur iam hæc æqualitatis lex lata est, & quæ nullo modo possit frustrari: non video cur omnes, quotquot in miseris viuunt, tam iusto legis beneficio gaudere non debeant. Quid rogo tibi erit, hic ad annos ducentos; an cum sobole, an orbus, an senex an iuuenis, an diues an pauper, an seruus, an liber, an in lecto, an in patibulo, an in magistratu, an absque honore vel vixeris, vel mortuus fueris: sed addit has opiniones Stultitia, quia, solum miseri, & beati simus: nempe illa obliuionem rationis inducit, gigantes pro pygmæis ostendit; modò mala nostra, modò bona tegit, auget, multiplicat, obscurat, abscondit: prout libet de nobis statuit. Verum si quid omnino in hac vita bonum est, aut malum, discrimenve vllum iucunditatis, ac tristitiæ: id totum in conscientia, & animi virtute collocandum est: Nempe, flagitiorum & scelerum memoria, omni supplicio maior est: Cor enim impiorum, vt Propheta dixit, tanquam mare feruens fluctuat: illorum semper animus, & diris vexatur imaginibus: cum nullorum sit maior cruciatus, quàm eorum, quorum conscientiam culpa coarguit &, vt ait Poëta:

Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiens animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, ac multo sæuior illis
Quas & Cedicius grauis inuenit, & Rhadamanthus,
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.

DE CONSOLATIONE

LIBER II.



CVM in præcedenti libro, de omnium calamitatum consolatione, copiose (quantum generaliter fieri potuit) disseruerimus; vix necessaria singulorum malorum consideratio videbatur, cum satis ex animo cuique Sapienti Recta ratio & Consilium prudens, tum oratio nostra, tristitiam omnem eripere potuerit. Verùm cùm id iam ab initio sit à nobis institutum, vt singula diligenter aduersa, quæ hominibus contingere possunt, absque affectu aliquo consideraremus, rectóque iudicio pronunciaremus: id etiam magis necessariò facturi videbamur, quòd nemo existimet ea quæ prætermissa essent, consultò potius (quoniam probari nequeant) quàm quòd superflua forent, intacta relicta esse: Habet etiam hæc malorum historia, & ob varietatem, & ob exemplum, non leuem voluptatem, qua legentium eam, tristitiæ sordem, quæ à sensibili anima, tum à natura ipsa, in grauibus infortuniis relinqui solet, eluere possit: Sæpenumero enim, etsi ratio nos consoletur, doceatque neque luctum conuenire, nec causam esse luctus vllam: animus tamen per se mœstus, lætari non potest: quod, cum frequentes, etiam sine vlla aduersa re incidat, quàm verisimilius est, iam longo tædio tabescentibus, (etiamsi vulnus ipsum acceptum curetur) derelinqui. Itaque (vt ad propositum iam sermonem reuertamur) omnium quæ in humana vita contingunt, Luctus, atque Mores sunt acerbissima: priuari etenim perpetuò, atque sine spe charissimorum consuetudine, durissimum omnibus videri solet: Mors verò ipsa, vt Philosophus dicit, vltimum est terribilium: Eapropter si quid est quod fortem, quod sapientem perturbare virum possit, id haud dubio mors, & propria, & maximè necessariorum, esse debet: Quamobrem egregios Poëtas, luxisse, tum suos, tum verò seipsos, ac etiam alios finxisse lugentes necessarios, video: inter quos, Papinius patrem deflet dicens:

Da vocem magno, Pater, ingeniumque dolori.
Nam me ter relegens cælo, terque ora retexens
Luna videt residem, nullàque Heliconide tristes
Solantem curas.

Alius in eadem causa:

Quis dabit in lachrymas fontem mihi? quis satis altos
Accendet gemitus, & acerba verba doloris?
Exhaurit pietas oculos, & hiantia frangit
Pectora, nec plenos auidum sinit edere questus.
Magna adeò iactura premit.

Vtinam verò querela hæc, non sit ea quæ vulgo dicitur; Fletus hæredis, sub persona ridentis est: nam, tam rara pietas erga parentes inueniri solet; vt nulla, non sit frequentius: sed talis modò sit, qualem carmina exprimunt; certè nulla in parte minus necessarius videbitur hic liber, quàm in consolatione doloris, qui ex parentum obitu contigerit: Nempe fratrum, qui se morti exposuerint propter fratres, tum parentum ob filios, coniugum ob vxores, aliqua sunt exempla: filiorum autem erga parentes pietas, nullo penè experimento confirmata est, quo fit vt querela Catulli, magis ex animo (vt dici consueuit) profecta videatur. Sic enim fratrem deplorat:

Sed totum hoc studium, luctu fraterna mihi mors
Abstulit: hei misero frater adempte mihi.
Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater.
Tecum vna tota est nostra sepulta domus.

Imitatur acerbiorem lamentationem, non sine ira, & animi indignatione, in Mezentio deflente filium occisum, Virgilius dicens:

Debueram patriæ pœnas odiisque meorum.
Omnis per mortes, animam fortem ipse dedissem.
Nunc viuo, neque adhuc homines, lucémque relinquo,
Sed linquam.

Quantò tamen atrocior dolor, ab eodem Poëta in matre plorante Eurialum filium vnicum fingitur, quòd vidua cum esset & senex, illum crudeliter in hostium manibus occisum videret: tum verò & fœmineam animi mollitiem amplectitur, his verbis:

Figite me, si qua est pietas: in me omnia tela
Conycite ô Rutuli, me primam absumite ferro.
Aut tu magne pater diuûm, miserere, tuóque
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo.

Haud poterat cædes filij, à matre deplorata, (meo iudicio) à Poëta melius explicari. Inducit & Hom. grauiter Achillem, in Patrocli amici funere dolentem, cum dixit:

τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα
ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
χεύατο κακκεφαλῆς. id est,

Hunc autem tristitia nigra nubes texit. Cum autem ambabus manibus fulginosum puluerem cepisset, fundebat per caput.

Et infra:

Σμερδαλέον δ' ᾤμωξεν. id est,

Horribiliter plorauit.

Eò vsque autem inducitur dolor vehemens, vt familiares timeant, ne seipsum iugulet. Sed moderatiùs alius in morbo luget suam, atque de fatis conqueritur, non ficto in aliis timore, sed proprio ac vrgente dicens,

Ergo sub annos prauerides mihi
Soluetur atro sanguine spiritus?
Nil est reluctandum superis, lubens
Quod fata annuerint, sequor.

Sed dum aliorum inanes has ineptias describo, iam næniam quandam confecisse videor: solóque nomine tristem luctum, non tantum descripsisse, sed auxisse. Non poterat tamen res ipsa dilucidè explicari, nisi etiam poëtarum sententiam adiecissem, quòd ea sit vulgaris opinio, non solum quod poëtæ ea curent dicere quæ sunt popularia: sed etiam quod si secus velint dicere, haud possint, cum ab omni philosophiæ studio sint remoti: quam etiam ob causam, à Platonis Rep. excluduntur. Oportet autem in hoc, aut Platonem damnare, si iniuriâ remouet; aut poëtas, si iure merito: Melius igitur sanè censendum erit, non immerito explodi: namque cum populo sentientes, ea dicunt, quæ in opinione rudium sunt: nemo enim negat, paucos esse Sapientes: Vulgus autem maximam hominum continet partem: opiniones igitur poëtarum, ac vulgi, in quibus à philosophis discrepant, omnes falsæ sunt, & inutiles; cùm necesse sit, opinionem vulgi falsam esse, si Sapientum sententia vera est: at quis dubitat an Sapientum dicta vera sint? Sapientes enim aliter non essent: Sed si modò vlla in re exigua fides poëtis habenda est, nusquam minor, quàm in his quæ ad mores & virtutes pertinent est exhibenda. Nec mirum si Archilochus, poëta egregius, sed tantò deterior Philosophus, à Lacedæmoniis, eadem hora, quia in vrbem venerat, solum vertere coactus est, quòd scripsisset hanc sententiam:

At carnisse armis, quàm mortem occumbere præstat.

Enimvero bonos mores persæpe corrumpunt colloquia mala: Itaque de luctu ac morte, volentibus dicere, primò necessarium videtur explorare, an in morte seu propria, seu necessariorum, aliquid mali sit: & si sit, an malum à bono, seu potius iactura ab vtilitate vinci queat: id facile erit diiudicare, si primò hoc distinxerimus, atque diligenter intellexerimus, vtrum aliquid post mortem nostram, ex nobis, præter corpus supersit: an omnino etiam cum corpore, reliquùm totum extinguatur: in qua causa, etsi plurima in libro de Arcanis æternitatis iam diximus, in libris autem de Morte dicturi simus, non tamen hic, ex toto, silentio obliteranda videtur hæc quæstio: sed quemadmodum, maximè in hoc libro, veritati studemus, tum verò vbique breuitati, sic vnica ratio nobis, de rationali anima, ad eius qualitatem dignoscendam satisfaciet: Cum enim intellectiuus sit homo, multos habet cognoscendi habitus: Scientiam scilicet, velut Geometriam, Philosophiam, & Dialecticam: & Artes, velut nauigandi, arandi, & medendi: itemque intellectum, qui est principiorum; velut quòd totum omne parte sua maius est, omnibus autem partibus, æquale. Habet & prudentiam, qua cuncta tuetur agenda, ac disponit: & cum his, Sapientiam, qua Deum agnoscit, Religionem colit. Alij autem horum vno, aut altero, aut pluribus, magis excellunt: quo fit, vt in artibus suis, quique intellectu, & ratione adeò vtantur, vt quanquam rudes in

aliis

aliis rebus videri possint, in hoc vno tamen etiam claros viros antecedant. Alij, cum doctrina, & artibus careant, prudentissimi tamen, ob exercitationem sunt: Vt non obscurum sit, humanum intellectum, omnibus natura similem, at exercitatione sola differre: id quod nos & in barbaris, & in rusticis animaduertimus. Vnde quorundam hominum, Sapientiam profitentium, ignauiam admiror, qui literis præditos, solum rationales existimant, cæteros parum à brutis differre: Nec immeritò igitur contingit, (quod & vulgus dictitat) vt totum oppositum eueniat: scilicet vt isti eruditi, extra illam suam eruditionem, omnino nihil sciant, & à quolibet imperito facile decipiantur: Si namque hoc secum reputarent: omnes homines (nisi qui morbo aliquo detineantur) intellectu, & ratione pollere, eoque magis in vno, quantò ab alio exercitationis genere, remoti sunt, non incauti ab illis superarentur: Quàm multi, relictis vilibus officiis, clari euaserunt Philosophi: inter quos, ne longius digrediar, Simon Coriarius, cum ad eius tabernam Socrates frequentius ventitaret, cum discipulis, domesticos habens sermones, in clarum euasit Philosophum, monumentaque posteris non pauca reliquit. Qui igitur coriarius fuerat ante, sola exercitatione, fit Philosophus: Non contemnenda igitur eruditio artificum, & cæterorum literis carentium, tanquam ab intellectu aliena: sed vt dici soler, Quantum ab Athenis Megatæ, tantum à Megaris Athenæ: sic quantum eruditus, loquendo artificem vincit, tantò artifex, sua cogitatione præstat erudito, vtriusque igitur par ratio, par intellectus, eademque natura: verum solis finibus, & vsu differunt: At cùm in cæteris animantibus, & superior homine memoria sit, velut in equis: & robur ac vita, vt in elephanto: & visus potentia, vt in lynce & aquila: & auditus, vt in apro: & tactus, vt in aranea: & velocitas, vt in lepore: horum autem omnium habituum, nullum animal omnino particeps sit, nedum, vt hominem vincere queat: indicat hoc manifestè, animum humanum ab omni materia corporea esse separatum: quippe cum homo in omnibus quæ ex corpore pendent, ab aliquo vincatur animali: in bis verò animi virtutibus, nullum sit animal vel minimùm particeps; impossibile est omnino vt intellectiua virtus non sit & separabilis, & immixta, ac perpetua: nec tantum ipsa nuda remanet, sed cum ea, quæcunque ex hic didicerit: non memoriâ, sed ratione cooperante. Etenim cùm omnium animalium, canis, & cercopithecus, & elephas, absque contentione, ingenio maiore prædita sint: etiamsi totam vitam exhauseris, ne vel minimum præceptum aut artis vllius, aut prudentiæ docueris, prætet id quod eis innatum à natura est: nempe (vt facillimum dicam) nexum soluere, si docere nitaris, memoriâ quidem comprehendunt, vt trahant, emolliántque, tum verò vt constitutum nexum soluant: at verò, si vel pauxillum mutaueris nodum, haud vnquam, (nisi fortuitò) dissoluere sciunt: vt facilè intelligas, rationis expertia ea omnino esse. Similiter & aues loqui discunt, & vt Poëta dicit, tam bene, vt apud eum pica glorietur dicens,

Si me non videas, esse negabis auem.

Nunquam tamen quid dicat, complexúmve vllum edocebis, vt rationis, vel vestigium assequi videantur: & quantò, sermone, homini propinquiores cernuntur, eò certius, quòd nullius intellectus capaces sint, facilè cognoscitur: Similiter & canes, nomina propria agnoscunt, & venari aues disciplinâ edocentur: at hæc omnia memoriâ solâ retinent: quippe nihil præter id quod edocti sunt, addere, vel mutare, pro opportunitate sciunt: neque plura eos nosse, quæ ob sermonis sublatam facultatem referre nequeant, est arbitrandum: cùm aues maximè dociles (inter quas psitacus est,) quamuis loqui vt homines probè discant, nihilò tamen magis, vlli vsui rationis sunt vtiliores. Ad vnam igitur tantum artem, naturâ, ad vniuersa, memoriâ solum valeant, rationis, vsque in æternum, nec per prolis continuitatem erudiendæ, nec per longitudinem temporis, nec per industriam, capacia bruta sunt. Igitur & [quemadmodum docuit Aristoteles,] memoria, mentis pars non est: at verò, apud Platonem, Recordari idem est quod apud Aristotelem Intelligere: Nempe, hoc solo, hæc differunt, quòd conceptæ rerum series, ab Aristotele (quoniam noniter menti aduenire creduntur) Intellectus nomen habent: Plato vero, innatas animo nostro putat, quare memoriam eam vocat: Neutrius igitur, [cùm mentis solùm vires sint,] particeps brutum animal esse potest, sed eius tantum, quam Aristoteles Memoriam, Plato Opinionem appellat. Verùm cùm indiscretè nominibus passim vtatur Plato, reminiscentiam, seu memoriam sempiternam, mentisque partem, hominibus tribuit: opinionem verò & conceptam nuper ex sensibus memoriam, cæteris animalibus. At verò, quod ars illa omnino à natura sit, non ab vlla solertia; indicat, quòd etiam hirundinibus, & formicis, præstantissimæ sint, ac etiam reliquis vilibus animalibus, & ab omni sensu remotis: at, si discretione flerent, eò essent [vt in hominibus] artes elegantiores, quò animalia etiam sensu, & memoriâ præstantiora forent: at secus euenit, cum canes, equique ac elephantes, & simiæ nihil tale nouerint, quale vel hirundo, vel formica, vel bombyces. Essent etiam in his, [quemadmodum & in hominibus] circa eandem artem, & imperfectiones, & diuersitates, tum vero transitus in consimilia opificia, velut & in hominibus: quo tum nullum cum sit, haud dubium esse potest, vniuersam hanc institutionem à natura esse: Atque vt generaliter dicam, si possent bruta aliqua, vel rationis habere vestigium, necessarium omnino esset, vt ex duabus particularibus propositionibus, ratiocinatio instituta concluderet, quod nullo modo esse potest, naturâ igitur tantùm, non ratione reguntur. At vero cum ea ipsa, quæ animal docet [Naturasc.] sempiterna haud dubie sit, [quanquam animal ipsum mortale] quanto igitur magis est necessarium. Intellectum humanum, qui vniuersas animantium artes, atque his longè plures, & præclariores nouit, tum vero & disciplinas, & principia, & Deum,

Deum, omnemque cœli & elementorum cultum præter eas, immortalem & impatibilem fore? namque vt Natura ipsa, animal non est, sed quod animal docet, ideò eâ superstite, animal moritur. Sic è diuerso cum intellectus, homo sit totus, atque hoc duce ipsemet cognoscat: intellectu superstite, homo etiam totus, (quanquam corpus euanescat) incorruptibilis est: Quamobrem ritè admodum à Socrate reprehensum Critonem sentio, cum enim ab eo Crito ob beneuolentiam quæreret, vbi sepeliri vellet (iam enim venenum Socrates in carcere biberat, illicò moriturus) respondit, Hei mihi, quòd operam perdidi; neque enim Critoni persuadere potui, me totum hinc auolaturum. Intellectus enim quanquam simplicissimus, omnem tamen virtutem in homine comprehendit, nec plurium virtutum capax est, quòd diuersas habeat partes, sed pro natura, qualitatéque eorum quæ tractantur, & Intellectus, & Arbitrium, & Ingenium, & Deliberatio, & Voluntas, & Prudentia, & Sapientia, & Ars dicitur. Quare, etiam bruta his omnibus ex toto carere necesse est, neque enim vllum illorum, vel Arbitrio, vel Deliberatione, vel propriè dicta Voluntate vtitur (vt nec Intellectu, nec Consilio) sed omnia animalia, æqualiter, & in vniuersum omnium horum sunt expertia, quemadmodum & è diuerso, homines omnes, horum sunt capaces: vtpote quòd Natura illorum, quæ Intellectus, seu Mens, seu Rationalis anima; hæc omnia, potestate simul sit, ac contineat; atque propter id, in eorum singulum, prout vult transformatur. Quamobrem illorum vanitatem satis demiror, qui homines tantùm temperatarum regionum, Rationales esse existimant: at in extremis terræ plagis, feris persimiles, Solinique monstrificas formas comminiscuntur: At equidem longè iudicio aberrant, paucis enim ante annis, Leonardus Pisanus dum in Indiam, & Æthiopiam penetrasset: ex India, Arithmeticam, qua nunc vtimur; ex Æthiopia, Algebræ artem supputandi, [argumenta clarissimorum ingeniorum] detulit. Ægyptios omnium artium inuentores negat fermè nemo, at præcipuè Astronomiæ, nuper Ioannes Monteregius ex Germania, & Guliermus Zelandinus, excellentis vir ingenij, Erasmus Roterodamus Batauus, & nunc vniuersus Boreas, bonis literis scatet. Quam impudens est, eos à quibus artificia, summâ subtilitate, quæ nos Itali imitari nullo pacto possumus, ex Africa & Sarmatis deferri: illorum verò ingenia, beluinis velle comparare, nostra obtusiora præferre? Non habet temperata regio, neque meliora ingenia, neque acutiores mentes, verùm solùm suauiores mores, & affectus moderatiores: quibus (copiâ rerum, ob cœli clementiam adiuta) primas nititur sibi partes ascribere. Sed si Romanorum arma non fuissent, iaceret Italia, non paucis prouinciis, ingeniorum claritate cedens: Sic & Græcia, studiis, non ingenio, barbaros superauit: At quid refert, proniores, ad quosdam animi affectus, barbaros esse, vt propter hoc, mente minus valere dici possint? cum videamus plerumque, illustres viros, naturâ fuisse iracundos [humoris subtilitate, eas partes sensus quæ animæ inseruiunt rationali, locupletiùs adiuuante] neque tamen ob hoc igitur, minus rationales, iracundi dici debent: nisi eo sensu, quòd rationalem vim animæ, à corporis affectibus nimis superari patiantur, in quo intellectu, si extremorum climatum incolas, irrationales appellare libeat, non dissentio; quòd vitiis facilius parêre sint paratiores: non quòd ad rationalem animæ vim, quicquam omnino desit, cum plerumque, nobis, & ingenio, & consilio, & artium subtilitate præstantiores sint. Quid enim rogo interest, si duo, diuites æqualiter sint, alter autem diuitiis vtatur, alter autem nolit; numquid ob hoc eum qui non vtitur, pauperiorem altero dicemus esse? Itaque hoc, omnes inclyti Philosophi videntes, animum immortalem, & insenescibilem statuere coacti, ad eius vnitatem [mentientes] confugerunt: dicentes equidem immarcescibilem esse intellectum nostrum, verumtamen in omnibus hominibus vnum. Id verò aliter atque aliter affirmant. Quidam enim, (vt Auerroes) & passiuum, & agentem, vnum faciunt: vtrunque etiam separabilem: verum alterum formam hominis, alterum aduentitium quiddam, & ab homine penitus separatum. Alij rationabilius, [ex his sententiis,] solum agentem extrinsecus aduenire affirmant: neque tamen sic homini copulari, vt forma eius omnino sit, atque hominis pars. Verùm, quòd de duplici intellectu Auerroes affirmat, apud Aristotelem nunquam inueni. Vnus enim est qui foris aduenit, ac inseparabilis non est: cætera omnia, ex materia, & seminis virtute educuntur: At duos Intellectus in homine efficere, ambosque perpetuos absurdissimum est. Sed iam hoc nostra nihil interest; ostendamus eum qui immixtus sit, atque forinsecus venit, omnino vnicum esse non posse: Namque si talis esset, atque hominis forma, quonam pacto antequàm in nobis exerceretur, tabulæ rasæ ac nudæ posset comparari, imbutus iam in aliis, omni disciplina. Omnes etiam homines æqualiter saperent, imò omnes [quòd plus est] homines, vnus essent homo, quòd eorum forma, vna numero foret, & vnum intelligens: At verò, si forma non est, quid absurdius quàm dicere hominem intelligere, cum Intellectus ipse, hominis pars non sit? Verum hæc quanquam ridicula sint, eis condonentur, atque ex initio, fundamentum ipsum repetatur. Aut enim hic Intellectus, vnicus, & perpetuus, tantùm in hominibus est: aut etiam tanquam quidam Sol, naturâ separatus, sed luce, hominibus cunctis assistit: Siquidem in hominibus tantùm est, quomodo est separatus? quomodo extrinsecus venit? quonam pacto ex potestate seminis non fluit? quid verò excellentius cæteris animantibus homo habet? eum & ipsa, materiam perpetuam, & naturam à qua reguntur, immarcescibiles sortita sint. Hoc enim, *sic permanere*, non inest, nisi similitudine, non autem numero, idem permanere, eadem enim esset vis, in animali, Natura; & in homine, Intellectus: At verò ob hoc, animal ab alio regitur: quoniam Natura non potest animali eadem esse, quoniam id à quo regitur, permanet, extincto animali: Si igitur homo

homo à ſeipſo regitur, & eſt immortale quod regit, vnum eſſe non poteſt in diuerſis; ſeparata enim eſt natura quæ regit, ab animalibus, vt vna pluribus inſeruiret, copulata verò eſt vis in homine intellectiua: quapropter intellectiua vna facultas, pluribus hominibus non poteſt inſeruire, ſed vnicuique ſuus Intellectus attributus eſt, At nec, tanquam ſol extra colluceet nobis, primum quod nos ipſimet non aliter intelligere noſmet percipimus quam ſentire: Eſt autem Senſus proprius nobis, & omne eius fundamentum, noſtri pars, igitur & Intellectus: Tum etiam quòd ſi exexterius collnceret, ab alio regeremur, velut & brutà, quæ non ob aliud, ab alio reguntur, quàm quod id à quo reguntur, extra ipſa eſt: Hoc verò maxime nobis hominibus proprium eſt, vt nobis ipſis imperemus: namque virtus quæ in nobis membra mouet, quoniam ab intelligentia proficiſcitur, alienóque ac externo regitur imperio, ſemper eodem modo paret, nec noſtra omnino eſt, nec nobis cognita, ſed ea vtimur, quomodo vtamur neſcientes, ſic & eorum quæ aliunde proficiſcuntur, non plenè domini ſumus. Sic belluæ, quoniam & facultate mouente, & ſenſu exterius cauſam habente reguntur, eodem modo, omnis prorſus libertatis expertes ſunt, & penitus imperio parent alieno, nihil differentes in ſuis affectibus, ab eo ſenſu atque obſequio, quod membra in homine, voluntati exhibere ſolent, nam & ea ſi lædantur, ſponte, & abſque voluntatis imperio, ſe retrahunt, quamuis propter quid, id faciant, minimè cognoſcant: Atque, etiamſi extra nos intellectus eſſet, non magis ab animalibus differremus brutis, quàm ea inter ſe: neceſſéque eſſet, & bruta, intellectus non eſſe expertia: quandoquidem eodem modo & natura brutorum, & hominum, eodem modo, & ab eiſdem ſempiternis cauſis illuſtratur. Oſtenſum verò eſt, nullo modo eius partis, quæ rationalis eſt, animalia bruta vſque in æternum, vel minimam vmbram aſſequi poſſe, ſed per memoriam, aut naturam, aliquando præbuiſſe ſpeciem conceptæ cuiuſdam rationis. Quamobrem perſpicuum eſt, mentem hominum cœleſtem eſſe; & pro eorum numero diſtributam; nec marceſcentem, nec ſeneſcentem vllo modo: Sed velut radij Solis ſi in opacum inciderint, aut in nebulam, non collucent: at ſi in vitrum, aut aquam, aut cryſtallum: tanto ſplendidius, quanto materia magis eſt perſpicua: nec hi radij tamen illis præſtantiores, aut diuturniores, ſed æquali perpetuitate funguntur: Sic animi, corruptis partibus, in quibus maxime refulgent, ſeu ſenio, ſeu morbo, deſinunt proprio ſplendore, propriiſque vti facultatibus: vnde apud quoſdam marceſcere videntur, cùm tamen nulla ex parte ſint vitiati, aut languidiores redditi, ſed inuiolati ad mortem vſque permanentes, indéque emigrantes, veriſimilem nobis opinionem præbent, (quis enim ſecus exiſtimare poſſit?) bonorum beatos, ac fœlices ſemper eſſe, malorum infœlices & miſeros, hinc alij, reuerti in corpora poſt ſeculi conſummationem, & (vt dicunt) annum magnum, vt Platonici: alij, vſque eò perdurare, atque in mundi, per ignem conflagratione, quam poſt longa tandem ſecula venturam expectant, interituras dicunt, vt Stoici. De quibus cum nihil nunc firmum, ac conſtitutum habeam, dicere non decreui: ſat ſatis mihi eſſe putans, oſtendiſſe ſingulorum animos hominum, poſt obitum ſeorſum manere, cum his facultatibus, quæ maximè illis propriæ ſunt: velut voluntate, intellectu, ſapientia, ſcientia, deliberatione, ratione, artium peritia, atque eiuſmodi virtutibus. Nunc iam ad propoſitam ab initio orationem reuertamur: Propoſitum nempe fuerat, mortem neque malam eſſe, nec deplorandam: Neque minus diſputatio de animi immortalitate huic neceſſaria negocio videbatur, quàm, vt dici ſolet, lucernam adhibere in meridie: Nullis enim minus mors grauis fuit, quàm his qui nullum ſenſum à morte eſſe putauerunt: Attamen cùm in hos ſermones incidiſſemus, quod nobis verè ſcire contigerat, alios ratione docere voluimus: nunc verò oſtendendum, mortem neque malam eſſe, neque deplorandam: turpiſſimum verò ac omni excuſatione vacans, proprium interitum aut lugere, aut timere: quem nulla pietas, nulláque miſericordia poteſt excuſare; ſed timor, ac animi paruitas, tum viuendi nimium anxia cura, ſolùm in cauſa eſſe poſſunt. Sed quæ tibi cura tanta, aut quæ tanta fœlicitas, chariorem hanc lucem efficit? aliquidne tu ſolus habes, quod nos non experti ſumus, propter quod etiam vitam deſideras longiorem? Nempe & nos ſydera, cœlum, montes, maria, flumina, euripos, lacus, ſyluas, prata, hortos, vrbes, oppidáque vidimus, at verò iocos, luxus, citharam, cantus, conuiuia, venerea, amores, nocturnaque bacchanalia; totam denique ſtultitiam attigimus: nec defuit exercitatio laudanda, diſciplinarúmque liberalium mediocris notitia; tum contentioſæ diſputationes, publicæ perorationes; dignitates etiam pro qualitate adepti ſumus: honeſtis etiam deſideriis ſatiſfecimus, filiorum, amicorum, affinium, ac gloriæ conſuetudine gauiſi: & pecunias, & veſtes reliquaque commoda naturæ percepimus: plura longe ex his contemnentes, quàm quærentes: In his omnibus, nil aliud libet quàm illud Propheticum exclamare, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Sed ſi modò cuiquam ſeu ſplendidior fœlicitas, ſeu compendiaria ad beatitudinem via quædam affulſit, aut nouum iucunditatis genus, edoceat: ego ſanè in his omnibus, plus moleſtiæ inueni quàm voluptatis. At puto non aliter his accidere, qui tam anxiè & diu viuere deſiderant, quàm quærentibus metallorum tranſmutationem: quiduis enim potius, quàm quod optant inueniunt: atque vltra id, quòd nec aurum nec argentum factitant, paucum etiam illud, quod habebant amittunt: ſic qui maximo nixu fœlicitatem proſequuntur; cum eam non adipiſcantur, etiam illâ, quam habent animi ſecuritate, & requie ſpoliantur, fiúntque infœlicisſimi. Quamobrem cum nihil iuuet hoc vitæ deſiderium ingens, (etiam ſi vita bona eſſet) præſtat cuique, ſine anxietate, hoc pondus curarum libenter deponere; atque vt fidum virum his qui tibi depoſitum commodauerint, reddere;

dere: at verò si frustrà discrucaris, quid aliud tibi paras, quàm quòd & illud exiguum vitæ, quod superest, in morte consumis? si quidem totum tempus quod mortis cogitationi impenditur, mors est; At quanto melius Agathij consilio acquiescere, qui mortem non ineleganti præconio extulit: dicens, eam non solùm dolores ac morbos, cæteràsque molestias sedare: sed & solam inter omnia, tantùm semel ad hominem accedere: cum incommoda omnia sæpius vigeant, sæpiusque reuertantur: Neque vero ingens malum esse potest, quod tam leuissimis causis aduenit, atque vndique paratum est: solent enim quæ noxia sunt, etiam rara esse, & inuentu difficilia; at morte nihil leuius occurrit, nil frequentius. Nempe mors ab aëre, à ventis, à fulmine, ab aquis, ab igne, à terræ motu, à feris, à piscibus, à casu, à puluere, à fumo, à serpentibus, à potu, à strato, ab arboribus, à somno, à mentis concussione, à gaudio, à risu, à societate hominum, ab ira, à discordia aliisque innumerabilibus causis occasionem arripit. Quid graue in ea esse potest, quam acinus vuæ, & pilus accersiuit? Philomenes cum vidisset asinum comedentem caricas, redeunti puero dixit, Postquam caricas asino reliquisti, da ei & merū, solutúsque ex festiuitate in risum, dum non posset ab eo temperare, cachinno assiduo extinctus est. Cum Coma (Diogenis insignis latronis frater) à Rutilio consule captus, de conatibus fugitiuorum diligentius quæreretur, sumpto ad cogitandum tempore, atque inter genua reposito capite, compresso spiritu, inter ipsas custodum manus expirauit, tam faciliter vt nemo eorum cognouerit illum animam egisse. Quid igitur in tanta facilitate aliud existimare possumus, quàm mortem, somno quàm simillimam esse? atque vt in somnum, è vigilia, quamuis attentiores facti, nihil minus sensim dilabentes, accessum ipsum sentire non possumus: sic etiam è vita in mortem migratur; paulatim sensu dilabente, mors absque sensu vllo inuadit. An putas, cùm Socrates ex veneno iam frigeret, amouissetque seruus pallium, tanquam protinus morituro: ille verò iocaretur Critoni dicens, gallū memineris Æsculapio sacrificare [quòd hic olim mos his esset, qui salutiferam potionem aliquam bibissent] egregium aliquod malum sensisse? certe non, neque enim in extremis doloribus ioci succurrunt, nec mens ipsa compos est sui. Illud tamen admiratione non parua dignum est, quod cum omnes tantum mortem & timere, & odisse videantur, nihil tamen facile adducentia subeunt, nec circa aliud minus, quàm circa vitandum eam soliciti videntur: amator, scortum vitæ præponit; iracundus vindictam, parasitus gulam; ambitiosus honores, auarus opes, miles rapinam; mater filios; negociator merces, studiosus eruditionem: vt nihil denique non sit, cuius causâ, mortis non obliuiscamur. Mortem igitur vt video odimus, & accersimus. Sed non immeritò, namque nihil minus in se mali continet: laudandumque propositum eorum, qui eam contemnunt; si ea, propter quæ vitam negligunt, aut honesta forent, aut necessaria: moderatiusque diligerent, quippe ob nimium aliarum rerum studium, mortem negligere, non est fortitudinis in contemnendo argumentum, sed potius desiderij ingentis, & impotentis animi: quamobrem non tam laudabilis contemptus, quàm vituperabilis intemperantia est. At verò mortem formidasse, quam illud laudari non possit, hoc tamen turpius est & fœdius, cum omnem incontinentiam, animi abiectio vincat, præsertim verò in re necessaria, & minimè mala. Equidem illud Epicharmi quidam probant, Emori nolo, me mortuum esse, nihil curo: quasi finis ipse qui post mortem succedit, aut iucundus sit, aut non tristis. Quid enim triste esse potest, carere fame, siti, doloribus, labore, tristitia, timore, ac (vt vno explicem verbo) malorum aceruo: quibus (si anima non superesset) carere perpetuò necessarium est? at cum ea etiam supersit, horum loco, plura splendida bona permutasse, nonne optimum existimari debet, ac iucundissimum? Ea de causa Socrates (etenim hic sæpe ad partes, vt dicunt, vocandus est) dicere solebat, Mortem profundissimo somno quàm simillimam fore, aut diuturnæ peregrinationi, aut interitui, quemadmodum animalium brutorum mors est. Si enim anima manet, & nihil post mortem intelligit: profundissimo somno mors assimilatur, nempe quòd & in illo quiescamus, nihil aut sentientes, aut intelligentes; post tempus, ad easdem exercitationes redituri. Certissium quidem, eum dulcissimum esse, ac suauissimum, qui sit profundissimus: nempe nullum alium probamus somnum, nisi in quo, mortuis similes, nihil somniamus. Etenim inquietus, leuis, interruptus, molestissimus est; is etiam qui imagines, & insomnia ostendit, ægris corporibus aduenire solet: inde Horatius:

Ægri somnia vanæ finguntur species.

At lenis, ac profundissimus, qualis fessis superuenire consueuit, gratissimus mortalibus est: inde Homerus dulcissimum, ac morti assimilatum, profundissimum vocat, dicens:

νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς.

Et Virgilius.

Dulcis & alta quies, placidæque simillima morti.

Memineram patrem meum, Facium Cardanum, cum viueret, in ore semper habuisse, se mortem optare, quod nullum suauius tempus experiretur, quā id in quo profundissimè dormiens, omnium quæ in hac vita fiunt, expers esset: id puto intelligens, quòd vniuersa hæc delectatio, quæ sensibus percipitur, plus habeant amaritudinis, quam dulcedinis, atque ea propter nihil melius sit, quàm (intellectu seruato) ea caruisse. At vero communis opinio, mortem somno potius, quàm peregrinationi, aut interitui comparauit: Inde Homerus, æreū somnum, Virgilius ferreum, mortem vocat, vtrique enim eorum, par est obliuio omnium remissio curarum, & laborum, sensuum torpor, & aduentus incognitus: hoc vno tantum mors, à somno differre videtur, quòd tempus quietis, in morte longius est: inde, Diogenes cùm ægrotaret, sciscitanti medico, quomodo se haberet: probè inquit, frater fratrem inuisit: nuper enim dormierat: tāta fuit animi securitas, vt sub ipso vitæ exitu, iocaretur. Sic & ante nostram ætatem sapiens vir Cosmus

Medices,

Medices, cum sub morte, oculos clausos continerer: interroganti vxori, cuius gratiâ id faceret: respondit, vt assuescant. nempe mortuis oculi neque patent, neque conniuent, ex instituto quodam vulgi more. Id verò etiam spectasse Poëtam puto, cum dixit:

Stulte, quid est somnus, gelida nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

At verò si mortem diuturnæ peregrinationi assimilaueris, vtque soluta, corporis carcere, omnia intelligat, per loca omnia obambulet: quid ipsa fœlicius vel cogitatione inquã, complecti queat? quandoquidem animus dum corpori hæret, nec liber est; nec quicquam rectè intelligit: sed solicitudinibus atque curis prægrauatus, quasdam videt rerum imagines: & nutante animo, quasi per septũ, aut contextam telam, quædam comprehendit, nec intelligit. at sic, liber, non tantùm ab impedimento, sed ab onere, omnia dilucidè conspicit. Quod si sic se habeant, quisnam mortem libenter iure meritò refugiat? quin potius vt Theombrotus Ambraciota, qui lecto Platonis libro de animi immortalitate, nullo alio vexatus incommodo, naturalem mortem expectare non sustinens, præcipitem se è muro sponte dedit: vt eam ingentem animorum beatitudinem vltrò sibi adsciscetet. Non immeritò igitur Socratem, cum à Critone antequam in vincula coniiceretur, ad fugam (cum amicorum, tum filiorum, si sui causa nollet) persuaderetur, ferunt prudentissimè respondisse: ô Crito, filij quidem diis curæ erunt, qui eos nobis dederint: cæterùm quod ad amicos pertinet; in eas sum regiones concessurus à morte, in quibus pares certè nobis, amicos; & forsitan meliores etiam inuenturus: at vobis ipsis, vestrâque consuetudine, nec diu cariturus. breuem scilicet humanam vitam subindicans. Talia Socrates dicebat, quòd existimaret, ex his tribus rebus, quibus mortem assimilari necesse est, veram eam esse tantùm, quæ peregrinationi longæ eam æquiparat. Quod etiam ex somniis colligere licet: nulla enim certiorem exitum vitæ præsagiunt, nec fideliùs, aut clariùs indicant, quàm ea in quibus, in longinquas & peregrinas regiones obequitare sibi videntur homines; aut alios coniunctos viderint, præsertim si & albus sit equus, & cursus celer, & regio innota, nec vllum reuertendi, postmodùm simulachrum subsequatur. mente quod sibi futurum est naturaliter diuinante, ac iam concipiente, quid mox factura sit. At si interitui cuidam persimilis obitus esset (quanquam hoc esse impossibile, iam dilucidè ostẽsum sit) nihilò minus tamen etsi ita foret, mors mala esse non potest. Quid enim non est, malum quomodo esse potest? aliter verò & eos qui nunquam nati sunt, quique nunquam fuerunt, dolere arbitrabimur. quæ enim non sunt, nihil pati possunt. Sed si permutationis causâ doles, certe plura mala mors tollit, quàm bona, & certiora. Etsi nihil aliud mors afferret commodi, mala existens, (nam & hoc ex Epicharmi dicto solum superest, quòd exitus ipse grauis sit) hoc vno ipso, metu sui ipsius te liberat. nam in cunctis malis euasisse, summum præsidium est: Si igitur mors mala est, miserum esse, est, euasisse: si bona, non est quod torquearis: horum autem, alterum necessarium fore, quis dubitat? Memini tamen quod olim mihi contigerit: (neque enim ab te referre id puto) Laborabam semitertiana annos natus septem & viginti: atque in ipso indicationis die, qui quartus fuerat, tum verò in iudicatorio, septimo scilicet, exolutus animo sum, ac quasi mortuus iacui. contigerat verò id non ob morbi vehementem malitiam, sed quòd ore ventriculi [quòd Græci stomachum vocant] læso, vtrũque principium, cerebrum scilicet, per neruos quinti paris, & cor, ob arteriam tum magnã, iuxta eundem locum obequitatem, tum etiam per eosdem neruos, qui eousque perueniunt, malè affectum fuerat: Igitur quamvis integris penè viribus, resolutus, nihil tamen amplius, aut doloris, aut molestiæ sensi, quàm quandam in vniuerso corpore, qualis in venereis solet accidere, titillationem: reliquum, post initium [vt in somnum cadentibus] deprehendere non potui. Id igitur, vt dixi, cum bis incidisset, nihil aliud deterius sum expertus, nisi quòd ea titillatio, nec tantùm voluptatis affert, quantum venerea: & habet aliquid, quo exoluit vires, sed tenui molestiâ sentiamus: nec grauiùs quicquam passus sum, quàm quendam timorem, quo putabam me prorsus mortem obire: & certè ad sensum ac robur, parum discriminis, ac penè nullum intererat: ad periculum verò, plurimùm. Confirmatus autem postmodũ in opinione sum, non paucos interrogans, quibus mortem protinus imminere cognoueram: an sæuum aliquod malum sentirent? quos cum negare id viderim, maioremque molestiam in grauitate capitis, aut omnium membrorum dolore leui, collocare: intellexi me non in iudicio, & quam de morte conceperam opinione, aberrasse. Illud etiam argumento non dubio deprehendi: quod cum mulierculas, & pueros, ad omne auxilium medicamenti, aut secandæ venæ, aut cucurbitularum applicandarum, contumaces, adeoque morosos expertus fuerim: sub mortis autem tempore, nec quererentur, nec lamentarentur, plurimùm verò contristarentur, si horum quippiam auxiliorum afferre me velle intelligerent: quis potest dubitare, mortem ipsam, aut mali omnino nihil, aut admodum exiguum continere: quòd eam contemnant, qui spretas à nobis molestias, tantopere timent? Id etiam considerandum, eos non minus audacter mortem consciisse sibi, qui nihil omnino post mortem statuunt; quàm qui animum sperant immortalẽ: Quemadmodum Cassius, qui Cæsarem occiderat, eodem pugione, neque expectato cladis nuncio, perperam se confodit, & Marcus Antonius, triumvir, & Sardanapalus Assyriorum Rex, dum victus esset, semet cum tota regia suppellectile, & concubinis, intrepidè rogo iniecit: At vero non existimasse hunc, quidquam à morte superesse, testantur notissimi illi versus:

Ede, bibe, lude, &
Cum mortalem te noris præsentibus exple
Deliciis animum, post mortem nulla voluptas.

Non igitur, etiamsi cum corpore animus intereat, mors mala esse potest, aut grauis, vel timenda.

timenda. Illudque securius habent, qui sic credunt: quòd nullo iudicio subiaceant, solutamque ab omni suspicione mentem, vel pœnarum, vel præmij subeundi (quæ plurimos in morte anxios facere solet) retineant: Verùm omnia potius crede, quàm sic animum cum corpore mori. nanque, vt minime certum est, quonam pacto à morte se habeat, ita certissimum est quòd superest. Neque tamen [etsi aliunde ratio ipsa non expetatur, sed à sola vitæ, & mortis consideratione] iniquiore animo mors ferenda est: tum quòd nihil hac vita, aut miserius aut difficilius sit, tum quòd etiam Deorum monitu, cettiores de hoc facti simus: tum quòd Sapientes omnes, istud censuerint: tum etiam quòd in re ineuitabili, melius consilium sit eligendum. Itaque à prima ratione sumamus initium: Quid aliud est vita nostra, quàm ærumna perpetua? singulis diebus tot necessitatibus, tot laboribus, tot suspicionibus, tot periculis obnoxia: Nihil est voluptatis in homine, quam pœnitentiam non sequatur: vltus sum, cauere oportet: comedi ad satietatem, grauitas me offendit: parcius edi, non est expletum desiderium: venereas delitias sequor, hinc multiplex pœnitentia; lassitudo, fastidium, morbi denique: ne cuncta persequar, semper medius inter hæc ambulas; Vt vel non expleas appetitum, desiderioque discrutieris: vel satiatus, pœnitentia & incommodum te torqueat. Curnam omnes gentilium Dij, mortem vitæ hominibus præposuerunt, nisi quòd humana miseria (illis nulla ex parte cæcutientibus) tota nota esset? Etenim refert Pindarus, Agamedem & Trophonium cum templum Apollinis, Delphis condidissent, petiisse à Deo illo mercedem: quam ille cùm intra septem dies libenter redditurum esset pollicitus, consuluit, vt interim conuiuiis & genio indulgentes, iucundam vitam ducerent: at in fine eorum dierum, cum somnus eos altus excepisset, vita functi sunt. Quo euentu Apollo, non obscurè docuit, nullum esse mortalibus maius præmium, quàm mortem. Post aliquod tempus, idem Deus, sententiam in ipso Pindaro confirmauit, cum enim per Bœotios legatos, Poeta ab oraculo sciscitatus esset, quid est quod homini optimū possit contingere: respōdit Pythius, non ignorare Pindarum, quod rogaret: si vera essent quę de Agamede & Trophonio ipsemet literis mandasset: quòd, si experiri vellet, paulò post ei successurum: Intellexit poëta, id ad obitum suum spectare: nec deceptus est: paucis enim post diebus interiit. Refert Plutarchus in epistola consolatoria ad Apollonium: Aristotelem in libro cui titulus Eudemus est, seu de anima (qui quanquam à Sylla tectus fuerit, ad nostra tamen tempora non peruenit) hanc historiam scribere. Cùm Midas in venatione Silenum cepisset (est autem Silenus ex satyrorum genere, à Bacchi nutritio, qui & ipse Silenus vocabatur, & Satyrus erat cognominatus: vnde plures ab vno defluxerunt: dicente Plinio, *Pinxit & Lasciuiam, in qua tres Sileni comessantur*) interrogauit eum rex: quid optimum homini foret, maximeque desiderandum? atque cum diu Silenus respondere noluisset, coactus tandem regis pertinaciâ, in hæc verba erupit: O Dæmonis laboriosi, & vnius diei semen, quid me ea dicere cogitis, quæ vobis ignorasse melius esset, cum propriorum malorum ignorantia, ad vitæ iucunditatem conferat? sed postquam, vos mala vestra scire iuuat: *Optimum non nasci vnquam vobis esset; quod verò huic proximum, factuque facile, natum subitò interire: neque enim conditio vestra optimæ naturæ particeps est.* hæc Silenus. Sed nec Philosophorum sententia ab hoc discrepat, vnde Peripateticorum princeps Aristoteles, eos qui seipsos occiderint, molles & effeminatos appellat: fortis enim viri esse, mala perpeti, at verò imbellis, & ignaui, ad mortem propter miserias confugere: quod & poëta lepidè imitatur dicens,

Rebus in angustiis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

At Academicorum optimus, Plato, dicebat: morti non succensendum, quòd nesciamus, an bona sit, an mala. indicans à suppliciis, aut præmiis, post mortem; bonam aut malam esse. ipsam verò, neque bonam, neque malam, quod simul, vtrunque illorum ex hac vita auferat. Quamobrem etiam à Sacra scriptura Mors non nisi Somnus; & Mori, Dormire, dicitur. Quid mirum igitur est, si etiam præter spem futuri sęculi, mors fugienda non est? Beatum Paulum optare, vt dissoluatur, & cum Christo sit? At verò, hoc non tantùm, Sanctorum virorum desiderium esse debet, sed etiam Bonorum: Nempe cum tria nobis malorum genera euenire possint: Alia quidem, in nobis, atque in animo nostro, quibus Temperantia aduersatur: alia, extra, quibus occurri potest, in hisque Prudentia satisfacit. alia, quanquam extra animum nostrum sint, ineuitabilia tamen sunt, quibus Fortitudine opus est: quid (togo) esset Fortitudo, si post mortem aut timere bonum esset, aut necessarium? Cum igitur quemadmodum Temperantia, & Prudentia, vtilis hominibus est, sic & Fortitudo: quænam eius esset vtilitas, si mortem necessario timeremus; aut si mortis metus, bonus esset, vel honestus? Cum verò homini necessarium foret mortem aliquando accedere, ex tribus, vnum, etiam sequi oportuit, Vel quòd bestiarum more eam ignoremus superuenturam, quando homini fieri nequit vt contingat; Vel vt æquo animo ferat; Vel vt discrucietur: nonne longè melius est, quod naturaliter homini datum est, æqui boni que consulere: eóque magis, cùm videamus loco Ignorantiæ in beluis, Fortitudinem, homini à Deo concessam, aduersus mortis necessitatem? Neque enim melius consuluisse Deum brutis, quàm hominibus credendum est: at illa omnino nullam mortis curam (eam ignorantes) suscipiunt: quamobrem & nos (ab eo timore immunes) ipsâ animi constantiâ esse decet. Quid verò patriæ vtilitatis, quid nostris, quid virtutibus auxilij afferre possumus, si mortem non contemnamus? Callicratidas Lacedæmonius dux, cum aruspicem, victoriam patriæ, ipsi, mortem nunciantem audisset, respondit, Me mortuo, nihil Sparta diminuetur. Quàm speciosa sunt, quàm splendida facta virorum mortem non formidantium! quàm fœlix vita! quàm honesti

exitus

exitus! quam gloriosa fama! denique, Cur piget ad eam æqualitatem accedere, in qua seruus æqualis est Regi; turpis, formosissimo; atrox humili? Nec Xerxi numerosus exercitus, nec Tiberio thesaurus; nec Antonio truculentæ minæ, quicquam proderunt: omnes erimus æquales & innoxij: si veram virtutem excipias, nullum discrimen erit, in eam æqualitatem, in hunc ordinem; vbi nec liuor, nec odium, nec inuidia est; quisque absque naturæ, aut fatorum iniuria vocatur; quando nemo huius expers itineris esse potest: facit solùm opinio quædam hominum falsa, lætam rem, difficilem, atque onerosam: Sic & itinera, & studia, & congressum Regum, (quicunque harum rerum expertes sunt) magnifaciunt: at qui assueuerunt, nihil ea esse cognoscunt. Et verò complures, etiam cum non experti essent, timorem hunc neglexerunt, semetipsos ob leuissimas causas occidentes, inter quos Dioxippus athleta, furti insimulatus (ob Macedonum inuidiam) apud Alexandrum, cum falsa esset accusatio, gladio se transfodit, iniuriam prius testatus. Quendam patritium literis vacantem, ob non impetratam gratiam apud mulierem Patauinam, quam deperibat, veneno sumpto mori vidimus: Alias eius noster, eum iacturam in frumenti precio fecisset, laqueo se suspendit: Alius [& idem patritius] cum æs alienum non tam commodè dissoluere posset, in puteum se præcipitans, extinctus est: Mulierem vidi, quæ cum adulterium commisisset, tædio vitæ [etiam spe veniæ proposita] venenum sumpsit: Cleopatra ne in triumphum duceretur, & ipsa vitam, cum potestate retentura, si vixisset, serpentum tamen morsu mori voluit. Honestior fœmina, sed minore periculo, Portia, Catonis filia, & M. Bruti vxor, coniugis audita nece, cùm ferrum subtractũ à domesticis foret, prunas hausit: & sic mortem inuenit. Iustiore causa puer Democles Atheniensis, quem Demetrius Rex deperibat [erat enim formosissimus] cùm obseruato tempore in balneo existentẽ, nudúmque Rex per vim aggredi destinasset, in feruentem aquam se iniecit, & extinctus est: Nota est Lucretiæ mors, quæ cum inuita, vim passa foret, volens se transfodit: Alexandro Magno voluntariæ necis exitus, non animus defuit: cùm enim Clitum amicum ebrius occidisset, inediâ se conficere voluit, vixque precibus, & vi amicorum omnium, post triduum reuocatus est: Idem cum Sudracarum Indiæ oppidum expugnaret, è muro in ciuitatẽ prosiliens, non dubiæ morti se obiecit; solus in hostium vrbem, & præcipitio delatus; sed fortuna, euentum minime passa est: Non feret liber exempla eorum, qui ob metum, vel amorem, vel dolorem, aut iram, aliásve causas leuissimas, mortem adsciuerunt sibi: cùm vltrò, ad certum exitium, etiam integræ legiones properauerint. quales etiam, qui cum Leonida, contra Persas, iuxta Thermopylas pugnauere. Quid igitur & volentes, & tam leuibus incitati causis (si esset mors magnum malum) sustinere decreuissent; Quando non ætas, non sexus, non gradus vllus dignitatis, eos à proposito deterruit? At video quid sis dicturus, Mortem non reformido, quæ cum mala non sit, est etiam necessaria: necessariam autẽ rem timere, & inane, & turpe, & etiam damnosum est: sed vellem & eam lenem habere, & in senio: qualem Augustus optauit, & consecutus est: non enim solùm, ex senectute diuturniorem vitam ero assecutus, sed & leniorem mortem: censet enim Aristoteles: in libro de respiratione: admodum senes, nullo prorsus cum dolore, imò, ne cum sensu mortis quidem interire: quòd calor qui extinguitur, perexiguus sit: nobis verò aliud satisfaciet exemplum: nam velut in dente non commoto, si coneris euellere, ingens sequitur cruciatus: at contrà si labat, nullo negôtio, & sine dolore euellitur: sic & cruda iuuenta, acerbam admittit mortem: senectus mitem, ac vt Tragicus ait,

Animam senilem mollis exoluit sopor.

Quid verò ambiguum esse potest, mortem duram iuuenibus esse: cùm etiam somnus ipse, reluctante natura, molestus sit. sæpenumero enim, ex quâdam consuetudine somnum extra tempus quærentes, sicci, & famelici, nec lassi, tædium, voluptatis loco subrepit. Conquerebatur moriens Theophrastus (& erat senex) de Natura: quod tam longam vitam ceruis, & cornicibus, inutilibus propè animalibus largita esset, homini verò, sapientissimo, & proculdubio nobilissimo, tam angustos æui terminos præfinisset: quid igitur illis continget, qui in flore ætatis intereunt? nonne iusta querelæ occasio erit? Certe non. Sed modò causam audi: Primò cur homini non longissimam inter alia animalia ætatem decreuerit; postmodum intelliges, eum qui in iuuenta præripitur, eo qui senex, non grauius quicquam pati. Etenim primò illud dubium est apud multos, præcipuè verò apud Aristotelem) an vllum animal elephante excepto, homine viuacius sit: nam (nec phœnicis mentionem facit) nec coruum, aut cornicem, vel ceruum, homine diutius viuere affirmat. Sed illud quod etiam Virgilio tribuitur, fateamur: quandoquidem nostra nihil interest, quod poëta dicat, de hominibus loquens:

Hos nouies superat viuendo garrula cornix.

Concedentibus iam ex Aristotele, elephantem plus viuere, quàm hominem, cur contendendum erit, seu homo ab vno, seu à pluribus vincatur animalibus: illud etiam consultò prætermittentes, quod Sacra pagina, longissimas vitæ periodos, quibus nulla brutorum vita sufficeret, hominibus ascripserit. Illud tantum nunc tractemus, quod præ manibus est; scilicet causam, cur homo ab aliquibus animalibus, in vitæ diuturnitate vincatur. Causa igitur est, quòd cum cætera animalia, vel ad hominis vsum, vel ad decorem facta sint; prout libuit à natura formari potuerunt; cùm anima illorum, tam propter corpus facta esset, quàm propter animam, corpus: itaque simpliciter facta, & paucioribus cum instrumentis, tanquam solidiora, diutius durant: at hominis corpus, cum propter animum tantùm, factum esset, plura necessaria habuit instrumenta: vt Intellectus suo munere vti posset: Itaque, quanquam natura optimam conditionem humano corpori tribuerit, non tamen eam vitæ longitudinem assequi potuit; ob nimias cõcauitates, ac membrorũ tenuitatem: quę si magna fuissent, [vltra

id quod omnes fuissemus gigantes] etiam inuicem sibiipsis fuissent impedimento: indicio huic est, quod nulli animali numerosiora sunt membra, seu membrorum partes: quas & tenues, & molles esse necesse fuit: vt etiam exactius formari possent, atq; inde spiritus [animi instrumentum] subtilior & clarior euaderet: Nihil igitur in hoc natura neglexit, tantâque diligentiâ, vitam hanc nostram adiuuit, vt terminos eius, non vlli homini pœnitendos, largita sit. Ostendunt id, nouiter homines in Indici maris insulis inuenti, annos triginta supra centum superantes: quòd in aëre bono, sine curis viuant: at nos, inter curas, & voluptates, intempestiuosque labores; & aërem, propter lucrum eligentes; non ad vitam, [nec cuiusquam magis, quàm diuturnitatis eius obliti] per assiduos morbos, & corporis incômoda, in præcocem mortem irruentes, naturam ipsam, immeritò, breuitatis æui, incusamus: At satius quanto esset, scire illius vti liberalitate, si modò tam cara, ac iucunda, hæc nobis lux est: Cur enim Philosophos plures, ac Eremitas, longissimo tempore vixisse legimus? quorum tamen valetudinem, horum, nimia abstinentia, illorum, assidua côtemplatio atteruntur: nisi, quòd absque curis, & temperatè viuerêt. Quanto hæc ratio, carnibus & melle, & cœnâ Galeni lautiore, ad producendam vitam melior est? At nunc, anxij inter labores, & curas & semicrudam noctê peruigiles, Venere excarnificati; inter nebulas, non in aëre habitantes; vinóque decocti; de vitæ breuitate conqueruntur: Sed modò quantumvis breuis vita sit, facit hoc æstimatio nostra. neque enim cum (prætermissis Pygmæis, fabulosis nationibus) Garamantes annum non excedant quadragesimum, iure merito conquerimur, si quinquagesimum, aut sexagesimum annum attigerimus: gratias enim Deo ageres, si in illorum regione habitans, ad eam ætatem peruenisses: nunc, proximus illi, aut etiam antiquior, de via conquereris. Est omnis vita lôga, quæ ad mortem vsq; terminatur, cùm ab initio côstitutus sit terminus, ac vt poëta dicit,

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Nonne in sacra Scriptura habetur, *Numerus dierum & mensium apud te est, statuisti enim terminos qui præteriri non possunt*: omnis itaque hominum vita, senio clauditur, quoniam senium vltima vitæ pars est: *Est etiam senectus, mortis necessitas.* vbicunque igitur, mors est necessaria, senectus etiam ipsa, iam aduenit: hoc tanto fœlicior est, qui in iuuentutis tempore moritur; quòd senex existens, senectutis incommoda non sentit. Visne videre, vitam diuturnam, & breuem, comparatione solâ dici: Nam animalia, (ephemera vocata) quæ matutino exoriuntur, iuxta occasum solis occidunt: si in meridie moriantur, breuis vitæ dicuntur, si vesperam attigerint longæuæ: cùm tamen horas vix duodecim excessêrint. Admiramur vitæ longitudinem in musca, quę duas viderit æstates: in pulice qui tres menses attigerit: horum tamê vita, quota pars humanæ est? canes decrepitos dicimus, qui annum duodecimum ingressi fuerint: homo his omnibus lôgæuior est, etiam si in iuuenta moritur: Sed non est hominis vita ab annorum multitudine breuis, aut longa dicenda. *omnis enim mortalium vita breuis est, quòd morte certissima clauditur.* Facit virtus, & gesta, vitam breuê, longam esse: ignauia, omnê ætatem contrahit: Alexander, in triginta tribus annis, senex extinctus est, multitudine ac magnitudine rerû gestarum: Argantonius, cum centum & viginti vixerit annos, in iuuenta mortuus dici potest, quòd nihil præter eam ætatis raritatem, in tota vita dignum memoria sit consecutus: Illud verò animaduersione dignum videri debet, quòd pleriq; magni viri, in iuuenta extincti sunt: Heroum enim nullus ferme ad senectam peruenit, Hercules, Achilles, Castor, Pollux, Aiax, Iason; tum poëtæ, Lucanus, Catullus, Tibullus; nec Virgilio longæua vita fuit, nec Lucretio, nec Demostheni, nec Ciceroni. Quàm verum est illud nimis, poëtæ,

Immodicis, breuis est ætas, & rara senectus.

Iulius Cæsar, Seuerus Alexander, Probus, Aurelianus, Claudius eius nominis secundus, Carus, in iuuenta extincti sunt. Homines puto eò breuioris vitæ esse, quò probioris: quòd tales Diis chariores, ab eis accersantur. Vnde illud etiam ex poëtæ sententia dictum recte, quê ægida gestans Iupiter, atque Apollo diligunt, ad senectutem non peruenire. Est etiam illud considerandum. Optionem in his quærendam, vbi voluntas auxilium affert: at tuum non est. aut vitam facere longiorem, aut breuiorem: quòd si potes, facias, nulla querelæ causa superest: si non potes, nô maiore ratione breuitatem vitæ defles, quàm mortalitatem: siquidem impossibilium cura, solùm stultorum est, & inutilis: At modò, fac vt iuris tui sit, vitam ad senium protrahere, nonne infœlicior euadis? Tum primò, quòd id munus quod solum, optimum à Deo Opt. Max. mortalibus ad mortem leniendam datum est, scilicet Temporis ignorantia, tollitur; iuuenes enim, bono animo vitâ agimus, quòd procul abesse mortem potest existimare, cum iam vitæ finem sit ingressus? Quàm verum est, memorabile illud dictum Beati Augustini, Iuuenis citò mori potest, Senex, diu viuere non potest. neque est quòd reluctêris, quasi etiam iuueni certa mors incumbere possit; nam cum nulli tempus vltimum notum sit, iuueni omnino nunquam vitæ desperatio adesse debet, seu letali morbo animam agit, seu inter tormenta & vincula destinatus supplicio sit: ostendunt mortalium casus; & Naturæ, & hominum legem, Fortunę subiectam esse; vt immeritò quidem, incerta pro certis lugeantur. Sed fac vt ipsam senectutem ingrediaris, quot mala accedunt? Labores, dolores, tristitiæ, sensuum mors, contemptus, atque quòd omnibus his ferè peius est, vt Cæcilius eleganter descripsit, Quòd vitari ab omnibus se videant, dicens,

Tum etiâ in senecta hoc deputato miserrimû,
Sentire ea ætate, esse odiosum se alteri.

Ingratus est senex, etiam filiis; ingratus amicis; contemptus à iuuenibus; odiosus familiaribus: non sensus corpori, non ratio sensibus, non genua toti inseruiunt: noctes insomnes, cibi insuaues: tædet sui ipsius, quomodo non tædebit alterius? Legimus Zenonem Cittieum Philosophum, cùm ob ætatem mori non posset, seipsum strangulasse. Quâtum diligentiæ, quantum industriæ Cicero adiecit, quo conatu nixus est, vt persuaderet senectutem esse

esse tolerandam ? quæ si bona fuisset, atque (velut opes & amici,ac filij,vel eruditio) saltem boni speciem præ se ferret;non erat quod tantum laboraret,vt æquo animo ferenda videretur : ridiculus enim erit, qui vel bonam valetudinem, vel magistratum, æquo animo tolerandum docere velit : at nos, tolerandam senectutem dicimus,optandam minimè: quot autem hominibus, in iuuenta mortuos fuisse præstitisset ? Priamus non pro miraculo, sed pro exemplo in histotiis recitatur:Paucos ab hinc annos, Baccius Valor, filium indolis egregiæ iuuenem,ante oculos capite mulctari vidit,& ipse protinus moriturus : Anno præcedente,iam duos alios senes, consimili exitu perfunctos videram. Vnde Theramenis sapientiam admitor, qui cum è ruina domus, solus euasisset : gratulantibus amicis, dixit, *O fortuna, ad quam igitur me fornas occasionem?* nec errauit : inuidiâ enim cæterorum tyrannorum exemciatus, & extinctus est,paucis post diebus,quàm ruinam euaserat. Itaque ea est conditio mortalium,vt si contingat,etiam postquam senex fueris,ad iuuentutem redire: ac,vt de Æsone poëta fabulatur dicens,

Ante quatuor denos, nunc se reminiscitur annos:
Dissimilémque animum subiit,ætate relicta.

Quis tam es amens, aut vitæ cupidus; vt conditionem eam recipias ? Modò, cum nihil supersit præter morbos, curas, contemptum, pericula,tædium,cruciatum,cur cupias viuere non video : Et,si in iuuenta, (cùm omnia florent,vires,sensus,forma,ingeniom, auctoritas) non rarò piget vitæ, qoid facturus es eâ ætate, in qua id solùm audis;marcidus senex, delirus senex ? Iuuenis mors, minus est semper immatura, quum senis,tarda. At si te minor cruciatus exagitat:morbus senectutem fingit,quando & in eo,paulatim sensus extinguitur: sin quòd tu solus abeas ? ne time : ibi plures inuenies, quàm relinquas. at verò qui relicti sunt,quàm breui consequentur:enim,

Longus ad manes properat ordo
Agminis mæsti.

Nec sustinent diui, quenquam, ordinem suum deserere : Fata enim omnes vrgent, & immota manet lex : quin, fœliciores sunt, quantò citius ab hoc munere absoluuntur. Ac vt in damnatis,Lex eos prius occidit,qui minus noxij sunt,& minus peccauerunt:deteriores, & fortiores animo, spectatores alienæ mortis priùs fiunt, quàm suam experiantur: sic,quos diui diligunt, non spectatores relinquunt,sed præcursores faciunt : vbi, non alicuius insignis vtilitatis causa, aut suis, aut mundo conceduntur. Denique cum nihil in malis, atrocius sit, diuturnâ atque certâ expectatione : senectus (vtrumque ferens) eum venerit, optare facit,vt quisque,iam se mortuum in iuuentute cupiat:quod igitur serò,& inutiliter tunc queritur, si eueniat, boni consulendum est : Matrem maem Claram Micheriam, iuuenem vidi, cum admodum puer essem : meminique tunc dicere solitam, Vtinam si Deo placuisset, extincta forem in infantia : cum causam rogarem, iuuenis iam factus (hoc enim semper in ore retinuerat) respondit : Iam scire, se morituram,& maiore animi periculo; cæterùm, nihil esse interim, quod si diligenter expendatur, non maiorem tristitiam afferat, quàm hilaritatem:Nam calamitates cum sunt, voluptatum, memoriâ(cùm prætetierint) offendunt, & iure merito. quid enim in hac vita est quod delectet ? assiduum tædium, vestiendi & nudandi singulo die,inde fames, sitis, somni,non maior copia & tranquillitas quàm mortuis:calor æstatis,frigus hyemis, turbines temporum,minæ bellorum, parentum imperia,tædia coniugis,filiorum anxia cura,seruorum contumacia,fori lites,ac quod his omnibus etiam deterius est;Conditio scilicet temporum;in qua probitas, pro fatuitate contemnitur,dolus pro prudentia colitur;artifices nō à peritia artium,sed ab ornatu & vanis vulgi vocibus, habentur excellentes : vt fermè necessarium sit aut Deo displicere; aut ab hominibus contemptos, & vexatos, in miseria viuere. Mitto omnia mala, *Solum id quod cum mortuis commune habemus, non malum est : cætera omnia, quæ mala non appellamus, his, quæ defuncti patiuntur, deteriora sunt.* Reliquum est tandem, vt de mortis genere aliquid dicamus : consultò enim prætereundum antè fuerat;quoniam & multiplex est, & consideratione dignum, à pluribus existimatur:namque acerba mors;& ob iuuentutem, non facilè discedente animo;& ob cruciatum; & ob turpitudinem; & quia certa sit,dici solet : omnia tamen hæc, in publicis animaduersionibus coniunguntur; ibi, plerumque iuuenes, turpi, & crudeli, & certo leto traduntur : Verùm eum videamus plerosque è plebe, eam satis patienter ferre, non video, cur maiore cæteris, indigeat consolatione, præsertim, cùm turpem mortem, non genus eius sed sceleris culpa efficiat; namque si ad genus solum respicias; plures eorum qui sic mortui sunt,& coluit antiquitas,& nostra ætas veneratur. In tyrannorum potestate, mortis tempus;atq; modus semper fuere;Innocentia verò,in eius qui moritur arbitrio:nec potest publica mors, esse cum dedecore, si vita, omni prorsus flagitio careat. nā mors publica, quæ sine scelere est,nō solum argumentum est virtutis,sed experimentum : primus,Christus trophæum tulit ex noua Legē,inde innumeri martyres,prophetarū etiam, vt quisque optimus,sic pessimo mortis genere, mulctatus est: Esaias enim, sub Manasse Rege, serrâ sectus est;Hieremias à populo lapidatus;Amoz vecte per tēpora transfossus;Ioannes Baptista capite mulctatus; tum denique alij plures violenter trucidati:Nec melior gentilium optimorū virorū,apud Reges,vel ciuitates fortuna;verùm non effugisse, sed optasse eam videntur, nēpe Zeno Eleates,cum liceret in domo sua quietè viuere;Nearchū tyrannum expugnare aggressus est,sed deprehensâ cōiuratione,in carcerem agebatur,ibi populum verbis accendit, vt tyrannum lapidibus occiderint. Theodorus Cyrenæus, Lysimacho Regi minitanti crucem, respondit, Quid refert an cadauer meum in terra, an in sublimi putrescat? Socrati, cùm liceret vel silentio mortem euadere (damnatus enim pœna pecuniaria tantum fuerat) eos à quibus damnabatur, in necem suam accendit; & cum Xantippe vxor quereretur, eum iniustè occidi, respondit, an mallet

iniustè ? sentiens, non esse malum, præter culpam. Non igitur turpitudo in morte, sed in mortis causa, si à vicio, & dedecore, ortum habuerit. At verò cruciatus, & iuuenilis ætas & Scientia, nihil addunt. namque scientia eius quod malum non est, mala esse non potest: sola verò mors post cruciatus, leuissima est: At verò tormenta vel magna esse non possunt, vel non diuturna. exemplum autem omnium Christus tulit, vt & in exemplum transiret: cæterum, innocenti rarissime mortem cum cruciatu contigisse: vixque semel, præterquam in Legum mutationibus, in quibus, innocentes, nocentes, contumaciâ fiunt, historiis mandatum est: Rarissimum atiam est omnino exemplum mortis violentę, in innoxio, si absit pertinacia: vt qui sic probi viri occiderint, quasi voluisse videantur. At quàm leuis res, mors sit, etiam & publica, vel cum ferro, exemplis apparet. Iulius Cæsar cum occideretur, postquam animaduertit cunctorum gladios in se districtos, nec defensionem irritam molitus est, nec vocem emisit lugubrem: cadens etiam, tunicam inter verenda deduxit, vt honestius caderet: decoris in morte, & inter vulnera non ublitus. hunc gener apud Lucanum imitatur, si qua poëtis fides habenda est: nanque Pompeij cædem describit his verbis,

Tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, & æternam fletu corrumpere famam:
At postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum:
Despexitque nefas, seruatque immobile corpus.

Cato Vticensis cum se destinasset morti, cuncta composuit prudentissimè, aliorum saluti consulens, qui suam negligere proposuerat: inde, lecto Platonis libro de Immortalitate animorum, quieti se dedit, ac dormiuit, tam alto somno, vt exaudiretur: pòst expergefactus, se transfodit: cumque ob manus debilitatem, altius vulnus non insedisset, obligatumque ab astantibus, salutis spem præbuerit; dilaceratis mox omnibus, etiam intestina effudit: tanta fuerat moriendi sitis: Otho imperator, triginta septem natus annos, ac mollis, & effœminatus ab omnibus habitus: cum tribus victor præliis; vno, victus à Vitellianis foret: Senatu fauente, incredibilique militum amore, non sine maxima spe retinendi Imperium: ne tamen aut victus, aut victor, Reipublicæ iacturæ esset: tentatis duobus pugionibus in vespera, prudenterque compositis rebus; diuisis etiam inter amicos pecuniis, somno profundissimo se tradidit: inde, solutus, cum libertum monuisset, vt militibus se ostenderet, ne ab eis occideretur, tanquam mortis suæ conscius; se transfodit; atque vno tantum gemitu, vitam cum morte commutauit: Canus Iulius, à Caio Imperatore damnatus: dies decem impetrauit ad supplicium: quos omnes absque vlla sollicitudine, latrunculis ludens, dormiensque transegit: cùm nunciaret centurio horam instare, numeratis calculis, monuit collusorem; ne post mortem vicisse se iactaret, cùm ipse plures haberet calculos: testemque voluit centurionem. inde ductus, Philosopho comitanti, ac roganti, quid cogitaret, respondit? *Obseruare propositum, an extremo illo momento, animus meus discessum sentiat; amicis postea renunciaturus.* Aratus, cùm venenum tabificum à Philippo Macedonum Rege accepisse se cognouisset, vno tantùm verbo apud familiarem emisso, reliquum tempus tam leniter transegit vsque ad mortem, vt non certus de morte, aut propinati veneni, sed ex Casu, languere, ac ea Natura videretur. Septem fratres fuere vnius matris filij, adolescentésque Machabei vocati, qui volentes, omnes, vnus post alium diuersis affecti cruciatibus, vnà cum matre, Antigono rege iubente, occisi sunt. Tectamenes ab Ephoris morti damnatus, abibat ridens: cum interrogaretur, an etiam Leges contemneret? respondit, *Non, sed mulctam soluere me oportet, quam nec petij, nec à quoquam mutuò accepi.* Id tamen exemplum etsi à Cicerone sub ignoti persona relatum, multum laudetur: graui tamen iudicio, vanitatem hominis, potius quàm fortitudinem refert: Neque enim naturaliter homo, mortem (præsertim sceleris conuictus,) amare potest: nec nostri etiam hoc instituti propositum fuit, vt ostenderemus mortem quærendam esse: Vtque infidi est, nolle depositum reddere, sic nec amici, nec grati retinere nolle: Vt igitur, mors nec fugienda est, nec lamentionibus deploranda; sic nec occupanda, sed vt poëta ait,

Summum nec metuas diem, nec optes.

Verum oratoribus talia referre conuenit: quæ & si ratione careant, plurimam tamen vim propter admirationem apud vulgus retinent: Honestius itaque Theramenis exemplum, ac curdatius dici potest: namque is cum iniustè à triginta tyrannis damnatus, letiferum poculum ebibisset, quod reliquum fuit, in terram elisit: dicens, Critiæ pulchro propino: vetusto Atheniensium more, qui in conuiuiis, pocula è manibus, amicis tradebant: erat autem Critias, is tyrannorum deterrimus ac Theremeni iufensior. Clarioris etiam tranquillitatis, fuit Phocionis mors: (namque vt minus, eò magis:) compos enim sui, amico venenum haurire prius cupienti, cessit: demùm cum deficeret, emit: testatus eam tantum vocem, *Quando nec mori Athenis nisi emptâ nece licet.* Sed cur diutius hominum exempla refero: cum liceat integras nationes in testimonium afferre, siquidem Galatæ, adeò mortem contemnunt, vt nudi pugnent: fuerunt & Romanorum exempla insignia, & Germanorum: vt pudeat hanc causam, in iudicium amplius vocare: Verum melius esse puto, breui oratione complecti rationem, Cur mortalis homo factus sit: ea triplex est: Prima, vt ærumnarum aliquis finis inueniretur: grauis est hęc vita, & quanto ad senium producitur, eo molestior est; vnde bene Gymnosophista fertur Alexandro respondisse interroganti, quidnam fortius esset, An mors, an vita? Vitam fortiorem, quæ tot calamitosa ferret. Altera causa est, vt boni absque inuidia celebrentur, mali absque timore damnentur; opesque, ac potentia, quorum causâ mortales tot admittunt scelera, in nullo precio sint: rectè enim mortalium res si æstimentur, anxia cura, & impia, eas damnat: at si mors non esset, homines ad

rapinas,

rapinas, & violentiam tantùm, animum intenderent: quandoquidem etiam, tam breui eorum vitâ exiſtente, nihil aliud cogitent. Tertia ratio, ad mercedem bonorum, & malorum pœnas facit, cùm poſt interitum, qui vitam religioſam coluerint; cum amicis, & fratribus, & maioribus ſuis, non tantùm, verum etiam cum honeſtiſſimis, ac eruditis viris conuerſentur, ſuptáque ſtellas, & in locis amœnioribus, iucunditate fruantur ſempiterna: contrà impij, in tenebris & ſolitudine vexentur. quare ſolis improbis, mors mala videri poteſt, (cum tamen non ſit) grauioribus enim eos cruciatibus addicit; at bonos, Cygnorum exemplo (qui non aliâs quàm cum ſint morituri, ſuauis occinunt) lætari maximè conuenit. Sunt etiam nonnulli tam ambitioſi, vt ſepulchri cura eos torqueat; qui non conſolandi, ſed accuſandi tam ſtultæ ineptiæ erunt. Quid enim homini corpus eſt, cum anima ſeceſſerit? nec enim hominis amplius pars eſt, cadauer inutile, fœtens, horridum: quod Seneca mandari ſepulturæ, inuentum, iure æſtimat, non mortuorum, ſed viuentium cauſa: ne ſcilicet, iacens, & odore, & aſpectu homines offendat: inde, tot nationes, tot modi condendi cadauera: Græcis enim mos fuit, terrâ obruere: Romanis, igne cremare: at Nabathei, etiam Reges ſuos, in ſterquiliniis ſepeliunt: Æthiopes piſcibus deuorandos in flumen eiiciunt: Magi olim obiiciebant feris: Hircani canibus: at Maſſagetæ (quod maius eſt) vorant: Ægyptij, vnguentis condiunt: Perſæ, cera oblinunt; tam incerta eſt ratio, vbi nulla eſt ratio; ſtulte, nonne audis poëtam dicentem?

Facilis iactura ſepulchri.

Quid innat an ſis in marmore, an in humo incluſus, aut in ventre terræ? nunc te ſollicitat quod operimento careas? nempe timendum non eſt; Cœlo tegitur qui non habet vrnam, dicebat poëta. Qoid Regibus, generoſa ſepulchra, Pyramides, labyrinthi, coloſſi, mauſolea? hanc fœlicitatem, ne obolo vno emerit qui ſapiat, ſplendidæ ſtructuræ hæ, nomen auctoribus certè dederunt: at propter putre cadauer condendum, ſi fiant, quid aliud argumentum eſt, quàm inſolentis aoimi, & eius qui nec in morte, inanis ambitionis velit obliuiſci, & deſipere deſinere. At verò ſolicitudo hæc, à Sylla cœpit, vt etiam de buſto curaret, primúſque contra morem Corneliæ gentis, ſepeliri noluit, ſed cremari; quòd timeret erui, & ludibrio patere, cum id ipſe in Marij buſto curauiſſet; At quantò melius Diogenes ille Cynicus, cum morti proximus, & ſub arbore iacens, rogaretur, vbi ſepeliri vellet: reſpondit; Vt ſic eum permitterent: dicentibus illis, feras eum laniaturas, petiit baculum: cumque amici dicerent, eum nulli vſui futurum, cùm ſenſu eſſet cariturus; non ineptè, Diogenes eos arguit, dicens, In quo igitur mihi erunt damno, nihil ſentienti? Accedit huic rationi, quòd incertum eſt, quid abiecta cadauera faciant: ſæpe enim opinionem quandam diuinitatis pepererê: vt Cleoni Lacedæmoniorum Regi: cùm enim excoriatum cadauer, in crucem ſublatum eſſet, apparuit ſerpens qui abigeret volucres carniuoras: inde orta Religio, quaſi Deorum cuſtodiæ, corpus innocentis viri eſſet, cœpitque adorari, tam ſtultè, quàm nefariè erat cruci impoſitum, & ludibrio affectum. Simile quoddam Clearchi cadaueri Cteſias accidiſſe refert: natâ enim ſyluâ ſuper ipſo, pro Deo cœpiſſe adorari: At nunc etiam, ſuperſtitio manet, Eorum qui inſepulti iacent, quòd manes vagentur: (tantùm poteſt memoria vetuſti erroris, & metus ſolitariè vagantium.) Sed iam iſta inutilia mittamus, & de luctu, (vt ab initio fuerat propoſitum) loquamur. Primóque parentum, quòd eis, non ſolum amor ſed & pietas, lachrymas ciere ſoleat, nec vllos honeſtius lugere videamus alios, quàm eos à quibus progeniti ſumus: debemus hoc amori, debemus charitati, debemus pietati: & ſi quid ad rem ſuam, luctus filiorum facere poſſet, certe lugendi eſſent: nunc, cùm nihil prorſus conducat, videndum, an ſaltem honeſtè, aut non abſque ratione lugeri poſſint: In quo, primò vniuerſalis quædam mihi ratio ſuccurrit omnium eorum, quos per mortem amiſerimus: Aut enim ipſorum gratia qui obierint, aut noſtrûm qui relicti ſumus dolendum eſt: at verò ſi illorum cauſa doleamus, vel adhuc ſupereſſe animum credimus, aut vnâ omnia interiiſſe: equidem qui vnâ omnia interiiſſe putat, & illius cauſa dolet ſic deploret; Hei mihi quòd iam amplius non eris ſitibundus, famelicus, frigens, æſtuans, dolens, febriens, iniuriæ & calumniæ expoſitus, atque quò magis eſt, non amplius morieris, vt ego. at dices: ridiculus ero, ſi ſic plorem, tu verò cogita, quanquam id non dicas, tamen omnia hæc, ſic eſſe: moriendum eſt proculdubio; quis dubitat? mors (vt putas) mala eſt; cur igitur illum qui euaſit deflere vis, & non teipſum, qui malum hoc ineuitabile, effugere non potes? At ſi tuam conditionem flere ſuperuacuum eſt, quòd lachrymæ nihil ſint profuturæ in re neceſſaria, quanto minus illius lugebis obitum, qui etiam eò magis neceſſarius eſt, quòd iam prætericrit? At ſi ſupereſſe eum credis, ſic inſtituendus merito luctus eris: Hei mihi, quoniam ex mortali, immortalis; ex laborioſo, otioſus; ex miſero, fœlix; ex triſti, iucundiſſimus; ex obſcuro, factus es ſplendiſſimus: Quis ſic audiens plorantem, etiam ſi vnus ſit ex parentibus, aut fratribus, riſum poſſit continere? At vero nihil me vides mentiri: quamobrem ſi adiicias (quod ferme ex animo exciderat) & eius cauſa lugeo, iam tunc nænia hæc nonne probe ſic precio digna eſt? Itaque cum nullus ferè ſit tam inſipiens, vt audeat dicere, ſe illius cauſa plorare, qui vitâ functus ſit, ſeu animus ipſe etiam obierit, ſeu ſit ſuperſtes: ſic, omnes propriam ſolitudinem deflere dicunt; quæ, (ſi animum agnoueris eſſe ſuperſtitem) nulla omnino eſſe poteſt; namque & ille, tecum eſt, quantùm vtrique expedit, & tu propediem cum illo futurus: At verò caue, vt audeas fateri, (etiamſi tecum non ſit) te tuam calamitatem deflere: impudens enim omnino es, ac inuidiæ plenus, qui tantum nolis illi eſſe beneficij, ob exiguam tuam vtilitatem: etenim ſi filios Regibus libenter tradimus; ob ſpem futuræ ab illis aliquando gratiæ; cum tamen Principum animus, inconſtans ſæpius ſit: aulicorum verò ſemper infida

ſocietas:

ſocietas: & omnium qui ſeruiunt generaliter neglecta ſalus: quantò libentius traditum ei acceptum referre debemus, in cuius aula, neque inuidia, nec odium, nec ambitio, nec negligentia: ipſius autem Regis animus, nec inconſtans, aut cuiuſquam rei ignarus eſſe poteſt; conditio, vacat periculo; ſocietas, fraude; præmium, ambiguitate; tempus, fine; & tu, eam illi ob commodum tuum inuidere vis? abſit. Reliquum igitur eſt, vt & tui commoda ſolum metiens, & illius interitum internecinum exiſtimans, iure tibi merito dolere poſſe videari: qui quanquam forte (ſic moratus) conſolatione haud egregiâ dignus videri poſſis: ſi tamen rectè animaduertas, nihil omnino eſt quod doleas. Nec mireris, ſi tuo animo dignam rationem attulero: atque in primis, Cùm tui cauſa, hoc tantum iniquo feras animo; alius certe illi par, aut officio, aut iucunditate, aut neceſſitate inueniri poterit: ſed etiam, fac, non poſſit, aut in promptu non ſit: memorare, quoties tibi negotium præbuerit, quoties ſua cauſa in diſcrimen adductus ſis; quoties iacturam feceris; quoties impoſuerit immerito tibi: denique qualis fuerit erga te, vix ſcire potes; qualis eſſet futurus, nunquã diuinare licebit. Quoties à parentibus, à fratribus, à filiis, ab amicis oppugnati fuerunt, qui olim ab eiſdem defendebantur? Caſſius & D. Brutus, Cæſarem aduerſus patriam pugnantem adiuuerunt, eum Imperatorem factum, occiderunt: Stultè admodum Antonius Octauio ſua conſilia prodidit, amicos patefacit, illius amicitiæ fidens, à quo etiam adiutus perſæpe in dubia fortuna eſt: cuius tamen timore, poſtmodùm, ad voluntariam necem compulſus eſt: Alexander, ſuis ſatellitibus (donec vixit) amiciſſimus eſt vſus, qui eo mortuo, prolem ſuam, tum affines, alij alios perdiderunt: at ipſe, in vnius eorum morte, luctui haud modum, aut finem vllum inuenerat. Parentum, fratrum, ac filiorum, ab initio ſemper inſtituta pietas, ac quaſi innata: pluribus tamen, quantùm exitio fuerit, paulo poſt dicam: At nunc rem ipſam proſequamur: Quid tam (rogo) inutile eſt, aut abſque certo fine, inter mortales, quàm luctus? qui nec aliis prodeſt, & ipſis lugentibus etiam nocet: Quamobrem non miror Thracum, & Cæſiorum nationes, in morte propinquorum gaudere, & epulari: quòd eos abſolutos hic, omni moleſtiâ ſciant: illic, fœlicem vitam ducere opinentur: At contrà, naſcentes lugent; quòd ex iucundiſſima quiete, in tam lugubrem vitam inciderint: quorum morem, quidam ciuis noſter (vt audiui) non inelegans, ſecutus, mandauit, vt cum ſaltatoriis tibicinibus efferretur funus: haud tamen ſcio, an teſtamento paruerint; quanquam quo ad luctum attinet, probari non poſſit: quòd vulgò, homines ea lugeant, quæ nec vitari poſſint, & eos ab omni incommodo ſecuros tueantur, alienamque ſortem bonam inſpicientes, fleant, ſuæ autem miſeriæ obliuiſcantur. Quid tam fruſtrà eſt quàm nihil lugere, ſi nihil à morte ſenſus ſupereſt? aut ſi vident, triſtitia afficere eos, qui amant? aut ab hîs irrideri, ſi contemnant? Equidem ſi eos damnamus qui amantes, & non amati, coram eis lugent, nihil profecturi, ſed tantùm ſuam oſtenſuri ſtultitiam: quanto magis ſi nihil putas ſupereſſe? an fabulatum more (& illæ tamen manes proponunt) Eurydicem aliquam, nouus Orpheus ad vitam lachrymis reuocare ſperas? hem putas, ſi in luctu, vel neceſſitas, vel vtilitas aliqua fuiſſet, naturam quæ tot varias animantibus inſtitutiones, tot varias artes, tum ſolertiam tam multiplicem, moréſque diuerſos dederit, vt pro catulis pugnent, parentes alãnt, obſeruent in venere affines, coniugia, vindictam, luctus omnino fuiſſe oblitam? nullum enim animal, poſt educationenem, aliud animal mortuum deflet: quando tamẽ & formicæ formicas ſepeliant; ita in nullo, quòd neceſſarium eſſet, munere, natura, in brutis, exemplo, defecit: at in educatione, neceſſarius luctus erat, ne prolis parentes obliuiſcerentur, & ſpeciem perderent: Similiter & prudentiſſimi etiam Legum latores, Diuina quadam mediocritate, & popularis ſtultitiæ, & vtilitatis rationem habentes, terminos luctui admodum breues poſuerunt: Namque Lycurgus vltra dies vndecim plorare neceſſarios vetuit, aut quicquam funebre facere: Solon verò omnia luctus ſolemnia ſuſtulit: lamentationes, eiulatus, lacerationes. Quis verò dubitat, ſi Sapientibus & non vulgo, leges condidiſſent, eos omnem luctum ex toto fuiſſe prohibituros? quid prohibituros? imò, nec rationem vllam eius habituros: nempe quòd exiſtimaſſent, ſapientẽ in hac cauſa, admonendum non eſſe: quod etiam per ſe alios plures feciſſe video. Sed iam particulariter de eo dicamus; Quando quis, parentum alterum deflet; Velim vt mihi dicat, an cupiat potius illum ſuperuixiſſe, ſe autem mortuum, equidem ad hoc veniendum omnino eſt; vt vel filij ante parentes, aut parentes ante filios, aut vnà omnes, tanquam in excidio domus moriantur: At verò, vnà omnes interiiſſe, pro ſumma calamitate, atque maximo infortunio habetur: Sin autem optas, te prius vita functum eſſe, non ſolùm naturæ ordinem peruertis, ſed etiam in alterum horum incidis; vt mors ſit aut mala, ideóque minus offendat in parentibus, quàm in te ipſo: aut bona, parentibúſque ob pietatem præoptanda: namque malum à ſe abigere maxime vnicuique conuenit: bona autem his optare; quos chariſſimos habemus, & propter pietatem colimus. Quid verò in illis defles? quòd à ſenio ſublati ſunt? quòd neque fœlicitatibus attigiſſe præſtat: aut in aliis deploras quod in teipſo fortiter ferendum iudicas? an verò vt vetula illa orbitatem luges? ſed rem referre libet: Venerat anus quædam ad oſtium paupercula, panem petens, atque id ſubiiciens, ſe parentibus orbam eſſe; id cùm nos, primo quaſi verbo attoniti, haud intelligeremus, vnus è ſociis interrogauit, quantula ætate eſſet, cumque reſpondiſſet anus, ſeptuageſimum exceſſiſſe annum: riſimus intellecta re*; (quamvis miſereſceret non parum,) mulier ſeptuagenaria, orbam ſe parentibus conqueritur; itaque vide ne tu dum luges, riſum aliis commoueas: quid verò facturus eſſes, ſi more quodam vetuſto Iulienſium ciuium, Coi inſulæ incolarum, ſenes à ſexageſimo anno, edito certamine, in pompa ex vrbis inſtituto iugularentur,

tur, quòd inutiles vltra eam ætatem homines, è Republica sustulisse, magno commodo, & vilitati annonæ, cessurum videretur? Namque Lex hæc, (etsi sæua esset) prospicit tamen omnis Lex vtilitati cuidam publicæ; quod etiam Caspios factitasse video: cum enim ea Regio, hominum ferax sit, frugum verò inops: parentes, post annum septuagesimum, inclusos fame necant: quod vt nimis ferum, ac barbarum, & à nullis beluis imitatum est: sic & mors, senibus parentibus superueniens, tam æquo animo toleranda erit: vt intelligamus eos omnem expleuisse infœlicitatis cursum, nos in turbulento certamine curarum relictos esse: tuncque desiisse, cum ipsi, Reipublicæ graues, illis sua vita molesta foret. Curnam putas Babylonios senes illos, morti sponte solitos se tradere? nisi quòd & seni, mortem vita potiorem esse; & senem, vrbi, mortuo inutiliorem agnoscerent. Iam verò non sit senex, (quòd Melitide stultior sit, qui mortem in senecta lugere velit) sed iuuenis parens, robustus, familiæ vtilis, consilio necessarius, in ipso gerendarum rerum ardore ereptus: non illud inquam dices praui filij, tecum, Cur tantum distulit? velut quidam qui se ex familia nostra Cardanorum iactabat, qui moriente patre saltauit, omnibus videntibus: illud etiam adiiciens, quàm serò! cùm familiares, illum animam agere dicerent? At hic, impij animi, nedum reuoluto anno pœnas dedit, longâ tabe extinctus: impleuitque illud Mosaicum, Honora patrem & matrem, si vis longæuus esse super terram: quod etiam gentiles cognouisse video; etenim Homerus in Iliade testatur, eos breuem ætatem agere, qui parentibus munus nutritionis non reddiderint. Tantus est veritatis consensus. Acciditque hoc, vt dæmonio agantur: nempe aliter tanti sceleris conscij esse non possunt; Inde infaustis cunctis hominibus, præcipites corripiuntur à Numine, ne, quod spreuerint, possint attingere; est autem hominis natura Dæmonia; & quæ tam impia est, vt nefariè in parentes ruat; neque compos est sui, neque benignum in se quicquam continet: quo fit, vt necessariò breui consumatur. Sed vt improbi filij est, parentum odisse vitam: sic Sapientis est, illorum mortem & fortiter ferre, & in suum commodum vertere: optimorum exemplo medicorum, qui, si non desint medicamenta, haud venena pro illis subiiciunt: at verò, si venena in manibus sunt, longiùs verò quærenda sint cætera auxilia; etiam venenis, ad depellendos morbos vtuntur, ita sapiens quæcunque mala, bene vtendo: eis prospera efficere solet. Inde primùm subit administratio rei familiaris: exemplum prudentiæ, gloriæ certamen: quæ omnia patris præcipuè reuerentia aut obscurat, aut tollit: habet enim patria potestas, maius aliquod, etiam ipsa seruitute, ad egregias res gerendas, impedimentum, seu in re bellica, seu literaria, seu etiam reipublicæ administratione: cùm omnia male gesta, in filium, bene, in patrem referantur: quem si colit, haud dissimulare potest, consilio eius cuncta facta esse, etiam si non fecerit; si negligit, vel ipso scelere execrandus est: At, qui sponte filiorum gloriæ cedere voluerint, tam rari sunt, vt Antiochi Regis erga Demetrium filium lenitatis exemplum, pro miraculo sit: Auxit hanc causam, etiam euentus ipse: cùm omnes qui illustres armis, aut literis, vel dignitate in Republica euaserunt, patrem ab adolescentia amiserint: vt Iulius Cæsar, Octauius Augustus, Alcibiades, Cicero, Galenus, Aristoteles: qualis fuisset Alexander, si Philippus vel quatuor adhuc annis superuixisset; cum enim bellum cum Dario inchoasset Philippus, victor gloriam, victus facultatem bene gerendæ rei Alexandro relinquere non poterat. Vt igitur ignauis, ac perditis, semper paterna mors impedimentum attulit: sic generosis viris, via est, vt quales sint, ostendere se possint. Illud etiam præ oculis perperuò habendum est, Vitam, Mortémque, præcipua esse Dei dona: quæ semper ex eius pendeant Prouidentia: ideò qui mortem, aut vitam damnat, Diuinum iudicium tacitè subsannat, de eoque conqueritur, quod vtrique & opportunum, & vtile existit: atque tum maximè, quòd vbi eos læseris, aut non dolendum est, amisisse quos oderis, aut illud potius dolendũ, quod erga eos impius fueris: At verò nunc tutus es, ne vel impietatis flagitio coinquineris, si ab eorum offensione cauisti, & ne vel nolens, infortunio tuo efficias tristiores: quantum enim Hectori, ac Polyti, expedierat Priamum prius mortuum esse: qui illorum misero casu, adeo est contristatus, vt mortem suam contempserit. nonne fœlicior Hector est in morte, ob Astyanactem, quàm ob Priamum? namque illius miseriam, ne oculis videret, moriendo effugit: hunc miserum morte sua reliquit. Sed hæc omnia optimorum parentum leuimenta sunt: At verò quot tales fuere, quos, quanquam odisse sit nefarium, non tamen amasse est necessarium: alij enim, communem reliquum parentem sustulerunt, velut Clytemnestra: quæ cum Agamemnonem occidisset, ab Oreste communi filio interfecta, proditur, sic & Alcmæon, matrem Eryphilem, quòd in Amphiarai patris nece consensisset, necauit: Vulgare hoc est exemplum, neque tales diligere parentes conuenit: quòd etsi vitam dederint, inuiti tamen, eò id fecisse videantur, quòd eos sustulerint, per quos in vitam veneris: vnde Lycophron, necis maternæ auctorem Periandrum patrem, nec fame, senectus, aut salutare, aut alloqui sustinuit. At verò quam perniciosiores sunt, qui filiorum vitæ insidiantur: neque tanti facinoris tam rara sunt forsitan exempla, quàm putas: Sustulit Mithridates filios, etiam (si per eum licuisset) vsque ad orbitatem peruenturus. Theseus verò Hippolyto, immeritæ mortis causam attulit: Referúntque Medeam, filios proprios laniasse: quod certius fertur de Catilina, qui iam puberem filium, non aliâ causâ quam impetrandarum nouarum nuptiarum, veneno sustulit: Macheus Dux Carthaginensium, Carthalum filium in cruce suspendit, è victoria redeuntem: quòd solùm purpuratus, & eum victoriæ insignibus, patri exuli obuiam processisset. Huic igitur tam crudeli parenti, imò sæuæ belluæ, alius superstes filius in funere lachrymas funderet? at quanto crudelius Laodices Ariararis Regis Capadociæ vxoris facinus; quæ cùm ex coniuge filios sex suscepisset

piſſet, quinque veneno ſuſtulit, ſextum etiam minimum natu, conata auferre ex vita, ſi affinium diligentiâ ſubtractus matri non fuiſſet, quænam fera atrox tam nefandæ matri poteſt conferri? equidem feles, & cuniculi, patres; filios nuper natos, ob ingentem libidinem (ſi licet) deuorant: at matres, quæ in brutorum genere filios occidant, neque legiſſe me memini, & ſi ſcriptum eſſet, credere vix auderem. Simili feritate Euergetes Ptolomæus, duos filios, alterum iam puberem, alterum impubem, ex Cleopatra ſuſceptos ſorore, crudeliter occidit; etiam addito ludibrio. Horum Parentum, ac ſimilium quam ſtulta mortis miſeratio eſt. Vidi nobilem fœminam, quam non obſcurum eſt, ob adulterium; coniugem ferro, filium impubem veneno, intra dies quindecim, ad nouas impetrandas nuptias ſuſtuliſſe: ſponſaliáque inter funera coniugis, & vnici filij celebraſſe. At video quid ſis dicturus: Non talem defleo parentem, ſed iuſtum, bonum, pium, mei amantiſſimum: qui ſcis, an in poſterum talis futurus ſit: nempe qui filios aut coniugem necauerunt, ſi ab initio tales ſtatim fuiſſent, ſublati à cunabulis ſubito eſſent: at cum videas nullos illorum, eo tempore ſæuiſſe, ſed poſt multos annos; indicio eſt, eam improbitatem, vel tempore acceſſiſſe, aut tempore natam occaſionem: Quamobrem nihil tam in vniuerſo incertum eſt, quàm vt gratia ſeu in filios, ſeu in fratres, ſeu in coniuges, aut in parentes, vel amicos, aut dominos extendatur: Multa tegit calliditas conſilij; alia, fortunæ humilitas; alia, occaſio; alia, prudentia: quæ omnia ætas ſuperueniens, (velut in arbore) cicatrices etiam minimas, auget, ac detegit. ſic ſenectus adueniens, aliquando ob potentiam; ſæpius tamen ob ſtultitiam, & improbitatem illorum, quorum operâ neceſſariâ, ob ætatis imbecillitatem, vtuntur: quorumque conſilio reguntur, multa indignè in innoxios filios admittere cogit, quorum cauſa, miſeram perpetuò vitam illi ducant, alij, exhæredantes, alij patrimonia ſuppilantes, alij nouas nuptias, nouercaliáque odia ſuperinducentes. quorum iniuriam auget, inſita ſenectuti moroſitas, ac ſæuitia: Vtque vnius exemplo tot ſtultorum, Sapientiſſimi viri, Catonis Cenſorini ſatisfaciam: hic. filium iam grandæuum habens, furtiuo concubitu priùs, pòſt etiam, infamibus nuptiis vilis fœminæ, totam ante actæ vitæ prudentiam deturpauit: ac cohæredem, clientis nepotem, filio, iam prætorio viro, reliquit. Quid igitur mihi neceſſarium eſt, aut Lyſandrum, aut Tiberium, cæteraque monſtra, in ſenectute non ſolum flagitioſa, ſed infauſta commemorare: quando integritas, ac prudentia Romana, ætatis vitio, etiam lapſa ſit? Quare cum pluribus, etiam fratrum multitudo paupertatem pariat, qui inſignes futuri, anguſtâ re familiari, prohibentur egregium quicquam facere: confiteri debet quiſque in parentum funere pietati plurimum, luctui omnino nihil deberi. Multo verò minus, fratrum mors anxium quenquam facere poteſt, ſi rectè res hominum ex ratione æſtimare velit: idque primò, quòd etiam cum filiorum interitu eſt præponendum, An vbi ſolus, & abſque fratribus natus eſſes, non natos fratres etiam lugere velles? equidem, cùm nullum hoc facere viderim, vix puto vt quiſquam luctu dignum ducat, quòd abſque fratribus natus ſit: At verò, etiam ſi, dum infans extitiſti, fratres plurimos amiſiſſes, an & nunc illorum luctum renouare velles? & illud etiam ſcio negabis: quippe quòd incognita non diligimus: luctus autem eorum eſt quos diligimus. Si igitur, nec non natos, nec natos, ſed tibi ignotos, deflere dignum indicas: multò minus iure merito qui nati ſunt, & adoleuerint, deflendi erunt. Nam ſi fratres habere malum eſt, amiſiſſe, lætandum erit: ſi bonum, cum in cunctis bonis melius ſit aliquid habuiſſe, quàm ex toto caruiſſe, quis dubitat iam adultos minus eſſe lugendos, ſi moriantur, quàm eos qui vel nunquam ſint nati, vel nunquam cogniti: ea enim eſt ratio malorum, vt perpetua, ſemper ſint moleſtiſſima: inque omnibus his, quies aliqua iucunda exiſtat. Nonne in fame, duos panes habere melius eſt, quàm nullos? inter aſſiduos labores, nonne requies etiam perbreuis, gratior eſt, quàm omnino nulla? nonne in carcere diecula libertatis, minus moleſtam efficit ſolitudinem? qui miſerè viuunt ſolantur, ſi ſaltem aliquot annis, iucundè ſe vixiſſe meminerint. melius igitur cum ſit fratres habuiſſe, vnáque cohabitaſſe, colluſiſſe, vixiſſe, quàm horum omnium expertem fuiſſe (at ille qui omnibus his caruit, nec plorat, nec dolet, nec omnino meminit) quid igitur tu, illo longe fœlicior, conflictaris? Sed facit hoc, falſa imaginatio, ac rerum opinio, qua & illum non ſolùm, ſed & te ipſum, quaſi coæternum tibi finxeras: qua meritò fraudatus ſpe, immeritò poſtmodum fratrem luge, quid ſi ab initio ſtatim; vel ſolitudo, vel frater vnicus, tecum quadraginta annis ſuperuicturus proponatur? an velles potius ſolitudinis recipere conditionem, nempe non: niſi fratres habere, pro malo duxeris: At verò ſi iam recepiſſes ſolitudinis optionem, non doleres: nunc meliore conditione acceptâ doles. quid hoc eſt? niſi quod nunc ad mortem fratris ſuſtinendam, es imparatus: tunc verò præmeditatus acceſſiſſes. mors itaque hæc, non damno, ſed opinione tantum intoleranda videtur, in qua commodi accepti doles, non accepti (cum nulla ſit neceſſitas) neque memineris: At verò hic tuus frater, optimus, atque tui amantiſſimus fingitur: non vulgaris, atque vt dici ſolet:

Fratrum quoque gratia rara eſt.

Equidem ſi ad quotidianam experientiam ſpectes, plerique ſunt moroſi, queruli, inuidi, nepotes, diſcordes, reprehenſores, contemptores. ventos, poëtæ pulcherrimè fratres vocauere, quòd diſſides ſemper inter ſe ſint: non Amicos, non Socios: quaſi quòd nullis magis conueniat diſcordia, quàm fratribus: hoc enim proprium illorum eſt. Primus Cain, oſtendit erga Abel, qualis in poſterum fraternus amor futurus eſſet: inde Iacob decepit Eſau: & vndecim eius filij, in Ioſeph fratris ſeruitutem conſenſerunt: cum etiam aliqui, occidendum ſuaderent: non ſolum pietatis obliti, ſed & communium parentum, & innocentis ætatis: pòſt Abſalon, occidit Amnon eius fratrem. Abimelech autem Gedeonis filius, ſeptuaginta peremit fratres, vno ex eis tan-

tum

tum relicto: non Sacra Lex, non sancta Religio, non Diuinus cultus, à tam nefario scelere deterrere eum potuit. Nec gentilium mitiora exẽpla: Atreus, Thyesti fratri filios tres iugulatos epulandos dedit: at ille, eum Regun spoliauerat, vxorem adulterio corruperat, excitentur Etheocles, & Polynices Oedipi, aut Simulus, & Rhæsus, maximi filij. Romulus, & Remus: Iugurtha, cui non sufficit Adherbalem & Hiempsalem fratres, nisi prius excarnificatos, occidere. Corbys, & Orsue Hispani, Cambyses, qui vnicum Smerdim insontem, & priuatæ vitæ hominem, ob somnium occidit: tam leuis causa, fratrem, in fratris necem accendere potest. Quid Caracalla Antoninus, erga Getam? quid Antipater Macednnum Rex? quid Phrahates, qui triginta fratres, atque cum his, patrem Herodem etiam, à quo Pacori iam mortui loco, Rex creatus erat, absque causa iugulauit? Regina Titææ filiæ Hiperionem fratrem in coniugem duxerat, ex quo filios duos, Solem masculum. & Lunam fœminam so cepit, communes fratres Hiperionem inuidiâ, morti obtruncant: Solem in Eridanum fluuium submergunt: horum mœrore puella extincta est. Cleopatra (vt nec fœmineum genus, à tam nefario scelere immune esset) Arsionem sororem, fratremque quintum decimum agentem annum, vt Ægypti regno tutius potiretur interfecit. Non sufficiet hic liber, si impia exempla fratrum prosequi voluero. Vnum cognoui, scelerati parricidij in fratres, bis conscium: alterum, anno præterito, ex patricia familia, publicè capite mulctatum; quem tres occidisse fratres dicebant, cum de duobus satis constaret. nulla Falerni sitis ardentint, quàm ea, qua scelerati viri, germanum cruorem exhaurire cupiunt: Inde tam scelesta vis, vt puto, quæ etiam ipsum nomen persæpe infecerit. Sed non sit hic tuus frater, ex pluribus; sit bonus, moratus, modestus, rarique exempli; Quid maius ab illo, quàm ab alijs potes expectare? nam si beneuolentiam requiris, amicus non cedit. si necessitudinem, filius præponitur. si pietatem, præcellunt parentes: si officium, sodales. si obsequium, vincunt serui. Horum autem omnium, cùm mors ferenda sit, fratrum intolerabilior esse non debet. Idque, huius maxime signum certum haberi potest, quòd cum in filiorum obitu, parentum constantiæ, auctores (tanquam non vulgaris fortitudinis) meminerint: id neque in fratribus, nec in parentibus (tanquam nullius exempli) prosecuti sunt. Fratrem vnicè amaui, vnice dilexi, an ille te? sic Isaac Regi Germanorum, frater erat Alexius, quem in Regni administratione recipit: captum à Turcis, ingenti pecunia redemit: is rediens, Isaac Regno spoliat, oculos effodit: in perpetuum carcerem trudit. Iurare per Deos potes, nec fallere; quòd amas, non quòd amaris. Domitianum obseruauit Titus, at, quot Iniuriis Titum affecit Domitianus, vt etiam existimetur veneno eum necasse? Quid periculosius præsertim in te umpla; quàm filios fratrum curæ committere? vix & possibile, & fratres, & filios perfectè diligere. an ita velis fratres dilexisse, vt filiorum sis oblitus? quis scit an forsan mala fortuna potius filiis tuis erepta sit, quàm tibi bonus frater? nam superstes, aut non sine periculo, curator filiis relinqui poterat, aut non sine iniutia præteriri. Memento Childeberti Gallorum Regis, qui duos pueros, Clodomiri fratris filios, per simulationem à Clotilde matre auocatos, (quòd non integrum Regum possessurus videbatur, si Regis legitimi hæredes superessent) interfecit: cùm plurimi deteriora in nepotes admittant, vulgare tamen est, patrimonium illorum expilare: at, sublata est simul, & periculi, & iniuriæ occasio. Denique illud obseruandum est, naturam, vt in hæreditate, sic & in virtute, inter fratres, cuncta partiri: Si vnus est optimus, alter est teterrimus: si vnus splendidus, alter sordidus: si vnus est vigilans, alter est ignauus: si fratrem oderis, cur putas te amari? si amas, amor iudicium eripit: verisimiléque est, tam singulari probitati tuæ, non minorem improbitatem in fratre respondere. At non vides, occasio deest: fraterna hæreditas aut administratio obseruabatur quid obseruabatur? aucupabatur potius. At, quod fieri non potest, fiat; vt scias, illum, tui esse amantissimum: tu sis orbus, filios reliquerit ille: eos amplexare, fratris loco erunt: in educandis, maior charitas, in conuersatione maior erit reuerentia. at nec illi, nec tibi sint filij: sit etiam vnicus frater qui mortuus est: si filios suscipias, quàm meliori loco fratrum erunt: argentum perdideras, aurum reparasti. At verò, nec huius potestas vlla sit, citius quàm voles, imò nolens, fratrem comitabere. quod reliquum est vitæ, in mœrore consumes? At ille si superfuisset, vix lachrymam emisisset: quod si facturus erat, non te ipso prudentior ille fuit: Si ante illum, mori noluisti, cur desles, eum ante te mortuum esse? supererunt amici, affines, socij. Quot mortales, fratres ac parentes relinquunt, vt in claustris Deo seruiant: at frater tuus, ad Deum accessit, & doles, in liberam & beatam vitam migrasse: *Ferenda omnis luctus occasio est, quandoquidem & natura necessitas, & lex præteriti, & rerum humanarum varia conditio hoc suadet.* Neque, cùm hominibus acerbior luctus, filiorum morte, superuenire possit, is (quanquam etiam relictâ orbitate, sublatáque omni prolis alterius spe, durior sit) non tamen aut mœrore, aut lacbrymis, vel gemitu dignus est. Vtque paululum altiùs repetam, videndum arbitror: An orbi, an eius qui filios habet, beatior vita sit. Orbus, hoc vnum tantum habet, vt ex se progenitum, post se non relinquat: id si ad perpetuitatem, stultè speras: è tot millibus myriadum hominum, sobolem tuam inuiolatam permansuram, etiam si mundus ipse, finem nullum esset habiturus: At verò, quòd non solùm Leges finem aliquem mundi posuere, sed Philosophorum, penè quicunque illustriores omnes, præter Aristotelem, haud obscurum est: Non continuatâ autem vsque in perpetuum serie, quid ad te attinet, vbi finiatur? at etiam, si semper maneat hæc proles, beatus in eâ causâ esse potes? cum statuant Peripatetici, patris semen nullam esse portionem corporis filij, sed totum ex sanguine matris generari: Galenus existimet venas, & neruos, & arterias

arterias solum ex patrio semine fieri: cætera quæ reparari possunt, ex sanguine materno? Vtrumvis fiat, Non est aui portio vlla, nepos, tam tennis est hæc propagationis vtilitas, vt nihil omnino, dici possit. post paucos annos omnis memoria atauorum aboletur. Quis inquam est qui abauum suum fermè cognoscat? At contrà tam paruæ voluptati, quàm ingens mœror opponitur? hinc pericula vitæ, illinc educationis dispendia, famæ metus, erudiendi solicitudo, adolescentum luxuria, temeritas iuuenum, contumacia, inobedientia, tandem etiam contemptus. hæcque in diuitibus hominibus, & fœlicibus temporibus, tam vulgaria sunt, vt fermè pro necessariis habeantur incommodis. At nunc qualis spes in sobole, quæ oneri tantum ac timori esse potest? Populi opprimuntur, Reges pugnant: Turcarum Princeps omnia vastat; ferro, flamma: omnium malorum fœda seruitus, (mitissimum est) compegit nos in angulum, vrget vndique latera: mali non probantur, ciues boni affliguntur. At non putas satis, in tanta temporum calamitate, tibi ipsi soli timere, nisi & necessariorum tuorum miseriam superaddas? Quid enim tristius hac nostra ætate est? enim Cicero amissæ Tulliolæ filiæ (quæ illi charissima erat) doloris maximam consolationis partem, in dominatione Cæsaris collocauerit: in qua tamen, mitissimus Princeps; rerum domina Vrbs; ipse Cicero charus Cæsari, amicus potentissimis viris, amplissimas facultates cum dignitate retinebat. confer modo tum tempora temporibus; securitatem illam, cum præsenti periculo: opes, dignitatem, amicos Ciceronis, cum tuis: lenitatem Cæsaris, cum Principum nostrorum iracundia: illudque expende, an optandi sint filij; cũ non doleat Cicero amisisse. Est orbi vita, plena quietis, plena voluptatis, plena libertatis, plena securitatis: non habet de quorum aut iniuria, aut seruitute, aut ludibrio, aut cruciatu, aut periculo timeat: in pace liber est, in bello non anxius, crede mihi, nulla sollicitudo maior est quàm Parentum, in communi calamitate: seu pestis vrgeat, & non habes quò fugias: seu bellum ingruat, & abscedere non potes: aut si fame laboratur, deestque quo alas. has cogita infœlicitates, & vide, an hæ cum orbitatis solitudine sint comparandæ. Sed iam ad principale oppositum reuertamor. Cur orbum factum te doles? cum nec propter ipsum filium dolendum sit, qui aut nihil patitur, aut etiam iucundus est? neque propter te, cuius optima conditio est filiis caruisse: ex periculo in securitatem, ex tædio in quietem, ex seruitute in libertatem euasisti, & conquereris. Nudius tertius quasdam mulierculas pauperes complorantes, filiorúmque mortem optantes audiebam: an non longè melius esset illis caruisse, quàm eò miseriæ peruenisse, vt, filiorum mors optanda sit? vota pauperum expende, illorum negligentiam, circa salutem inspice, intelliges me non mentiri. At diues es, *Nemo, nisi in Republica diues esse potest*: & si Regem habeas, Tyrannus successor expectatur. vna nox hanc facit permutationem. Sed & in Repub. dum vnum non times, innumerabiles cauere oportet. Nulla voluptas esse potest in filiis, si opibus careas: Pauperes esse nos, certò scire licet, diuitém, nequaquam. vbi non est securitas, quomodo fœlix esse potes? Sed mortalium conditio, hæc vna est certissima, vt cum pluribus Principibus, bellorum incommodis subiaceas: sub vno, omnia patent illius arbitrio: memineris Heliogabalum Imperatorẽ, totâ Italiâ pueros conquisisse, patrimos, & matrimos decoros: quorum viuentium, exta inspiceret: Quid in Harpagum admiserit Astyages, quid etiam in Persas Cambyses, præcipue in Prexaspem. Ea est conditio hominum, vt malint plures esse Principes cum bellorum metu, quàm vnum, cuius libidini pateant omnia. Fuit vnus Octauius Augustus bonus, quòd satis in bellis ciuilibus sanguinis Romani hausisset: at quot belluæ, continua serie successerunt? Tiberius, Caligula, Nero, Claudius. quid his monstris fuit portensius? At fac, vt etiam fœlicibus temporibus viuas: non enim ex ipsis vllum capio argumentum, quòd (quanquam hæc mihi ipsi propter casus difficiles conscripserim,) non solùm propter vanam quorundam de mortalium successibus opinionem; verùm ad inopinatos euentus facilius ferendos, qui, quanquã præsentibus deteriores non erunt, nihilominus ex repentino aduentu, homines turbare solent. Ad posteros tamen etiam (me nolente) liber hic peruenire posset, atque idcirco culpari, quòd vni temporis calamitati, aut nimis tribuerim, aut de permutatione desperauerim: quapropter temporum querelam suo loco relinquamus: atque vt decet, ratio consolandi, ex propria iterum contemplatione quæratur. Mortuus est filius, quid faciliùs recuperari potest? nulla ætas nisi extrema, nullus morbus, nisi omnino lethifer, filiorum generationi obstat: quæ si ingruant, iam non de filiis magis, quàm de nobis conuenit esse solicitos. namque ex ætatibus, Aristoteles finem procreationi, sexagesimum, aut septuagesimum annum decreuit: quamvis nobis non obscurum sit, etiam vltra octuagesimum, quosdam generasse: quanquam & formâ & viribus senium redolentibus: ex morbis autem, etiam tabes, & podagra, generationem admittunt: hi verò, tantùm prohiberi creduntur, quibus aut genitalia defuerint, aut eorum virtus ex toto vitiata est; vel quibus post aures venæ ambæ sunt præcisæ: (tales enim Hippocrates steriles esse putat.) Quàm bene igitur natura prouidit, vt vbi hominum vota maxime vrgent, illic reparandi facillima occasio esset. nihil enim facilius aut celerius, homini euenire potest, quam quòd pater fiat: Diuitias namque, aut gloriam, vel amicitias paranti, longo tempore opus est: at filius momento gignitur. Qualis igitur iactura esse potest filij amissio, quæ (etsi maxima esset, quòd tam celeriter, & ab omnibus instaurari queat) nihili facienda est: At diuitias reparare, pauperi iam facto arduum est, quoniam vt dici solet:

Dantur opes nullis, nunc nisi diuitibus.

At verò videbis hominem iam orbum, ac senem, quem cum resalutas, Danaum factum audis: si membrum præcidatur, non renascitur: si pater moritur, recuperari nequit, si frater: si fama perit, rara est restitutio: cum filiorum tam facilis, tam breuis, tam

absolu

absolutus sit iacturæ instaurandæ modus: vel hoc solatio vnico, digna luctu non est, Etiam si certus admodum sis eum filium tuum esse: sed quàm dij boni hoc nobis incompertum est, vt nihil incertius: fide agitur, fide opus est: sola vxorum pudicitia requirenda est, nil amplius sperari potest securitatis. At si contingat cuiquam alienum deflere (*etenim suppositiţij hi sunt, qui maxime pereunt, quòd per nimias illecebras, animisque vehementer timore percussis concepti sint*) vide qualem risum hia qui cantilenam probè nouerint excitabit; sed iam tibi patri (quod fieri tamen minime potest) non minus quàm matri certus sit, quidnam iam tuum est, an animus? nec quemquam tam impium inueni qui dicat: an corpus? quomodo, cum ex semine gignatur? est autem semen, tertiæ concoctionis alimentum superfluum, vt stercus, primæ, & vrina, secundæ: si igitur quæ ex superfluis nascuntur, nostra sunt; erunt etiam vermes, & pediculi nostri, atque amore digni. Cogita quantum seminis olim incassum effuderis, vel cum meretricibus concumbendo, vel etiam cum vxore iam prægnante: totum id periit, & non doles, quid amplius est in filio, quàm quod semel effuderis? tam vilem igitur & contemptam rem, tam grandi luctu dignam censes, cuius totiens omnino nullam rationem habueris. Si ad initia mentem reuolutas, videbis te non aliud lugere, quàm modicum infœlix excrementum: quòd si per somnum, vt quandoque solet, effusum esset, non omnino curasses: at modo quid interest, qualiter id pereat? quamobrem minus miror Aristippum philosophum, filium omnino sic contemsisse, vt eum à se abiiceret: alios verò etiam exposuisse, vt Laius Oepidum, Priamus Paridem. Nec verò putes, eum morem à Regibus solùm obseruatum, cum passim à priuatis etiam exponeretur: quam Legē, Romulus, (infœlicis ortus memor,) fœlici successu, in Italia primus abrogauit, inde Xenobia esse cœperunt, quæ in vrbe, non feris amplius, expositos alerent. At illud video dicturus es: Similis iam mihi factus est, plurimum laboris, plurimum pecuniæ impendi, consuetudine, atque educatione carus euaserat: hæ querelæ matribus iam magis conueniunt, quòd si iacturam pecuniæ defles, non de filio, sed de auaritia solandus es. At verò illud nō te fallat, morum similitudinem non à parentibus, sed à consuetudine contrahi, remoue filios à parentibus, nullius non magis mores quàm illorum imitabuntur, quo fit vt in omnibus, pauperum filij, parentibus assimilentur, magis quàm diuitum: quoniam pauperum, iidem sunt parentes, & magistri vitæ: diuitum, nequaquam. Quid igitur prohibet ne alienum instituas filium? is enim probè persimilis est moribus, qui à te fingitur: vnde Quintilianus refert, Alexādrum Magnum Leonidæ pædagogi vitia quędam, adultà etiam ætate retinuisse: (quāquam etiam in vitiis te fugiamus imitationem, in virtutibus æmulari conemur) Quare si ob virtutem is, qui iam mortuus est diligebatur: propositum certe laudamus: sed hic, Dij boni, quàm grata, quam iucunda, quam fœlix vita, in quam suaue iter ei contingit! neq; enim fas puto, ea animorum gaudia, eos apparatus, quibus hoc relicto carcere, fruuntur, explicare: Nam cùm eo pondere pressus etiam animus, mortalia quæque, pariter atque immortalia comprehendat; vix est facile dictu, quantum libet; virium, & dignitatis, illustrisq; gloriæ habeat, ad quam percipiendam; (non docendam dico) quamuis in hac vita altissimus habeatur (cum non ipse animus solus, sed homo totus sit, qui intelligat; quippe quòd corpori, nimis arcto hîc, vinculo alligatus est, ne tam celebri expectatione, defugiat) insufficiēs omnino est: Quamobrem tam lentè; tamque operose, ex hac catasta animum dissolui, quid mirum? sic enim matria ex utero, magno cum labore, magnisque difficultatibus, à tenebris in lucem hanc prodit: his tamen, tantò mortis atrocitate minoribus; quantò interuallum gloriæ, qua nunc filius tuus gaudet, & vitæ prioris splendidioris, iuuenilis interuallum, & tenebrosæ illius, in aluo matris, fœtus moræ, antecellit. Naturâ enim illud comparatum est, vt ad omnia ingentia fœlicitatum incrementa, pariter arduis laboribus ascendamus: Eadē certè te ratio consolabitur, si infantulus tibi filius, ac etiam vnicus ereptus sit: (mitto enim quòd qualis futurus esset nescias) metam attigit propter quam natus erat, quippe alia non est nascendi causa, quàm mors: vt corpus propter animam: & somnus ob vigiliam, sic vita propter mortē data est nobis. Quamobrem vt omnibus necessarius est somnus: his quidem exiguus, illis plurimus, sic & animis vita: Quod si gignendi alium facultas negatur: alienum, aut ex affinibus quenquam instrue: eruditione enim, docti; disciplinâ, honesti; (non tales à parentibus pueri fiunt,) quemcunque sic institueris, Deo, (cuius omnes verè filij sumus) & Patriæ, (quæ omnium communis est mater) & Tibi, gratiam reddis: neque enim de obsequio, alienos, filiis cedere comperies. Non est præsentia instituti, vt doceam non optandam filiorum mortem, sed ferendam: Nec, Vt alienus, filio præponatur: sed; Vt filius sic instituatur, vt alienis sit præponendus. Sed si successus respicimus: Generosi magistri, inclytos habuere discipulos: Patres illustres, filios ignauos: vtque cæteros omnes taceam, Socrates sordescit in filiis, in Platone discipulo, fertur ad astra. nonne Aristotelem Theophrastus plusquam Nicomachus extollit? non solùm digniores discipulos, sed & gratiores discipulos, sed & gratiores filiis, vetusta exempla ostendunt. Quis enim vnquam filius tantum patri fauit, vt & gloriam ipsam quemadmodum Socrati Plato concedere velit? Quin quòd etiam viri spectatæ virtutis non tantum filiis caruerunt, sed suscipere neglexerunt, vt Thales, Zeno, Plato, Apelles, Diogenes, Galenus, Virgilius, Homerus: quibusdam verò, vt nolentibus, contigerunt, velut Alexandro, & Iulio Cæsari, nec mirum, illud enim spectabant: *ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. Heroum filij noxa.* & certè magno consilio actū esse puto, vt à generosissimis quibusq; patribus, filij secordes procreentur: id quod tam bene & eleganter à Spartiano testatum video, vt verba eius subiungere statuerim; ea sunt: *Reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum virorum,*

optimum & vtilem filium reliquisse. Satis claret deoique, aut sine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit, de rebus humanis sine posteritate discedere: vt ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit; nihil Numa Pompilius, quod vtile posset esse reipublicæ: quid Camillus? num sui similes liberos haboit; quid Scipio? quid Catones qui magni fuerunt? iam verò quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto, cæterísque aliis loquar? quid de Cæsare? quid de Tullio, cui soli, melius erat liberos non habere? quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? falsus etiam est Traianus, in suo municipe, ac nepote diligendo. Sed vt omittamus adoptiuos (ne nobis Antonini, Pius, & Marcus, Numina Reipublicæ occurrant) veniamus ad genitos. quid Marco fœlicius fuisset, si Commodum non reliquisset hæredem? quid Seuero Septimio, si Bassianom non genuisset? quid aliud his docemur exemplis, quàm filios à parentibus animum non contraxisse, sed à Deo? essent enim illis similes, neque nostros eos esse, sed communis parentis Dei: eósque ob virtutem; non virtutem ob illos amplectendam: id, si homines in rebus humanis consulerent, diuis similes efficerentur; & beatam vitam degerent. At verò Natura, admodum in eorum amore conata est nos fallere, scilicet vt vnicuique, tantùm curæ ingereret, vt nostri, vt Reipub. vt Dei (quidque plus etiam est his omnibus) illorum ipsorum obliuisceremur, tam stultè enim liberos diligimus, vt odisse potius videamur: illos, non ad virtutem, sed ad iniuriam: non ad eruditionem, sed ad luxum: non ad Dei cultum, sed ad facultatem explendæ libidinis: non ad vitæ diuturnitatem, sed ad lenocinia voluptatum educamus: Hanc tamen immodici amoris, stultæque solicitudinis iniuriam natura non dedit: sed quemadmodum & famem & sitim, & somnum, homini ac brutis, quantum satis erat, largita est: animi tamen vitio, solus homo, absque fame edit, bibit absque siti, omnique genere voluptatis præter necessitatem vtitur: sic & filios tam stultè amat, vt eos & ad vitia illabi permittat, & ipse, illorum causâ, nefaria, multa perpetret: illósque, suum opus existimet: At non illius opus sunt, sed Dei: is animum, vitam, formam, robur, mores, ingenium, augmentúmque largitur: nihil horum pater. Desine igitur, quod alienum est, tanquam tuum deplorare: qui ferit, ille ad se vocauit, illius imperio parere iustum, ac sanctum est. At verò si deprehendere cupis, an hic amor naturalis sit, an (vt pleræque aliæ libidines) animi vitium cætera animantia specta, quorum nullum, ab educatione, filios proprios agnoscit: nedum vt amet: Si naturæ hoc munus foret, potius filiis erga parentes, quàm parentibus ergà filios, & ob pietatem: & ob necessitatem congruebat: Vnde, nec huius exempli oblita in brutis natura videtur: cum inter aues, ciconiæ, inter quadrupedes, glires, fessos parentes alãt; at post primam educationem, parentum erga filios, nullum amoris vestigium extat, vincit igitur *φιλοστοργία* quædã in hominibus, aut potius *ευνομια, Laboris studium*, ipso hominis vitio, nimium sibi blandiente: At brutorum miserta est, cum idem sit finis educandi & amoris, in quo tempore *educationis scilicet*, parentes insomnes, laboriosi, macilenti, soliciti, miseri, omnibus apparent. Hanc curam non necessariam, & propagandæ speciei causâ, ementitam, perpetuò sibi velut aculeos quosdam infigere, stultissimum est. Cùm tamen nec rationale hoc sic desiderium, nec naturale, iure merito forsitan quis admirabitur, cur tam commune sit. Sed non dubia est responsio, si mihi prius ostendas, cur tot homines auari, cur tot iracundi, cur tot libidinosi euadunt: At hæc, cùm non sint naturalia vitia, nec rationalia, etiam sunt inhonesta: solus amor filiorum post educationem (quanquam nec à natura, nec à ratione proficiscatur) honestus tamen est. Sed nimis forsitan (tanquam ad Sapientes) Stoicis quidem & & veris rationibus, non tamen secus atque spinosis, in tam copiosa materia, & firma causa vsus sum. Quamobrem ad pinguiorem orationem, & argumenta simpliciora veniamus: ne fortè tam ostendere, quàm fallere velle videamur. Igitur si mortuus est filius, primò illud cogitandum est, an malè audiret, & improbus esset: nam & frequenter, bonus, parenti filius malus videtur: cum domestica labes, magis nobis ignota sit, quàm externa: tum etiam, quòd amor iudicium eripit. Inde fabula nata est, olim cuculum vocasse Philomelæ filios, cum suis, in canendi certamen: tum asinum iudicem, deierasse, se nescire quis suauius cecinerit: filios tamen cuculi, non tam obscure, nec tam inæqualiter: sic, non solùm vnicuique sui gnati, sed & mali, à malis probantur. In quo euentu, quod & plerique, etiam mediocris integritatis viri, faciunt, non tantum non lugere, sed lætari etiam conueuit. Maiora enim etiam his faciebat antiquitas: nam & Manlius Torquatus aduersus Decium Syllanum filium, repetundarum reum, tam crudelem sententiam dixit, vt laqueo se suspenderit: & M. Scaurus, filium inter multos fugientem ab hostibus, solius timoris reum, reuerti ad hostes ac mori compulit: sic Lacæna mulier, redeuntem filium è bello ob ignauiam occidit: cuius etiam est hoc insigne distichon:

Hunc timidum mater Damatrion ipsa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

Tales inquam ac deteriores, erepti, nec amplius parentibus, nec affinibus negotium facessunt: & seipsos à maiore dedecore subtraxerint: quin etiam, quidam illorum, parentibus mortem moliti sunt, velut Blandenius Zeuxides, qui matrem interfecit, & Euander qui Nicostratæ matris suasu, patrem occidit, quæ causa ei fuit vt in Italia exularet. Tullij quoque Annalis filius, percussores, (vt patrimonium lucrifaceret) ad latitantem patrem in proscriptionibus triumuirorum perduxit. talia monstra, (vt rara sunt,) sic plerunque, multorum malorum superstites filij, causæ fiunt. Sic Priamo, Paris incolumis, domum & patriam euertit: hunc tamen morientem, defleuisset ille: tam stulta sunt hominum studia, vt optent quòd nesciant: & Deos consilio vincere sperent: arguantque, si

quid

quid eis nescientibus bonum procurauerint, Quòd si prudens, bonus, pius, ingentisque animi sit, nec desit spes propagandæ prolis, & senij tui sustentandi per eum, quid Nepotibus relictis, in pietate deest: &, si nulli sint, iam temerarium erat sperare, quod noluit, aut non potuit. Verùm (vt libet) de ipso statue; maius est periculum, eorum, quæ morte deteriora sunt; quàm spes eorum, quæ his, quæ iam habet, sunt meliora: At morte deteriora sunt, miseria, turpitudo, flagitium, perpetuus cruciatus, contemptus: mors enim communis est: hæc paucos habent: & illos etiam mors non effugit: An verò melius est (etiam si hæc omnia euadat,) in infortuniorum sedem peruenisse, quodque tumet nolis, tam carò optare: namque necesse est, qui senectutem vult ingredi, multa tristia experiri: nemo enim mortalium est fermè, qui diu viuat, quem non aliquando contingat, ante mortem, ipsam odisse vitam, adde quod & poeta dixit:

Ædepol, senectus si nihil quicquam aliud vitij
Apportet secum, cum aduenerit, vnum id est satis,
Quod diu viuendo, multa, quæ non vult videt,

Equidem si te illius desiderium tenet, cùm senex iam sis, proximum tempus est, vt illum comiteris: si iuuenis, larga est spes alios procreandi. Denique luctus fœminea res, non virilis est: vnde Lycij rectè eos qui lugere vellent, fœmineam vestem induere cogebant: vt animo vestis ipsa congrueret, neque verò absque ratione, Siquidem inter omnes, vt viliores sunt, luctum improbiorem præ se ferunt; atque in primis mulieres, dein pueri: ex his etiam barbari, atque horum maxime effœminati: at contrà, viri, eo quò generosiores, & luctum comprimunt, & dolorem à se repellunt. Est verò huic Inferno Luctui Deo, vt etiam aliis plerisque, mos, vt ad eos maxime accedat, qui eum colant: at si ab initio eum repuleris, neque animum permittas sauciari, quàm longe semper à te aberit. At verò vide quàm decorum, quamve honestum, hominem grandæuum, ac qui, ab aliis meritò consulitur, lugubri in veste plorare, queri, sordide eiulare, lamentari, O generosam indolem! Sed nec minus animo decet perturbari. hæc enim prætermittere, intus autem dolore & tristitia se conficere, nec sapientis viri est, neque constantis, sed eius qui aliorum potius reprehensionem vereatur, quàm quod deceat, sequi nouerit. Melius igitur est illud secum sæpius comminisci, *σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, Vmbra somnium homo* quid melius dici potuit, adeo hominum vita futilis est, atque exilis: vt cum tenuissimum omnium sit vmbra, fallacissimum & inconstans somnium; somnium vmbræ quid erit? at hoc tamen Hominis non solum Vita, sed etiam Gloria est. Alius verò *οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν, Qualis foliorum generatio, talis etiam hominum*, nam quid absimile? illa cadunt sole, imbribus, vento, vredine: &, si nihil inueniant, per se defluunt: sic hominum vita: crede mihi, iniuriam nullam accepisti, mors enim Deorum donum est. Dij neminem iniuria afficiunt, si ex ma-

gistratu, suffragiis victus, decessisses, æquo animo etiam tolerandum duceres; quamuis repulsa, suspicione nec inuidiæ, nec contumeliæ, nec doli carere possit: At nunc, cum nihil horum metuas, Deorum suffragia damnare audebis? Illudne in mentem venit, quod Leontius Neapoleos Episcopus, in vita Ioannis patriarchæ Alexandrini accidisse narrat? Cum enim quidam obtulisset illi auri libras septem, vt Deum rogaret pro naui onusta, & filio, qui ei vnicus erat; intra mensem, cùm prius filius excessisset è vita, nauis etiam fluctibus obruta est, inde, patre eius ob vtranque iacturam tristissima cogitante, Patriarchæ precibus, paucis pòst diebus impertatum est, vt nocte quadam pater, Patriarcham videre se existimaret dicentem, Orasti vt filius tuus saluus esset, ecce nunc saluus est: cum obierit: qui si vixisset sceleratus in vita, post mortem verò damnatus, seruari non poterat. Soli diui sciunt, quid nobis expediat, quando nos, qui simus, ipsi ignoremus; ne dum, quid optandum sit, sciamus. Solari igitur non tantum, sed etiam lætari nos conuenit, in propinquorum omnium morte: quorum si memoriam obseruare cupimus (quanquam etiam, non illorum conuersationem frequentet, ne somnus ipse deneget) posteris & tibi nominis, & consuetudinis, referunt generosa sepulchra, imagines, statuæ, carmina, orationes, dedicationes, institutiones perpetuorum, tum sacrificiorum, tum gymnasiorum. His solatiis, nonne honestius, ac iucundius, teipsum confirmare; illius verò gloriam, mortalibus commendare potes, quàm planctu & eiulatibus, temet conficere? quod vt modò, his qui virtute præditi sunt, & animorum agnoscunt beatitudinem, superfluum est: ita infirmioribus moribus, tale solarij genus, haud turpe est: Namque & Augustus imaginem nepotis puerascentis, quem vnice diligebat, in cubiculo reposuit, quotienscunque ingrederetur eam exosculans: Alexander Ephestioni sacra constituit, & delubra; Fabius Quintilianus, non luctu, sed oratione, quæ filij laudes contineret, quasi honestatem eius laudis à dolore mutuaretur, obitum filij celebrauit. Quid Ioannes Mesue, qui libri titulum, Patris nomine mentitus est: Sic Zoar, sic Aristoteles filio libros inscribens, sic Cicero, sic Plato in disputationem, fratres, & amicos vocantes omnes: non lugubri veste, & mœrore, sed æternis monumentis, charissimos quosque è suis, posteritati consecrauerunt. Iam verò rationibus satis ostensum puto, mortem filiorum neque lugendam, neque malam esse. Nunc verò, quam fortiter eam tulerint antiqui, exemplis prosequamur. Octauianus Augustus, cùm duos nepotes Caium & Lucium, intra menses viginti amisisset, adeò non commotus est, vt nec à Senatu abstinuerit: Demosthenes verò cum vna ei tantum filia esset, septimo à mortis eius die, procedens in publicum candida veste indutus, & coronatus, bouem immolauit: fortius etiam se gessit Dion; de Republica enim inter amicos consulens, intellecto quòd filius qui ei vnicus erat, è tecto se præcipitasset, mandans familiaribus sepulturam, negotium quod cœperat perfecit: Persimile

Antigoni factum; cum enim in acie filius cecidisset, nullum aliud luctus signum dedit: sed dixit, O Alcioneu, feriùs quàm debuisti mortuus es; tam constanter in hostes irruens, nec monita mea, nec tui salutem, plurimi faciens: Periclis verò constantia nulli inferior esse potest, cum enim Paralum, & Xantippum, quos solos habebat filios, indolis egregiæ adolescentes, intra dies octo amisisset, candida veste coronatus, Atheniensibus concionabatur, consiliàque ac belli rationes, magna animi tranquillitate, à fonesta domo profectus, explicabat. nec tamen absque imitatione, siquidem Anaxagoras eius præceptor, cum ei aliquando disputanti, mors filij renunciaretur: paululum substitit, dein testatus, se scire mortalem genuisse, in disputatione perseuerauit: Paulus Æmylius, cum Perseum bellum suscepturus, Deos rogasset, vt si pro rebus gerendis calamitas vlla ciuitati Romanæ immineret, eam potius in domum suam conuerterent: id (seu voto, seu casu acciderit) quod rogauerat impetrauit: Cum enim ex quatuor liberis, duos per adoptionem, in Scipionum familiam transtulisset; reliquos quos apud se retinuerat; intra paucos dies amisit: nec minus leniter tulit casum hunc, quàm fortiter optauerat: Tynnichus etiam Spartanus, clarissimi exempli monumentum reliquit posteris: cum enim Trasybulus eius filius, in bello contra Argiuos occubuisset, hoc epigrammate animi constantiam declarauit.

Flere decet timidos, oculis te nate sepulchro
Condo meum siccis, ac Lacedæmonium.

Hic namque vt mihi videtur Papinianum illud est imitatus,

Vigor iste de animis, & mortis honesta
Dulce sacrum: gaudent natorum in fata parentes.

At verò, non tantum constantiam tenuisse, sed etiam illorum necem procurasse, magnam vtilitatem præstitit: Sic Brutus, filiis duobus, publico supplicio mulctatis, quem terrorem putas incussisse ciuibus? quam desperationem hostibus? quam admirationem vicinis vrbibus? vt non solum, tam fortis animi exemplũ, magnam ad augendum Imperium, sed ad retinendum etiam Libertatem, quadringentorum annorum occasionem dederit: non tantùm timore pœnæ, sed etiam æmulatione virtutis. Quid aliud per Abrahami in Isaac exemplum ostenditur, quàm eos qui ita filios diligunt, vt sciant non in his spem suam collocandam, sed Deum ita colendum, vt liberorum obliuiscamur, magna mercede dignos esse, quare & multarum gentium, ex tam diligenti obsequio, pater factus est, nec vnquam semen eius delebitur: maius hoc est, quàm Bruti, fortitudinis argumentum, ille, sontes occidendo, alios reliquit filios; hic, innoxium iugulando, sine sobole fiebat: ille, aliena manu hostes iubebat occidi: hic, manibus suis, obsequentem occisurus erat. Sed ad exempla Tolerantiæ reuertamur, in quibus (proh pudor!) tædet fœminas referre tam fortes, vt vinci non queant à viris, inter quas Tomyris Massagetarum regina, occiso, astu bellico, eius filio, morte Cyri hostis, non luctu, inferias illi parentauit: vniuerso eius etiam cæso exercitu: Tum Cornelia Gracchorum mater ex numerosa prole, duos tantum egregios iuuenes C. & T. crudeliter per seditiones occisos, tam leniter tulit: vt illorum tantùm & patris Africani facta commemorans, nullũ doloris, ne luctus dicam signum ediderit: Argileon verò, Brasidæ Regis Lacedæmonij mater, cum filium in acie mortuum accepisset; non luctu & gemitu omnia compleuit, sed interrogauit, an honestè, & è dignitate viri occubuisset. Girtyas autem Lacæna & ipsa mulier, cum nepos, tanquam mortuus, domum delatus à familiaribus defleretur: dixit, Non flebitis inquam: declarauit ex quo sit sanguine genitus: puer enim in puerorum pugna conciderat: cum tamen reuixisset, & iuuenis factus, in bello cecidisset, eadem, respondit, nuncianti, Nonne cum ad hostes ietit, occidere aut occidi debuit? at mihi gratius est eum audire mortuum, ex dignitate mea, maiorúmque, & vrbis: quàm si ignauus superuixisset. Alia etiam, casum filij (cum in acie periisset,) fortius tulit, dicens. Timidi lugeantur, ego verò te fili, sine lachrymis ac læta sepelio. Alia itidem Lacæna mulier, cum quinque filios ad bellum emisisset, in suburbiis Spartæ stabat, euentum pugnæ expectans; cum verò quendam venientem interrogasset, quid ageretur: ille existimans de filiis interrogari, omnes obiisse respondit, tunc indignata mulier, Non hoc inquit rogo, malum mancipium, sed quid agat patria: cum ille vicisse diceret, tunc mulier, libens igitur inquit filiorum mortem accipio. Tales fuere virorum, ac mulierum ingentes animi spiritus quondam, Gloriâ non minus quàm Consilio clari. Sed iam, vt puto, de his nimis supérque, atque quod ad mortem attinet, dilucidè explicatum est: vt non sit necessarium hic, neque amicos, aut affines, vel coniuges referre: illorum enim copia multa, instabilis conditio, necessitas parua: at vxorem, molestia, & contumacia, solæ fermè vindicant à fletu; neque tamen, si non essent morosæ, illi vxor deest, cum vna alteri succedat: At quantumcunque sint vxores optimæ, amici fideles, affines chari, indignum puto, Si frater, si filius, si pater, luctu non sunt prosequendi, hos in hac causa in iudicium vocare. Sed illud potius tecum statue, mortem, stultis malorum finem esse; sapientibus autem bonorum initium: vtque Menander ait, ὃν γὰρ οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος, id est. *Quem enim amat Deus moritur iuuenis.*

DE CONSOLATIONE

LIBER III.

DIVTIVS certè quàm destinaueram, atque copiosius, genus id consolationis quod ad luctum pertinet, ac mortem, sum prosecutus. Non solum quòd tristitiæ causæ, quæ morte, seu propriâ, seu amicorum contrahitur, exilis est ac perexigua: sed etiam, quòd homines, hac ætate, opes, ac potentiam tantum diligunt: vt non, nisi cùm imminet, mortis recordentur: longa

quisque

quisque spacia vitæ sibi decernens; mortem, non huius mundi, sed cuiusdam alterius, quasi rem contemnunt. At verò diuitias, ac magistratus; præsentia, ac certa vixque vnquam desitura obseruant. neque hoc contenti, eos homines, qui non vt ipsi tam ingenti rabie horum vexantur: illorum inuidentes quieti, damnant, oderunt, persequuntur. Namque id illorum studium est, vt Sapientissimi etiam, ac Beati iudicentur: quorum neutrum, indiciu illorum qui hæc quasi spreuerint, confirmari potest: cum autem & hoc, illi indignè ferre non videantur, odisse incipiunt, ac demum prosequi, vt si mediocritatem illam libenter ferant, pulsi tamen ab ea, & in necessitatem aliquam, seu calamitatem eiecti; dolere, ac conqueri apud homines incipiant: vt illorum institutum, qui tam ardenter opibus inhiant, horum confessione, tanquam prudentissimum laudetur. Verùm cùm non eadem tempora, rerúmque vices semper maneant: non de illa calamitate, quæ apud hos potentiæ cupidos grauissima habetur, sed illâ quę verè est, longiorem sermonem habuimus: Nam quòd & in mortis tempora, hanc suam beatitudinem producere nitantur, velut Poeta in viri fœlicis sepulchro mortuum inducit dicentem:

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo
Hospes, & adde rosis balsama puniceis:
Perpetuum mihi ver, agit illachrymabilis vrna:
Et commutaui sæcula, non obij.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ:
Felix seu memini, siue nihil memini.

O lepidum caput, quàm belle nihil dixit, namque fœlicitatem hanc, etiam post obitum extendere audere; res est omnino ridicula, & ab ipsismet huius rei authoribus derelicta: Nempe quòd videamus post mortem, breuissimo tempore, hanc gloriam diuitiarum euanescere: multitudine non solum mortalium, in eam laudem succrescente in dies, sed quòd etiam res ipsa, gloriâ indigna sit, vixque è tot millibus millium hominum, qui sua ætate diuitiis inclaruerunt, pauci admodum hi ad nostram memoriam peruenere, Gillias, Crœsus, Midas, Pythius, Meander, Ericthonius, Sysipphus, Tantalus: ex Romanorum libertis, Amphiou, Menecrates, Heron, Demetrius, Pallas, Callistus, Narcissus: ex ingenuis, C. Cęcilius, Sylla, Lucullus, Liuius, Drusus, M. Crassus, tum verò Salomonis, & Ptolemæorum Regum ingentes celebrantur opes. Sed Gilliam liberalitas posteris commendauit: Crœsum & Crassum infortunia; Syllam & Lucullum victoriæ, Midam Silenus, libertos abusus, & Romana luxuria. Salomonem sapientia; Tantalum scelera; Meandrum & Pythium in Persarum reges munificentia; C. Cæcilium testamentum; Ptolomæos, Regia maiestas; Erichtonium ingens magnificentia: nullum penè, solæ diuitiæ præclarum reddiderunt, quanquàm etiam tales fuerint, vt facilius omni virtutis genere, quàm tantis opibus gloria possit comparari: Cui uerò sint vsui ab interitu opes, nemo vel fingere potest: At etsi gloriam tibi, & vsum à morte, aliis præstarent, nihil ad te, illud potius cogitare expedit, in eas concedendum oras, in quas solum animi vitia, & virtutes perferre possis; tum verò, cum morieris, non diuitiarum, sed scelerum: non potentiæ, sed spei, memoriam succurrere. Inde quòd illo temporis momento (nam anteriores prætereo cruciatus) omnia sursum deorsúmque vertuntur: tanquam tibi dissoluta orbis machina, in chaos antiquum redeat, ac velut in naui stantibus, ripæ procedere videntur, cum tamen illæ quiescant, tu autem mouearis: Sic in mortis hora subuerti vniuersus mundus videtur: inde, perpetuo hac luce cariturus excedis: nunquam has tuas diuitias aut affines, aut chariora hæc vsque in æternum inuisurus. Cur igitur, si sensum à morte vllum credis, non virtuti operam das? si nullum, saltem quieti, ac tranquillitati? cum non amplius aliam vitam experiri, nec in hanc, quam nunc habes, redire contingat. Sed suauis tamen est hic dolor, (vt qui scabiem scalpunt.) Iuuat ditescere, eminere, laudari, alios premere: quando hic est vniuersus humanæ fœlicitatis terminus. O stultam cogitationem! sed facessat: maneat, modò ne alios meliora sentientes, velis arguere. Si tamen liceret, interrogarem: cur puerorum more, iuuat domum protinus ruituram ædificare? cur tot labores incassum perdere? cur non tantum corpus sed animum frustra vexare? Sed iam olio me rapit oratio, namque multa sunt, in quæ præter quasi intentum, diuertere cogor: Atque illud primò, ostendere debeo, quare liber hic præcedens longior euaserit: Simúlque vnà omnium calamitatum (si quæ fortè intolerabiles videbuntur) medela docenda est. Itaque elaborandum diligenter fuit, vt istud ostenderemus, mortem in malis ponendam non esse: quo fit vt cum ad eam, cuilibet aditus pateat, nemo miser nisi volens dici possit: quamobrem cum aliquando Tiberius captiuorum custodias inuiseret, cuidam roganti, vt quàm primum mori liceret, respondit: Nondum tecum redij in gratiam: vera vox, si ad rem aspicias, tyrannica, si ad mentem. Hæc igitur altera causa fuit, vt paulò prolixior in præcedenti libro fuerim. Omnium enim malorum tria sunt auxilia, Mors, Sapientia, & Fortuna: Morte quidem vtuntur hi, quibus his aliis duobus vti non licet: cùm in eas molestias inciderint, quæ grauissimæ videantur. Quapropter mihi Damidas Spartanus, prudenter cuidam respondisse videtur dicenti, en Lacedæmonij periclitantur, O Damida, nisi in gratiam cum Philippo redeant: (hostes enim Regis Lacedæmonij fuerant, & tunc Rex Peloponnesum occupauerat:) cui Damidas, O semiuir inquit, quidnam graue pati possumus, mortem contemnentes? Sic puer Lacon, cũ captus ab Antigono, se venditus, in officiis ingenuis hero gratissime inseruiret: postquam animaduertit indigna opera iniungi, atque inter cætera, vt matulam deferret: negauit se facturum, assurgens'que domino, ac comminante, puer tegulas conscendens dixit, Videbis quem emeris, & continuo se præcipitauit. Sic Crassus, cum captus vereretur ne ludibrio esset, virga qua equum regebat oculum barbari effodit: quo irâ percito, ab eo occisus est. Frequens erat exemplum antiquo tempore: morte, mortem, aut longam, aut ignominiosam

effugere. Inde qui sub Tiberio, Caligula, Nerone, mortem sibi consciuerint, si velim numerare, prorsus ascribens nomina, quam longissimam historiam conficiam: si numerum tantum, nemo credet. Nuper etiam dum hæc nos scriberemus, quidam pigmentarius Venetijs, damnatus sceleris, colloquio cum fratre impetrato, cum ille osculum dedisset, venenum in cortice auellanæ latens, ex ore accepit, indéque horis paucis extinctus, à cruciatu & dedecore se subtraxit. Legimus & quosdam morborum tædio, vitam voluntarie finisse: è quorum numero Pomponius ille Atticus vir clarissimus, qui doloribus nimium vexatus, cùm quieuissent, inediâ tamen, ne amplius in eam pœnam incideret mori perseuerauit. Eodem mortis genere ob podagram Corellius Rufus obire voluit. At verò lex nostra quenquam sibi ipsi manus inferre prohibet; & meritò. Nam nihil homini Christiano intolerabile esse debet, præsertim excluso vehementi cruciatu. quo in casu, Lex, quanquam haud probet, indulget tamen. Itaque non obscurum est iam. cur præcedentem librum tantum extenderimus: Nunc illud iam proponendum videtur, nihil esse miseriarum præter cruciatum (& nec ipsum iure excipio) quod hominem contristare meritò possit: omnésque homines, si rectè sapiant, æqualiter fermè, & beatos, & infœlices esse: vt illud cum Socrate sentiam, si omnes homines suas curas, ac mala in cumulum vnum, æquis diuisuri portionibus conferrent: postquàm eius magnitudinem, ac cæteros mortales, vnumquenque sua onera portantem inspexissent, singulos potius denuò quod attulerint, libentiùs resumpturos, quàm eam diuisionem probaturos. Quod enim vnusquisque propria mala nouit, aliorum nesciat, id in causa est, vt se inter alios miserrimum putet: In qua peroranda parte, duo illa mihi obiici posse sentio, alterum quòd hic liber eruditis tantum proficere possit: atque iam, sine eo, qui literis operam dederunt, cum Tullij præcipuè libros De bonorum finibus, ac Tusculanas quæstiones, Paradoxa, de Senectute, ac Plutarchi opuscula, & Petrarchæ remedia, tum Boëtij, atque aliorum etiam reuoluerint, non minimam calamitatum medicinam inuenturos: at hi qui literarum cognitione carent, tota penè plebs, tum rustici, & ex patritiis, pars maxima: quonam auxilio suarum ærumnarum damna pensabunt? Inde aliud periculi genus, ne aut nimium audax, aut superfluus esse videar; in qua accusatione forsitan reprehendi timerem, aut defensionem molirer, nisi quòd ab initio testatum est, cæteros quidem libros, aliis; hunc vnum, mihi composuisse, docuissem. Qui quanquam nec Ciceronis eloquentiam, nec Plutarchi grauitatem, aut Petrarchæ acumen, vel Boëtij Philosophiam æquare possit: nihilo minus nobis pergratus est: ea ratione, quam ab initio in filiis memorauimus, suam vnicuique operam charam esse. At erramus: quis nescit? ferendus error certè est, qui & innoxius aliis est, & à natura propria proficiscitur. Alterum, quòd etiam mihi excusandum videtur, vt ne quis nobis illud dicat; Facilè cum valemus ipsi, dolorem tolerandum aliis suademus: idque, est verbis inanibus aliis persuadere, quod operâ ipsa non præstes: atque oratione solâ, virtutes velle mentiri. In quo genere, quanquam Cicero, atque Plutarchus, tum Petrarcha, & Aristoteles me excusent: quòd ex his, alij minimè, quam tantum extulerint Fortitudinem, in aduersis ostenderint, vt Cicero: neque enim in infortuniis homo vllus abiectior fuit: alij ex his, aduersam fortunam non sint experti, præter leue exilium: prædiuites enim, & Regibus grati, atque meritò fuerunt: tum quòd non necesse sit, omnes bonos, etiam si ex animo sentiant, in re ipsa periculum sui facere, hoc enim Fortunæ est, illud Virtutis: neque etiam admodum necessarium, vt qui rectè dicunt, rectè etiam viuant, veritas enim etiam ab improbis persæpe defenditur. At ego, quanquam hia omnibus dissimulare possem, ac subterfugere, tamen cùm eius laboris causam diceremus esse, vt nobis satisfaceret: *Vix cuiquam persuaderi debet, hominem in summa fœlicitate existentem, ad consolationis rationes, animum intendere posse: quod si faciat, vix est verisimile: vt quicquam magnum assequatur.* Quò fit, vt etiam hic liber, si ad alios perueniat, ampliorem fidem sit consecututus; & quanquam cuicunque vt diximus, virtutem laudare liceat, non tamen proprium est ingenui viri, vitam à verbis absimilem habere, similem autem vitam, aut in fortitudine, aut in patientia, quonam pacto habere possumus, aut cæteris ostendere mortalibus, si omnia secunda fuerint? Igitur quod diuino factum puto esse aliquo consilio, vt scilicet genitus, natus educatúsque in maximis calamitatibus, non meliore fortunâ, ad hanc vsque diem peruenerim; si silentio transigerem, magnam partem ac necessariam huius propositi prætermittere arbitrarer: namque vt qui res difficiles aliis persuadent, si ipsimet eas aggrediantur, & fidem & auctoritatem dictis adiiciunt: sic enim Aristidem, Phocionem, Socratem, Platonem, Catonem, tum Prophetas, & Sanctos viros, atque omnium bonorum auctorem & conditorem, Christum Iesum, fecisse video: non tamen hæc subiungere hic volui, vt illos virtute, sed vt instituto vitæ imitari viderer: atque quantò ob humilitatem nataliom, cæteris sum inferior, tantò faciliùs, modò velint, hanc nostram in aduersis patientiam superare sperent. Igitur vt ab initio exordiar, In pestilentia conceptus, matrem, nondum natus (vt puto) meatum calamitatum participem, profugam habui. Inde octauo calendas Octobris, anni primi supra millesimum ac quingentesimum, in hanc lucem semimortuus editus, cùm spes, omnes reliquisset, vini balneo recreatus sum: tum iam trimestris, duos fratres & vnam sororem perdidi: grassante in ciuitate nostra pestilentiâ: inde, cùm etiam in Ticinio sæuiret, repente eo morbo nutricium amisi: tunc audaci, & pio facto Isidori Restæ, nobilis viri, & amici paterni, manibus eius inter funera exceptus, morbum paucis pòst diebus contraxi: inde hydropem, hepatísque fluxum: Deorum an irâ, an misericordiâ seruatus sim, non sat scio: nullum interim mor-

borum

botum genus intentatum reliqui, annum vsque ad octauum: inde, loco serui, patrem vsque ad decimum nonum annum perpetuò comitabar: Dij boni, florem hunc vniuersum ætatis, & sine voluptate, & sine studiis transegi: Cum verò neque patrem cogere possem, nec fraudare, honestum ducerem, nec precibus impetrate valerem: Religioni tandem, amore studiorum tradere me volui: Inde metuentis matris orbitatem precibus exotatus pater, in Gymnasium demisit: ibi, temporis amissi memoriam reuoluens, simulque vitæ hominum breuitatem considerans, studiis assiduis me tradidi: illud etiam timens, ne si pater malum de me nuncium accepisset, denuò reuocaret. Ibi difficultate Latinæ linguæ, (vt qui nunquam vel semel scholas inuisissem) non parum laborabam, inter tamen tot mala, pater iam antè concesserat, vt Geometriæ, & Dialecticæ operam darem, in quo (quanquam præter paucas admonitiones, librosque ac licentiam, nullum aliud auxilium præbuerit) eas tamen ego (succisiuis temporibus studens) interim fœliciter sum assecutus. Inde (desiderium augente absentiâ) mortuus est, sæuiente peste; cùm primum me diligere cœpisset: Tunc bella illa internecina in patria initium habuerunt; ipse inops, ac auxilio omni destitutus, diligentiâ, & solicitudine matris incredibili sustentabat, cumque patrimonium (quod minimum erat) non sufficeret; spe, & alieno consilio fraudatus, & studentium Rector creatus, nihil, prius cùm haberem, totum tamen illud nihil consumpsi. Nec vllum mihi erat reliquum auxilium, nisi latrunculorum ludus. Tandem ex infortunio in infortunium euadens, in oppidum Succense me contuli. Quo in loco, totus Medicinæ intentus, familiam sustentabam industriâ, ægrè tamen, vt eni (præter id quod nihil esset) etiam alienum æs non paruum, prius, bello illo magistratu, cumulatum erat. Inde matris literis in patriam reuocatus, integri nihil inueni: nemo amicus: consanguinei aduersum me litigabant: Medicorum collegium, suspitione obortâ, quòd (tam malè à patre tractatus) spurius essem, repellebat. At nec (quod penè exciderat) medicorum Patauinorum consensus mitior erga me fuerat: cum lauream, (quæ mihi iure debebatur) bis iustè denegauerit; vixque (pertinaciâ Prætoris,) vltimò concessit: Facinus certè detestandum, si non mea fortuna potius, quam illorum scelus, eos ad hanc iniuriam impulisset. Desperans igitur, tabis quodam genere correptus sum, quod medici putant incurrabile: seu igitur voto celebri, seu quia ad maiora seruaret, nec vllo medicinæ tentato auxilio, post septem menses præter omnem spem euasi: Interim verò cogita, quæ tristitia animum meum vexare debuissent: Hinc paupertas maxima; illinc mater flens orbitatem, & suam miseram senecturem; tum memoria contumaciæ affinium; iniuriæ (vt rebar) medicorum; minæ potentis; desperatio salutis: nullus amicus: quiescens, indigebam necessariis; laborare non poteram; mendicare turpissimum erat: In tot difficultatibus constitutus, in quas & fortuna mea, & patris acerbitas, & affinium odium, & temporum miseria me compegerant; consilio hoc, adiutus sum, Vt effugerem malorum saltem præsentiam; atque in oppidum reuersus sum: vbi amici complures me solabantur, & iuuabant: ibi Diuino auxilio, repente vnâ horâ, morbo in vniuersum liber euasi: tunc verò cœpi aduersus valetudinis detrimenta opponere abstinentiam; fortunæ patientiam; paupertati parsimoniam; litibus solicitudinem; repulsis studium literarum: semper autem, & ab initio, & vsque nunc, primus hic liber (qui quanquam tunc à me non esset editus, mente tamen conceptus) solabatur: inde in patriam denuò reuersus, sospitem matrem inueni. Cumque multa mala, atque aliis intolerabilia, vsque ad hanc diem passus sim: omnia contemnens, omnia perui ci. Primum quidem auxilio Reuerendi Episcopi Philippi Archinti, virtutum & disciplinarum quantum quisque alius, pro viribus optimi patroni, defensus & adiutus non parum fui; demùm motu Illustrissimi Principis Alphonsi Auali, Istonij Marchionis, (cuius nomini librum De æternitatis arcanis dedicauimus, pro illius inclyta humanitate ac liberalitate) cùm rē tractaret Franciscus Sfrondratus Senator illustris, non sine optimi cuiusque collegæ voluptate, in eum ordinem ascriptus sum: cùm iam quadragesimum annum fermè attigissem: Ea fuit vitæ nostræ ratio: pluribus, & assiduis, ac ingentibus pulsata incommodis, cui quantum hoc profuerit studium, satis intelligis: maiora verò fortunæ ornamenta, eo animo spreui, quo iniurias illatas etiam tolerabam: Quamobrem & ad præsentem vitam, & ad animi tranquillitatem, nihil melius à Deo, patientiâ sum consecutus: nam & illa inter tot rerum angustias, mira mihi acciderunt, vt ab his iuuarer quos nullo beneficio affeceram: nam & Franciscus Bonafides medicus, vir tum optimus, tum simplicissimus; tam fortiter Patauinorū medicorum iniuriæ resistebat (quāuis & ipse ciuis) vt non à fratre frater diligentius defendi potuerit: & in Mediolanensi causa, Franciscus Croceius, Iureconsultus integerrimus, magno nobis fuit auxilio; tum etiam vt diligentem operam, aliquot in disciplinis impenderim, scribens, docens, atque inueniens. At verò, cùm cætera sereno animo melius fiant; hoc vnum tamen, tranquillitatis animi præmium est, Inuentio: quæ qualis fuerit, his non obscurum est, qui librum Arithmeticæ, nondum editum, cuius titulus est (Opus perfectum) legere velint: aut Geometriam nostram, aut librum De medicorum discordia; in quorum primo, capitula Sexaginta Algebræ vniuersalia inuenimus: ætate omni quæ ante nos fuit, in Septem, explicatione consumpta, cùm hæc solùm, ob difficultatem, inueniri posse speraret: tum verò & Numerorum vires supra Quingentas adiecimus: in secundo, non pauciores propositum Euclide fabricauimus, fateremur in quam, nos ab illo, Vtilitate, longo antecedi interuallo: de inuentorum tamen Subtilitate, alij indicabunt. In tertio, Græcorum, Arabum, & Latinorum medicorum sententias contrarias, quotquot ad manus peruenire potuerunt, disputauimus,

distinsimus, conciliauimus. Maximam verò congeriem librorum, vt vel legere pigeat, ad hanc vsque ætatem scripsimus; omnium tamen emendationem absoluere despero. Quorum etiam aliqui, quamuis minimi, & si in lucem minus castigati prodierint, vitium in nobis quidem fuit; aliorum verò culpa, qui per inuidiam, nos coegerunt, immaturos fœtus edere, namque nec cum his, satis commodè, nec sine his, vllo modo viuere poteram; illorum igitur calumniæ, quicquid erratum est imputetur. Itaque hac pertinaciâ, si vel publicè profiteri voluissem (quod omnes nouerint admissum aliquando tenuisse) vel opibus comparandis operam dare: poteram patientiâ, vel aliorum fortunam; aut naturæ munera æquasse. Sed iam de nobis nimis; non ad laudem, sed ad exemplum dicta sint: Quæ enim laus esse potest? Natalium humilitas? pater, patria, affines infensi; valetudo infirma, fortuna aduersa, paupertas mendicitati proxima: iam me stupidum prorsus credet, qui putet hæc gloriandi causâ dicta; quæ ad summum dedecus penè attingunt: vbi (à nostro recedentes instituto) vulgarem sententiam aliorum prosequamur: Verùm hæc tria, vno exemplo docere voluimus: primùm, Neminem miserum esse, absque sceleris conscientia: alterum, Fortitudinem animi, non solùm ad eius tranquillitatem, verùm etiam ad fortunæ mutationem, plurimùm conducere: vltimum, Lectionem huius libri, non tantum miseris, vt æquo animo aduersa ferant, sed beatis opinione sua, ad continentiam, vtilem fore. At verò (quod reliquum obiici posse docuimus) si cui omnino librum hunc, aut persimilem legere non liceat; hicne in miseriis suis, omni solatio erit destitutus? certè non: nobis enim, quod prope diuinum est, ascriberemus: neque enim aliud necessarium est, vt non sis miser, quàm, quòd miserum te non credas: hoc verò, vel vno verbo docere & discere, cuicunque fas est: vt verò rationem huius percipiat, (quæ soli Sapienti vtilis ad persuadendum) si quis forsitan sit pertinax; liber hic, vel similis, necessarius est: Igitur neque rustici, neque plebs, (modo velint credere) his rationibus indigent (quandoquidem & idem omnino etiam Lex nostra suadet,) at qui alios docere voluerint, hoc ea libro, fructum aliquem percipere poterunt: Mihi tamen ipsi hæc scripseram, quòd nullum docentem haberem; assuetus autem demonstrationibus, Fidem quidem habebam eorum quæ post mortem fiunt: at verò, Quòd hic neque fœlicitas vlla esset, neque miseria, ex solis antiquorum rationibus, confirmari perfectè non potui: operæ precium igitur esse duxi, vt non tantum illorum dicta in vnum, sed si quid ego addere possem, in ordinem digererem.

Itaque vt à paupertatis molestiis initium faciamus: quandoquidem grauissimum visum sit aliquibus eius onus, velut Menander ait, *οὐδὲν πενίας βαρύτερόν ἐστι φορτίον*, id est, *Nullum paupertate grauius est onus*, at contrà diuitiæ in honore semper fuerunt: nec vnquam illud mutatum est Poëtæ:

In precio preciũ nunc est: dat census honores,
Census amicitias; pauper, vbique iacet.

Visum est, vt non tumultuariè, (quòd res ipsa plurima contineret capita) sed ordine quàm possem diligenti, rem aggrederer. Itaque primùm videtur illud ostendendum, Pauperem non minus fœlicem esse, quàm diuitem: secundum, Paupertatem gloriæ non obesse: tertium, Nihil grauius fore pauperi, quàm vt ditescere velit: quartum, Diuitias post mortem neque prodesse illi qui mortuus sit, neque posteris suis. Itaque vt ab initio rem hanc exordiar; In Repub. paupere, fœlicitas maior est, quàm in opulenta? minora odia, minor ambitio, minores seditiones: Vnde & Liuius illud refert, quòd cùm Romana Respublica, pluribus ab initio seditionibus laborauerit, nunquam tamen vltra verba, in tam feroci Populo ventum est; vt sine judicio quisquam condemnaretur. Primus Tiberius Gracchus, iam opulentâ vrbe, absque legibus occisus est, anno vrbis sexcentesimo ac vigesimo primo, tum antè, Romanos à legatis Carthaginiensium hostium, benignitatis inter se maximam laudem meruisse, Plinius testis est. At contrà, cùm diuitiis pollerent, nihil tutum, nihil tranquillum fuit: Populus absque concordia, Senatus absque authoritate; cædes absque discrimine, Magistratus sine Lege, facinorosi absque timore, plebs sine reuerentia, iuuentus absque pudore, senes sine grauitate: Profana omnia, & colluuie gentium, ac seruorum mixta: inde malorum omnium seges, vt non obscurum sit, Opum publicatum, pedissequas esse Infœlicitates: Paupertatis, Tranquillitatem. Similiter & Lacedæmonij, cùm essent penè mendici, vitam & gloriosam, & beatam ducebant: cuius illud maximum testimonium referre libet, cùm Persarum Rex, legatos Lacedæmonem misisset, tumultu Populi ferocis, violati sunt atque occisi: erat autem Spartæ templum Talthybij, præconis Agamemnonis, legatis tutelare; id, sacrificantibus cum exta læta non redderet, in Religionem versum: pertæsos Lacedæmonas impulit, vt pro legatis totidem, duo scilicet, se deuouerent: sponte autem Sperthius Aneristi, Bulis Nicolai filij, se obtulerunt: inde Sparta discedentes, cum antequam ad Xerxem Darij filium qui legatos olim miserat, Susas peruenissent, Hydarnem præfectum Regis conueniunt, qui eos benigne fouens hospitio, postquam & causam itineris, & animi illorum magnitudinem cognouisset; hortatus, vt Regis amicitiam potiùs quàm mortem vellent eligere: Xerxem facturum vt Græciæ toti Imperarent: se vnum ex eis Satrapis esse, conditionem eius inspicerent. hanc beneuolentiam, (si suo consilio acquiescerent) haud aspernaturos, tunc illi. Næ tu scis, Hydarnes, quàm iucunda sit libertatis voluptas, vt qui eius, (semper Regi seruiens,) expers fueris: quam si licuisset degustare, vniuerso eam Persarum Regno, iure merito sis præpositurus. Itaque tantam fœlicitatem, in Repub. hi vel paupertate vel certè cum paupertate habuerunt: & erat tamen vita Laconum, vt aliàs diximus, difficilis, ob institutionem artis bellicæ: paupertatis tamen beneficio (vt qui nullos omnino haberent nummos) tam grata conditio libertatis omnibus erat, vt etiam Regno præponeretur.

retur. Et si ex Republica discedere liceat, Priuatum statum inquiramus; in quo etiam maior est voluptas, maior quies, quàm in Regno, neque enim Rex amicos certos habet, nec in venereis illecebris, dulcedinem aliquam capere potest, cùm nesciat se amari: est autem eius voluptatis prima pars, atque maxima; Vt ames, & ameris: at quomodo amari te senties, si nolentes, metus potentiæ; volentes, præmiorum spes in suspicionem adducit: quid si contingat plures erga Principes esse ingratos? nimirum namque eos amicos non dicimus, qui vel metu, aut spe, aut præmiis assiduis continentur. Ea enim in ratione Alexandrum pater Philippus coarguit, cùm putaret largitionibus sibi beneuolentiam comparare: clara sit (illustris quantumuis) Principum vita, cùm amore & amicitia careat, fœlix nullo modo esse potest: pereuntibus his muneribus, quæ beatitudini hominum sunt proximiora. At videamus si & in his pares essent pauperibus, quænam iucundior sit, Regum vitane, an pauperum: Hic quidem, diluculo surgens postquã se lauit, operi suo se accommodat: inde pridianã abstinentiã, & labore matutino incitatus, mensæ accumbit: atque ibi vxor secum filiique: vel si his careat, laboris socius; suaue obsonium, (simul fame blandiente) vnà edit: quicquid apponitur lautum est, ac preciosum: miscet pranpium, gratos sermones, spésque iucundas commemorat; non tumultus, non satietas, non indignatio, non suspicio vagatur: inde disceditur, paulúmque moratus ad pristinum laborem redit: excipit famelicum, denuò cœna: ibi ioci lenes, ac sales non iniucundi, pro accumbentium qualitate: hinc ad lectum itur: interim syderum lux suadet, vt oculos attollat, recordetur aliquando futurum, vt in eas sedes beatissimas concedat: si quid tetrum admiserit, piget: atque in posterum emendaturũ, mente pollicetur, lassus diurno labore, vt primùm lecto se dedit, profundissimum somnum capit. Inde, salubris status, vitáque plerunque diuturna, nec præteriti pœnitentia, nec futuri temporis timor, hominem exagitat: excipiunt interim festi dies fessum: tum vagatur quò libet: si quid pulchrum est in ciuitate, spectat, suburbia, viridaria, prata cum sociis inuisit, ludit innocuè, nihil omnino triste meditatur: nec vitæ pertæsus, ad mortémque paratus. Quòd si & huic literarum cognitio accedat, aliquantulò etiam dici fœlicior potest. At verò Principis vita huic ex toto aduersatur, surgit quamprimùm à discussâ crapulâ: necdum tamen ore sincero: sed hinc spiritus, graue quiddam sibi ipsi olens, hinc sapor tristis obuersatur, interim atrium satellitibus, sicariis, rabulis, adulatoribus competitoribúsque repletur: serui vndique discurrunt, clamatur, iurgiisque inter eos agitur, quod nihil integrum sit. Hinc ostiarij importunos arcent, alios quàm breui admissuros pollicentur: Atqui si Princeps illustris moribus sit, rationes suas secretò recognoscit, atqua vbi tantarum rerum memoria subit, piget vitæ: alia enim nec posse perficere sperat: in aliis, sollicitus admodum est; quorundam fidem, secum criminatur: quorundam ignauiam accusat: aliorum etiam queritur auaritiam. vbi quæ necessaria sunt percurrit: solemnia sacra audit: demùm, rogantibus operam præstat: ibi, quantò melior, tantò atrociùs discruciatur; remittit tandem ad consilium. hucusque (vt vides) si nihil etiam triste sit, nihil tamen cum voluptate agitur: succedit prandium, ibi lances, scyphi, apparatus, fercula, vina, omnia Rege digna: At conuiuæ aut nulli, aut seorsum positi, hilari quidem fronte, verum altissimis curis obruti, ac vt Poëta dicit:

In quorum facie misera, magnaque sedebat.
Pallor amicitia,

Sed ad Regem ipsum redeamus, qui tam opulentis dapibus, & splendido apparatu, etiam hesternâ ciborum varietate satiatus, nec gustum habet, nec præsentia, cum voluntate aspicit: sed potius nauseabundus, præ pudore quodam recumbit: inde huc, modo illuc aspiciens, tandem aliquid seligit quod minus displiceat: Sed fac, pero pportuno desiderio ciborum teneatur, atque hic vnus è multis sit illi dies candidus: num tunc voluptatem saltem capit? certe non, imò numquam minus, namque dubia omnia habet, cibum, potum, scyphos, mappas, sedilia, ne veneno infecta sint: Qualis certè iucunditas hæc timenti? an non præstat cœnare figulinis, betam, & saperdam: quàm auratis, & murrhinis, Claudiũ boletus, & statytam rhintacem? quid hac suspitione tristius, in qua periculum vix abesse potest, timor nunquam? id illud Dionysius exemplo quàm pulchro edocuit. Adulabatur ei Damocles, (vt tyrannis parasiti solent) eum solum beatum ac fœlicem dictitans inter mortales: cùm sæpius negaret id Dionysius, tandem vt experimentum suæ fœlicitatis faceret persuasit, inde vestis aurata Damocli induitur, sedes Regia, mensa preciosa, omnia denique Syracusanam opulentiam, Tyrannicumque luxum redolentia exhibentur. Inter tam ingentes apparatus, gladius peracutus ac fulgens, super accumbentis caput, tenuissimo filo suspenditur: tum Damocles vt hoc percepit, non attollere oculos, non manus porrigere, non quicquam penitus degustare audebat, intentus in tanti discrimine periculi, anxiè Tyrannum rogabat, vt eum à lautis illis epulis liberaret. Hac cœna tam illustri, Damocles probè edoctus est, vt vitam Regum amplius non optaret. Tandem (vt ad ordinem Regiæ vitæ reuertar) è mensa tolluntur omnia: scurræque, mimi, ac musici prodeunt: hi hunc vel illum, (vt quisque optimus est) facetiis asperis irrident: in alios, probra, in alios maledicta iaciunt: his risus excitatur, illi, impuris motibus, obscœnam exercent corporis formam, illi inter lancium & vasorum tumultus, tibia canunt: in his omnibus, vt quisque deterius agit, eo magis probatur: interim Regis animus, molestiis plurimis agitatur, vultu dissimulante: vt autem multa & maxima, ac etiam tristia ex literis Præfectorum, recognouit; in consilium pergit: curis pressus ibi multa recitantur, quæ nec auditu iucunda, nec factu bona sunt: iniusta, mala, pleraque etiam periculosa; his, Principis animus distringitur; ibi offensæ graues, proditiones, ingratitudines, suspiciones, errores, sceleraque tum Ministrorum, tum aliorum Principum damnat: concutitur interim animus, accenditur, flagrat; hinc discedenti, venatio,

natio, aut obequitatio, aut spectaculum equorum placet: vbique autem tumultus est, illinc, redeuntes cogitationes multæ, plurimáque colloquia ad cœnam vsque pertrahunt; eadem à cœnâ mala, quæ in prandio, tandem itur cubitum, tunc plurima ante somnium obuersantur, tot hominum cædes, etiam quãuis fermè necessariæ, non tamen iustæ; insidiæ, metus, odia, iniuriæ, bella, strages, direptiones & vrbium incendia, memoria mortis; idque præcipuè, Aut non esse, aut iamdiu discruciari oportere; Demùm, ab his in hæc reuertitur, nihil tutum, nihil sincerum inuenit: omnia vt videt sic confusa; somnum optat, sed hic, difficilis illis est pugnante cœna: adueniens autem, nec altus, nec quietus; formidolosas imagines plerumque affert: dormitur in aureis stragulis, altâ plumâ; sed subtili atque interrupto somno. Quænam igitur hæc est vita, nisi ærumnis & mentis æstibus plena, atque vt Antigonus Demetrio filio, liberius quàm deceret, erga subditos se gerenti, dixit: ignoras ô fili, Regnum nil aliud esse quàm Seruitutem Gloriosam? sic Timoleon (omnium Ducum Græcorum, quotquot in historiis leguntur, fœlicissimus) aiebat, Principes, multorum ministros, ac seruos esse. Tyrannorum autem conditio, quantò his etiam est deterior? incestus, rapinæ, innoxiorum cædes, venena, minæ, violentia, cruciatus, sacrilegia, omnia animo reuoluuntur, vndique metus, & suspicio habitat: tot habent quos timeant, quot habent à quibus timeantur: quàm bene eis congruit Laberianus versus, in Cæsarem dictatorem iactatus:

Necesse est vt multos timeat, quem multi timent.

Quis custodes ipsos custodiet? timetur vxor, filij, concubinæ, pocillator, tonsor. Miseria, nec inimicissimis nisi pessimis viris, optanda. Sed iam (vt video) de fœlicitate plurima quidem, sed confusè diximus, denuò igitur vnũquodque genus diligentius est inquirendum, atque in primis; Vita hæc, in paupere longior, incolumior, ac robustior est, quàm in diuite: nec quenquam tam huic causæ infensum puto, qui hoc negare audeat. Tet mihi, homines centesimum annum prætergressos videre contigit; omnes penè mendicos; horum vnus, faber lignarius; alter pigmentarius; tertius rusticus erat: Quomodo longa vita, cum ocio, curis, luxu, ac crapula esse potest: horum vix vel vnum, opulenti effugiunt. At in corporis salubritate, quàm dispar etiam ratio, hic abstinens, exercénsque se, at ille variis epulis, libidine inexplebilis; quies, aut præposterus labor; noctes peruigiles, somnus diurnus: inde calculi, hydropes, tabes, podagræ tam frequentes diuitibus: cui pauperi hæc contingunt? color etiam faciei id ostendit: plerunque splendidior pauperibus subit proles; nec in hac diuites fortunatiores, orbi plerique enim sunt, aut tenui cum sobole; pauperi, nunquam deest, imo ad onus vsque: nec huius etiam causa occulta est: constat proles semine: hoc & spiritum viuacem, & substantiam densam postulat: vtrumque labor præstat. In Principibus viris, si modica inter parentes ad generationem desit differentia, multa quidem soboles procreatur, sed inualida: si plurima intersit, nulla: at in pauperibus, si conueniant, multa proles gignitur: si non, pauca: robusta tamen semper. Ob id, Lycurgi optimum institutum, vt Lacænæ mulieres, etiam dum fœtum gestarent, exercerentur. Succedit huic Libertas. Hui! quàm Principibus parua hæc est, vt nullis minor: primò multis rebus eos interesse non licet: pauperi, omnibus, illis autem quibus licet, quantis indiget apparatibus, vt diu omnia antè sint præmeditanda: seruorum ignauiæ, contumaciæ, erroribúsque seruire cogitur: æstate, inter custodias puluere completur; hyeme, eques, frigus nec fert, nec vitare potest; at ille, æstate per semitas vmbrosas exercetur, hyeme frigus labore pellit, At nec de Voluptate cedit. Diues aliquot viridaria magna tuetur sollicitudine, pauper omnia inspicit; eóque huic iucundior aspectus, vt rarior, & varietate elegantior. Nec putes me aliter sentire quàm dicam: hac enim ratione persuasus, omnia potius optaui, quàm hortos in suburbiis; quod aliena, ad voluptatem satisfacerent longe meliùs; cùm plura sint, & nouitate delectent: in his verò, vtilitatis ratio non exigitur; cùm nulla res, minore reddat fœnore. Est victus postmodum delectatio; hanc pauperi comparat labor, natura robusta, corpus mundum; diuiti, ars omnis popinaria, an verò tu velis Artem Naturæ præponere? iudicio tuo, permitto: Accedit quòd Naturam, in paupere etiam Ars aliqua (etsi non exquisita) iuuat: at Artibus coqui diuitis, Natura reluctatur. Illud etiam spectare licet, quòd pauperibus vilia; preciosa etiam sunt apud diuites, vt lactucæ, cardui, asparagi, poma, fungi, caules, raponcoli, rafani: at contrà perdices, lepores, pauones; vilia sunt diuitibus, pretiosa pauperibus: quid igitur interest inter hos & illos, cum permutatio fit in rebus, non differentia? Meminit Cicero (cum apud Lentulum cœnasset) betæ suauitate ita deceptum διάῤῥοια eum corripuerit. Somni cum cibis pars ratio, Pauperi, qualis dici consueuit,

Cespes Tyrio mollior ostro,
Solet impauidos ducere somnos.

At diuitibus ex aduerso.

Aurea rumpunt tecta quietem:
Vigilesque trahit purpura noctes.

Ex hoc in animi curas transitur: hic, solùm quærit Pauper arte sua, quo viuat: Diuitis anceps & multifida sollicitudo, seruare, tueri, distribuere, rationes cum dispensatoribus habere. pauper se tantum obseruat: diues etiam alienos alere cogitur, hinc præterea magnarum calamitatum sensus, vt non pauperes, sed diuites, semetipsos, & dolore confecisse, & occidisse legamus, pauperi neque ex amissa supellectile tantus dolor accedit vt enecet: nec tanta desperatio, vt hominem ad manus sibi inferendum impellat. Sunt pericula: Vnũ in paupere, ne desit quo viuat: huic, quàm pluribus etiam occursum est auxiliis, amici, affines, viri probi, xenobia manum dant: nec cuiquam ferè, præter improbitatem, alimenta defuerunt, non quodcunque paratur arte, in dies, in dies etiam absumendum est: sed aliquid in futurum seruari oportet: id si fiat, nullo in periculo egestatis homines versantur. Atque id vtinam nostri ciues intelligerent,

rent, melius enimm conſultum rebus ſuis eſſet: ſed Ciuitas (laborioſa quidem) gulæ non parcit; ob id fit, vt paupertatem, & annonæ caritatem nulla alia celerius ſentiat; exhauſta vitioſâ conſuetudine: quodque habet in laboris patientiâ, cæteris vrbibus præſtantius, amittit intemperantiâ: & quantò in contemnanda virtute, aliis cedit ciuitatibus, eò miſericordiâ nobilior eſt. Itaque (vt ad inſtitutam orationem reuertamur) eſt hoc periculum pauperis, pluribus emendatum auxiliis, inter quæ etiam plurimi, diuitibus in tempore famis ſeruiunt: At huius loco, plurima incumbunt diuitibus, & quæ nullo modo queant auxilio inſtaurari: hæc ſunt, inſidiæ à principibus, à ſeruis, ab hæredibus, ab hoſtibus, ab incognitis etiam: vnde Satyricus,

Sed plures, nimiâ congeſta pecunia curâ
Strangulat, & cunĉta exuperans patrimonia cenſus:

At verò quiſquam hoc tanquam rem confiĉtam non putet; cùm iam diuerſis modis centum viros propter opes ſuas periiſſe viderim & eos abſque culpa: alios quidem à domeſticis, veneno, alios ferro, alios ſtrangulatos, complures à latronibus in via, alios ab exteris, vt Curtius in vrbe noſtra, & Aluiſius Donatus in Saccenſi oppido: at, qui fame perierint, vix quatuor in tota vita videre liceat, nec eos abſque culpa: vt etiam hiſtorias referre ſuperuacuum ſit, in his quæ ſingulis diebus apparent, itaque cum ex tam paucis diuitibus, tot, malè ex eis propter diuitias pereant, ex tanta pauperum turbâ tam pauci, fame; nonne & in hac cauſa longè deterior eſt diuitum, quàm pauperum conditio? his, Veſtes ſuccedunt explorandæ, tum Supellex, quæ vt non neceſſaria eſt, eſt etiam onero ſa; indiget curâ, indiget cuſtodiâ, indiget reparatione; nec tamen auro, melius quàm vitro bibitur: nec argento mundius, quàm figulinis editur. nec tutius ære quam lapide, aut terra coquunt. at Veſtes, quantò ſimpliciores eò ſalubriores, & minus oneroſæ. homo enim nudus naſcitur. indiget veſtimento non onere. Tam vili Romani ab initio Lacedæmonij ſemper vſi ſunt indumento, vt Regibus parerent admirationem. de reliquo ornatus genere, quid aliud dicam quàm quòd Socrates, dum eſſet in nundinis: Quàm multis non indigeo? aiebat autem, illos Diis eſſe ſimillimos, qui pauciſſimis indigerent, Dij enim nullis opus habent: vt verò in omnibus, ſuperflua magno ſunt impedimento, tum maxime in ſupellectile: puluis exedit, aqua corrumpit, fur ſubtrahit, familiares diſperdunt, mures rodunt, vſus atterit, vicinus petit, raroque reddit quale acceperit: quid aliud eſt hic ornatus quam oneroſa & damnoſa luxuria? Si ad pulchritudinem referas, vincunt depictæ viles chartulæ: ſi ad ambitionem, iam & de hoc ſuo loco dicetur: Vocatur Amor in iudicium, hic ſemper pauperi fauet: illum aut timet, aut obſeruat; hunc ſolum vere amat, quòd etiam ſi quiſquam ametur diues, huius numquàm certus eſſe poteſt: At ab Iniuriis ſaltem tutior eſt diues: nihil minus. vindex melior eſt pauper, cũ nec quod amittat eſt, & nihil eſt quod amittere timeat. at diues, & de vita, & de opibus ſollicitus, multas iniurias patitur, non faciunt quenquam ab iniuria ſecurum opes, ſed animi fortitudo. At dices: Diues offendere poteſt tutiùs: quo nam modo tutiùs; cum pauperi, vertere ſolum noxium non ſit; diuiti, in patria remanere, ſit iactura. nam & ſi nihil aliud ſuccedat aduerſi, habet & conſcios ſceleris, à quibus detegi timeat: habet & miniſtros quibus pro præclara illa opera debeat: id verò & poetam haud dubie animaduertiſſe video, cum dixerit de Domitiano, quem Neronem à crudelitate appellat, loquens:

Atque vtinam his potius nugis, tota illa dediſſet
Tempora ſæuitia, claras quibus abſtulit vrbi
Illuſtreſque animas, impunè & vindice nullo.
Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timẽdus
Cœperat, hoc nocuit lamiarum cæde madenti.

Quid igitur iam non habet melius pauper quàm diues? Vitam, Valetudinem, Prolem, Cibum, Somnum, Amicos, Libertatem, Securitatem, Voluptatem, Tranquillitatem, Veſtimenta, Suppellectilem, Amorem, Quietem, omnia iucundiora. quamobrem non mirum eſt Horatium dixiſſe:

Bene eſt, cui Deus obtulit,
Parcâ quod ſatis eſt, manu.

Optimum enim ſtatum aſſecutus eſt, qui tantum habet, vt viuere poſſit: hunc dicit Ariſtoteles eſſe, Vt tantum ei ſit, quantum & ſe & ancillam alere queat, id etiam teſtatur Propheta, dicens: Ne dederis domine paupertatem, neque diuitias: at ſi declinandum ſit, periculoſiores ſunt diuitiæ paupertate: nam inopia, arte & induſtriâ redimitur; diuitiarum incommodis, nulla eſt medela: diuitiarum etiam lapſus, admodum immenſus eſt, nec finis eius patet; paupertatis, ab eo qui ſe poteſt alere, diſcrimen exiguum eſt, In paupertate etiam, corpus periclitatur: in diuitiis, animus vnà cũ corpore: Denique ſi paupertas abſcedat, omnia mala quæ cum ipſa aduenerunt effugiunt. at diuitiis dilabentibus, nec vitia animi, nec corporis imbecillitas diſcedit. Fœlicior igitur atque ſecurior paupertas, opibus abſque dubio eſt, ſed & ad gloriam paratior, namque quis artes inueniat, niſi Paupertas, vt Theocritus inquit,

Ἀπενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει,
Αὐτὰ τῶ μόχθοιο διδάσκαλ☉. id eſt,
Paupertas ô Diophantes ſola artes exſuſcitat
Ipſa laboris magiſtra.

Huius (niſi fallor) nuſquam laudis participes diuites eſſe poſſunt, at inuentis artibus, quinam eas excoluerunt? certè etiam pauperes, atque (vt in primis ab ea quæ cæterarum eſt ornamentum, philoſophia exordiar) Principes eius pauperes fuere: Socrates, Plato, Ariſtoteles, Cleanthes: hic, nocte aquæ hauriẽdæ operam locabat; die Philoſophabatur: ſed hoc minus mirum; Stoicorum inſtituto, Socrates (vt Seneca autor eſt) cùm in foro eſſet, pallium vidit: cumque diſceſſiſſet, amicis dixit, pallium emiſſem libenter, ſi pecuniam habuiſſem. encomium etiam mortis, & qui eius gloriæ inuidebant, mendicum penè fuiſſe teſtantur. Plato ditatus eſt in Sicilia, cum ſecundam nauigationem lucri cauſa feciſſet. Ariſtoteles, & ipſe ab initio tenuis, ab Alexãdro, quaſi ſenex,

ditatus

ditatus est: non opus referre arbitror cæteros. At Poëtarum lumina, Homerus ac Virgilius, mendicus alter, alter pauper fuit. Grammaticorum & Oratorum turba sequitur insignium, Pompilius Andronicus, Orbilius, Valerius, Cato, Lœneus, Iulius, Hyginus: Quintilianum angusta re familiari fuisse, docet epistola Plinij Cæcilij munifica: Statium poëtam mendicasse, Iuuenalis irridens docet, ea carmine:

Esurit intactam Paridi, nisi vendat Agauē.

Sed iam in literaria palæstra, concessuros lauream diuites sponte, non dubito. Lis est in armis: quanquam nec in his fœliciores sint, quā in literis. concedant nobis Paulum Æmylium, qui mortuus, non reliquit vnde dos redderetur vxori: Marium & Sertorium, infimæ sortis homines Romanos, in cuius alterius, salute spes Romana; in alterius periculum positū aliquando fuit, tum Camillum belli fulmē; Africanum Scipionum, cuius frater ob multam, quam persoluere non poterat [si Gracchus nō obstitisset] carceri mācipabatur. Arator, Cincinnatus, Calatinus, Fabritius Pyrrhi oppugnator; Valerius Publicola; Menenius Agrippa, Q. Æmilius; tum Aristides; Phocion, Miltiades Cimon; Spartacus; Viriatus; torq; Lacedæmonij Duces; inter quos Lysander clarissimus extat, ab inferis reuocentur, his, quos oppones? præcipitem Alexandrum, aut Cæsarem patriæ euersorem, aut Syllā cum suis proscriptionibus? Non est, quod temerè, in tam elato iudicio, diuites cum pauperibus congrediantur. At nūc, temporum vitio, Reges ab adulatoribus persuasi, Duces non eligunt, sed emūt: maximàque omnium fundamenta, Vitam ac Regnum, non Virtutibus, ac Peritiæ, sed Diuitiis & Generi commendant. inde magistratus & quæstores, archiatros, præfectos, non ex virtutum eminentia, sed ex conspiratione nobilium & potentum sumunt, & si nequicquam illis eueniat boni; id saltem lucrifaciuns vt consuetudine & paucitate adiuti, omnes habeant dignitates: verum non falluntur purpurati, in Iudicio; atque vtinam non magis in Consilio Principes, illud enim animaduertere eos decet, Nobilitatem certe præponendam: at Nobilem esse, qui & virtute; digna nobilitate facit. hoc tamen ferendum est, illud, intolerabile: cum ab obsequio, non à genere aut potentia, electio sumitur: at tales, carere omni, non solum eruditione, sed probitate necesse est. Et nisi nos à proposito discessisse agnosceremus, longior oratio auocasset: sed festināndum ad huius libri finem est, atque denuò, Gloriæ occasio quærenda est: quæ cum in militia, in literis, apud pauperes sit, atque in inuentione artium: num in artibus ipsis Gloria diuitibus concedetur? cum nec eas attingant. At vero sint diuitiæ paupertate præstantiores, quidnam miserius homini à Diis imprecari possumus, quàm cupiditatem ditandi? quæ eò maior semper fit, quò magis augentur opes; labor inexhaustus, & indefessus, saxo Sisypheo persimilis; quem poëtæ reuelantem arcana Deorum, fingunt in inferno gestare, ab ima montis radice, ad verticem, prægraue; at cum appropinquauerit, dilapsum denuò excipiendum humeris. sic non est aliud, parare diuitias quàm corpori perpetuum laborem, menti curas innumerabiles injicere. At verò alea lucri, quotiens sinistrè cadit, quæ etiam si semper faueat, ac supra spem cedat, quid fœlix in vità eâ esse potest, in qua, partis non magis, quam his quæ non habes, vti non licet? hoc enim vnum est quasi congregantium diuitias ἀξίωμα Pronunciatum Horatianum,

Qui nummos aurumque recondit, nescius vti
Compositis, metuensq; velut contingere sacrū.

Sed si liberaliter ac splendidè vti velis, quis furor est, simul maximo labore quærere, ac simul effundere: non aliâ pœnâ, Danaides mulieres damnatæ finguntur in inferno, ob ingens scelus patricidij; quàm vt cribro exhauriant aquam. Sed libeat congregare tibi aut posteris tuis, atque interim non otium, non quietem, non voluptatem capere; studiis interdicere, vitam reddere breuiorem, ac valetudinem infirmare: cui verò vsui? Vt vel in morte sepulchrum marmoreum extruas, funus habeas amplum, parent alia magnifica, ac solennia, (vt quosdam fecisse video) relinquas, stultam hanc curam & superuacuam irrisit moriens Socrates, cùm pallium preciosum offerret Apollodorus, equidem nulla est mortalium cura tam inanis, quàm pompa funebris: id scio fateberis; & ad hæredum commoda confugies: relinquatur diues filius, (qui gratior hæres quæri potest?) interim tamen labores, curæ, vigiliæ, infamia, iniuria, scelerūque conscientia, tua sunt, vt relinquas quod filius heluetur, scortetur, prodigat, consumat, perdat, ipsum vero vecordem, inertem, amētem, ac in summâ, deteriorem faciat: sed heu quot inimicis, labores hi parantur? plerumque deest filius, aut talis est, vt natum esse pœniteat; vel etiam odiosus, quot etiam filiis, locuples hæreditas exitio fuit? idque præcipue Regum liberis accidit, dum imbelles relinquuntur: ab ipsismet enim tutoribus spoliantur Regno, ac vita; qualis Tryphon, qui tutelæ Antiochi relictus; cum fraude, eū Tryphon tollere vellet, simulauit, puerum ægrū, medicósque inducit, qui eum calculo vesicæ laborare dicerent: atque iccirco secandum puerum decreuerunt, quo vulnere eum vesicā ipsam consultò incidissent, miser mortuus est, annos decē natus. Cicero in oratione pro Sexto Roscio, ostendit quantas procellas locuples patrimonium eius, illi inferret, vt etiā de parricidio (quod maximum est scelerum) condemnari postularetur. Quid tandem in re tam vulgati est, cur (de summis nunc loquor opibus) quotidianum experimentum desideretur, cùm patres filios; filij parentes; fratres fratres, vitâ exuerint, vt Regno spoliarent, est quidem illud poëtæ verissimum,

Non intrat vnquam Regium limen fides.

At quorsum hæc posterorum potentia, etiam si non fraudetur? Quam voluptatem quis capit, ingentem habens seruorum numerum, tum familiarium, quos hostes, gratuitò alat, quibusque seruire cogatur, atque illud egregium libertatis munus, pro ambitione commutet? Neque enim aliud est Homo Diues, quàm Deus Peripateticus, scilicet Legibus suis circumscriptus; seruus, ac inutilis seruus! O stolidam hominum cogitationem, quæ tot labores subit, tot curis angitur, tot sceleribus se mancipat, tot iucundos amittit dies; vt filium relinquat, multa

procerum

procerum non absimilem! hæ pingues & ornatæ, absque sensu, frenis & habenis cohibitæ, inertes etiam, muscarum iniuriis subiiciuntur. at pauperum filij, indole, virtutéque ac robore insignes, libertate gaudent; quò volunt pergunt, omni soluti cura: iam verò adulti, venantur, piscantur, aucupantur, ludunt vagantur. nonne libertas hæc vel Crœsi diuitiis anteponenda est? Sed ex his, qui tam ingentes opes hæreditate acceperunt, maxima pars etiam eas coosumit: nec aliud pœnæ genus, illorum parentibus à morte traditum putem; quàm vt videant tanto tempore, ac guttatim collectas dioitias, ab impuro & prodigo filio effundi, scortis, alea, parasitis, foro, adulatoribus. Noui quendam, cui auus ac pater, annorum quinquaginta spacio, octuagies sestertium congregauerant, tribus annis cuncta prodegisse. Filius Ruini, cum locupletem hæreditatem à patre accepisset, in eam animi intemperiem peruenit, vt vitam etiam cum facultatibus amiserit. Quot rei fiunt legibus; quot perduelliones; quot criminis læsæ maiestatis; qui si intra mediocrem stetissent fortunam, tanta mala euasissent? adde, quot hominibus, necessarios hæres deest; non frater, non filios, non fratris filius, non vllos talis; qui vel quadrante te redimat; his tamen, insania hominum laborat, non nocte, non die requiem habens. Quamobrem cum nec Fœlicitati, aot Gloriæ, aut Posteris, diuitiæ conferant: nihil verò deterius sit, quàm, aut optare non habentem: aut conari vt habeas: genus atræ bilis quoddam esse puto, paupertate discruciari. Verùm, cùm non Rhetorum more quicqoam persuadere decreuerimus, sed Philosophorum instituto, bonâ fide vtramque partem diligenter in examen ducere, videamus etiam, quæ aduersus hæc dici possint. Atqoe primò illud occurrere video, Quòd pauperes omnes, diuitias quærunt: diuites nulli vnquam, paupertatem. Et quanquam hoc eludere multis possem modis. atque non falsò esset, forsitan; oihil tamen hoc in opere charius est simplicitate animi: cùm non ex voluntate, iudicium; sed ex iudicio voluntatem oriri velim. Itaque vt ad rem reuertar, omnibus in rebus quæ aut animalibus essent vtiles, aut necessariæ, desiderium earum, natura largita est: in quo bruta, (solius sensus arbitrio recta) legem necessitatis non prætereunoe: at homo, liber, (cum in se rationem contineat) sensuum quibus alligatur persuasione, plus edit, bibit, dormit quam vel vtilitas, aut necessitas præcipiat: sicque, vt edere, bibere, ac dormire, (cum natoralia sint) vsu superfluo, apud hominem, Naturæ contraria euadunt: itaque & in hoc genere opes sunt. tantum enim optare, quantum vitæ ducendæ sufficiat, Naturale est: at quod vltra expetitur, non solùm bonum non est, sed etiam naturæ contrarium. quomodo enim quod Naturæ contrariom est, bonum esse potest? proficiscitur igitur hæc diuitiarum sitis, à vitio non à natura. ob id, omnes homines, opes optant velut & cibum, & potum: non qoòd excessus ille naturalis sit; sed quooiam aliquid est in eo genere, quod naturale existat, scilicet desiderium eius, quod ad vitam ducendam est necessarium: hoc verò vel industriâ habetur, vt qui artes callent, aut redditibus, vt nobiles; aut consenso, vt Franciscani; aut aliorum voluntate, vt aulici, & mendicantes. non igitur vt nec oon edere, non dormire, ita opes optare possumus. contrarium enim naturæ est, Nihil habere, nec posse habere: vt tamen & satietas & ebrietas, non tantùm sunt mala, sed etiam iniucunda, sic & diuitiæ ac potentia. Illud etiam obiici merito qois dicat, quòd ea bona quæ nos pauperi tribuimus, vtpote laborem, exercitationem, industriam, patientiam, abstinentiam, nemo (si velit,) diuiti negare potest. sola itaque horum licentia, beatum dioitem efficere debet. cum enim ex volontatis consensu, voluptate caremus; carere ea, non malum est, vel quòd careamus, verè dici non potest: Sed fallootur qui existimant: Ab ioitio eoim inter opes educatis, aoimus effloens delitiis, corpus molle & ad labores impatiens efficitur: nec multis cibis ac leuibus, assueta natura, dura alimenta & tenacia concoquere potest. vnde ex his, qoi in vitam pauperum, iam delitiis assueti, transire voluerunt, in dolores, & tabem, & obstructionem incurrebant: qui verò io labores, seu coacti, seu ambitione ducti, inciderunt; extenuati confractique sunt primò, ac demùm correpti febribus, mortui suot. At qui literarum studium, ex his, ingenti ardore prosecuti sunt, omnes in iuuenta obiere: velut Ioannes Picus Mirandula. impossibile est enim omoino, natum diuitem in doctrina præclarum euadere, nisi vel ab initio pauperum vitam imitetur, vel in iuuentutis flore, decidat in insaniam, aut mortem forsitan. Et illud contra paupertatis encomium dicent, Quod ferme Aristippo Dionysius; scilicet pauperes à diuitibus rogare, petere, eorum limina obsidere: at contrà, diuites nihil cùm horum agant, etiam pauperibus imperare: At verò si ad operæ necessitatem aspicis; pauperum, diuitibus longè magis necessaria est, quàm dioitum, pauperibus: rogat diues medicum, cognitorem, tonsorem, mulionem, colonom, coquum: à nullis pene rogatur. verùm, cùm id ambitiose, & cum fastu (vtpore alienorum cura) exigat, Imperium in pauperes habere videtur. Æmulatio etiam ipsa pauperum, ac contemptus huius inanis gloriæ, facit, vt magis diuitibus panperes, qnàm pauperibus diuites indigere videantur: at si pro necessitate res ageretur; dioites singulis horis ad pauperum domos discursare videres; paoperes, ad diuitum nunquam. neque istud dubiom esse debet, pauperum industriam quotidie diuitibus necessariam: diuitum opes, pauperibns etiam si necessariæ forent, vix vel in anno semel. At verò, ex re etiam diuitum esse videbuntur, atque illorum caosæ fauere, quòd opulenti, honoribus, magistratibus, & gloria digni soli videntur: at non sic in Venetorum Republica, nnn sic etiam Romæ, donec prosperæ res fuerunt: non sic ioter Lacedæmonios, inter quos Paupertas laudi maximæ erat: non sic Athenis, vbi Phocion, Aristides, Cimon, Miltiades, paoperrimi, maximos in Republica Magistratus tam diu gesserunt, vt dicere pudeat. Quòd verò in malè institutis

ciuitatibus, (vbi Potentia pro Lege, Virtus in ludibrio; pro Iuribus, Opes, habentur,) diuites, non ingenui pudoris eligantur, neque è Republica est, quoniam necessariò breui permutatur: neque desiderandus est vlli Pauperi, quantumuis optimo, Magistratus: nempe vt Socrates dicebat: nunquid est cuius te peniteat? Sed si vellem magistratuum incommoda referre, non dubito quin & hoc pauperum fœlicitati tanquam egregium quoddam munus adiiciendum esset: verùm cùm assumpta præpositio, in bene instituta Republica ex toto falsa sit; vtile non existimaui, tam absurdam suppositionem prætermittere. Huc vsque igitur veris; sed subtilibus rationibus, aduersus diuitiarum cupiditatem disseruimus: verùm, ex initio causam hanc mihi repetenti, non amplius spiculis & acutis disputationibus, sed plena oratione, liquidóque sensu agendum arbitror. Atque in primis monendos eos duco, Naturam humanam; tanquam ignem quendam, è terra prodeuntem, in excelsum ferri: hanc quidem magis, illam autem minus: cæterùm, vt ad summum peruenit, euanescere: sic omnium hominum vt stirpes ad summum Gloriæ, vel Regiæ dignitatis peruenere: paululum in eo cacumine consistentes, extinctæ sunt. Ecquam enim Alexandri, Darij, Antiochi, Ptolemæi, Dauidis, Cæsarum, Antigoni, Mithridatis, ac cæterorum antiquorum Regum stirpem ostendes? itaque cum eò perueneris; ne gratulare; sed dic, ecce exitus rerum humanarum instat. tum verò, his consistentibus (Dij boni.) qui casus, qui dolores superueniunt? Carolum hunc Quintum Cæsarem virum à Iustiniano potentissimum, ac fœlicissimum, qui ab Indiæ extremis partibus ac Æthiopiæ, per Hispanias & Italiam vsque ad Dacos, & incognitas antiquis regiones, longè latéque dominatur; cuius auspiciis sæpius plura acta, quàm sperata sunt: qui consilio ingenti tantam Nationum Regnumque discordiam mulcet: tam ancipitem fidem continet) inspice, & ne beatum dixeris: cùm cogitat quantis copiis Solimannus Rex, Imperij finibus immineat; quam sollicitè ab Africa turbentur Baleares insulæ, Hispaniáque, quàm inconstantes sint Italorum Principum animi; quàm facile Sicilia ac Apulia Turcarum violentiæ subiacet; quàm dissideant Germaniæ Principes: Sororius non admodum concors: Nuper, aduerso Neptuno disiecta classis; clades accepta in Pannonia; alia in Illyrico: hunc ne fœlicissimum dices? cuius tam ingentes curæ, tanta pericula, tam grauis dolor iacturæ sit: dispeream, (si ad fœlicitatem respicio) nisi velim me potius esse Carthusianum monachum, cúmque gregarium: (quanquam & illi parum differant ab his, qui in carceribus sunt) iam canos, vix quadragenarius, vndique misit. At verò quid in aliis statues, si hic talis, ac tantus, tam longè à fœlicitate abest? Nunquid Franciscus Gallorum Rex fœlix dici potest? num Solimanus? quis non metuit? quis aduersam fortunam non expertus est? qui, & si nihil triste ad hanc vsque diem tulissent, grauiora formidarent; cùm meminerint aliorum, qui fortunæ casibus iactati sunt. nihil enim Polycrates infœlix expertus in tota vita, à Persarum Rege, in crucem actus est. Darius Rex Regno spoliatus miserrimè occubuit, qui Imperium Diis æquale habere existimabatur: vide Syphacem, vide Perseum, Mithridatem, Pyrrhum, vide Cambysem; stultus sim, si Reges velim numerare, qui fortunæ ludibrio fuere. Nostra ætas quatuor regna extincta vidit: Pannonicum, Ægypti. Insubrum (postquam Galliç Cisalpinæ partem sic appellare libet) & Apuliæ, sublatis prorsus Regibus illorum. Ea sunt tempora, vt vel infœlicem esse oporteat Regem, vel miserum: Miser, si Regnum vult retinere; Infœlix, si non possit. ô quam bene Lucanus dixit:

O vita tuta facultas
Pauperis, angustique lares, ô munera nondum
Intellecta Deûm!

At tu modò, non interiora Principum inspiciens, (sed velut in sepulchris, externas picturas, statuas, ornamentáque,) tantùm beatos illos iudicas, qui sint omnium mortalium infelicissimi: At verò illud etiam spectandum est, cum de sola paupertate conquereris; quot aliis longè sis fœlicior; quot ægri, quot surdi, quot cæci: quot in carceribus, in exilio, in seruitute, obsessi, damnati, ad militiam coacti: quibus omnibus absque dubio fœlicior es: At, etiam si de sola paupertate contendas, nec equidem te (nisi vel Rex esse cupias) mœrere decet: aspice quot in ciuitate miseri, quot in suburbiis mendici; quot in villis, imò penè omnes nihil habent, familia onerati, tributáque singulis mensibus pendere ex laboribus suis coacti: sed hai Christianam gentem! In eos sermones incidi, quos nec vnquam cogitauerem: ita fit, vt cum dolorem aliorum leuare cupiam, ego fermè in eum inciderim: sed valeant quæ à à me argui possunt, corrigi nequeunt. veruntamen neque id absque proposito occurrit: namque vis aperte intelligere, nullam in opibus fœlicitatem, nullam in paupertate esse miseriam? inspice eos, qui in villis habitant, minimis opibus gloriari, & se beatos existimare, quòd nullos eius loci incolas tantum possidere cernant: quamvis nec ipsi tamen sint diuites: at iidem, si ad vrbem se conferant, vt alios opulentiores viderint, statim dolent, & se pauperes putant. quid igitur, est ne hæc paupertas? equidem non, sed inuidia. quia est, qui decies sestertium possidens, pauper dici merito possit? & si ruri degat, Principem se non existimet? si tamen in aulam se contulerit, vbi nemo tricies sestertium non habeat, illicò pauperem se prædicat, & credit. An putas, si (quod ferunt diluuij tempore accidisse) homines commodis omnibus carerent, non pecunias, non armenta habentes, aut vestes, quenquam omnino iniuriam paupertatis ægrè ferre? haud credendum est: quid igitur? plura etiam nunc habes & conquereris: manifestè deprehendis, non paupertatem vrgere, sed æmulationem. At quid? hoc etiam deterius: cur non Indicæ, & Sabæorum, & Regum diuitiæ te torquent, nisi quòd illi plurimum absunt à te? miser igitur, non tuo commodo, sed alienâ potiùs, atque eâ, quam & optare, & diligere deberes, fœlicitate vteris,

At

At quantùm Populis, paupertas libertatis custos fuit, ac imperandi magistra! Scythæ aliquando Asiæ dominabantur: inde Assyrij, Medi, Persæ, & hi omnes, ab initio pauperes: inde, Alexander, cui cùm nihil, præter arma, & corpora esset, Asiam subegit; pòst Romani, inclytâ paupertate, superbos vicere Gallos: fortes Italos; dolosos Græcos; locupletem Asiam; fallaces Pœnos; contumaces Iudæos; omnia hæc superat paupertas. Parthos verò ac Persas, & Germanos, quoniam ipsi paupertatem tuerentur, totis imperij viribus subigere non potuerunt: inde (velut Sole glaciei aduenìente) quàm primum diuitiæ sub Sylla vrbem ingressæ sunt; vires dissoluebantur, ac liquescebant: primo igitur seditiones, inde bella ciuilia, atque cum his, excidium familiarum, quibus imperium coaluerat: hinc seruitus; pòst, amissa dominatio, vndique barbaris irrumpentibus; tandemque breui etiam ciuitas direpta ac euersa. Nec quidem priuatis, vtiliores diuitiæ sunt; quæ, homines, rudes, ambitiosos, inertes, & anxios facere consueuerunt: hinc miserum Poëta lepidè Midam (cùm impetrasset, à Baccho vt cuncta in aurum verterentur) descripsit dicens:

Attonitus nouitate mali, diuesque miserque
Effugere optat opes, & quæ modo vouerat odit:

Copia nulla famem releuat: sitis arida guttur
Vrit, & inuiso meritò torquetur ab auro.

Tanta est opulenti miseria; vt inter opes earum desiderio consumatur; Nihil legitimum est apud eum, qui opibus inhiat, quod ab auaritia sua dissentiat: inde fidem, amorem, pietatem, iustitiamque soluit. Quis iure credat vitam, aut opes, aut gloriam, diuitiarum studioso? quæ cum inutiles sint, non diu etiam plerumque apud eosdem manent. etenim raro est, vt nepotem locupletis, viuere diuitem videamus: rarissimum verò vt moriatur. quid igitur mirum est, tot egregios viros, opes aut habere neglexisse, aut habentes spreuisse? atque in primis à Thebano Crate initium facientes (vt Christianos; quorum numerus notulis Indicis solùm ostendi poterat, etiam nunc perseuerantes relinquamus) hic vniuersis bonis venditis, vt liberiùs Philosophiæ operam daret, redemptam vniuersam pecuniam, præcipitauit in mare. Sapientius Apollonius Thyaneus, & Peregrinus Philosophus; cunctas opes (& erat sanè ingens patrimonium) ciuibus suis distribuerunt, nihil sibi seruantes: Zeno Citticus cùm dites olim, ex naufragio, Philosophiæ operam in maxima paupertate daret; dicere solebat, *tunc secundis ventis nauigaui cum naufragium feci*. Sic Diogenes, vtrâque laude dignior est: nam paupertatem non solum benè tulit & constanter, glorioséque vixit in ea: verùm, cùm ab Alexandro rogaretur, an quicquam vellet, negauit: cùm liceret à splendidissimo Rege ditescere: quamobrem Alexander dicebat: si Alexander non essem, Diogenes esse vellem. agnouit Rex, animi illius ingentem fœlicitatem, qui diuitias sperneret. Simili libertate Phocion, sed etiam certiore; Alexandri primò talenta centum, post etiam, plura recipere noluit; qui tamen tam inops erat, aquam sibi lauandis pedibus hauriret, vxore pinsente, vt non ancilla, non seruus ei esset: Eodem animo Socrates & ipse, Alcibiadis dona accipere noluit; vt longè minus mirum sit, quòd cum Artaxerxes Hippocratem ad curãdos morbos, & Epaminondam ad amicitiam vocaret, missis vtrique ingentibus donis, non impetrasse: verùm illos maiore animo Regis munera aspernatos, quàm ille dedisset. Sic Fabricij constans fides, Pyrrhi auro corrumpi non potuit: mansitque grata illi paupertas, Regum opibus longè dulcior; vt nihil illis animis generosius possit existimari, aut esse fœlicius: quos etiam, quanquam indignos Christiana pietate memores, tamen sui candoris aliquo ingenti solatio frui, crediderint: itaque ne dole pauperem te esse, sed illud Platonicum sæpius memora: *qui ditari vult, minuat desiderium opum, non opes augeat*, dites enim opum multitudine, aut sceleratus est, aut scelerati est hæres, vt beatus Hieronymus scriptum reliquit.

Proxima huic, Exilij querela est, in qua illùd mirum cerni potest; Solam imaginationem, iucundam rem, acerbam efficere: nanque si mentem aduertas, quamplurimi extra patriam plures annos consumpsere, velut Plato, & Berosus, & Galenus, & Dioscorides: alij vitam vniuersam, velut Zeno Citteus & Crantor Solensis, & tamen his iucunda fuit hæc peregrina habitatio: quoniam voluntaria fuerit. Simileque mihi videtur, hoc desiderium, cuiusdam senis, nostri conciuis, historiæ: is nanque cum annos natus sexaginta suburbia ciuitatis non excessisset, pro miraculo delatus ad Principem, cùm præceptum sibi intellexit, ne vel in posterum exiret, cùm ante non cogitasset, nixus est (vt dici solet) in vetitum, rogabat itaque Principem, vt permitteret peregrinari iam senam, qui iuuenis tam diu neglexerat. cum Princeps negasset, ferunt dolore confectum mortem obiisse. Quid tam stultum est, qoàm vel bona negligere, vel mala optare? non est, autem malum peregrinatio, quam tot Reges, tot Imperatores, tot viri illustres excoluere. quid igitur dolendum est, si etiam coacta sit? equidem nullum bonum, quanquam inuitum, malum esse potest: At verò quot bona; peregrinatio præstat: prudentiam in agnoscendis moribus, in vitandis periculis; tum scientiam multarum rerum; spectacula inde vrbium, maris, montium, fluminum, syluarum; cœli varietatem; animalium naturam: tot artes, tot ingenia, tot miracula, vt nil mirer, inclytos quosque viros, atque in primis Alexandrum, perpetua fuisse in peregrinatione: in quo magis, suum æmulum Traianus æquare nitebatur, quàm vt orbem totum videret, prouincias omnes aut in fidem acciperet, aut subigeret? Antonino (vt erat mansuetus natura) spectasse, non vicisse gentes propositum fuit. Cæterum vt ad priuatos homines me conferam, (ne Regius fastus mihi impedimento occurrat) omnes qui aliquid pene Diuinum excogitarunt; in secessibus mansère: amicum suum Vlyssem, Homerus, qua maiore laude, quàm à peregrinatione prosequitur? Nonne in exilio clarissimi ferè omnes fuerunt viri, Demosthenes, Cicero,

Atistides, Thucydides, Themistocles, Alcibiades, Codrus, Theseus, Eumolpus; Thrax, Græcorum origo; Aristotcles, Camillus, Coriolanus, Marius, Datamis, Thrasybulus, Dion, Annibal, Demetrius Phalereus. at verò sponte etiam plures, velut Conon Atheniensis, in Cypro vitam ducens; Iphicrates in Thracia; Chares in Sigæo; Timotheus Lesbi; Xenophon in Scillunte Heliæ. quid plura? Socraticum illud dic, *Sapientis patria est mundus*; exul est Sapiens, cùm extra mundum est; hoc autem fieri nequit. Omnis ingenuis spiritus proprium est, sibi parere mortem, aut carcerem, aut exilium: horum trium, quid minus molestum esse potest exilio? verum cum mors ipsa mala non sit, quid esse dicemus exilium? vnam vrbem amitis, omnes aliæ patent. cùm quidam Diogeni dixisset, Sinopenses exilio te damnarunt: respondit Diogenes, Ego illos vt perpetuo in Ponto, ac extremis Euxini littoribus maneant damno. Adde, quot viris cesserit fœliciter exilium: vnde Themistocles dicere solebat: perieramus nisi periissemus. Euagoræ exilium & Pelopidæ, patriæ libertatem: huic quidem, Thebarum, illi, Salaminis Cypri pepetere. quid Camillus, ex Ardeis; nonne occasionem accepit tam inclytæ victoriæ? At verò Sapientum libri, vbi magis quam in exilio conditi? pulcherrima operum Nasonis de Tristibus, de Ponto, in Ibin, triumphus Cæsaris, & de illius laudibus; Fastorum, Item ac de Piscibus; in exilio condita sunt: vt appareat, octo in annis, exilium plus præstitisse, quàm quinquaginta quatuor cæteros priores, quibus Romanæ vixerat: namque & Transformationum libri, communes etiam exilio fuere: indicant id carmina superba, fini operis adiecta, vt absolutum ibi videatur. Quid Homeri operibus præstantius est, quæ ipse omnia, si non exul, vagus tamen à patria scripsit? Plato in Epistolis testatum reliquit, prius consenuisse quàm in patriam rediret: existimandumque est, cùm eius Lysidem Socrates audierit, damnaueritque nimiam illius erga se pietatem, Platonem maximam librorum suorum partem extra patriam condidisse: nam vigesimum septimum annum agebat Plato, cum Socrates excessit è vita. Hercule, quid bonum affert patria, (si quid eneris) præter inuidiam; & eò præsertim, si humiles natales sint? vbi deterius Christus acceptus est, quàm Nazareth, vbi erat educatus? vbi vexatus, oppugnatus, demùm occisus, nisi Hierosolymis, in patriâ sua? nonne eius illud dictum est: Non est Propheta, acceptus in patria sua? Exilium igitur, non solùm malum non esse, sed etiam bonum, ac gloriosum, satis conuicimus: idque præcipuè viro sapienti ac studioso, nemini verò infensum esse debet, cum plerisque magna ornamenta afferat. quid enim nocuit Leoni Decimo, ne ex eo in Pontificiam potestatem emergeret: atque vtinam multi intelligerent: quantum omnibus præstaret diutius peregrinari: pluribus verò, à patria etiam semper abesse, si vel ibi, pro legibus colantur diuitiæ; vt pro iure, potentia sit, vel omninò tyrannidis genus aliquod dominetur. Quare exilium nec inter mala, nec interea; quæ mali vmbram referunt reponi debet.

Vehementius etiam aliquos Iniuria torquere solet, quàm exilium: & Laconicum illud in medium afferunt, veterem ferendo iniuriam, irritas nouam: Sed quàm planè à scopo aberrant, si putant, iniuriam vltione dignam. Nam sic agentibus, in conuenit, vt iniuriam nullus finis inueniatur; cum iniuria, sit iniuriâ vlciscenda: nonne & qui priorem intulit iniuriam, secundam vlcisci volet? alia igitur iniuria inferenda, ac denuò illa vlciscenda: quis tandem finis erit iniuriarum? pessimè igitur agit, qui primam infert iniuriam; post eum, qui vlciscitur; namque tertiam fieri oportet iniuriam: quonam modo enim iniuriam patietur, qui vltrò, non lacessitus iam intulerit? quid igitur melius, quàm omnino à prima conquiescere? Illud etiam intelligere conuenit, quòd vt Plato dicebat, tantum differt Sapiens à vulgari homine, quantum vulgaris homo à puero: solent autem pueri, omnem, (quantum licet) iniuriam vindicare, etiam non vltrò illatam: velut etiam beluæ, quarum si pedes, vel caudam inuitus presseris, illicò mordent: illud non quærentes, an volens intuleris iniuriam. at homines non sic, sed voluntarias tantùm, & sponte illatas vlcisci consueuerunt. Si igitur sapiens, solum casu illatas vindicare negligat, in quo erit hic præstantior vulgari homine, & ab omni Philosophia remoto? Quanto sanctius igitur erit illud seruasse Diuinum præceptum, Mihi vindictam, & ego retribuam? Sic autem egisse Sapientes quis dubitat? inter quos Socrates, cùm quidam eum calce percussisset, hortantibus amicis, vt eum in iudicium vocaret, respondit: quid si me asinus calce percusserit, quàm ridiculus ero, si eum in iudicium vocem? cum verò Xantippe vxor irata pallium detraxisset, hortantibus amicis vt manibus se vlciscerentur, respondit Socrates: vt vobis hoc spectaculum edam, atque vt dicatis, eia Xantippe, eia Socrates. Diogene autem, colapho accepto nil aliud dixit, quàm Nesciebam quando mihi cum galea è domo sit prodeundum. quin etiam Crates pugno percussus à Nicodromo Citharœdo, nomen percussoris super plagam posuit; sicque per vrbem ibat, illud ostendens, maius esse longe dedecus, immeritò iniuriam inferentis quàm eius qui recipit: ille enim prauum & sceleratum eo facinore planè se confitetur: illum, nullius omnino culpæ coarguit. At leges omnes, vltrices inferentium iniurias, quanquam à potentibus constitutæ sunt; nullæ, plectentes eum qui iniuriam passus sit. Antistheni cum diceretur, Platonem ei maledicere, quam probatum succurrit responsum: hoc Regium est inquiens, cum benefeceris malè audire: At Plato cuidam dicenti, Xenocratem eum verbis insectari, primo negauit id verum credere: cùm ille instaret, iuraretque, respondit Plato, se non existimare illum hæc dicturum, nisi expediret: quid tranquillius, aut sapientius dici potest? Sit verò propositum, te nec Sapientem esse, nec Christianum, quandoquidem veritas consulat, vt percutienti dextram maxillam, sinistram etiam offeras: Paulus verò dicat,

quòd

quòd si benefeceris malefacienri tibi, carbones super illius caput congeria. neque enim maius est scelus ingratitudine, nec crudelius facinus, quàm innocentem opprimere: quotum vtrunque facit, qui in benefactorem suum iniuriam intulerit. Legem naturæ nunc tantum imitemur, illudque videamus, quando vlciscenda est iniuria, an, cùm non potes: equidem quid aliud hoc stultius excogitari queat, quàm eùm non tutò possis vlcisci, tunc velle? Sic enim Pausanias Philippum vltus est: sed pœnas dedit in cruce: sic Andreas Lampugnanus Galeazium Sfortiam vltus: sed sibi, & filio, & fratri, mortem peperit: patriæ etiam incommoda plurima. At verò quot fuerunt, quibus ante vltionem, pro iniuria mors, & cruciatus successerunt? velut, his qui Phalarim occidere destinauerant, Pisonique ac complicibus coniurationis, in Neronem. exemplorum multitudo facit, vt non referam. Periculosam igitur vindictam quis etiam mentis inops, laudet? quæ vel patrata, tibi sit deterior, quàm illi; & non patrata nihilominus te tuosque perdat, Reliquum est igitur, vt eùm possim tutò, tunc vlciscaris: at vero id nullo modo tunc faciendum. quis dubitat? primò quòd hinc est iucunditas vltionis, illinc magnitudo animi, generosumque facinus ostenditur: atque vt Poëta dicit:

Parcere subiectis. & debellare superbos.

Ideo, Ariston mihi iure laudandus videtur, nam cum Cleomenes dixisset, amicis benefaciendum esse, inimicis autem male: suscepit Ariston verbum, dicens: amicis equidem benefaciendum: verum inimicos esse reconciliandos. maius est vtique præmium gloriæ, cum ignoueris inimicis, quos perdere potueris: quàm voluptas vindictæ: homo qui benefacit, his etiam qui eum persequuntur, similis est Deo: namque & ipse tot maledicentes, impios, sacrilegos alit, fouet, tuetur: vt non obscurum sit, nihil proximius Deo accedere (etiam præter Legis nostræ institutionem) quàm obliuionem vindictæ. At verò quā generosi animi sit, noluisse vlcisci, testantur antiqua exempla: inter quæ diuinam illam laudem C. Iulius Cæsar, tam sibi ascripsit, vt à nemine vinci patiatur: is enim cum Pompeium superasset, iussit parci omnibus ciuibus, qui extra aciem essent: M. Marcello hosti acerrimo indulsit: Petreium Ducem aduersæ partis, atque Afranium, ac Varronem, in deditionem acceptos, tum Corfinium, L. Lentulum, L. Domitium, captos dimisit: filio Catonis, singularis inimici ignouit: Sextum Pompeium, filium Magni Pompeij, natu minorem persequi destitit: in morte patris illius, quæ tamen Regnum Cæsaris firmabat, illachrymauit. Q. Ligarium multorum criminum reum, & hostem, supplicantibus fratribus, absoluit: Ciceroni omnibusque aduersæ partis Principibus, qui in acie Pharsalica fuerant, liberaliter pepercit: statuas Pompeij erexit: denique tam egregia clementiæ monumenta prodidit, vt Cicero & ante Cæsaris victoriam, & post illius necem, non semel fassus sit], causam deteriorem, Cæsarem humanitate sua, meliorem effecisse: iustiusque damnatus est Pompeius patriæ defensor, ob crudelitatem in hostes, quàm Cæsar euersor ob clementiam.

Hunc nepos Octauius aliquando etiam imitatus est: cum enim Liuium Histoticum plus æquo, Pompeianis fauisse partibus accepisset, satis duxit, pro ea iniuria Pompeianum eum appellare: cumque Asinium Pollionem libris editis commendasse Cassium, ac Brutum, tum Afranium ac Scipionem, intellexisset: quodque Timagenem historicum, qui Octauij, Liuiæ, ac etiam filiæ existimationem violauerat, domo recepisset, non aliter vltus est, quàm his verbis: fruere mi Pollio, fruere.

At quàm pulchrè Hadrianus Cæsar, iniuriæ & potentiæ moderationem expressit: cùm enim Imperatur factus, inimicum in priuata vita, olim habuisset, dixit Euasisti: illud ostendens iam prius defuisse potestatem, atque ideò metu eum noluisse liberare: cum primùm potestas vltionis adesset, non solùm vindictam nolle, sed etiam eum à metu liberare; quod iam, reconciliatio timori imputari nequiret.

Est etiam considerandum nihil magis ad augendam potentiam facere, quàm vindictæ obliuionem: quamobrem Pelectus Lacedæmonius, cum apud eum frater quereretur, quòd non à ciuibus vt ipse colebatur, respondit hoc esse, quia iniurias pati nesciret.

Illud igitur maxime obseruandum est, quòd quicunque viri magnam potentiam, aut auctoritatem desiderauerunt, vltionem semper contempsere: quòd intelligeret iniuriarum vindictam Praxitelis fabulæ esse persimilem.

Ferunt enim eum speculum inuenisse: cum verò aliquando iratus in eum inspiceret, vidisse imaginem (vt par erat) etiam tristem: inde turbatus, minari cœpit, at illa rursus minas reddebat, quid plura? speculum frangit; cadunt frusta illius: ex vnoquoque eorum, effigies vna minitans referebatur: sic Praxiteles dum vnam inconsulto hostilem imaginem euertere studet, plurimas suscitauit.

Idem in vltione, si vnum occidas: amicos illius, affinesque hostes, efficis: atque pro vno, plures, ac meliore causa: nomen etiam plerunque populare, inuidiosum facis, malum te hominem ostendis: denique assuescens vltioni, nil aliud cogitas; at vbi intenderis ingenium, valet: id verò sic esse, non solùm ratio, sed experimenta, & exempla docent: atque in primis Alexander ille, in cuius cubiculo, fortuna quoad vixit latuit: cum Athenienses cæterósque Græciæ populos non ignoraret, quàm hostili erga eum animo essent, (vt etiam trigintá millia Græcorum cum Dario militarent,) vindicare tamen neglexit: qua animi magnitudine, deuicto Dario, quos hostes expertus erat, supplices habuit: at si contrà, vlcisci conatus, singulas vrbes Græciæ oppugnasset, totam illam egregiam iuuentutem, in qua, etiam Indiam vsque penetrauit, depopulando Peloponneso consumpsisset: vt ex Magno Alexandro, ignotus Regulus euaderet: neque Thebas, ad iniuriæ vindictam, sed ad terrorem in-

constantinum Græcorum euertit. at contrà Pyrrhus, dum iniurias persequitur, (alioquin dux inclytus) negocia omnia infecta reliquit: miserabiliter moriens. Iulius Cæsar cùm in priuata vita, à Caio Caluo famosis ac contumeliosis carminibus esset laceratus, tum etiam à Catullo, agentibus de reconciliatione amicis; Caluo prior scripsit; Catullum cœnæ adhibuit. Quisnam maior rogo hostis, quàm vxoris mœchus, Clodius? quem tamen deprehensum damnari non curauit, etiam periurio illum tutatus. At contrà Marius dum hostium sanguinem sitit, dum se totum vltioni tradit, infœlici fine consumptus est: seque ac suos omnes perdidit. Quid Fabij Maximi facto generosius, cum ei Minutius magister equitum, aduersus omnes Leges, à populo æquaretur in Imperio; multa contra Fabij fidem, ac prudentiam eo etiam iactante; vbi tamen temere Minutius Hannibali occurrisset; oblitus iniuriæ Fabius, illum cum exercitu liberauit, vnoque facto, Fidem suam ac Peritiam testatus est, & quàm indignè, populus Minutium ei æquasset, Rémque publicam defendit; Minutium supplicem ante genua habuit; & Imperium cum auctoritate recepit: Hæc sunt offensas obliuiscentium præmia. At contrà Cicero, dum Clodium, verbis vxoris hostem factum, persequi pergit; ipse in exilium actus est: cùm verò Antonium infensum è Republica eiicere studet, semet cum omnibus suis, tum omnes bonos, ac patriam suæ fidei commissam, funditus sic euertit, vt nunquam aliàs recuperari potuerit. Nonne & illud memoria dignum est: quòd brutorum iniurias spernimus, hominum vlciscimur? sic etiam temporum damna æquo animo toleramus, hominum ferre non possumus: at in vno deest ambitio, in altero facultas vindictæ: fateor inquam; sed etiam in hominis iniuria, illud considerandum est; quòd homo est; ac naturâ, (velis nolisve) tibi coniunctus, plerumque etiam à te (etsi non intelligas) irritatus. Denique quid te in iniuria vrget? offensa-ne an iactura? si iactura, illa vltione non redimitur: si offensa, iam te doles probum esse, ac videri. siquidem malorum proprium est, inferre damna: at bonorum, pedissequa iniuria est. Illud igitur, cùm quis aut calumniatur, aut contemnit, aut percutit, aut vulnerat, te cogitare decet; primò, an volens fecerit; nam non voluntaria offensio, damnum afferre potest, iniuriam afferre non potest: laudatúrque Crœsus quòd Adrasto pepercerit, cùm filium eius occidisset. constabat enim, aprum, non filium, Adrastum telo petiisse: sic Augustus cum à Diomede dispensatore, apro expositus esset, satis habuit timidum illum appellare: quòd satis constaret fraudem abesse. At si volens offendit, illud cogita, an causam dederis. nam non iniuriam dices, sed emeritam pœnam; At fac, insonti illatam iacturam; cogita, an tu, si licuisset, idem facturus esses. nam non iniuria hæc est, sed pugna. est autem omnis pugnæ finis, inter duos; cum alter succubuerit: quapropter puer Lacon cum ab altero vulneratus esset ad mortem, solantibus sociis spondentibúsque, quamprimum illis occurreret is qui eum percusserat, illum occisuros: at inquit ille, Nequaquam, non enim meritò, cùm id ego facturus fuissem illi, quod nunc ab eo patior, si mihi vincere licuisset. At, non sit mens mala, absit odium, absit omnis causa: Vide qualis sit vir, qualísque offensa: Nam vel adeò tenuis esse potest, vt per se sit negligenda; aut vir ille vilis, aut mentis non satis compos; vt, & turpe, & impium sit, in hos animaduertere. sed age, nullum horum occurrat, Nonne primum illud intelligis, bonorum hoc esse verum argumentum, quòd iniuriam æquo animo ferunt, non ob Timorem, sed ob Fortitudinem? sic Phocion cum damnatus esset ab Atheniensibus ad mortem; quærentibus amicis, an quicquam vellet filio renunciari; respondit, Dicite vt huius iniuriæ haud velit reminisci. Aristides quoque, in exilio iniusto existens, rogabat Deos, vt Athenienses tam prospera fortuna vterentur, vt Aristidis memoria illis nulla esset. Post etiam, illud contemplare; quòd iniuriarum tria sunt remedia, Vltio, Obliuio, & Contemptus: horum, quis iure ambigere potest, præstantius esse contemptum atque securius? nam contemptus, neque vt obliuio, (propter animi secum coniunctam magnitudinem) turpis est; nec obnoxius reparandæ denuò iniuriæ: vltionem verò superat, quòd & securiorem habet exitum, & pœnitentiam nunquam adducit; & quòd interim, hominem desiderium non torquet; sed quàm simillimus Diis efficitur: sunt enim illi beatissimi ex hoc maximè, quòd mortalium contemnunt iniurias: tales eos decet esse, imò necesse est, qui fœlices esse velint: nam cum nullus homo iniuriâ carere possit: verùm quantò potentior, tantò à pluribus, & maledictis, & improbis etiam factis impetitur; neque vlli mortalium, cunctos fas est vlcisci. Namque, quibus plures fuere calumniatores, quàm Regibus & Imperatoribus? quorum potentia erat maxima: non Naturæ, non Deo defuit. hic autem potens, non vindicat. Homo igitur, vrsi more, apes persequentis, ac insanientis; de iniuriis vltionem expetat? absit: nam etsi omnes sui temporis iniurias liceret vindicare, quid post mortem faciet? nunquid & de illis erit solicitus? at par est ratio; siue post mortem, seu viuens, iniuriis, aut famosis laceretur libellis. Qui igitur contempsisse in vita has visus est, eodem etiam auxilio post mortem securus est: at in vindicta, non licet: nihil itaque melius quàm ingenti animo, (velut si supra altissimam turrim consistens, lapidibus ab imo expetaris, omnis expers periculi) non solùm spernere, sed irridere illorum conatus irritos. Vltionis autem voluptas, vt Satyricus optimè ait, Fœminis propria est: vt Viris contemptus iniuriæ. Neque enim Fœminæ (vt fœminæ) ea animi magnitudo contingere potest, vt offensas spernat: sic & Viro (vt vir est) contingere potest, vt velit vlcisci. Vide ergo cuinam te magis similem esse velis. Verùm dices, aliqui inquam egregij viri, iniurias vlti sunt: nam & Cæsar, Faustum Syllam, & Afranium iussit interfici: & Antonius Ciceronem; & Alexander Callisthenem etiam acerbius vltus est, circumducens eum exoculatum, atque in cauea cum cane

conclusum

conclusum. sed eis, homo bone, nulla hatum vltio fuit: quanquam de Antonio dicatur, quod vir fuerit fœmina mollior, atque animi corrupti, in reliquis non debemus esse soliciti: nempe, & parem moribus finem est consecutus: at quantum ad hos pertinet, nihil minus quàm vindictam in causa fuisse credendum est: sed securitatis potius studium, quo in casu, etiam à Lege nostra permittitur. Namque Afranius iam semel dimissus, neque fidem, neque quietem seruaturus videbatur: Legique obnoxius erat Faustus Sylla, populo Romano ob patris crudelitatem odiosus; & simul Pompeij necessarius; quieturus haud credi poterat, etiam si ei Cæsar pepercisset: nanque si patris odio necare voluit, maius hoc in Catone fuerat; quem constat, postquam Cæsar Germanos vicerat, suasisse Senatui, vt quoniam aduersus fœdera pugnasset, illum hostibus traderent: at Sylla, cum potuisset occidere, noluit. sic & Alexander, Calisthenem, eius Imperium inter barbaros infirmantem; non ob iniuriam, sed vtilitatem, damnauerat: parum enim abfuit, ne simul ob eius verba Persæ ab eo desciscerent; & Macedones in contemptum haberent. Antonius, sciebat Ciceronem, si euasisset, nunquam quieturum: quòd iam, cùm semel dimisisset, odio tamen irreconciliabili eum persequeretur: etenim si mors Ciceronis ad vindictam procurata est, viuus capi potuit: aut crudeliter occidi. Iam verò & illud nobis occurrit, quòd plerunque iniuriæ hominibus conduxerint, atque vt Ouidius dicit,

Vtilis interdum est, ipsis iniuria passis.

Plerunque enim quem non amamus; eum tuemur, aut commiseratione, aut odio illius qui iniuriam infert; aut quoniam credimus potius atrocitate inimici, quam proprio scelere condemnati. atque eo modo, plures euasisse pericula compertum est: inter quos Valerius Maximus narrat; Gabinium ex contumelia Sisennæ: & Q. Flauium ex iniuria C. Valerij; Cottam verò sola iniuriæ suspicione fuisse liberatos: quibus, absque iniuriâ, absolutionis nulla amplius spes supererat. Accedit, quòd tam frequens est hæc contumeliæ causa, vt totis diebus nil aliud meditari oporteat, vulgus carpit eruditos, at hi contrà paruifaciunt imperitos; & improbos damnant iusti; bonos irrident scelesti: potentes, potentibus, ac Regibus sunt obnoxij; hos contrà lacessunt domestici, probris, maledictis, furtis, dilapidationibus, malâ fide. An verò decet perpetuò his discruciari homines, an potius animo forti negligere? laudatur L. Morena, quòd ambitus à Catone paulò antè accusatus, Catonem ne occideretur in seditione, togâ protexerit, quanquam nec ipse existens absque periculo; & Publius Pulcher, quod damnatus à tribus Lentulis fratribus de incestu, vnum ex his ambitus postulatum, patrocinio defenderit: at Marcellus à Siculis grauiter accusatus, ac absolutus, non tantum ignouit, sed & eos in clientelam accepit. sic Menedemus Alexinum fouit beneficiis, à quo multis erat iniuriis lacessitus. Quam benè dixit Beatus Gregorius, *Qui malos non fert, ipse sibi per impatientiam testis est, quòd bonus non est.* Rex Archelaus cum aliquando eum quispiam aqua respersisset, suadentibus amicis vt vlciscere-tur, respondit: non me quidem respergere voluit, sed alium: sic, & illum à periculo; & se amicorum importunitate liberauit. Memoriâ commendatum vidimus ingens exemplum ferendarum iniuriarum, in seruo Antij Restionis, qui per suspicionem à domino in carceribus vexatus, stigmatibus etiam inustus, cùm in triumvirali proscriptione dominum sequeretur, seruauit magno periculo, quem cum præmio vlcisci poterat. Nec sola hæc priuatorum Sapientia extitit, sed ciuitatum: nam & Dionysius iunior, & Corinthi (dum ludum aperuisset) & antequam in exilium iret, à Syracusanis occidi potuit, cum illos crudeliter vexasset; neglexerunt tamen: & Romani, Syllam in priuata vita, cum Dictaturam sponte deposuisset, (quanquam nemo ante acerbius plebem offenderit) illæsum esse voluerunt; Arbitrantes vindictam, dum potentia vtitur, fortium esse virorum, tanquam rem arduam; in iam profligatos verò, aut illos qui vel spônte, vel legibus, à magistratu se abdicarunt, humanitate & clementia vti, opus Diuinum fore? Ideóque nullum est hominibus maius ad fœlicitatem argumentum, nulla ad gloriam via paratior, nihil ad vitæ tranquillitatem opportunius, quàm iniuriarum contemptus: Vide canes; qui cùm inutiles hominibus sint, maiore tamen charitate fouentur, quàm vel boues, aut equi; quoniam à dominis iniurias omnes æquo animo patiuntur, percussi blandiuntur, eiecti reuertuntur, obiurgati arrident. quid plura? feris omnibus deterior est, qui contumeliam non potest contemnere: nullum enim brutũ animal, memor est offensæ: Quare homo, non est prudentiæ particeps, Deo non carus, non diu fœlix, qui vindex est. Paululum verò si te continueris, videbis iniuriam tuam, modo à natura ipsa, modo casu, aut ab aliis hominibus repolci, vindicaríque: & quem ingenti negocio, maioríque periculo perditum cupiebas, absque labore, absque scelere tuo, miserum, aut extinctum miraberis. Malorum enim & iniustè bonos vexantium, perbreuis semper vita fuit; aut non diuturna fœlicitas. Si igitur sumptâ vindictâ nemo ab iniuria miser est; præstat autem omnibus, vel si potuerint, vel si non possint non vlcisci, quàm vlcisci: manifestum est, nullum ex iniuria ante vltionem, miserum esse posse. Est etiã genus offensæ nostris temporibus, existimatione maximum; Cum vxor est impudica: de quo (vt in turpi causa) auribus bonorum parcendum est: illud tantum admonentes; Pompeium, Metiam; C. Cæsarem Pompeiam ob adulterium repudiasse: qui verò Romani, aut auctoritate, vel gestis, aut prudentiâ, æquari his poterunt? quorum tamen thorum, vel importunitas adulteri, vel muliebris lascivia fœdauit: Septimius Seuerus, & Antoninus Philosophus, mœchas coniuges habuere; his tamen, neque fœliciores, neque præstantiores, nec Reipub. meliores facilè inuenies. cum itaque hortarentur Antoninum amici, vt dimitteret eam, respondit, Licet equidem, modò reddamus & dotem: erat autem dos ipsa, Romanum Imperium: quòd Faustina, Pij Antonini Imperatoris filia fuisset. Nec igitur Antonino, quod non repudiauerit sciens, nec Seuero Septimio, quòd nesciuerit, crimini aut

datum est, ant virtuti eorum obstitit, vel fœlicitati. Nec solum tam claris viris alienum scelus maculam inurere nequiuit, verùm & priuati, eam ignominiam, ad se non pertinere putauerunt. Inde Spartanus vir, cùm adulterum cum vxore admodum deformi deprehendisset, dixit, Infœlix, quæ te necessitas ad hoc impulit? Nimis crudele est; si, quod nulla sapientia tueri potest, stultitiæ tribuatur, aut si alieno crimine, virtus immaculata, possit fœdari. sed tamen tribuunt; fœdatamque putant, temporum nostrorum homines. Non sic Salebus: is Crotone Princeps, legem tulit, etiam Iuliâ seueriorem: vt mœchi viui cremarentur: nihil maius hoc crimine existimans: verùm cùm fratris vxorem ipse polluisset; deprehensus, orationem tam luculentam habuit, vt ciues remittere pœnam vellent, ac exilio solum eum damnare: at ille, culpæ intelligens magnitudinem, in ignem sponte insiliit, crematúsque sic est: perorauerat aptè, non vt absolueretur: (quid enim stultius, cùm sponte perierit, iam absolutus?) sed vt doceret, nullam esse posse causam, qua quis absolutione dignus videri debeat. Itaque id non coniugis, sed ætatis nostræ vitium est: in qua, mulierosi existentes, flagitij in homines, perfidiæ in Deum pœnas meritò luunt: nec cessabit hæc pestis, donec velut Polypus, membra sua exedat: inde, Mahumetanis vires additæ, in immensum nobis opprobrio cessit. Sed de iniuria satis nunc, de reliquis dicamus calamitatibus, inter quas, Carcer primò nobis occurrit.

Hic, sordes, tenebras, solitudinem, catenas, miseriam denique omnem, secum ferre videtur: cogit hic Boëtium exclamare,

Ecce mihi lacera dictant scribenda camœnæ,
Et veris elegi, fletibus ora rigant.

Sed ô generose quid est hæc Vita, nisi Carcer Animi: deterior longè quàm corporis? atque vtinam, quies hæc grata mihi succederet, quam omnes viri inclyti optauere. inter quos Demosthenes ille orator eximius; dimidium barbæ sibi detondebat, vt cogeretur domo non exire. Vbi enim verior contemplatio quàm in solitudine? vbi studium solidius quàm in quiete? neque enim ille Boëtius quicquam elegantius scripsit, quam quod in vinculis excogitauit. Nonne & Æsopus diu latuit in sepulchro? & Democritus in arcis mortuorum sponte habitauit: scribentes interim, & tantò lucidiùs animo perspicientes, quantò obscuriùs oculis? Refert Plato Anaxagoram dum in custodia haberetur, librum de Circuli quadratura scripsisse. Quid acerbius, Socratis carcere? cuius finis, mors certa erat, tempus verò diuturnum, atque indefinitum? ille tamen suauiter dormiebat, philosophabatur, scripsitque carmina: vt longe maius lumen Socrates carceribus attulerit, quàm carcer Socrati tenebras. Paulus ille gentium doctor, magnam epistolarum partem ex vinculis misit: vt ad Ephesios, & ad Timotheum secundam, & ad Philemonem.

Simili ratione, Seruitus toleranda æquo animo est, in qua natura nihil dominis liberaliùs indulsit: neque enim ingenui, vernaculis aut fortiores sunt, aut formosiores, aut incolumiores, atque (vt vno verbo dicam) nihil aut corpore, aut mente differt seruus à libero: at verò tranquillitate, plurimùm distãt; cùm seruus vnum habeat quod obseruet, Domini scilicet mandatum: præter id, alimenta, vestes, cæteraque necessaria, parata habet: at dominus, non solùm de se ipso, sed de aliis etiam cogitur esse sollicitus: omnis iactura, domini periculo, non serui fiet: vt si homines se in seruitutem tradere hodie velint, (cum Lege nostra seruitus exoleuerit) plures inuenire possis, qui se tradant vltrò in eam, quàm qui recipiant. Omnes si rectè animaduertimus, (durioribus dominis seruimus, cùm liberos nos esse credamus, Principi equidem Deo, totque naturę necessitatibus, legibus, voluptatibus; communia hæc cum seruis sunt. & alimenta tamen, aut vestes, aut domum; minimè nobis, (vt seruis) domini tradũnt. Quid igitur mirum est, multos seruos noluisse liberari? velut Melissus Spoletinus Grammaticus? pulchrum enim est aliena viuere quadra; atque vtinam tam honestum. Assectas Principum, an aliud esse putas, quàm seruos, quos ambitio decepit? cæterum periculosiores, & infœliciores. Verùm neque ad Gloriam, cuiquam fraudi seruitus fuit: nam & Plato & Xenocrates Chalcedonius & Diogenes, Phædrusque & Epictetus, Æsopusque fabularum conditor, seruitutem seruierunt, inclytique Grammatici complures: Scribonius Aphrodiseus, & Taberius Crotes, ac Antonius Gnipho, tum Plotius in scæna clarus, & Manilius in Astronomia poëta insignis. Quid verò de opibus dicam? an ego illa denuo monstra Romanæ luxuriæ referam, Drusillanum Menecratem, atque alios, vt nec seruituti, Regia maiestas defuerit? celebratur inquam Seruius Tullius, ex Romanis Regibus vetustis, vnus: talis fuit & aliquando Oedipus: nostris temporibus Syrię, & Palestinæ, Reges omnes, ex hoc genere creabantur. Sed facessant diuitiæ, potentiaque illa immensa: vulgata sequamur exẽpla: quantum equidem plurimis conduxit seruitus; bonique heri patrocinio, nihil fuit melius: Vt autem bonus sit, maxima pars in serui ingenio posita est: inde plurimis non solum libertas contigit, sed hæredes etiam dominorum fieri meruerunt: nec nunc frequentiora vestigia sepulchrorum antiquorum, quam quę vel pietatem libertorum in dominos, aut dominorum testentur charitatem in libertos: vt hæc, vxorum, parentum, fratrum, ac filiorum, exemplis sint numerosiora.

Eadem ratione si Inglorius vixeris, consolaberis te ipsum: cum enim multò melior seruo sis, eam conditionem patienter ferre recusabis, in quam, vt Plato ait, Vlysses, vitæ præteritæ pertæsus, sponte se trãstulit? nulla enim fœlicitas homini maior contingere potest, quam vt Gloriam nec quærat, nec habeat: altero enim, in summa tranquillitate animi, altero in maxima securitate viuit: Quid enim est humana Gloria aliud, quam dulce venenũ hominibus, & speciosus fumus, in quem cum ingrederis, occæcaris, & suffocaris? cætera quę desiderantur, aliquid habent vtilitatis secum: hæc sola, plurimùm vanitatis, laboris, periculi, anxietatis: parique onere premimur retinendo, & acquirendo: Amici, Opes, Potentia, ornamenti plurimùm, inuidiæ parùm tribuunt:

bunt : sola Gloria, inuidiam velut vmbram splendor comitem indiuiduum habet, ea sola, momentu perit, & vita : reliqua difficilius: Quàm multi, generosa facta in alios transtulerunt? è quibus Socratea, cum victor esset in prælio, opera sua, laudem & dona, tribuit Alcibiadi. Sed quis in hoc Platonem poterit superare? qui vniuersa quæ nouerat, his à quibus didicerat tribuit: hinc Socrates & Timęus & Parmenides disputantes, docentesque introducuntur. nulla est hercle maior Gloria, quàm Gloriæ contemptus: Gloriâ cares, si ambitione cares, cur quereris, cum non habeas quod non optes? Si ambitiosus es, te ipsum accusas: Non esset ambitio vicium, si Gloria iustè desiderari mereretur. Non possum narrare exempla eorum, qui cum virtutem coluerint, laudem contempserunt: agnosci enim noluerunt: verùm tamen, eos *solùm etiam hodie, bonos, ac beatos dicere licet, qui secundum virtutem viuentes, latent.* Quid enim aliud ambitiosus sibi parit, quàm vt omnia eius probra cunctis pateant? nemo enim est, cuius si vitam diligenter inspexeris, plura non inuenias, vituperatione quàm laude digna: huic periculo non aliter tutius occurritur, quàm si maximè latueris.

Offert se pari vtilitate Imperitia, quam tamen plurimi iniustè deplorant: qui enim sciẽtiam addit, addit & laborem: (vt Propheta dicit) mitto verò quod Paulus prædicat, hanc nostram scientiam, Deo esse inimicam. solùm vtilitas vulgaris consideretur: anima periclitatur; corpus atteritur; filij facultatésque negliguntur; inuidia conflatur; vita minuitur; ob hanc insanam cupiditatem, non sciendi, sed scire nos simulandi. nam tu ne sapientior Socrate aut Platone, vel Aristotele? Socrates gloriatur quòd nihil sciat; Plato dubitat de plerisque: Aristoteles tam obscurè loquitur, vt non scite dicas, sed vt non ignorasse possis arguere: mihi verò, quantâ iacturâ stetit opinio eruditionis? atque sanè mihi ea mediocritas ingenij, quàm magno detrimento fuit? toties ob id pulsatus, eiectus, iactatúsque: atque vtinam vel talis fuissem, qualem putauerunt; aut qualis eram, talem me illi existimassent. Inde tot conspirationes, tótque indignæ illorum voces, quas ego semper contempsi: ratus, hoc solo, hominem homini præstare, quòd bonus sit. Quemadmodum & in cæteris omnibus rebus videmus: & Alesandro Achillino, Tiberio Bononiensi, Petro Leoni, Marco Antonio Veronensi, opinio hæc, non sine cõtumelia, & iactantia, magna mala peperit. Nam Achillinus veneno extinctus est: Petrus Leo in puteum præcipitatus: Marcus Antonius & Tiberius breuis vitæ occasionem sibi parauerunt: sic inanis hæc sapientia, multis pensanda est incommodis. Quantò melius his fuisset, vel artem, vel negotium exercuisse? Quem mihi doctum virum obiicies, atque fortunatum, quem doctrina illa sua non pessum dederit? Socrates occisus; Anaxagoras in vinculis habitus; Plato venditus, & capitali periculo expositus; Xenocrates similiter: Aristoteles pulsus, fugatus, in exilio mortem, aut voluntariam, aut non inuitus subiit: Demetrius Phalereus exul, & damnatus est: Demosthenes voluntarium bibit venenum: Æschines exul, Solónque: Lycurgo erutus oculus, exilium, tot vitæ pericula. Ioannes Scotus à suis, stilis confossus: Cicero fœdè occisus; Varro proscriptus; nullus non vexatus denique fuit, aut omnino contemptus. Queritur & iustè iniuriam Budeus vir nostræ ætatis insignis: Quot & quantas persecutiones Erasmus passus est? fuerunt ne Prophetæ, aut Sapientes Legis Mosaicæ fœliciores? absit. *Res est eruditio, quam qui non habet, non optet: qui habet, emptam gemmam credat, quæ magno pretio parta est, maiore solicitudine & periculo sit seruanda.* Sed iam de his rebus nimis: namque pauci admodum, ac penè nulli de imperitia conqueruntur, cùm se ipsos libenter fallant.

Cruciatus ipse est, qui quasi meritò intolerabilis videtur esse. est autem hic triplex, ex Morbo, à Iudicio, & Immeritus: Verum quisquis ille sit, aut magnus esse non potest, aut non diuturnus, taróque immeritus probis viris incidit. at si incidat, ferendus est; persimilis est enim illi qui sponte ex morbo, aut casu contingit: In qua animi virtute, nonne pudet iure à fœminis superari? quæ cum in pariendis filiis vehementissimum dolorem ferant, totiens tamen hominibus congrediuntur; nec abortire propter id cupiunt, cum iam conceperint: quinimò etiam steriles nihil aliud magis optant, quàm filios procreare. est autem maximus ille dolor, quem in partu fert mulier, & vitæ periculo propinquissimus; cum non paucæ illarum, ex eo moriantur. nam certè qui eculei, quæ rotæ, qui tortores, cruciatus coli, dentium, oris ventriculi, vesicæ, vteri, superare possunt? cum ex his doloribus frequentissimè conuellantur; Parum mitiores sunt, chiragræ, podagræ, ischiæque. attamen quales hi sunt, quorum gratiâ, patientes, nec à delitiis, nec à venere volunt abstinere, etiam salutis certa spe proposita? *Nullus est dolor tam acris, quem animi constantia non superet.* Põpeius cùm articulari morbo laborantẽ visitasset, aduersus importunos dolores dicebat; Vrgeant quantum velint, non tamen dolorem malum esse fatebor: neque enim malum est, quod extra nos est, dolor autem corporis, si animum non vincat, noster esse non potest: Quàm pulchrè id expressit seruus, qui Asdrubalem occiderat, quòd is dominum suum interfecisset. neque enim vllis tormentis adigi potuit, vt vultu lætitiam quam animo ex vindicta heri conceperat, non exprimeret. Memini Antonium Cribellum publico iudicio lacerandum, dum nudaretur, alacri voce testatum, se nullis cruciatibus impelli potuisse, vt conscios patefaceret; vnáque voce facinoris complices, & habuisse, & occuluisse se ostendit. Quid igitur mirum, si tam constãter Pompeius coram Genthio Rege, digitum lucernæ admouit, vt intelligeret Rex, per vim à Legatis spem nullam esse, extorquendi secreta? Tã patienter & Scæuola ille ante Porsenam, manum combussit. Neque in hac gloria, Mulieres fraudandæ: Mater Hircani Iudæi, cum à Ptolemæo genero discruciaretur, filium hortabatur, ne obsidionem dimitteret: sed potius patrem, quem ille occiderat, vlcisceretur. Epicharis liberta, generosior multis viris, nullo cruciatu ad confessionem sceleris, aut con-

sciorum

sciorum potuit cogi. Quintilia etiam minima, cum coniurationis in Caligulam argueretur, torqueretúrque, pertinaci proposito, meruit liberari, ac pro insonte habita; præmia quoque, (tanquam innocens vexata,) accepit. Quid de Barbara, Agatha, Christina, cæterisq; virginibus dicam? quarum numerus est omni fide maior; constantia verò admirabilis; vt non tam tulisse, quàm optasse tormenta viderentur? Sed hæc, nostræ Legis munera sunt; Ad Naturæ autem rationem iterum reuertamur. Nulla est quies tam grata, quàm quæ dolorem consequitur; Nulla est mors tam lenis, quàm quæ fit à diris cruciatibus. *Omnium igitur tormentorum finis, seu ad salutem, seu ad mortem, placidus est.* Illud etiam considerare expedit, omnes qui ferunt graues pœnas, si animum existimãt immortalem, hoc illo tam bene consolari debere, vt nil requirant amplius: his autem qui à morte nihil esse putant, mors ipsa, dolorum finis certus est. quòd si cruciatus hic tibi meritus, meritò (etiam si nulla esset solatij alia ratio) ferendus bono animo est: quod pœnam exsoluis, mentémque debito supplicio liberas: neque enim & corporis & animæ simul: & animæ rursus solius, pœna luenda est.

Eadem sed facilior in Morbis ratio militat, quæ in cruciatu. quid enim in morbo intolerabile est, si absit dolor? eum verò vix sentiatur, quàm plurima bona parit. eo discimus nos esse mortales; admonemur fragilis nostræ conditionis; naturæ haud stabilis; quódque alienæ subiicimur potestati: inde nos subit cogitatio recta, docens mentem aliò collocandam: quod tibi displicet, alteri non esse faciendum. inde continentiores, temperatique euadimus. Pluribus etiam morbus vitam protulit; famam emendauit; virtutem auxit: si morbi nõ essent, homo sæuior Tygride, truculentior Leæna fieret: existimat Macrobius morbos his maxime accedere, non quos odit Deus, sed quos diligit. Seneca verò putat, eum vere esse infœlicem, cui nihil vnquam contingit aduersi: eóque solùm existimandum miserum, quòd nimium fœlix sit. Dicebat autem Paulus, Quem diligit Deus, castigat: effrenis est Humana natura, & nisi morbis (vt triticum) subigeretur, sæpiùs ad ferarum mores facilè declinaret. Anima, cùm à corpore incipit separari, nobilior tunc est, quòd naturæ suæ relinquatur; vtpote, quæ melius intelligit & videt à corporis vinculis absoluta: Quo, minùs mirum sit, tales & imbecilli esse, & morbosâ naturâ, & vitâ breuiore. Non potes assequi omnia: Si fœlix ex ingenio, necessariò valetudine infirmior es: an velis robustius corpus, ac belluis simile ingenium: an verò potius Diuinam quandam naturam, cum debili corpore? Sed tamen & animalia quædam perpetuo infirma sunt, vt Leo & Capra. Vnde etiam qui capras vendunt, non quemadmodum reliqua animalia, incolumes pollicentur, sed, vt Varro inquit, Hodie rectè esse, & bibere posse, haberéque rectè licere. & hæc animalia, cùm rationis expertia sint, lætantur tamen: quanquam numquam sunt sine febre; Homini soli, consilium ad sui perniciem datum erit. Illud tamen non obliuiscendum, tarò Probos, externis cruciatibus, Temperatos, vexari internis.

Sed sunt qui grauiora morbis, Surditatem, aut Cæcitatem putent: quanquam nihil hoc ad fœlicitatem tollendam pertinere videatur. Homerus enim cæcus cum esset, omnes poëtas Græcos & Latinos superauit: Timoleon, Siracusas cæcus gubernabat, Appius Claudius, turpem pacem cæcus diremit Romanorum cum Pyrrho, meliúsque vidit, tot oculatis. Annibal quamvis captus vno oculo esset, Italiam tamen penè totam subegit, gloriáque omnes Pœnos Duces, Romanorúmque, vno excepto Scipione, superauit. Ioannes quoque Rex Bohemiæ cæcus, vir fortissimus, & consilio prudentissimus, cum inclinatam aciem suorum sensisset, in confertissimos hostes se intulit, ne qui victor esse non potuerat, victus fuisset diceretur. Vir quidam parum ante nostra tempora fuit, cæcus; in Musica tam insignis, vt omnes sui seculi homines superauerit: magnóque in precio apud Principes habitus, ditatúsque est. Habet & cæcus suas voluptates, Venerem, Conuiuia, Musicam, Eruditionem, Disciplinas denique: Nisi à natiuitate talis fuerit, dimidio temporis solùm cæcus est: namque & ipse; per somnum plura videt; Vt mirari contingat de Aristotele, quòd virtutem illam videndi, in oculis, non in cerebro collocauerit; nempe si in oculo visio fit, exoculatus per somnium nihil videre poterit: vt nec is, qui omnino à natiuitate talis erat: Sed si ab initio cum natus est, cæcus fuit; non est quòd doleat, cum non cognoscat: vulgare enim est; quæ ignoramus, nos neque dolore, neque afficere voluptate: multa verò cum videamus quæ delectant, non pauciora sunt quæ contristant. Vnus autem est verus oculus, Intellectus: qui eò lucidior est in cæcis, quo lux illa animi ab externa non distrahitur. vnde cæcos, & memoriâ, & ingenio magis pollere videmus, atque vt Poëta de Tiresia dicit:

Obruit ora Deus, totámque in pectore lucem
Detulit.

Significans cæcum illum, mente fuisse oculatissimum. vnde ei prædicendi futura, antiquitas gloriam tribuit; quòd esset prudentissimus: (tales enim futura prædicunt, non inanes isti Astrologi, aut etiam illis impudentiores Sortilegi) sed ad rem redeamus: Didymum philosophum cum Antonius ille Sacer solaretur, dixit, Teipsum consolare, quòd oculos angelis communes retinuisti, muribus & lacertis similes perdidisti. Diodorus Stoicus Ciceroni familiaris: erat hic inquam, cæcus, & philosophus, & Musicus, & Geometra celebris fuit. Caius Drusus iuris ciuilis peritissimus, cæcus, videntibus patrociniũ præstabat. Democritum ferunt ob ciuium odium, seipsum obcæcasse, vnde notissimi illi versus.

Democritus Abderites, Physicus, Philosophus, clypeum constituit, contra exortum Hyperionis, oculos.

Effodere vt posset splendore areo, ita radiis solis aciem effodit luminis, malis bene esse ne videret ciuibus.

Solebat Asclepiades Philosophus in cæcitate ludere, dicens, Nihil aliud esse, quàm quod puero vno faceret, vt plus indigeat: sed etiam illud magnum commodum præstat, præter reliqua Cæcitas: Vt mors ipsa etiam sit

iucun

iucunda, cùm non ob aliud mortem magis timeamus, quàm quòd tenebras illas tetras nobis offundat: & omnem viſum eripiat. at ſi cæcus ſis, nullam in morte mutationem percipies, vt etiam, (quod alios maxime torquet) te mori non ſentias.

Forſan Senectutem aliquis, tam illepidus erit vt accuſet; non memor neceſſarium fore, vt iuuenis iam fuerit, qui nunc ſenex eſt? ſed Cephalus ille Platonicus, aut Plinianus Spurinna aduocetur: ab hiſque quæramus an malum ſenectus. Quàm florida ea ſit ætas, ſi non vitietur oſtendit Iacobi Philippi Sacchi robur ac virtus: quem olim Principem Senatus Franciſcus Sfortia Dux legit.

Itaque cum in his omnibus, quæ dicta ſunt, nihil mali ſit: videndum puto, an in Communibus illis Calamitatibus lugendum ſit: hæ autem ſunt, velut Peſtis, Fames, ac Patriæ excidium; quæ tamen, cum communia ſunt, leuiùs homines pati videntur; quàm ſi ſolis id contingat: at certè ſi mala hæc eſſent, grauius ferri deberent, cùm difficilius poſſint emendari. eſt igitur potius hæc iactura, ex opinione hominum, quàm ex te ipſa: ac, cùm vniuerſalis exciterit, auream ætatem imitatur. Fides enim incorruptior; Humanitas frequens; Conuerſatio vrbana; Victus frugalis; eóq; meliores hominum, & Mentes & Mores, quò fortuna deterior: tunc, cùm pomis ſolis veſceris; ſi panem haberes, beatum te diceres; at anteà panem, vinum, lectum, obſonia, habebas, & querebaris. Inuidia igitur eſt, quæ nunc nos torquet, non voluptas; luxus, non neceſſitas: namque *ſi iuſto nunc deſiderio teneremur, omnia temporibus æqualiter optaremus, nec tam infælici exitu indigeremus, ad cognoſcendum, quàm paucis vilibúſque rebus natura contenta ſit.* At verò tunc, ſi in ea miſeria viuere gratum eſt, miſera illa eſſe non poteſt; ſolum enim verè miſer eſt, qui vitam odiſſe cogitur. at in communibus calamitatibus, nemo vitam odit, ſed tunc maximè, patienter fert: neque enim turpe videri ſolet, quod commune eſt. videtur autem omne humanum malum, (præter mortem) in quadam turpitudine conſiſtere, & bonum, in gloria. id autem eſt, quoniam verè nullũ (vt ab initio dictum fuit) bonum, aut malum in humanis eſſe poteſt. Sed ad rem reuertamur; Periit Patria, in eáque Amici, atque Affines, Exiſtimatio, & Opes: fateor, an putas eos ſolum tibi propinquos, qui in ea ciuitate erant? Omnes ex vna ſtirpe ſumus: cum ad auos & proauos recedis, lõga affinitas eſt: amicitiam, mores, exiſtimationem, virtus pariet; quia ſi tu cares, non exiſtimatio, ſed ambitio, & dolus fuerat: in Paupertate autem, multos ſocios habes, vt pudere te propter errorem; tædere propter ſolitudinem non poſſit: verùm (vt diximus) mendicis ſuccurrunt, ſportulæ, Xenodochia, proceres, religioſi, viri probi: in quo euentu, publica clades aufert dedecus: quod tamen multi, (ob leuem, quem nos contemnimus, laborem fugiẽdum) ſubeunt: ſed ſi ſit animus induſtriâ, mens armata virtute, rarò admodum ad id peruenimus. quanquam afflictâ totâ ciuitate: nempè Syracuſas, dum diriperet Marcellus, Archimedem, ſeruare voluit; & Megaræ, cum à Ptolemæo prius, poſt à Demetrio Antiochi filio captæ & ſpoliatæ eſſent, Stilponem philoſophum non perdiderunt; à Regibus enim ſeruatus, & honorificè habitus, dona accepit: altero, eum ſecum deducere tentante, altero, eius etiam facto diſcipulo: cum verò Rhodus à Demetrio oppugnaretur, Protogenes à Rege pictor, in ſuburbiis colebatur, cùm ciues in vrbe vix tuti eſſet. Habet virtus ſecum comitem Nemeſim, quæ mendicare non ſinat, à communibuſque periculis eruat. Socrates illæſus Athenis manſit à peſte: Crates à Thebarum excidio. *Non debet vir ſingularis virtutis, populari periclitari calamitate: manent tales, ſua propria fata, inuidia improborum, obnoxia.*

Reliquum igitur eſt, vt de Malorum multitudine dicamus, ac vt Diogenes ait, Is ego ſum, in quem diræ iactatæ ſunt imprecationes; ſum enim (dicebat) ſine domo, ſine ciuitate, patriâ exul, vagus, mendicuſque: his omnibus, Virtutem animi ſatis eſſe putauit. Si igitur ſenex æger, inops, exulque fueris, an hoc eſt mala augere, an diuidere? non ſunt calamitates numero, ſed magnitudine metiendæ. ſit autem vt velut in doloribus; calamitas pellat calamitatẽ; exilium auferat dedecus miſeriæ, cum apud ignotos fueris: eſt autem ea pars (vt dixi) in homine, quam præter mortem, homines libentius fugiunt. an verò te velis potius Philotam eſſe, cum ab Alexandro diſcruciaretur, quamvis iuuenem decorum, robuſtum, ſummo genere natum, diuitem; quàm ſeruum, ægrum, etiam in piſtrino laborantem? Hercle eſt etiam humana conditio, vt veſtium: ingens enim macula eo magis deturpat, quo veſtis ipſa fuerit precioſior: minus autem, quo fuerit obſoletior, atque pluribus fœdata vitiis. Verum & illud obſeruandum eſt diligenter, neminem poſſe perpetuo tempore eſſe infœlicem: nam & ſomnus, moleſtiam omnem adimit, iucundúſque miſero, non minùs quàm fœlici: ſunt & ſenſuum delectationes, ex æquo omnibus, fermè communes, guſtus, venus, oculorum ſpectacula, auditui ſymphonia, naribus iucundus odor: vt non poſſint omnia ex æquo prorſus grata cuiquam ſimul interire. quamobrem cunctos decet illud cogitare, quòd ſi mortales omnes dormirent, nullus tunc, alio eſſet fœlicior. at nunc, non ſolum dormituri, ſed etiam morituri ſumus: & cum diu viuere non poſſimus, neſcis tamen quàm parum abſis à morte. Quamobrem omnia conſtanti animo aduerſa ferre, non ſolum Sapientis eſt, ſed etiam Vtile conſilium: cum nihil in hac vita, aduerſum nobis, verè dici poſſit. eaque cauſa Homerus, Aten Deam calamitatum, nudis pedibus eſſe fingit; nec aſperum ſolum calcare, ſed per mortalium capita, ſummo vertice leniter ambulare: ſignificans, Non niſi fractis viris, & conſilio perditis, deliriiſque ac luxui indulgentibus, calamitatem adeſſe poſſe: at fortes ac virtute præditos, nec inuadere, nec omnino aggredi tentat. nihil enim ſolidum, nihil aſperum, ea Dea tangere, aut premere poteſt. Quin igitur mentem tuam, donúmque diuinum, ad cœleſtia eleuas, vbi illa ſempiterna ac dulciſſima vita, tibi parata eſt? Homines enim in hoc mundo, vt fabæ ſunt. aliæ enim puſillæ, aliæ magnæ, aliæ florent, aliæ fructibus conſpicuæ, aliæ aridæ, aliæ luxuriantes, aliæ exiles,

fruticoſæ

fruticosæ aliæ: omnes tamen vnus autumnus, quàm breui in inanes stipulas redigit. neque inter illas, vllum amplius est discrimen, non solum quæ sit, sed quæ fuerit; omnes vnà intereunt, non amplius nascituræ: sic hominum omnis fastus, ambitio, diuitiæ, potentia, filij, amici, gloria, quàm breui consenescunt, intereúntque. nec quicquam refert, an Irus fueris, an vilis; Galba, an Artaxerxes, aut generosas etiam Hercules. sola virtus, ac probitas beatum hominem, sola scelerum conscientia, infœlicem efficere possunt. cum pessimum illud, quod vir bonus timere potest, optimum sit, quod improbus optare queat: scilicet animorum in morte interitus: verum vt oec huic sperandum, sic, neque illi timendum. misit enim Deus Pater in hunc mundum nos, tanquam filios, Regno præponendos, luctámque cum sensibus, cum mundo, cum diabolo, ex occulto spectat: qui fortiter aduersus hæc omnia pugnabit, sublatus è theatro, inter Principes numerabitur Regni illius: qui autem prorsus iners; omnibus succumbet, tanquam seruus in vinculis, cum è theatro exiorit, habebitur. Porrò theatrum hoc, exornatum ad spectaculum esse, par fuit. ipsum verò Patrem ex abdito spectare. qui enim tam stulti filij, coram eo luxuriosè, & pigrè, tum etiam seditiosè viuerent, si aliquem spectatorem suorum operum, nedum Patrem illum magnum, esse putarent? Cum itaque extremum agonem anima superauerit, tanquam amans amanti copulata, ea dulcedine ac securitate fruitur, quam nec scribere, nec cogitare possumus: cùm vix liceat amantium terrenorum ostendere voluptatem; inter quos tamen multa turbulenta, nihil tutum, nihil diuturnum: beatus est tamen hic amans, omniúmque aliorom obliuiscitur, cum amatæ coniungitur: at ibi, in principatu securus, perpetuúsque animus, cum amat, in eius conspectu semper est, qui omnia potest, atque in omnibus, vt verus pater, bono filio placere paratus est.

FINIS.



DIALO

DIALOGVS
HIERONYMI CARDANI, ET FACII CARDANI, IPSIVS PATRIS.



E i quam iniqua ſum conditione inter mortales! erepto per iniuriam profitendi munere tam vtili quam honeſto: ac ſimul edendi libros facultate: adeò vt compulſus ſim hac ætate qua alij interquieſcere ſolent Romam venire inter medicos hos, quorum maiores nec Galenus ipſe ſuſtinere potuit: nullis cum reditibus, à deſcendentibus meis deſtitutus, parum conſtanti valetudine ac fide domeſticorum atque amicorum, vt dicere poſſim cum cæco illo.

Quis errantem Oedipum
Paruus excipiet domus?

At ille multo minus miſer, qui multam prolem reliquit; & filios reges: & miſerias perferebat non per iniuriam illatas: nec cuiquam alteri, aut à caſo, verum quas ſibi intuliſſet acceptas. Quis ergo mortalium miſerior! aut quid agam! Facius: Quid eiulas ſtulte? H. Heu quoniam etiam à Demoniis agitor. Fac. Non ego Dæmon, ſed amicos, & amicorum optimus. Pater tuus olim, & nunc ſordido (vt ſcis) iam diu corporis velo exutus, Facius Cardanus. H. ó pater bene tibi ſit: Miſerere filij tui vnici, & illum adiuua ſi potes, aut conſilio vales, tempore enim opportuno aduenis. Fac: Non es adeò vt quereris miſer: ſed tu te potius miſerum facis. H. Omittam quæ dum ſolum me eſſe putarem (nam non magis quam olim, eo ſomnio te video) audiſſe reor id maximum, vt nec hic manere nec recedere poſſum: vel tuto vel honeſte aut commodè Fac: Opportune meminiſti eius ſomnij: nam ſi rectè animaduertis nunc tempus eſt quo ad lunæ cælum perueniſti. Legeras enim apud Beatum heri quam primum hæc de illo: Sicut & inter ſubſtantias prorſus ſeparatas vltimum gradum obtinuit lunaris intellectus: qui propter maximum à primo receſſum (licet per ſemet ipſum ſe cognoſcat) imperfectius tamen atque obtuſius ſe ipſum intelligit quam cæteri ſe aut alios. Noſter autem quoniam etiam plus recedit à Primo quam lunaris non intelligit ſe ipſum per ſe met: ſed per alia, dum illa cognoſcit; multo minus ergo & alios, ſiquidem nec per illos, nec per ſe met cum ſe ipſum intelligere ſic non valeat. Alios quidem non per ſe, cum materiarius ſeparatos à materia prorſus recipere non valeat. Solum ergo per analogiam quandam ſeu proportionem, ſeu ſimilitudinem interpreteris, illos intelligit: atque de his autem communia tantum: velut quod entia, ſubſtantiæ actus ve ſint: aut (vt dicunt) negatiuè: ſcilicet quod materia careant, nec ſenſu percipi poſſint. Ergo talia cognoſcit, velut exemplo deducto à ſenſibus ſeparandi illa atque imaginando: ſunt enim ſenſibus exactè cognita quæ adhærent maximè loco (velut animali corpus & actiones) at intellectibus diuinis quæ adhærent corpora neque magnitudine (nec forſan motu) cognita vnquam fuere: nec in poſterum vnquam cognoſcentur. Quanto minus ſubſtantia orbium intelligi poterit? Cum ergo nec per ſe, cum ſint ſeparati, nec per ſua corpora, quæ nec magnitudine, ſubſtantia minus, intellectui noſtro cognita eſſe poſſint: nec ipſius noſtri intellectus natura; qui ſe ipſum niſi per alia (nam vt lunaris) intelligere poteſt, relinquitur, vt ſolum per ſimilitudinem quandam, & per communia aut quibus careat neceſſe ſit, eos intelligat: lunaris autem per ſe, ſemetipſum. & quoniam vt primo iungitur ideò & alios, ſed minus quam ſe ipſum (quamvis quo primo propiores ſunt eo magis intelligenter ad nos ſe habeant) intelligit. Illud verò quod de illis intelligit, licet minus ſit comparatione eorum quæ intelliguntur, & obſcurius; & quod de ſe intelligit lunaris intellectus abſolutius, clarius & perfectius comparatione ſuî: ſimpliciter tamen maius eſt, nobilius, clarius, & perfectius quod lunaris intellectus, intelligit de aliis intellectibus, quam de ſemet ipſo. Velut conuiua in conuiuio plus comedit & melius, quam ſi omnia quæ domi habet ederet: non tamen totum poteſt edere quod in conuiuio eſt, totum autem quod domi habet comedere poteſt. Annon hæc omnia apud illum planè præter exemplum legiſti? H. Sanè. hic ergo dies pridie Nonas Aprilis anni MDLXXIV. pro primo tibi ac quaſi natali computandus eſt. Vides quomodo ex lunari orbe à ſingulis ad ſupremum aſcenderit. Gaude ergo quod interpretationem nactus ſis ſomnij: & quod tempus aduenit. H. De quo gaudere debeo? Fac: Quod intelligas quam ſpeciali dono Deus te remunerauerit. Nam ita ſit: Quid tam durum aut acerbum pati potuiſſe, aut in poſterum superuenire queat quod non ſolum ſponte ſed libenter non ſubeas, videns quantæ curæ illi fueris? cum & alia multa id etiam atteſtentur.

somnium illud quod tu fatale soles appellare licet tam dirum atque horrendum. Epistolarum in terram lapsus, quarum vna erecta commigrauit ad abaci pedes: alteri puluerium erat dum scriberetur subditum: cum nec naturaliter latere, vel etiam scribi posset. Tonitru illud tam longum domui imminens. Et in fine tertiæ diei qua detentus fuisti strepitus ingens in ostio primum carceris, & statim in fenestra quam sol tum illustrabat: Mox clatratæ ferreæ stridulus sonus quasi concussæ: Quibus duobus ostentis vltimis interfuit Rodolfus Syluestrius medicus. H. vera sunt hæc omnia: sed quid boni: Imò hæc ipsa me solicitum habent: & vt apud Poëtam:

---- -Non me tua feruida terrent
Dicta ferox: Dij me terrent & Iuppiter hostis.

Hoc enim est tertium quod me magis angit quam amissum profitendi munus & edendi libros potestas, quod die qua detentus sum (quod nunquam alias) bis diuersis horis vno & eodem loco incidi in duas vaccas ad macellum de more, tot funibus, canibus, tantisque clamoribus agebant (vt quamvis nescius sortis meæ simul admirarer & timerem, & secundæ etiam ictus quibus concidit vel nolens audiui. Aliud fuit quod vltimo recitaui. His duobus ostentis adeò perturbatus sum vt semper timuerim ne his detinerer, & prima vice, vt nunc, quasi in macello exitium expectans vinctus iacerem: alia apertè pœnas darem. Vnde timidior factus, non conscientia rei quæ nulla est, non potentia vlla humana, quamvis non ignorem supremam esse: non acerbitate inimicorum quamquam maxima, sed hoc ipso tantum detineor, vt me nullatenus explicare valeam. Idque doleo quod quæ mihi diuum metu contingunt, illi meæ ignauiæ aut suis vexationibus tribuant. Ergo vt ad rem redeam. Illud me male habet quod nunquam causam illorum prodigiorum verisimilem inuenire potuerim, nec alium audiui qui me eam doceret, consulto enim pluribus enarrabam, vt si modum quisquam excogitare posset tam anxia cura liberarer. Quamvis haud lateret hanc enarrationem mihi esse dedecori, vt qui vel iactantiæ causa ipsa confingerem: aut quod leuis & insulsus vel superstitiosus haberer: at magnitudo periculi: & metus maiorum impendentium, nec non multitudo malorum quibus premor effecit vt omnia posthaberem saluti meorum meique, tum securitati propriæ? Itaque si quid habes Pater, in hoc tam magno dolore explica, nam seruaueris filium: Cæteris enim Deo dante tum & si multis ac magnis ego occurram. Sed vt facilius id agere possis scito non me latere eiusmodi ostenta bifariam nobis contingere: alia quidem vt præsagia futurorum: alia vt imminentium nos admonentia, doceant effugiendi viam: sub quo fiet vt huiusque expertus sum potius puto interpretanda. Nam nisi ob hoc occulatior redditus essem partim ob meam imperitiam partim aliorum temeraria aut maligna consilia, funditus forem euersus Fac. Dicam libenter: sed duorum te admonitum velim: primum quod non est magnum ij existimant esse, qui nihil aliud maius fore putant, hi enim hæc postmodum quæ non esse putant inanes nugas esse credunt. at cum tu scias hæc ipsa vera esse, & ideo maxima, omnia illa somnia & vmbras esse scis. Quod etiam præterita recolenti, luce ipsa clarius fit manifestum. Ergo quid discruciaris, tanquam si doleas videas puerum habere sacculum ossium cerasorum aut lapidum quibus ludere solent: tu autem illis careas? Quid enim in hac vita habere potes stabile aut magnum vel diuturnum, etiam simpliciter, quantò minus si compares alteri? Ergo illorum cœtui infelici te insinuabis, vt erres, vt frustra doleas, vt habeas tantis laboribus & curis quæ inania sunt, & nulli vsui ad felicitatem? Quid est hic mundum, quid tutum? Quid diuturnum? Quid quod tempus non atterat? Quid quod quanto plus processeris eo melius fiat? opes per se crescunt, sed in senectute aliis voluptatem afferunt, tibi qui illis frui nequeas tristitiam. Quid ergo primum est in quo merito discrutioris? Alterum est vt antea totam historiam simul explicem: & finem ostendam vniuscuiusque, & rationem dignoscendorum animorum: sine quibus nec de modo procedendi, nec interpretatione futurorum, dicere quicquam saltem rectè atque perfectè: nec esse concordes possumus: sine quo omne auxilium irritum fiet.

Incipiamus ergo ab opibus: quot sine culpa olim, & nunc, ex bellis vniuersis spoliantur? Nostra ætate in Pannomia tot vrbibus, & Cypro? audi illum Melibœum apud Virgiliū.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas
Impius hæc (tam culta noualia) miles habebit
Barbarus? has segetes? En quo discordia ciues.
Perduxit miseros.

Tu verò culpa aliqua nihil amisisti, illa omnia nulla. H. non queror ablatas, sed nō esse ad sumptum, & ereptam reparandi facultatem. Fac: Si filij boni erunt, satis erit: si inepti, nec multo plures quam tu per tempus id comparare potuisses sufficerent. H. Omitto hanc curam, sed honor me angit, & quod libros edere prohibear. Quid enim videam tot me ipso inferiores in suggestis? Fac: An scis te moriturum? An speras te mortuo defuturos vel rudes, vel doctos viros qui profiteantur. H. Minimè. Fac: Cur ergo aut non malis pro lucro quod aura hac fueris, computare, Nam ea ad vnguem ætate detentus es quæ est vltima sapientum. Dicebat enim Solon vitam hominis esse septuaginta annorum, eo enim anno Socrates & Thales obierunt, solus Hippocrates dicitur superasse vel vt diutius miser viueret aut ad consolationem tot ærumnarum quas in senio passus est, nam & ipse priuatus omnibus bonis, & præterea in exilium actus & sententia capite damnatus obiit vt dicunt valdè senex. Cæteri omnes antea periere, Aristoteles, Galenus, Hasen, seu Auicenna, Pherecides, Pythagoras, Virgilius, Horatius.

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus.

At tibi tu ipse non maiorem numerum

annorum

annorum præſcripſeras ex aſtris. Manus delineatio non pollicebatur: non Phyſiognomonia, non modus viuendi. Quod ad iniuriam attinet, ſi caſu accidiſſet non doleres, quia à Deo factum exiſtimares: nunc cum ab hominibus doles, quaſi non tam illis Deus imperare poſſit quam morbi cauſæ quæ te aut ſuſtulit aut inutilem reddidit: Dicebant Cyrenaici voluptatem & dolorem eſſe tam in anima quam in corpore (quod & verum eſt, ſed voluptatem in corpore maiorem eſſe, triſtitiam in animo. Quoniam animus ſolitus ſit in infinitum procedere & ſua extendere. Et quæcunque obtulerit timor ſeu præteritorum memoria illis ſuperanddens & cauſaus & modum in immenſum triſtitiam auget. ſuæ ipſius vitæ breuitatem deflet, aliorum non ſolum vitam ſed facta atque decreta immortalia fingit. Proponit iniurias, maledicta, ſuſpitiones, obliuiſcitur gratiæ, beneficiorum, indiciorum amoris, ex muſca facit (vt aiunt) elephantem. Itaque hoc non eſt niſi proprium malum. Magna res, ſi amiſiſſes morte vel morbo hæc omnia non dolores: neque tamen velles te mortuum potius quam in hoc ſtatu eſſe. Dicis (nequid deſit) illa fuiſſet communis conditio? Quare ergo non illam præponis? quare conquereris quod viuas? At ergo voluiſſes viuere, & non pati, nec velles qui mortui ſunt, iuſtè poſſe conqueri, tu vis poſſe magis iniuſtè cum viuas?

Reuoca ergo te ad Palingeneſiam: & dic. ſuperſunt iam tres anni cum dimidio ab eo quod ſperabam à communi vitæ termino. Quod præteriit eſt in tuto, quod expectatur, in deſpeatione non eſt nec eſſe poteſt. Superſunt tres deſcendentes, multi amici atque potentes, nomen magnum, ſcientia multarum rerum; libri cxxxj. editi: cxj edendi: tot arcana: Patrimonium plus quadruplo quam cum natus es maios. Quod ſtulti ponunt inter calamitoſa, ſcilicet ætatem tranſactam lxxij. annorum, ego numero inter principalia dona, nam ſi paſſus es aduerſa, iam euaſiſti: ſi bona iam poſſediſti in tuto ſunt habuiſſe, ac memoria iucunda. Sed quod ſummum eſt, & in quo confidere debes manet: Adraſtia, immotus ordo, oculus cuncta comprehendens: Facilius eadent regna quam vt Sapientia decipi poſſit, Amor non optima velit: deſit ve modus iuſtis præcibus ſatisfaciendi. Superſunt tria (nam vltio ad Deum pertinet: nimis eſt illis quod ipſe norit) Patrimonij incrementum, profitendi munus, librorum editio. At de patrimonio plus refert vt filij lucrari diſcant quam quod tu lucreris: ipſi conſeruare velint, quam quod tu augeas. Profitendi munus vt ad gloriam pertinet pars eſt edendorum librorum: vt ad luctum exercitationis: ergo minus cum ſit vtroque extremò ſi duo peragere vales eo non indiges: ſi vnum tantum vicariã vicem multa alia gerent: & ambo illa impediet quæ eſſent meliora. De librorum gloria dicemus illud Zenonis: Tunc ſecundis ventis nauigaui cum naufragium feci. Perituri omnes erant ſi pars non deuota fuiſſet, adeo imperfectè confuſi quidam etiam vix inchoati pleni mendis & erroribus. Quid de filiis? an non negligentia & licentia perdidiſti illos? nunc in tuto non ſunt? antea certum imminebat exitium. ſimile de vita adhuc cuperes, ſi ea non accidiſſent, melius quicquam tibi eſſe non poterat. H. Curæ conficiunt homines: fieri poteſt vt repente eadam ob illas ſuſceptas. Fac: Quid habes deterius à detentione vſque nunc? nunquam ægrotaſti: vides abſque perſpiciliis: non ventriculi aut cranij imbecillitate, vel vrigine meiendi, ant vigilia laboras, non in ventre tumor durities-ve. H. vereor ne comperendinatio hæc ſit merces abſtinentiæ: non in vitam penſio perpetua? Fac: tres fuere reges maximè curis oppreſſi, Maſſiniſſa ſpoliatus regno: Mithridates ſæpius pulſus: qui in prima iuuenta ante vidit pericula regum, quam expertus eſſet regnum: Deiotarus antea jin ſuſpitione, poſt regno mutilatus, demum rex ſeruilis: Maſſiniſſa propè centeſimum vixit: Mithridates nec veneno viam ad mortem aperire potuit: Deiotari annos non facile numerare licuit. Nec minora in fœminis exempla: Terentia repudium Ciceronis, mortem filiæ vnicæ, proſcriptionem filij vidit. Ea tamen ſecundum ſeculum ingreſſa eſt. Pomponia Græcina cum in luctu quadraginta annis perſeueraſſet à morte Iuliæ Druſi filiæ; vt nil niſi lugubre ſeu in veſtitu ſeu ſermone placeret, grauiter etiam accuſata ad decrepitam tamen peruenit ætatem. In cauſa eſſe reor quòd qui mærore ſe non conficit plus vtilitatis conſequitur ex contemptu voluptatum quæ non ſunt honeſtæ quam iacturæ ex triſtitia: maximè cum in omnibus aut timor propriæ mortis auertat hominem ſani conſilij à quovis mærore: aut contemptus leuare poſſit: & ſecuritas de aliena pro vindictæ vade accipi poſſit.

Ergo his intellectis ad interpretationem venio. Prior planè peſſimus eſt, ſed fortuitus videri potuit. acceſſeras enim vt ſigillum mutares: apotheca in via erat: quid homini cum vacca? ſi taurus fuiſſet magis conueniebat. Nil commune, totum fortuitum & cum ratione ac frequens. Nec verearis quod tibi taurus ſit in horoſcopo. Neque enim prima detenſio vt ſecunda ſuccederet, vaccæ tribui poteſt: non vincula, non iniuria, non tormenta, non mors intentata. Si modo mortem ſignificare potuit? non niſi vitiorum: vt tanquam illis vinctus cogereris in futurum exuere illa. ſed verius hoc ad fabulas, & veterum ſupplicationes, eſt referendum. Aliud plus habet ponderis: oſtij ictus Iudicium Bononiæ peragendum: feneſtræ autem Romæ, quod præter conſuetudinem agitatum eſt, ſtridulus clatratæ ſonus non liberandum prorſus docuit: verum diſceſſurum ex ea vrbe deſerturumque nouam quam tibi elegeras patriam, glorioſam quæ futuram peregrinationem indicat. De ſecunda detenſione periculum nullum, nam prodigium hoc non ab initio ſed à liberatione, aut paulo ante conueniebat. Exitus etiam pro feneſtra clatrata auium fugæ reſpondet. Ergo de operibus prodibunt, & caſtigata & multo meliora quam ſi hæc non accidiſſent; alioquin ruitura. H. Igitur non quod nocuerint ſed quod nocere voluerint, odio habendi ſunt.

Fac: Sed his adeò prauis quæ felicitas contingere potest? cum nec viuere quiete, nec quicquam à morte melius sperare possint. Tibi vero multa voluptatis argumenta supersunt. At quo angeris est falsum suppositum quòd homines aliqui boni fuerint: falleris, omnes eodem modo, Aristides Socrates, Plato, Nasica, Cato minor: sed stimulo quodam (inter multa quæ mente obuersabantur, iræ, inuidiæ, ambitionis, auaritiæ, incendia ardentes) virtutis pungebantur: cæteri stultitia & imperitia boni: verè boni & iusti à sola diuina gratia, qui longe plus cæteris illi debent quam vt quicquam ipsis debeatur. At tibi cum iam omnia penè quæ ad apicem pertinent fundamenta ieceris, cura adhibenda est in comparatione pecuniæ, altera in educatione descendentium. Ex quibus tertia sponte orietur. Summam verò lætitiam occasiones multæ debunt: H. Gratias tibi ago Pater, qui me aduersus grauissimas molestias, tamen multa auxilia deprompta docuisti, memoriam mortis propriæ, Palingenesis simulachrum: Transitionem ad contrarium prorsus: seu spoliationem. & corporis cruciatum. Fac: Ergo viue & vale. H. Tam cito abis. Fac: Reuertar ad ad te aliquando. H. Id mihi iucundissimum erit. Sed vbi filius meus? Fac: Hic præsens est. Bene est, & tu vale.

FINIS.



ANTIGO



ANTIGORGIAS DIALOGVS: SEV DE RECTA VIVENDI RATIONE.

INTERLOCVTORES SOCRATES, CHÆREPHON, Gorgias, Polus, Callicles.

NVNQVAM ô Gorgia mihi contigit quam heri, molestiorem diem experiri, neque hominem adeo petulantem. Gor. Dicit de Sophronisci filio; nihil mirum, nam humili loco nati, & nulli arti addicti, huiusmodi machinas commentantur, iisque adeò inhærent, vt facilius clauam è manu (vt dici solet) Herculis eripias, quam vel vnguem latum illos à proposito amoueas. Cal. Sed sit ita sane, quando nullam aliam habent viuendi viam. At quid cogebat eum tam petulanter agere, cum modestiam aliis tantopere commendet? Gor: Quid vanius? nos iubet breuissime respondere atque secum agere, ipse longas contexuit Iliadas. Et qui perpeti iniuriam quam inferre melius ducebat, & ostendere conabatur, nos omnes iniuria affecit, contumeliosisque verbis obiurgauit ac si vernæ sui essemus. Cal. Intempestiuum est, huiusmodi animalibus, vel & rabidis canibus semper occurrere. Sed ille (vt reor) ex composito ad nos venit. Gor. Existimo Cherephontem huius mali causam fuisse. nam neque nunc adest, sed cum illo in triuiis, & in foro vagatur, quasi testis hesternæ disputationis. Cal. At qualis disputatio? modo huc modo illuc vnumquemque circumagebat, semper cauillationibus ad contraria dictis reducere conatur. Po: Vere ais: at quales lodos de nobis fecit, ac de me quidem dolebam, sed de te Gorgia qui tantus natu, tam notus vbique tot artibus disciplinisque splendide instructus, vrbis tuæ legationa fungens & à populo Atheniensi adeò honorificè exceptus, vt etiam illius gratia auxilia ntæ vrbi decreuerint, filius lapidarij huc illucque conatus sit puerorum more verba contorquere. Gor. Non me latent omnia hæc, & quantum frustra conatus sit, ob idque respondere illi desij: sed hoc non me malè habet. Nam & alia non minus stulta egit, ob quæ, vt audio, iam grauis est, toti ciuitati. Et multi eum accusare decreuerunt. Cal. Hoc est puto quod de se quædam in fine locutus est, tanquam non solum accusationem, sed etiam damnationem præuidens. Gor. Quid agas? Huiusmodi cum sciant merito suo quanta inuidia laborent, diuini volunt videri, coniectantes quæ sibi breui incumbant, vt non solum sapientes, sed etiam fortes viri habeantur. Cupiuntque videri inuidia laborare, vt ex hoc magni viri existimentur. Sed non est inuidia hæc aliorum sed eorum stultitia. nam ego non minore in precio sum apud meos ciues, neque ob munus tam priuatum quam publicum minores quam Socrates contentiones suscepi, & maiora etiam experimenta de me dedi quam ille, nec tamen peculiarem quemquàm mihi inimicum comparaui: æmulos sanè quam plures, sed non idem est æmulos sibi atque hostes, & acerbos inimicos comparasse. Æmuli enim de virtute certant, de honoribus, magistratibus, opibus, & vt in litibus superiores euadant, cæterum alioquin amici plerunque sunt, sane, non inimici. Sed est nescio quid hoc Socratis: Cal. Prauitas. Gor. Non, sed potius nimia lactantia, cupiditasque inanis cuiusdam gloriæ, coniuncta cum ignorantia omnium bonarum artium. Cal. Vera dicis, sed quid opus esset, reor non fore malum, si illum ex composito aggrediamur, pudet enim præsertim propter te eum nobis os obliniſſe. Gor. Ad quid iugulare mortuum? permittamus ipsum cum suis discipulis abunde insanire, & in foro ac triuiis cum coriariis ac fabris disputare, nos nostram retineamus autoritatem aque existimationem. Ille enim vt piscator est, qui nunquam magis gaudet quam cum in rete magnus quispiam ac notus piscis inciderit. ipse per se aliquin mœret & ociosus est. Cal. Vera dicis, sed tamen pulchrum est obtundere insolentiam hominis. Gor. At æquiore ferrem animo si vir hic vel vera diceret vel vrbi vtilia vel concinne ista probaret. Modo quam vera dicere potest, cuius vita tota scarabæi consuetudini similis est: & egregij illi sui discipuli, quales euaserunt? Alcibiades Rempub: quam suus magister se constituere & meliorem efficere profitetur, iam penè funditus euertit: ipse exilio & capite damnatus. Plato inter pueros, Xenophon in peregrina militia aduersus patriæ decreta exul versatur: Qualis Euphratus, Calippus, Schœton, Timæus, Euragon Lampsacenus, Aristippus inter popinas & meretrices parasitatur Dionysio, Siciliæ tyranno. Ad quem etiam propediem iturum referunt Platonem constituendæ Reipublicæ nomine, re autem ipsa, vt exitus demonstrabit, pecunias habendi (sanguinem miserorum

ciuium) gratia. Atque hæc præcepta diuini Socr. hæc virtus. Cal. verissima hæc sunt, sed an ergo non aggredimur hominem ? Ergo sanè non verebor omnia hæc atque similia illi obiicere. Serpentem confodere pietatis est non sceleris. His omnes circumuenit, recti specie disciplinas contemnens, melioribus illudit, nouos profitetur Deos, iuuenes corrumpit, vultque omnes non solum imperitos sed & improbos videri. Gor. Non tam celeriter de hoc decernamus, ne nobis cōtingat qood olim Hectori naues Græcorum exurere molienti, qui naues non exussit, sed ab Aiace lapide percussus grauiter, coactus est retrocedere. Cal. At quid potest? Gor. Non id dicas, exercitatus est mirum in modum in hoc disputandi genere, vt qui totam in eo vitam consumpserit. Mirus artifex & captiosus, nihil aliud perinde nouit, gladiator vetus est. Sed si modo illum aggredi expedit, prius præmeditari totum negocium non secus ac orationem quam ad populum simus recitaturi expedit. Pol. At ô Gor. video partam victoriam, modo illum semper respoodentem faciamus, vt ille nos heri ipsi vt ille, eum interrogennis. Gor. Multum facit hoc, sed non satis est. Oportet enim tria, vt video, nos animaduertere. primum vt vera tueamur non solum quod cum tam arguto sophista difficile sit ei imponere, sed etiam vt probi videamur & simus. Secundum vt ex dubiis disiungamus, ne in latebras se condere possit. Demum vt rectà illum aggrediamur contrarium obseruantes eius quod ille facit, qui tricis ac termetis triis nos inuoluit. Hæc si obseruauerimus seu argumentetur seu respondeat obtinebimus, vt spero, victoriam. Pol. vera dicis sed quomodo illum conueniemus ? In foro turpe nobis erit, imò neque licet publicæ personæ in foro more adolescentum disputare. Domi eum nemo conuenire solet : Est enim vt audio non domus sed tuguriolum. nec ipse nescio qua causa hoc patitur, sed summo mane ne quis peruenire possit e domo exit. Præterea opifices facere iudices iam dudum assentari illi assueros non tutum est Nec tam decorum est apud hos homines vicisse quam illi contendisse. Magnum tuum nomen est, sed ille solum Athenis & apud imperitos etiam ac plebem tantum notus. Operiri illius aduentum longum esset. Aduocare vt heri in Calliclis domum hodie non possumus. Cal. At ego vos hac cura liberabo, hora septima pergit ad Apollodorum cui ego sum familiarissimus, Nausicydes Cholargeus, quē scitis quātum mihi amicus sit, hortum habet ibi contingentem Apollodori pratum. nos præoccupabimus ad Nausiscydem euntes atque ibi in horto confabulabimur in vmbra, Interim & illi in pratum venient Apollodori, ita absque suco fortuitus videbitur hic occursus. Gor. Placet consilium eamus. Pol. Vnum me torquet si quid bene dixit (quanquam pauca bene dixit scio) quid agendum est. Gor. Facile huic occurritur si rationes eas quibus id approbauit quod facile fiet euertemus, leues enim sunt omnes & neque Rhetore, multo minus Philosopho dignæ, alias autem subnectamus firmas. Sed iam ad ostium Nausicydis peruenimus : mone tu Callicles si videtur hominem de aduentu nostro : Cal. In domo non est, sed iubet vxor vt ingrediemur, in hortumque pro arbitrio pergamus. Gor, Pulcher hortus & spaciosum pratum media in vrbe. hic consideamus : Cal. Sed ecce Socratem, hui quam opportune descendit in pratum, & iam ad nos venit Nausicydes. vides quam recte nobis ex voluntate omnia succedunt, nam & Chærepho illum sequitur & cum Apollodoro Socrates ipse. Gor. Prudenter occasione vtendum est, vestrum vterque sileat. Qoid agis ô Socr. & tu Chærepho ? Soc. Huc de more ad Apollodorum venimus, non quidem scientes te adesse ; sed & hoc pro lucro ponere nec leui decet talibus viris occurrisse. Gor. At ego nil tam optassem quam te & Cherephontem videre : atque hos ipsos, quos quia tecum esse video, studiosos sapientiæ esse arbitror. Soc. Sic est, nam hic Apollidorus est mihi iam diu notus atque philosophiæ operam nauat : hic alter vero Nausicydes Cholargeus de quo heri si meministi mētionem feci & Ipse à philosophiæ studiis non abhorrens, quanquam philosophos etiam magis diligat quam philosophiam. Gor. Sanè memini & quam strenuè nos omnes peruiceris. Soc. Bona verba : certaui, disputaui, vt veritatem eruerem : De victoria iudicium audientibus relinquo, & maximè tibi, neque enim quisquam est qui melius quàm tu. Cherephon. Hoc ipsum nobis in Porticu narrabat & quam difficile fuerit certamen maximè cum Callicle. Gor. At non & tu aderas ? Cher. Certè & placuit admodum ea dispotatio : verum hæc Apollodoro & Nausicydi dicebat compluribusque aliis qui illuc conuenerant audientibus, omnesque probabant Socratis opinionem, excepto Naucisyde isto, qui dicebat cupere se interfuisse, vt diiudicaret. Gor. At tu quid sentis ? Cher. Plane cum Socrate : visa enim sunt mihi illa omnia aperte demonstrata. Cal. Sed tamen multo plures diuersa sentiunt. Socra. Nonne dixi opinionem esse multorum, veritatem paucorum. Sed pauci qui sapiant pluribus aberrantibus sunt præferendi. Haod enim dubium est quin ea quæ dixi vera sint. Et maxime illa de suppliciis apud inferos. Pol. Atque vtinam tam demonstrasses (Id quod & ego verum esse reor) quam visus potius es fabulam narrasse, vt Callicles iste vix risum continere posset. Vera enim si arbitrabaris, ô Socrates, in tam graui causa, cur non id potius ratione probabas, quam fabulam adeo absurdam nobis tanquam pueris (qui & si non simus philosophi, indigni tamen videmur vt tam apertè nos irrideres) enarrare ? Soc. Satis tum dictum est atque id apologi loco, soleo enim ego ista sic claudere. Verum non habeo quod certum sit, nec quenquam qui habuerit audiui in hoc negocio. Cal. At dicebas heri pro certo id te habere. non capio tuos hos sermones neque in his neque aliis quæ pro tua opinione adduxisti. Nam vt verum volebas credi & fabulam narrabas in re tam seria. videbaturque insanæ cuidam ancillæ Apollodori huius præsentis similis, quam & tu nosti, quæ filium

verberabat

verberabat & imperabat vt caoeiet. Certè nihil borum quæ dixisti ego credo exemplo tuo admonitus. tam inanes enim rationes adduxisti vt omnibus quemadmodum & de inferis non ex sententia dixisse existimen, sed tuo more delusisse nos, soles enim id crebro facere. Soc. Bona verba: Quid est in quo dubites ex bis quæ heri disputauimus? Cal. Imo potius dicas qoid est in quo non dubites? aut quod serio dictum putes? At non ego aliena nunc tueri volo sed ea quæ aduersum me nugabaris, puto contemnent me. Soc. At videris velle, qood dici solet, causam iam Iugulatam in dobium reuocare. nec sufficit te & Gorgiam & Polum in tot absurda deduxisse, cessisse causæ toti, vt velis denuo disputare. Cal. Equidem si serie acturus es mecum, disputabo, sed non vt heri contemnens nos atque irridens. Soc. In quo irrisi vos aut contempsi? Cal. Me saltem dico: Soc. neque te, qua re dic sodes. Cal. Ioterroges rursus quasi de re dubia, & rursum irrides dum quæris quomodo irriseris. Soc. Quid tandem? dicas vnum. Cal. vnum? omnia penè. Soc. Quæ? Cal. At etiam dicis quæ? tanquam nescias. Soc. Per canem nescio quid dicas, sed si habes tot, vnum saltem profer. Gor. Dicito quæ habes, comædum videris agere. Cal. Quid est in quo non nos neqoe præcipuè irriseris & turpiter etiam. Primum incredibilia & falsa narrans, nec vllam adducens demonstrationem. Melius esse infelicem quam felicem, horum quæ videntur tantom habita ratione: Melius pati iniuriam quam inferre. bonum esse sonum Lacerati apud populum à carnifice, ac melius quam in regia imperare. deinde oarrans fabulas de mortuis. Afferebas etiam noua præter propositum absurda, vt mihi prorsos delirare videreris: velut illud de æqualitate Geometrica. Vbi nunquam audiuisti tu tantus oqui æqualitatem Geometricam. Rationem Geometticam seu proportionem & Arithmeticam & Musicam scimus esse, æqualitatem Geometricam quæ sit tanqoam diuersum ab aliis æqualitatibus neque ego scio neque puto te scire. An non boc erat nobis imperitis Mathematicarum velle imponere? tum falsa propositione. Etsi etiam vera fuisset, quid illi cum probitate & felicitate ac volupiate commune? An deerunt rationes in tam trito negotio, nisi tu oos vt pueros deludens talibus præstigiis circumuenisses: Socr. Videris mihi iratus. Cal. At non sum iratus, sed neque ego animo pati possum irrideri. de his agant singuli pro suo more. Non mirum eum adeò intente suaderes vt mallemus iniuriam pati quam inferre. at hoc agebamus vt video tu verò noo ita: sed è diuerso malebas inferre quam pati. Quid habes ad bæc quæ dixi? Cur hæres. At tum illud age quod à nobis adeo sæpe postulasti, vt breuiter responderemus, aut tu longas texebas iliadas. Tu nunc contra facito, & breuiter responde, ego verè quantum libet argumentabor. Socrat. Vis ergo vt video nos rursus disputare de bac causa? Mos geratur: Sed quod de breuitate petis haud par est. Cal. Cur hoc? Socr. Quoniam disputatio difficilis est, & breuiter respondendo captiones multas efficere posses. Calic. At cur ergo heri tibi hæc licere volebas, nobis non ita: hodie tibi vis rursus licere quæ non nobis, & oobis non licere quæ tibi licebant heri? Socr. Alia ratio est, nam ego de Paradoxo disputabam, tu de re pertrita. At etiam soles ergo ita facere. Sed mittamus hæc, malo si lubet tecum congredi, ô Gorgia & tu Pole, quam cum ipso. Gor. Cur ita? Soc. Quia iratus est? Gor. At sic facilius illum rationibus superabis. Sed postquam id tantopere desideras mos tibi gerendus est, ea tamen lege quam & tu heri & Callicles hodie proposuistis. Soc. Omitte legem, simpliciter agemos. Gor. Sed de quibus? Soc. De iisdem si lubet de quibus heri. Gor. Placet conditio, sed lex rata sit: Soc. Minimè: Gor. Saltem vt quisque pro arbitrio loquatur? Soc. Assentior. Gor. Sed quomodo disputabimus? Soc. Ego te interrogabo, tu respondebis. Gor. Non: nam heri id egimus: Sed ego vicissim te ioterrogabo, tu autem respondebis. Soc. Non licet. Gor. Cur? Socr. Quoniam nimis difficile erit mibi tot interrogantibus respondere. Gor. Non, sed singuli Interrogabimus. Soc. At vni Callicli irato difficile erit respondere: Gor. Iam dixi nihil esse iram. Sed age nobiscum sic cum illo postmodum cum certandum erit secum conuenies. Soc. Contentus sum, ô Gorgia, ne subterfugere disputationem videar: sed fas vt dum tu & ego loquemur vt omnino illi sileant. Gor. Ita fiet: Soc. Sed caue ô bone ne mireris si molta quæ vobis heri negaui, hodie rursus disputando concessero. Gor. Qoi sic? Socr. Quia aliud est officium respondentis aliud redarguentis. Heri solum annitebar vt vos in contradictionem deducerem. Gor. Pulchrum sanè: Sed age vt libet, modo id obtineam, Rhetoricam esse artem, & quam nobilem atque vtilem. prestareque potentiam & opes paupertati contemptuique: nam hæc tot reor summa fuit totius disputationis. Soc. At ego tuebor contraria omnibus his, quæ etiam vera esse credo. Gor. Igitur vt à Rhetorica initium faciam: An putas, ô Socrates, artem aliquam esse pugnandi: Soc. Militarem dicis? Gor. Non, sed quam vocant monomachiam, velut apud Homerum sæpe, Achilles & Aiax cum Hectore, & rursus Hector cum Patroclo, & Diomedes cum Glauco. Soc. Satis, non plura, item teneo. Gor. Nunquid putas aliquam esse artem pugnandi, vt victor euadas? Soc. Quid armis cum Rhetorica? Gor. At heri noo nisi similitudinibus ac longius multo petitis agebas mecum, nunc non idem mihi licere vis? Soc. Multa licent Philosophis veritatis inquirendæ gratia quæ aliis non licent. Gor. An tu solus es Philosophus: & si sis: Philosophis solis curam esse veritatis putas? Socrates. Certe nisi alios nomines. Gor. Et Iudicibus sane & Mathematicis & artificibus. Socr. Sed id non profitentur? Gorg. Nil refert: sed hæ mibi videntur cauillationes ex hoc solum ortæ quòd nolis licere tecum exemplis agere. Socr. Quippini? Gorg. Quæro ergo ex te duobus pugnaturis inuicem an credas fortunam solam & vires profuturas? Soc. Sane vel hæc sola vel plurimum. Gorg. Industriam & agilitatem nihil? Socr. Agilitas pars est virium. Gorg. Sit sane, nunquid etiam industria non opus erit? Soc. Erit. Gor. Qua? an

an mimorum aut histrionum aut textorum? Soc. Nequaquam, Gor. Qua ergo? Soc. Militari. Gor. Quali? Soc. Quæ doceat ictus vitare & infligere, tum maxime violentos & lethales. Gor. Bene dicis: Sed hoc quod dicis quasi vulgare est, vellem aliquid magis proprium. Soc. Quale? Gor. Quomodo hoc ceret? Soc. Non fui pugil. Gor. Sed aliud est scire exercere, aliud disserere: Soc. Vera dicis: Quid tandem? Gor. Propius accedamus. Dixisti hoc munus esse gladiatoris inferre ictus ac deuitare: Et ictus quam vehementes atque lethales. Soc. Dixi: Gor. Vide quam propius sensim accedamus. Id fiet commode si arma armis dum ferit opposuerimus: locum. que vacuum ac maxime vitalem aggrediamur, vehementique conatu: vt etiam si in partem armis contectam inciderimus hominem prosternamus. Soc. Vera dicis: Sed modum docere oportet quo id facere possimus. Gor. Iam ergo obiiciemus hosti arma ensem & quæ corpus tegunt, illum è diuerso qua parte nudus est feriemus incautum & validis ictibus: Soc. Iam hercle confecisti hominem. Gor. Semper ludis: Sed nunquid talia nulla arte indigent? Soc. Nescio quæ ars dici possit quæ hominem occidere doceat. Gor. Subterfugis egregie Soc. Sed omittamus mirmillones & retiarios & hoplomachos omnes, de pugilibus & athletis habes ne quod obiicias? Soc. In qua causa? Gor. Ne non sit illorum certandi vlla ars: Soc. Est aliqua sed non adeo euidens vt si vellem negare tu possis me conuincere. Gor. vt sit fateris: non sum contentiosus, certiora sunt quæ à non inuitis conceduntur quam inuitis; non est certamen de victoria sed veritate. Itaque si aliqua est ars quæ hoc docere possit cur non & persuadendi? Soc. Peritia est non ars. Gor. Cur pugilaris & lucta ars est, persuadendi autem ars non est? An quia difficilius sit euadere athletam peritum in lucta quam perorantem facundum & rhetorem bonum? At mihi videtur secus esse: nam athletas multos video, paucissimos bonos rhetores, & post exercitationem multorum annorum. Soc. Circumuenis me ô Gorgia nec hesterna disputatio fuit de hoc. Gorg. De quo ergo? Soc. Tecum dico. Gor. Nil refert de quo agamus, seu de his de quibus ego seu Polus egit aut Callicles, modo finis sit vt vera & vtilia quæramus. Soc. Sed tamen decens est vnumquenque contineri finibus suis. Gor. Hoc ipsum negocium totum mihi circa duo versatur, primum vt intelligamus an aliqua sit ars persuadendi: an omnino nil referat quomodo dicas aliquid: aut etiam an sit quædam vt tu vis naturalis peritia, & cuique accommodata homini, negocio, tempori. Alterum, an persuadere homines vtile sit Reipublica tamen his qui persuadentur, & aliis etiam qui audiunt. Videris enim velle defensionem malorum, scelerum, iniustarum causarum malum esse. Soc. Et certè. Nam si quis Archelai vitam moresque defendat, si quis illum felicem dicat, nonne plane abutetur arte oratoria, etiamsi ars aliqua sit oratoria. Gor. Dubito sane mi Soc. de ista tua opinione, in qua duo admiranda mortalibus persuadere niteris, vnum qui omnibus affluunt bonis eos infelices appelles, qui contra in summis versantur calamitatibus atque miseriis eos dicas esse felices Alterum multo est hoc admirabilius, vt eos qui per vim atque tyrannidem iam potiti sint potestate regia infelices esse velis, & tamen tu tuos amicos ad iniustam potentiam horteris. Velut Alcibiadem discipulum tuum qui facunda oratione patriam suam tuamque euertit. Nescio quo consilio, quam prægnantium quæ fructus maturos iam & suaues odore, acerbos & noxios collaudant atque diligunt. Soc. Iniuriosus es ô Gorgia neque quicquam tale aduersum te ex me audisti, fungor ego vice magistri qui adolescentium animos ad egregia facta accendo, quod si hi in patriam aut aliquem peccent, non ego illis mali causa fui. Quænam sanè est ars qua quis non queat male vti & nocere hominibus? Gor. At ô beate Soc. quid est ergo quod mala & errores rhetoricæ imputes? Sed tu postquam de Archelao agis putas ne illum quamdio vixit ac valuit in potestate fuisse felicem? Sed dic serio, non paradoxa proferas. Soc. Minime, malus enim fuit. Gor. Minime malus bonus ne fuit? Soc. Ah vides ne ô Gorgia quòd quę mihi imputas tu ipse agis? Gor. Non sanè, sed si sic agatur quando disputatio finem habitura erit? Soc. Nunc age quiduis, paratus sum tibi ostendere infelicem fuisse Archelaum quoad vixit. Idque sic ostendo: omne malum est infelix, omne flagitium est malum, omne igitur flagitium calamitosum est. Gor. Nihil agis, non tot habet polypus pedes quot modis malum infœlixque dicitur. Sed tui muneris nunc est respondere non argumentari. Itaque dic cui talis visus est: Soc. Quid dicis? Gor. Dico si infœlix fuit cui visus est infœlix? An ipsi sibi, an populo, an aulicis, an Diis? Soc. Iuro tibi per canem quoniam non idem mihi videris qui hesterna die Gorgias, adeo callide argutaris. Sed age quæso, respondebo, neque tibi neque aulicis neque populo neque Diis: at forsan de hoc (dubito enim) sed sapientibus. Gor. Ha ha ha: pulchrum sanè responsum, postquam nostra felicitas, nec à nobis, nec ab aliis, nec à Diis etiam ipsis æstimanda est. An non magna felicitatis pars est seipsum existimare felicem, aut calamitatis, miserum? Quid dicis ad hoc ô Socr. Soc. Non veræ, sed hæ sunt stultæ cogitationes. Gor. Quid tandem erit ergo hoc nostrum viuere? Soc. Sane miserum est se miserum existimare? quoniam si vere: miser es, si falso: stultus: stultus autem miser. Gor. Habeo iam quod volo. Soc. Non, nam dempta opinione ipsa non est miser qui se frustra & falso miserum putat. Gor. At iam miser est. Soc. Fateor. Gor. Igitur propria opinio multum facit. Soc. At non ad veram miseriam. Gor. An stultus non verè miser est? Soc. Est. Gor. Igitur qui se miserum putat vere etiam miser. Soc. Sed non ob id quo se miserum putat, vt pote paupertiem, carcerem, sed quia fallitur. Gor. ô egregiam subtilitatem, est & non est. Sed satis habeo verè miserum esse quia se miserum esse putat. an hoc etiam negat? Soc. Non. Gor. Iam ergo totum habeo. Soc. Non. Gor. Quomodo? Soc. Audi: est ille sanè miser quia dolet & angitur: & verè miser, quia stultus: Est miser quia miserum se putat, quia ob id ipsum fallitur: Non tamen miser est verè, vt si

hoc

hoc quod sui esset arbitrij non existimaret, felix esse posset. Gor. Ecce maiorem adhuc subtilitatem. An verè miser est? Soc. Est. Gor. Est igitur verè miser & non est. Soc. Non arduum est mihi in huiusmodi exercitatione talia concedere atque fateri. Velut si dicam homo est fœlix ad canem comparatus & ad hominem infelicem, non est tamen simpliciter felix & infelix. Gor. At adde, verè felix & infelix. Soc. Et nulli comparatur. At addo etiam verè. Sed comparatio necessaria est, quia cum dico hominem hunc qui decipietur esse verè infelicem, aliud est vt dicam simpliciter & non est verè infœlix, aut quatenus decipitur, estque infelix. Multa autem talia in vita humana contingunt. Sed perge, nam & si totum concedam in hoc & verè ac simpliciter fatear huiusmodi hominem esse infelicem, attamen non ob id improbum qui se beatum esse putet, concludes felicem esse. Gor. Intelligo ô Socrates; sed falleris, dicere enim vis cum qui se infelicem existimat non verè esse infelicem, vt ille qui pœnas luit sceleris, quod possit resipiscere: prior enim nullo eget nisi seipso ad hoc vt infelix non amplius sit: at qui in rota torquetur etiam alio quæ seipso indiget vtpote carnifice vel iudice qui illum liberet, medico qui curet si curari possit, vt infelix non sit. Sed hoc non efficit vt infelix prior non vere sit; quanquam minus quam hic. Nam & in his quæ vere sunt alba, calida, sapientia, vnum altero albidius, calidius, sapientius est. Ita & in vere felicibus. Soc. Si prior ille admonitus fuerit non erit infelix. Sed fac vt infelix opinione sua fiat, non ob id felix felix opinione euadet. Neque enim Archelaus felix vllo modo esse potuit. Gor Putauit ne se felicem? Soc. Minime. Gor Cur? Soc. Quia nouerat se sceleratum. Gorg. Cur ergo scelera patrabat: soc. Impetu quodam animi ductus. Gor. At quare post primum ac secundum & tertium scelus non desiit aliquando scelestus esse si scelere se miseriorem opinione sua fieri animaduertebat. At caue Soc. ne vt in aliis noua quædam &, inaudita fingantur, dogma tuum tuearis. Soc. Perge, nam & si se suo iudicio & aulicorũ & populi quod negare nolim felicem existimauerit, plura tamen & potiora deerant vt esset felix. Gor. Quæ? Soc. Quod Deorum, quod sapientum iudicio, quod vere reipsa felix esset. Gor. Multa sane Socrates: Sed videris eorum more facere qui plures nominant testes, vix vnum adducunt in iudicium. Nam Deos ipsos si quis admittat, si animos immortales esse affirmes, non pugno, verum vt videris tu quidem, vt referunt vtraque sustulisti, saltem huic rationi minime insistis aut confidis. Soc. Vera dicis, possum enim vel sine illis mea ostendere & euidentius. Gor. Sed caue ne fallaris. Mihi certè hoc illud videtur argumentum efficax, & machina qua sceleratis, ne non beati dici possint, occurritur. Soc. Mihi sufficit timor & conscientia facti. Gor. Quid si illi timere nolint, nec tam tristentur sceleris conscientia quam lætentur potentia, opibus, voluptatibusque adeptis: nónne omnia ista tua somnia de metu & pœnitentia concidunt? & in fumum vertuntur redduntur que ridicula? Soc. Vix fieri potest vt in conscientia magni sceleris homo non timeat, pœniteat, contristetur? Gor. At ergo ô Socrates hæc nego: quandoquidem videam etiam morituros non timere, quo in casu etiam omnes fortes timere debe rent, adeo sceleratis flagitia animum occuparunt. nunc vix vt laruas quæ vix pueri timent reformident. Soc. Attamen multi post magna scelera semper torquentur: velut Orestes occisa matre, quanquam nec sine causa. Gor. Pulchrum inuentum ad Tragœdias conficiendas, vt & illud de Oedipo. Sed fac vt vera fuerint, dicam de his ingenue quod sentiam. Cur Hercules insaniit iustam ob vltionem Cẽtauri, nihil mali passus est occiso Laomedonte Troiæ rege, cum filiis vrbe direpta, virginibus raptis nulla causa at hoc vos virtuti tribuitis, quod ob suspicionem in portu cum suis comitibus moram ducere prohibuerit. Soc. At barbari illi erant. Gor Vide ne fallaris tu tuique studiosi, qui homines non homines esse existimetis, quod vel non eadem lingua nobiscum vtuntur, aut non eadem conditione viuunt, sed seruiant. & ob id iniuriam in huiusmodi viros iniuriam esse non putatis. Mihi homines omnes humanitatis officio digni esse videantur. Quod si discrimen aliquod facere oporteat, non à patria aut lingua aut opibus vel conditione facere oportere crediderim, sed à moribus & beneficio in humanum genus ac sapientia. his enim tribus meter dignos ab indignis, si modo æquum esset distinguere, disiongerem. At tu cum ciues ab inquilinis, Græcos à barbaris, liberos à seruis distinguas, videris beneficia fortunæ sequi non sapientis, qualis videri vis, & iudicium vulgi, amplexari, miseriam miseris addendo, beneficia non indigentibus potius quam indigentibus præstando: nec Deorum more æquas saltem portiones omnibus distribuendo. Ignosces autem si quid in re acrius dictum videatur veritatis studioso. Soc. Non indignor, sed tamen & barbari & serui nequiores ingenuis Græcis videntur & ob id posthabendi. Gor. Pulchra excusatio: Sed pergamus ad Archelaum rursus, quamuis simus Athenis hunc dicis non fuisse beatum sapientum iudicio. Sed primum scire velim quid intelligas per sapientes. nam Periclem referunt fuisse sapientem, qui & ipse tyrannidem occupauit: Et vt non soluere pecunias quas ex Mineruæ ædis constructione populo debebat vniuersam Græciam exitiali bello Implicuit. hunc ne tu multo deteriorem Archelao dixeris? qui & si proximos occiderit, duos tamen vel tres & ipsos tyrannos & tyrannorum sanguine genitos. non ergo horum sapientum iudicio dixeris Archelaum infelicem. Sed neque eorum qui paucis ante annis nomine sapientiæ clari habiti sunt: cum ex his Periander tyrannus fuerit Corinthiorum. & sæuus satis, qui etiam occidit vxorem: nonne ergo felicem horum sapientum iudicio dixeris? Soc. Sane. Sed hi quanquam nomen habuerint, non fuere sapientes. Gor. Sed quinam ergo? temetipsum forsan eo nomine dignum solum iudicas? Sed & si sis, pauci tamen erunt huiusmodi sapientes. Soc. Pauci, sed horum iudicio standum est non populari, aut fallendo semetipsos, arbitrari quod non est. Gor. Sed quorum iudicio credam vt hi vel illi

illi pauci quos tu dicis aut arbitraris esse sapientes vere sint sapientes. Soc. Quæstionem Sorticam facis ex te manifestissima. Si sunt sapientes qui vera solum cognoscunt bona, omissis fucatis. Gor. Manifestissimum esse dicis quod apud me dubium maximè est, apud alios autem falsum. Quis enim nouit quæ sint hæc vera bona? tu dicis esse in tota bonum virum esse bonum, nemo tibi assentietur credo. at Archelaus, Periander Pisistratus, Pericles, Phalaris, & qui vrbes concientes exagitant, dicent bona vera esse opes, gloriam, potentiam, sanitatem, filios, diuturnitatem vitæ, voluptatem, regum àmicitias, lucra qualiacunque, amicos, factionem, honores. virtutem autem & probitatem etiam integras & non vexatas fucata appellabunt. Omnesque vt video dicto audientes habebunt. habemus ergo rursus dubium quod pro constanti assumptum fuerat. At quod aliqui flagitiis torquean tur (hoc est quod dicere omiseram) ratio est, quoniam non ingenio atque prudentia valent ac fortitudine, sed solum immensa cupiditate agitantur. ideo ingressi vadum ex eo explicare neque possunt neque rem perficere, miserique metu & difficultatibus discruciantur, in quibus præter remerariam voluntatem nihil fuit ad consequendum grandem fortunam paratu. Quibusdam verò etiam aliquid plus fuit ingenij vel solertiæ, verum patrato facinore cum ex ira & cupiditate adesset solum audacia defore senibus illis ad fœmineum timorem & persuasiones quorundam cantati animo pœnitentiamque facti deuoluti sunt. Soc. Sed caue, aliud enim est quod in causa est scilicet breuitas ætatis, vt qualisque conditio (cum diffluat) in tam inconstanti animo perturbationem maximam efficit. vt beatiorem dicat esse probum non omnino egentem quam hos diros tyrannos. Gor. Nunc vera dicis & consentanea sensibus & rationi, ac omnibus qui sapientes verè sunt, id est, quietis animis. neque enim dubium est hos feliciores multo esse illis. at heri cum narrares eculeos, tormenta, miserrimam seruitutem, vellesque in illis hominem deliciari velut si picta essent (nec sanè scio an etiam liceret) videbatis (vera tibi dico) insanire: nūc autem gaudeo te rediisse Diis volentibus ad sanum iudicium. Soc. Multa dicenda essent ô Gorgia, nam res humanæ, & viuendi rationes & quæ de Diis feruntur, similia sunt preciis pharmacopolarum è quibus tertia pars adimi in solutione consueuit. quod si pharmacopla solum petat quantum debetur res sua sanè perierit. Si quis quæ de Deo sentit, de rebus humanis de virtute, de ordine huius mundi, solum vera proferat, adempta tertia parte illa nihil proficiet. quamobrem cogimur ô Gorgia aliquid plus veris addere. Gor. Rectè sanè si ita ageres, sed videris contra adimere. Quæ de Deo, quæ de Animorum immortalitate, de cura rerum humanarum. Soc. O Gorgia, ô Gorgia, oportet tum qui persuadere debet consuetudinem hominum sequi potius quam veritatem. Si enim de Deo, de animorum immortalitate verba faciam, cum persuasi sint longe aliter, dicent homines, male hæc causa tueri potest quæ non nisi fabulis defenditur. Ob hæc oportuit ad virtutem, ad honestum, ad subtiles quasdam argutiunculas descendere, illisque tantum addere ex fictis rationibus quantum quorundam peruicacia ex veris ausissimus. Gor. Sed nunqoid aliquam babes ô Socrates, omissis diuinis, efficacem persuadendi rationem quod præstet homines esse bonos? Soc. Non sane meliorem quàm hucusque audiueris? dixissem enim. Gor. Mihi videtur esse quippiam, sed dicere non audeo. Soc. Dic quæso. Gor. Non puto satisfacturam tibi. Soc. Imò dic vt profis omnibus. Omne enim meum studium est quo possim homines efficere bonos. Et si mea iam mihi satisfaciebat oratio, cur tua non satisfaciet, quam meliorem esse credo? Forsan illam addere posses de ordine vniuersi, quam ego olim magni faciebam, velùt de Crasso qui luit pœnas proditionis abaui sui, ni fallor. Sed vt video eandem habet hæc ratio difficultatem ad persuadendum, vt quæ ex vmbratilibus constet, & eo deterior est quod quotidie experiamur falsam esse. Gorg. Vera ais, neque huiusmodi vnquam defensionem probaui. Soc. Quid ergo dic sodes, aueo enim audire, quod nūquam cogitare potui. Gor. Nonne putas seu Deum, seu Deos, seu naturam ipsam hominibus atque cæteris animalibus ita consuluisse vt non vnius illorum sed totius generis vtilitatis potius, tum verò si non omnibus maiori tamen ac meliori parti prospexerit? Soc. Existimo equidem: Sed qoid hoc? vt dici solet, ad rhombum? nam & Deos sic adducis in medium, & quod non qoisque sibi bonum esse putet proponis, sed commune quoddam omnibus bonum: viderisque longius exordium petendo velle nos circumuenire. Gor. Nequaquam: neque enim his tanquam necessariis vti volo, sed ad declarationem rei ipsius duntaxat. Equidem hoc solum postulo mihi concedi, quod etiam Pericles & Pisistratus & Archelaus si viuant sint concessuri, scilicet aliud bonum publicum aliud priuatum Archelai vel etiam Phalaridis. Soc. Id negari non potest. Eos verò qui bono publico student dici viuere secundum virtutem, qui proprie sceleratos ac flagitiosos aut incontinentes vel iracundos aut sæuos aut iniotios. nam iudicem qui sontes puniat crudelem non dicimus, quando id non sui sed publici commodi causa faciat. Soc. Annuo: Sed quid hoc tandem ad felicitatem infelicitatemque singulorum. Gor. Satis, memor eorum esto quę diximus. Nam eo Dij constituerant metam virtutis, quæ ad vera bona & publicum commodum terminatur. Et si quis limitibus se contineat modo felix dicatur aut infelix non contendo, secundum virtutem viuere dicetur. Soc. Vera dicis, sed hoc nō est de quo disputamus. Gor. Satis ô Socrates. Si quis hoc leuiter transgrediatur modo felix dicatur aut infelix rursum non contendo, sed flagitiosus aut improbus aut malus appellabitur. Soc. Quippini? Gor. Natura nostra in bonorū acquisitione ne vllum quidem in voluntate terminum præfinit? An si diues sit quispiam postquam non sibi limites constituit bonum ac iustum & honestum, alios proponet? Soc. Certe non voluntate saltem. Gor. Quis est hominum qui vbi honesti metas egressus est nolit opes vniuersi, mulieres ad libidinem, vlcisci quoscūque participes iniuriarum quas accepit, quos oderit,

nec

nec vllũm finem facturus ſit poſtquam neque quod honeſtum eſt.neque quod ſatis eſt finem ſibi facit.Soc.Vera ſunt hæc.Sed finem tamen ſibi proponunt; Phalaris Argentinorum, Pericles Athenienſium, Archelaus Macedonum tyrannidem. Gor. Voluntate. Soc. Non.Gor. mitabar. Nam & Pericles tot incommodis propriis potentiam Athenienſium amplificare conatus eſt. Et Phalaris Argentinorum: Quis iure exiſtimet quorum corpora aduerſus tot incommoda non conquieſcunt animos quieturos? Soc. Sed tamen qoieſcunt nec Archelaus bellum gerit, nec Piſiſtratus,nec Periandet nunc adepta tyrannide. Gor. Ita ſit, neſcio enim. Sed ſi modo quieuerunt, non hoc ſibi contigit vel quod metam res ipſa haberet,aut emimus effugere cupiditates præterquam honeſti & æqui poſſet. Sed vel timore, vel quod aliis voluntatibus diſtraherentur magis, aut ſegnitia quod iam delaſſati eſſent, acquirendis quæ prius acquiſieruntur. Soc. Tamen quieuerunt.Gor.Sed non quieuit animus quin plura optarent atque deſiderarent. Soc.Fateor. Gor. Si hoc ergo ita ſe habet:vbi homo laxauerit iuſti æquique, aut veri boni habenas,incipitque optare opes,mulieres,vltionem,voloptatum vſum,iam ſtatim ſe committit vaſto calamitatũ pelago. Nam aut obtinet,aut non obtinet.ſi quidem non obtinet, perpetuo Tãtalea fame ſitique premitur, qua nihil miſerius,etiam inter inferos, & pro impiorum ſupplicio excogitare, maiores noſtri potuerunt. Sin autem expleuerint longè maius,& triplex incommodum,& calamitas maxima imminet. Primum quidem explendo,vt in libidine,& crapula, vt ſimul cum voloptate interea,aut in morbos incidas grauiſſimos, & inſanabiles.Secundo ne dum vlciſceris iniurias, acrius ab aliis opprimaris.quod quot euenerit tyrannis exemplum tu ipſe noſti. Et ſi non id accidat nemo tamen hoc metu liberare poteſt. Idem periculũ in crapula, ab inſidiis, & veneno;idẽ in ſtupro, ab iniuria; idem in crudelitate,à populo, à cuſtodibus ipſis, à domeſticis tuis,à coniunctis,& amicis eorum in quos ſæuis. Iam demum omnibus in his proſpera fortuna vtaris cum pro flagitij fine maior voluntas te vrat,ſi rapuiſti, vt maiora rapias,ſi vltus es, vt de pluribus etiam ſumas vltionem,ſi ſæuieris,vt magis in alios ſæuias, ſi virgines ſecunda fortuna conſtupraſti ciuium, modo vt alias, tum quæ tuo non ſint ſubditæ imperio, poſſideas,nuptas, pueros.Si iniuria te delectet, quin alios plures maiore ludibrio habeas. In tanta cupiditate improbarum rerum quomodo fœlix eſſe potes, cum quanto magis impleris eo magis cupias atque indigeas, in tam fragili conditione periculum, & iactura maxima ſemper abeſſe poterunt? Addę breuitatem humanæ vitæ,annos meliores præteritos,auctum deſiderium, vires imminutas,tot caſus inexpectatos,tam inſtabilem fortunæ conditionem,tot aliorum principium inſidias,verſari inter tot tuorum odia, quomodo fieri poteſt,vt qui iam opinione ſua miſerrimus fuit, facto etiam & euentu talis non fiat? Dicis de Archelao quem felicem fuiſſe putant, tu negabas,ſed rationem minimè efficacem docebas, huius ſuæ infelicitatis quot credis miſeriis animi illum circumuentum à ſciebat eripi ſibi quod aliis iniuſtè eripuerat,regnum à quocunque poſſe, neminem id non cupere iam, & ſi pauci poſſent. Norat non ſibi cuiquam fidendum, nullum ſibi eſſe amicum,vicinos reges odio habebat,& timebat inſidias, vim, bella perpetuo ſibi inferri meditabatur. Soc. Quid omnia in præteritum refers, de præſentibus loquaris, nam& adhuc viuit.Gor.Sit ita,ego neſciebam.Sed ſi modo, & nuper viuebat,cum abſens ſit,mortuus eſſe interim poteſt. Talibus viris mors momentanea inſtare cõſueuit.Sed vt vis,diſcamus frui tyrannide, verum cum maxima infelicitate. Soc. Perſuaderes ſanè:Sed cum videam reges Perſarum qui fratres, & proximos occidunt felices eſſe, ea felicitate de qua nunc ſermo habetur, nam de vera ſumus concordes, non habeo quod dicam. Gor.Falleris in hoc valde ô Soc. Neque enim rem hanc intelligis. Qui proximos occidunt,quos tu ſceleſtos appellas, modo ſecuritatis gratia id agant,non ſunt iniuſti : nam regnum diuidi non vult,nec etiam inſidiis ſubiacere, aut ſeditionibus exponi. Qui ergo regnum ab his occaſionibus eapurgat, non eſt malus neque iniuſtus, iuxta ea quæ docuimus.Neque ſi quis tuto licet aduerſus leges tantum apparet opum vt vitæ ſatisfaciat, tum propriæ tum filiorum, impius dici debet.Sed in omnibus hoc vnum inſpicere oportet,an habenas laxet iuſti æquique,an in illud vaſtum pelagus incontinentiæ ſe conferat,an non?ſiquidem ſuos occiderit, aut rem iniuſtè ad vitam parauerit, præſertim ſi non miſeros ſpoliauerit:ia vero poſtea iuſtè in omnibus vixerit,clauſtris honeſti ſe concluſerit, bonus dici poteſt,& eſſe felix.Soc.At ergo poterit aduerſus leges facere,& iuſtus appellari inquit eſſe. Gor. Imò & quod maius eſt, iuſtior longè eſſe eo qui ſecundum leges vixerit. Soc.Quomodo?Gor.Finge duos principes, quorum vni plures ſint filij ſuperſtites, relinquantque hæredes omnes proportione: alteri ſint,plures fratres, mali, ambitioſi,violenti, quos occupato regno omnes occidat: Hic quidem iuſtè,& aduerſus leges:ille ſecundum leges atque iniuſtè egerit.Soc.Durum ô Gorgia. Gor.Imo planum:nam ſi hic voluerit ferre fratres, mille in ſubditos iniurias cõferent:quas ſi non vlciſcatur iniuſtus erit, ſi vlciſcatur in diſcrimen vitæ & regni ipſe incidet. Verum ſi commode illos arce aliqua concludere poterit,aut mites hi viri ſint,aut pueri,occidendo impius euadet.Contra ergo prior ille alius pater, dum magis filiorum commodo proſpicit quam iuſtitiæ meminit, & tranquillitatis ſubditorum, iniuſtiſſimus euadit. Soc.Quid ergo proſunt leges, ſi ſeruare iniuſtum eſt, frangere pium? Gorg. Factæ ſunt multitudinis cauſa. Oportebat enim maxima ex parte,ſed generaliter eſſe non poſſunt,ſcire homini quid ſeruandum quidque vitandum. Soc. Mira refers ô Gorgias,gaudeoque intellexiſſe viam fore qua quis docere poſſit iniuſtitiam flagitiaque ſemper eſſe mala, quanquam eſſe vtrumque tuo modo poſtea definias. Gor. An ergo non longè melius eſt, in ſumma quiete atque tranquillitate viuere, quandoquidem vita noſtra tam breuis ſit ac fragilis:& virtuti honeſtatique operamdare, ſimulque conſcientia non torqueri., bene

ſperare

ſperare in poſteriore ſæculo, à Diis non metuere, famæ conſulere, quàm cupiditatis laxatis habenis ſe præcipitem dare? In quo ipſa cupiditas tam dita eſt, & vt fax cot noſtrum vrit exitus incertus, & periculis extremis plenus: quod ſi etiam obtineas, breui ſis poſſeſſus: atque interim longe maiore miſeria quam ſi in priore vita permanſiſſes. Soc. Vera mihi dicere videris omnino, fateorque me victum. Sed tamen illud me mouet, cur tam multi, & egregij viri tum prudétes huiuſmodi viam tenent. Nam vt video ſtultum planè videtur tentare cum tot periculis, & difficultatibus id quo adepto ſis miſerior quam antea. hunc ſcrupum ſi exemeris iam non dubitabo ſolorum bonorum felicem eſſe vitam. Quanquam illud poſtea etiam ſupereſt dubium, tametſi mali omnes ſint infelices, non tamen liquido conſtare bonos felices eſſe. Gorg. De hoc poſtmodum dicemus, non eſt aliud: ſed quod prius retuleras, contigit quod homines, velut ſcabie corporis, & pruritu cum multi laborent, ſcabere optimum ducunt: ita etiam animi ſcabie ſeu natura, ſeu educatione, ſeu contagio exempli cum multi laborent, etiam exitiale quod proponunt, quod cupiunt eſſe putét, ſolo illo impetu ducti, & ſine propoſito, omnium ærumnarum, periculorum, omniſque rationis obliniſcuntur. His dictis paulum conquieuit. tum Socrates inquit: Poſtquàm tam difficilem mihi quæſtionem explicaſti de malorum miſeria, de bonorum felicitate etiam ſi potes perfice. Gor. Non exiſtimo verum eſſe, bonos omnes eſſe felices, quandoquidem ſi ita eſſet inter felicem & infelicem medium nullum magis eſſet, quam inter bonum, & malum. At conſtat quoſdam nec felices eſſe nec infelices. Præterea conſtat multos bonos tyrannis dediſſe poſſe pœnas, alios inſontes pro ſontibus damnatos. Illud auſim tamen dicere, pauciſſimos vere bonos ad eas paruenisſe miſerias. Et pleroſque illorum qui male perierint fuiſſe non vere bonos, aut ſaltem bonos ex lege, id eſt, legum obſeruatores. Nam hi primum legibus prauis parent quæ ſeruos negligunt, pauperes premunt, potentibus fauent. Deinde ſic ad vinum illarum interpretationem reſecant, vt etiam plura legibus interdicta permiſſa ſibi exiſtiment. Vt vero dixi viri boni, vt rariſſime ſunt infelices, ita conſtat ex priore ratiocinatione felicitatem ſolum conuenire bonis. Et bonos quoſcunque qua parte boni ſunt, felices eſſe. nam raro contingit neceſſariis hominem deſtitui, qui ſi non careat bonus, dum modeſtiam. Et moderationem adhibet cupiditatibus, felix eſt. Multum verò refert ſcire, non eſſe fœlices malos quamvis ſint potentes, aut diuites, aut voti compotes. Maxima enim miſeriæ pars eſt, miſeros ſe exiſtimare: at hoc facit id credere alios eſſe beatos. At vbi homo reſciuerit non eſſe beatos potentes, idque vere non per cauillationem, aut diſputationes de pulchro, & honeſto, ſtatim animus quieſcit, & tranquillus fit, idque maxima pars eſt felicitatis. Soc. Videris innuere non eſſe felicitatem in diuitiis atque potentia, diſputationemque de bono, & honeſto ſophiſticam eſſe, illamque contemnere. Gor. Non magnifacio ſanè. Soc. Sed audi, nullum bonum non eſſe honeſtum, aſſentiris? Gor. Dubito, nec ſatis conuenit apud nos quid bonum ſit, quidve honeſtum. Soc. Iterum audi, ſi vera non eſt, igitur quæ ei repugnat, aliquod bonum non eſt honeſtum, vera eſſe poteſt. Gor. Ita ſit. Soc. Fateris ergo. Gor. Cur non cum nondum conſtet quid ſit vtrumque: Soc. Si vera eſt hæc, aliquod bonum non eſt honeſtum: Et omne honeſtum eſt pulchrum, ſequitur vt aliquod bonum non ſit pulchrum. Gor. Nec ſequitur, nec ſi ſequeretur video quod nam maius ſit hoc inconueniens priore. Aliud enim eſt bonum aliud pulchrum. Soc. At ô bone, non ſequeris rectam viam. nam bonum id eſt, quod delectat eſtque pulchrum. Gor. Tricæ ſunt hæ. Sed habes ne aliud de quo agamus? aliter ne me interpelles de heſterna diſputatione in qua totus ſcopus fuit, vt oſtenderet, Rhetoricam non eſſe artem vllam, nec ſi ſit eam eſſe vtilem. Soc. Non hæc tecum diſputaui, verum potius cum Calliele & Polo, quare ne ordinem noſtrum interturbes. Gor. Vis vt relinquam hoc negocium his ô Socrates. Soc. Maximè cupio, & opto. Gor. Mos agatur, ſed non video quid interſit, à quo veritatem audias. Verum auditis Pole, & Callicles quid velit dicatque Socrates. Po. At ego vires meas implebo poſtquam ita vis ô Gorgia, ſed videbor gauia pro olore irrepſiſſe. Gor. Noli hanc mihi præſenti tribuere laudem ô Pole, quæ neque abſenti conueniret, ſed iam incipe. Po. Heri ſi bene memor ſum videbaris omnes virtutes ô Socrates tanquam vtiles, honeſtas atque bonas collaudare. At mihi non ita videtur, ſi modo bonum appellas quod nos iuuat, & prodeſt nobis eſtque vtile. Niſi forſan aliud hoc nomine intelligebas, velut & honeſtum: nam quod omnes virtutes honeſtæ ſint haud ambigo ô Socrates, nec quiſquam de hoc aduerſum te contendet: at cum poſtmodum dicis eas eſſe vtiles nego, neſcio quid hoc boni nomine à te ſignificetur. Nam videris ô Socrates illaqueare reſpondentes improuiſis quibuſdam, vagis, ac variis interrogationibus, homonymiſque dictionibus, vt quiſque illis facile implicetur. Quare age, cum veritas ſimplex ſit, eam ſi placet etiam ſimpliciter diſquiramus, videamuſque omiſſo bono, tanquam nomine non re quadam, an virtutes omnes vtiles ſint. Si enim erunt, erunt etiam bonæ, ſi non erunt vtiles, non erunt etiam bonæ, niſi eatenus quatenus etiam honeſtæ erunt. At de hoc vt dixi, nulla eſt quæſtio. Soc. Cur me trahere vis extra ſententiam, & verba iam ſumpta, & probata? Diſputabamus enim heri, an virtutes eſſent bonæ, non an vtiles, quanquàm non quidem ſi ſint bonæ cur etiam non ſint vtiles. Po. At mihi videtur conſiderandum potius, ô Socrates an ſint vtiles? nam eo demonſtrato, aut reiecto poterimus poſtea concludere, an etiam ſint bonæ an non. Socrates. Videris mihi diſcedere à promiſſis, & pactis, ô Pole. Po. Qui ſic? imò non. Soc. Imo diſcedis imprudenter, vt reor ô Pole. Po. Quo modo? Soc. Quia dixiſti velle te imò omnes nos diſſerere de his de quibus dubitatum

tum est atque conclusum heri. Nonno? Pol. Equidem. Soc. At heri dubitatum fuit, atque conclusum virtutes esse bonas non vtiles. Vide ergo quid agas? Po. Iam video quam callidus sis ô Socrates, & non tantus amator veritatis quantum te esse profiteris, & videri vis. Quis dubitat hanc non fuisse conclusionem, an virtutes essent bonæ? Sed hoc quæsitum nullum est, quia quid sit hoc bonum adhuc inter nos non conueniret. Vt ergo conueniret dico, per bonum vtile intelligi non posse, sed honestum, sed nunc quæstio eodem reuoluitur vnde cœperat, quare sine vt hoc inquiramus ô Socrates. Nam si in controuersiam veniret, an triangulus haberet duos rectos an non, nonne velles, ô Socrates primùm ostendere, quod exterior angulus duobus interioribus ex aduerso æqualis esset? Soc. Facerem id quidem. Po. At & nos ô Socrates idem nuno facimus, ostendendo primum quænam virtutes vtiles sint, quæ autem non habenti dico (nam vt honestæ sunt, cuique ita etiam vtiles Reipub. omnes sunt.) Soc. Age tuo more, postquàm vtile à bono separas. Po. Non hoc prorsus, sed non idem bonum, & vtile esse dico. Soc. In quo differunt? Po. Quoniam cum omnes virtutes honestæ sint habenti, non tamen omnes sunt vtiles. Soc. Quæ non vtiles sunt? Po. Enumerabo primum vtiles: ex quibus intelliges plures non esse tales. Soc. Quæ tandem sunt vtiles virtutes? Po. Prudentia, solertia, comitas, temperantia in quantitate rerum, patientia opportuna, industria, laboris amor, parcitas. Soc. Non aliæ? Po. Non quod sciam. Soc. Ergo neque iustitia, neque liberalitas, nec temperantiæ nec patientiæ reliquum, nec fortitudo pro patria, nec splendor cultus, non fides, non amor, non gratia, nec pietas, nec humanitas, nec misericordia, vtiles erunt hominibus? Po. Erunt. Soc. Quid ergo ais? Po. Habentibus non erunt. Soc. Quibus ergo? Po. Aliis qui cum illis versabuntur, & Reipub. hominibus: Soc. Non ipsismet? Po. Nequaquam: Soc. Quomodo id verum esse docebis? Po. Per singulas ex his discurrendo; velut de Iustitia primum dicemus. Honestum est iudici continere manus, nihil accipere, ius suum vnicuique tribuere. At si id faciat, pauper semper erit. At vtilius erit venale habere ius, maxime in dubiis: nam in adeo manifestis obnoxius fiet legibus: quapropter si tutò agere velit, quod plerique faciunt, ab vtrisque accipiet; ab eo cui nullum est ius, simulando se decernere velle; ab eo qui potior est, simulando decernere nolle: plus tamen ab hoc demum, & reddendo cui debetur, & pro eo decernendo. Ita nomen etiam iusti conseruabit. Solet autem hos vulgus tardos iudices, sed iustos appellare: Cum verè sint iniusti sed cauti. Soc. Quid si alius queratur quòd dederit? Po. Respondebit, non coëgisse, distulisse sua gratia tam diu, vt etiam aduersarius quereretur: vt si quod habere vel eruere posset ius, erueret; interim etiam possedisse. Multi etiam ex his possessionem primò relinquunt ei cui non debetur, vt duas facias sententias, primam in possessorio, vt vocant, secundam in petitorio. Vtramque serius quam possunt. Ecce quod iniustitia vtilis est exercenti, ergo iustitia damnosa. Soc. Vera concludis, si vtile hoc modo definiendum sit. Po. At ego aliter definire nescierim, si modo calceum, & panem panem, & lignum lignum, appellare velim. Soc. At hoc modo plures erunt, virtutes, non vtiles habentibus quam vtiles. Po. Sanè ergo tamen vtriusque generis quot sint, non dinumeraui. Soc. Sed videamus de aliis si placet, nam pluribus testimoniis res ipsa melius intelligetur. Po. De Liberalitate agamus. Nonne pecunias plures possidere præsertim tenuis fortunæ viro, vtile est, imò necessarium si fieri possit, & pulchrum atque decorum? Soc. Vtique saltem mille myriadas, eo modo quo vtile disiungis à bono, nam ego dicerem vtile fore quod esset pulchrum, & honestum. Po. Si igitur vtile est, plures habere pecunias, inutile erit pauciores efficere, nonne? Soc. Vtique Po. At qui liberalis est, pauciores efficit pecunias quas habet, pauperiórque efficitur, nonne ô Socrates? Soc. Equidem. Po. Liberalitas igitur inutilis est. Soc. Vitiosa est argumentatio. Po. Quomodo? Soc. Ego pariter sic argumentari potero, quod qui fœnori dat pecunias, qui agrum emit vili, qui filiæ dotem dat, fiat pauperior, & quod inutile non solum sit ista facere, sed etiam damnosum. Po. Non idem est: nam qui fœnori dat post modũ plura recipit: qui agrum emit fit ditior redditibus quam antea: Qui dotem dat filiæ locupletem eam reddit. Soc. At qui liberalis est, licet ære pauperior fiat, & ob id sibi noceat, amicos tamen parat, & bonum nomen: fit terribilior inimicis, aliorum opibus vt suis fruitur, ab aliis etiam aliquando recipit dona, & nonnunquam maiora quam dederit; vt hac sua liberalitate multo plura, & maiora consequatur commoda quam detrimenta. Po. Non equidem hæc sunt liberalitatis, sed casu quasi contingunt: at si non ob aliud dent homines, à liberali accipiunt non dant. Sed contingit, vt eidem dent qui sit liberalis, quod potens, versutus, quod in magistratu, quod te iuuerit, quòd ad te qualis sis, homines respiciant; & ob id dabis, non quia sis liberalis. Soc. Nonne liberalis dicitur, non qui plura dat, sed pro ratione facultatum? Po. Est. Soc. At qui dat pro facultatum ratione, pauper non efficitur; sed ex redditibus & laboribus atque fortuitis dat: non igitur liberalis liberalitate fit pauperior, nec sibi ipsi nocet. Po. Sophistica est, & non vera hæc tua ratio, cum ad experimentum deducta erit. Nam qui non dat (& si pauper dando non fiat) non dando tamen locupletior euadit. Et dando sibi nocet. Quod verò dicas, aliquando prodesse liberalitatem, vno verbo tibi satisfaciam, soli auari sunt locupletes; qui non accipiunt, vt tu, pauperes semper sunt; qui liberaliter donant, non possent esse nummati. Soc. Mittamus sermonem de liberalitate, quæ forsan sola virtutum, post iustitiam damnosa dici potest, si modo virtus damnosa vlla dici meretur, agamusque de reliquis. Po. Succedit Temperantia in qualitate, velut vt ab vxoribus alienis abstineas, cùm maxima voluptas sit mœchari, filium, cuculi modo, in alieno nido alere: multis persæpe ex hac causa locupletari cõtigit. Hoc vno igitur in axiomate res ipsa constat, si facere bonũ vtile est atque iucundum, abstinere malum,

damnosum atque triste erit. Quid ais ô Soc. Soc. Sed periculosa tamen est huiusmodi alea. Multi vapulauere. Euersa est vna Troia hoc ipsn crimine. Po. Sed pauci sunt Menelai, crimenque id non amoris ludentis, sed sæuientis cum iniuria hostis fuit. Quippe etiam Daretis Phrygij testimonio, nnn solius Dictys Cretensis Græci, erepta repetiuere per legatos. Socrat. Nnn moueret vlla ex parte Dictys testimonio, cum nihilominus verum sit eâ historiâ, quam multo post, qui nec vnquam Troiam vidit, ant aliquem ex his qui eo in hello interfuere, fabulis plenam incredibilibus scripsit. Sed Daretem vera scripsisse credn, nisi quantum amor patriæ eum paulo prnpensiorem in Troianns fecit. Gor. Et ego sæpe id mecum cogitaui, sed non audebam prnferre. nimis enim absona ille Græcus recitat Soc. Puto Homero extractam narrationem. Po. Vtcunque sit, satis habeo adulterium etiam illud quanquam in regem & publicum, & cum iniuria tam magna, vt non sufficerit rapuisse vxorem, nisi & opes secum abstulerit, impune futurum illi; nisi & perseuerasset in nnn reddendo, & cum illn pater simul ac fratres nbstinati mansissent. Snc. Iam mihi vt video persuadebis, vt mœchus sim? Po. Ita: aliud est de Iuuenibus, aliud de senibus, tibi nimis est vna vxor, attamen & duas aliquando simul habebas, tam egregius Philnsophus. Soc. Parendum est legibus. Po. At mœchari, est aduersus leges. Soc. Vera dicis: quomodo ergo bonum est? Pol. Iam videbam quomodo sensim abducere me tentabas, vt non fatereris quanta essent bona in possidendo alienas vxores. Soc. Sed tamẽ interim in perpetun metu atque suspicione viuis, vt vita plena sit timoris? Pn. Imn in continua spe ac perpetua vnluptate. Possedisse dum memineris gaudes, gaudes cœpisse, perseuerasse, obtinuisse. Delectat recordatio osculnrum, blanditiarum, sermonum, seu quid acceperit seu dederit, horum omnium iucunda memoria est: iuuat decepisse maritum zelotypum, fefellisse custodem intentum: gaudes seu pericula euaseris, seu sine periculo, & expers metus possederis. Quid postmodum futura? occurram hodie, videbo cras: alloquar, transibo illac, Maritus rus breui se conferet. O quæ oscula qui amplexus quanta volnptas! Putn ex me concepisse, nil aliud amat. O si filium pariat, nomen meum voln curare, vt imponatur. Beatus sum siue rescifcant homines: imò magis beatus si tanto bono fruar tamque fœlix sum nemine sciente, quando & sine hoc beatum me homines, esse putant. At quanta est purtio felicitatis meæ hoc vnum, quod omnia alia bona excellit, vt Venerem ipsam possideam? Soc. Abunde videris mihi arte mœchi instructus, vt alieno exemplo non indigeas. Po. Imò talia legi apud egregium quendam Philosophum. Soc. Quem? Po. Protagoram? Soc. Ah: non est ille Philosophi nomine dignus impius vir. Sed quonam in libro? Po. De his quæ non rectè ab hominibus geruntur. Soc. Mira insania huius viri. Deos accusat, flagitia laudat. Po. Nunquid modo vides ô Socrates quantum ex vitiis vtilitatis habiturus sit homo? Socrat. Conuincis ne scio quomodo, sed non persuades. Pol. At ego dicam: quoniam insitum est nobis primum illud, animos nostros esse immortales, Deos vltores malorum, & bonorum amicos, luendas esse pœnas ab obitu. Hæc, etsi falsa doctrina quam vos de diis habetis, ô Philosophi, obliterauit in animis vestris, ingenitæ tamen illæ notitiæ manent, & non permittunt plane falsis nns persuasionibus acquiescere. At si quæ antea dixit Gorgias hic de vitiorum incrementn, atque inconstantia, adiicias, tum demum etiam absque spe vlla futuri persuasus abibis. Socrat. Sed perge ad alia: nam hucusque solum vitia attigisti quæ versantur circa ea quæ nos plurimum delectant, pecunias, & falsces voluptates. Dicas aliquid de Patientia, quam video omnibus inuutilem, cum tamen virtus sit eximia. Po. Quid ego aliud dicam, quam quod dici solet,

Furor fit læsa sæpius patientia.

Quam bona est ac vtilis res, quæ cum læsa fuerit hominem reddit furiosum. Soc. Ar ô bone quid ais? nam si cnacta sit, minuit ærũnam: si pateris quod vitare possis tanto præstantior, & maxime ad laudis segetem colligendam. Quot libri, quot statuæ, quot bellica trophæa, imò omnia huic vni debentur virtuti. Pol. Sed interim hnmo male habet, & angitur. Socrates. At ô amice. nonne ẹdere, bibere, quiescere bona sunt? Polus. Sunt quidem vtilia, vbi ex vsu fuerint. Socrates. At tum maximè cum homo exuritur, sitit, delassatus est. Polus. Equidem. Socrates. Quid igitur efficit patientia quæ & finem boum pręstat, & causam voluptatis præbet? Pol. At non semper patientia, & fortitudo, vt neque temperantia, sed tum mala cum sponte pateris iniuriam, & damna quæ deuitare posses. Socrates. Et persæpe etiam huiusmodi patientia vtilis fuit. Vides apud Homerum quàm patienter Agamemnon ferat iniurias & probra in illum iacta exercitus & inferiorum Au. diuisti etiam Phalaridis patientiam in Stesichnro poëta, postquàm illum captiuum habuit. Periandri in æmulos ac maledicos. Po. At facile est (vt ille dicebat) pati cum vlcisci possis. Et illud: Maledicant impune, nobis satis sit ne nocere possint. Regibus hoc nihil est, quandn nihil propemodum patiuntur. at priuatis id dici solet:

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Non vtilis est patientia quæ vel nobis detrimenta affert, aut animos defensorum nostrorum frangit, aut spiritus & audaciam æmulis atque inimicis addit. Soc. Hanc ego patientiam nnn appello, sed insaniam. Polus Et tamen tu illam cnmmendas inter virtutes, nec quisquàm (vt audio) magis de ea gloriatur, adeò vt & in vxore ferenda, & in calumniis, videaris immodicus. Socrates. O Pole: Quid ais? nunquam immodica potest esse patientia, quę minuit mala, & animos ęmulorum frangit, & gloriam auget? Polus. O Socrates, quam pulchrum est in singulis adhibere modum! Addit & contemptum illa, & paupertatem, & canos accelerat. Nec minuit mala neque sensum malorum, sed aliis ostendit ons aut diuinos esse, aut stultos. Tu modo cogita ô Sncrates, quid sit verisimilius, & qualia quibuscunque persuaderi possint. Socrat. Certè stupidis vt diuini sint, prudentibus vt stulti.

Pol.

Pol. Quorſum ergo tanta patientia opus erit? Neque etiam homines ea perferre poſſunt, quæ te facile ferre dicant, ſcilicet vt per totam diem ac noctem ſtes extentis vtrinque manibus, An verum eſt ô Socrates? Socr. Quis hæc tibi retulit? Et quid mirum eſt, cùm quilibet ſui corporis dominus ſit? Pol. At ego paucos id poſſe ferre crediderim. Sed quorſum, niſi ad quandam inanem gloriam? vt videaris ſcilicet poſſe quæ alij minimè poſſunt: dicantque homines; Socrates & mente & corpore ſupra mortalem conditionem eſt. Socrat. Bona verba: Non hoc ſtudeo oſtendere, ſed adhortari homines ad patientiam. Siquidem nihil eſt vtilius Reipub. quam patientia inſignis. Omitto, quòd euntibus ad aulas regum nullus clypeus ſit melior, aut tam neceſſarius: inter tot anfractus atque tempeſtates humanæ conditionis quid poteſt eſſe vtilius? Quinetiam ad immortalitatem ſola hæc confert, ſeu Cynegiri Athenienſis, ſeu Marci Attilij Romani exemplum inſpicias, aut etiam Mutij Scæuolæ, vel magni Pompeij; cui plus ea hæc ſola quam tot tropheis gloriæ acceſſit. Ob tãtam nobilitatem præſtantiamq; ſolebãt Ægyptij veteres, qui in vnaquaque re proprietatẽ exprimere ſatagebant, ne nihil illos latuiſſe videretur, ſymbolum patientiæ hyænæ pelle ſignificare, quòd hoc animal perhibeatur cũctis eſſe inuictum. Nec ſuaſerim patientiæ experimentis quenquam imparatum eſſe, vt neque illis ſponte occurrere, ſed deuitare. Polus. Sed cur ergo tu te ſponte offers? Socrat. Vt nõ imparatus accederem. Sed quando quantum opus eſſet humana in vita perdidici, deſij me obiicere. Polus. Vtcunque agas dicáſve, aliud eſt aſſueſcere patientiæ, ita vt ſi contingat caſus æquo animo aut ſaltem moderato incumbentia perferre poſſis, nec tete ipſum abiicias, nec irriſui ſis ſpectatoribus, aliud eſt ſic perferre quæ perferenda non ſunt, vt animum quemadmodum dixi tuis defenſoribus adimas, oppugnatoribus vero addas. Socrat. Fateor. Polus. Ergo & hæc virtus, ſi quis ea non prudenter vtatur, & vt melius dixerim, partem habet inutilem. Socr. De Fortitudine non audeo quicquam dicere, nam video te eadem obiecturum quæ de patientia: nec defutura tibi exempla Herculis, Codri, Ægei, Ariſtogitonis, Harmodij, & Spartiatarum, Callicratidæ, Bullis & Sperchij, ac Leonidæ cum mille Spartiatis. Conſtat & apud Carthaginienſes, duos fratres ſimiliter pro patriæ finibus amplificandis occubuiſſe: Et apud Romanos neſcio quos, patrem & filios Brutios, nobiles tamen: Gor. Brutos non Brutios, eſt enim vt audio familia nobilis ea in vrbe. Socrat. Omittamus hæc, ſatis enim ſunt, illud potius videamus quod ab initio inſtitutum erat, cui bono futura ſit Rhetorica, etiamſi ars ſit: nam de vtroque dubito. Pol. Dubitas ne eſſe artem Rhetoricam, ô Socrates? Socrates. Imo maxime. Polus. At ego artem omnium eſſe exiſtimo, oratorémque omnia noſcere; ac plenam hanc eſſe diſciplinam quæ de omnibus dicere conuenienter poſſit; ob idque nullos eſſe rariores in vlla arte nobiles profeſſores quam oratores. Socrates. At ego contra opinor ô Pole, neminem elegantius, aut melius dicere poſſe in vnaquaque arte quam ipſos artifices. Dico de Medicina, ſi quis aut laudare, aut diſputare velit, neminem melius ſermonem habiturũ quam Medicum: & de coquinaria coquum: & de coriaria coriariũ: & de architectũ Architectũ: & ita de militari arte iuuabit audire ducem peritum exercitus, non Rhetorem neque oratorem. Ipſis enim oratoribus ſufficere debet, vt in iudiciis quæcunque cauſa agatur melior, & probabilior videatur: Et vt orator, apud prudentes diſerte, apud imperitos etiam vera dicere videatur. Cuius indicio eſt, quod neque orator ad bellum gerendum, aut ad adminiſtrandam Rempub. aut ad iudicia proferenda plus admittitur, quam ad medendum, aut tondendum, aut ędificandum. Sed in his quærimus medicos, tonſores & architectos, non oratores. Sit ergo Orator in concionum clauſtris ac ſeptis tanquam in piſtrino quodam relegatus, atque ibi voluat reuoluátque lapidem ſuum ac molam, animos auditorum circumducendo. Aliter ſi credas, non iam oratorem vnum effingas, ſed Hippiam quendam omnium opificem. Polus. Mira narras ô Socrates, neque ego Rhetorem omnes artes callere dicam, nam reliqui artifices ſuperflui eſſent, neque omnino ignorare quicquam: nam ſic non de omnibus dicere conuenienter poſſet. Sed proprium illius eſt, diſertè loqui. Quod vero ei proximum eſt, eſt vt ſciat hominum mores, conſuetudines, leges communes, decorum atque honeſtum. Demum vt eo ſit ingenio, vt veritatem & rationem diſcere poſſit ſingulorum à propriis artificibus: inde vbi quod iuſtum, æquum, honeſtumque didicerit, tum illud exornet verbis, augeat ſententiis, confirmet rationibus, decoret figuris, imprimat affectibus. Neque hoc nouum eſt exemplum, nam idem in pictore experimur: alio modo pingit calceum, ſcutum, tabulam, murum, roſtra, carinam, theatrum, porticum, aulam, bellum, conuiuium, hiſtoriam Troianam & Romanam, luctum Iphigeniæ. Non eſt neceſſe vt omnes hiſtorias antè didicerit, artes, regiones: quis enim vnquam talis fuit? ſed vt cum oportet edoctus de ſingulis ab his qui perfectè quid opus ſit norunt, exornet poſtmodum rem ad arbitrium imperantis, factam coloribus, vmbris, diſtantiis, magnitudinibus, & ratione propria aſpectus. Socrat. Mittamus modo hæc, nam ferme abrupiſti ſermonem meum; maiora in medium afferre volebam; ſcilicet artem nullam eſſe Rhetoricam: cum artes Rempub. adiuuent, & artifices ipſos, omnis enim ars bona eſt ſaltem vel artifici vel Reipub. Sed Rhetorica perdit ciuitates, & Rhetores ipſos. habes, ô Pole, nouiſſimum exemplum ac vt ita dicam affabrè, expolitum de Callixeno oratore qui Rempub. Athenienſium ita perdidit, dum ſuadet victoriæ auctores occidi quod mortuos non ſepeliſſent vt ex domina vrbe iam tota Græcia ſeruam Lacedæmoniis effecerit, partamque virtute bellica decem ducum bonam fortunam ac dominationem vnus orator euerterit, funeſtus vrbi, funeſtus ſibi, qui nunc amiſſis omnibus bonis cum maxima infamia cunctiſque inuiſus miſerabiliter exulat. Siquidem eo iudicio factum eſt, vt cum iterum viciſſent Athenienſes, non eſt auſus dux perſequi victoriam;

qua funditus vires Lacedæmoniorum concidissent:sed versa vice ille Lysandro duce creato nostram Rempub. & vrbem vt vidistis in seruitutem redegerunt. Et nisi virtus Trasybuli uos vindicasset, actum esset de tota nostra ciuitare. Quid Cleophon oratione perfecit? vt cum possemus æquis conditionibus, & honestè pacem conficere cum Lacedæmoniis, maluimus paulo post illis seruire. Quid Pericles, qui summa facundia fuit, nonne omnium malorum quæ huic vrbi acciderunt auctor extitit? Quid flagitiosius Antiphonte oratore, qui infamem in æternum nostram vrbem reddidit, damnatione Hippocratis medici, cui vrbs nostra, & tota Græcia tantum se debere fatetur, viri innocentis & opum contemptoris, & nominis ac salutis Græcorũ propugnatoris acerrimi? Ausim dicere, si de futuris pronunciare liceret, si modo vnquam hæc vrbs peritura sit, non alia causa quam oratorum persuasionibus casuram. Sed audi rationem, ne obiter hoc dixisse videar: ciuitates nonne seruantur bonis consiliis ô Pole, malis euertuntur? Polus. Sanè. Socrates. Consilia bona nonne sunt plurimum peritorum, quique nulla animi perturbatione agitentur? Polus. Equidem. Socrates. Siue ergo homo corruptus pecunia, seu potiundæ dignitatis, seu amplificandæ autoritatis, seu vlciscendæ iniuriæ: seu vt plus oratione valuisse videatur, populo iniqua consulat, nonne malè consuluerit, & quæ noxia futura sint? Polus. Non dubium. Socrates. Si etiam animo bono sit, imperitus tamen administrationis Reipub. artisque bellicæ, tum eorum quæ necessaria sunt bello feliciter tractando: tum hostilium consiliorum, propriarum vrbis vitium, improbitatis ac leuitatis sociorum, nónne etiam perperam consulet ô Pole? Polus. Malè profectò consulet ô Socrates. Socrates. Nonne prospicere bene futuris diuina potius est res ô Pole quam humana, & difficillima & ardua, in qua taru collimare etiam sapientibus licet? Plusque ac melius norunt multi quam vnus, & prudentes imprudentibus? Polus. Quis dubitat? Soc. At orator vnus est, & parum gnarus: omnium siquidem non prudentiores aut magis experti apud populum verba habent, sed qui facundia valent præferuntur in dicendo Po. Vtique. Soc. Quomodo ergo vnus, & impetitus omnium quæ necessaria sunt ad administrationem parum gnarus eorum quæ agitantur apud hostes consiliorum, solus, inexercitatus, variis perturbationibus agitatus, intempestiuo tumultu vocatus ad orandum: nec satis de quo dicuntur, sit sciens, sed repente in suggestum raptus, non plurimos etiamsi bene consulere velit admittit errores atque Reipub. exitiales? Polus. Admittet persæpe: admisere priores, & admittunt quotidie, fateor, ô Socrates. Socrat. Aut ergo hæc ars non est, sed peritia inutilis atque exitialis, ô Pole? Polus. Audi modo ô Socrates, non enim bene concludis. Socrat. Qui sic? & quomodo? Pol. Dic quæso, Medicina nónne ars est? Socrates. Est. Polus. Imò per quàm vt video simillima Rhetoricæ, vt máxime his duabus mortales indigeant. Socrat. Quare ita vnam alteri comparas? Pol. Quia Medicina docemur quid sit faciendum vt corpus sanitate fruatur; Rhetorica quid agendum, vt rectè viuas ac tuto. Socrates. Non ô Pole: postulas enim quod intendis probare: nam finis solum est persuadere, ô Pole. Polus. Ita sit, Rhetorica est peritia quædam rectè persuadendi: volo enim ex concessis solùm te conuincere. Socrates. Non dicas rectè persuadendi, sed persuadendi. Polus. Non dico rectè persuadendi, vt rectè agat, sed vt qualiscunque sit ille efficaciter persuadeatur. Aliter si hoc etiam detraxeris, neque peritia vlla dici poterit, ô Socrates. Soc. Quidni? Po. Non intelligo quid velis: Soc. Dico Rhetoricam sane esse peritiam persuadendi. Po. Quæ tamen id rectè seu efficaciter facere doceat, aliter vt diai quæ peritia erit, si etiam eo quod solum petit destituatur? Soc. Admitto. Po. Iam ergo Rhetorica est peritia quæ docet suadere quàm melius possunt ea quæ suadere volumus, seu bona seu mala. Soc. Est. Po. Et Medicina quidem docet componere medicaméta certâ ratione; quòd si quis medicamentorum loco venena misceat, nunquid illa ars culpanda erit, sed potius non medicina appellanda? Socrat. Sed Medicinæ proprium est, vt doceat salutaria auxilia: Rhetoricæ proprium non est, vt doceat vtilia præcepta neque honesta. Po. Sit ita pro nunc: at saltem ars erit hoc ipso quòd rectè persuadere docebit. statuatur enim nunc finis, vel te consentiente, persuasio ipsa in oratore. Soc. Est hic finis. Po. Ars est ergo Rhetorica. nam persuadere vtile est per se, sicut scire medicamenta componere. Est autem recta ratio conficiendi instrumenta ferrea, ars fabrilis; & lanas texendi textoria ars: & rectè licet & male persuadere, imò quidam dum suadere volunt dissuadent: & melius etiam & optimè suadere licet? igitur persuadendi peritia ars est. Socrates. Non dubito quòd ad præcepta attinet, sed quòd ad finem, nam artis finis vtilis esse debet, at sic esse poterit malus vel indifferentes. Prætetea omni homini natura inditum est exorare, tueri ratione quæ dicit, commiserationem mouere, exornare quæ velit; quæ desperet posse, deprecari; laudare, vituperare, comminari, recensere beneficia & collata & accepta; vt nulla sit ars hæc facere scire, cum neminem natura videamus fabrum aut sutorem tonsoremve: quamobrem existimauerim iure hanc peritiam esse naturalem, non artem. Et quemadmodum omnes norunt ambulare, comedere, loqui, vnus autem alio id melius agit, ita etiam oratoriam artem nobis naturâ inditam esse crediderim. Eosque qui primi hac in re fuere, Corax, & Tisias non aliquam lumine naturali eloquentiam inuenisse. Atque hodie quot videas prorsus oratoriæ artis ignaros, qui melius persuadent his qui artem profitẽtur: cum neminem possis ostendere qui imperitus artia melius tonsore tondeat, melius fabro nauem compingat, vel medico medeatur: aut concinnè cum aliis musicè canat. Accedit quòd quæ docentur ab oratore, opiniones sunt & affectus solum; nihil quod ratione constet: at omnia quæ ab arte proueniunt imaginem rationis retinent. Vides in musica concentum, i, ægro data potione, & eo purgato liberatum à morbo: puerum Grammaticum à magistro edoctum narrare quæ intellexit, nomina primæ declinationis genitiuũ

habere

habere qui in æ dipthongum finiatur. Quid est ergo cur oratoriam dicendi notitiam artem appellemus? Polus. Si per artem Socrates intelligas scientiam rerum firmam de rebus planè perspectis ac cognitis, non inficior Rhetoricam quod ad vsum attinet non esse artem. Sed qualis erit ars, quæ ita sit ars, vt etiam vsus eius, nomine artis dignus sit? aberrat enim artifex sæpe circa artis vsum, circa artem errare non potest: vt neque circa scientiam: proxima enim notitia dignitate scientiæ ipsi est ars. At verò si ad regulas, ad institutionem respicias, non minus quavis alia ars hæc censeri debet. Neque enim vnquam oratio persuasoria, Exordio aut insinuatione, narratione, diuisione, confirmatione, confutatione atque conclusione carebit. Nunquam non opus erit inuentione rerũ, & exornatione inuentorum: nunquam non bene faciemus iudices, aut auditores beneuolos, dociles & attentos. Cum ergo firmas habeat regulas, atque inconcussa præcepta, genera sua tractandorum, velut demonstratiuũ, deliberatiuum & iudiciale, qui fieri potest ô Socrates vt ars non sit Rhetorica, artisque nomine digna censenda? Opinionem autem quam hominibus ingenerat, ac tanquam spicula infigit, eâdem ratione artificiosam puto qua & medici opus. Si quis enim orator suadeat cadendum esse pro patria, vt dum pauci pereunt, certissimo & nobilissimo & (vt ita dicam) optatissimo mortis genere, reliqui omnes & defunctorum filij fratresque tum reliqui feliciter agant: vt Respub. in duo genera hominum diuidatur: vnum quod omni bono abundet: libertate, securitate, opibus, potentia, alterum cui nihil desit nec vllius mali particeps sit. Quod cum ita sit, præstat pugnare, quam per socordiam vinci, vt omnes infœlicem vitam agant, qui supersint molestè ad inferos descensum perferant recordatione suorum. An nõ hoc Socrates adeò firmiter confirmatum est. Quemadmodum si ægro propinaueris medicamentum ad febrem tollendam. Fateor in aliquanto lubriciore argumento Rhetorem versari, quam reliquos artifices: non tamen adeò inconstanti, vt à norma sua recedat, & vim non sentiat artis. Quo fit vt etiam ad id quod priùs obieceras me conuertam, scilicet Rhetoricam docere artem (si modò est ars vt dicis) noxiam humano generi. Fateor quod vt duæ sunt Medicinæ, bona & mala; duæ Theologiæ, vna quæ est religio, altera quam est superstitio: Duæ Iuris prudentiæ, vna quæ ex æquo & iusto omnibus modeste suum reddit, ciues in pace retinet, animos illorum conciliat, turbulentos eiicit, sontes punit, præstantes alacres reddit; altera quæ discordias serit, litibus fomenta subministrat, turbat omnia atque peruertit. Ita de Rhetorica dicendum est. Orator ergo bonus is solus erit qui vrbi vtilia, iudici iusta suadet: non qui decreta violentius extorquet. Sicut nec optimus mediens qui efficacius commiscuerit venenum, aut Theologus qui celebri nomine cõparato falsa de diis diuulgat. Itaq; non hanc esse artem solum, sed præclarissimã etiam existimo, quæ hominem ita instruat vt vnus inter tam multos de rebus maximis, omnibus aliis silentibus, dignus habeatur qui sit audiendus. Quod donum vix reges ipsi sibi impetrare potuerunt, nisi mentito Dei nomine. quemadmodum non multo antea ferunt in Italia quendam Numam Pompiliũ; & apud Cretenses Minos, aliique si non reges, paulò minores authoritate, velut antea Lycurgus apud Lacedæmonios & apud nos Pisistratus. Quis ergo hanc non esse artem fateatur, quæ & præclarissima sit artium? nam de maximis rebus deliberat, & quod vix reges successione, tyranni armis possident, vir vnus è plebe etiam hac ipsa summum in omnes ciues potestatem sibi vendicat: atque hic ducibus ipsis præscribit ante bellum, imperat in bello, pœnas exigit aut præmia largitur pro administratione. In qua tot sunt necessaria vt orator sit perfectus, vt vix vnus aut alter in multis seculis eo nomine plane dignus censeri possit. Sed qualiscunque sit ars modo præclara, in qua licet & per quam malè vti atq; agere, nonne iccirco bona censeri debet quod possimus ea vti opportunè? Accipio vtilitatẽ qua nulla est perniciosior disciplina si quis malè ea vtatur (nimis notum est quod dico) an ipsa non est optima, & præclarissima, quod hostes à patria propellere, amicos tueri, iniustos homines vlcisci, tyrannos exscindere & euertere possumus? Cur ergo vitio vertemus id solum Rhetoricæ arti, quod omnibus præclaris commune est? Et in aliis multo frequentius ac difformius accidit? At facile est periclitati Rhetorem imperitum rerum imperitioribus suadentem, fateor, nec probo modum, vt neque artem ipsam vitupero. Et Periclem & Antiphontem & Cleophontem totque alios perdidisse Athenienses non nego: sed neque tu dicis quoties ab oratoribus sint seruati. Quis in maximis discriminibus impellit ad aperta pericula milites, nisi orator? Quis cogit ciues, inuenũ, redigit in concordiã, nisi orator.

Quis in propria damna vt publico opitulentur accendit, nisi orator? Quis constantem amorem virtutis, fidei, gratiæ, misericordiæ in oppressos, gloriæ in periculis, nisi orator? Vnde tot seculis iactata licet nostra Respublic. nõ solum stat sed & floret, nisi oratorum industria, laboribus, arte, atque diligentia? Multis, vt vera fatear, aliis vrbibus sumus inferiores; hominũ robore Laconibus, fortitudine Thebanis, constãtia Messeniis, arte militari Thessalis: & tamen maior est potentia vrbis huius quam cæterarum omnium, quòd apud illas nulli sint oratores, aut parum periti. An putas consilia deesse Laconibus in tam pressa orationis breuitate: succumbunt tamen nobis, nec nisi nostra stulticia vnquam superiores euasere. An putas Lacones quod falso creditum est, pugnare acriùs Atheniensibus? deciperis, naualis miles fortior est pedestri: nostri oratione incitantur, Lacones sunt magis disciplina exercitati, vt qui à pueritia nulli alij muneri vacent quam militiæ: Et tamen vbi ad pugnam ventum est, in qua propriæ agilitati, industriæ, fortitudini fidendum est non densatæ aciei, longè acrius pugnat Atheniensis victorque euadit, oratione ducis persuasus: quam Laco qui soli exercitationi confidit.

Vbi Lacedæmonia phalanx paululum retraxerit pedem, vbi retrocesserit, vbi vinci cœperit: nulla amplius est spes vt se colligat

& ex victa victrix euadat. At militi Atheniensi nunquam deest spes, quod rationibus & abhortationibus semper sit paratus. Quanta vis eloquentiæ Themistocli? quanta Pericli? quanta nuper Alcibiadi? quem si vitia nō perdidissent, quis ei imperator æqui parari poterat? Tu ergo ô Socrates mihi videris similis ei qui ignem propter fumum sustulit: longè maiora commoda sunt ignis quam damna fumi. Et licet etiam fumum auferre seruato igne. Itaque si improbis oratoribus quis obuiam eat, nulla non in te vtilis erit facundia, vt nec quicquam illi possit comparari. Socrates. Nimis acer vir es, ô Pole, quare malim vt heri paululum cum Callicle isto disputare, nam inter nos iam satis. Videris enim velle omnino artem constituere Rhetoricam, quam neque Rhetores ipsi artem esse volūt. Gorg. Qui? Socr. Lysias, aliique, qui plurimum hac in parte valuerunt. Nam neminem video qui de Medicina, Militari, Nautica, Fabrili, Poësi, dubitet an sint artes; de Rhetorica cum plerique negent, tu ô Gorgia, tuusque hic teipso acrior discipulus, non contentus est affirmare eam esse artem, nisi etiam omnibus aliis anteponat. Gorgias. Demiror ô Socrates quòd tu cum Philosophum te profitearis, adeo captes vulgi auram atque illius opinioni tantum tribuas. Hoc enim deceret potius me qui Rhetoricam exerceo, Rhetorque ab omnibus non Philosophus appellor. Quanquam alias hoc tuum nomen nunquam auditum à me fuerit. Socrates. Vera narras, ego enim huius nominis inuentor sum, ipsumque inuexi. Sede. enim hoc parum refert, quandoquidem haud dubiè confessurus sim Rhetoricam esse artem si id mihi persuaseris, finem illius esse bonū: nam nunc non quæro, an multi patriam hac ipsa prodiderint, sed an finis iste Rhetoricæ sit bonus? Callicles. Non intelligo ô Socrates: iam me duobus verbis inuoluisti. Hoc est quod me solum ad pugnam prouocabas, vt qui scires huius tuæ callidæ disputationis imperitum esse. Socrates. Dicam quid velim: duo. vt mihi videtur, necessaria sunt vt Rhetoricam sciamus esse artem: primum vt sciamus quid sit bonum: deinde vt sciamus illud doceri quovis modo bonum esse. Callicles. Non intelligo quæ dicas; vt turdus secundum laqueum timeo. Socrates. Dicam manifestius. Primum orator docet populum Atheniensem vt velit pro Leontinis, quemadmodum hic Gorgias nuper egit, bellum suscipere. Quærendum est igitur primum, an bellum possit vnquam melius esse pace? Deinde an præstet etiam aliena suscipere bella, idque bellum rursus præstantius sit pace.

Atque hæc circa rem ipsam. Aliud est an præstet maiorem rei opinionem ingenerare populo quam sit. Nam postquam oratorem à Philosopho & Scriba distinguere vis, Philosophus & Scriba, (quod etiam in consiliis fit) rem puram narrant, rationes addunt qualescunque sint, non adiiciunt quicquam neque adimunt, non prætermittunt quæ in contrarium faciunt, sed puram docent veritatem: Orator iste tuus fallere quærit, etiam si propositum sit vera dicere & ad vtilia adhortari. nam omittit multa quæ in contrarium faciunt, quæ recitas languidius conciseque adducit: quæ pro se faciunt auget, exornat, implet, affectibus inanibus exacuit: inanibus etiam expectationibus falsisque promissis tem adauget. Nullum igitur hæc ars esse poterit? Dicamus quod quis sculptor egregius Mineruæ statuam ex ligno fingat, hunc nonne artificem esse dicemus? Callicles. Equidem. Socr. Et præstantem. Callicl. Siquidem si affabrè exculpserit. Socr. Veniat vero alius & obducto liquore auream videri faciat: num hic statuæ Mineruæ artifex dici debet? Callicl. Artifex quidem, sed non statuarius appellari merebitur. Socr. Si igitur orator nil aliud addit ad scribam nisi mendacia, artifex hic merebitur nomen mendacis potius quam opificis: Sicut Ille artifex fuci, non autem statuarius. Callicl. Totis vt video viribus eniteris conuellere ô Socrates quod dictum est, scilicet Rhetoricam esse artem, quamquā id Polo concedere imò & Gorgiæ ipse visus sis. Sed dicam quid sentiam; Qui statuam ex ære fingunt (postquam è Rhetorica redimus ad statuariam) cum metallum intrudere durum tam angusto loco non possint, illud liquefaciunt vt formam quam volunt recipiat: ita & maius quam sit efficiunt, & pro solido liquidum, & pro rubeo fuscum: at vbi effusum fuerit & coaluerit, rubrum, durum, & sub propriâ quantitate redditur. Num ergo hæc ars falsa est & fuci operatrix an potius vera? Socrates. Vera ars est plastica. Callicles. Cur? nonne mentita est faciendo statuam, formam, colorem, magnitudinem, naturam? Socr. Certè. Gallic. Cur ergo non vocas hanc artem fallacem, fucatam, mentitiam? Socr. Quoniam postmodum omnia ad finem institutum qui verus est redeunt. Callicl. At ô generose Socrates idem dicendum est de Rhetore; nam etsi Rhetor multa non vt se habent simpliciter sed callide referat, eum tamen imitatur pictorem qui trabes homines pingit, vt à latere inspecti rectis & equis oculis videantur. Et altius positas figuras longiores vt veram retineant in aspectu mensuram. Et in mentis culmine homines multo minores, vt licet aspectu & te parui sint, cogitationem tamen distantiæ referant. Itaque mentiri non est metiendo veras rerum referre imagines & opiniones, sed potius vera dicendo falsam ingenerare opinionem. Si quis ridendo in differendo sic vera dicat vt non credatur, aut veris impossibilia misceat, vel quæ illi pro falsis iam compera sint; mentitur & vera tamen dicit, decipit enim illum. Possem excusare quod si boni causa mentiri liceat, sed non tali opus est excusatione. Sufficit vt cum qui audiunt minora putent semper quæ dicuntur quam sint, vt ita orator illa augeat, vt quanta sunt, & qualia tanta & talia esse existimentur. Neque exornare, declarare, docere, attollere, infigere hominum mentibus, est mentiri. Itaque nec orator cum talia dicit, nec Rhetor cum dicere docet peccat, nec mendacium dicunt, aut dicere iubent.

Socr. Sed liceat modo (postquam omnia licent) saltem vt bona & vtilia consulat necessarium est. Callicl. Putasne me oblitum longo circumductu veritatis? Dicebas de

de bonis, at socius noster semper de vtilibus respondit. Vtilia orator debet persuadere si verus sit orator, bona nescio. Socr. Quid per bona intelligis & per vtilia? Callic. Ego vtilia appello quæ homini placent, voluptate inquam, & voluptatum occasiones, ve vno verbo dicam. Socr. Quid communius esse putas, bonum an iucundum? Callic. Bonum. omne enim iucundum bonum est, at non omne bonum iucundum est. Virtutes enim bonæ sunt, attamen non iucundæ. Socrates. Vide quid dicas. Bonas esse virtutes non autem semper iucundas: sic enim interpretor. Callic. Rectè. Socrat. At voluptates iucundas esse ais, itidem etiam bonas. Callic. Quid ni? Socrat. Quid si ego ostendero voluptates non esse bonas, nec dolorem malum. Callic. Hoc est in quo penè tota consistit hodierna altercatio atque hesterna. Socrat. Propè igitur nihil peractum est hoc biduo? Calliel. Certè parum aut nihil, vt video, si hoc obtinueris. Socrat. Imò si obtinuero, confectum erit negocium, nunc vsque nihil peractum est. Callicl. Eia igitur, age strenuè vt hoc ostendas. Socrat. Illud tibi perspicuum, imò cuiuis esse potest, pœnitentiam nil aliud esse quam omissi boni quod in tua fuerit potestate recordationem. Siquidem si quis pecunias tibi obtulerit, vel vendere domum voluerit, vel vxorem in matrimonium locare, nec receperis, vbi recognoueris talia esse bona, statim pœnitentia duceris. Nemo quod non malè fecerit pœnitet, sed lætatur potius. At neminem pœnitet voluptatum non habitarum, quinimo lætatur & gloriatur quod abstinuerit. Nam neque Bellerephontem pœnitet apud Homerum quod Antææ κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι non indulserit: neque Hippolytum quod Phædra, nec Agamennonē quod Hippodamia non potitus fuerit, sed potius gloriatur: nec Achillem quod ad conuiuium non venerit: Non igitur voluptates bonæ sunt. Quid ais ô Callieles. Callicl. Non habeo quod dicam, repente me irretisti. Socrat. At si voluptates non sunt bonæ, nec dolores mali erunt. Eadem enim est ratio contrariorum. Quid ais? Callicl. Et hoc etiam durius: considerabo; interim sequere, nam maiora paradoxa auditurum me video. So. Paradoxa? imò Axiomata. Sed dic, si neque voluptas bona neque dolor malus, nec quæ ad ea ducunt bona aut mala censenda sunt, Quid ad hæc? Cal. Hæreo, stupeo: Sed quænam ad hæc ducunt? & quæ dicis ô Socrates? Soc. Ad voluptates; dico opes, amicitiæ, amores, potentia, libertas. Ad dolores; morbi, carcer, cruciatus ac talia. Cal. O quæ audio, nonne dicebam tibi ô Socrates te paradoxa dicturum, At ista magis admiranda sunt quam quæ à Poëtis scribuntur. Illa enim admiranda prorsus sunt: an tamen aliquando contigerit aliquis dubitare potest: At de his quæ dicis nemo dubitare potest, cum experimentum doceat contrarium horum. Socrat. Responde igitur. Callicl. Quid si non scirem respondere argumentationi qua me asinum esse conuinceres, nam & id planè facturum satis confido, num velles me molæ ducendæ vlsum liberum & ciuem Atheniensem nihilque mali meritum subiicere? Socrat. Iam disputamus: id quod dicis plurimum abest non solùm à ratione sed à sensu: vbi sensus iudex non est rationi standum est. si ratione conuincereris debere centum minas etsi non deberes, iudices te ad soluendum adigerent. At vbi sensus iudex est, sensui standum est: Nemo autem sensu te esse asinum dicere potest, sed deprehendit esse hominem & Callidem virum bonum ciuemque Atheniensem: Cal. Verum enimuerò ne me tam abiectum esse existimes vt diffidam non posse huic rationi, quam palam est falsam esse, respondere. imò multiplex est fallacia. Neminem pœnitet voluptatis omissæ, falsum primum hoc est: quinimo ereptam sibi occasionem plurimi dolent. Imo neminem non pœnitet ob id, sed quidam gloriæ sibi ducunt sponte potuisse negligere, quod etiam in cæteris bonis contingit. sed neque omisisse bona semper piget, sed tantum egregia: At ego neque omnes bonas voluptates esse contendo, neque tu nullas. Propterea id omittamus. Soc. Distinctè primum si placet singula attingamus & bona fide. Callicl. Placet. Quid vis. Socrates. Primum quod suadent oratores & circa quid maximè versantur, est bellum; videamus quæso an bellum bonum sit populo Atheniensi? Ex hoc enim multa declarabuntur. Callieles. Rectè cogitasti. Soc. Dico ergo bellum omnino malum esse & priuatis & reipub. Bello homines intereunt aut redduntur inutiles ac syderantur, fiuntque probi, sæui, fures, impij: cædes peraguntur insontium, vastantur agri, vruntur segetes & proteruntur, diruuntur domus, diripiuntur vrbes & villæ, succiduntur vineta, consita, vastitas fit vbique, stupra, iniuriæ admittuntur in imbellem sexum & ætatem, artes negliguntur, disciplinæ & liberalia studia contemnuntur, deorumque cultus, religio cum sacris omnibus, sacerdotibusque ipsis profanantur & conculcantur. Sed quænam vtilitas etiā ipsis militibus? equis quidem drachma argenti in singulos dies, peditibus duæ drachmæ in singulos menses; res vix fidem posteris seculis habitura. Quid ergo potest esse bello miserius, seu ad eos quibus infertur, seu qui inferunt, referatur? Nihil adeò execrabile quam bellum, vt contrà nihil tam salutare quam pax. Sed fac vt bello vrbs ipsa fiat lógè potentior, milites ditentur. Quæ diuitiæ possunt esse cum tot assiduisque tributis? vtile interim lucrum perit: quod partum est breui dilabitur, homo inertiæ & luxui atque luxuriæ assuetus, fit ex paupere mendicus. Ipsa verò vrbs quod malè partum est plerumque restituere cogitur; si non cum fœnore multò amittit. Si retineat, maius in retinendo dispendium (omitto modò labores & pericula) quam reditus. Itaque non tam priuati quam vrbes & reges ipso bello fiunt pauperiores. Quinimo ipsa bella solent comitari penuria, & pestis, vt paucis antè annis vidimus.

Quid ergo agunt impij oratores, mille suppliciis digni, qui miserum hunc populum ambitionis & auaritiæ solius causa tot iam annis exagitant? Nec misericordia tot pupillorum, virginum, viduarum, senū, mendicorum,

ægrorum, ſeruorum, opificumque plebeiorum mouentur, quibus indicto bello ob annonæ penuriam propter tributa fame pereundum, quamuis in excelſo poſiti, nec vt mortales ac ſocij meminerunt, iuſtitiæ, æquitatis, honeſtatis, verecundiæ. Non eos pudor mouet, non recordatio humanitatis: nec cum ſeruiant populo, magiſtratibus obtemperare coguntur, maximeque Sexuiris, metus illos & tot exempla ſuorum maiorum qui malis modis periere coercent. Sed neque in pacata & à bello quieſceote Repub meliores aut vtiliores ciuitati, ſed diis acti furialibus inaudita committunt ſcelera atque immania. Vidimus paulo antè quæ per hoc contigerunt apud Corcyreos, & quæ nuper inchoata eſt ſeditio apud Arginos, neſcio tandem quo eruptura, ab oratoribus accenſa, alita.

Sed quid abiectius hoc genere hominum perditiſſimo, iniquo, futili, vano? Videas in felicitate ſecundiſque rebus furioſos, in aduerſis adeo proiectos vt quæuis mulier fortior ſit, quiuis puer prudentior. Quid ergo prodeſt aut quam ob cauſam ei diſciplinæ dare operam, qua adepta pernicioſi patriæ vniuerſæ, ciuibus ſingillatim & amicis, ſibi ipſis inutiles & modò blandiente fortunâ intolerandi, modò in calamitatibus lugubres, ſemper autem ſtulti? Quid enim ſtultius quam populo ſuadere, vt in cæde regum amicorum iniqua, quoſque iam ob benemerita ciuitate donarunt, lætitiam publicam præſeferrent, ipſos proditores aut eorum ſtatuas corona (quod ſummum erat ornamentum) decorarent ſacrificarêntque? Quod cùm non ſemel hic populus in huiuſmodi caſibus fecerit, quid aliud illi egerunt quam vt meritò alioquin in precio habitus, vt odio maximo tanquam ingratus & perfidus, & contemptus, vt qui plus non poſſet tyrannis hoſtibus malefacere dignus haberetur? Quid ſi Theſſalorum aut Macedonum rex aliquis quantumuis in nos humanus ſimili caſu affligeretur? quid aliud aduerſus omne iuſiurandum ſpreto omni decore ciuitatis legibuſque peſſundatis modò liberarentur viciniſ, quanquàm inſontis regis metu quod in Perſarum regibus negligunt facturi eſſent? Sed quo improbitatis deuenerunt omnes non dicam aliqui, ne vt prius ſubterfugias, vt Thucydides damnatus peculatus in exilio vixit, eorum conſcribens hiſtorias à quibus damnatus erat. A quibus ſi iniuſtè, quomodo potuit; ſi iuſtè, cur voluit? Quid de Pericle, qui vana publica lætitia, & ſolida priuata triſtitia, luctu ſcilicet filiorum adoleſcentum, coronatus ſacrificabat. Omitto noſtros, quid enim fœdius Lycone? Quid Iſocrate ineptius? Quid Iſæo venalius? quamquam vulgare ſit omni Rhetori orationes in vtramque partem habere. Gorg. Sed hæc ô Socrates ſunt malorum virorum flagitia, non oratorum. Socrat. Imò, quòd hoc tu non facias, priuilegium eſt probitatis tuæ, non artis. Calicl. Ergo ſuades ô Socrates vt homines ſemper in pace degant, idque Reipub. vtile eſſe reris. Socrat. Non. Imò volo iuuentutem exerceri, ſenes peritos eſſe militiæ, arma pro quadraginta millibus peditum & pro quinque millibus equitum, triremes & quinquiremes paratas ad numerum trecentarum in portu: machinas etiam præterea, ſumptus, miniſtros, magiſtratus, opifices, alimenta, duces, ſic ad manum, vt ſi mane de bello gerendo decernatur, veſperi claſſis aut exercitus prodire ſic poſſit inſtructus in ſex menſes vt nil deſit. Callicl. Difficilis res hæc Socrates. Socrates. Imò facilis: illud nobis animaduertentibus quod in feſtiuitatibus ſeu Bacchanalium ſeu Panathenaicorum omnia multo aut in promptu ſint; cum tamen feſta hæc voluptatis cauſa potiùs quam ſalutis Reipub. ſint inſtituta. Ipſam præterea iuuentutem non ſolum meditationibus & exercitationibus eruditam & ad bellum promptam, ſed etiam vſu belli eſſe volo: ipſius paucos ſingulo anno emittendo, ſempérque alios atque ad alios ad fines Athenienſium, qui partim vrbes dubias retineant in fide, diſcántque cauti ac modeſti eſſe. Alij arces tueantur, hi patientiæ aſſueſcent, vigilantiæque. Qui vero præliis arces oppugnare aut ſuffocare tentabunt, hi fortes, & vafri, callidi impigrique euadent. Demum alij & multo plures Atticam circumerint die noctúque æſtate atque hyeme, vt aſſueti frigoribus, niui, ardoribus, itineribus, tranandis aquis, geſtandis armis, ſeruandis ordinibus inter eundum, nullumque munus militis non tenebunt, vt futuri ſint non ſolum perfecti milites, ſed etiam quod optimum eſt aſſueti ac duri. Ita paruo diſpendio fortunarum ciuium, minoréque cæde, florentibus ſtudiis diſciplinarum, omnibus etiam regibus incipient eſſe terribiles. Iam verò à Laconibus parum timendum eſt, cum eò redacti ſint, & ob clades & ob terræmotus, vt ad nos auxilij cauſa confugerint. Gorg. Erant ne adeò terribiles in bello? Soc. Imò penè inuicti ô Gorgia. Gorg. Cur? Socrat. Dicam, poſtquam audire cupis. Inſtitutio vitæ ferme omnium bonorum in cauſa erat. Primum nullis artibus vacabant, ſed ocioſi erant, ideo etiam libertatis defenſores acerrimi, velut etiam vides Perſas & Indos. Vt contrà qui artibus dant operam, ſerui fiunt: amant enim lucrum, degeneres euadunt, & artem militarem non poſſunt exercere; vt Lydi ac Phryges. Propterea audio in Italia, vbi bellicoſiſſimi feruntur eſſe homines, cùm artibus non poſſint carere omnino, nullam tamen ſedentariam, vt textorum vel ſutorum eos exercere: Sed ea relinquunt munera mulieribus, ſeruis, libertinis, & exteris. Deinde vt ad Lacones reuertar, cùm ocio dediti eſſent coacti ſunt totos militiæ ſe dedere, nam agriculturam Ilotis mandarunt. Victu autem adeò aſpero domi viuunt, vt delicioſiùs in caſtris viuere videantur. Sic tamen in caſtris viuunt, vt prælium tanquàm ſolutionem laborum expectent, atque optent. Ita gloriæ conſuetudinis & ſecuritatis cauſa cum ſemper armati degant, & plurimum exerceantur, ſub dio maneant paucóque cibo ac potu vtantur, corpora habẽt, vt videre potuiſſes noſtris multũ diſſimilia, vaſta, gracilia, macilẽta, hirſuta, nigra, laborũ ſupra modũ patientia. Cum vero ad pugnã prodeunt, miris modis incitantur: Æneis ſiquidẽ tubis Doricũ Pæana canunt, atque ita ad prælium ſe accingunt. Par ſimul admiratione, riſu terroréque

multo digna; videre totum exercitum velut Bacchides saltantes. At cum sint leues & validi, vt diai, res prodigio similis videtur, clamantque Italorum more, vt vix vllæ sint acies sed præcipuè Barbarorum quæ illorum aspectum sustineant. Et vbi dimicare cœperint agilitate robore & alacritate, quam tantum visam desperant diu se posse impetum reliqui populi Laconum sustinere. Quod nisi quodam Fato à Thebanis victi essent: totque simul & contra nos & contra Thessalos & Messenios & Persas bella suscepissent, præcipuè autem maritima, in quibus minus multo valent, postmodum euersi funditus terræ motu, vt quinque duntaxat domus in tanta vrbe superfuerint: superbiâque intoleranda quæ etiam sæuitiam immanem in eis peperit cunctis Græcis odiosi facti fuissent, adhuc starent, adhuc florerent, imò etiam imperium totius Græciæ retinerent. Sed vltio diuina ô Gorgia credo & nos & illos miris modis persecuta est. Callicl. Sed ad oratores redeamus; aliâs nunquàm finem habituri. Socrat. Imo. Constat ex hoc Rhetoricam non esse vtilem artem; quæ nec in bello nec in pace vtilis sit; nec amicis nec inimicis, neque ciuitatibus nec ciuibus. Callicl. O Socrates non parum est, velle clauam è manu Herculis eripere: & à Rhetorica tollere pulchritudinem. Non est Rhetoris suadere quod optimum sit, sed in re bellica ducis prudentissimi, in Republica peritissimi gubernatoris, in iudicio sapientissimi Iurisconsulti, in ædificando verò Architecti, atque ita in reliquis. Hoc vnum sibi solum vendicat orator, vt quod suadendum est vehementi oratione validisque argumentis persuadere norit: id autem aio esse semper vtile atque decorum tum priuatis tum Reipub. tum sibi ipsi. Sibi ipsi quidem, quod pulcherrimum sit ab omnibus in admiratione haberi, posséque quod velis efficere suaui loquentia, vt alij velint: & turbam in tot partes diuisam in vnum redigere. Quin etiam ipsa per se facundia pulchra est; opes, authoritas, potentia inter ciues parantur per multos annos: atque id satis est: requirere cum mortalis sis immortalem felicitatem, stultum est. Vbi cadendum, tanto altius cadere necesse est quo plus ascenderis. Hoc admirantur mortales, causæ nescij. Ceciderunt Thucydides, Pericles, Isocrates; vt alios prætercam, quid turpe in Pericle? priuatus natus, obiit Reipub. Princeps & ciuitatis dominus. Euertit vrbem nostram: hoc si sic est, mali ciuis officium fuit, non boni oratoris. At si bonus orator non fuisset, non euertisset, neque si non vidisset prudens & solers; fuisset etiam incolumis, nunc ergo omnia hæc vitiu verte quod non sine illis imò cum illis Rempub. euerterit. Sed neque si non tam mansuetus fuisset tantum imperium obtinere poterat: ergo & mansuetudinem etiam damna. Quin etiamsi Sol non illuxisset vnquam, hæc agere non poterat; an ergo bonum fuisset carere perpetuo Sole? Quis hæc nisi stultus prorsus adducat in medium? Laudatur Nestor à sapientia & facundia. Duo erant, non vnum; duo fines, vehementer persuadere; sed rectè, facundiæ; vtilia, sapientiæ. In Isocratis morte quid habes quod non laudes? proximus centesimo anno incolumis quieto obitu sinéque dolore obiit. In Thucydide; improbitas fecit exulem, facundia effecit vt multis domi qui essent ciuibus præferretur: & nunc monumenta sua leguntur. At non sunt fortes, patientes, prudentes in aduersis: non est hoc munus Rhetoris, sed quod sciat persuadere. Et quanto altiore loco se deiectos intelligunt, eo vt mortales catti vehementius dolent ac lugent infortunia sua, nihil ergo in his alienum à ratione, vel admiratione dignum. Id medicis, pictoribusque nobilibus, ac principibus accidisse video, non accidit pauperibus solisque Philosophis inter eos qui in precio habentur viris, nec illis etiam omnibus contingit vt mortem patienter ferant ac fortiter. Illi euadunt ab hoc metu qui mortem fortuitam subeunt. Cæterum durum est, non timere imò etiam non lugere instantem mortem.

Dicis præterea optimum esse, patriæ bene consulere; omitto modò multa de quibus acturus sum pòst, id à te quæro tanquam Philosopho eoque præclari nominis: si vt maior redundet vtilitas atque generalior ô Socrates, cur non potius toti humano generi? si vt euidentius bonum, cur non tibi soli? Dico sic ô Socrates: natura mihi videntur omnes agnati cognatique ac proximi; nam omnes sumus eodem genere nati; quid est hoc partiri Græcos à Barbaris? Seruos à liberis? Athenienses à Leontinis? quandoquidem omnes sumus homines, omnes humanitate digni, omnes Deorum cultores, nisi si qua gens impia sit, & omnes eodem sanguine procreati. Quinimo, ni me fallunt quidam qui de natura scripsere, affirmant, omnes homines quod ad formam attinet vnum solum eundemque esse hominem, distingui ob materiam subiectam. Id illi, verúmne an sit ignoro, palàm iactant. Callicl. Verum Socrates qui patriam vnam incolunt, eisdem sacris vtuntur, eisdémque legibus, matrimonia iungunt, officiis se inuicem vinciunt, beneficiis obligant, si vnus lædatur ea iniuria ad omnes peruenit. Iactura quoque persæpe communis est, nec existimato tot legumlatores id solum non vidisse quod tu solus vides. Socrat. Imò quid voluerint legumlatores nescio. Lycurgus dum hortatur Lacedæmonios ad arma, ad patriæ potentiam, vt Atheniensibus noceant, sintque incommodi hortatur. Idem facit Solon, Athenienses hortando contra reliquos: nam & vt infesti sint Lacedæmoniis suadet; vterque autem omnibus aliis. Cum ergo pugnantia præcipiant malè alter aut vterque consulit. Hinc orta tot mala, euersiones vrbium, iniuriæ, miseriæ, seruitus, res omnino execranda. Finge aliquem ex communibus omnium parentibus viuere, quomodo feret? perinde ac si pater filios inter se pugnantes, vt Oedipus Eteoclē & Polynicē.

Sed non viuitam putas Deum vniuersi parentem non meliorem fore homine illo? Et æqua mente laturum tot opprobria quæ vnus in alium iniustè congerit & mala quæ infert? Callicles. De parente non dicam, neque enim natura hoc voluit vt tam diu superesset, vt posteri illorum diuersas regiones incolerent, diuersis institutis viuerent: Sed quod ad Deum attinet ipsemet aut autor est huius quam tu vocas iniustitiam, vel

saltem

ſaltem exemplum exhibet. Et cum multa pro hoc oſtendere poſſem, vno duntaxat euidenti ero contentus: Propter quid enim creauit ſeu is, ſeu Natura eius vice, pulices, pediculos, cimices, muſcáſque, quæ omnia ſunt ſupplicia pauperum, quòd neque mutare poſſint veſtes cum libet, nec domos; nec ſeruis vtuntur: at diuitibus hoc malum eſt prorſus ac ſi nullum eſt. Cubiculis frigidis, locis perflatis ætate degunt, lectos mutant, omnia oitent, veſtes mundæ, ſerui flabellis ita muſcas exagitant vt perſæpe cum voam anaiè quærant domini alicuius experimenti cauſa oon inueniant. At ſi Deus hominum æqua condione gauderet, hæc non generando pepercisſet labori, magnóque decori fuiſſet voiuerſo huiuſmodi non eſſe. Socr. Imò ô Callicles ob id videtur homioes ad æqualitatem incitaſſe, ne talis perferrent. Callic. Nugæ, ô Socrates, nam opportuiſſet auxilium non voluotatem vel incitamentum præbere? quandoquidem inæqualitas ipſa per ſe nobis domioetur ob ætatem, ſexum, valitudinem, robur, ingenium, fortunam quandam; æqualitatem nullus voquam populus vel inter ſuos ciues, quantumuis paucos, ſeruare potuit. Vides Athenienſes, quibus nulli fuere magis æqualitatis ſtudioſi, & tamen inter illos maxima eſt inæqualitas: opulenti, miſeri, inquilini, ciues, ingenui, liberti, liberi, ſerui, oratores, elingues, potentes, abiecti, nec præter Senatum Quingentorum, quem etiam multi euitant ob inopiam, quique oullum emolumentum affert, vlla dignitas aut magiſtratus ſortitione eligitur. Itaque fatearis, mi Socrates, etiam Deum fauiſſe iniuſtitiæ, vt beatis ac opulentis bene eſſet ex ipſa conditione quæ melior eſt, ſed etiam vt quædam mala miſeriæ neceſſario annexa forent & intoleranda. Socrates. Aperuiſti mihi vel noo circumſpicienti oculos ô Callicles: Siquidem ordinem hunc nobilitatis velut in immortalibus eſſe voluit ſine incommodo, ita & inter mortales etiamſi iocommodi quicquam adiungeretur. Ordo autem bonus eſt & ex Dei inſtituto, incommodum ex noſtra conditione. At hoc incommodum leuius eſſe exiſtimauit, quod ad alium finem puto Deus ſpectaret. Itaque iniuſtitiæ Deum nunquam fauere confitear, vbi etiam iniuſtitia viget Deum multa ex propria liberalitate donaſſe non negauerim. Velut Solis & aquarum vſum, fortitudinem, pulchritudinem, eloquentiam, gratiam, ordinem, ſine quo neque decor adeſſe neque ad ſummum perueniri poteſt. Verum iſta mittamos, maximum mihi videtur Rhetorum iniuſtitiæ argumeotum, vniuerſéque damnandæ artis, quod ipſa ars ex illegitimis maximam partem argumentorum aſſumit: ſic enim omnes illios magiſtri docent. Ab vtili ſumendum argumentum, à ſecuritate, à facilitate, ab exemplo, ab affectu: ambitioſos contentione, iratos vindictæ commemoratione, inanes ſpe iocitando, inuidos docendo quo poſſit ille euerti, æmulos quo poſſit iudex anteire, improbus rapinarum viam patefaciendo: atque in his nulla recti aut æqui cura erit. aut igitur ſingula ex his relinquere oportet, maximamque artis ob id partem, aut fateri non æquam eſſe artem ſeu indifferentem, imò omnino malam & iniuſtam. Callicles. Videris mihi locuſta ſine capreolus, ô Socrates, qui hinc atque illinc ſaltitas. Sed tamen & huic argumento reſpondebo: Dico quod prius dixeram, artem neque malam neque iniuſtam prorſus dici poſſe, neque in probando Rhetorem debere vllam partem prætermittere, quæ ad probationem faciat, neque Oratorem quin in medium adducat. Verum ea ſola his auxiliis ſunt fulcienda quæ vel iuſta ſunt, vel ſecundum leges vel honeſta vel miſericordia digna. Nam cum rationes veræ populum aut imperitos iudices non mouent, huiuſmodi auxiliis vtimur, imò indigemus. At cum neſciamus an apud populum veræ rationes perſuaſuræ ſint, neque ſciamus ao iudices periti ſint quantum decet, propterea Rhetores ad maiorem ſecuritatem etiam has probationes vbique inculcant: Superfluè ſi poſſint recta via concludere, perinique autem ad defendendam iniuſtam cauſam. Socrates. Admirabilis es ô Callicles: ſed dic vnum; ſi veræ rationes probandi factum aliquod in quouis genere quatuor ſunt: Iuſtum, Ea lege, Miſericordia dignum, atque Honeſtum, vbi inuicem pugnent, vt plerumque accidere ſolet, cui innitetur orator, vt vir probus dici poſſit? Callicles. Rectè concluderes ſi ſemper vni inſiſtendum eſſet, nam vel reliqua eſſent ſuperflua aut abiicienda. Nam ſi iuſtum præponi deberet, nec eſſet idem iuſtum quod ſecundum leges, neque qood miſericordia dignum, neque honeſtum, cui vſui eſſe illa deberent quæ ſemper poſthabenda eſſent? aut ſi idem eſſent: quid curandum, cùm vno adepto omnia adipiſceremur? Conſtat igitur ô Socrates, aliud eſſe plerumque non tamen ſemper iuſtom, ſecundùm leges, hooeſtum, & miſericordia dignum.

Aliquando tamen coeunt, vt nullam anſam habeat aduerſarius. Quod & ſi diuerſa ſunt, non ſemper ſequi idem oportet, ſed quod eſt magis: atque in hoc probitas & Rhetoris & Iudicis etiam magis elucet. Veluti ſi hominem qui prouocauerit iratus occiderit: ſit autem qui occidit vnicus patri filius, aut matri, vna ex parte lex occidendum iubet, altera, prouocatio lenit ſupplicium, ira, tum miſericordia parentum, iſta cum ſint maiora legis imperio, ſeruabimus virum in lapidicinis aliquot annis. Contrà alius cui loco patris ſunt plures filij; adactus ſpe potiendæ pecuniæ interfecit mercatorem; hic legis ſeueritas plus poteſt cauſa miſericordiæ; cum filiis ſe eripuerit, nec illis pepercerit vt ſine labore viueret; Occidet hunc lex, filiis aotem vt alantur prouidebit.

Socrat. Rectè ais ô Callicles. Sed cur ſi quis patriæ cauſa ſpoliarit hominem laudatur, ſi filiorum, qui magis ſunt noſtri, pœnas dat? Calliel Ad priorem redis diſputationem clam ô Socrates. Verum ego non laudarim qui homioem ex vrbe hoſtili ſpoliarit atque occiderit, niſi ille hoſtili animo io te feratur. Quia tamen illis temporibus omnia ſunt periculi plena, & ob bellum tot inſontes & imbelles malè tractantur: & etiam ne in controuerſiam cuncta vertantur, volunt licere quod haud licitum eſt.

Socrates. Atqui mihi, etiamſi omnia dæ

patri

patriæ commodis, legibus atque coniunctione concedantur, mihi esse patria non videtur, ô Callicles. Call. Cur ita ô Socrates. Socr. Quoniam video non eosdem manere, sed velut in flumine nunquam eandem esse aquam, licèt locus ac nomen maneat. Quid potas fuisse de Atheniensibus? an credis Athenienses hos, esse posteros eorum qui fuerunt tempore belli Troiani: vel illorum qui tum fuere Athenienses nunc descendentes in vrbe esse? Sed illi partim alio se contulerunt missi in Colonias, alij captiui, alij exilio pulsi, alij ob negociationes, alij filios per adulterium genitos parentibus creditis reliquerunt: Ita qui nunc in vrbe habitant alij sunt descendentes exulum aliarum ciuitatum, alij militum, alij ex seruis nati, alij & negociationibus orti alienigenis, quidam etiam ex furtiua Venere aduenarum geniti.

Quo fit vt non rectè quidam veteres iniurias acceptas in eandem vrbem vindicauerint multo post tempore. Velut illud Gylippi, ab Atheniensibus pœnas exigendas Syracusiis quòd olim in Mityleneos, Melios, Sicyoneosque illi sæuierint mirum in modum.

Sit ita: fuerintque crudeles: an iidem sunt viri? non certè, nam vix duo ex illis supererant, dum Lacon apud Siculos perorabat: num quia eodem loco habitent? stultum sanè homines qui in vrbem aliquam veniunt, de criminibus ipsius vrbis veteribus teneri. Cum nemo sit tam atrox vindex, etiamsi filij sint illi necati ab inimicis, qui vindictam exigat ab eiusdem loci habitatoribus, vel quia eadem instituta seruent, vel quia eisdem aris vtantur, omnia hæc absurdissima.

Quid tandem quod illorum sint descendentes & ex eadem aguatione cognationéque? At hoc dixi inane & commentitium. An ideò quod vnum sit ciuitas; & certè ita est; & in vnum conspirat vt commodè viuat, ideo punienda est tanquam vnum sit? nequaquam, nam modo magis in cæteris conueniunt ciues inter se, quàm cum reliquarum vrbium ciuibus, his ipsis institutis, moribus, consuetudinibus, sacris, legibus non tam conueniunt quam conuenire coguntur. His addas, quòd viri minima pars sunt ciuitatis si ad numerum referantur, nam maxima ex mulieribus plerisque constat: quæ & si virtutis sint compotes, non tamen deliberationis illius potuerunt esse participes, cum à legibus prohibeantur. Et virorum etiam non vnum votum est, imò diuersa; vincitque deterior pars paucis suffragiis, imò persæpe nec plures sunt qui decernunt, sed vel audaciores vel pertinaciores vel potentiores, vel quod in magistratu contigerit esse, vel quod improbus orator nec ex ipsa vrbe oriundus suaserit: vt dixi de Gylippo, qui nostros ciues perdidit, cum Nicolaus Syracusius quamuis duobus egregiis filiis iuuenibus ab Atheniensibus eo bello orbatus eos seruandos consuluisset. Et Mitylenæorum excidij apud nos violentus orator Cleo. an vero par est tot viros dare pœnas vnius flagitio viri, aut etiam supino errore? absit. Itaque cum iam terminos egressi simus disputationis, par est vt concludamus non vnam rem, & eandem esse patriam; sicut nec nauim quæ nunc est, eam esse, quæ Argo olim Heroas vexit: cum nullæ illius tabulæ nunc supersint, non claui, non aliud quicquam; sed nominis continuatione in mortali re perpetuitatem, in aliena quod esset eadem incorrupta, tanquam sit superstes, mentitos esse homines.

Quid ergo aliud est hoc ciuitatis nomen, hæc multitudo, quàm factio quædam humani generis? Quæ cum esset inuenta ad mutuum auxilium & ad commoda singulorum qui in ea essent, dedocta est ad incommoda aliorum & ad dominationem.

Nam pari modo & in ipsis vrbibus vigent aliæ minùs amplæ factiones: popularium contra optimates, tenuium contra locupletes, artificum contra nobiles, vrbanorum contra rusticos. Denique etiam eorum qui vni vel alteri adhærent. Si ergo bonum esse præstat & vtilem, omnibus hominibus, modò hi cæteris non sint infesti, bonum & vtilem esse conuenit: Si proprio commodo consulendum, tibi tuisque fratribus, parentibus, posteris atque amicis duntaxat benefacies: Ita in nullo numero hoc patriæ nomen erit. Call. Vera esse reor quæ dicis ô Socrates, si de bono viro simpliciter sermo habeatur, sed aliud est vir bonus, aliud ciuis bonus.

Nam cùm ciuem bonum dico, eum intelligo qui omni suo studio ac coram iurauerit in commoda illius societatis, atque ob id ad illa tenetur iuramenti vi & sodalitatis vt dicunt. Verùm si bonus simul vir & ciuis esse volet, commodis omnium bonorum studebit: modò boni illi ciuitati non sint inimici. Quòd etiam si sit erga illos in priuatis officiis, bonus erit ac iustus, in publica inimicus: alisse eximat è ciuium numero & vt deus quispiam aut fera solus viuat.

Quòd vero dicis de aliis factionibus, rectè reprehendis; hæ enim neque bonorum sunt ciuium neque hominum, sed improborum & proditorum. Et qui ad illas etiam conniuent, non sine culpa sunt.

Sed neque bonus ciuis est qui iniusta suadet ciuitati, quamuis vtilia; quoniam in iuramento intelligitur vt aduersus decreta naturæ non faciat nisi coactus. Est autem naturale homini benefacere, vt etiam cæterorum animalium.

Nam quæcunque amamus his benefacimus naturaliter; amamus autem homines omnes quia pulchri videntur: pulchri autem videntur quia similes: ita Equus equo viso gaudet, Bos boue, Ouis oue, Leo etiam leone.

Socrat. Sed tamen magis amamus mulieres quam viros, etsi vir viro similior sit quàm fœmina. Call. Ita; illud non est naturale ex origine, sed finis causa. Vt enim genus conseruaretur, concubitus erat necessarius: at concubitus cum muliere fit, non cum viro, ideò cum concubitum alliciat amor, conuenit vt finis gratia mulieres magis amaremus quam viros. Quamuis viri si nudi inspiciantur longè sint pulchriores. Ob id pictores & scultores viros nudos libenter faciunt, mulieres autem vestibus ornantur. Sunt enim in viris omnia rectiora, maiore cũ proportione, & magis expressa. Mulieribus genua inter se colliduntur, carnes laxæ, crura & coxæ

breuiores

breuiores quam par sit, nates & mammæ crassiores, venter latior etiam si virgo sit. Quocirca Tyrtheni & Sybaritæ & Tarentini malè faciebant pueros cum puellis nudos exponendo, nam cum forma adsit venustior, nec concumbendi modus, in nefatiam venerem proruunt. Sed si paululum considerarent, non quæ extra est, cutim solam, sed quæ intus continentur: puellarum quidem corpora & concubitum maximo emerent, puerorum ne maximo precio sollicitati inirent. Sed & est maius in mulieribus quàm pueris cum viris similitudinis argumentum. Soc. Quod? Cal. Virtus siquidem. Socr. Nunquam fatebor ô Callicles virtutem in fœmina esse. Cal. Cur? Socr. Quoniam fœmina est vir imperfectus, multumque ab illius dignitate remotus: cumque vix in viro nisi philosophia imbuto virtus adsit, quomodo vis vt in muliere? Cal. Nugæ! velut in viro virtutes sunt absolutæ, ita in muliere minus sunt perfectæ. Socr. In quibus dicas, & quæ nam virtutes? Cal. Fortitudinis primum, vt ab eo exordiar quòd magis alienum est à natura muliebri, quale experimentum dedit Penthesilea? quæ parum abfuit quin Græcorum naues apud Troiam exuteret. Qualis Artemisia annis ab hinc circiter quinquaginta, fortitudine, pietate, prudentiáque insigni? Et Semiramis Nini vxor quam amplum imperium rexit prudentia, quantum auxit fortitudine? Et Penolopes quanta fuit continentia? Referunt etiam in Italia quandam mulierem Lucretiam nomine quod stuprum passa sit à regis filio semetipsam occidisse, cum vir hortaretur vt viueret. Quid de Armoriæ Gelonis filiæ fide ac fortitudine? Sapphonis sapientia? Pudoris quantam rationem habuit Polyxena dum caderet, & pudicitiæ Hippo iam paucis ante annis extincta? Quid plura? nonne sapientissimi legumlatores curam rei familiaris mulieribus delegarunt? Est mulier comis, prudens, pudica, fortis, verecunda, fidelis, pia, iusta, parca, prouida, misericors, grata, læta, continens, temperata: & licet in plerisque inferior viro, in quibusdam tamen etiam præstantior. Ergo pro hac pugnabimus potius quam pro Republica. Soc. Etsi fœmina virtute polleat non tamen similior erit alteri viro, cum fœmina sit præstantior. Callicles. Vera dicis ô Socrates, sed fœminæ quæ virtute præcellunt frequentiores sunt viris ac multo plures, adeo vt omnes ferme sint participes mansuetudinis, misericordiæ, cuiusdamque peculiaris prudentiæ, quæ & si non tanta sit quanta virorum, domui tamen tractandæ est accommodatior. Soc. Ergo neque orator quod bonum est Reipub. consulet: neque vt video quenquam ad virtutem hortabitur, quæ non sit illi vtilis. Cal. Non id dico ô Socr. sed inspicere oportet quam bene instituta sit ipsa Reipub. Soc. Quomodo? Cal. Vt Deorum potius quam hominum sit domicilium. Soc. Quid ais? Cal. vera dico. Socr. Quomodo vt sint leges optimæ atque illæ seruentur. Defensorem autem populum instituere oportet atque etiam peculiarem quendam magistratum qui eis præsit, nam si solus is defensor sit, aut succumbent hi, legésque contemnentur, aut si vincant & superiores illi sint, Rempub. occupare poterunt, vt in Italia contigit quibusdam qui legibus à ciuitate nostra acceptis præfuerunt. Quapropter oportet leges esse æquas admodum, & populo inesse quendam sensum Dei ad illas seruandas illarumque voluntatem potius etiam quam verba: & vt Iudices optimi quique sint & incorrupti, ipsi verò ciues assueti parêre legibus, & ab initio illarum amore flagrare: quod fiet si societatis non pœniteat, sed adeo bene temperata sit ratio bonorum magistratuum, opum, tum muniorum, laboris, & tributorum, res bellica, agrorum cultus, vxoria coniunctio, patriáque potestas & in seruos dominium, conuiuia ac festa, viuendique mos, vt se superiores ob hæc omnia cæteris mortalibus existiment. Deinde vt ab initio quædam bona fortuna affulgeat, vt tamdiu semel sine offensa cohabitent, vt etiã sine externo bello nulla seditione inter se laborent. Id scilicet fiet in trecentis annis vel etiam ducentis, in totidem enim populus assuescet legibus. Quod si non benæ fuerint neque æquales, bello externo, vt nostra ciuitas & Lacones, quicquid habent iratum intet se in miseros effundunt hostes. Sed non est bene instituta Respub. quæ nisi bello teneatur externo, non diu potest sine seditione manere. Nam huiusmodi ciuitatibus accidit vt quanto feliciores sunt magis erumpant seditiones, & ita aucta potentia fiant miseriores, quando feliciores esse deberent. Et ideo leges ciuitatis ad pacem potius quam ad bellum debent esse comparatæ, aliter semper illas necesse est labore grauibus infortuniis, velut etiam vt audio apud barbaros Carthaginenses in Africa & Romanos in Italia. Hæ igitur quatuor vrbes etiamsi ad imperium vniuersi peruenirent, felices esse non possent, imò nec tum retinere libertatem, quòd leges illarum prauæ sint, sed ciues belli tempore iras vrbicas in alias ciuitates effundunt Quare necesse est huiusmodi ciues esse iniustos & sæuos, & immania patrare facinora. Iuuat autem multum vt seditio non procedat, ne quis ciuis ferat omnino arma, nec comitatum ducat domesticum, sed hæc omnia solorum sint magistratuum. Vt verò armia carere honestè possint, imò quasi necesse id illis sit, vestis longa vel à pueris admodum & latis manicis in vsu sit. Sic enim velatur corpus & arma nimis dedecent. Cum ergo Respublica legibus ad tempus pacis potuerit bene coalescere, idque fiat si virtutibus maxima gloria honorum, dignitatumque præmia statuantur: idcirca necesse est etiam vsum adesse statuarum, & ordinum, & sepulchrorum & ornatus in vestitu & similium: nam pœnæ & si graues necessariæ sint violatoribus legum, odia tamen inter ciues pariunt: potiusque sunt ad tollendas seditiones quam concordiam augendam: nos autem cum vtroque indigeamus, concordia tamen per se sufficere potest ad retinendam non solum ciuitatem, sed imperio amplificandam, quies autem vix retinere potest ciues. In tali ergo Republica melius existimabunt ciues benefacere patriæ quam sibi: imò etiam melius erit quod famam & gloriam quam tota vrbs potest præstare patriæ benefaciendo, si tibi

aut

aut aliis benefeceris, non consequi posse speras. Quare & si immortalitatis animorum nulla esset spes, imo magis etiamsi non adesset, multi ad benefaciendum patriæ incitabuntur, sed tamen spem illam retinere bonum fuerit. Similiter & si Deos nec testes bonorum operum habituros credamus, neque adiutores, sed

Nec curare Deum credis mortalia quenquam.

Quod tamen religione summopere cauendum est: Etsi etiam destinamur, velut illi qui animo efferato sunt & audaci, timore aut pœnitentia quæ ex conscientia scelerum gigni solet; ac etiam ratione illa optimè à nostro Gorgia adducta, cur flagitia semper tandem hominem verè reddant infelicem & calamitosum: nihilominus hoc vno auxilio & ciuitatū concordia & amor virtutis in precio maximo haberi poterunt, atq; perpetuo (quod ad humanas attinet) res retineri. Soc. Quinque igitur modis, vt video, homines virtutum cultores ac boni, etiam suppliciorum omisso metu, esse possunt. Cal. Equidem. Atque ita Orator bonus in huiusmodi ciuitate libenter audietur atque vtilis erit, hortando ciues ad publicam potius vtilitatem quam ad priuatam, quoniam & in publica singulorum vtilitas etiam magis quam si quis sibi soli consulat habetur. quia ergo non malit ambas quam vnam per se solam: Eásque cum decore quam solā cum dedecore? At si bonus orator in male instituta fuerit Republica, dum ad virtutem & concordiam ciues hortatur, boni quidem fient meliores ac magis incauti, atque ita maior potentia improbis ciuibus relinquetur & in bonos ipsos magis grassabuntur iniurij, vt magis expositos illorum violentiæ atque fraudibus. Itaque nescio quantum tuis istis adhortationibus boni afferas huic vrbi aut quantū profeceris, videntur enim mihi indies ô Socrates deteriores isti nostri ciues fieri: nam turpiter sequuntur alienas opes, vt nuper dum Syracusios ob solam prædam inuaserunt, sed infœlici sydere ac quasi aduersus Deos: vt penè vrbs nostra hoc aduerso bello conciderit, vt præter atrocem animū & sceleratas actiones etiam non leue infortunium vrbis consequatur. Idque vt video contingit bifariā, primum, quòd non est suadenda virtus in ciuitate malis legibus instituta. Quod si leges sine bonæ, more tamen diutiuo deprauatæ, aliquo magno præsidio sunt restituendæ: velut potentia, religione, efficaci ratione, gloriæ spe, quib. omnib. cum tu destituaris meritò dixerim (neque tamen mihi irascaris ô bone) tuas has disputationes ad gloriam tibi comparandam potius esse quam ad ciuitatis vllum commodum. Soc. Ego tamen bono animo hæc feci semper, sed quomodo videam res labi in deterius, non habeo quod dicam nisi illud tritum: Non sēper sagitator collimat, verū, ô generose, postquā adeo videris valere arte oratoria, dic quæso quib. nā in præceptis maximè illa consistet. Cal. In quatuor maximè quouis in genere siti seu demonstratiuo, seu deliberatiuo, seu iudiciali. Soc. Hui tam paucis? dicas quæso. Cal. Amplificatione probationum, coniectura ad probationem deducenda, Ancipiti in tuā sententiam trahendo, & connexu. Qualia sunt, nostri rei seu actoris virtus, nobilitas, fortuna aduersa, calamitates, exemplum, amicitia & fauor bonorum, simplicitas, religio, atque huiusmodi: contrà aduersariorum contumacia, violentia, doli, crudelitas, odium, factio atque huiusmodi. Soc. At si tam pauca sunt, quare est quod ipsa ars singulis ætatibus tantū accipiat incrementi? nam quæ dicit, singulis etiam fine fermè mihi videntur esse perspicua & cognita, at videmus quantum præster Cleon Antiphonti, Isocrates Cleoni, Lysias Isocrati: & nunc Isæus iuuenis quidam vti audio magnā spem de se suis initiis affert. Vidi orationes quasdam Periclis, quanto meliores videntur quam Themistoclis, & tamen ille sua ætate in precio maximo habitus est; fuitq; Themistocles paulo antiquior Pericle, nunc verò Lycon dedignaretur oratione Periclis vti. Gor. ô Soc. hæc non sunt incrementa artis, sed quod orationes cum persuadere debeant, oportet vt sint moribus hominum accommodatæ. At mores hominū in dies fiunt delicatiores, ideo & orationes delicatiores requirunt. non quod in antiquis neruus aut roboris aut acuminis aliquid desideretur, siquidem homines iidē fuere semper. Indicio sunt Charondę Cataniēsis De Rep. libelli, qui quanquā antiqui, nemo tamē vel elegātia æquare potest. Et nisi nimis arcto argumento essent; siquidē de falsis testibus; idē summus orator & legislator haberi posset. Sed & idem discrimen inter oratores eiusdē ætatia veluti nostræ, videre potes; nā quæ oratio apud Lacones persuadebit si habeatur ad nostros ciues ridebitur: & nostra si ad Lacones habeatur, totum audire non sustinebunt sed reiiciēt. Cum ergo solū nitore quodam & politiæ differant, non est vt ars aucta dici possit. Soc. Sed quidnam est in oratore summū? Gor. Imo quę? Soc. Vel quot Gor. Duo. Soc. Quænā sunt illa? Gor. vt quæ aduersum te est in tuam partē trahas, & quod argumentum contra te probet vt iudices deterreat, id elidas. Soc. Non intelligo. Gorg. Dicam. Si quis vt commiseratione moueat, potentię aduersarij meminerit, forsā metu magis mouebit iudices ad nocendū reo, quā ad commiseratione inclinabit. Ostendet autē orator illis maiorem esse laudē quod aduersus potentem liberauerint insontem ex gratia quā consequentur ab omnibus bonis: deniq; postquam illam adeo extenuabit vt contra miserū plurimū posse videatur: accusatorē ipsum apud nobiles nullo esse in precio, sed eum alios metuere, à nemine metui. Quod verò aduersum te est, velut quod is quem reum agis, publicis dignitatibus ac magistratib. functus sit: ab eo argumētum capies si aliquid nunquā boni fecit mercedē accepisse, tanto plus peccasse exēplo, & eo magis fuisse ingratum. Socr. Sed si modu artem aliquā esset vis Rhetoricam, non video sub quo genere artiū sit collocanda. Nā Geometria est de mensuris, Arithmetica de numeris, Medici de humanis corporibus, hisq; ęgris: cum verò fabrilis de ligno aut metallo, & statuaria de lapidibus aut ære vel ligno. Calliel. ô Socrat. non est Rhetorica vt vlla harum certi generis, sed communis; velut etiam Grammatica & Dialectica: hæ tamē sunt artes & pręclaræ. Socrat. Si communis esset ars Rhetorica, aliis seruiret artibus, vt dixisti de Dialectica & Grammatica: At Rhetorica solis ciuilibus actionibus commoda est. Quid enim Geometricæ aut Arithmeticæ, cum Rhetorica?

Callicles. At hoc mibi ô Soctat. reuocauit in mentem quod de Geometrica & Arithmetica ęqualitate heri dicebas, forſan proportionẽ ſeu rationem intelligebas, alia enim & alia eſt, vt etiam Muſica, at æqualitas mihi omnibus & communis & vna videtur. Porrò quod dicis Rhetoricã non prodeſſe artibus quibuſcunque, non ea ratione communem illã appello, ſed quod omnibus vtatur. Grammatica igitur omnibus artibus vtilis eſt, velut & Dialectica, non tamen iis vtitur: Rhetorica vtitur qoidem ad probationes, non tamen (& ſi aliter quidam ſentiũt) ipſis vtilis eſt. Soc. Æqoalitatem intelligo non ſimpliciter neque ipſam proportionem: ſed velut dicimus æqualia eſſe ſeptem ac ſeptẽ, hoc non negabis? Calicl. Nequaquam: & rurſum rationem decem ad quinque & duo ad vnum. Ita, vt dominus ſuo feroo imperat, ita Rex ſuo ſatrapæ: & vt Rex dominatur in ſatrapem, ita prioatus ſeruo: ecce æqualitatem aliam Geometricam, quæ nõ eſt proportio ſed in proportione æqualiter: ſicut Arithmetiea, eſt ſimpliciter hominũm ciuſdẽ claſſis vt ita dicam inter ſe. Calicles: Intelligo: Sed eſt ne alia præter has? Socrat. Eſt. Muſica ſcilicet, quæ eſt concordiæ vniuſcuiuſque cum ſua vxore vel filiis aut fratribus: neque enim inter virum & vxorem eſt ſimplex æqualitas; nam vir pluris eſt quam mulier: neque dominatur alter alteri, hoc enim pertinet ad heros cum ſeruis, ſed concordiæ ratio. Ita enim ſe habet Rex ad ſuam vxorem vt potens vir ad ſuam: & popularis & ruſticus ad ſuas vxores, eſtqoe concinna æqualitas concordiæ Sic inter ſex tria ac duo, ſic inter ſexaginta triginta ac viginti: ſic in acutis & in grauibus. Quid tibi videtur ô Callicles? Vera ſane exiſtimo, ſed longius petita, atque ſimilia his qui de Republica diſputant, & res narrant oimis procul à condendis legibus vel ab adminiſtranda ciuitate: adeo vt quanquam ſiot egregij philoſophi, exiſtimem tamen villulam illos biennio cum ſuis ſubtilibus rationibus in pare contineri non poſſe: Vel leges etiam condere quibus ab vllo etiam ſagaci viro regi queant. Socrates: An tu ô Callicles credis leges noſtras (puto enim intellexiſſe de eis) bonas eſſe? Callicles: Minimè, imò omnibus deteriores; quas tu ſedens ad focum hyeme credo excogitaſti. At quando videres populum furentem, Magiſtratus tyrannicos, locupletum auaritiam & ambitionem, militum ſuperbiam, quoſdam contumaces, alios qui nil aliud quærereot quam ſeditionem, credo hiſcere nil ſciens quid facturus eſſes. Socrat. Doce ergo me, mi Gorgia, bonas leges condere. Gorg. Vix fieri poteſt vt vllæ leges ſint bonæ; tot enim obſtant. Socr. Quæ? Gorg. Sine numero, ſed tamen enumerabo præcipua. Socr. Quænam, dic quæſo. Gorg. Quatuor in condendo, vnum io retinendo. Atque in retinendo, plurimum facit auctoritas; vnde Lycurgus & Noma Pompilius, vt audio, tamen Minos vt acceptas à Deo: Solon arrogantiùs, cum nec minus mentiretur, quaſi diuinas à ſe prolatas pollicitus eſt ſeruantibus perpetuam fœlicitatem, cum nulli ſint Athenienſibus miſeriores. Itaque hoc nomine vel alio quouis commendandæ ſunt populo, vt illi ſint chariores, atque præcipuum quendam magiſtratum conſtituere oportet qui illas perpetuo tueatur. Sitque is ſummus, nec niſi populum ipſum babeat ſoperiorem. Quod veto ad condendas leges attinet, cum aliæ ſint priuatorum quidem facile eſt reddere iuſtas, ſunt enim contentæ in duodecim Tabulis, velut quod in bæreditate frater patruo, filius fratri, agnati cognatis ſint præferendi: Et ſi in bis aliqoid etiam iniuſtum videatur conſuetudo emollit. Quod verò in his difficillimum eſt, eſt ne fraus committatur gratia, muneribus, alterius odio atque inuidia. Nos habemus hic ſenatum Areopagitarum, ſapientia & integritate toto orbe terrarum celeberrimum, quod in illum non legantur niſi bomines longo vſu probariſſimi. Sed & ſuffragia occulta eſſe oportet, vt Dij videant pro quibus feruntur, & contra non illi ſcire poſſint. Omnino enim cùm confuſa fuerint, ne Oedippus quidem diuinare poſſet. Sed & loco ſolitario Iudices habitabunt, & ad illos ſub elementorum nomine controuerſia, propriis accuſatorum & reorum ſuppreſſis deferentur. Demum quod plorimum prodeſſe, vt lèges & tractationes ſiot obſcuriſſimæ, variæ atque multiplices, cum enim intellectu difficiles fuerint fraudem excogitare non licebit. Semper enim fraudem præcedit cognitio & tractatio: indicio eſt qood neque magiſtratus quicquã vident ab initio, nec ſerui nec miniſtri oiſi cum mores eorum cum quibus agunt, & leges & res quas tractant, plenè cognouerint. Vbi ergo inuoluta ſit huiuſmodi ratio atque difficilis, primùm ad intelligendum plurimum exigitur temporis, longè plus ad excogitãdum dolum; ſemper ſunt cũ metu, interim Magiſtratus tempus niſi omnino longum fuerit præterlabitur. Si ab initio inſcius tentauerit, ſtatim vt temerarius & legum violator accuſabitur. Quamobrem quæ electionem magiſtratuum, longis ambagibus inuoluẽt Reſpublicæ, diu ſine detrimẽto & ſeditione eã exercere poterunt. Similiter in proferendis ſentẽtiis tot ſcribantur quot ſunt Iudices, ſuppreſſo nomine autorum, omneſq; ſuffragiis latis probentur aot damnẽtur; quæ plura tulerit ea potior ſit. Alia difficultas eſt circa arbitrium Iudicum quo poſſunt vni fauere, alteri obſſe; inde iniuriæ & odia inter ciues oriũtur. Et vnius homiois cauſa perſæpe odimus totam vrbẽ; ita vnius viri contẽplatione amamus. Lacedæmonij ob Pindarũ Thebis inimiciſſimis pepercerunt. At ſic quidẽ eſt certè inimitabilis ſeu ad ſententiarũ grauitatem, ſeu ad verborum electionem atq; conſtructionem perelegãtem & prolixam, tum ordinem reſpicias. Quis etiam non cupiat ſe eſſe Græcũ, vt Homerum in ſuo fonte legat? Semper fuere eruntque homines tam claris monumentis, vt prouincias ſuas illuſtrent, cupiantque cæteri mortales illic eſſe oriundos vbi illi nati ſint. In vnius iudicis improbitate exoſam totam vnã ciuitatem habebimus. Ipſaque ciuitas ad ſeditionem mouebitur. Ergo hæc eſt prima difficultas.

Secunda eſt quoniam quæ minima ſunt tractu temporum in maximam molem creſcunt, tuncque poſtulant emendari: cum non poſſint conſuetis legibus nouas requirunt, in huiuſmodi mutatione legum perſæpe periclitatur ciuitas. Velut enim Solis motus non ad amuſſim definiri poteſt, ſed videmus aliquid eſſe vltra dies trecentos ſexaginta quin-

que,

tinè, quod collectum in aliquot annis diem efficiet, inde duos dies ac tres, atque phane habet annum: Et quamuis ex horum collectione adhuc corrigatur annus, aderit aliquid residui, aut deficiet aliquid rursum, ex quo ordo anni adhuc mutabit; sic in quibuslibet legibus quantumcunque bene constitutis aliquid prætermittitur: aut additum esse necesse est, quo ciuitatis status saltem post longa tempora mutetur, aut magistratus, aut tenuiores, aut semina discordiæ seruentur aut pullulent. Tertia est controuersiarum macula, nam necesse est controuersias esse quæ iudiciis etiamsi iustissimis dirimantur, manent tamen odia inter ciues, quæ mille modis aluntur, augentur, excitantur, renouantur, conduplicantur, quibus tandem ciuitas ad seditionem peruenit. Extremum malorum est repugnantia ipsa in rebus: velut primo in re vxoria; vna vxor facit vt bello non sufficiant ciues, plures concordiam ciuitatis dirimant. Diuortium destruit filios, necessitas coniunctionis parit iurgia, adulteria, vitam infœlicem vtrique parti. Si milites in honore habeamus, iusticiam seruare non poterimus: si seruare voluerimus iustitiam milites minus acres & feroces habebimus. Si seuere flagitia vindicare voluerimus, parentes plectemus innocentes, at quantum mali ex hoc sequatur quis non videt, cum, vt diximus, vnius viri gratia aut odio vniuersam prouinciam omnes homines eodem affectu prosequantur? præterea iniustum est insontes plecti: at si non puniemus iustitia non seruabitur. Præterea in referenda gratia his qui bene se gesserunt, cum multi postmodum petant odia in ordines insurgunt, posteri illorum fiunt potentes atquè superbi: si non referamus, quis gratis ardua aggredietur? Si religionem vbique præesse voluerimus, otiosis videbuntur gnaui patêre: si aliquid ei prætulerimus, quodcunque fuerit, populus non poterit in concordia contineri. Deinde difficillimum est multitudinem habere bene paratam ad bellum & ad pacem: Nam ad bellum, ferox vt sit, importuna ac quasi stulta, præterea capax, sæua, iniusta; ad pacem omnia contraria ratione, at ciuitates vtroque indigent & pace & bello, aut ergo milites nunquam reuocare domum oporteret, quod fieri nequit: aut milite semper conductitio vti, quod vt est infidum & graue, ita vrbes ad extremam inopiam agit. Propterea bene consultum fuerit, si qua vrbs eo situ munita sit vt nullo modo possit expugnari. id continget si in palude ampla exædificata sit, hi enim poterunt solis pacis artibus studere, bellum procul & per alienos maximè duces gerere. Eaque vrbs si bene instituta fuerit, cùm vinci non possit, possit vincere, sola diu quiete dominationem etiam, nō solum libertatem tueri potest. In huiusmodi vrbe sola præstabit secundum virtutem viuere & Reipub. potius quam propriis commodis studere, hæcque sola diuturna esse potest. Quamobrem chimæram Philosophi quidam quærere videntur, qui hoc nescientes conantur suis figmentis argutiisque obscuris docere modum bene cōstituendi Remp. cum nullus omnino sit nisi adeo situ munita sit natura vt in palude vel magno monte, vel arce, velut de Babylone referunt, vt prorsus ab omni hostili iniuria nedum oppugnatione tuta sit. Soc. Erudiuisti me ô Gorgia, hae in re, sed postquam tot tanquam de ciuitate ciuibusque dixisti, vellem intelligere quid sit ciuis, & vtrùm illius solius commodo orator consulere debeat? Gorg. ciuem dico, quem alij ciuem faciunt ac esse volunt. Velut ouem quam ouium grex recipit agnoscitque vt sociam, nec in vllo ab eis discrepantem. Est autem qui & imperare & parêre cæteris potest, nam qui solum parere, seruus est; qui solum imperare, rex aut tyrannus. Ciuis autē bonus, qui sic imperare ac parêre potest vt vita cum virtute trahatur? Omnium autem saluti non ciuium solum consulere debet, vt etiam medicus, non carnibus & ossibus ac neruis prospicere, sed & vnguibus, & capillis: nam inquilini & serui homines & ipsi sunt & ad firmamentum primùm Reipublicæ, deinde commodum, demum etiam illius ornatum constituti. Ostendet autem orator in exhottatione ad virtutem, animorum nostrorum immortalitatem, illamque inculcabit sine exceptione aut controuersia, non more philosophorum qui vt sapientes videantur aut illam sustulerunt, aut de illa visi sunt dubitare. At quorsum? cum hæc mali sint exempli, & cum hoc falsa aut incerta. Experior enim in me cum annum sim iam natus nonagesimum septimum, ô Socrates, eas ingenij ac prudentiæ vires, vt iudicio totius ciuitatis meæ quæ huc legatum me misit in re maximi periculi, vt si animus à corpore pendeat eas habere uon possis: ad quod allusit Homerus, dicens:

Illum iam exegisse hominum tria secula fama est.

Et tamen eum inducit perorantem suauissimè :

his verbis:

τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής:
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Quod est:

Post hos assurgit Pylius dux ille disertus,
Nestor: cuius ab ore fluit vox melle liquenti
Dulcior.

Socrat. Sed caue ô Gorgia ne fallaris, nam priora dixit in Odyssea, cum hæc scripsetit tertio Iliados. Itaque potuit esse eloquens in iuuenta, cum nondum iam esset confectus senio. Gorg. Minimè ô Socrates, nam quam tulit de Nestoris senectute sententiam in quarto Odysseæ, antea etiam tulerat in primo Iliados, vt ante illud de eloquentia omnino scriptum sit. Socrates: Placet audisse, & ego in me videor experiri idem. Quinimo cum sim iam prope septuagesimum annum, animus ad Poësim fertur. Sed dic vnum si liber: optimus ille orator quem tu fingis, dico exempli gratia, tum ipse si tyrannus leges ferat, an pro illo perorabis, iam constituto Reipublicæ statu sub tyrannidis specie, seu imperet tyrannus, seu pauci tyranni, seu populus ipse sit tyrannicus; an contra illum? Gorgias. Non sat intelligo ô Socrates? Socrat. Hoc volo dicere, an orator hic bonus magis curabit Deorum voluntatem, & vt sit probus, perorabitque contra ty-

rannidem ; an potius fungetur boni ciuis persona : scilicet statum præsentem Reipublicæ cuius ipse est ciuis, confirmet augeatque cum atque exornet ? Gorg. Intelligo modò ô Socrates. Sed an est in facultate oratoria euertere tyrannidem ? Socrat. Multiplex interrogatio ô Gorgia ; nam primum aliud est de populi tyrannide, vel paucorum, vel vnius. Et vnius prudentiæ efficacis quique autoritatem habeat, aut contra abiecti, stulti, socordis. Est etiam aliud mutare tyrannidem, quam euertere. Mutare quidem animum tyranno licet, ac facilius, quam paucorum aut populi. Gor. Sed non est mihi sermo de mutatione, verùm de euersione. Soc. Diuina tractes, ô Gorgia: sed postquã video te quæ scis libere me docere, dicam & ego quid de hoc sentiam. Magnum negocium est, ô amice, inermem contra tot armatos procedere, & sola oratione tyrannum stipatoribus atque militibus, custodiis, arcibúsque cum toc pecuniis cum tot sequacibus spoliare. Propterea obseruare oportet in hoc Deorum nutum, qui si aspirarint, conficere opus poteris, iuxta Homericum illud,

Τὸν δ᾽ ἄρα δεῦρ᾽ ἄνεμόν τε φέρων καὶ κῦμα πέλασσε. i.

Ast hunc huc ventusque ferens, atque impulit vnda. Seu illud potius Pindaricum :

Θεοῦ δ᾽ ἐπιδείξαντος ἀρχὰν

Εὐθεῖαν δὴ κέλευθον εὑρεῖν προκείμενον.

Ostendente Deo principium, rectam inuenire viam pronum est, seu facile. Quin etiam illud dici solet, ἕπου θεῷ. Sequere Deum. Quin etiam seu fato quodam seu ratione occultiore anxios & talia quærentes ac de se sollicitos facile opprimere licet, seu vrgente Dæmone aliquo, seu ex leuitate ingenij nata occasione : nam Hipparcho Pisistrati filio non parum nocuit in vulgus emanasse quod per somnum audierat videratque. Viderat enim multis antea diebus quàm occideretur, aspergi à Venere sanguine ex phiala sumpto : vnde ab amatoribus occisus est, Harmodio & Aristogitone ; audieratque pridie quod & retulit.

Intoleranda lee tolerans, tolerans animo agro.

Nemo viris pænas iniustus iure rependet.

Proximum ergo Deorum explotatæ voluntati, inopia consilij tyranni aut tyrannorum. Post vero est vita, robur amicique illorum, quæ omnia si labant, oratori consilium præbent, animos augeat. Demum illud est summum præsidium, vt bonos illis amicissimos esse ostendas, leuibusque factis vt placeant tyrannis, donec inclinata in illos populi voluntate & fortitudine & consilio tyrannidem euertant. Gorgia : Hoc in statu rerum quænam officia præstabit orator ? Socr. Tria, vel ad summum quatuor. Primum, vt bonos tyranno conciliet, illius fautores in suspicionem adducat : Secundum, vt eisdem bonis strenuisque viris populi fauorem alliciat, atque id ita vt tyranni existiment placere eos populo quia sibi placeant. Demum vt in ipso agendarum rerum tumultu populum confirmet. Et ne proditor videatur, iniuriam ab imbellibus arceat: nam ab armatis furorem coniuratorum retraxisse exitio multis fuit recordantibus sublatam dominationem, occisum tyrannum iniuriasque ac periculum potius quam se exemptos eorum beneficio. Huius autem prudentis oratoris vt tuta sunt facta, ita pauca exempla : audiui tamen in Italia quendam Brutium cum se stultum simulasset, & consilio Apollinis vsus esset, exegisse tyrannum sine cæde, & apud populum primas partes obtinuisse. Est & alius modus, præceps atque periculosus ; sed cuius plura fuerint exempla, eruntque, vt orator suadeat forti viro necem tyranni maximè, si vel is sit gloriæ cupidior, vel Reip. amator, aut offensam aliquam perpessus fuerit. Gor. Sed vnde-nam argumenta ad suadendum tam periculosum factum sumet ? Soc. A te potius par esset vt discerem. Gorg. Non habeo ego in mea Rhetorica huiusmodi argumenti præcepta, à philosophia condiscere oportet. Soc. Quin ergo non audisti à tuo Empedocle ? Gor. Nihil tale per iouem, nondum enim senex erat cum ego illum audiui, nec de fornace cogitabat. Sed audire libet argumenta in hoc deliberatiuo genere, fiet enim vt in his qui exercentur, vt vbi hoc superaro edoctus fuero reliqua omnia vincam. Soc. Mos geratur : A gloriæ studio sumere oportet argumentum, ab ipsa virtute, propter quam formidare mortem nõ debebis, à vitæ huius breuitate & famæ perpetuitate, ab amore patriæ, ab odio factorum tyrannidisque neque enim minus tyranni factis crudelibus, violentis, rapacibus execranda sunt & immania quæ fiunt ab illius proceribus, magistratibus, militibus, stipatoribus, iudicibus aulicis, sordidaque caterua vitiorum & luxoriæ ministra, tum amicis illius fautoribus ac defensoribus; à misericordia innocentium & calamitosorum, ab ingruente tibi tuisque omnibus, etiam secus periculo atq; ruina à bonorum oppressione, ab immerentium præmiis, ornamentis, potentia ; Deorum denique auxilio, tum præmiis post mortem. Atque inter hæc connumeranda sunt exempla quæ nulla ætate vnquam defuerunt deeruntve. illud inculcando, illi ni omnino periissent & crudeliter periissent, nunc nullo modo viuerent. at ob egregia facta nunc gloriosi viuunt, velut Zeno, insignis more Phalaridis tyranni Agrigentinorum, totque alij. Gor. Nimis ardua hæc sunt incœpta, ac non nisi desipientium, vt video, atque insanorum. Ego quanquam hac ætate sim qualem tibi dixi, nec vnquam talia sum meditatus, nec cuiquam consilium ad hoc dedi dederimue ; tu tibi hac in causa solus sapias cum hac tua gloria ; ego quam diu vixero & vnus & innocens & sine calumnia viuere decreui : temeraria hæc facta cædesque dominorum qualescunque sint illis relinquo qui iniustam & grauem acceperunt iniuriam: nec minus sunt in vindicando feri quam illi in inferendo immanes & ab omni humanitate diuisi atque seiuncti. Sed demiror abunde ô Socrates, qui velis vltum patriæ iniurias, proprias autem consulis non debere vlcisci : Et quod maius est, nostrorum. O beatum te atque felicem in illo virtutis tuæ columine ? Socrat. Irrides me ; sed ego patriæ iniurias vlcisci neminem consulo, si possim homines ad rectam viam retrahere facturus sim libenter. Gorg. Vnum solum Volo quærere ex hac tua præclara sapientia.

Militasti,

Militastine vnquam ô Socrates? Socrates: Certe: Gorg. Sponte-ne, an inuitus? Socrates: Non inuitus sed pro patria. Gorg. Quid ergo agebas? volebasne tueri patriam, vel aliena occupare, vel iniurias patriæ illatas vlcisci?

Socrat. Tueri patriam. Gorgias. Non ergo vlciscendi causa iniuriaa, neque aliena occupandi causa, ars militaris necessaria est? Socrat. Minimè. Gorg. Sed solùm vt eam tuearis. Socrat. Profectò. Gorg. Quid ergo quod volebas patriam liberare à tyrannide? Quid est cur suades bonum esse iniuriam pati? Itaque ô Socrates quid velis scire cupe-rem. Socrat. Vellem homines ferre iniurias, patriæ tamen periclitanti succurrere, sui obliuisci. Gorg. Suorum? Socrat. Non ita, sed dubito melius sit suorum vlcisci iniurias, an non propria nolim, patriæ velim, suorum dubito.

Sed tu dic ô Gorgia quid de hoc sentias. Gorg. Ergo & patriæ & suorum & sui ipsius, sed has primùm iniurias vleiscendas puto, inde suorum, pòst etiam patriæ. Tu verò quid respondeas non habes. Socrat. Iam me in sententiam traaisses, vt existimarem Rhetorum aliquam esse egregiam notitiam, ni illorum facta, vitam, mores, caitum, adeò turpia & omni infamia plena viderem. accusant se inuicem, produnt semetipsos: in secundis intolerandi, in aduersis iacent, turpis quæstus causa omnia agunt: vitiis atque flagitiis obruti, intemperantes, rapaces, leues, inconstantes. Gor. O Socrates, hæc sunt vitia hominum, non artis aut professionis. Socrat. Demiror valde ô Gorgia hominem inter carbones perpetuò versantem candidiorem euadere, & non vnum sed quotquot sic versati fuerint. Contrà versantes inter calcem aut cerusam nigros vt Æthiopes fieri.

Iam magis demitor, si ars oratoria tam laudabilis est, quomodo oratores omnes adeò sint profligatæ vitæ. Video versantem in calce album, dico esse albam calcem: inter carbones nigrum, carbones nigros, coniectum, & rectè: cur oratores omnes malos videns, non dicam oratoriam artem malam esse? Gorgias. At ergo me malum esse dicis? Socrat. Non, sed quatenus orator non quatenus Gorgias.

Gorg. Pulchrum commentum! Sed neque id si tibi concedatur sufficit, sed solum ostendit oratoriam non bonum facere hominem, quod & fateor.

Quæcunque enim artes studiis literarum innituntur, si bonos non efficiant, malos relinquunt; velut Poësis, Historia, Dialectica, atque inter has connumerauerim Rhetoricam.

Sed id est deterius, quòd etiam multi qui his artibus operam dant, quæ bonos efficere se profitentur, pessimi sint, tum Philosophi, tum iura administrantes. Itaque ô Socrates & Rhetoricam esse artem docui, & egregiam, & Reipub. vtilem.

Et bona quæ vulgo bona esse creduntur, bona & mala. Et Archelaum felicem esse ob potentiam atque opes; vitia autem bona non esse, sed ad bonum: & nonnunquam præstare quod primum; vtpote cædem & rapinam bona esse, quoniam plùs boni in se contineant opes atque potentia quam mali scelus. Quod etiam clarius luce ostendo.

Nam si opes optimæ sunt, absque dubio quæ nobis vitam, valetudinem, sensus (omitto modo voluptates) prolem perpetuitatisque cum hoc specm saltem si non ipsam perpetuitatatem, amicos coniunctos & bonos viros seruant incolumia, etiamsi vitia mala sint, poterunt adeò parum mala esse, vt melius sit opes possidere vitio partas, quàm illis dum careas omnibus simul carere bonis.

Si vitium sit occultum, immunis ero ab infamia: si cum potentia coniuncta, tutus à periculo. nolo vitium vnquam esse bonum, sed viam ad bonum, sicut qui alea vel adulterio ditantur.

Præstat omnia bona & mala comparare: & postquàm in mortalibus nihil est à malo vsquequaque immune, præponere quod plus continet boni minusque mali.

Nam & tuo more adhuc incidis in eundem errorem; nam omnino mali aliquid adesse necessarium est, & plus iacturæ consequeris.

Dicas quæso, si magistratum geras in Repub. mala, malus eris? attamen melius est te minus male administrare magistratum male agendo, vt non nisi coactus malè agas quam alium sinere qui administrando multo plura damna inferat Reipub. tum præcipuè miseris. Iam vero & de iniuria, quod optimum sit neque inferre, neque pati; at si modo alterum cogaris facere melius esse inferre quàm pati; quod hoc gloriosum lætumque, nec animum malum efficiat, sitque viri potentis, opulenti & quod actum est vt deleas in tua est potestate: at ferre, ignominiosum, turpe, sordidum, cum animi dolore, contemptum & miserum. Pauperumque est ac vilium, nec cum velis malum hoc ipsum & labem delere in tuo est arbitrio.

Porrò & illud ostendi, quonam pacto vitia infœlices per se faciant homines, vere nec opinione tantum. Voluptates vero humanas eiusmodi esse, vt necessario sint cum dolore coniunctæ. Callicles. At ego plurimum hac ipsa disputatione sum delectatus, nec pœnituit, vt nunquam alias, audisse Socratem disserentem.

FINIS.



DIALOGVS
QVI DICITVR TETIM, SEV DE HVMANIS CONSILIIS.

INTERLOCVTORES, TETIM, RAM.



TINAM, ô amice, colloquiis illis, quæ heri in cœna apud Chatum habuimus, interfuisses: cum Min & Maamiu valde & quasi pro fortunis omnibus contenderent. Ego enim vtriq; corũ impar videbar vel iudicaré vel vt eos inter se cõciliarem: reliqui autem omnes, tanquam de vita aut maxima quapiam alia re ageretur, silebant. RAM. At de quibus sermo hic erat quæso? TETIM. De qua prorsus non satis memini: sed videbatur initium fuisse de tyranno quodam, qui multa piè instituit: sed neque nomen palàm referre audebant: contrà de rege quodam optimo, qui tamen non pauca impiè admisit. RAM. At ego diuino, quinam fuerint. Rex ille fuit Ludouicus Gallorum, vndecimus eius nominis: tyrannus autem, Castrutius. TETIM. Diuinasti certè: existimo te latuisse sub mensa. Sed quomodo resciuisti? RAM. Omnia mihi narrauit * Verùm non de huiusmodi principibus loqui gratum est: demirorque illos tam diu adeò suspectum traxisse sermonẽ. Sed Bacchus maiora facit ac potest. TET. Quid ergo tu censes de illa cõtentione? RAM. Ego non satis noui quales fuerint vtriusque sermones, sed tutius puto huiusmodi silentio obtegere. TET. At si tu affuisses, quomodo sermonem instituisses? RAM. At si tu rex esses, quomodo subditos tractares? TET. Vtinam tam facilè mihi esset regnum obtinere, quàm administrare. RAM. Sed quid acturus esses? TET. Conuiuia ludosque celebrarem: mitis in omnes, beneuolus in amicos, iustitiam pietatemque colerem. RAM. Rectè equidem, si posses hæc omnia. Sed quomodo simul & iustus & mitis, & quomodo beneuolus in amicos esse posses, si iusticiam colere velles? TET. At vtinam tamen possem regnum adipisci, quàm facile esset mihi & multo maiora facere. RAM. Sed quomodo tandem? TET. Meis facultatibus atque opibus cunctis satisfacerem. RAM. Sed vnde sumpturus has opes? TET. Ex vectigalibus. RAM. Qualia & quanta esse velles? TET. Vt sufficerent impẽsæ, atq; donationibus. RAM. At magna esse oporteret. TET. Quidni? RAM. Quomodo ergo beneuolus esse posses in amicos omnes, si grauia vectigalia ex eis exigeres? TET. At non illis solis, sed etiam ex aliis. RAM. At satis est te non in illos futurum beneuolum, à quibus exigeres. TET. At non ab his tantum exigerem, quantum darem. RAM. Vnde ergo residuum sumeres, quod dares? Tet. Ex aliis. RAM. Quomodo ergo iustitiam coleres, si ab his sumeres quod alus dares? TET. At saltem pietatem colerem: & in iure dicendo iustus essem. RAM. Quomodo, si amicus cum incognito tibi litigaret, non velles aliquo modo amico patrocinari, vt esses beneuolus illi? TET. Vellem, si possem. RAM. Quomodo ergo iustus esses? TET. In his tantùm quæ essent mei arbitrij. Præterea adhortarer litigantem illum, vt cedere vellet aliquid: de compositione tractarem. RAM. Omnes hæ sunt iniustitiæ partes. Ius, non persona spectanda est. Laudatur Græcus ille, qui preces filij quem diligebat, pro patre sonte surdus audiuit. TET. At, vt video, iustus esse non possem, essem tamen pius. RAM. Quid hæc iniusta pietas quæso? TET. Sed, si placet, non de me loquar. Subiiciam tyrannum aliquem ac regem ex antiquis, vt prorsus sermo noster inuidia ac suspicione careat. RAM. Faciamus: sed quem vis? TETIM. Vespasianum audiui egregium fuisse principem, & Titum etiam: Domitianum autem, tyrannum. Duos hos, si placet, pro exemplo, fratres subiiciamus. RAM. Rectè. TETIM. Agamus ergo de pietate, postquam Princeps & iustus & simul bonus esse non potest. RAM. Hoc non dico, sed perdifficile est. Verùm quomodo pius esse poterit, si iniustus sit? TETIM. Modum video nullum, nisi vt credat, se quæ agit iustè agere. RAM. Ita est: sed hoc non satisfacit. TET. Sed liberè loquaris. Ergo quomodo principes hi, velut Titus, multa peregerit impiè & iniustè, & tamen bonus princeps habitus sit? & rursus quomodo Domitianus multa bene, cùm esset tyrannus? RAM. Ita est: sed decet ab initio rem, quemadmodum se habeat, exordiri. Principes omnes aut in philosophia exercitati sunt, atque hi admodum pauci: aut naturali quadam prauitate mali atque impij: aut simplices & religiosi, qualem Vespasianum fuisse haud dubium est, Titum verisimile. Qui religiosi erant inferos & tartara & Elysios campos esse credebant: consultores id animaduertentes,

tes, autoritate religionis feruata, illud idem consulebant, quod hominem impium solum deceret: hoc prætextu, quòd Imperij seruandi causa, sub cuius vmbra tot insontes miseri atque impotentes tuti viuerent, liceret omnia facere. Hi ergo, cùm quòd religiosè aliqui viuerent, tum quòd etiam in iudicijs aliisque rebus ad principem pertinentibus satis iustè agerent, boni principes habiti sunt: tametsi multa patrarent quovis tyranno iniustiora atque crudeliora. Qui è consilio horum sunt, neque bonum, neque tutum putant, velle quod ipsi sentiunt de humanis negocijs, de Deo, de anima, principibus patefacere: verùm tantum quod expedit pro conseruatione regni: & aliqui his deteriores, vt gratiam principis demereantur, quæ nefanda sunt, tanquam pia sint consulunt. Ille ergo, se putat sic cum multis sceleratis factis pie viuere. Eoque fit, vt huiusmodi principes maxima mala sine respectu committant: in paruis quibusdam superstitiosi sint admodum: quoniam contra mandata legum esse videntur. Ita sub vtroque horum fratrum expilasse totam vnam prouinciam, insontes plurimos seruos occidisse crudeliter, nullum peccatum erat: at Deos suos non coluisse, seruum sedisse iuxta Augusti statuam, imaginem principis in lupanari secum habuisse, vel in latrina, accusasse pessimum Senatorem milleque dignum supplicijs, nec potuisse plenè probare, capitale erat. Qui verò philosophia imbuti vel ab obitu nullam putant esse animam, aut omnibus communem, pœnarumque ac meritorum expertem, hi iuxta sectæ suæ rationem viuunt, plerumq; satis boni. TET. Sed ô amice, dic quæso quid sentias de animorum nostrum natura? RAM. Certè anceps valde sum: & cùm ad iuuenes respicio, omnia ad immortalitatem adblandiuntur: robur illorum, prudentia, alacritas, dignitas, sapientia, fortia facta: rursus cùm consenui, desperatione quadam agor: quoniam omnia mecum, etiam mentem ipsam, consenescere video, adeò vt plerique repuerascere videantur. Quod si in tam breui tempore pueris similes maiori ex parte fiant, quid speras futurum si in aliquot secula senectus extenderetur? Profectò homines muscis & vermibus fierent simillimi: amissa enim memoria, etiam proprij nominis, inde omnis sermonis obliuiscerentur. TET. Sed dic quæso, quid de hoc sentias? RAM. Falluntur. TET. Qui? RAM. Qui ob id existimant animos esse mortales: sed non est tempus nunc de hoc disputandi. TETIM. Audirem perlibenter. RAM. Dicam, si vis: sed omittam coeptum iam sermonem de humanis consilijs, si libet. TET. Nihil minus: sed expedi primum sermonem. RAM. Hac igitur cogitatione, cui è Philosophis & Medicis præcipui Hippocrates & Galenus, & quod magis mirum est, Theologi primarij, nec Christum nec Augustinum nec veritatem secuti, dum Philosophos perbellè agunt, subscripsere. Vnus enim inquit: Nisi Christus immortalitatem animi declarasset, quod ad naturalem rationem attinet, mortalem illum existimarem. Alter verò ait: Aristoteles licet verbis animum dixerit esse immortalem, ea tamen iecit fundamenta, per quæ illius mortalitas appareat. Subiicitque illa,

& referre pudet: seculi viuit, nec piè, nec simpliciter, nec ob gloriam honestè vitam ducentes. Itaq; omnia iam pessum eunt. TET. Sed quid alij? RAM. Omnes eodem morbo laborant: quæcunque enim principes sequuntur, eadem & populi, seu ob autoritatem, seu vt illis blandiantur, seu quod sperent fortunam cum maioribus æquare, faciunt. TET. At possunt hi vel illi sic esse felices? RAM. Certè nô: sed sufficit illis, vt reliqui ipsis sint infeliciores. TET. ô stultam opinionem: verùm quomodo viuunt priuati? RAM. Et ipsi omnia ad speciem collocant: cæterùm omnia aguntur Græca fide. TETIM. In quo ergo deterior fuit Tito Domitianus? RAM. Qui probi sunt, & religiosi, cum arbitrio aliorum, nec sibi imperantium, sed obedientium, nec idem sentientium peccent, tantùm peccant, quam qui suopte ingenio. Ita Domitianus eò peruenit sæuitiæ, dum humana contemnit, diuina non timet, vt Nerones tres superauerit. TET. Sed quænam voluptates sunt principum? RAM. Odium, amorem, & voluptatem explere: vlciscuntur quos oderunt, ditant quos amant, & voluptatibus fruuntur. TET. Quæ voluptates? RAM. Communia, lusus & alea, tum venatio & aucupium. TET. Sed & feræ ludunt, etsi non alea, & venantur: at gregales continuantur: lupi soli, quod sciam, ex his qui carnes edunt, gregatim incedunt, vrsorum vel leonũ metu: itaque parum vita hæc, quòd ad voluptatés attinet, à lupina differt. RAM. Vera dicis. Sed possunt prodesse, atque obesse. Parum in hoc est, cùm iniustè id fit: nam nemo tam securus esse potest horum mendacium adhortationibus, qui non à morte sibi aliquid metuat. Præterea offensiones illæ graues haud tutæ sunt: & dum vltione iniuriam tueri volunt, immensum numerum inimicorum pariunt. Itaque parum prodest plurimum posse, si non tantundem sapias. TET. verum. Cur ergo pœnas non statim dant, adeò immites & inconsulti? Domitianus enim plus regnauit quàm pater & frater simul. RAM. Sors & vecordia hominum plurimùm potest: nam & priuati & nobiles, dum inter se inimicitias exercent, occasionem miluo prædandi vtrosque præbent. Itaque & hoc tyrannicum est vaframeutum, discordias inter subditos serere, vt tutius grassentur. Habent & ministros, qui prætextu Iustitiæ aut pietatis, votis perniciosis non solum principum (hoc enim forsan esset tolerabile) sed potentiorum & perniciosissimorum adulatorum satisfaciant. Quot enim Tiberius, aut Nero, aut Domitianus (sed hic violentior) sine Senatus illius corruptissimi autoritate damnauerunt? penè nullos. Itaque duo optima & diuina bona concessa mortalibus lenas tyrannidis effecêre. Deinde credere possunt, non esse Deos, nec vlcisci hanc tantam illorum propriam iniuriam: & animos cum corporibus interire. Hoc enim, dum sapiens nimis ac cautus videri vult, philosophorum maximus docuit. Deinde proclamat vbique desertam omnibus bonis, ac ab eo spoliatam virtutem. Quanto satius fuisset vel de naturalibus rebus aliter statuere, vel vnumquemque suo arbitrio ac viribus relinquere? ne tertia improbis principibus & tyrannidi lena Philosophia accederet. TET. Sed quis

ergo bonus erit princeps? RAM. Bonus princeps pluribus benefacit, paucis malè: malus autem pluribus malefacit, paucis autem bene. TET. Ac sic, qui optimos perdet viros (qui certè pauci sunt semper) malos autem euehet, hic bonus erit princeps: at ego oppositum antea existimabam. RAM. Et rectè quidem: nam qui bonos perdit, is necessariò multos perdit: omnibus enim qui media natura sunt, qui plurimi sunt, infestus est: malis etiam plerisque cogitur esse immitis, tum specie quadam iustitiæ, tum metu potentiæ, tum etiam ob priuata odia. At bonus bonos euehendo, mediocres omnes bonos facit, nec malis omnibus infestus est: sed his tantùm, qui nec exemplo, nec metu, nec leuibus pœnis corriguntur? itaque tyrannus etsi non videatur ferro sæuire in plurimos plurimis tamen grauis est, tributis pauperes exhauriens, vt paucos ditare possit, & gurgiti illi voluptatú immenso satisfacere. At non par est, imò deterius, innoxios fame frigoreque ac laboribus intolerandis interficere, & gladio. Et qui gladio sæuiunt, saltem filiis parcunt: at hi filios coram parentibus inopia perimunt. TET. Maxima audio: atque ego nec Cyrus esse vellem, aut Alexander: nec ex purpuratis illis, qui ex eorum consilio essent. Sed dic amabò, fuitne quisquam princeps bonus? forsan, vt audio, Augustus, aut M. Antoninus Philosophus: hos enim intellexi optimos fuisse principes. RAM. Certè fuit aliquis: sed neuter istorum: quinimo hi ex his fuêre, qui pluribus malefecerunt, vt paucis gratificarentur. Atque horum vterque vltimum improbitatis experimentum dedit, in eligendo successore: cùm primus improbitati stulticiam coniunxerit: priuignum hæredem, virum sanguinarium & improbissimum, nepti, vxori optimi viri Germanici ac pronepotibus præferendo. Secundus verò, quòd cùm filium pessimum esse intelligeret, alium ad imperium non elegerit. Solent priuati boni viri, filios nepotes lurcones & nequam exhæredare, vbi nemini iniuria fit, aut periculum est, si hæreditatem accipiat: & bonus Imperator nepharium hæredem relinquet? valeant ergo Bruti illi, & Manlij, Cassij, Scauri, & Damatriona, Talantiáque, ac mater Pausaniæ, omnes Spartanæ mulieres; & Clotharius Gallorum rex, & Antonius Venerius Veneti Senatus princeps, qui filios vnico ex scelere peremerunt, quanquam viuentibus illis salua posset esse Respub. sic M. Antonius, vt orbem perderet flagitiosissimum filium imperij reliquit hæredem. Ergo vnus Alexander Seuerus princeps bonus fuit: alium ex antiquis noui neminem. TET. Quid ille agebat, vt talis esse potuerit? aut quid omnino agere debet bonus princeps, vt tutus etiam sit? RAM. Facilè est principi, si velit, bonú esse: tutiorque multo erit improbo principe. Institiam & pietatem colat: quod vt faciat, præponat bonos malis. Bonos hoc vno argumento deprehendet, qui pecuniarum auidi non sunt. Huiusmodi viros inter Phratrios, non tamen multos, reperies. Qui enim facilè contemnunt pecunias, facilè omnia flagitia vitare possunt. Bis verò in singulis septem diebus audiat causas subditorum, quartam horæ partem singulis impendendo: Pridie autẽ omnes suos moneat aduersarios. Quadraginta audiet vno die, qua die audit: vt octuaginta sint singulis septẽ diebus: in anno autem, supra quatuor millia. Antequam verò aduersarij vocentur, sorte ducantur hi quadraginta: nisi si qui pro sontibus quibus capitis damnatio immineat, supplicare velint: hi enim inter illos qui audiri volunt, primi audiendi sunt. Post audiantur, qui quinquies à sorte exciderint: pòst, ad quadraginta vsque sorte ducti qui fuerint. Nec quisquam admittatur, nisi peractum fuerit iudicium ab ordinario iudice: aut cùm vltra terminos iudici præstitutos adhuc lis pendet. Semper verò vel iudex puniatur, si errauerit: vel supplicio vltimo puniatur, si iniustè ob præmium iudicarit: aut laudetur, si rectè sententiam tulerit. Atque si, qui appellauerit, non omnino sit pauperrimus, nec iudex deliquerit, iudici persoluat ille reditum vnius anni totum. Porrò ipse princeps, cùm viri sapientis & optimi amicissimique consilio de re cognoscat, non (vt nostro æuo) ad eos releget qui à secretis sunt. Crimina autem omnia eorum qui suæ fidei creditos perdunt pecunia vel muneribus, vt iudices, tutores, causidicos, & procuratores, medicos vtriusque generis, pharmacopolas, molitores, pistores, sacerdotes, non sine exquisito mortis genere perdat, vt principis aut Reipub. proditores. Sed alios omnes etiam viarum obsessores, homicidas, fures, adulterinæ monetæ fabricatores, vel ad triremes (si grauia sint crimina omnino, vel sæpiùs ad vomitum, vt dici solet, redierint) aut ad excidendos montes damnentur, vbi pane & aqua pascantur, quantum satis sit. Et si viuente patre aut matre hæc fiant, mitius aliquantò agatur, si dilata ob id solùm mors fuerit. Neque enim par est, parentes qui non peccarunt, in filiorum suppliciis affligi: & sic etiam patria pluribus hominibus abundabit, & ditior fiet illorum laboribus. At quale emolumentum belli tempore, seu epibatas, seu operarios legere voluerimus ad vrbium expugnationem, ferenda onera, ducendas machinas, duratos laboribus homines, ob pœnam, vitæ contemptores, tunc etiam adeptæ libertatis beneficio lætos & gratos? Hocque institutum ne putes nostrum esse commentum: sequuti Reges quondam Ægyptiorum, vt Diodorus Siculus refert, qui inuicti fuêre ac felicissimi. Sic Christum opere, non verbis fallacibus, exprimemus. Nũc sub Christianis principibus crudelitas plusquam barbara exercetur. Adulteria tamen grauiter punienda: annonæ vbertas, triticum, vili precio, nullo vectigali, sed pro censibus & reditibus exigatur: vini & carnium amplum, exiguum salis, olerum nullum, piscium perexiguum: tam paucis præceptis optimus princeps instituetur. Et tamen multo fœliciorem atque liberiorem aget vitam, quàm nunc reges: longéque tutius regnum administrabit. Sed malos abigere contentus non sit: insidiabuntur enim illi, & leues maledictis corrumpent populorum animos: sed illos ad lapides, adulatores autem vt veros proditores morte sæua damnabit. TET. Placent hæc, sed demiror cur tam diu ista latuerint omnes: aut si non latuerunt, cur nemo hanc viam ingressus sit? RAM. Hæc institutio tam aduersa est purpuratis ac potentibus

quam

quam salutaris Principibus. Si enim ita agatur, vnus erit princeps fœlix: cæteri propriis opibus cogentur esse contenti, nec ioiuria quenquam afficere poterunt. At hoc illis mõstris non placet: ob id principes primò, deinde etiam seipsos perdunt. Quod si aliter principibus cõsulerent, & illorum animas & vitam, regnum, seipsosque seruarent, innoxiique obirent: & pro paucis malè beatis, plures plura felicitate gauderent. Vides quàm parum nunc regna in eadem familia perseuerant? TET. Intelligo. Sed cùm duo proposuisses, alterum caput, scilicet de pietare, reliquisti. RAM. Nunc agam de illa: quanquam vt audiuisti, seruando parentibus filios, mitiusque agendo in cunctos, præterquam proditores, etiam pietatis partem absoluisse videor. TET. At ego non partem, sed totum negocium explicari volo: postquam ob id, de immortalitate animi, quẽ cupiebam, sermonẽ audire prætermisit. RAM. Dicam. Pietas in Deum atque patriam ac parentes dirigitur. De patria satis dictum est, cùm nullum maius illi præstari possit obsequium iustitia, clementia, & auxilio in miseros. De parentibus, vix est Princeps qui patrem habeat: non enim principatum obtineret. De matre, forsan plus tribuunt quàm par sit mulieri, ambitiosæ, luxuriosæ, impotenti, ac illios plerumque sordidis ministris: quamobrem non est vt quenquam ad huius pietatis genus adhorter. Traosferantur hæ adhortationes ad priuatos: in quibus plus est debiti erga parentes, & in illis minus delicti, & maior necessitas beneficij. De principibus autem cùm loquamur, de pietate erga Deum dicere satis superqoe fuerit. Quamobrem ab initio rem repetamus. Si Deorum munere cuncta se recepisse cognouerit Princeps, si reddendam rationem post mortem de administratione intellexerit, Pium ipsum, & maximè cum iam iustus sit, facilè fuerit efficere. TET. Hui, quòd (vt in prouerbio dici solet) pro vno doo lucratus sum: nam & de animi immortalitate, quæ sperabam, optabamque, iamiam audiam. RAM. Principio illud animaduertẽdum, quòd multa sunt, imò (vt veriùs dicam) omnia diuina nobis iocredibilia, & omnino obscura, ac minus intellecta videntur. Quis enim potuit vnquam deprehendere, quónam pacto cœli moueantur? nam quæ Ptolemæus statuit, experimentis satisfaciunt: absurda tamen sunt: quæ verò Auerroës & Fracastoreus, minimè absurda: sed talia, vt nugis proxima videantur. Quis, quomodo anima vel mens nobis assistat, intelligit? aut vt cœlum moueat, cùm io eo non sit, sed potiùs cœlum in mente, & nos cum vita ipsa? Quis cogitatione apprehendit, eandem animam tam præsentem esse Antipodibus, quàm nobis, cùm illa sine magnitudine sit, nos verò tam longè distemus ab illis? necesse est enim dicere, animam aut mentem quæ corpore adeò distaot, tanquam nullo sint in loco, nec interuallo aliquo disiũcta sint, simul (vt ita dicam) tangere atque amplecti. Sic & præsentia atque præterita futuraque ambit, modò assistit, modò non, ipsa omnis expers temporis. Itaque mens nostra vbi hominem exuerit, vt affecta ad iustitiam fuerit, ita gaudet aut angitur parum aut multum, vt non solùm tartara & delicias experiatur, sed vnusquisque pro qualitate improbitatis ac virtutis torqueatur aut gaudeat. Quòd si enim tormentum hoc aut gaudium paruum esse putas, cogita quàm multi diuites, potentes, iuuenes, incolumes, minima ex iniuria adeò torqueantur, vt cum Oratore illo verè dicere possint, vitam sibi acerbam putare: nã eorum qui ob dolorem mortui sint, qui insanierint, qui sibi manum etiam iotulerint, oon desunt exempla. Quare nil mirum est ibi summam esse constitutam pœnam, vbi dum viuerent etiam summam constituerint voluptatem. Ita qui minus peccarunt, qui moderatius appetiuere opes, honores, vindictam iniustã, aut inferre iniurias: hi etiam moderatius & mitius torqueotur. Sed quod maius est hac in re, cùm anima sit expers æui, vt dixi, nihilominus & ipsa quandoque affici desinit: vt ibi sint differentiæ temporis, vbi tempus nullum inuenitur. Et hoc est quod dixi, huiusmodi excedere mentis humanæ cogitationem. Id facile esset in nobis deprehendere, dum à curis quiescimus. Sed forsan idem concedi postulare videremur, quod demonstrare propositum est. An forsan cum aliquo corporeo vehiculo omnes, aut aliquæ coniunctæ sunt? Sed omittamus futura, præsentia prosequamur. Existimo vitam Priocipum valdè infelicem esse, aut illos omnino neminem amare. TET. Cur ita? RAM. Nam si amant, quos amare se ostendunt, cùm præcipuè eis tot siut alumni, necesse est ex alumnis singulis annis fermè, ex amicis singulis mensibus aliquem perire. At quàm molesta sit mors charissimorum, satis cuique perspicuum est. Si cor ergo est principibus, vt esse existimo, nemo illis infelicior est tot amicorum continuo interitu. Sed hoc nihil esse velim. Quid, cum iussu suo, in pręlio, pro illius salute, tot charissimi occurrunt? TET. Certè vera narras: sed hi forsan nihil curant. Verùm die amabò, postquam adeò mihi videris harum rerum etiam plus quàm speraueram gnarus, deducta spe compeosationis ab obitu, licetne omnia tutò mala agere, periculo deducto legum vt in potentibus sic vt in quibuscunque præstet malè agere, ac pro arbitrio viuere? RAM. Magna atque ardua quæstio: beneque fecisset (quod sæpiùs soleo dicere) Aristoteles, hoc docendo: oamque si virtus commodum nullum affert, cur sectanda est? Quid illius encomium, & quorsum nam tendit, ab Aristotele tam disertè celebrátum? Sed existimo prudentiam primùm cuique necessariam, & vtilem ad bene beateque viuendum. Sed fieri haud potest vt quis viuat beatè, nisi etiam securiter. Post prudentiam summa laus est fortitudinis: non formidare mortem vt necessariam, sed vitare vt fortuitam, quantum licet: ferre quoque labores vt necessarios, vel vt corporis salubritati vtiles, aliaque aduersa: quæ etiamsi ægrè tuleris, nihilosecius beatior viues. Ita etiam assuescendum laboribus, & patientiæ quæ lucrum afferre potest. TET. Istud perinde est ac si dicas, dimidium fortitudinis habere. RAM. Rectè ais. Sed comitatis tanto plus, sesqui mensuram scilicet: hæc enim nulla iactura & amicos & famam parit. TET. Nulla virtutem tam omnes norunt à supremo ad infimum, vt hãc. Sic videris iam tres mensuras impleuisse virtutis.

tutis.Estne alla? RAM. Temperantia & abstinentia:quantum satis est ad sanitatem tuendam: in teliquis ne cura tem hanc: viuere enim volupe, viuere est: si pòst obitum nulla spes vitæ altetius supesset. TETIM. Sufficiont hæc? RAM. Est quiddam aliud: vt sis gratus in beneficos, ob vrilitatem: in tuos & alumnos, ne si male eis contingat dolore distorquearis. Cauenda enim tristitia est, vt fœlicitati contratia. Ergo tuos non amabis, sed quantum potes illis benefacies: sie tamen, ne beneficiũ in eos tibi fiat malefieinm. TET. Estne quid aliud? RAM. Non vtique si desperes futura. TET. Tam paucis constat bumána felicitas? RAM. Imò apud quosdam etiam paucioribus. TET. Qui possit minui, non video. Sed iustitia, pietate, liberalitate, misericordia, fide, innocentia, studiis bonarum literarum, nihil ergo opus erit? RAM. Imò omnes dãnosæ erunt, præter eruditionem: sed hæc virtus non est: teliqois non opus est nisi in suos. TET. Sed quid adimi potest ex illis quinque? RAM. Duo eriam improbi adimunt, scilicet relationem gratiæ, & suorum curam: quanquam hæc inter illas quinque non numerata sit. TET. ô corda viperarum, & mores lucianos, quos ferunt etiam propriam sobolem deuorare! Sed quid adegit ergo Aristotelem, vt virtutes adeò ardenter laudaret? non illas quinque tantùm, sed ex æqoo fetme omnes: postquam bie cultus virtumm plerisque semper cesserit infœliciter, neque nunc solùm: aut nouum est illud Poëticum: Omne in præcipiti vitium stetit.

Sed & suis temporibus deteriores multo erant, quàm nunc sint. Quid etgo est causæ, fuitve, vt suos elientes, laborumque soorum studiosos, tam perfidè falleret? RAM. Dicam, qoid sentiam: (tametsi quod dixisti de temporibus suis, non admittam facilè: sed existimem maiori in precio fuisse non solùm erudirionem, cuius minor copia erat, sed & vitturem: nam quis aodeat, vt ille tum, Diuæ alicuius solentia sacra concubinæ celebrare, etsi princeps sit, quemadmodum ille fecit) vir primùm fuit ambitiosus admodum, & gloriæ cupidus: ob id virtutem celebrauit, vt non solùm pius, sod etiam præstans haberetur, ae vbique de illius sententia sermo esset, pletisque admirantibus vel hominis sententiam, vel paradoxum. Deinde ipse prædiues, non tantum diues erat: non laborabo vt ostendam, quod luce clarius esse potest. Diuitibus autem virtus conuenit, saltem ob tres causas. Prima, quòd vitiis opus babemus vt ditemur: namque ad id nil eis commodius: at diuiti per scelera minus cõuenit, quàm per mercaruram ditari, etiamsi sotus sit Epicureus: quanquam, vt dixi homines nostra ætate deteriores sint, quàm qui tunc etant: & quanquam diuites non desinũt rapinis augere, quod breui totum simul relinquendum est: ita multo minus principibus. Secunda causa est, vt laudem consequantur, vnde iacturam non merount. Tertia, quàm optimè norunt potentes ac ptincipes, vt sic viuendo trifariam securiores sint, & upinione probitatis ac pietatis vt curæ Diis esse videantur: & vt minus odio sint hominibus ae contemptui: & quòd cæteri exemplo illorum sic viuentes, minus ad vindicandum iniurias, aut vltrò inferendas erunt procliues. Accedit, quòd Aristoteli forsan hoc incertum fuit, aut animæ post mortem præmia aut pœnas consequerentur. Credidit certè, vt teor, non consequi: sed non adeò firmiter, vt quidam opinãtur: sed addubitauit, vt existimo, egregiè. Credo etiam ab illo multa de hoc tradita, quæ periêre. Sed & illud ad hoe induxit, qood huiusmodi bonum esset commune. Et nemini dubium esset, si non omnes dicu, sed potentiores solum, ne dicam maior pars hominum, viuere destinaret secundum virtutem, quin omnes commodius viuerent, etiam his qui nunc suo arbitrio viuunt, quanquam sint opulentissimi. Ad simpliciter igitut bonum, non quorundam, respexit Philosophus. Addo aliam causam: quòd vt dixi iam, magna pars harum virtutum & improbissimis est necessaria ad beatam vitam: in reliqua parte tantum est voluptatis in bene agendo etiam pauperibus, tantum dolotis in vitio ac scelere, si quis (gratia exempli) ob auaritiam è tnis pereat, vt plerique horum improbotum despondentes animum moriuntur: cum probis vel in pestilentissima fortuna id vix accidit. Forsan & id animaduertit vir acutus, quòd animus flagitiis imbutus, etiamsi specie fœlicior propter exteriora videatur: est tamen infelicior calamitosu probo, cuius animus integer est à scelere: nam videmus vulnetatos & acriter laceratos grauius longè perferre plumeos puluinos, quàm sanum compedes. Aristoteles autem ad veram, oon fictam felicitatem respexit. Forsan & alias ille babuit rationes, & firmiores: sed mihi modò hæ solum succurrunt. TET. At mihi satis hæ esse videntur, vt iam non demirer. Saltem cauendum existimo ab bis sceleribus omnibus, vel quæ alios nimiùm torquent, aut nobis paruo sunt vsui, etiamsi quis peccare velit. RAM. Ira existimo rectom esse, & boc ad minus voluisse Aristorelem. TET. Sed neque id obseruant hac tempestate bomines: sed velut eacodæmonibus (ita enim fertur) nihil tam suaue & iucundum, quàm ãlios etiam immerentes discruciare. RAM. O bomines nomine solùm Christianos, vita autem idololatricis ac Mabomedicis (nam de Hebræis non dicam, qoos assidua mala fregerunt) ac viperis sæuiores ac crudeliores! Meministi cùm Henricus Rex Anglorum Boloniam Neustriæ oppugnaret, ipsa media die iubens per præcipiria & rupes eò ascendere vbi nullus esset accessus, cecidêre tot millia hominum, nec obtinuit tamen, sed deditione accepit, puta altera die. Quam voluptatem capere poterat, cùm tot amicos, non cæsos, sed (vt ita dicam) præcipitatos à se aspiceret? TETIM. Ferina omnino corda. RAM. Et tamen inter reges sui seculi splendore virtutum, amoreque eruditionis enituit. Quid putas agitare alios, qui eo sunt inferiores? Deinde potes illorum inuidere sorti? Dispeream, ni malim esse custos pecorum, quàm princeps. TET. Sed quid Turcarum reges, quos tu elementia videris nostris præponere? RAM. Nibil minus Christianis peccãt: qoia hi qua parte Christiani sunt, aliquid sani habent, illi furiunt. Verùm insania illorum nostros, vt sapiant, non efficit. TET. At dicunt aliter seruari regna non posse. RAM. Hic tota excusatio: sed si ita esset, præstaret (vt dixi) reges illis qui sunt non esse.

Ac

At non ita est: sed faciliùs longè seruarentur, si quod donant adulatoribus, si quod surripiunt improbi ministri, in milites egregios insumeretur. Industria, virtute, pecunia, non cædibus suorum, bella vincuntur. Sed neque Cęsar, qui militibus suis adeò amicus fuit, illos, amabat, quos ob occupandam tyrannidem morti exponebat: at quorsum tanta cædes? quis nunc superest ex eius familia? quàm breui vsque ad felem (vt dici solet) consumpta est? Imperium in alienos peruenit. Patria oppressa, inde euersa, facta est ludibrium gentium: nam quæ nunc paret Pontifici, tota ex aduenis constat, nihil antiquum habet. Ille Anglus Rex vix toto quadriennio ab illa inclyta strage superuixit, mortuus aqua intercute: tam grauiter tulit eam mortem, vt inuideret his qui in acie iamdudum perierant. Vrbs illa nec toto biennio regi Gallorum, paucis pecuniis, nec decima parte earum quas ille vt obtineret insumpserat, per vxoris fratrem proditione infantis nepotis restituta est. Vnde etiã capite mulctatus. Hunc finem omnia hæc immoderata desideria, cum cædibus amicorum, obtinere volunt: quod virtute & continentia, sapientiaque faciliùs esset occupare. Horum omnium malorum causa est, auaritia ministrorum. TET. Sed iam redeas ad nostros, Titum atque Domitianum. Hic quamvis tyrannus, pulcherrimam tulit tamen legem ne mares castrarentur. Vnde etiam mirum in modum à Martiale extollitur. RAM. Pulchra coniugatio: author vterque ipsum factum, etsi egregium esset, infame reddit: Martialis, nequissimus assentator: Domitianus, tyrannus crudelissimus, quam legem humano generi vtilem ferre potuit? TET. Sed quid de re ipsa censes? castrarine mares ac fœminas licet? Et si licet, conducit? RAM. Ad libidinem castrabantur pueri, qui mos etiam apud Turcas adhuc viget. Et testatur Martialis hanc causam in suo Epigrammate. Hoc non detestor, quòd non sufficerem tanto flagitio damnando coniungere tria simul grauissima scelera: concubitum præter naturam; atque ei miserum illum meretricis loco assuefacere: crudelitatem cum vitæ summo discrimine: & spem immortalitatis stirpis, etiam leporibus concessam, tollere. At quoniam in vtroque sexu fidelissimi custodes euadunt, dedecoraque domus auferunt, si contingat habere, laudo. Solos ergo morti damnatos ob immane flagitium castrari permitterem: & ni lex prohiberet, castrari possent empti ad hoc ex aliena lege Mauri: ita tamen, vt parentes scirent ad hoc ipsum emi. TET. At nulli venderent. RAM. Imò faciliùs filios quàm pecora vendunt. Nec magnum puto flagitium, illos spe posteritatis priuare, qui tam impij sunt, & insani. TET. Sed & mulieres possunt castrari? RAM. Cur non? sed tamen maiore longè periculo: si tamen adsit ars, vsusque propè nullo. Sunt tamen qui credant longo vsu vitieis mares, & periclymeni fœminas eunuchas fieri. TET. Quotidie disco aliquid, vt nunquam perire velim. RAM. Imò, etiamsi nihil disceres. TET. Sed redeas quæso ad institutum sermonem. RAM. Diuinum esse existimant regnum, quod fortuitis casibus distribuitur. Sed postquam videmus eos qui regna acquirunt, non esse segnes: qui segnes sunt, plerumque regna amittere: non existimo fortuitam esse prorsus regnorum possessionem, nec etiam diuinam, sed præmium esse virtutis humanæ. Dico humanæ, non diuinæ: nam virtus illa quam inertes hi philosophi non solùm iactant, sed venditant, humani generis exitium est: tamen maximè, vt dixi, quod propter ambitionem animos mortales aut saltem non distributos affirmant, deinde volunt aduersus tot commoda & illecebras vitiorum pugnare! TET. O insanum genus, & planè perditum. RAM. Sic est: sed sunt quædam vitia principum, quæ non tam citò perniciosa sunt, quamvis successu non longo & ipsa regnum adimant: velut crudelitas, & libido, atque stultitia. Præter hæc quatuor nulla sunt exitialia, quamvis mala mortalibus ac subditis. TET. Quomodo? RAM. Velut lenitudo, auaritia, iracũdia. Sed miraberis quod dicam: deteriores (dicebat Hieronymus Cardanus) probis sunt principes, nimis mansueti, quam nimis sæui. TET. Quid dicam? quidve audio? RAM. Ille iratus, & forsan meritò, erat: vixerat sub Antonio Leua, nil mali passus, vel boni: quamuis viro acerrimo: inde sub Cardinali Caracio, viro optimo: sub Alphonso Daualo satis fœliciter, à quo etiam donatus fuerat: sed & apud illum, quod mitis esset, cœpit inuidia laborare, non tamen nocuit. Pòst optime sub Ferrando Gonzaga, viro asperrimo, sed omnis virtutis & bonorum fautori: sub Cardinali Tridentino, viro & ipso iracundo, sed virtutum & egregiorum virorum cultori: sub Ioanne Tigarolo, Duce etiam (vt vocant) Albæ: ab his nil boni consecutus, nil mali expertus, ob temporis breuitatem: quanquam ab ipsis nihil timendum: virtute enim insigni vterque præditus: cum ecce venit Suessæ Princeps, eruditionis non expers, eruditorum amãs, se cum ille dicebat: Quid si cum his tam bene, qui literarum studiis addicti non erant: cum hoc tam liberali, magnanimo & satis erudito principe, mansuetissimoque? non decepit illum (vt aiebat) iudicium, sed euentus: nam & eruditus erat, & pecunia donauit, & mitis, si quis alius, & comes, & mansuetus, benignus: deinde fortis, magnanimus, splendidus, supra omnem expectationem: verùm casu quodam ob lentitudinem nullo sub principe infelicior fuit, amisso optimæ spei adolescente filio. TET. Sed quomodo ille tot aduersa fert? RAM. Æquissimo animo: nam reliqua dolorem acerbissimum filij potiùs distrahunt, quam augeant, præter duo. TET. Hoc saltem habet commune cum egregiis viris, Anaxagora, Socrate, Aristotele, Anaxarcho, Zenone Eleate, Æsopo fabulatore, Demosthene, Cicerone, minore Africano, Miltiade, Themistocle, totque aliis: sed hic mihi acerbitate casuum ac multitudine alios omnes superauit. Magna res est spontaneum exilium, quod etiam sibi maior Africanus imperauit. Verùm non satis pro nomine, neque pro titulo librorum quos edidit de Vtilitate capienda ex aduersis, egisse visus est. RAM. Hoc ego illi obieci, cùm quereretur. TET Quid respondit? RAM. Nihil, nisi non potuisse, & impeditum fuisse, quem admodum & Socratem. TET. Quid hoc de Socrate? RAM. Non puto perpetam

petam

peram adiectum, sed historiam vnó verbo significasse. TET. Quam? RAM. Vis vt dicam? credo illi Genium esse comitem, qui serò illi se prodidit, antea per somnia & strepitus monere solitum: nam quid maius? sine vllo medicamento liberatus est hernia intestinorum in latere dextro: quæ si ei non superuenisset ab obitu filij, statim eò discessurus videbatur, vnde forsan multa mala & magna processissent: liberatus tamen, ab hoc proposito se recepit: liberatus etiam ab vrigine vrinæ: tot tantaque ei mira in vita acciderunt, vt suspicari cogar & ipse, qui illi intimus sum, Genium ei esse, & magnum & potentem & rarum, vt non sit suarum actionum dominus. Sed quæ cupit, non habet: quæ habet, non concupierit, nedum vt sperarit: ille tamen hoc abhorret: sed cùm cogitat Deo omnia parêre, acquiescit. TET. Sed cuius naturæ? ferunt enim quosdam esse Saturnios, alios Iouios, atque ita de aliis. RAM. Suspicatur esse Venereum, Saturno Mercurioque mistum. TET. Tales omnes misere viuunt, & pereunt: quamvis quorundam magnum sit nomen. RAM. Hoc nescio, cùm neminem nouerim præter hunc, & illius patrem, ac Socratem, qui huiusmodi Geniorum familiaritate vsus fuerit. TET. At pater quomodo obiit? RAM. Honeste, & ex senio: sed multo antea eum Genius ille reliquerat. Sed de his nescio: hoc vnum scio, bonis viris ac sinceris nullum periculosiorem esse Genium, Principum consuetudine, & patria, vbi odiis & gratia res agatur.

FINIS.



DIALOGVS



DIALOGVS DE MORTE, CVI TITVLVS EST GVGLIELMVS.

ARGVMENTVM DIALOGI.



Veniens è Scotia anno M.D.LII. quærebam puerum Anglum, quem ducerem in Italiam. Cumque essem in vltima iam insulæ parte Doure, è regione Iciji, flarentque venti aduersi, nona vix die vela pandere licuit. Pridie quàm discederemus, exorto sermone de hoc, hospes ostendit mihi filium nomine Guglielmum, ætatis annorum duodecim, probum, sciтulum, & parentibus obsequentem. Auus paternus nomine Gregorius adhuc viuebat, & erat Ligur: pater Laurennius, familia nobili Cataneorum. Fata illum intruserunt: quamvis enim egregia esset indole, neque tamen ego, neque illi hoc animaduerterunt, puerum nec Italicam communem, nec Latinam tenere linguam: nam si hoc ego considerassem, quod omnium malorum illi fuit initium, haud mecum deduxissem. Mane autem sequenti, cùm de hoc solum vesperi verba fecissemus, pater dum eum deducere properat (iam enim nauis valde tempestiuè discedere properabat, metu piratarum) cecidit miser in littore, vt vix surgere poruerit à comitibus adiutus: quod etiam signum, vt ab eo audiui, parùm abfuit quin illum recipere recusarem. Sed cogitans quàm alacri animo illum pater obtulisset, non sum ausus id facere. Postquam traieci mare, errorem meum agnoui: neque enim nisi nutu illum aut intelligebam, aut ab illo intelligebar. Verùm vrgentibus fatis, quamvis consultò virgis illum nudum & sine causa verberassem, rogans, illud quod solum didicerat, ex familiaribus vnus, Volgo Doura, id est Vis ire Douram? respondebat, quod solum norat, No, id est Non: rursus dicebat meus familiaris, Volgo Milan, id est, Vis ire Mediolanum? respondebat, Sic Iaque nolens eum adeò tristitia afficere, deduxi Mediolanum: sæpiùs in itinere leuissima causa eum virgis cædens acriter, vt redire vellet: nam Ioan. Angelum Anonum mecum habebam, qui vltrò causa mea se obrulerat deducturum. Vbi Mediolani essem, nec ille quid vellet, quidve pollicitus illi esset pater, intelligere poteram. Id tamen dum in itinere esset, accidit, vt nocte quadam, cùm aliàs esset intrepidus significaret, vidisse se mortui caput, faciemque: quod nos paruifecimus: verùm vbi fuimus Mediolani, intelleximus patrem illius obijsse. Neque ergo mittere eum volui ad ludum literarium: de quo pòst, cum didicisset linguam, anno scilicet, ferme vno cum dimidio, questus est: nihilo secius Musicæ, quòd gens illa ei negotio apta videretur, tradidi. Sed magister parrum solicitus, quamvis anno vno decem acciperet coronatos aureos: & puer ad discendum valde deses fuit.

Inde cum libellum emisissem, neque illi operam dabat, vt saltem legere disceret: erat enim immodicus societatis puerorum amator. Et quamvis ego negligens fuerim, ob multitudinem negotiorum in curando, vt doceretur: nihilominus hoc me solatur, quòd appareret, ipsum ad omnia hæc satis ineptum esse: nihilo secius fidus, obediens, probus & ingeniosus erat: optimaque videndi acie prædirus, laborum patiens, nec vnquam querulus: quas ob causas adeò à me diligebatur, vt nil magis: idq; etiam impensius, quod ab officio meo deficere viderer. Verùm interim tot impedimenta ex filiis occurrere, vt neque respirare poruerim, assiduè modò vno modo altero vadas velut pristes exagitante: sæpe ambobus simul. Agebatur, ni fallor, sextus iam annus: at me pudebat tam malè instructum dimittere, nec remuneratum: ob multas impensas, quas tunc facere cogebant filij. Blandiriis ergo retinui illum. Sed cum septimo exacto anno Papiam me recepissem, cogitans vt illi benefacerem, iam

propofueram aut aliquam artem difceret, legere ac fcribere, canere atque pulfare: quæ omnia facilè facturus erat, quòd iam paululum didiciffet legere, & canere etiam mediocriter, & in domo victum haberet ac veftitum: ars verò ipfa quam propofueram, erat caligarum formandarum, quæ admodum leuis eft, & etiam non adeò humilis: fed fortuna quæ illius faluti & meis votis aduerfabatur, effecit, vt ftatim miferabilis ille cafus filij mei natu maioris accideret. Ex quo coactus fum, toto anno operam dare confcribendo Theonofto: quod fuperaret, explicandæ Arti medicæ Galeni intentus: oblitufque fum rurfus negocij alumni mei. Poft fex menfes, confcripta magna parte Theonofti, eaque præcipuè quæ de animorum immortalitate agit, rurfus deftinaueram fequi propofitum: nam iam octauus annus à difceffu ex Doura exactus erat, fed ob quafdam caufas tum mihi valde graues, nunc mihi leuiores (vt in iuuene, imò adolefcente, alumno, fido, mei amante, qui patrem auumque ac tres fratres ob mei amorem parum curauerat) vifas, propofueram ipfum extra domum collocare. Itaque dixi: Guglielme iam iuuenefcis, nihilque didicifti: vt tamen oftendam quàm te diligam: ego iturus fum Papiam, vt fcis: fi libet, in domo te artificis cuiufpiam collocabo: perfoluam illi pro victu, veftiam te: vbi artem didiceris, vel nummatus domum redibis: vel pecuniam tantam fuppeditabo, vt mercaturam & artem fimul exercendo, commode viuere poffis. Placuit quod obtuleram: fubiunxi tamen: Et interim feftis diebus legere fcribereque difces. Annuit. Sed quænam ars arridet? (tum verò erraui, laboriofiffimam fimplici iuueni offerendo) veftiariane? Annuit, atq; eo libentius, quod iam cum veftiario meo fæpius colloquutus erat, M. Antonino Daldo. At ego eundem illum ei propofui: quo factum eft, vt cùm ille iam rem notam haberet, ftatim de precio conuenerit, vt triginta duos coronatos poft fex menfes illi numerarem. Atque hic fecundus error: debueram enim in fingulos annos (nam de tribus annis conueneramus) folùm tertiam partem pecuniæ numerare. Sed & tertius error: nam Papiæ, vbi habitare folebam, non Mediolani, illum collocare debui. Quartus etiam error fuit, quòd in domo non tam fidum alumnum, contemptis erroribus adolefcentiæ (poftquam nec de periculo vitæ, nec honoris mei, nec fortunarum aut coniuncti agebatur) creditum fidei meæ à patre tam facili, retinere debui, aut dimittere non nifi ad domum propriam debueram. Venêre fex menfes: vafer ille vir blandiebatur iuueni optimo: id ego cernens effe è re fua: nec quicqnam fraudis fufpicatus, ex me familiaque mea & contubernalibus iudicium de alijs faciens numero triginta duos coronatos. Ille per æftatem, quòd ei effet rus exiguum, adolefcentem ducit ad ludos: fenfimque ex veftiario cuftodem vineæ facit. Simul etiam, fi opus erat, redibat eadem die (aberat enim locus paulo plus duobus M.P. ab vrbe) atque noctem fnendo confumebant. Saltabat præterea cum rufticis, amore puellæ ardens. Itaque dum Mediolani effem, febrire cœpit. Venit ad me: neglexi rem, multis caufis: tum quia ipfe parum conquerebatur: tum quòd caufam morbi ignorarem fuiffe labores fuperfluos, & infolationes: tum quòd apud me cùm ægrotaffet bis aut ter fimili febre, quarta aut quinta die releuatus effet: tum denique, quòd & filius & puer fugam arripuiffent. Quid plura? cùm tameu fanguinem mitti iuffiffem, poft quatuor dies veniunt nocte rogantes vt eum inuifere vellem: parum enim, iudicio fuo, illi fupereffe vitæ. Corripuerat eum conuulfio, fenfumque amiferat Ego tamen pugnaui cum morbo, ac releuatus eft: coactus autem fum Papiam redire, ob profitendi munus. Is verò, cum iam è lecto furgeret, celebrauit quafdam nuptias herus fuus, coëgeruntque illum in apotheca dormire: vbi ex frigore & mala victus ratione, cùm mifer ferò deftinaffet Papiam venire, grauatus eft rurfum morbo. Ibi impius ille dominus fuus, ad xenodochium transferri iuffit: ex quo tum vi morbi, tum angore animi, tum nocturno frigore correptus, fequenti manè obiit. Hoc cafu adeò perculfus fum, vt diceres filium mihi alterum obiiffe.

Igitur cùm nullum huic dolori folatium inuenirem, fed vigilarem, cogitarem, nec vnquam ea cura me linqueret, ad folidum præfidium me conuerti, vt ratione cum fenfu pugnarem, & memoriam nominis illius æternam facerem: cùm minoris famæ longe fpe multi, voluntariam & acerbam etiam mortem iuuenes ac diuites fubierint. Itaque hîc exordior.



PERSONÆ DIALOGI.

HIERONYMUS CARDANUS.

IOANNES PETRUS ALBUTIUS.



VALDE admiror, ô amice, hunc tuum dolorem: vt qui alios consolari soleas, tu tam paruo succumbas. Memento quãta de Consolatione scripseris, quàm fortiter filij casum tuleris, & quidem acerbũ, tot tantaque alia prudenti animo maiora: hic casum familiaris & ignoti tam turpiter deploras, vt tria maxima pericula subeas. Primũ, ne te amentem dicant: secundum, ne suspicentur in deliciis hunc iuuenem habuisse, vel etiam habere: tertium, ne Dei iram aduersus te prouoces. Filium vnicum habes in carcere, quod pro medicamento est, vt dicis: iudica quantus sit morbus, cuius medicamentum adeò acerbũ est: & luges familiarẽ morbo extinctum, totus in illum intentus. Pudeat te (liberè, vt soleo, tecũ loquar) vel tanti criminis, vel tanti ominis (quæ absint) vel tantæ stultitiæ. CARD. Pudet me sanè, & maxima ex parte vera te dicere intelligo: nec tamen dolori resistere possum, cùm dies noctesq; nil aliud cogitans, inter tot ærumnas, peruigil ab hora noctis decima, qui solitus sim ad multam diem (nisi interpellent negotia: & si interpellent, nunquam ante duodecimam) dormire, illius effigiẽ imaginari non desino, & facta mea ac socordiam accusare, non minus quàm si volens sciensque occidissem, velut Alexander Clitum, & Solimanos puerum, quem in deliciis habebat suo illo puluere hic, vino ille temulentus. Quamobrem supplicium hoc esse meum vereor non amorem, non luctum. Quod enim ad amorem attinet, non ita eum amabã, vt si prorsus persuaderi possem illum sine mea culpa periisse, vel tota die doluissem. Sed hoc me angit, quòd culpa mea perierit, qui à patre mihi in custodiam traditus, tanta fide me atque amore prosequebatur, vt de reditu ad patrem, ad auum, ad tres quos habebat fratres, ad domesticos sociosque pueros, nunquam verbum audire voluerit. Expleuerat septẽnium, quod sibi præfixerat ad reditum: sed amor creuerat manendi: in tractandis reb. adeò fidelis, vt nihil vnquã defuerit. Deinde alacris ad omnes obeundos labores, & longè facilior ad subeundos quàm ego ad imperandum: diligentissimus, cautusque. Quî ego possum obliuisci tantam insaniam meam, vt non ego illum apud me retinuerim volentem, aut domum suam (vt par erat) remiserim, suisque (quandoquidem parti non licuit) restituerim?

ALB. Rectè monent omnes, luctum suffusioni assimilari: hæc enim pruritum maximè commouet, & refricando augetur: ita tu mihi non lenire dolorem, sed causas augere videris. Cogita miser (liberè, vt dixi, tecum loquor) quid agas, quo in statu sis, quam de te opinionem præbeas hominibus, & æmulis malè dicendi ansam: quanto periculo (si te alia non commouent) te exponas: seu obires, relicto infante nepote, totque pulchris (vt audio) voluminibus adbuc imperfectis: seu in insaniam, quod deterius esset, deuenires. Quiesce igitur, & parce tuis, & gloriæ, si te tui cura non mouet. Pertulisti repulsam collegij, vt potuit iniustam: quandoquidem illi met te postea receperunt, post decem annos. Pertulisti, vt dixi, filij egregij, & tantæ spei necem, & crudelem, & miserabilem, & turpem (hanc non refricarem, nisi, qui medicinam velut tu profitear, scirem, & medicamenta lethifera ad sanitatem conducere: & cùm conducunt, omnium esse præstantissima) & alterius filij periculosa initia, & metu plenam expectationem: deinde mortem parentum, vxoris, aliáque multa aduersa grauia: nunc in adolescentis externi naturali morte adeò discruciari, vel (vt dixi) ominosum est, vel turpe, vel insaniæ iam inchoatæ argumentum. Non iacuit Socrates, fœda morte eadem die periturus; tresque filios paruulos sine vllis opibus relicturus: cùm etiam iniustè damnatus esset. Crede mihi, qui morbo perit, quovis modo pereat, à Deo eripitur: qui gladio aut veneno, ab hominibus: at si Deus eripit quod suum est, cùm eripiat, dolendum non est: secus in illis. Deinde cogita quòd senex es: & dictum Augustini, Senex diu viuere non potest: hoc te angat & torqueat, non aliena mors: cuius culpæ inscius es: etiamsi non omnino esses.

CARD. Verissima commemoras: & meipsum reprehendo: sed causam iustitiæ ac mœroris abolere non possum: nimis enim me torquet, atq; excruciat: consolor itaq; his rationibus: nam omnes has, aliasq; plurimas, pluribus in libris conscripsi: sed nõ possum resistere mœrori. ALB. Scio te has scripsisse: atq; ob id in medium attuli, & vt maiorem apud te fidem haberent, & vt intelligeres, me tuorum operum esse studiosum. CAR. Gratias ago: sed illud dicam: Cùm valemus, optimè consilia ægris damus. ALB. Sed ego inexpertusne sum harum calamitatum? Scis me, paupertatem quãdiu pertulerim (neq; enim turpius duco, fuisse, quàm pulchrum nunc, nõ esse iam pauperem) calamitates meorum atque dissidia, mortem præterea filij optimæ spei: vt tamen nec tua cõsolatione, nec multo minus alterius cuiuspiã indiguerim. Sapientis est, non solùm fortis viri, necessitatem perferre: tum magis, cùm ægrè ferendo malum malo addideris

CARD. Rectè omnia : sed fatigatum multis aduersis, oppressit me hæc extrema calamitas. ALB. Vtinam sit, & opto. CARD. Dico vltimam earum quæ præterierunt, quasque jam sustinui: non omnium: neque enim futura diuinare possum. ALB. Sed & filij in vinculis calamitatem non hac minorem duxerim, quæ tamen impendet nunc: sed mittamus hoc. CARD. Mittamus sanè, & de hac mea fortuna sermonem habeamus. ALB. Placet. Verùm cogita primùm, si libet, quanto in periculo sis. Senex, excessisti annum sexagesimum. Pauper: neque enim plus est tibi in reditibus, aureis (vt à te audiui) quadraginta: sed sint modò quinquaginta, sexagintaue, quid hoc ad tantos quos sustines sumptus? Cum odio, vt dicis, Senatus: saltem id ego dicam, non cum gratia. Ademptum seu imminutū stipendium plusquam centenûm coronatorum aureorum. Nepos nondum bimus, filius vnicus in carcere, filia sterilis ad hãc vsq; diẽ: autoritas tua casu filij imminuta longè apud ciues, vt non nisi cum summo labore ibi ex arte quæstum mediocrem facere possis: corporis habitus speciosior quàm valetudo firma, vt ex te audio. Si pereas, quænam spes superest stirpis tuæ? Si viuas, & in alterum duorum incidas, vt vel desistere cogaris à profitendo (quòd facilè ob æmulos, & Principum jam senescentem gratiam acciderit) vel vt morbo aliquo longo (quòd senibus, & maximè studiosis, frequenter euenire solet) opprimaris, quis te miserior, quòd ad publicam opinionem attinet (nam miserum verè dicere non audeo, ne à tuis institutis omnino recedere videar) dici poterit? ergo in tanta mole curarum, Guglielmi (nónne sic nominatur, qui nuper obiit?) recordari poteris? Quin parum abest forsan, ne statim librum consolatorium scribas, atque edas: ita cùm mœrebis maximè, vt apud Comicum, illi ridebunt maximè. CARD. Quid in hoc faciam? Credo diuinus es: tria enim (postquam id agere cogor) emolumenta ex hoc colligam: lenibo dolorem: immortale illi nomen parabo: eritque hic liber forsan illius Hegesiæ adeò famosi oratoris, qui Ægyptios laudatione mortis ad mortem voluntariam compellebat, orationibus persimilis: qui nisi comminatione mortis Ptolemæus ab eo munere illum deterruisset, prouinciam hominibus exhaustorus videbatur. ALB: Ita qui mortem aliis suadebat, illam extimuit? CARD. Ita est, sed dicam qui me angat in huiusmodi morte præcipuè. ALB. Dicas quæso: nam hoc est quod audire malim. CARD. Id maximè me torquet, quòd infelicissimus sim: & quòd eos qui mihi maximè sunt obsequentes, in easdem infelicitates deducam. Quid enim attinebat vt miserum illum abducerem è patria sua, tanquam alterum redditurus Theophrastum, cùm in domo sua Rex Philippus cum Regina Maria paulopòst (vt audio) hospitati sint? si pauper ille fuisset, non adeò dolerem. Qui cadunt, dum coguntur à miseria tentando euadere casum, æquo animo ferre debent: & qui spontè se in pericula præcipitant. ALB. Sed de hoc pòst viderimus. Dicas quæso, quæ sit hæc maxima cura? CAR. Vidistine meipso infeliciorem vnquam hominem? In vtero matris, abortiuo medicamento tentatus sum primò: duos fratres & vnam sororem peste amisi: Papiam ob id mater aufugit: profugus antè, quàm natus: exanimis natus: vitricum peste vna die amisi: in infantia æger, & toties deploratus, superuixi, credo vt deteriora experirer: reiectus à collegio medicorum inuidiosè, ne dicam iniustè, similem rursus repulsam in filio natu maiore expertus sum: apud patrem longam seruitutem sustinui, & pro spurio ab illo iactatus, etiam indecora matri simul audiebam. Inde vbi ab hac ærumna liber euasi, in deteriorem incidi, vt decem annis perpetuis frigidus, atque id ipso iuuentæ flore, essem. Soluit hanc calamitatem deterior quædam alia: tabe enim correptus septimestri, me fusis lachrymis deploraui: liberatus rursus ab ea, tantam paupertatem expertus sum per annos decemnouem perpetuos, vt exemplo phratrium Capucinorum prandenti mihi cœna incerta esset: idque ad annum vsque quinquagesimum. Omitto minas & vexationem Barbiani, alioqui illustris viri, sed meæ fortunæ parum amici, totque aliorum: mortes parentum. Nihil commune aut mediocre his connumerabo. Successêre nuptiæ illæ infaustæ filij natu maioris, inde mors terrior: denique tot stulta facta alterius filij, vt illum vinculis coërcere coactus sim (omitto nunc stipendij imminutionem, quam nuper commemorasti: herniam inguinis dextri deploratam aliquot annis: decimo octauo loco, miseri huius adolescentis mors intempestiua subsecuta est) vt fatear ingenuè, me neminem nunc habere in quo fidere possim: Filius hostis & inconstans, filia apud cõiugem, nepos imbellis: agnati parũ amici, cognati pauperes, affines omnes procul, amicus nullus præter te, non cliens, non familiaris: hic solus adolescens, quanquam externus, credo ob probitatem & educationem longam in officio perstabat: cui ego ob tantam fidem, per socordiam & desidiam hãc gratiam retuli: & non vis me deflere ejus mortem? ALB. Sed tamen si casum filij fortiter pertulisti, turpe est (fateor causam esse non leuem) cur vis nunc immoderato dolori succumbere? tum maximè, vt dixi, quod res hæc periculo ingenio non vacat. CARD. Rectè mones: sed in filio anima nondum erat magno vllo vulnere saucia. vides homines vulneratos parua puluinaria, molliaq; tum lintea grauius ferre, quàm ipsum vulnus: quòd caro saucia, nihil ferat: sana omnia contemnat. Quis eorũ non ægrius stupas fert, quàm sanus grauissimas compedes? Deinde ibi affuit diuinum præsidium, ex smaragdo in ore detenta. Conscripsi etiam librum Theonoston, qui omnes curas sedare, omnemq; tristitiam quantumcumque grauem sistere potest. Adest & in hoc causa, vt dixi, erroris, & desidia: in filio nihil deliqui, quòd sciã: nihil est quòd probum virum magis torqueat, quàm cõscientia sceleris vel negligẽtiæ. Hic etsi scelus omnino abest, in diligẽtia fateor me deliquisse. ALB. Sed si Theonosti liber omnes curas sedare potest, habesne illum apud te? CARD. Habeo. ALB. Cur ergo non & hunc illius lectione luctũ sedas? CAR. Vera dicis: sed in eo libro nil agitur de his infortuniis quę nostra culpa, & maximè circa

nostros

nostros euenerunt. Non me torquet hæc iactura, sed socordia stultitiaq; mea: vtroq; enim modo peccaui. Nam omitto reliqua: nec eum vestiario, qui totas vigilat noctes, collocare oportuit: & cum ad me miser, cui totus fidebat, venisset, omissis omnibus aliis negociis illi succurrere debui. ALB. Video quàm sit anima tua hoc morbo saucia. Sed dic quæso, hocne præuidisti, qui omnia mala præuidere soles? CARD. Existimo equidem: ipso enim primo die anni, scilicet Calendis Ianuarij, tremuit cubiculum, cum tamen nullus esset terræmotus: vnde quòd esset initium anni, monui omnes è domo, & filium præsertim, vt caueret diligenter: scite enim me, aliquem è domo interiturum: quòd dirum semper mihi fuerit hoc prodigium, tum etiam aliis, atque nimis certum: vt in patre seu patruo Comitis (sic appellare liceat more Longobardico) Hippolyti Mayni. ALB. At ille tamen in domo erat tua? CARD. Nequaquam, sed iam ad vestiarium se contulerat. ALB. Quid ergo illi cum tremore cubiculi? CARD. Et ille è numero fuit domesticorum: vnde etiam de eo sortem in Saturnalibus duxeramus. Imò & pro nepote timebam, timeóque etiam nunc: nam paucis pòst diebus idem repetiit prodigium, circiter mensis medium: nepos autem extra domum meam educatur. ALB. Sed nepos necessarius est tuus, è familia tua perpetuò, possessurus etiam bona tua, si nihil ei enim aduersi euenerit: at hic neque tuus erat necessarius, nec forsan in domum quoque tuam amplius rediturus: non certè diu apud te moram ducturus: nisi & hoc cogitaueras, vt eum hæredem etiam relinqueres. CARD. Nil tale: iocaris: plus dedi vestiario, quàm ei ex testamento relinquebam: sed tamen amabam plurimùm illum, & perficere mercaturæ destinaueram.

ABL. Itaque non videtur hoc somnium ad illum pertinere: securus viuas: fortuitò orimur, fortuitò magis etiam perimus. CARD. Non omnes. ALB. Excipere oportuit ergo famulum tuum. CARD. Non illum sui causa, sed mei. ALB. Deliras ô amice, dum talia dicis. Sed altiùs hâc defensionem exordiri oportet. CARD. Vnde vis: sed scito me de illis non fabulari: vtinam ad hanc vsque diem non tàm fuissent, quàm vera fuère huiusmodi ostenta. ALB. Credo: sed nihil tamen mihi tale contigit: verum omittamus hæc: dicasque, dolesne causa tua, an illius, an amborum, an suorum propinquorum? CARD. Omniũ certè. ALB. Quãquam magis arduum negotium imposuisti quàm sperabam, nihilosecius enitar ostendere, te non solùm tristari non debere hac causa, sed egregiè lætari. Benéque factum existimo & pro illo, & pro te, & pro propinquis suis: ipsum verò, si posset reuiuiscere meliore multo conditione quàm erat, illustrique fortuna, non recepturum reuiuiscendi optionem. CARD. Omnes hoc dicunt: sed Deus nouit, quomodo res se habeat: vulgatum certè est illud: Omnia esse cupiunt. ALB. Nihil proficio eminus tecum, video: cominus pugnandum est. CARD. Age si quid habes: nihil non absolutum ex te proficisci posse spero. ALB. Et tamen etiam abstioebo, quòd multi non faciunt, à calumnia: plerique enim ex vitiis, quibus nemo carere potest, nedum ille, odij causam & doloris lenimenta quærunt. Etsi etiam mihi illius vita intimè nota esset, longè plura dicere possem. CARD. Cogita illum inter iuuenes optimum fuisse, adeò vt ne inimicum vllum haberet. ALB. Sit ita, quando etiam præstat decipi quàm contendere: nam audiui aliquando discessisse. CARD. Ita est: sed ex iniuria, qua illum affeceram: rediitque intra secundam horam: erat enim omnis contumaciæ expers. ALB. Sit ita: video te facere dolori tuo, & gloriæ illius, si qua in barbaro adolescente gloria fingi potest. CARD. Vtinam alium similem haberem Italum, sed perge: iam enim lenimenta doloris non solùm non refugio, sed spontè quæro. ALB. Omnes qui de anima aliquid dixerunt, in quatuor opiniones diuisi sunt. Alij eas mortales esse volunt, aut vnam tantùm: quod ad idem redit, licèt specie quædam magnifica de illa loquantur: alij perpetuas ac diuisas, præmia & pœnas subire dicunt: vt leges omnes, Platoque, sed adeò frigidè hoc docet, ne ineptè dicam, vt multum detraxerit suæ autoritati hac in parte, vbi omnes neruos intendere oportuit. Tertia est opinio eorum, qui certo numero annorum eas superesse volunt, sed satis magno. Quarta est tua, vt ex te audiui, vt sint vnà omnes, & diuisæ tamen sicut radij Solis & membra corporis. Quòd enim sentit pes, manus non sentit, & tamen pes & manus vnius sunt, ne vnum dicam. Quicunque igitur animam æternam & diuisam esse dicunt, seu omnes sunt felices, seu bonorum tantùm quandoquidem hunc bonum fuisse contendis) nihil melius accidere ei potuisse, fateri coguntur: quod idem in tua opinione dicere necesse est. CARD. Ne labores amplius, hæc nimis perspicua sunt. ALB. Nam si improbum fuisse affirmes, impium fuerit dolere pro eo: qui, si vixisset, quamvis tibi amicus, multos probos malè habiturus esset, & iniustè læsurus. CARD. Vera nimis hæc: non labora: neruos omnes huc dirige, si mortalis sit, aut vna. ALB. Non credideram his opus esse apud te, qui toto vno anno (vt ex teipso audiui) nil aliud egeris, quàm vt ostenderes animas nostras esse immortales. CARD. Vera dicis: sed tamen cupio audire, quomodo etsi mortales essent, ostendere possis mortem non esse malam: quod diu frustra conatus est Seneca. Quid Alexander, Themistius & Auerroës dicturi essent? nam legisse me memini Theophrastum, qui eiusdem fuerit sententiæ, doluisse sortem suam cùm esset senex, grauiter, nec quicquam frequentiùs quàm questum de conditione hominum, & illorum breuitate vitæ. Itaque si quid potes in hoc, age. ALB. Primùm illud fateberis, quod poëta scripsit:

Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Quod luculenter adeò demonstratum est à te; exemplo argenti in aquam redacti, idem infinito numero reuerti vt nemo dubitare possit, vnumquenque hominem reuerti in hunc mundum, ac perinde esse ac si quis intermedio dormiat: variamque subire sortem, quam παλιγγενεσίαν tu vocare soles, mediam immortalitatem: vt verè quisquam nostrorum latitet velut in cinere scintilla, vt

astra sub terra, redeatque suo tempore longè feliciot: aut si feliciter vixit, aliam subire cogatur sortem: nec hoc immortalitatis genus vllus philosophorum tafugere potest. Porrò tempus hoc quo interim dormimus, felicitati potiùs quàm infelicitati, & tranquillitati proculdubio, imò maximæ, ascribi debet. CAR. Tam pulchti inuenti, vt & multorum aliorum, sed huius præcipuè, in quo maximè salus humani generis reposita est, gratiam vni mihi tota debet posteritas. ALB. Sed tu die quæso, & melius explicarem tuam: nam in hac, vt dici solet, omnes leges & prophetæ conueniunt. Hæc immortalitas est, quam nullus expugnare potest philosophus, nullum experimentum redarguit, nulla ratio reprobat: sed omnia vndique consentiunt. CARD. Dicam, postquam audire placet, solùm demonstrationes ipsas taceho, quòd in Theonosto abundè sint explicatæ, ne his idem repetere videar: à quo vitio, quantum memoria valeo, me vindicare soleo. At dices: Vel ipsam rem his dices? Nequaquam: nam rei seriem explicare ibi neglexi: nunc accuratè expediam, quod iucundum tibi fore existimabo. ALB. Vt nihil magis. Sed perge. CAR. Principio scire debis, cùm homu ex forma illa humana atque materia & mente perpetua constet, si omnino refugias animi immortalitatem, remque eò deducas vt lateribus similes simus (neque enim formam aliam vniuersalem, qualem commentus est Auerroës, imaginari oportet: tum quòd nos ipsi sumus, & singuli seipsos esse agnoscant, non alios: & quoniam omnes homines aliter essent vnus homo: sed fac vt liber, & omnia tibi concedam ab Auerroë posita quæ in nostram opinionem faciunt: quandoquidem quanto plura habebimus communia, tanto minus proprij restabit ad nostram resurrectionem) vnam saltem rem assignare oportet, qua singuli ab aliis distinguuntur: ea non est accidens: nam distinguimur hildem quibus sumus: sed materiæ portio, non totius corporis: quoniam & puer & senex non vnus idemque essent, nec amputato brachio vel effuso oculo idem homo esset: sed portiuncula illa in corde, in qua fixa est anima, si modò illam affirmes esse mortalem. Vbi ergo homo interit, materia manet, & forma illa in potentia in ea residet, velut in cinere fomes igniculi: & forsã actum etiam, licet exiguum, aliquem habent. Sed non assumo mihi, nisi quod negari nullo pacto potest: sic in somno profundo quiescimus, sic astra sub altero latent horizonte: sic in musca vitæ fomes: sic quidam, vt de Iuba fertur, adhuc calente corpore resurrexerunt (quod etiam ex Fortunio Affuito liquet & approbatur) vbi exigua pars illa rursus imbuerit & humanam animam & mentem, surgit idem homo: atque ita omnes verè resurgemus cum carne nostra, neque semel, sed infinite: quoniam tempus infinitum est. At si vel diecula superuinant, necesse est vnumquenq; hominem infinito tempore superuiuere. Sic etiam parum hæc opinio differt ab illa, quæ animas nostras ab obito dormire censet vsque ad diem iudicij. Vnde etiam illud toties repetitum: Dormiuit in pace.

Sed lex nostra vltrà progreditur: philophi coguntur ad sensus vsque consistere. Vbi cor illud fabricatum fuerit, alia sibi exornat membra, atque ideò alios mores, fortunamque. Credendum est etiam, ita constitutam esse hanc resurrectionem, vt qui felices fuerint, euadant infelices: aut saltem qui mali: relinqui etiam vestigia amoris & odij, si quando eodem tempore iidem qui amici fuerant, aut inimici, eadem ætate nascantur: quod vt non necesse est statim, necesse est tamen aliquando vt eueniat: & qui supplicio affectus est ab aliquo, eum rursus supplicio, vel aliter malè afficiat. Ostendo autem ita esse necesse: nam cùm tempus infinitum sit, & infinities reuertantur, & numerus animatum finem habeat: sequitur, vt non solùm semel, sed infinito quilibet homo cum quolibet in eandem incidant ætatem. Hîc planè vides omnia in vnum consentire, esseque verisimilia. Quominus mirandum primò est, si multi philosophi sine cura vixerunt, tanquam redituri: nemo enim est, qui si se prorsus extinguendum existimaret, tristis non viueret. Deinde quòd omnes religiones hanc immortalitatem asserant: tam multi etiam intrepide se morti offerunt. Reliqua autem quæ ex hoc pendent, planè eò vsque ignota sunt, eruntque nobis, donec venerit homo feliciori ingenio: velut, an iidem erunt filij singulis, an post obitum quicquam in ex materia resideat, actum habens. Illud pro comperto habeo, optimos esse illos, atque etiam felices, quibus cum nemine est negocium vt occidant aut occidantur, iniuriam inferant aut recipiant. Signum est enim tales iam pridem fuisse, talesque futuros esse. ALB. Mira hæc sunt: sed tamen valde dubia, ob vnum solum. Si quis enim dicat infinitos esse homines, diuidique materiam illam per partes minimas, vt nunquam prorsus sub eadem forma eædem sint materiæ partes: Deinde, quòd vereat, etiamsi sint, non eundem esse hominem tanto interiecto tempore: hæc duo si dilueris, fatebor omnes nos redituros. CARDANVS. Dicam primùm de tempore, inde de numero. De tempore quidem: quoniam si eousque viueremus, palam est eosdem nos futuros esse: modò interceptio hæc temporis nihil officit vnitati. Vides in argento viuo, & in his qui ex longo somno expergiscuntur, ex longo morbo, in quo sui immemores facti conualuerint. Nulla enim prorsus dubitatio esse debet, quæ ex eisdem fiunt, eadem esse debere.

Sed ad primum veniamus, ex quo etiam hoc secundum clarius elucescet. Si ergo hominum incertus atque infinitus esset numerus, nullus horum Deo notus esset: quorsum hæc inordinata incognitaque infinitas? at quanto satius, exemplo aliorum orbium proposito, certum numerum mortalium efficere, vt quemadmodum corpora cœlestia, ita ille numerus reuertatur ad pristinum? In hoc certè seruabitur ordo sapientiaque diuina, similitudo omnium, infinitas abominanda numerorum euitabitur: inutilis & incognita multitudo iustitiæ etiam diuinæ exemplum habebitur. Præterea si non ita sit, incidant autem aliquæ materiæ partes sub humana forma, vt alij quidem restituantur homines,

mines, alij non, quàm iniuftum erit hoc?re-ftitui quofdam, quofdam non reftitui? Si verò nulli? ALB. Nulli prorfus. CARD. Fugere oportebit ergo hanc collufionem, magnaque Deus folicitudine tenebitur ne quifquam redire poffit.

Quòd fi & iftud adeò abfurdum tibi concedam, negare non poteris quin pars illa materiæ ex pluribus portionibus conftet: ita vt in me(gratia exempli) pars fit alia Galeni, alia pars Iri, alia Themiftonis, atque alia Maximi Planudis: illi ergo, velis nolifve, ex parte refurrexerunt in nobis. Sed quæ confufio? at quanto dignius, diuina fapientia eofdem planè poft aliquot fecula redire? ALB. Stupeo in his: hæc fanè meliora funt Epiftola Auerrois de Refurrectione. Mirum: non fufficit his malè fentire, nifi etiam honeftiffima nomina impiis libris imponant: hic de Refurrectione, cùm interire omnia præter quid commune: ille de immortalitate, cùm nihil minus quàm animi immortalitatem credat, infcripfit, O beata Guglielmina (nam fcio te adolefcentem fincerum & optimum fæpe ita nominare ioci caufa confueffe) qui tui nominis gloriæ talem nactus es præconem, qualem aliquando fruftra defiderabunt reges. Et quanto tu rurfus Gulielme beatos es, qui caufam ferendi hos fermones exhibuifti? O gloriofum fatum, & Curtij temeritate immortalius atque honeftius. Hæc alia funt ab his quæ audire foleo in Scholis contentiosè clamari: Ariftoteles dixit, Galenus fentit: Medicina fcientia eft: At non eft, fed ars: Quid dicit Textus? at non, fed quæ vel quod. Sed perge, fi quid habes, vlteriùs: iam enim perfuafifti me. CARD. Imò ego à te hoc exigo quod es pollicitus, vt omiffis omnibus rationibus animi, modò me (vt volebas) confoleris. ALB. Præfto adfum, & pro viribus conabor egregiè: verùm, vt vera fatear, petlibenter habere vellem vnam Hegefiæ illius rationem, qui adeò vitæ huius fortunam deteftabatur, vt homines ad mortem vitrò obeundam compelleret. CARD. An putas fuiffe rem magnam? Certè non: in qua enim vis potuiffe Ciceronem vinci in Tufculanis? qui potuit videre hoc in argumento, quod ille non viderit? aut vifa & cogitata melius proferre, aut facundius quàm ille fecerit: & tamen nihil tale ille efficere potuit, nec hanc opinionem in hominum mentibus gignere. ALB. Forfan nec optauerit: imò etiam Hegefias ad immortalitatem animorum deuenit, velut & Cicero. Vnum fateor durum videri, fine hac immortalitate poffe inueni & diuiti perfuadere, mortem effe potiorem vita. CAR. Et tamen hoc à te nunc expeto: fed quomodo credis id illi cedere potuiffe? ALB. Si modò vera funt quæ dicit. Val·r. Max. exiftimo nihil fuiffe præcipuum, fed potiùs facundiam quandam popularem, quæ (vt dicit Eurip.) magis fuadet imperitis, quàm quæ arte ac ratione conftat. CARD. Quid audio? vnde hoc miraculum? ALB. Dicam: fieri poteft: nam facundia popularis magis propria eft idiotis, & illos magis mouet fplendida & verè ornata oratione, ob quatuor caufas. CAR. Quatuor caufas? hui vix vnam tota die inuenire poffe confiderem. ALB. Dicam, vt fcias, Prima eft, quòd huiufmodi incompta facundia melius percipitur ab illis qui craffiore funt Minerua, quàm fubtiles rationes: tum etiam, quia fundamentis innituntur, quibus illi magis fauent.

Secunda, quòd inæquallor fit oratio (quod etiam Quintilianus anima iuertit) & ob id magis concutiat popularium mentes. Tertia, quòd geftibus homines minus graues (qualem Hegefiam illum, alioqui ignotum, fuiffe credo) verba fua adiuuant: at faltem minus graues Ariftotele, Platone, Demofthene atque Cicerone effe fateberis: vnde percutiendo fuggeftum, exclamationibus, lachrymis, fufpiriis, cafu vocis, has fuas nænias fulciunt: quæ vt ridicula fapientibus & artis peritis, ita admiranda imperitis, mulieribus puerifque funt. Quarta eft, quòd mendacia etiam impudentia, nec credenda, tales immifcent.

CARD. Intelligo nunc: fed fi quid habes Hegefia ifto dignius in hac caufa, depromе. ALB. Dicam planè, atque vt fermo fermoni innctus videatur. Quid eft, nifi hæc vita effet prorfus infeliciffima, quòd tot viri nulla ex caufa feipfos occiderent? Narrant enim, in Othonia funere quàm plures milites fe iugulaffe fponte, eum nihil effet quod illos premeret. Centurio, qui Caffio ferum attulerat refponfum, feipfum iuxta cadauer domini confecit. Quot liberti, ferui, mulieres, omitto parentes ac fratres, qui vel ob dominos, vel ob focios, femetipfos occiderunt? Quid ergo boni illi in vita effe rebantur?

CARD. Sed hi forfan animos exiftimabant immortales. ALB. Nihil minus: paucis ad hanc diem hoc perfuafum eft? & tanto paucioribus, quanto plurea id credere fe fimulant. Sed fi modò hoc perfuafum eft: prohis id eft: tum quia fimpliciorea, tum quia ipfo vitæ genere quam habeant opinionem, oftendunt. At qui fe fic interfecère, viri omnes erant improbi, atheique, præter vnum Catonem, cuius mentem (faltem cum floreret) Deus nouit. Sed fac vt etiam immortales exiftimarint animos: eam fpem compenfabat dolor ipfe mortis.

At nunc difputatio non eft, an mori expediat cuiquam: fed, an melius fit his qui mortui iam funt, quàm quid viuunt. Quid ergo eiufmodi homines vitam morte deteriorem exiftimarunt, fi mortem non poterant bonam effe fperare?

CARD. Hæc ratio planè conuinceret, fi plures eiufmodi fuiffent homines, aut fapientes: illud enim fide dignum folum habetur, quod vel pluribus, vel fapientibus maximè probatur, modò hic neutrum eft. ALB. Sed veniam quocunque vocor. Certè qui viuunt, nihil plus habent mortuis, quàm quod mortem ipfam experiri coguntur, malorum maximum atque terribiliffimum: nam cætera paria fermè funt in vita: metus, fpes, dolor, voluptas, iucunda, ingrata, dulcia, amara. Atque id nimis etiam eft, fi demus bona malis poffe æquari: nam mala & diuturnitate & magnitudine bona fuperare folent. Adde, quòd magis mouent mala quàm bona: quòd mala in extremo, bona in medio: & mala in fenfu, bona in indolentia repofita fint.

ſint. Quid iuuit Ciceronem cum tantis opibus (ſupra trecenta enim millia aureorum coronatorum poſſidebat) cum tanta potentia, vt tertius eſſet Romæ (poſt Pompeium enim & Cæſarem, mortuo Craſſo, iam primus habebatur) cum tot amicis, vt viginti millia ciuium ob eius exilium veſtem mutaſſe dicantur: cum tot geſtis, de quibus gloriabatur: cum conſulatu, ordine Senatorio, collegio augurum, aliiſque multis magiſtratibus, ſoſpite adhuc filia, incolumi filio, fratre, nepote, cum tot libris pulcherrimis conſcriptis, demum cum peritia tanta rerum ſingularum Philoſophiæ, inde incomparabili illa eloquentia, corpore non ſolùm ſano, ſed vegeto? Vide quid dicat, & ex animo? Attico enim ſcribebat (ſola fratris iniusia laceſſitus, qui tamen adeò pro illius ſalute ac dignitatate pugnauerat, vt vitam illius mortis falſa opinio tutata fuerit: namque in illa ſeditione, vt mortuus inter mortuos iacuit:) Hæc ad te natali die meo ſcripſi, quo vtinam ſuſceptus non eſſem. Vides quàm longè magis mala nos afficiant: imò parua & pauca mala, multis bonis. CARD. Quòd dicis, nil plus habere viuentes mortuis, niſi quòd ſint morituri: fateor: nam hoc ipſo videntur fœliciores: quoniam qui viuunt, commutare conditionem poſſunt: qui mortui ſunt, coguntur retinere: melior ergo eſt conditio viuentium. ALB. Subtiliter, & digna te obiectio: ſed ipſe tranſitus è vita tam grauis eſt, vt nemo, quod ad hoc attinet, velit non euaſiſſe. Si quis enim ex morbo ad ſanitatem non poſſit, vt in veſicæ lapide (ambo enim medici cùm ſimus, & (vt dixi) artis profeſſores, exemplis medicis vtar) redire, niſi execto lapide, quis non malit exectum, quàm exigendum? CARDAN. At ſi, præter id, grauius ſit ægrotaturus à ſectione, qui non malit non exectum, quàm eum fruſtra ſubiiſſe dolorem, vt grauios torqueretur.

ALB. Ergo eò deuenit res, quandoquidem qui mortuus eſt, malè non poſſit habere: quanto minus peius? vt videamus, an vita bona ſit, an mala: nam ſi mala, cùm mors mala ſit, mortuis malum non ſit, vt nec bonum, mortuis melius erit dupliciter: & quod malis vitæ, & quod dolori mortis non ſint obnoxij. Sin autem bona, viuere melius erit, quàm mortuum eſſe. CARD. Rectè inquam. ALB. Sed & hoc videamus. Poſtquam mortui ſunt, ac perinde ac nunquam nati: illud ſpectare ſolum ſufficiet, an homini naſci bonum ſit. Sic enim hoc quæſito omnia determinantur: nam qui naſcitur, ea conditione naſcitur, vt mori ipſum neceſſe ſit. CAR. Video quorſum me trahas: quatuor enim ſimul difficultatibus implicare me vis. ALB. Imò explicare potiùs. Scio quid dicere velis. Primum, quòd (vt dixi) Cicero aliique multi leuiſſimis ex cauſis mortem deſiderauerunt. Secundum, vt dolorem mortis, bonis quæ poſſidemus opponas: quæ non leuis pars malorum eſt, tum per ſe, tum propter metum. Tertium, vt obiicias Philoſophi dictum illud: Mortem optare, & conſciſcere ſibi, ad mollitiem pertinere: quaſi durius ſit longè dolores vitæ perferre, quàm mortem, & non eſſe. Quartum, vt illud Sileni adducas: Optimum homini, non naſci: proximum eſt, ſtatim, vbi natus fuerit, mori. Hæc erant, puto, quæ obiicienda tibi exiſtimaueras: quia verè obiici poterant. CAR. Ita eſt: ſed leuiter eadem diſcutiam. Optabam magis propria, & diligentius examen de ſingulis. Quod enim de Sileno adducitur, tam fabuloſum eſt, vt etiam fabula mera ſit: quæ originem ducit à fabuloſo animali, ac prorſus confecto: nec opus illud Ariſtotelis eſſe exiſtimo, cuius etiam nullus Peripateticus Philoſophus meminit. De mollitie, certum eſt mollitiem eſſe, non perferre poſſe dolorem, & ob cæcitatem atque ſtultitiam ſemetipſum conficere. Mors non perfertur ſponte: ſed vbi in illam te conieceris, velis noliſue perferre cogêris: vnde illud Virgilianum:

-Oculiſque errantibus alto
Quæſiuit cœlo lucem, ingemuitque repertam. Vnde etiam alibi clariùs:

-Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem; & duros perferre labores?

ALB. Effinxit Virgilius ſordidarum animarum curas ac mores, quæ quiduis malunt pati ac ſubire quàm mortem. Vnde & illud: Gaudia vitæ. Vulgus ſic viuit, vt nil potiùs vita eſſe ducat: ita etiam corporeas delicias animi iucunditati præfert. Sed quis ſcit, an Poëta mortuorum affectus pro moriturorum deſcribat? Sed perge. CARD. Nolim hæc prodeſſe cauſæ) vt ita dicam) meæ, modò ne obſint: vt nec mihi illud, quòd naturaliter omnes appetant eſſe: nam hoc generale eſt. Igitur vita morte potior eſt. Sed ad alia. Qui moriturus eſt, perpetietur non duriora, quàm is perpeſſus eſt qui iã ſit mortuus. Finge ſupereſſe, vide æquam eſſe conditionem: niſi quòd ille iam ſuperauit malum, hic expectat: nec nos morientem mortuo comparamus, ſed viuum, qui vix vnquam mori ſperat, qui nullum putat eſſe in morte dolorem: nam de moriente non contendam, quin melius ſit eſſe mortuum, quàm mori. Quin etiam multi nullum putant eſſe in morte dolorem, quòd vnà cum vita etiam ſenſus extinguatur. Quod ſi ita eſſet, quid haberes quod obiiceres? ALB. Legi hoc aliquando in libris tuis de Conſolatione: ſed an par ſit linqui animo & mori, dubito: nam qui linquuntur animo, vt non dolent, ita nec aliquod doloris ſignum edunt: qui moriuntur, vel tum, vel parum antè, non mediocris doloris ſigna oſtendunt: torquentur, lamentatur, peruigiles ſunt, oculis intentè toruiſque aſpiciunt, ſubſiliunt, exilire volunt, terrentur, clamant. Sed nil aliud adduco præter rhechmonem illum quo diutiùs tenentur, & haud dubium eſt illos ſentire ſe ſuffocari: hæc omnia non ſolùm dolere eos qui moriuntur, nec mediocriter, ſed maximè, ſigna ſunt. Si tamen non vis, quid dicam non habeo. CARD. Ariſtoteles ſcripſit, vltimo ſenio confectos nullo dolore mori: tanquam cum aliquo eorum poſt obitum collocutus fuerit. Gualterius Corbetta, cum hæmoptoi periit, paulò defecit: vbi rediit, dixit: talem ſe expertum dolorem, vt maior in morte eſſe non poſſet, nolléque ſe reuixiſſe: quoniam periturum ſe nouerat: hæc fauent opinioni tuæ. Sed quid plura? ego ipſe mortuus ſum. ALB. Quando oh? iampridem ſcio,

ſcio, ſed non mortuus: nonne memor es dixiſſe, hoc me legiſſe in tuo opete de Conſolatione? CARD. Non: dicu, nuper, & verè. ALB. Quando? iocaris, aut inſanis? cuinam perſuadebis vnquam? CARD. Nocte quæ ſubſecuta eſt ſeptimum Calendas Decẽbtis, huius anni M.D.LXI. ALB. Quo modo? ais seriò? ſi mortuus es aliquando, quomodo viuis? reſurrexiſtine? CARD. Niſi poſſem oſteudere, miraculum huiuſmodi proferre non auderem. ALB. Quod? quod mortuus reſurrexeris? CARD. Nequaquam, ſed aliud. ALB. Quod? CARD. Quòd cum hernia inteſtinali lateris deatri per decemocto menſes laboraſſem, omniàque obeſſent auailia, repentè proiectis omnibus medicamentis, ſanus prorſus vt nunquam aliàs factus ſum. ALB. Mira hæc quanquam ſiut, non tamen id ad reſurrectionem quicquam facit. Quid enim herniæ cum reſurrectione? CARD. At non reſurrexi. ALB. imò: nonne mortuum te dixiſti, & viuis, ergo reſurrexiſti? CARD. Non mortuus ſum, ſed mortis dolorem ſum expertus: atque vtinam tàm tibi poſſem ſignificare, quàm illum percepi. Credo etiam in ægris minorem eſſe. ALB. Cur ergo non periiſti? Dormiebaſne, an vigilabas? CARD. Dormiebam: ſed perhorreſco. ALB. Oh, dormiebas? ſomnium ergo eſt hoc. CARD. Non: ſed eum ſenſi dolorem, quem ſcio ad vnguem morti eſſe perſimilem. ALB. Et hoc ſecundum mirum: Dormiebas, & non eſt ſomnium: mortuus es, & viuis, nec reſurrexiſti?

CARD. Rectè dicis: ſed nmnia in me quandoque ſupra fidem ſunt, ſeu ad id Genius quidam me ducit neſcientem, ſeu donum eſt Dei, vt patefacere poſſim quæ vix nota ſunt vlli alij: certè ignoſco tibi ſi non credas, quandoquidem mihi vix ipſi credam. ALB. Dic quomodo res acta ſit, & cur non interiiſti?

CARD. Momento ſolo perdurauit, & (vt dicunt) inſtanti: nec dubium eſt quin ſi vel per momentum perdurafſet, quin animam efflaſſem. ALB. Quid videbatur? CARD. Non poſſum explicare. ALB. Explica ſeriem facti. CARD. Viſus eſt mibi quiſpiam, neſcio quis, dicere, boc eſt mortis exemplum, hic dolor. Vnde ſtatim mecum dixi: Non ergo moriar nunc. Et in ipſa cogitatioue viſa eſt mihi omnis vita è corde extirpari, atque in auras euaneſcere, ſimulque omnia confundi, & nullus eſſe cum terrore magno. Et ſtatim ſolutus ſum ſomno. Palpitabat autem cor, ſed ſubitò ceſſauit: & quod ex corde euaneſcebat, calidum erat aliquando plus quàm par erat. Itaque ego, qui miraculum ſeu oſtentum de hernia vidi, faciliùs credere poſſum mortem ad vnguem talem fore. Et eò magis, quòd etiam verum eſſe expertus ſum ſomnium illud, quo admonebar, ſi ſmaragdum quam collo appenſum ferebam, in os ponerem, futurum vt obliniſcerer filij: non mortis illius, ſed tanquam nullus mihi antea talis fuiſſet. Ego qui talia vidi, & multa alia, cur hoc quod minus eſt, & valde veriſimile, vel ob hæc duo quòd neque quicquam ſimile habeas, nec adeò terribile. ALB. Dic quæſo, cuiquamne alij hoc narraſti? CARD. Non niſi conturbenali. Sed cur? ALB. Scire cupiebam, quid illi de huiuſmodi re ſentirent. CARD. Nemini dixi, niſi Herculi conturbernali meo. ALB. Magna ſunt hæc, atque miranda. Et ſi vera ſunt, argumentum ſatis euidens immortalitatis animorum noſtrorum. Sed dic, quid putas intereſſe inter mortem hominis, cuius poſt mille annos anima denuò reuiuiſcet, & cuius anima interim ſopita expergiſcetur? oſtendit enim ratio quædam, hos eoſdem futuros, illos autem diuerſos: quamuis non habeam quid dicam, cum materia & forma eædem ſint in ambobus, & ſilentium intermedio tempote par in vtroque caſu. CARD. Operatio & eſſentia rerum, ſunt cauſæ differentiæ: hæ cùm ſint eædem, videntur parem effectum habere. Sed habeo hac in re ſatis accommodatum exemplum Sol illuceſcat per feneſtram in cubiculum tuum phialæ ibi duæ aqua plenæ, quas radiis illuſtret: ex ambabus iris in pariete refrangatur: ſed vna quidem perpetuò maneat, nullo obiecto Soli impedimento: alia obducta poſte modò, modò aperta videatur, quandoque non videatur: quæritur igitur, an eadem vtraque ſit iris? nullum eſt diſcrimen, niſi quod vna continuata eſt, altera verò interrupta. Si hanc vnam eſſe dixeris, dic & homines illos regenitos eoſdem eſſe: ſi non, non. ALB. Sed quid dicis tu? CARD. Ardua quamuis ſit dubitatio, videtur tamen quòd vna ſit. ALB. Ergo veram omni modo reſurrectionem non ſolùm hominum, ſed animalium omnium, atque etiam plantarum oſtendiſti. Imò, vt dubitabam, cùm hoc, tum maximè animorum immortalitatem: vtcunque igitur cedat, animi ipſi ſunt immortales. Solum hoc in dubium vertitur, an interim intelligant, vel non: nam quod ſint, aut non, omnino nihil intereſt, quando & medium & extrema ſimilia prorſus ſint. Nam dum homines illi viuunt vtroque modo comparati, vt ego nunc & iampridem, idem ſumus, ſi de intermedio tempore loquamur: vbique par ſilentium, ſeu anima ſuperſit, ſeu non, cùm non intelligat, etiamſi ſit: igitur ſolum omnis hæc dubitatio in duo membra diſcindi poteſt: vel, vt animi ſuperſint, & à corpore diſiuncti intelligant, aut non. Præcipuè etiam, quoniam ſi non ſuperſint actu, potentia tamen ſunt: atque ita quilibet dum moritur, ad vnguem ad eam reuertitur conditionem qua fuit ante ortum: & denuò rediens, ſolum mutat fortunam. Hoc igitur modo parùm intereſt, an cum filiis moriamur, an non: in παλιγγενεσίᾳ enim qui habent, non habebunt: qui non habent, habebunt: & occident multi eos qui aliàs parentes ſui fuerunt, atque etiam filios. CARD. Sed libet apertiùs demonſtrare hoc. ALB. Habeſne quid melius? CARD. Ita opinor. ALB. Dic quæſo. CARD. Materia prima in potentia eſt (vt vtar vocabulo & formula dicendi potiùs vſitata, quàm Latina) ad omnes formas, & omnis illius pars quæ ſub actu non eſt. Materia igitur Socratis, cum Socrates viueret, ſi fuiſſet in potentia ſub forma humana, potuiſſet vel alter Socrates vel alius homo generari: non Socrates qui erat iam, nec alius: nunquam enim ex vno in alium in eadem ſpecie fit tranſitus. Cùm ergo mortuo Socrate perit actus, fit potentia in

materia

materia ad formam humanam, aut non? Si non, igitur illa pars materiæ desinit posse esse sub forma humana: pariter & quælibet alia pars: & cùm tota materia finem habeat, extinguetur potentia humanæ formæ in tota materia: & sic desinet humanum genus aliquando. Sed si non extinguitur hæc potentia, vel erit ad alium, quàm ad Socratem: & ita potuit etiam esse dum Socrates viueret: & si ad Socratem, igitur cum non possit frustrari in specie, erit aliquando sub forma humana iterum, & ita iterum Socrates. Similiter vt partes cœli ad locũ, ita partes materiæ ad formã: & vt partes cœli ad motum, ita materiæ ad mutationem. Sed partes cœli, vtpote Sol semper est in potentia ad primum punctum Arietis, cùm non est in illo, & ita ad omne aliud punctum: igitur quælibet pars materiæ est in potentia infinitis vicibus ad humanam formam, & ad idem homo generabitur infinitis vicibus. ALB. Dicet forsan aliquis, hanc potentiam esse & in tota materia, & in qualibet parte ad hominum formam, velut cinerem ad lixiuium. CARD. Vel ergo ad vniuersum genus Socratis materia est in potentia, vel ad singulos. Siquidem ad omnes, id fieri non potest: nam Plato Socrates esse non poterat: & non differunt nisi per materiam: igitur materia Socratis non est capax Platonis: non ergo ad vniuersos. Sed neque ad quos: nam per successionem esset ad infinitos, & semper ita ad hunc quòd non ad illum: istud autem esse non potest: relinquitur igitur, vt sit ad vnum tantum, scilicet ad Socratem: igitur Socrates semper redibit in eadem materia. ALB. Satisfaceret mihi & opinio & argumentum, nisi esset, quòd videtur hic reditus futurus valde serotinus, & vltra annum magnum, annorum scilicet xxxvi. Præterea reditus Solis cùm sit per partes non commensas, nunquam forsan erit ad idem punctum: scio enim hoc te demonstrasse in vndecimo libro Arithmeticæ tuæ. CARD. Non scribimus quæ volumus, sed quæ vera sunt: nam cùm iam constet materiam Socratis non habere nisi vnam potentiam ad vnam speciem, si ad singula & diuersa erunt infinitæ potentiæ & ordo & confusio: si ad vnum, igitur non nisi ad Socratem ALB. Forsan dicam, ad hominem, non ad Socratem, neque Platonem. CARD. Vel igitur ad quemcunque hominẽ: & ita ego non differam à te per materiã. Breuiter, omnis alia via est confusio ipsa. Sed de tempore quid refert? Forsan quod pars animæ mundi habet ibi (quod verisimile est) appetitum: quoniam non est inferior illa materia quæ appetitu non caret. Sed iam ad institutum sermonem rogo reuertaris. ALB. Explicasti mentem meam à longo veterno: sed huic negocio, quod à me exigis, satisfaciet liber ille Platonis, seu Luciani (nam vtrique inscriptus est) nomine Axiochus: ibi enim damna vitæ recensentur humanæ, adò vt ille tandem cogatur optare mortem. Quid aptius huic negocio? nisi exigas, vt eloquentia superem Platonem? CARD. Non: sed librum illum legi, & meliora à te expecto: siquidem facile est inuentis addere. ALB. Patieris saltem vt ordinem illum sequar, & eius rationes explicem atque expoliam. Pulchrum enim est natare cũ cortice: CARD. Fac vt libet, modò noua aliqua & meliora audiam. ALB. Agam pro viribus, quanquã impar oneri. Primùm illud considera, vitam nostram inauspicatã esse, vt quæ à fletu semper incipiat. Infans vbi natus est, statim plorare didicit, ridere nisi post quadraginta dies haud didicit. Quodnam potest esse certius signum, & euidentius infelicitatis nostræ, cùm à fletu sumat initium? Et ne fortuitum hoc esse credas, in somnis tamen ridet, memor credo prioris voluptatis ac vitæ: nam ob quæ alia ridere tunc potest, cùm nec quæ videt, probet, nec intelligat? Sed dolet in hunc mundum venisse, & augurium sibi miseriæ facit. Plura de hoc dicerem, sed ad sermonem vereor immortalitatis reciderem animorum, à quo prorsus propter petitionem tuam abstinere cogor. Verùm vt quàm breuissimè agam, de vitæ huius initio verba facturus non sum: neque enim quisquam est tam huius mundi laudator, vt stercora, fascias, molestiàmque illam infantium (vbi sensus acutissimus, defensio aut tutela nulla est) non detestetur & abhorreat. CARD. Ne labora. Infantia ob iuuentutem, non sui gratia fertur: est enim puonis carcere tetrior. Nã in eo cognoscere multa, legere, scribere, amicos alloqui, petere quæ cupis, scalpere, mouere se vel paululùm potest victus: infanti omnia mala, solatium nullum. ALB. Ad pueritiam deuenio: ibi tormentis adduntur ludibria ætatis: quòd si quis omnino non splendida fuerit fortuna, aut patre acerbiore, cogitur omnia mala perpeti. Nudi verberantur, ieiunant, vigilant laborant, irridentur, colaphis cæduntur, discere coguntur, in ludo literario esse velut compedibus alligati, totis diebus fame, æstu, frigoréque conficiuntur: nulla voluptas quæ non eis exprobretur: hinc minæ, hinc iurgia, minis apud ingenuos pueros grauiora. Coguntur furtim omnia surripere. O calamitosam vitam: in qua omnes perirent, nisi spe iuuentutis subeuntis recrearentur. Omitto senectutem, in qua nemo probus & firma mente esse velit, etiam defensore Cicerone: neque melius illam damnare autore illo possum: Hinc iam fallens subrepit senectus, in quam confluit quicquid est infirmum fragilisque naturæ. Quòd nisi quis " vitam ocius velut æs alienum reddiderit, " astans supra caput natura tanquam fœnerator reposcit vsuram. Ab alio quidem visum, " ab alio auditum, persæpe vtrumque. At si " quis cunctetur debilitat, cum excruciat, mem- " brisque destituit. Alij itaque multa senectu- " te repuerascunt, animòque bis pueri fiunt se- " nes. Adde, quæ videt, quæ patitur interim? " mores suorum, luctus, iniurias, incommoda " omnis generis.

Sed mittamus accusare id, quod accusatione ipsa sit leuius: nam si dentium casum, oris fœtorem, irrisiones commemorare voluero, non finem vnquam inueniam. De senectute maledicere, est mortuos iugulare velle. Alias prosequi ætates, vna iuuenture excepta, prorsus inane est, atque superfluum. Si enim iuuentus bona non est, quæ ætas probari poterit? Nolim poëtarum vti testimoniis, quæ ille adducit, tanquam pondus apud te habitura sint: quale illud:

Quàm

Quàm superi miserum statuen mortalibus aui
Viuere, vt viui deflenda per omnia durent.

Ac rursus:

Et cunctis hominum generi sors pessima vita,
Stant quæcunque supra terram, spirantque, meantque. At contrà de Amphiarao:

Iupiter hunc totis amicis, hunc magnus Apollo
Dilegit, & iusti metas non attigit aui.

Quin illud etiam:

Nascens
Ficar, qui tanta vita intrat mala.

Hæc tamen addere volui, quòd ad propositum maximè esse videantur, cùm de morte adolescentis doleas, tanquam immaturè erepti: imò condoleas quasi illi, atque miserearis. Sed non omittam illa duo quæ ibi narrat de Agamede & Trophonio, qui cum Pythij Apollinis templum exædificassent, pro gratia quam rependi sibi postulatant, retulerunt, vt ipsa nocte perierint. Et Iuno similiter matri adolescentum, qui pro iumentis eius simulacrum vexerant, petenti vt quod optimum esset daret, ambo sine morbo ipsa nocte mortui sunt. CARD. Magna testimonia, si vera sunt. Sed quis scit, non perisse ambos ex immodico labore, alios ex inuidia, veneno dato: inde in religionem conuersum? Non requiro rationes vllas, vbi admiserimus, à morte superesse animos singulorum: non peto hinc auxilium. Videntur omnia hæc testimonia cò tendere, vt ad Deorum munus mors, tanquam animi supersint, referatur. ALB. Prosequar, hęc linquens. Illud primùm considera, eos qui viuunt, si rectè rem æstimare velint, cùm neque horulam tutam habeant, tot imminentibus periculis vndique non solùm sibi, sed filiis, fratribus, ac his quos maximè diligant, miserrimè viuere. Si quis morbos, tegulas, fulmina, lapsus, ruinas, iactus lapidum fortuitos, insidias, inimicos, venenata animalia & medicamenta consideraret, nunquam nisi miserrimè viueret. Quod miseriam lenit, est stultitia ipsa, & [illegible] propriè, quæ iucunde inter tot mala viuere nos sinit: vt appositè laudetur à quibusdam declamatoribus. Sed quid maius casibus? Meministi, cùm hic in ciuitate quidam emens aromatis pauxillum, vbi quadrantem æreum tanquam adulterinum reiecisset, ea sola causa pistillo ferreo ictus ab aromatario, statim mortuus est. Non paucos vidi ex huiusmodi causis non maiore mercede periisse. Quid hac vita infelicius esse potest? tam verò quis ille est, cui omnia membra bene valeant? nullus fermè. Vnum dicam: timor mortis & consuetudo sola efficiunt, vt non omnes sponte nos neci ob calamitates dedamus: sic ferimus, tanquam quod querendum esset, omnino perpeti cogamur. Liberabit nos (dicere solemus) mors. Si rarior esset illius aduentus, si non tantam sui copiam faceret, si dubium esset an nunquam ventura, plures illi occurrerent. Cur adeò magno cum cruciatu aduenit? quoniam ni hoc factum esset, omnes fermè sibi manus inferrent: quandoquidem vel sic plurimi id agant, & legibus prohibitum sit, semetipsum occidere. Si non esset res optanda, pluribus id minimè sancitum esset. CAR. Huius argumenti memini in Theonosto. Natura enim sepem mortis inter vitam hanc & interitum adeò duram & spinosam posuit, vt homines à transitu coërceret. Quid enim fuisset omnia potenti opifici, constituere vt aduentus mortis somno esset simillimus? Sed omnes immatura ætate interiissent, hominumque genus defecisset. ALB. Euge, pulcherrimum aliud inuentum in mentem reuocasti, & dignius hoc primo, vt existimo: scilicet, quòd causam inuenerimus, cur idem opifex abscondidit tam quæ ante ortum nostrum habemus, quàm quæ post obitum: nam ex vno alterum intelligimus: ne homines id intelligentes, properarent ad exitum ex hac vita: tum etiam, ne coacti benefacerent, ac secundum virtutem viuerent. Ambraciota enim ille iuuenis, cuius & tu meministi, lecto Phædone Platonis, se præcipitauit è muro, vt ad eam vitam, fabulosam tamẽ, properaret. Quid si constaret? Quem carcerem princeps posset constituere, quo inuiti continerentur in vita? CARC. ô pulcherrimum inuentum, pulchra ratio. Delectat, perge. ALB. Omitto malam valetudinem, & pericula. Subiiciamus vitæ genus: quotidie vestes induere, atque exuere, hoc parum esse putas? Indi hoc tanti faciunt, vt multi eorum, cùm nudi degerent, mortem potiùs, quàm hanc perpetuam seruitutem elegerint: Inde noctes insomnes: hyeme frigore, æstate æstu torreris: pulices, culices, muscæ, tormenta æstatis: pediculi, cimices, omnis temporis. Quid fœdius aut molestius potest excogitari? Sed omitto rursus hæc. Quid de cibis ac potibus, quàm fœda omnia? ancillæ, coqui, quibus manibus ea tractant? capillos, muscas, & sordidiora quæque inuenies. Quoties verò pediculi, pulices, vermes etiam, caro putrida, piscis marcidus, sordida putet aqua, vinum pedibus rusticorum exprimitur, puer è latrina defert illotis manibus in mensam. Vna est medela, nihil cogitare: si cogitaueris, insanies prorsus. Mittamus hæc, veniamus ad contubernales: nihil est miserius: furantur, rapiunt, coëunt, maledicunt, insidiantur, nihil hac pugna durius: adeò vt plerosque viderim hoc dolore mortuos: multi ad desperationem deuenerunt: nulla fermè domus hoc malo caret. Et quanto opulentior & potentior, tanto maioribus malis premitur. O quàm dira est res cõtumacia & seditio domesticorum: nihil peius, nihil acerbius. In principum domibus adeò magna est hæc miseria, vt aulam sedem damnatorum appellent. Conditio hæc tam tetra est, vt homini nil possit contingere peius: perpetua est illa pugna, & insidiæ intimæ, & dolor ac cruciatus assiduus. Quòd si in his malis vxor vel filij sint, millies in die perimus: & vita tam odiosa efficitur, vt nemo sic viuere velit. Cogita qualis sit animus eius, cuius vxor mœchatur, aut filius alea scortisque perditus pergræcatur: ô hominum sortem infelicissimam. Alia animalia nec sobolem aut coniugia norunt: & quæ norunt, vt turtures & delphini, neque vxores habent mœchas, neque filios discolos: vt miserrimum sit hominem esse, & omni calamitate maius. Dicas fortè, oblectari illum sensibus. Quid nouum videtur? quotidie per eadem voluitur, duodecim aut paulo plures res spectando: cœlum, terram, domos, solem, lunam, astra, rura, flumina, homines,

nes, equos, boues, canes: hæc fermè ſumma voluptatis, ad eadem ſemper redire. Idem de auditu, atque etiam magis euidens. Quid de aliis tribus ſenſibus? qui potiùs ad dolorem quàm voluptatem creati videntur. Obiicies ſcientiam. Quis magis te hoc nouit, quàm pauci ſint qui literis operam dent? deinde hoc noſtrum ſcire quàm ſit fabulæ & pœnæ ſimilius, quàm ſcientiæ: obſcurum, imperfectum, confuſum, dubium, inane, laborioſum, leue, vt omne vitium contraxerit. Quæ voluptas eſt tam diu laborare, vt nihil ſcias? vel vt etiam grauiter & pernicioſè decipiaris? Deinde, quot quantiſque opus eſt, vt ad id peruenias? Primum diſcere oportet elementa, inde Grammaticam, inde Dialecticam, ſcribere, diſceptare, philoſophiæ operam dare: tot tantiſque rebus, vt miſeram vnam orationem intelligas, partim falſam, partim ineptam, ſemper incertam? Sed mittamus hanc voluptatē, quæ longe aberat ab illo tuo adoleſcente. Veniamus ad felicitatis iuuenilis culmen: amorem & venerea, quibus ille (vt audio) miſellus petiit. Quid hac noſtra ætate infelicius? Amare cum dolore eſt ſeruire fœminæ nequiſſimæ: nunc maximæ voluptati peſſima calamitas admiſta cōſultò mihi videtur, vt quod vnum eſſet pulchrum hominibus, ex toto periret: lues ſcilicet illa Indica, tam pernicioſa, contumax, inexpugnabilis, fœda & horribilis, elephantiaſi ſimillima: imò plerique ipſāmet eſſe credant. Quid ampliùs ſperare poſſumus, quando etiam Reges pauci malo hoc careāt? Veniamus ad ciuilia negotia: hui, quid deterius? quænam regio nunc tuta eſt? Diſſident inuicem, & certant Principes cum Principibus, Miniſtri cū Miniſtris. Melius eſt eſſe capreolum, quàm hominem: vterque in periculo, vterque ſecurè occidi poteſt: ſed homo deteriore conditione viuit, quòd interim timet, quòd faciliùs capitur, quòd longiore cruciatu multiſque modis torquetur. Non tua vxor, non liberi, non opes tuta ab iniuria miniſtrorum. Paucæ ſunt nunc prouinciæ ab hoc malo immunes, vt ditis domus, vrbes & villæ nunc videantur. Diues quod habet, exponere cogitur: pauper, quod dare cogitur, non habet: neſcias vtrum miſerius ſit, aut mendicare cùm ſis diues: aut non immunem eſſe, cùm pauper. Olim erant, qui non cenſiti vocabantur apud Romanos, & apud Græcos [illegible]: nunc nulli ſunt huiuſmodi: quinimò quanto pauperior, tanto magis oneratur. Quis ergo pauper hoc pati poteſt, aut bonus videre? Dij auertāt mihi omnibuſque probis mortem: ſed gratius fuiſſet donum non naſci vt ſic viuerem, ſic interirem. Semper hoc fuit: non enim queror de ſeculo, non culpo Principes: ſemper dico hoc fuit, vt maiores piſces glutirent minores. Quis angulus orbis ab hac calamitate immunis eſt, vt non cogaris aut malè facere, aut pati? ô humanam ſortem? non enim (vt dixi) vitupero iura, non magiſtratus: ſed ſortem adeò acerbam, vt cogamur miſeri eſſe vtroque modo. O infelicem conditionem noſtram. Sed mittamus hæc: modò intelligas congaudendum eſſe mortuis, condolendum viuentibus. Quid, non te mouet illud, ob quod ferunt Democritum ſe excæcaſſe? quòd ſcilicet optimis viris malè ſit, peſſimi autem ſint felices? te premant, te irrideant? Hanc iniuriam, hanc improbitatem, hanc iniuſtitiam perferre potes, & viuere? Si alieno arbitrio viuendum eſt, & peſſimorum, quæ mors poteſt eſſe hac vita deterior? aut quæ vita hac morte miſerior, nō eſt? Satis eſſet hoc ſolùm inter tanta mala ad obeundam mortem, & eis qui iam mortui ſunt ob hæc omnia non inuides? ô nimium amorem huius lucis, ô ſtultam cogitationem: ſi non mortuos beatos vel hoc ſolo iudicas, quòd omni miſeria, omni metu careant. Fac vt bona malis æquentur, quod tamen nunquam efficies: neque enim multitudine, magnitudine, perſeuerantia paria eſſe poterunt. Sed fac vt ſint: timoremne auferes, ſuſpicionemque? aut hæc conferes cum ſpe? quæ ſi miſeris ſolatium eſt, vt minor cruciatus: ipſa tamen per ſe cruciatus eſt, & non leuis. Qui ſperat, timet ſemper, expectat fruſtra, anxius perpetuò eſt. Mitto quanta his miſeris, qui inter religionis fluctus viuunt, vbi nec tutum quicquam eſt, nec tranquillum: mitto generales calamitates, peſtis, bellorum, penuriæ, terræmotus, inundationum, ſexcentorumque malorum: & dubitas, an melius ſit mortuum eſſe quàm viuere? Vitam noſtram ô amice, credisne vitio naturæ factam adeò breuem, quin ſuperare poſſit cornicum & coruorum ſecula? quæ iniuria, quæ dementia fuiſſet illius? trecentos vitæ annos ſortita eſt: ſed breuem facit perpetua anxietas, in qua viuimus: & debilitata ob hoc natura: tametſi non adeò curioſus ſit filius, breuem tame vitam ſortitur hæreditario iure, quòd pater, auus, proauuſque in perpetua moleſtia vixerunt: nec illi ſoli, ſed & mater, auus, auiaque materna & proaui: ô infelicem noſtrum ſtatum, in anxietate & curis ſemper viuere, imò macerari. Ob quod ferunt Ariſtotelem morientem dixiſſe illud: Fœdè hunc mundum intraui, anxius vixi, perturbatus egredior: Cauſa cauſarum miſerere mei. Quid ſapientius, ſi dixit? aut quid verius, etiamſi nō dixit? Quem igitur ſanæ mentis pigere poterit, vitam hanc moleſtam, quæ ſolùm eſt anxietas, relinquere? CARD. Perſuaſit hæc oratio tua, ex amico profecta animo, cum opinione quam de te habeo optima, vehementiæ huic adiuncta: nec dubito quin ſi ille etiam ſic (modò miſer non ſit, quod eſſe non poteſt) & eius velit eum ſuperis reddere, non recuſet: multiſque opus eſſe vt conditionem (modò non coactus) ſuſcipere velit. Hocque illud eſſe Virgilianum, cùm dixit de animis iterum reuerſuris: Et longa obliuia potant. Quaſi dicat, niſi magna obliuione deciperentur, nemo vellet ad ſuperos, ad tantas miſerias, ad tot pericula, ad tot curas, tamque graues, ad tam duram ſeruitutem reuerti: cogimur ſeruire ſenſibus: cumque ſeruierimus, infamia adeſt, pericula ac pœnitentia: ſi recuſamus, torquemur perpetuò, donec ſuccumbamus. Quæ hæc tyrannis? quæ iniuſtitia? Sed perge quæſo, ſi quid aliud habes, adiicere. ALB. Penè expleuiſti partes meas tu ipſe: gaudeoque non propter me, ſed propter te, te eſſe perſuaſum. Sed omiſeram ſpem illam quaſi perpetuam, delicias ciborum ac potuum, quæ ſolæ ſunt in quibus diuites felicitatem ſuam repoſuerunt: nam venerea norunt ſenectute aboleri: & ſi conetis, præter id quod recuſent mulieres, illis

iuueni

inuonibúsque esse ludibrio. Opes non per se voluptatem afferuut. Alea parum senem delectat: & si perseueres, noo iam ludunt, sed illuduntur. Magistratus autoritas, exercitatio, omnia cum senio conficiuntur. Dico conficiuntur? intereunt. Familiaritas quoque principum maximè exolescit: irrideris, sperneris, vitaris. Ergo in sola voluptate ciborum & potuum reposita est felicitatis spes:atque ideò tota iucunditas: nàm iucundum esse non potest, nisi tutum. Hoc solùm tutum est posse frui gustus volnptate semper. At vide etiam huic tam exiguo bono quanta se immiscent mala: primùm pauperibus hoc non connenit, sed & palatum senectute corrumpitur: deinde si non exples desiderium, potus maximè, cœna redditur Tancalea: si exples, grauatum te sentis, & ob breuissimam voluptatem longo dolore torqueris: ô infelicem statum, & turpem etiam Sed dic amabò, disputásné de vitæ præstantia secundom rectam opinionem, aut vulgi seosum? CARD. Secundum rectam opinionem. ALB. Huc te venisse volo, esséque cupiebam: nam quæ voluptas vera esse potest, nisi possideas quod optas? Quæ enim vita est, in cruciatu perpetuo esse? neque enim mente sanus qoispiam cupiat perperuò viuere tabidus, aut cum carcinomate, vel pthoe, aut hydrope, tum maximè, cum horum finem mors sit exceptura. CARD. Fateor, ita est. ALh. Sed cruciatus animi maiores sont quàm corporis: etenim ob cruciatus animi, plurimi mortem sibi consciuerunt: ob corporis cruciatum paucissimi, imò vix vnus aut alter legitor mortem oppetiisse voluntariam. Præterea animi cruciatus nunquam deserunt hominem: corporis verò non possunt esse perpetui: aot enim occidunt, aut intermittunt: cruciatus etiam animi ipsum tangunt homineoi: corporis autem, si quis patientet ferat, prorsus sunt ac si non essent. Animi etiam cruciatus medelam non recipiunt, non medicamentis leniuntur vt corporis. Demùm animi dolor, illiúsque causa, contemptum & molta mala externa affert, vt iniuriæ, aut repulsæ, aut iniusti iudicij: dolor corporis autem commiserationem fine contemptu. Quapropter si ita est, maior dolor est animi quàm corporis, ac magis angit. CARD. Fateor. ALB. Vidésne qoò te deduxerim? CARD. Non profectò. ALB. Si animi cruciatus maiores sunt, & digniores vt pro illis oppetamus mortem, quàm corporis:& ob cruciatus corporis mortem oppetere dignom est, optare necessarium, ferre commune, mortuum exuisse (si ita dici potest) iucundum: cur non ob cruciatus etiam animi assiduos? intelligisne CARD. Intelligo, sed non assequor quò tendas: assentior tameo. ALB. Duobus modò verbis aperiam: qui iniuriam patitur, qui existimationem suam non retinet, cruciatur perpetuò. Vndè illud Ciceroojanum: vbi non sis quod esse velis, cur velis viuere? intelligis modò? CARD. Ah quam pulchrè dedoxisti hanc rem. ALB. Tu modò cogita, an ille posset suam retioere existimationem, si his temporibus quibus ego & tu vix tuti viuere possumus, atque nos tueri, ille posset absque iniuria ad senectutem ducere vitam: & intelliges, morte beatum esse. CARD. Sed exple reliquas, quas suscepisti, partes: in hac enim perbellè mihi satisfecisti. ALB. Quas partes? CARD. Vt etiam ostendas, non è re mea fuisse vt viueret: inde nec vtrorumque, nec suorum. ALB. Faciam hercle: sed volo mihi concedi: quoniam me vrges, vt si quid occurrat quod ad primam partem attineat, quoniam illa præcipua est (neque enim Hieronymum Cardanum soi causa dolere & in luctu esse dignum est) intermiscere possim. CARD. Licet ALB. Ergo statim mihi aliud succurrit argumenti genus, quo mortem qoisque mente sanus præoptare debet, etsi nolla eum vexet calamitas aut cura. Nonne hi beati censentur qui beatI mortui sunt? hi miseri, qui in miseria? Alexandrum & Cæsarem beatos fuisse dicimus, Priamum autem miserum? Vnde sunt qui dubitant, verum Priamus, si ante mortem filiorum mortuus esset, beatus dici potuisset: & sunt qui à morte illud præfiniant, iuxta Poëtam.

-Vltima semper
Expectanda dies homini est: dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

Ergo præuenite calamitates infortunæ bonis connumeretur, & beneficij loco repositum fit, si damnentur parens, & filius, vt parens occidatur antè. Vnde apud Plutarchum, cùm Cleomenis filij & vxor ducerentur ad suppliciom, nec mater impetrare potuisset vt ipsa ante filios occideretur, Strateslclea (sic enim mater appellabatur) inquit: Etiam τέκνα πῇ ἰμόλετε: idest, ô filij qoò abiistis? in misero beneficio esse ducebas, ante illos interfici si impetrasset. Cur qui omnia mala morte præuenit, beatus & fortunatus dici non debet: neque enim cuiquam mortalium nihil euenit, si ad senectam perueniat, quod miserum sit: quod si contingat: huoc Ioue Iunonéque genitum dicemus. Quamobrem Poëtæ, vt reor, nullum ex ambobus filium genitum dixerunt, quòd nollus expers sit omnis calamitatis. Quid ergo felicius homini contingere potest, quàm sic mori, vt non possis esse infelix? Sed venioad rationem tuam.

Si quid tibi molestum esse debet aut potest, duorum altero contingit: vel ob amorem qoi generalior est amicitia (vnde nescio quomodo illum in amicitiam, & eum qui est voluptatis causa vel vtilitatis, diuiserunt: sed omitto salebras & nodos nunc quærere) vel ob commodum: certè neutram ob causam tanti illum facere debes, vt doleas ac affligaris: nam minore sumptu, quòd ad vtilitatem attinet, aliom inuenire poteris: atque eò magis, quòd alij liberiùs quàm huic imperabis: parcebas enim ob charitatem, & ille ob securitatem faciliùs delinquebat. CARD. Noli ista dicere ô amice: nihil hoc adolescente sincerius, fidelius, humanius, patientius, obsequentius. ALB. Omnia in ius. Sed quid profers inter hæc? CARD. Hic primùm plurimùm me diligebat. ALB. Dupliciter peccas. Quî scis? quid ad rem? nam de commodo nunc agitur. CARDAN. Vigil erat, ac diligens, probus.

ALB. Quî scis amor hæc, non res ipsa suadet. Argumenta in contrariam partem habeo, sed non expedit adducere. CARD. Adducito: non forsan ad leuamen doloris facient. ALB. Non est opus: quandoquidem vbi de commodo agitur, turpissimum sit velle consolari Cardanum, omnium non solùm commodorum, sed multorum etiam necessariorum contemptorem. CARD. Fidus erat admodum, vt nil supra, mearum consuetudinum gnarus, patiens, laboriosus, humanus, modestus, diligens, obediens, mei & meorum amans, pudicus, pius, non obscœnus, neque fœdus, nec inconstans: non auarus, qui modico contentus erat: non iactabundus, inde totus bonus ac probus. ALB. Sint omnia hæc: meliorem, quòd ad vtilitatem attinet, inuenies, & minora sumptu. CARD. Fateor: quia liberiùs illi imperare volam, non quia melior sit. Sed & postquam è domo exiit, hoc anno plusquam duodecim famulos exegi ac mutaui: nullus enim mensem superauit. Vtut res sic se habeat, commodiorem ob ea quæ dixi inuenturum me posse confido, sed qui mihi adeò gratus sit neminem. ALB. Ergo de amore agendum est: nullus tibi gratior erat, nullus esse poterit? At qua de causa, solùm quòd in domo sit educatus? nullam potes aliam afferre causam. Tulisti filij mortem patienter, & alumni non poteris? pudeat tandem harum nugarum. CARD. Vera refers: sed tamen miseret suorum, qui illum expectabant: nam de ambobus, me scilicet, & ipso, eadem quæ de singulis dices: duæ enim notæ nullius, nihil prorsus significant inuicem iunctæ. ALB. Id graue mihi non est: sed parum torquere te debet incommodum alienum. Nihil ille mali habet: si diuites erant fratres, ditiores sunt: si non erat, nec curabunt an viuat, nisi illius vita eis fuisset vtilis: at vix esse poterat. Inde est etiam illud consideratione dignum, quòd Angli parùm aut nihil mortem curant. Et rectè quidem, vt quæ vltimum sit omnium malorum, & quam subire aliquando necesse sit: ac minus malum, semel experiri quod experiri oportet, quàm toties atque tam diu timere. Itaque si propriam mortem non horrent, verisimile est multo minus de aliena vel fratrum vel amicorum dolore. Constat enim, ex te vt audiui, parentibus illum caruisse. Verum ne illa vera sunt quæ de eis feruntur, scilicet promptos & alacres ad mortem non solùm, sed ad supplicium accedere? CARDAN. Verissima: salutant suos, & deosculantur: filios fratrésque illis commendant. Dicunt se ad vitam ire immortalem, ibi illos expectare, memoriam vt vicissim colant hortantur: læti, nullo pallore, nulla balbutie, constanter suprema ferunt. Digni prorsus misericordia, qui tam alacri animo morti occurrant: nec sui misereat. Ex hac gente fuit hic alumnus meus. ALB. Quali forma corporis? quali habitu CARD. Forma Italicæ simillima, candidi sunt, & nobis candidiores: non adeò rubri, lato pectore. Sunt inter eos quidam eximia corporis proceritate, moribus mansueti, ac aduenis amici: sed faciles ad iram, tumque timendi. Fortes in bello, sed minus cauti: cibi & potus satis auidi, non tamen adeò vt Germani: ad libidinem proniores quàm prompti. Ingenia inter illos præclara. Indicio est Scotus, & Suisset: quibus nulli anteponi possunt. Habitus qualis Italis: se enim propiores illis libenter iactant, ideóque student quantum possunt moribus ac vestitu eos imitari: quandoquidem forma etiam & Germanis & Gallis & Hispanis illis sunt similiores. Itaque certè Europæi omnes barbari magis diligunt, quàm inter se quæ differunt gentes. Parùm abfuit in Belgicæ vicinia, quòd quendam Hispano similem adolescentem mecum haberem, ne nos omnes trucidarent: at nesciunt illi nostra scelera forsan ALB. Non omnes mali: nec vbique tot improbi. Sed perge. CARD. Fidi sunt, & liberales, ambitiosíque. Sed quod ad fortitudinem attinet, magis mira sunt quæ syluestres Scoti faciunt: qui cùm ad supplicium ducuntur, tibicinem sibi conducunt; atque ille persæpe etiam ex damnatis cùm sit, pulsando saltantes illos ducit ad mortem. ALB. Minus ineptè forsan, quàm quæ apud nos eam deplorant: nam, vt dixi, cùm omnino immortales sint animi, nulla mors hac vita, qualecunque sit immortalitatis genus, bono viro non potior est. Sed tu penetrasti ad Scotos vsque? CARD. Maximè: atque etiam voluptatem magnam cœpi, tot inuisendo prouincias: itàque hæc saltem voluptas est viuentibus. ALB. Imò miseria, & ipsa non leuis est. Cogita quot æstus animi, quantum frigoris corpore, quod vitæ pericula, quanta incommoda pertuleris. CARDAN. Vera dicis: sed non animaduertebam. ALB. Ita existimo: sed non ob id minora dici debent, quia non sentiebas. Etsi nihil aliud esset quàm non intelligi, nec intelligere illorum linguam, nonne id maximum erat incommodum?

CARD. Verum hoc. Et mirabar, præsertim cùm in Anglia essem, vbi regionem prope Londinum inequitarem, in Italia esse videbar: vbi ipsos Anglos vnà sedentes inspicerem, inter Italos omnino me esse putabam: forma, vt dixi, moribus, habitu, gestu, colore: sed vbi os aperuerant, nec verbum quidem intelligebam: ac quasi Italos insanientes ac deliros admirabar. Lingua enim in palatum inflexa, contorquent ore verba, dentibus stridulum quiddam imitantes. ALB. Sed & quæ suauitas esse poterat filiorum recordanti? Hoc vel solo non poterat quicquam gratum esse. Deinde, cui mortalium hæc rara auis contigit, pecunia aliena atque locupleti tam procul aduocari? atque hominem omnibus gentibus ac prouinciis ob scripta non solùm cognitum, sed etiam gratum? CARD. Vera dicis: nam adeò torquebat memoria meorum, vt ob id statim reditum quæsierim, & impetrarim. ALB. Ergo si modò illa peregrinatio iucunda fuit, proprium hoc tuum munus fuit, non omnium, neque plurium, neque peregrinationis aut peregrinantium. CARDAN. Sed non fuit iucunda, nisi quantum

stultitia

ſtultitia & obliuione adiutus ſum. ALB. Sed neque dolere aut admirari debes de tot aduerſis quæ tibi acciderunt, maximè circa filios: nam reliqua leuia ſunt, & exigua ſi ad tantam molem ſeu malorum ſeu gloriæ comparentur. Deus enim omnia æquare ſolet. Sed forſan etiam aliquando lætiora adueniont. CARD. Quando? cùm ero νεκρός. ALB. Nonne ſcis Ariſtotelem, quando de Fortitudine loquitur, dicere: Fortem beatum mori: quòd in ipſo mortis momento tantam voluptatem ex virtute, qua tum moriendo fungitur, capiat, vt beatum ſe exiſtimet, ac dici mereatur? Quid ergo ſi vel extremis nonſibus hoc accidat tum magis quòd nemo tam ſenex ſit, qui non ſibi triennium vitæ poſſit polliceri: atque ideò etiam tempeſtiue ſatis reſtitutus videbere. CARD. At filius reſtituetur nunquam? ALB. Oſtendam paulò pòſt, quantum id interſit: ſed hoc mi iam muneris, vt ex te audio, fuit, conſolari, in Theonoſto. CARD. Sed noua eſt addita cura, quæ me conquieſcere non ſinit. ALB. Quæ CAR. Detractio ſtipendij, omnino iniqua. ALB. Oh, inter tam graues luctus, locúſne eſt memoriæ acceptæ tam leuis iacturæ? CARD. Non ob id, ſed cùm per eoſdem ſit facta hæc imminutio, per quos damnatus eſt filius, intelligo iam id de quo ſuſpicabar, ſcilicet odio mei damnatum iniuſtè adoleſcentem, hoc eſt quod me torquet. ALB. Forſan illud accidit, quod apud Ariſtotelem legitur: Coruſcante cœlo Socrates cecidit: vt hæc detractio ex alia cauſa acciderit. Sed ſi adeò hæc cura te torquet, vt pat eſt, quid ergo de alumno illo comminiſcebaris? CARD. Hæc non poſſunt paucis explicari: ſuperuenêre quædam, dum alumnum lugeo, per quæ intellexi filium odio mei potiùs quàm crimine ſuo periiſſe: atque id etiam declarauit, detractionem illam eandem radicem habuiſſe. Vnde poſtmodum hæc illa pro firmo argumento habita eſt crudelitatis in filium. ALB. Factum malè, ſi ſic eſt. Sed caue ne decipiaris. Omnia in mitiorem partem interpretanda ſunt; non ſolùm quod ita deceat: ſed quia his qui affliguntur, etiam conducit, vt paulò pòſt dicturus ſum. Dicturúſque eſſem mox, niſi duplex cura me tangeret eorum quæ iam dixiſti: ſcilicet, ne reditus ille hominum verus non ſit, quod non eandem materiam primam, ſed ſecundam, ſcilicet idem corpus, formatum ex elementis, cuius forma eſt anima, eſſe neceſſe ſit, vt idem homo reſtituatur. At hoc nunquam accidet in æternum. Altera dubitatio eſt, cùm ſurreptus eſt puer bimus à barbaris, & translatus in Aſiam, quod non ſemel his annis contingit ob bella, vbi ſui oblitus prorſus linguam barbaram diſcat, neſciat parentes, neſciat patriam, in quo magis vnus eſt infans ille ſibi iuueni iam, quàm alteri barbaro? nam ſibi idem certè eſt. Et ſi à parentibus recognoſcatur ac redimatur, non ſecus quàm in domo educatus perpetuò charus erit: nec tamen meminit quicquam: quid ergo attinet iuueni illi, eum fuiſſe infantem vel alium? Neſcio an intelligas quod dico? CARD. Non, vt vellem. ALB. Neque ego, vt vellem, poſſum explicare. Si tu interiiſti, nunc iterum natus es, anima manſit intermedio tempore, ſed expers ſenſus: quid attinet ad te iam prius natum quòd tu ſis, an ego? quandoquidem nec ille tum hoc nouerat futurum eſſe, nec continuata eſt hæc cognitio tui ipſius, nec tu tunc ſcias, nonne illi tibi ipſi (non poſſum dicere vt volo) tam eſt vt ſis ego, quàm tu? CARD. Et tamen intereſt plurimum: ego enim ille ſum, & ſecuritas nunc me illa iuuat quod ſim reuerſurus, & pro moribus, ac factis commutata fortuna. ALB. Rectè inquam: ſed id eſt de quo maximè dubito, quo pacto ſit, habeatque ſe hoc diſcrimen, tui primo à teipſo, ſecundo vel à me. CARD. Idem in dormiente, in ægro qui ſenſu deſtitutus diu iacuit, in eo qui inſaniuit ALB. Scio eſſe hoc diſcrimen in omnibus, ſed quæro quale ſit. CARD. Non habeo, vt verè fatear, quid dicam: video, & non video: ſed iungi poteſt tribus illis aliis dubiis, quorum ſolutionem (quamquam res præ oculis propoſitæ videantur) nunquam quæ mihi prorſus ſatisfaceret inuenire potui. ALB. Quæ ſunt illa? CARD. Vnum eſt illud: Ego dico falſum: an falſa ſit, an vera oratio? Secundum: Omnes emptiones vno nummo paruo dirimi poſſe: quod etiam perabſurdum videtur. Tertium, quomodo corpora denſentur, vt aqua & aër, cùm quæ diuerſa ſunt forma ſe penetrare non poſſint. ALB. Sed de his aliàs cogitabimus. Verùm nunc primum ſaltem, ſi potes, exime ſcrupulum. CAR. Faciam vt dicis. Conſtat materiam hanc quam vocas ſecundam, ſi nulla alia anima interponatur, eſſe formam: ideóque communem: partem autem materiæ primæ ſubiectam, originem eſſe diuerſitatis. ALB. communis non eſt, ſed pro hominum natura hæc varia. CAR. Siquidem accidentium ratione & ſtellarum adiuuante influxu, non tamen ſecũdum eſſentiam. Si enim forma humana idem eſt quod anima, & vtraque producitur ex elementorum miſtione, conſtat eam formam eſſe vnam, ſed propter materiam variari: nec enim eſt forma habere duos oculos, vnam linguam, duos pedes, ac reliqua huiuſmodi: ſed potentia quædam & perfectio in corde, quæ ſemper abſoluta eſt in omni homine: hæc ergo nullam recipit varietatem, niſi ex materia prima. ALB. Satis eſt. Sed ſi libet, hanc diſputationem hodiernam ad pauca redigamus, & quæ diximus. CARD. Perpulchrum id erit, maximè tum ſi etiam præter id illa quæ colliges exornaueris. ALB. Placet.

Primum ergo oſtenſum eſt, animam eſſe immortalem, quomodolibet de propria cuiuſque anima loquendo, non generali illa commenticia. Sed & homines planè ipſos etiam immortales: verum per interualla occidere atque reſurgere, infinitóque numero ſingulos in hunc mundum reuerti: nam colligere animas infinitas ſine corporibus: homines autem infinitos ſemper mutatis animabus, abſurdiſſimum eſt. Sed neceſſe eſt eas infinitis vicibus reuerti, vt earum definitus numerus ſatisfaciat æternitati: reuertentibus autem, neque eadem forma, nec mores, nec fortuna, nec nomen. Sed perſæpe accidere, vt iidem filios, antea qui fuerint, & fratres & parentes perimant: contra habeant pro filiis, quos peremerint: & eadem viciſſim pati, quæ peregerint iniuſtè

in alios : mendicare etiam opulentos,& ditari mendicos : omniáque hæc quodam circulo circumuolui,vt omnia æquantur fermè exemplo discursus siderum:tametsi non exactè, nec adeò breuibus,vt cop̃erent mortales,interuallis. Interim verò trifariam contingere posse de animabus ipsis à corpore seiunctis vel vt superueniant & intelligant, quod verisimilius est,atque optandum magis, atque rationi consentaneum : nam vt qui vigilant, recordantur eorum quæ in somnis viderunt, non qui dormiunt eorum quæ per vigiliam viderint:ita post obitum & ante recordamur præteritæ vitæ, & præsentia certius inspicimus: vbi in hunc somnum: id est, præsentem vitam descenderimus, non recordamur nisi in ipsa prima infantia. Demum superuenientibus nouis imaginibus præsentium rerum velut efficacioriobus obliniscimur statim & prorsus eorum quæ in priore vita vidimus.

Secunda est, vt remaneat anima immersa materiæ cuipiam, expers omnis fermè cognitionis : non tamen omnino expers, sed cuiuspiam obiecti, quod etiam perpetuò appetit, non ignara : cui opinioni fauent plurimùm quæ in dæmoniacis & lymphaticis videntur, in quibus omnibus vel ad imprecationes, vel ad preces pias videmus collum intumescere, faciem colari, oculorum aciem turbari:quod vix voluntarium esse potest,ac fictum, præsertim in tot hominibus & præcipoè sexu & conditione rudibus.

Tertia est, vt prorsus intereat, & post eadem redeat, vt diximus ac demonstrauimus. In omnibus autem modis hæc communia esse necesse est : scilicet reditum hominum eorundem infinitis vicibus. Eadem contingere nobis post obitum, & ad eadem reuerti quàm ante obitum mutari mores, fortunam, reliquaque:& miseris probisque beatàm contingere vitam, improbis infelicem : Demum eos qui damnati sint, fuisse quondam & filios & parentes,& fratres,& charissimos:& quos amas, aliquando à te plectendos : iusta iniustáque pariter misceri, æquari, aboleri certo circuitu:quæ omnia sic esse oportere, iam demonstrasti. CARD. Quam pulchrè hæc,quæ diximus, & meliùs longè quàm à me dicta sint, tenes.

Secundum est,quòd vbi fieri posset,vt animi nostri nullo modo essent immortales, nullum prorsus esse discrimen vitæ ac mortis in his qui vel sine sobole pereunt, vel quorum stirps tandem extinguitur, nisi quòd qui viuunt, dolorem mortis subeunt,mortui vel non nati id non experiuntur. Ex quo patet(si modò verè dictum fuit illud à Sileno)Sileni dictum quàm sit verissimum:Optimum esse non nasci: his tantummodo, qui sine sobole obeunt, aut quorum stirps tandem extinguitur : quoniam hæc vita prorsus cùm in nihil redigatur,nihil præter mortis dolorem plus habet : ideóque optimum esse non nasci. Atque quod mirum satis videri forsan pluribus potest,verissimum tamẽ est. Ciceroni & Alciato præstitisse(quod ad illos attinet)non nasci : & perinde est cum tanta gloria, ac si non essent nati, nisi quòd plus habuerunt mortis cruciatum : vtriusque enim stirps in vnicis filiis, quos susceperant, extincta est. Cæterum quòd ad gloriam,opes, potentiam,nomen, libros etiam ipsos, si mortalis est animus, nihil primùm nunc ad illos pertinet : & omnia certo annorum spatio extinguuntur atque delentur:quod quamuis nobis longum satis videatur, tamen ad perpetuitatem quæ semper instat collatum,& quam subterfugere non possumus, prorsus nihil est. Sed vbi animos supposuerimus esse immortales, quouis modo ex illis tribus melius est his solum nasci, qui per egregiam virtutem vitam ducunt, memoriámque perennem sol relinquunt, quoniam sic quasi perpetuo viuere videntur : & dum viuunt verè per vitam ipsam, & interim per gloriam, maximè si quid ad eos ex illa permananerit, tunc verò soboles & procreatio parui momenti erit: tum ob curas graues & educationem, tum ob reuolutionem illam & reditum singulórum ad singulos : vt quoniam tibi nascetur filius qui aliquando reipsum peremit, tum quia minor debet esse solicitudo perpetuitatis in stirpe, cùm simus nos ipsi perpetui. Omnésque futuros reges & sapientes, & miseros atque mendicos, & non semel, sed infinitis vicibus.

Tertium est,quòd hominum supposita animorum mortalitate, quicunque sine sobole pereunt, aut quorum stirps aliquando extinguitur, hi similes sunt omnino surculis illis siccis, qui excindi solent à rusticis veris tempore dum arbores purgant : reliqui, quorum proles multa se toti generi hominum immiscet germinibus plantarum cohærentium : aut in fluminibus aquæ,quæ in flumine rẽdit vnà ad mare:tanta verò fit mistio horum,vt etiam seminaria pereant. Quapropter si fieri posset vt mortales animi nostri essent, summa diligentia huic propagationi prospiciẽdum esset. Modò plerique, cum neque huic quæ ad immortalitatem pertinet, neque sanctitati vitæ prospiciant quæ ad immortalitatem, palam est homines prorsus insanire. At verò si non procreanti sobolem inutilis est & odiosa vita, procreanti incertum est an superfutura sit, & laboriosum alere,& habẽtibus fratres filij eorum loco filiorum propriorum sunt:huic verò (vt dicis)duo supersunt ex vtrisque parentibus fratres, nihil prorsus amissum esse puta : imò res melius longè & pro eo & pro suis sic se habet. Multa nos decipiunt, propter affectus quæ in singulos dies errores nostros conuincunt. Seu fabula sit,documentum præbet : seu historia,pro exemplo est:Paridem excidio parentum & fratrum atque sororum & patriæ natum esse:cum tamen natus est,qualia fuêre omnium illorum vota, quale gaudium ? Hoc firmum habeto, nihil melius ei contingere potuisse:deteriora infinita, non solum pro re, sed pro illo. Qui locri exòtrem mercaturam exercet,cauere debet quàm diligentissimè,nee quicquam ex sorte pereat. Ita cùm nihil melius,vt dixi,homini esse possit, vt adolescenti illi,malles superfuisse, vt damnatus occideretur à carnifice,in carcere maceraretur,in lecto marcesceret, aut vt tibi causam daret interitus, aut alicui ex tuis, vt serò amisso aliquo tuorum optares ei mortem:sunt fortunæ casus multi aduersi,mutantur facilè ingenia hominum,& maximè iuuenum & pauperum,& qui voluptatibus dediti sunt:quibus illum addictum

dictum

dictum fuisse, non negabis. Quid si bene illi fuisset, quod (vt dixi) difficile erat, nactus autem occasionem, grande aliquid surripuisset vestiario illi ? pericula vndequaque: si cautus, ab eo, & minora: si simplex, à consultoribus, & maiora. Sin autem aliquid (vt ostendi) superest, non est vt doleas.

Quartum, quod ostendimus, est, vitam nostram pluribus, & maioribus malis quàm bonis abundare: bonáque non sentiri, quoniam in indolentia reposita sine: nec vllum esse bonum sine malo, multa esse, mala omnis boni expertia. Si edis, fames præcessit, aliter insuaue est quicqoid editur: persæpe tameo contingit vt fame premaris, nec tamen possis edere: si pecunias habes, custodia opus est, solicitudine angeris: si non habes, torqueris: ita vt nemo sui causa natus videatur, sed potiùs aliorum. Præstat ergo, non esse. Recensuimus præterea vndique difficultates & causas dolorum. Quare nil melius quàm non nasci, aut statim natum interire: si ad proprium commodum respiciamus. Quid ergo est hoc in casu quod dolere possis ? CARD. Dolorem certè leuasti: vincor rationib. quamuis sensus quippiam retineat molestum, & vt puto fallax. Non ampliùs illum videbo: fidum habebam familiarem: destitui eum, qui vt me commitaretur, omnes suos reliquit: socors fui in curando eum, & ingratus: qualem gratiam fratribus qualem si viuerent parentibus rependere possem? Non me mouet, quod in xenodochio perierit: nam ego in agro perire velim sepeliri in gurgite: facilis iactura sepulchri. Moses, tantus vir, & tam prudens, sepulchrum suum ignorari voluit. ALB. His omnibus oppone duo hæc: infortunia tua assidua, vt si omnino culpa aliqua tua sit, non tua est, sed eorum qui tibi causam præbuerunt huius impedimenti: Pecunia data vestiario ab infamia, animus probus & conscientia à culpa omni te liberant. Alterum est, gloria nomini illius atque parentibus fratribúsque æterna tuis laboribus & industria parta: qui alioqui domi manens, etiamsi Crœso ditior euasisset, ignotus fuisset. An parum est hoc, nomen suum posteritati perpetuis his tuis monumentis commendari ? Existimo, si animus illius ac parentum aliquid intelligit, vt credo, lætari hac tua diligenti historia ac commendatione nominis sui atque familiæ. Neque enim dubito, te, qui etiam minoribus ex causis soles omnia conscribere, tua hæc pulchra inuenta, nugásque nostras simul immistas conscripturum, & (vt soles) etiam expoliturum. CARD. Nugas? proh Iupiter, nunquam melius dici, quàm ab Albutio, in hac causa potuisse credo: atque vtinam tamen liceat memoriter, vt dicta sunt, tradere: nedum vt quicquam addere audeam, nisi forsan paucula hæc carmina in adolescentis laudem, quæ pro ornamento monumenti illius erunt:

Venisti iuuenis, dulcissima cura tuorum,
Infœlix nostrum vt prosequereris iter;
Excepta est à te, qua in me directa sagitta:
Non tua, sed mea sors, inuida sic rapuit:
Debebar morti, patria iam odiisque meorum:
Suscipit hoc telum filius ipse meum.
Errarunt superi: quid mirum errasse senatum?
Insontes iuuenes sic periêre duo.
Quantum nunc lucis, quantum est nunc vita superstes,
Debebo vtrique, & sit licèt impar amor.
Quæritis, vnde mihi nata est hæc ira deorum?
Crediderant cœli fata reclusa sui.

ALB. O beate. Rectè enim ille Iulius Scaliger, quanquam ex professo tibi inimicus, appellauit ingenium tuum felicissimum: quod ego tum non credebam: sed, vt video nunc, hæc carmina extemporaneè fabricata, vt nec horulæ dimidium consumpseris: intelligo de te illud Horatianum verè dici posse:

Graijs ingenium, Graia dedit ore rotundo
Musa loqui.



DE MINIMIS ET PROPINQVIS.

LIBER VNVS.

VM duarum falsarum opinionum, quibus mortales maximè infelices fiunt, altera fit in æstimatione boni, altera magnitudinis illius: propterea de ambabus dicere propositum est: atque eò quidem, vt ostendam, ad vtrumque non parùm conferre scientiam somniorum. Dico autem homines in duobus maximè falli. Primùm est, quòd putant felicitatem nostram in magnis bonis repositam esse, vtpote longissima vita, opulentia, potentia, eximiis honoribus. Falluntur igitur bifariam in hoc vno, & quòd in eis felicitatem esse credant, cùm nil minus: & quòd hæc maxima bona esse existiment. Quod enim ad primum attinet, nil absurdius. Diu si viuas, senex fies, quomodo ergo beatus? Si honoribus fruaris, maximè occupaberis: vt Siccus eùm non posset ferre magistratum) erat enim prætor capitalium omnium iudiciorum) pila luderet perpetuò, amisit magistratum, alioqui vir sagax & cautus: sed de hoc sequenti libro. At nunc id agimus, non esse quæ diximus magna: quia nihil magnum ex bonis apud mortales, duntaxat excepta virtute. Quomodo igitur hæc, quæ dixi, bona magna erunt? Hoc verò errore quantum emergit mali? dum enim opes, potentiam, gloriam adepti, magnum aliquid possidere se existimant, impij primum euadunt, Deúmque contemnunt, aut illius qui minus mali sunt obliuiscuntur: inde crudeles, ambitiosi, auari, cæteros mortales nihil esse putant, & in omnia flagitia erumpunt, obliti Dei beneficiorúmque illius, tum virtutis humanitatísque, qua cum aliis hominibus necessariò coniuncti sunt: nec non fortis humanæ: ita vnus vxorem alterius palàm, ac quasi per vim corrumpit: alter sæuo, non seuero iudicio filium patri eripit: alius premit pauperem indignè, imò vniuersum genus quotidie, & illorum pignora omnia sibi licere putat: quidam agellos aut domos auferunt: alij ita se luxu perdunt, vt velis nolisve, fateri cogaris, his certè beneficium fortunæ exitio esse. At reliquis, quos diximus, nonne præstaret carere illis bonis, etiamsi maxima essent, quàm tantis vitiis animi laborare, adeóque orbi & humano generi exitiales esse, atque funestos?

At dico, illa non esse magna bona, cùm nihil hominibus magnum sit, præsertim bonum: breuitas temporis, conditio fragilis, exitus diuersi, inconstantia maxima, id docere possunt. Sed quod ad id sequitur, quod credunt, id prorsus declarat nihil huiusmodi adesse mortalibus. Hi enim sic ratiocinantur: Si maxima sunt quæ habemus, opes magnæ, potentia, bona valetudo, voluptates eximiæ, & hæc breui comparantur, vtpote toto decennio videmus commutari fortunam, necesse est initia magna esse. Et paruo enim in breui tempore magnum euadere nihil potest: quod quidem demonstrat argumentum: atque ob id ego sic conuerto: sed omnia initia videmus esse exigua: ergo bona omnia mortalium parua admodum sunt & non maxima. Ita sanè me docuit Dialectica mea. Etenim initia quæcunque esse exigua, adeò clarum est, vt probatione haud indigeat: & ignis qui maximus inter omnia statim euadit, etiam initia habet exigua: licèt breue sit tempus initij, vt etiam reliqua. Verùm nihil simile est inter mortalia: scintilla enim ignis momento horæ, si totus orbis pyrius esset puluis, quantuscunque esset orbis, ipse conflagraret. Sed si & huius parua semper sunt initia, ita & magis aliarum quarumcunque rerum. Nec ergo omittere parua decet, cùm nec minima oporteat. Vt enim qui ignem accensurus est, non frumenti aceruos, aut enses prægrandes, aut pecuniarum cumulos, aut magna quæuis vel nobilia vel preciosa colligere debet, sed modicum scintillum, ac cumulum vilis stipulæ & lignorum: ita in rebus humanis non magna aut preciosa captare oportet, sed initia & alimenta illius boni quod parare in animo est, quoque indiges. At minima esse initia etiam maximarum rerum, adeò palàm est, vt nulla historia huiusmodi exemplis careat. Etenim Romuli ortus & educatio qualis? quā etsi fabulosam esse contendas, certum est tamen exigua fuisse illius primordia: ciuitatem è fugitiuis coactam, & pastoribus, millies potuisse abrumpi eius incrementa: atque ex minimis occasionibus seruatam, atque restitutam. Nouissimè ex negligentia & auaritia decem aureorum nonne totus orbis conflagrauit incendiis, rapinis, tumultibus, præliis, suppliciis sæuissimis? Quid maius in humanis cum diuina etiam sit, Pontificia dignitate? Ecquàm exiguis discriminibus vnus vel alter ei succedat? Ita parùm ante hæc tempora, & nostra memoria simile miraculū in Ægypti Regibus videre licuit. Quid de victoriis bellicis, aut seditionibus, quibus causis aut oriantur aut extinguantur? Nostra eadem ætas vidit, quàm paruo discrimine atque leui occasione

in

in hanc ſtirpem tranſlatum fuerit Gallorum regnum, cùm tres certarent.

Sed omittamus externa: nullum mihi maius meipſo exemplum admiratione dignum occurrit. Qui cum aliquando fortuitò in campo Ionis occurrens Principi, vitam feliciſſimam in miſerrimam tranſmutaui: quodque magis admirabile: ille fauendo me perdidit, Seuarus parùm beneuolus obſtando ſi perſtitiſſet ſeruaſſet; neque filium amiſiſſem optimum, ac crudeliſſimè: vt niſi Dei Opt. Max. præſidium memoriam excuteret, ea me concuteret. Inde authoritas, lucrum amicitiæ, omnia peſſum iere. Nouiſſimè etiam ſtipendij parte quam Princeps ſuperaddiderat, ſpoliarunt: ita ea parua cauſa tantum momenti attulit ad perditionem rerum mearum, vt contra editi libri de Vtilitate capienda ex aduerſis, conſcriptum Theonoſton, commentaria in Hippocratis Aphoriſmos, libri de Somniis, de Natura, Paralipomenon, Neronis encomium, totque alia, non ſolùm ſuppeditante temporis copia maiore, ſed vt tædium depellerem. Itaque nemo eſt qui non videat etiam in ſeipſo, ſimilia exempla, tametſi non adeò euidentia. Quid cùm deliberaui? paululùm enim abfuit ne non reciperem: neque enim me latebat, magnum mihi malum imminere. Verùm par periculum exiſtimaui, ſeu reciperem conditionem, ſeu reſpuerem.

Cùm igitur ſomniorum prædictio in ius vocetur tribus ex cauſis: quòd de minimis ſit: quòd de incertis: & ſi certa ſint, quòd prodeſſe nequeant cognita, vt ineuitabilia: his duobus quòd reſponſum fuiſſet in opere ipſo, par fuit vt huic primæ calumniæ reſponderem. Nam ſomnia ſi ſint de paruis, ſunt de rerum initiis, ex quibus tota rerum ſeries atque ex iis pendet. At ſi non de initiis, erunt certè de magnis: quapropter illorum obſeruatio vitæ mortalium vtiliſſima erit.

Sed video quid dicturus ſis. Primum forſan illud, non omnibus ſunt tam exigua initia, ſed hæc ſolùm ſunt fortuitorum. Qui enim è prædiorum redditibus viuunt, non tam tenui filo pendent. Stultum etiam fermè videtur, aut ſaltem leue, tam infidæ coniecturæ omnia noſtra committere, vitam propriam ac filiorum, tum opes atque honores. Quid opus eſſet prudentia, ſi ſomniorum monitis parêre debemus? Omitto ſubtiliores argumentationes, qualis illa eſt: Vel ipſa conueniunt cum prudentia, & ſic ſola prudentia opus habemus: vel diſſident: & ſic, ſi prudentiæ credere volumus ſuperflua eſt eiuſmodi cognitio: vel ſomniis, tum vide quid ſequatur: quo duce reges res tuas prudentia relicta? Numerantur vt in votis deorum, non qui periêre, qui multi ſunt, ſed qui ſeruati, qui pauci ſunt: ſic in ſomniorum prædictionibus. At nos, vt aliàs etiam diximus, non negamus hominem oportere grauiter ſe gerere: hæc verò non tanquam fundamenta fortunæ noſtræ atque exiſtimationis ſtatuere, ſed ſolùm tanquam auxilia. In quacunque tamen fortuna ſuperuenerint, multùm iuuant. Et nonnunquam ſplendori aut miſeriæ ſuperueniunt, nonnunquam verò etiam tales efficiunt. Multi enim neglecta futurorum cognitione, ex magnis ſtatibus corruere. Cæſar ſi ſomnium vxoris obſeruaſſet, ſi Spurinæ prædictionem, ſuperuixiſſet: cum multis diuerſa ratione hæc obſeruatio fortunam pepererit, & ex humili conditione ad maximam poteſtatem euexerit.

Porrò huiuſmodi virorum exempla in ipſa narratione retulimus. Reliquum eſt, vt quæcunque de ſomniorum obſeruatione dixerim, non de illis ſolùm intelligas, ſed etiam de tota humana prudentia: vt exemplo præcepti Hippocratis diſcas, nihil negligere. Eſt cuique ſua felicitas, atque calamitas etiam, ſi non euertatur ex propria dignitate. Et quanquam diuerſa videatur fortuna hominum omnium, tamen (vt dixi) exigua eſt: nec quicquam ſplendidum, præter virtutem: in reliquis ſat eſt, vt non in extrema decidas. Sutor cùm dulcem ſobolem alere poteſt, vt nil ei deſit, cum domuncula & officina bene munita, felix eſt. Rex verò orbus, & victus in prælio, infelix. Non eſt omnium commutatio ſortis ſuæ per ſomnia: quanquam aliquibus contingat, vt ex humillima fortuna ad clariſſimam euehantur: aliis contrà, vt ex clariſſima decidant ad humillimam. Et quanquam non omnibus per ſomnia hæc eueniant, omnibus tamen hæc obſeruatio conducit: omnibus etiam, quicquam aduentitium eſt, & excellens, extra noſtram prudentiam & communes labores poſitum eſt: ſicut è diuerſò, quod nos ex alto faſtigio in profundum demergit. Neque credas hæc quæ tanti nos æſtimamus, tanta eſſe vt reamur. Sicut homo è puluere ſit, & in puluerem redigitur, ſic & maxima ex minimis ortum ducunt: & cum tempus venerit, ſeu in ipſiſmet, ſeu filiis, nepotibus aut aliis poſteris, in eadem minima redeunt.

Quòd verò fidendum ſit huiuſmodi cognitioni, hauddubium eſt, ſi rectè omnia peragantur. Primùm: quoniam ſi eſſe non deberent, non præuiderentur ab ipſis viris immortalibus: deinde, quòd omnis ars eſt rerum veratum qualiſcunque ſit, artifices tamen decipiuntur. At, & ſi aliquando decipimur, quænam eſt ars in qua non aberremus? Militaris, medicina, nautica, longè frequentioribus ſcatent erroribus, maioribuſque ac periculoſioribus: quis tamen malit nauigare ſine nauta, exercitum nulla ratione ducere magis quàm cum perito imperatore? agrum non omnino curare, quàm erudito committere medico? Quid etiam in muſica, in fabrili, ſutoria, nonne quotidie errores contingunt? quænam eſt ars illa, quæ errorem non admittit, qualiſcunque ſit? vidi homines qui ſolœciſmum in Geometria committebant. Sed neque velim hominem à ſolita prudentia aberrare. Confiſus ſomnio, profitendi munus renunciaui, quòd ſcirem coacturos: at ita tamen renunciaui, vt multa haberem præ manibus maioris ſpei, non tamen adeò commoda. Aderat certa cauſa repudiandi, tametſi omnia malè ceſſiſſent: iniuria, ſumma ἀκρισία, reſpectus nullus, neque modus ſeu ætatis ſeu paupertatis, ſeu quod nulli alij negotio vacarem, multaque alia quæ etiam Iubam illum patientiſſimum ad iram prouocare poſſent.

Non ergo soli somnio confisus hoc egi, sed prudentia naturali comitante. Sed quid acturus fuissem, si somnium defuisset? Ferre forsan melius erat, & maiorem opportunitatem quærere. Soleo enim dicere, quinque rebus malam frangi fortunam: induciis ac dilatione) nam maiora faciliùs ac celeriùs dissoluuntur paruis, quod ex pluribus concreta sint, & etiam tempus dum inchoatas res ac paruas auget, magnas & adultas corrumpit & deterit:) vel repentè inuadendo: vel sensim comminuendo aduersarij vires, dum carptim illum aggredimur, aut ea parte qua minus valet (vt fultum fauoribus, virtute, doctrinaque) superando fauores illius nonnunquam reddemus inutiles: quanquam nunc ea conditio temporum sit, vt quàm minimum virtuti seu eruditioni tribuatur. Vel si auxilia detraxerimus: quod prudenter à patricio quodam nostro excogitatum, non parum profuit: cùm enim sororij exulis opibus oppugnaretur, reducto exole inimicum spoliauit præsidio, & alium etiam hostem suscitauit dum ille expensas pecunias repetit. Palàm est igitur, omnibus in casibus præsagiendo rectè ex somnis, paruis viribus occurrere posse magnis etiam hostibus.

Cæterum latus heptagoni paulo maius est dimidio lateris trigoni eidem circulo inscripti, cùm ambo fuerint æquilateri: nam latus heptagoni est partium fermè LII, minutiarum LIII, & secundarum XXXV, at verò dimidium lateris trigoni est partium LI, minutiarum LVII, secundarum XLII, discrimen igitur horum est, minutiarum VI, secundarum minutiarum LIII, hoc autem est minus quingentesima trigesima parte dimidij lateris trigoni, quare omnino insensile.

Quadratum quod fit ex secunda linea proportione media inter diametrum circuli & latus quadrati in circulo descripti, paolo maius est area circuli: nam si demetiens circuli est septem, circuli ârea erit paulo minor triginta octo cum dimidio: latus igitur erit fermè sex, & ex quadraginta nouem partibus decem: at secunda illa linea erit latus solidi CCXLIII $\frac{XI}{XX}$ fermè: at hoc est quasi sex & $\frac{XI}{XXIX}$. igitur differentia hæc est ex CCCIIII partibus, vna tantùm: & ideo etiam ipsa insensilis. Quidam verò longas rationes de hoc scripsere, existimantes etiam idem esse, cùm non sit: atque etiam falsò demonstrasse hæc ita se habere, cùm nil sit turpius.

Latus præterea figuræ quadraginta basium triplum, lateri fermè figuræ centum viginti basium, & sexquilaterum, quasi figuræ sexaginta basium: nam latus figuræ sexaginta basium, fermè duplum est lateri figuræ centum viginti basium. Et similiter latus figuræ triginta basium, propè quadruplum est lateri eidem figuræ, scilicet centum & viginti basium: & latus figuræ vigintiquatuor basium, eidem penè quintuplum. Latus quoque figuræ nouem basium, & latus figuræ viginti basium, fermè iuncta æquantur latere hexagoni in eodem circulo inscripti. Et latus figuræ vndecim basium, & pentagoni, efficiunt latus fermè trigoni æquilateri multaque talia huiusmodi inuenire licet.

Similiter & innumeris, vbi cœperis primos, scilicet vnum & duo, erunt in proportione habente medium & duo extrema fermè, & semper productum minoris in coniunctum erit vnitate minus quadrato medij, & sic in perpetuum ratio incrementi illius seruabitur, vt vnum duo tria, & duo tria & quinque, & tria quinque & octo, & quinque octo & tredecim: & sic deinceps in infinitum, iungendo duos semper vltimos. Proportio quoque reflexa duplicata est fermè inter hos numeros, & valde propè, CXLIII, CXIIII, LXIII. Et ita cùm volueris mediam proportionem inuenire inter $\frac{X}{XIII}$ & $\frac{VII}{XI}$ exempli gratia, iunges superiores semper simul, & inferiores similiter, & habebis $\frac{XVII}{XXIIII}$. Et si propior sit maiori quàm oporteat, iunges minori: vt in exemplo addam $\frac{XVII}{XXIIII}$ cum $\frac{VII}{XI}$ & habebo $\frac{XXIIII}{XXXV}$ & rursus repetam, donec oportebit: nunquam enim hoc modo poterit euadere minor $\frac{VII}{XI}$ minore, nec maior $\frac{X}{XIII}$ maiore. Poteris etiam addendo vnitatem semper augere: vt $\frac{VII}{XI}$ addita vnitate superiùs & inferiùs, fiunt $\frac{VIII}{XII}$: quod est $\frac{II}{III}$ semper enim ad minores numeros reducere debes, si potes: & ita detracta vnitate, semper reddes minorem proportionem: vt $\frac{VI}{X}$ & rursus $\frac{V}{VIII}$ & $\frac{IIII}{VIII}$, quod est medietas.

Et in Musica ditonus à sexquiquarta differt sexquioctogesima tantum, & semiditonus à sexquiquinta eadem sexquioctogesima: & similiter interuallum sex vocum à proportione quinque ad tria, & octo ad quinque, vt in Musicis abundè declaratum est.

Eodem modo supposita cœli æternitate, idem sola indiuidua superficie ab Æthere mortali disiungitur: ita mortale ab immortali tam paruo discrimine seiunctum est. Nec est quòd dicant, Æthera maximo annorum spatio perdurare: nam quotquot annis perduret, infinito spatio temporis tam distat ab immortalibus, quàm etiam ephemerum: hæc enim sunt commenta & figmenta, imaginesque imperitorum, qui vanam speciem rerum solum cognoscunt, & à sensibus propriis decipiuntur: itaque tam paruo discrimine mortale ab immortali seiungitur. Quod si tam paruo discrimine mortalia ab immortalibus seiunguntur, quanto magis mortalia ipsa inter se species quidem metallorum, lapidum, plantarum, atque huiusmodi? Hæc igitur ita se habent.

Quæ verò ad actiones ipsas nostras pertinent, eodem modo minimis differentiis, & magis quàm naturalia constant: quòd volubilitate opinionis varient. Diximus aliàs (quod & verissimum est, licèt vanum videatur) venditiones obolo, quantumvis maximas, irritas fieri posse. At nunc si quis animaduertat, quàm parvis occasionibus multa malè aut benè cedant, satis miretur. Paulo seriùs aut tempestiuiùs à prandio, ante prandium occurris in via: in foro, multa cum negotia habeas, modò omnia ritè peraguntur, modò nihil: quantum momentum est rem sic vel sic inchoasse. Damnatur iniustè Valentinia

lentinianus imperator ab Ammiano Marcellino, quòd tot peremerit crudeliter: quoniam de successore magicis artibus quæsiuerunt. At non animaduertit, Valentiniano fuisse filium Gratianum: qui si non fuisset, puto Valentinianum vix grauiter laturum hanc curiositatem: at modò successore filio ista quæsisse, quis non videt hoc crimen fuisse apertum læsæ maiestatis, atque omnino impium? Simili ergo ratione singula quæque, quàm exiguis discriminibus fiunt impia, licita, fœda, honesta, felicia, infelicia, iusta, iniustaque? Quamobrem si quis totam naturā vitam huiusmodi minimis animaduersionibus, casibus, opportunitatibus, euentibus constare dicat, is sanè non solùm vera dicet, sed etiam pro conditione sua temporis locique, beatè & sine reprehensione viuere poterit. Quid ergo huic rationi commodius est prudentia primùm, inde scientia somniorum? At nunc tota sapientia humana tribus constat præceptis: verbis pulchris, factis pessimis, & opinione probitatis ab initio per simulatam iustitiam comparata. Verùm non diu hi mores stare poterunt, & vel seipsam hæc fera conficiet: vel iratis superis dabunt pœnas: at prudētia prouidentiaq; perpetuò ac sine impietate stare poterunt. Nec tamen tantùm scite prodest, sed & vti opportunitate decet. Tria autem sunt in hac præcipua auxilia: continentia, promptitudo & fortitudo: his si destituamur, valedicere possumus prudentiæ atque prouidentiæ.

Quin etiam multis sua bona exitio fuère: arma M. Antonio, facundia Ciceroni: Philosophia Socrati, Pasiphylo, Simonidi (primus enim cicutam hausit, secundus gladio periit, tertius flammis absumptus est) poësis Gallo & Nasoni, medicina Petroleoni nostræ fermè ætatis viro erudito, astrologia Ascletarioni. Quid est tam sanctum, quod si sinistrè vtaris, non noceat? Ego sanè ni somniis monitus essem manifestissimis, in hac tam ingrata calamitate peribam, cùm odium, potentium ira, me premerent, mihi nullus amicus relictus esset. Miraris lector? mirum non est, reputanti temporum conditionem, hominum mores. Multi amicos se habere putant, quòd volunt eos qui non sunt esse. Deinde quòd fieri non possit, vt Deo & hominibus placeam: & his moribus arcesso procul has lamias. Itaque nil mirum esse debet, eum qui recta colat, hoc tempore nullum habere amicum. Sunt mala hæc, sed maiora fuère sub Repub. Romana, sub Caligula, Vitellio, Domitiano, Commodo, Caracalla, Valentiniano. Qui vult aduersa ferre placidè, historias legat: difficile est superare maiores nostros scelere atque crudelitate: sed longè difficilius æquare virtutibus. Sed ista extra aleam.

Illud ergo dicendum: minima esse omnium bonorum atque malorum initia: eaque plerunque in nostra esse potestate. Quòd si ita est, quanta commoda afferre potest scientia somniorum? Peccamus tamen maximè, cum peccare non posse confidimus. Pauci peccant volentes: & si peccauerint, cautius saltem peccant. Et si non tam cautè, saltem ob magnas solùm causas, atque ideo rariùs. At vbi peccare non timemus, sæpiùs peccamus & incautè, & nullam ob causam. Quoties verbum inconsultè prolatum euertit hominem? nemo est cui hoc sæpiùs non contigerit. At vel hoc solo monitu, quod in periculo verseris, consultiùs ages. Quàm cautè, quàm consideratè respondent homines interrogati de criminibus capitalibus, etiamsi simplices natura fuerint? Et nisi essent tormenta, tormentorumque metus, nemo aberraret. Vnde causa? nisi quod imminere sibi periculum animaduertunt. Duobus in casibus paucula solemus commemorare exempla: vel cum rarò contingunt talia, vel cùm infinitò quotidie, vt hac in re. Ergo præmonitus hæc deuitabis: aut si vitare non potueris, malo statim occurres. Principiis obsta, dici solet.

At dices forsan: Felices isti aliam viam compendiosiorem atque faciliorem ad beatam vitā inuenêre: dolum, iniustitiam, fœnus, furta, sinistrum vsum conuentionum, scilicet per fraudes: ac demum etiam vim ipsam. Fateor: sed in his tria sunt maxima incommoda, atque adeò grauia, vt sic esse felices haud præstet: Dei offensa: atque cum ea facti conscientia, quæ hominem stimulat, agit, torquet, nōnunquam etiam vsque ad desperationem agit: inde molestia ipsa facti, cum & inimicos sibi pariant, & cum inimicis pericula & lites & infamiam: & quod maius est omnibus, ipso premuntur exemplo: nam & à filiis & ab hæredibus vrgentur: scientibus his quomodo eas opes parauerint, & quàm inuisi sint superis. Itaque vbi vnus est tyrannus, necesse est plures esse tyrannos. Et filij nisi vi ac metu contineantur, eadem in partes parant, quæ boni in hostes: nec multum interest, seu veneno, seu dolo mortifero, aut vi, aut peruicacia (quod frequentissimum est) patrem adigant ad mortem, seu patruum. O quot vidi sic peremptos, sine periculo legis: sed non minus certo exitio, & duriore morte. Tertium incommodum, quod omnibus maius est, est ipse viuendi modus, qui etiam sine ira Deûm, ac dolo propinquorum, seipsum ita aggrauant, dum ab omnibus cauere coguntur, dum periculis vndique circumueniuntur, dum maiora metuunt, instantia admirantur: dum in perpetuis litibus, suspicionibus, contentionibusque vitam funestam agunt. Vita hominum per se molesta est, etiamsi nullis externis afficiatur incommodis: at sic ærumnosior est vita ferarum, etiam ægrarum: illæ enim multa patiuntur, multis sunt periculis expositæ: at saltem nec incommoda, quandiu permansura sint, intelligunt, nec periculum vitæ norunt, nec inuident aliis quæ nil tale patiuntur: omnium ergo viuentium miserrima est hæc vita improborum: hocque solo beata, quòd multos existimant sibi inuidere. At prouidentia futurorum eadem præbet, & multo plura quàm scelera: nam & in tuenda valetudine, cauendis insidiis, erudiendo filios, longè melior est improba illa vita, & grata Diis, minusque anxia, nos illis similes reddit.

Sed redeo ad institutum lunaris motus, atque aspectus ad Solem: eam fermè obseruat rationem, vt addito vno numero annorum Christi, & toto diuiso per vnum de viginti, quodque relinquitur per vndecim ducto, ac per triginta diuiso, residuo si addas numerum mensium à Martio inchoando residuum ad

triginta

triginta est numerus dierum coniunctionis luminarium, ad quadraginta quinque autem oppositionis. Quòd si numerum dierum à coniunctione per quatuor duxeris, per nouemque diuiseris, habebis numerum signorum distantiæ lunæ à Sole, partiumque signi. Sol autem die decima Martij ingreditur Arietem, & post mensem propè ingreditur Taurum, atque deinceps per reliqua signiferi decem initia diuisionum.

Angulos diuides prope æqualitatem in quotquot volueris partes, diuidendo primò per æqualia, donec fiant acutissimi: deinde produces latera æqualiter vnius partis, & basim in tot æquas partes diuides: ductisque ab angulo ad basis partes lineis, habebis angulum diuisum vt voles: inde idem de singulis faciendo, atque iungendo iuxta numerum diuisionem, perficies intentum: & hoc est quod Carolus Bouillus voluit: sed credidit exactam esse.

Neque recta quæ in tabula delineantur recta est, neque circulus circino descriptus exactus est circulus. Proportio verò periferiæ ad dimetientem, minor est quàm XXII ad VII, & maior quàm CCXXIII ad LXXI.

Cùm è puncto lineæ ad perpendiculum lineam extendere volueris, hoc quod ad vnguem facere contingit: puncto alio quovis accepto hinc inde secundum distantiam propositi puncti, deduces periferarium portiones, quæ se secabunt in medio punctorum propositorum: inde duces ex aduerso puncto rectam per punctum communis sectionis circulorum vltra tantundem extendendo, & ex extremo illo ad punctum datum recta ducta ad perpendiculum eidem insistet.

Oui figuram sic describes, ex Durerio datam: lineam in decem æquas partes diuides, inde ex puncto medio secundum quantitatem duarum partium circulum describes, cuius periferiam in octo æquas partes ex lineæ terminis diuides: rursus altrinsecus ex totius lineæ extremis distantia septem partium portiones circulorum describes, tangentes in linea ipsa circuli descripti periferiam, quæ se in aduersis secabunt punctis: duces etiam lineam contingentem circulum in puncto è regione occursus illarum partionum, recta intellecta ex sectione ad sectionem: altrinsecus ergo in punctis sectionum circuli constituto circini immobili pede, atque alio ad punctum aduersum occursus contingentis ad portiones circulorum, portiones rursus quatuor, duas ex superiori lineæ parte, & duas ex inferiore describes, quæ similiter sibi occurrent è directo primarum, sed inferiùs.

Rursus diuisa parte rectæ inter locum contactus, & secundum concursum per æqualia, & medio puncto tanquam centro facto, describes secundum quantitatem breuioris lineæ ex eo puncto ad portiones circulorum vltimo ductas, portionem vnam circuli quæ inferiùs cadet, & sub puncto secundæ sectionis, oualemque explebis figuram: hæc tamen apud illũ errata sũt, seu illius seu typographi vitio.

Spiralem lineam quotquot volueris circunuolutionibus describere: & sit, vt gratia exempli velim tribus reuolutionibus: describam circulum satis magnum, & filum annectam, aut mobilem virgulam æneam, iuxta semidiametri quantitatem: inde diuidam circulum in duodecim partes æquales: & quia volo tres reuolutiones, diuidam filum aut virgulam in trigintasex æquas partes: & si vellem quatuor, quod esset difficilius, assumerem quadruplum numeri diuisionis circuli, id est quadraginta octo: inde sensim ducto filo ad primam partem circuli è regione primæ diuisionis à centro numeratæ, & in eadem distantia à centro signabis punctum primum: & cum peruenerit filum seu virgula ad secundam sectionem circuli è regione secundæ diuisionis in virgula, & secundum quantitatem distantiæ puncti in virgula à centro, signabis secundum punctum: & ita procedes perpetuò, donec omnes reuolutiones & puncta virgulæ quæ simul perficientur, absoluantur. Vltimus enim punctus virgulæ perfectis integris reuolutionibus, ad circuli periferiam terminabitur. Huiusmodi sexcenta inuenire licet. Velut, volo latus figuræ tredecim basium: diuido latus quadrati in tres partes æquales: & si voluero latus figuræ decemseptem basium, diuidam idem per quatuor.

Quantum verò possint minima, ostendunt præparationes ciborum, paulo magis cocta, aut minus salsa, insipida, ingrata vehementer, modico interuallo quàm iucunda: vestes, calcei, omniaque humana: lecti, equi, ignis, aqua, minimis variationibus delectant, aut molestia nos afficiunt. Idem in pactis, in conuentionibus in itineribus, in pugna, prœliis, curatione morborum. Quot in itineribus breui mora inciderunt in latrones? quot alij ob eandem vitauêre periculum? vidi hominem, qui ob modicum gelu prolapsus interiit. Anno præterito stiria glaciei occidit puerum. Simile exemplum apud Martialem legitur. Qoid hoc nos docet? nil aliud, quàm nostra omnia momentanea esse; vitam ipsam perexiguam: & quantumvis prolixa videatur, breuissimam esse: vnde & rectè viuere, & contemnere aduersa, & non discruciari secundis rebus aliorum, & minima quæque obseruare, & nihil negligere: & quę naturaliter nobis ad prouidentiam offeruntur, considerare decet atque oportet. Istiusmodi cùm cogitaueris, & tranquilliùs & honestiùs viues: intelligesque nec Regibus, nec Principibus quicquam tam iucundum esse, quàm est sapientia.

HYMNVS,



HYMNVS, SEV CANTICVM AD DEVM.

QVIBVSCVNQVE, ô Iubar splendidissimum, tantum tui luminis impertijsti, vt quemadmodum sitientes ad limpidissimum fontem, ita hi ad contemplandam laudandámque Diuinitatem tuam amore rapiantur, maximam illis felicitatis partem adesse haud dubium est. Et quanquam nomine, neque similitudine, neque magnitudine, aut alio quovis exemplo, ostendere aut comprehendere Te queam, vt qui Tui tantùm similimus sis, nihilominùs inefficaces meos conatûs exprimere malui. Pium hoc opus, Excelse Deus, nisi Tu ipse adiuueris, non solùm infans quisquam homunculus, qualis ego sim, sed neque principales mentes quæ Tibi assistunt, inchoare possunt. Non ego furore quasi fanatico id ausus sum, vt qualibuscunque verbis quæ plurimùm à te absunt, Tibi tribuam. Horret animus, quum furorem, iram, misericordiam, indignationem tantæ Maiestati tribui audio: sed religiosi Viri quãtum hominibus prodesse voluerunt, iustitiæ declarantes effectus, tantum dignitati tuæ detraxerunt. Ita lieuit, te permittente, vt populus omnium bonorum rudis, qualicunque modo à cultu suo non abalienaretur. At nos hymnũ non populo sed Diuinitati, non hominibus sed Deo canimus. Lumen igitur sapientiæ, quod à Te solo habere licet, indulge, vt quantum homini fas est, de tua potestate, sapientia, æternitate, beatitudine, amore, ac beneficiis erga nos non solùm, sed vniuersa quę genuisti; quæ creâsti, quæ fecisti, quæ esse voluisti, vt meliùs exprimam, verba habere possim: nec in perturbationum nomina, aut defectuum, aut aliquid quod non solùm nihil quod in Te sit, exprimat; nàm hoc vitare me non posse satis intelligo: sed saltem cum dignitate tua nullâ similitudine conueniat, incidam. Veniam peterem pro tanta temeritate, Numen ô Maximum ac Præsentissimum, si non coram Te verba facerem, qui intelligas, non hæc ab audacia, sed amore illo erga Te ardentissimo, quo me imbuisti, proficisci. Nam etsi ego quod humanarum virium est, non potuero præstare, alius forsan mente potior meliùs adimplebit. Interim verò reos omnes agam mortales ingratitudinis, erga tanta tamque assidua beneficia, impudentiæ aduersus tantam sapientiam, temeritatis aduersus infinitam potestatem, denique stultitiæ, debacchationum suarum momentanearum, in perpetuo æternitatis tuæ conspectu. Ignosce mihi tamen, ô Splendor infinite, tot maculis, tot peccatis, quibus anima mea interim fœdata, deturpata, atque conspurcata est. Scio quantum aberrem in sermone, dum vt ignoscas, non ignosci mihi postulo: Verùm quod alios deterrere potest, atque à proprio sensu auertere, & ex mentis statu dejicere, hoc mihi nunc præsidio est, cùm non minor sit liberalitas quàm potestas, & amor ipsa Maiestate. Non patitur præsens præsentem aberrare. Iam intelligo non mouendos affectus, non mihi comparandam beneuolentiam, non augendum id cuius nec minimam particulam æquare possim. Nihil tuâ causa à me dicendum, qui plenè in te ipso solus sis beatissimus. Nullâ laude etiam opus est apud alios, qui à tot Illustrissimis mentibus perpetuò lauderis. Quid ergo huc accessisti, dicet quispiam? vt quod Parenti seni præstat Filius valens & probus, ita Regum Regi humillimæ sortis homo ex debito quantum licet reddat. Tria enim cùm sint, propter quæ gratias promerentibus reddimus, vt illis prosimus & apud audientes testemur honoris debitum, & vt officio nostro fungamur, hoc hîc præstare licet: Primo opus non est, reliquum partim vsui est, partim autem non. Nã immortalibus persuadere hæc, aut docere velle quæ ipsi locupletiùs adepti sunt, absurdissimum est: mortalium autem plerisque forsan haud inutile fuerit. Itaque in re prorsus difficillimâ, ac supra etiam horum numinum vires, facilem mihi aditum præbuisti. Etenim mortali cum immortali, miserrimo homunculo cum excelsa potestate, rudi cum suprema sapientia, impurissimo cum optimo, meticuloso ac pauido cum ipsa securitate, curis obruto cum beatissimo nulla esset societas, nulla similitudo. Diuinitatis tuæ fauore & præsentiâ tanti apparatûs mens impletur, animus augetur, memoria confirmatur, studium accenditur, vt nesciam iam quid difficilius sit, deserere cœptum iam opus, an pro viribus adimplere. Non me terrent incommoda plurima, quòd & tui & tibi assistentium, & mortalium rationem habere oporteat: cùm Tibi nihil nisi candidum placere possit, assistentes maiorem desiderent sapientiam. Nemo enim ea quæ meliùs nouit, libenter audit; mortales captari & affectus moueri volunt. Tum demum quòd quæ nôrim, maximâ ex parte Omnipotenti Regi non congruant, quæ tu

habes,

habes, omnia penè mihi ignota ſint. Verùm gaudium quod ex hac laudatione capio, efficit vt non ſolùm labor hic mihi dulcis ſit, ſed etiam iucundus, adeò vt in ipſo opere mirum in modum geſtiam. Quid enim ſuauius mihi eſſe poteſt, quàm arcana tua poſſe non ſolùm abs te aſſequi; ſed etiam aliis mortalibus explicare? Quid gratius, quàm pro tot beneficiis, me vnum quaſi pro vniuerſo mortalium genere gratias tibi agere? Quid pulchrius, quàm tua poſſe in omnes commemorare beneficia? Quid denique excelſius, quàm præclara magnificáque dona vitæ, virtutis, veritatis ac ſapientiæ, quæque ſolùm verè bona ſunt, non ſolùm apud immortales hos Deos, ſed etiam apud nos ipſos mortales, quibus ſumus, quibus felices viuimus, quibus nos his Diis ſimiles effeciſti, quæ ſolùm abs te ipſo accepimus, recenſere? Quid ſi ego à te in te genitam immenſam Sapientiam effluentem perpetuò, tanquam perennem fontem, ardentiſſimum amorem adiiciam, nonne ego ſapiens ipsâ cogitatione, atque beatus efficiar? Inuitat ad dicendum largitio tua liberaliſſima, quâ me tot annis felicem eſſe voluiſti, in omnibus calamitatibus opem ſubminiſtraſti: denique hoc tanto tui amore accendiſti, vt videaris, ô ſumma benignitas, flagitia mea mihi noluiſſe imputare. Itaque has tibi veras preces, veras ſupplicationes fundo, Optime Maximeque Deus, atque Deorum Deus, omnibus hymnis præſtantiores: Nam etſi numeroſo pede non fluat oratio, ſplendor rerum ipſe multò venuſtius liberum dicendi genus efficit. Quid enim dignius, aut tantæ Maieſtati congruentius quàm ſimul referre magnitudinem potentiæ, ſapientiæque ac liberalitatis tuæ? vt qui cùm infinita cognoſcas, omnia poſſis, liberaliſſimè dona tua in vniuerſos impertiaris. Quamobrẽ ego tibi ſoli, inquam tibi ſoli, etiam vel ob id tantùm, quantas poſſum gratias debere confiteor, agóque, quòd huic tam digno negotio, tam laudabili operi, tam excelſæ prouinciæ, vt per me hymnus hic, hoc canticum dicatur, me præfeceris. Quis enim Te ſine te cognoſcere aut laudare poteſt? Quis puros candidóſque animos, ſacrataque verba, ab alio, quàm teipſo puritatis, candoris, benignitatiſque fonte vnquam accepit? aut quis impurus, &, vt dicunt, illotis manibus, te laudare audeat aut poſſit? O! felicem mihi diem hanc, ô beatam ſortem & ſupra mortalitatis conditionem, memorabilem, poſteriſque omnibus celebrandam! Tibi, inquam, ô ſumme Deorum immortalium Pater, Tibi prima hæc gratia debetur, velut optimo & potentiſſimo rerum omnium Parenti: qui cùm infantulus eſſem, effeciſti laudum tuarum præconem. Tu principium ante omnia, omniũque ſalus, bonum immenſum, poteſtas infinita: in te ipſo collecta æternitas, ac quaſi momentum exterius explicas in Diis, non tu in illa conſtitutus es: In cuius contemplatione felicitas ſolùm noſtra conſiſtit. Nam & exemplo cæterorum immortalium Deorum, qui beatiſſimi ſunt, & nullâ aliâ cauſa, niſi quòd te aſſiduè intueantur, & quòd felicitas omnis in bono conſtituta ſit, quod in te ſolo & purum & perfectum eſt. cùm immortales hi Dij bonum purum, ſed haud perfectum, nos verò neque perfectum neque purum poſſideamus, comprobari poteſt. In te huius perpetui ſilentij quo quaſi in horto amœnitatis, tantâ voluptate, quiete, ſecuritateque fruimur, fons eſt. Hinc vix præ gaudio continere me poſſum, quin exultem, certè geſtire cogor. O ſtulti mortales! ô inſani! qui felicitatem veſtram vbi non eſt quæritis! in diuitiis, in potentia, in honoribus, in gloria, filiis, amicis, improbaque voluptate: vbi omnia volubilia, inconſtantia, caduca, infirma, ac falſis imaginibus plena: Bonum ſine bono, ſecuritatem abſque ſecuritate, vitam in morte, lætitiam in ſordibus, beatitatem in miſeriis, ſtabilitatem in inconſtantia. ſilentium in turba ac ſtrepitu quæritis! Quicunque dulcedinem ac ſuauitatem tui Numinis, quicunque hoc iucundiſſimum nectar vel à labris deguſtarit, ille omnia hæc, quæ vos mortales ſuſpicitis, deſideratis, atque admiramini, inſipida, amara abominandaque eſſe deprehendet, & ſi quis vltrò offerat, renuet: ſolùm illa admittens, in quibus eũ boni mentita ſpecie mãdata tua exequi poſſe ſperabit. Nam fatuas illas voces Rhetorum, Principes ac Reges tam turpibus mendaciis laudantium, nonne omnes vos mortales ridetis: hi verò, ſi fieri poſſet, indignè ferant, cùm ſentinas cædiũ, rapinarum, libidinum, iniuſtitiæ atque impietatis, ſanctos, innocentes, ſacroſque appellari auditis; & quod etiam multò impudentius eſt, ſtirpes illorum, regna, ſceptra, quoque nil abſurdius excogitari poteſt, homunculos ipſos, qui, vt veſter Homerus etiam teſtatus eſt, foliis (adeò caduci ſunt, ac momentaneâ in dies ſingulos vitâ viuunt) ſimiles prorſus ſunt, æternos appellare audent: nulli parcunt laudabili titulo, nullum explodunt mendacium, quantumvis abſurdum, modò orationem canoram ac grãdibus verbis conſarcinatam efficiant: tantum in illis eſt audaciæ atque temeritatis, in ipſa verò quibus dicuntur panegyrici, amentiæ ac ſtuporis, vt quæ non ſolùm à veritate, ſed ab omni veri etiam ſimilitudine abhorrent; illi imponere audeant, ipſi imponi ſubſtineãt. Ita paraſitorum hoc genus effecit, vt neque falſa in illis deprehendere poſſitis, nec verarum laudum, aſſuetis fabulas pro hiſtoria audire, magnitudinem æſtimare vobis liceat. Et quãquam liberiùs, vt lubet, mentiantur, non tamen falſa hominum encomia veras tui laudes, ô potentiſſimum Numen, æquare poterunt: Verùm hæc minus artis in me, minus induſtriæ ac diligentiæ, denique forſan minus fauoris tui oſtendent: cùm ego in lætiſſima ſegete bonorum, argumentorumque laudis tam ſterilis videar; illi ob exercitationem ac audaciam in tam inanibus argumentis adeò locupletes & abundantes. Sed quid hoc eſt? illi nihil tamen dicunt, ſed obſtrepunt, noſtra, oratio exilis & inornata teſtimonium ſolum affert immenſitatis tuæ. Quid ornamento opus eſt, vbi quod narrare velis, omnem mentis noſtræ capacitatem, omne figmentum infinito exuperat interuallo? Quid addere velim ei, cuius ſi vel minimam partem poſſem attingere, admirabilis omnibus viderer? Quâ mihi arte ad illuſtrandam orationem illam, quæ tota per ſe illuſtriſſima eſt, & ſupra omnem noſtram cogitationem, vtendum?

Num

Num quis audeat potestatis tuæ immensæ opera laudare, vel solùm attingere? Creasti Orbem hunc totum, maria terras, cœlum, astra, tantâ magnitudine, tantâ pulchritudine, vt neque sensus sufficiat, neque mens satis rectè deprehendere possit. Et tamen hoc totum quod deprehenditis, quodque vestrâ æstimatione maximum vobis videtur, maiusque illâ longè est eorum quæ vos neque videtis, neque cognoscitis, vix minima pars est: seu magnitodinem magnitudini, seu pulchritudinem pulchritudini, seu dignitatem dignitati conferatis. Quæ cùm maxima sint, & talia vt nihil maius possit eaistimari, multò tamen maiora sunt, potuisse ante æterna esse, immensa absque magnitodine, tempus momento perpetuum, molem ex nihilo, fabricam tam admirabilem absque instrumento, sed solâ voluntate fecisse. Quid quòd in ipsa magnitudine adeò admirabili maius aliquod potestatis tuæ argumentum elucescit: nam ductor illius, vbi tot perpetui micant splendores in singula momenta, (dico ea in quâ horula ipsa diuisa seacenta efficit) plus spatij superat, quàm sit hic vniuersus terræ & aquæ ambitus. Et tamen adeò magna est machina, vt cùm tanta velocitate sidera ferantur, quæ omnem humanam cogitationem excedat, (nihil enim tale vel fulgur efficere potest, aut multò minùs tormentum vllum bellicum, aut sagitta) quiescere tamen, & omnino immota manere videantur. Atque rursus cùm immota maneant, tam procul absunt, vt maximas & incredibiles spatiorum magnitodines superent. Cur ergo qui non te adorant & colunt qui te impij spernunt, hoc vel solum quod oculis subiicitur, quodque certis rationibus constat, non suspiciunt: nam reliqua quæ nobis abdita sunt, ac sensibus non subiecta, nec mẽs nostra capere, nec si scire detur, explicare fas esset, aut multo minùs vobis intelligere liceret. Hæret iam animus, horret, stupet, denique lapidescere videtur, & mens ipsa amens fieri, dum hæc solùm quæ oculis subiiciuntur, considero. Solem hunc videtis, quem vos pedis magnitudinem vix implere existimatis: hic molem terrę & aquæ plusquàm centies ac sexagies superat, atque eo multò maiora sunt multa astra, longè autem quæ Canicularum nomine significatis. Sed hoc non est quod admirari debetis, quãquam maximum sit; sed quòd tantillum cùm sit Solis corpus, vniuerso huic Orbi, adeò magno, ad ipsum illustrandum sufficiat. Sæpe ego testatus sum Vos me odisse, ô mortales, sed non vos ipsos odi, verùm temeritatem ac stultitiam vestram. Quippe cùm opera hæc tam magna, & supra vestram mentis ac sensuum capacitatem, intueamini, cur est quòd tantum Numen totis viribus, non verbis ipsis, sed factis ac piâ mente non veneramini? non colatis, & adoretis? cur illi non perpetuò puris votis non supplicatis? cur non timetis? cur inobedientes illius mandatis, cur pertinaces estis contra illum, contra quem etiamsi omnes vnà consentiatis, nihil potestis, ille autem vel nutu ipso vos omnes delere potest. Cur ergo cùm tales sitis, ego vos maximo odio non prosequar, nondamnem, non accusem? Verùm ad Te, Optime Deus, reuertor, à quo vtinam velis nunquam etiam vel volẽs ipse discedere queam. Ita mihi ignoscatur opto & rogo, tuus vel etiam inuitus vt sim facias cupiam. Quid illud æternitatis tuæ arcanum, in quo & omnibus præsens, & illa tamen diffluera pateris, & si alia etiam æterna esse velis, tu tamen ante ipsa esse possis? Quid quòd immensitatis pater cùm sis, vbi sis nemo nouit, nisi ex operibus; magnitudinem autem tibi tribuere, profanum est. Ita præsens es omnibus, vt nullibi sistita magnus, vt nihil extra te sit. Sic & illud rursus maximum cœlum ferri velocissimè, liquidum esse, nec tamen solui, cùm apud nos vel medrocri motu etiã ipsa metalla liquescant. Et sidera quæ in ipso cœlo infixa sunt, tam tenui materiâ, quonam pacto radios Solis etiam ad nos reiiciunt? cui rei locuples testimonium luna affert. Hæc atque infinita alia, quæ iam facta admiramur, neque quomodo fieri potuerint, deprehendimus, non solùm maximæ sapientiæ, sed immensæ potestatis argumenta sunt. Verùm quanquam hæc laudis ac gloriæ, potentiæq; insignis sint indicia, cùm tamen ad infinitam dignitatẽ conferantur, quâ vis absque meta, maiestas absque termino continentur, hoc solum ostendunt admiratione dignum, quonam pacto finitum in infinito comprehendatur, aut quomodo infinitum finito potuit indigere? Multis enim persuasum est, quæ infinita sunt, nihil extrà relinquere, nec quæ in infinito continentur, finita esse posse. Sed tamen ista quamuis necessaria non sint, possunt admitti: nec est quo indigeamus, vel quo componatur, sed effluit & iuxta metam susceptionis formatur ac desinit. Nam modus ipse agendi, cùm ex nihilo vniuersum, imò hæc vniuersa fiunt, infinitam ostendit potestatem, ne infinities infinitum esse necesse sit, si hæc infinita forent. Etenim non in producto hæc est immensitas, sed in te ipso. Auge in nobis lumen diuinitatis tuæ, si si tua arcana vis vt pandam! Quid enim hoc est, momento ipso omne tempus comprehẽdisse, vt mille anni nobis, nec dies vna tibi sint? neque rursus mille tibi anni nobis vna dies? Quota enim pars vitæ tuæ æternæ sunt mille anni, non vitæ nostræ diecula, quantumuis etiam longissimæ, certa portio est: vt etiam mille anni nobis, cum æstimatione rerum nostrarum, maximum contineant spatium temporis; in te cùm minima sint portio diuinæ vitæ, imò ne portio quidem, vicem puncti, & minus quàm dieculæ obtinebunt. Quam rem cùm ego mecum reputo, vix vllam felicitatem tam diuturnam, tamque magnam esse posse reor, quæ homines si saperent, beatos reddere queat: atque ob id in dies ratione ipsa suadente, minùs ac minùs ad humana hæc bona, fortunæque dona optanda, cupidus euado. Sed iam quasi sub hyemis niuibus ac glacie totus torpeo. Vtinam mihi, ô Numen præsentissimum, des, vt tam tui tuarúmque rerum amore ardeam, vt in mortalibus refrixi. Sed video id necessariò contingere, vt priùs veterem hunc sordidúmque hominem exuamus, quàm illum splẽdidum & purum indueamus: quamobrem


non leuis muneris esse duco, iam illum magnâ ex parte exuisse. Itaque quid vos iuuant, ô mortales, regna vestra atque gloria, stirps longâ felicitate deducta, postquàm neque in his, in quibus felicitatem esse existimatis, felicitas vlla est, nec diuturnum hoc vestrum regnandi tempus, cùm ad Dei maiestatem, cùm ad id quod verè est, confertur, puncti vel momenti vicem obtineat? Eja agite iam, expergiscimini tandem omnes. Quid enim vos iuuant filij, fratres, consanguineique in tanta solitudine? quid diuitiæ vestræ in tanta omnium verum bonorum inopia? quid vitæ longitudo in tam breui cursu æui? quid gloria hæc inanis in tam contempta conditione? quid denique ambitio, fastus ac superbia vestra in tam humili sordidóque statu rerum vestrarum? Quòd si ab his incommodis huius corporeæ molis, ab his difficultatibus, ab his necessitatibus contingeret liberari, existimo quod nunc ego sentio, quod nunc ego video, omnes vos, aut saltem maximam partem sensuros. Quare qui iam hanc fœdidam vestem exuistis, cur est vt denuò induere cupitis? & qui tantis laboribus vetus hoc ædificium diruistis, quod vobis sinere liberum erat, cur modò cum tot incommodis reparare tentatis? Persistite in iudicio, permanete in sententia, cùm nihil melius, nihil dulcius, nihil iucundius animis vestris esse possit intuitu huius lucis, memoriâ tam præsentis boni, intelligentiâ immensæ sapientiæ. Sed ad rem redeo, vnde digressus eram, eo studio quòd cuperem omnes nos homines, vt par est, tuæ Diuinitati tam addictos esse, quàm tua postulat dignitas & beneficiorum magnitudo, & quàm mihi optabile esset, cùm tot artis exempla, cùm tantæ sapientiæ specimen edidisses, atque admirabili potestate ex nihilo momentóque tantam molem constituisses, illud etiam addidisti, vt tot instrumenta absque instrumento, tantam rerum multitudinem vnus, tantam varietatem sine vlla varietate condideris, cunctáque solâ voluntate creaueris, vt idem penè fuerit, voluisse atque fecisse: cumque in omnibus, vt penè dicam, maius sit velle quàm posse, pluráque cupiant quàm efficere queant, in te vno plus possis quàm velis, aut quod non solùm mihi, sed omnibus certissimum esse debet, saltem nunquam velis, quòd priùs non possis Immensus certè amor, immensa sapientia, immensáque potestas: sed si comparatiuo tali licet hîc vti, nihil ipsa potestate immensius est Quæ enim Sapientia constituit mundum, hásque beatas mentes, nonne à te parente primùm profluxit ab æterno, in teipsóque nata est? cuius non exemplum minùs elucescit in his quæ videmus, quæ agnoscimus, quàm in infinita potestate. Quis terram in medio pendentem constituere nouisset tam tutò tantam molem? Tu tamen appetitu centri eam firmasti. Quis prohibuisset ne ab aquis fluitantibus mergeretur? at tu terram, vt absorberet eam, ordinasti, illam, vt descenderet, iussisti. Quid iussisti? mentior coram te, sed non apud te: voluisti, dicere debueram. At nonne scriptum est, verbo Dei cœli facti sunt? qui per aquas in se quasi distillando redeuntes, ne non semper terra ab eis irrigaretur, fecisti fontes & flumina: quísque eodem modo ex salsa dulcem, & siderum vi sursum trahens, ac rursus demittens, pluuias effecisti. Qui balneas calidas in hominum commoda fabricasti, vt ipsa sibi frigiditas hostem quasi pararet atque seruaret. Montes autem (quid de ornatu dicam? illum prætermittere volo, ne inter tuæ immensæ sapientiæ exempla, quicquam nostræ mentis capacitati mediocre subsideret) vt nunquam nobis aquarum copiam deesse paterentur, nec ab eadem opprimi. O diuinam verè tuam mentem, quâ eodem inuento duobus maximis contrariísque inuicem periculis prouidisti? Omitto nunc niuium conseruationem, auras frigidas, arborum proceritatem & firmitatem, metallorum commodam exhibitionem, saxa ingentia humanis vsibus ad structuras accommodata: Quæ omnia cùm ad egregiam vtilitatem pertineant, sic illa cum necessitate coniunxisti, decoréque ornasti, vt non solùm magnitudine vtilitatis, & multiplici vsu, sed ipso ordine, ipsáque coniunctione, tantæ sapientiæ specimen aliquod non mediocre apud nos (nam apud te, quæ nos maxima esse existimamus, leuissima esse scio) declararent. Verùm & illud deesse videbatur tantis commodis, ne aquæ non in terræ superficie contineri possent, nec piscium vitæ, nec nostris commodis, nec vniuersi pulchritudini consultum esset. At tu quàm facilè omnibus occurristi? Pendere tractu siderum, concuti ventis, æstúque maximam maris partem agitari, solidum esse imum salis copiâ etiam additâ voluisti. Quibus etiam prospectum est, ne tanta aquarum moles putredinem contraheret, aut in vnam partem defluere cogeretur. Ac interim ei incommodo prospexisti, ne terræ medium nimis à Solis radiis exureretur. Et ne omnino tam potentis sideris vi, imbecillis aquarum succumberet, quantum ob vim ab illo metuebatur, tantum nubium molem assiduitatemque auxisti: vt sic rursus obuiam eodem medio duobus maximis atque inuicem contrariis incommodis iretur, scilicet vt nec aquâ destitueremur, nec illius copiâ obrueremur. Simúlque terrarum munimen magnum fabricasti, atque ita omnia temperasti vt tuæ sapientiæ magnitudinem, nostræque imbecillitatis, qui præsens hoc arcanum nec sensu dignoscere, nec mente ipsa comprehendere valemus, testimonium præberent. A te frustra mortales quicquam nisi factis ipsis exorant, cùm nihil nobis ex merito, sed gratuitâ liberalitate, nec ipsam bonam despiciens mentem, vbertim largiaris. Qui Reges in eorum pœnam constituisti Dominos, & Tyrannos in subditorum vltionem imperare permittis. Qui nullo in loco es, sed ante omnem locum in temetipso solùm: non magnus, neque paruus, sed immensus. Instituisti vitas has etiam ante lucum, ante tempus in semetipsis, atque exinde in in te solo constitutas, mundum verò & locum, ac tempus continentes, vt quod sit solum esse velis. Dubiâ ego in luce, imò in tenebris ipsis vagabar: quicquid luminis & claritatis ac veritatis adeptus sum, à te

ipso

ipſo proficiſcitur. Quod nunc, quod olim eras, ac eris, idem eſt; at nos, vt veſtis malè contexta, ſeneſcimus, & mutamur in deterius. Quis conſtituit Solem, tanquam Regem inter ſidera, eiuſque motum ſuperiorum triũ motibus certâ ratione ita coæquauit, vt nullâ ratione adhuc conſtet? Atque hæc etſi ſciri poſſiat à nobis, ſupra nos ſunt, cùm lumen hoc tuum imaginibus numerorum & menſurarum non adhæreat, ſed mortalitas ipſa hæc fingit: cùm verò altiùs progreditur, ne fingere quidem poteſt. Sumus nos, & nos eſſe ſcimus, etiamſi ſomniaremus, qui tamen & cur neſcientes. Ita mundum eſſe ſcimus, nec magis quid in illius ſit limbo atque corona ſcimus, quàm vermis in auellana genitus nouit auellanæ corticem, aut quid extra eum ſit. Qui ſignificas pluribus diuersâ linguâ loquentibus idem, quaſi vnuſquiſque propriâ linguâ loquentem audiat: Et effeciſti verba imagines diſciplinæ veram doctrinam mentibus his tradidiſti. Conſtituiſti terram & maria in æquilibrio, & cœlos ipſos in æquilatione: cùm regna & imperia corũ ſic tempore & ambitu certo definieris, ac filios Anacyndaraſim præeſſe permiſeris, vt in alias gentes dominatus deuoluatur. Qui numerum, qui menſuram omnium ſic certâ ratione definiſti, vt eorum quæ ſunt, fuerint, eruntque, nihil te fugiat. Et æterna miſcuiſti caducis: atque ex his imaginem quandam perpetuitatis effinxiſti. Beati omnes qui te amant, & in teipſo confidunt: atque etiam hi ſoli beati eſſe poſſunt. Beatiores autem qui te intuentur. Beatiſſimi verò qui te ſimpliciter agnoſcunt. Tu ille es, cui nihil aduerſatur, ſed vt cæcitas & ſurditas, defectus ſunt eorum qui te oderunt. Quibus permiſſum eſt vt te agnoſcant, hi ne ament te, omnino fieri non poteſt. Maxima ergo gratia eſt te vnicè diligere: ab his enim, quantum illis fas eſt, cognoſci voluiſti. Quid ergo impio relinquitur niſi error & deſperatio? qui cùm morituros ſe exiſtiment, in quo melior eſt eorum conditio, quàm laterculi in fornace cocti. Non eſt vita præter tuam, nec niſi à te: & ideò æternitatis particeps. Quæ omnino deficiunt, vmbram vitæ ſolùm aſſequuntur. Vita vera non deficit, vt neque ſplendor in tenebras verti poteſt. Quid gloriamini impij eum veſtra poteſtate? Nonne ſicut laterculi, qui in caput hominis cadentes interfecerunt. Iuſtum oppreſſiſtis? iuſtum occidiſtis? delitiis fruimini? his fucatis bonis abũdatis? Quid inde, poſtquam à vitæ trunco auulſi eſtis: nec ramuſculus vllus ex illo ad vos peruenit? Gnauiter agite, qui Numen æternum amatis, & ne ſalutem quæ in illo ſola repoſita eſt, deſperetis. Quid Artaxerxi nunc, aut Cæſari, vel Alexandro? Quis illos non cœnæ vni poſtponat? Quis eorum voluntatem curet? & quis vbi reliquiæ ipſorum ſi ſupereſſent, eſſe ſuſtineat? quin potiùs canum cubile, & ſordidam paleam illis omnibus præponat, atque eis inſidere malit. Vbi ergo eſt veſtra gloria, veſtra geſta, veſtra potentia atque delitiæ? Omnia inania, quæ à ſuo trunco auulſa ſunt. Quid illis reſiduum, niſi diræ cædes & impietates? Conſolamini afflicti, & exultate, qui ſpem in iubare iſto repoſuiſtis, vbi neque timor eſt interitùs, neque ſuſpicio indigentiæ, neque metus obliuionis, nec ingrati intuitus atque operis formido eſſe poteſt. Laudate vos viciſſim, ac vobis ipſis blandiamini: nihil tamen vobis ſupereſt, quàm mouere affectus, & non recordari veſtræ conditionis, quorum vno exuiſtis, quantum vobis licet, infelicitatem; altero etiam exiſtimatis vos eſſe felices. Quo fit vt non ampliùs, quod ego cum multis ob veritatis amorem tanta paſſi dolebamus, dolore afficiar. Quid enim mortales dare poſſunt præclari, cùm nihil habeant præter gratiam tuam, quæ ſui non eſt arbitrij, aut auferre, cùm nihil beatum ſit apud illos. Si potuit Vir vnus geometricis figuris intentus non ſentire mortem, aut ſaltem patriæ ruentis caſum, nec exitij inſtantis metum: quid ego, aut alius quiſpiam intentus in tuum benignum iubar, mali in morte ſentire poterot? Ruant faces, tela, carnifex inſtet, filios in tormentis alius diſcruciet, fama, nomen peſſum eant: quid è vita, quæ cum amore tuo coniuncta ſit, adimere poterunt? Exigui ſumus, & ex minimis coacti, mirarique cogimur minima, cùm magna non intueamur. Sequimur anxiè vmbras, donec veras res videre contigerit. Non poſſumus deſpicere terrena, delitias applauſúſque mortaliũ, quovſque te non viderimus. Eja, eja mortales, qui vobis laruas fingitis, deos alienos, & aliena ſequentes? hoc ipſum quod totum eſt, qui omnia poteſt, cuíque omnia debetis, relinquitis? En ingratum facinus, maximam amẽtiam, miſeram calamitatem? Vitam omnibus præſtas tu ſolus, atque adeò abundè vt omnia germinent. Ex te fœcundus ille amor generandi, ſobolem fouendi, educandi, atque etiam inſtituendi, totus manat; ſed ad eos quos etiam magis diligis, etiã virtutis amor, atque ipſa denique virtus; inde etiam præclarum veritatis ſtudium, ac demum ſapientia ipſa manat. Nos verò amentes excordéſque mortales, colimus aut Dæmones, aut alia turpiora. Eſt aliquid ſapere in vno homine, & admiramur ſiquem viderimus excellentem at in omnibus qualis ſcientia? Ea verò harum quæ hîc adſunt, minima portio: at tua prorſus infinita eſt, nullo illa æuo terminatur, vt craſſa rei effigie ducat. Quid ergo eſt vt poſtquàm in longum, dicam, non terminatur, vel in latum, vel profundum, finem aliquem habeant? Si igitur vndequaque immenſa eſt ac infinita, neque hoc ipſum quod intuemur, circumſcriptum finibus vllis exiſtimabimus. Sed eja timemus mortem inopinam, gloriam nominis extingui, ſobolem deficere, monumenta noſtra aboleri, aboleri ſapientiam? Non ſat rectè, neque prudenter. Vita quidem, atque gloria noſtra omnis in te vno repoſita eſt, ſapientia in omnibus his qui te circumſtant, atque abundè: nullius rei maior copia. Solùm apud nos vmbratilis quædam & exigua pars habetur, cætera omnia fœcunda ſunt verâ & ſolidâ ſapientiâ: ſeu ad mentes has, ſeu vitas, ſeu quæcunque ſunt antè locum, quibus hoc ipſum quod tu es, immenſum repletum eſt, ſeu ad re ipſum. Sripula noſtra ſola relicta eſt, in qua ne pereat ſapientia, periclitamur. Quid hoc eſt

aliud quàm si metueremus, ne in abundantia optimorum piscium marinorum viuentium pro apparato conuiuij præparatorum, quisquam metueret, quòd sordidus pisciculus è stagno ac iam semiputris abiiceretur. Nonne videris mortales, qoicunque huc peruenire potuistis, quàm splendida sint omnia, quàm clara, quàm sapientiâ plena? Vos ergo timetis, ne vmbra illa vestra atqoe confusa opinio vobis pereat. Cæterùm quod ad opes attinet, quid miseri accidere potest, cùm pauco pane, atque pomis, & aquâ Natura contenta sit? Reliqua sunt ad cupiditatem, quâ carere decet eos qui re cupiunt; aut ad fastum, qui eorum solùm esse debet, qui conditionem propriam ignorant. Extinguentur monumenta & soboles? Et hæc in omnibus extinguentur, licèt in quibusdam paulo seriùs. Verùm si iam natos filios amittere durum est, an putas, ô mortalis, semper posse superesse? At si animum illorum? quomodo meliùs quàm hîc apud vos esse poterit? aut felicior, aut amabilior? An quemadmodum qui ligneas & lapideas statuas coluerunt, vos vobis quandam felicitatem plenam nugis, fabulis, inscitiâ atque inani spe? At & cum illis bene actum est à te, ô Numen, qui plura illis tribuisti, quàm sperarent, imò quàm vel exigere auderent. Ergo quàm immensa in nos sunt tua beneficia, ô iubar, & quæ occulta sunt transmissa natura ministra? Genitos esse, nutriri, adolescere, valere, robore præstanti esse, conficere posse quæ edimos ac bibimus, aduersa tot propellere, alios nobis similes generare, tot membra, partes, meatus in vsus nostros, nihil otiosom, nihil quod nobis esset inutile. Et quæ nos cognoscimus ipsi, videre, audire, ambulare, recordari, tot sensus, tot vires mentis ac corporis: sed præter id quæ supra hæc communia sunt, artes, scientiæ, ordines, commoda, domus, equi, currus, naues, regnare & imperare, aut in Repobl. authoritatem habere, leges, iudicia, magistratus: num verò maiora sunt, iungi cum his qoi hîc astant numinibus, arcana Naturæ cognoscere, & Diuinarum rerum immortalitate esse participes. Verùm quod maximum est, quódque nec sperare, nec petere, nec velle aosi essemus, vnam habere cum his mentibus coniunctam naturam, mentísque immortalitatem, cuiusnam tantum est hoc beneficium, quàm tuum? cuius tanta benignitas, tanta liberalitas? Nonne tua hæc atqoe gratuita. Quonam facto, aut dicto, aut cogitatione ista promereri potuimus? An sordidis nostris desideriis, aut impiis factis, aut inanibus verbis? Tu tamen amplissimâ liberalitate ac munificentiâ tuâ nos reos maiorum criminum effecisti: priúsque nos desinemur esse improbi, quàm tu beneficus. Qui cùm non solùm in hoc nostrum humanum genus, mentisque capacius altæ, animam, vitam ac scientiam infudisti, sed etiam vsque ad culices, pulices, formicásque tua illa immensa benignitas permeet, nullo fastu, nullâ ambitione, aut indignatione maculata vel obscurata. O? prouidentiam ineffabilem, ô liberalitatem immensam! ô amorem infinitum atque purissimum? Qui maluisti tua dona immortalia communicare, neglectis atque despectis his inferioribus, quàm vel minimum huius sordidæ materiæ, & abiectæ Hyles, & rapacis inconstantisque fecis, inornatum relinquere. Luunt animulæ illæ pœnas, sed cum dulcedine huius vitæ & sensuum illecebris. Non poterat totum incorporeum fabricari, si debuerat esse perfectum. Defuisset locus, tempus, vicissitudóque rerum ac varietas, quæ magnam affert voluptatem: nec sensus præstantia dignitatem recipere poterat, si corpora omnino defuissent: At propositis corporibus animæ restabant. Vbi enim suauitas odorũ, dulcedo saporum, pulchritudo florum sine anima esse poterant? At decuit eas esse animas, quæ hæc ingredi corpora non indignarentur aut recusarent. Creasti illas: vt enim remotiores à te, eò dignitatis ac felicitatis minoris participes fore necesse fuit. Sed tamen & illas in suo genere perfectas, & ab omni macula atque iniuria, dolore molestiáque immunes esse decuit, vt libenter munus suum subirent, nec suæ dignitatis aut officij pigeret. Ita effectum est hac infinitâ & incomprehensibili sapientiâ tuâ, vt & materiæ huic deformi prospiceretur, & mundus ipse ornaretur, & sensus gauderent, nec quicquã de dignitate aut felicitate animarum deperiret. Verùm dicat aliqois, (scio enim quanta sit cupiditas mortalium omnia cognoscendi) cur non omnis moles hæc corporea pora facta est, vt omnia mortis, quemadmodum superi hi, expertia essent. Non possum, non valeo hæc dicere, ac cuncta reseruare, sed fatebor ingenuè me nescire: dicam tamen coram te, hisque mentibus, quas factum hoc scire puto, quid coniecturâ assequar, non vt vera dicere in tam ardua causa posse spesem, sed vt etiam ante te mortalitatis nostræ speciem reddam, & audaciæ, & temeritatis, ac inexhaustæ cupiditatis, denique planè absolutæ stultitiæ, quæ nobis omnibus hominibus ab ipsis incunabulis indita fuit, specimen non leue referam: nam prorsus infanis & perditæ amentiæ esse scio, ea narrare velle quæ nesciant, his ipsis qui illa qualiter se habeant, perfectissimè norunt. Sed pergam tamen, vt morem communem nostri generis sequar: scilicet velle aliõs docere quę nesciant. Desinere oportebat in aliquid ordinem hunc à te procedentem atque finiri, nec patiebatur ipsa rerum series carere vltimo, cùm ordinibus non magnitudinibus esset distincta. Cùm igitur ad extremum deuenisset, Hylen ipsam confecit, inanem, vacuã, exhaustam, ac penè tenebricoso vacuo similem. Equidem si eam non creasset, non vsque ad extremum series ipsa rerum deducta esset, sed adhuc aliquid agendum relinqueretur. Solùm ergo facta est quando nihil melius fieri potuit, absolutis iam omnium meliorum ordinibus. An ergo par erat illam destitui? Poterat quidem, sed suæ liberalitatis esse duxit & illam animis informare, atque ad vitam reuocare. Verùm animæ ipsæ tam informe barathrum ingredi recusabant. Itaque datæ sunt illi corporeæ formæ: quas Hyle, vt est inconstans & auida, perpetuò excutere nititur, atque vnam pro alia subiicere. Atque hæc fuit mortalitatis causa necessaria.

ſaria. Neque ergo detractum quicquam eſt ex meliorum procreatione, ſed quaſi ex ſuperfluo ex perpetua defluxione eſſe, ſubſtantiam, vitámque accepit. Sed & in hac tam peruicaci conditione huius rebellis ac nefariæ rerum ipſarum nouercæ, quanta protulit admiranda tua præclara Sapientia, vt & in tam ſordidis reliquiis ſpecies diuinitatis refulgeret. Primùm elementa ipſa, elementorúmque motus adinſtat cœli circumambiens terram, metallica tot, & metalla, lapides, ſpecioſæ gemmæ; inde herbæ, frutices, arbuſta, arbores: indéque illarum ornatus, folia, flores, fructus: inſecta, ſerpentes, animalia quadrupedia, volucres, innumera piſcium genera, tot illorum admirandæ partes, conchylia, oſtrea: Demum homines, & inferi, & ſuperi, & quicquid inter illos nobilius eſt ipſa mortalitate, ſapientius atque decentius. Operá quoque non ſolùm horum, ſed etiam eorum quæ mente carent ad ſtuporem vſque admiranda. Hinc mores, leges, curæque filiorum, cubicula, victus, induſtria: & quod magis mirum eſt, nullo præceptore didiciſſe optimè, facere quæ neſciant. Sed iam ad altiora me recipio: quandoquidem etſi hæc à nobis meliùs intelligantur, inter vltima tamen Diuinitatis opera, ac quaſi (vt apud nos dici ſolet) ſucciſiua reponi debent. Iam primùm Te ipſum ſolum, tuáque admiremur. Quòd ſi hoc fas non eſt, non licet, non poſſumus, maiora enim ſunt longè arcanis fictorum Sacerdotum Ægyptiorum atque Athenienſium, hominéſque ac monſtra pro Diis colentiū, & pro fabuloſis ſeria: horum qui tibi propiùs ordine aſtant, laudes dicamus: neque enim dubium eſt eas etiam omnes tuas eſſe, & ad Te peruenire. Et quò quiſque plus intelligit, ſapienſque eſt, eò longiùs ſe à maieſtate tuâ abeſſe cognoſcit, quoniam plus eſt quod comprehendi ſemper poteſt, quàm quod comprehendere. Quale illud: quòd ſempiternâ & invariabili æqualitate perpetuam & ordinatam varietatem efficiens, mundum tam pulchrè exornaſti. Cœli enim ſponte dum iubilant, per eandem viam euntes tot modis, nullum ſibi faceſſunt negotium. Genita verò hoc vno, vt per eadem contineantur, admirabilis illius primæve conſtructionis rationem retinent, vt priùs totum quàm partes, & compoſitum quàm ſimplicia, præceptum tuum ſectuaſſe videantur. Nam dum totum hoc vnū ſimile ſibi producit, innumeras illas partes ſingulas ſingulis conformat. O immenſam tuam Sapientiam, in his etiam quæ deprehendi à nobis poſſunt, conſpicuam. Sed quota pars hæc tanti dicam operiſne an operum? cùm in hoc ipſo, & in immenſitate tantam facilitatem, & in tam ſimplici facilitate tam altæ Sapientiæ ſpecimen oſtendiſti. Deus ex quo omnia, mentem mihi dona. Vnde mihi tanta cognitio niſi à te? Et vt ex aſtantibus tibi dicere ſcirem, aut auderem, aut rectè poſſem? Dei ſummi vita, domina mei, ſerua me. Vbi & ſenſus, & actionum numerus, & elementorum perfectionem in vtroque retinent, & primæ preces æquâ diuiſione immortalia à mortalibus ſeiuncta habent. Quodnam malum homini tam magnum euenire poteſt, quod diuinis Sapientiæ tuæ muneribus largè non ſuperes. Modò liceat limites tangere extremos abditæ tuæ comprehenſionis. Et nomen tuum nimis magnum eſt, quoniam Tu idem ipſe es: Et qui illud ſuo genio prætexuere, ceciderunt, & dolo agentes in dolis perierunt ipſi, aut ſtirps eorum. Neque in potentia confidant Regna, omnia enim tuo ex nutu pendent. Niſi effuderis in me lumen tuum, non poſſum ſcire quæ tua ſunt, neque dicere an ſanguinarium virum diligas, qui aſſerat ſe ob mandatum tuum hæc facere. Ignotum enim mihi eſt, an humanâ manu placeat vindicta improborum, & legem tuam contemnentium.





INDEX RERVM

Illustrium quæ in Priori Tomo Continentur.

Prima Columna notatur per Litteram A, Secunda columna per Litteram B.

A.

Aleæ

Index Rerum.

NNn 4 Arehie

Index Rerum.

B

Cæcitas

Index Rerum.

C

Claudius

Index Rerum.

D

Delphini

Index Rerum.

Doli

Index Rerum.

Fabulæ

Index Rerum.

Iacobi

Index Rerum.

I.

Machabæ

M

N.

Index Rerum.

Podalirus

Index Rerum.

Prudentiæ

Quis

Index Rerum.

tria

Index Rerum.

Sicut

Index Rerum.

Index Rerum.

Testimonia

Index Rerum.

V.

Index Rerum.

Vni

Index Rerum.

X.

Z.

Index Rerum.

F I N I S.

